Biblioteca Universitaria
GRANADA
133
6

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: 44
Estante: 22
Numero:

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala:
Estante:
Número:

Biblioteca Universitaria
GRANADA

R. 3117

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vigesimum secundum

DE BEATITVDINE & MISERIA humana

DVOBVS LIBRIS agens.



NON EST
BEATVS IPSE QVI SE
NESCIAT

Sic IACOBVS beatus est
MONAVIVS
Iuris diuini humaniq. ſciens
Vratislauienſis
cum fratre PETRO, Aſclepiadeo filio, aulæq. Auguſtæ medico
Quibus felicis amicitiæ mem.

THEATRI
Vol. Vigeſimumſecundum
exoterica
de beato miſeroq. hominum
ſtatu iudicia
DVOB. LIB. comprehendens
HORVM
I. *De BEATITVDINE & Felicitate*
II. *De MISERIA & Infelicitate humanæ uitæ diſſeritur*

THEOD. ZVINGERVS
animo liberali

D

TOMI XXII. LIBB.
DISPOSITIO.

FINEM *omnem bonũ eſſe, Hominis uerò, propter quẽ cætera omnia quodãmodo eſſe Ariſt. profiteri non dubitauit, finem optimũ eſſe, neceſſe eſt, tanquã cumulum quendam bonorum reliquorũ, quam Beatitudinem & Felicitatem uulgò promiſcuè uocãt, ſed Philoſophi exactiùs diſtinguunt. Popularem igitur & nos trutinam, Hiſtorici potiùs uſus quàm Cognitionis philoſophicæ ergò ſecuti, agamus de* BEATITVDINE *&* Felicitate LIBRO PRIMO: *de* MISERIA *&* Infelicitate LIBRO SECVNDO.

LIBRI PRIMI
TITVLI.

- De BEATITVDINE & FELICITATE, *tanquã de Fine humanæ uitæ populari minerua agamus, perpendendo illius*
  - Acquiſitionẽ. FELICITATIS *acquiſitio, ratione habita*
    - Perſonarũ: *eorũ puta*
      - Qui *acquirunt.*
      - Per *quos acquiritur. Efficiens cauſa felicitatis*
        - Certa. *Auctores felicitatis*
          - Quiſq; *ſibiipſi.*
          - Alij
            - Populi. Reges, *Principes.*
            - Philoſophi. Serui.
        - Incerta. *Fortuna.*
    - Rei, *h. e.* Occaſionis, *ſiue Inſtrumenti conſiderati*
      - For*maliter, ut bonũ uel malum*
        - Propriũ. *Felices ex propriis Bonis Maliſue tum*
          - Animi. Ex
            - Linguarum *peritia.*
            - Ignorantia. Impudicitia.
          - Corporis
            - Formæ *ſimilitudine.*
            - Morbo. Scabie. Somno. Morte.
          - Fortunæ. Ex
            - Paupertate, *Opum iactura.* Expoſitione.
            - Exilio. Amiſsione *regni.* Carcere, *Captiuitate.*
            - Orbitate. Coniugio. Ignominia.
            - Victoria *ludicra.* Clade *ab hoſtibus illata.*
        - Alienum
          - Bonum.
          - Malũ. *Felices ex aliorum*
            - Conuerſatione *& ſocietate.*
            - Tyrannide. Stupro. Proditione.
            - Surditate. Calamitate.
      - Materialiter. *Vt eſt*
        - Ligo.
        - Brutum.
    - Temporis. FELICITATIS *momentum. Puncto temporis acquiſita.*
  - Poſſeſsionem. FELICITATIS *poſſeſsio cõſiderata reſpectu*
    - Perſonarum: *eorum ſcilicet*
      - Qui *poſſident. Sic cadit*
        - Primariò *in Homines*
          - Viuos. *Felices*
            - Populi. Viri *boni.*
            - Philoſophi. Reges.
            - Senes. Pauperes.
          - Mortuos.
        - Secundariò *in Accidentia hominum, quatenus ſunt in*
          - Loco. *Loca felicia.*
          - Tempore. *Tẽpora felicia.*
      - Propter *quos poſſidetur. Sic Felices alij dicuntur propter*
        - Principes *bonos.* Ciues. Amicos.
        - Parentes. Filios. Poſteros.
        - Hoſtes
          - Diſcordes.
          - Victos, *oppreſſos.*
    - Rerũ, *tanquam Materiæ ſubiectæ felicitati. Siue ea ſit*
      - Multiplex. *Felicitas multiplex. Variis bonis felices.*
      - Simplex. *Sic Felices dicũtur alij propter bonum aliquod quod poſſident. v.g. propter*
        - Fauorem *diuinum.* Virtutem *in genere.* Rectam *inſtitutionem.*
        - Rẽpublicã *rectè adminiſtratã.* Initiationẽ. Facta *illuſtria.* Diuitias.
        - Libros
          - Collectos. Conſeruatos.
          - Propagatos.
        - Primogenituræ. Gloriã, *Honores.* Nobilitatẽ. Reditum *in patriã.*
        - Peregrinationem *perpetuam.* Victoriam. Coniugium. Pacem.
        - Amicitiam. Malorum *quorumuis depulſionem, euitationem.*
  - Conſeruationẽ. FELICITATIS *Duratio, Cõſeruatio. Euc Felicitas*
    - Homi*num*
      - Conſtans.
      - Inconſtãs. *Fortunæ uicißitudo. Variis caſibus agitati*
        - Populi. Pij *homines.* Pontifices, *Cardinales.*
        - Principes, *Reges, Tyrani, Imperatores.*
        - Reginæ. Duces *bellici.* Conſules.
        - Conſiliarij, *Aulici, Amici principum.* Serui.
    - Locorum *conſtans.* Temporum.

Voluminis Vigesimisecundi
Liber I.

De Beatitvdine & Felicitate.

AD summum bonum omnes humanas actiones atque passiones referri constat. Quod etsi alij aliud statuũt, in eo tamen omnes cõsentiunt, quod dã διδ'αι μονίας siue Beatitudinis nomine illud dignãtur. De quib. cùm disertè Philosophi Ethici disputẽt, nobis rudi minerua differentiam eorum delineare satis erit. Beatitudo igitur alia Perfecta esse uidetur, alia Imperfecta. Perfecta ueluti cumulus quidam bonorum omnium, Animi dico, Corporis & Fortunæ, ab Aristotele sedulò quidem inuestigata, at nondum reperta, sola Reuelatione sacrarũ literarum docetur atq; discitur, cuius rude simulacrum terrestris uitæ curriculum exhibet, exactam uerò ideam uitæ cœlestis, Christi opt. max. merito parta, continet: cuius exẽpla aliquot sub Reuelatione Beatitudinis propriæ uel alienæ exhibuimus: uti his contraria æternæ Miseriæ siue Damnationis exempla sub Tit. Reuelationis Infernalium pœnarum proposuimus. Imperfecta uerò Beatitudo, seu potiùs Felicitas, partem tãtùm bonorum complectitur. Sic alij ex Internis animi bonis, uirtutibus nimirum qualibuscũque, beati censentur (quorum exempla in genere sub Titulo, Bonorum uirorum, enarrauimus. illic Habitus generalis habebatur ratio, hîc uerò ipsius Finis, habitum tanquam formam comitantis. sic δαιμόνιον hominem uocant Græci, uirtute præstantem: & Spartani σεῖον ἄνδρα, diuinum uirum) Alij uerò ex bonis Externis, quæ Corporis & Fortunæ propriè dicuntur, à quibus εὐτυχεῖς & ὄλβιοι, Latinis propriè Felices appellantur. Quorum exempla ex singulis Corporis Fortunæq; bonorum locis mutuanda erunt. Etenim Pulcri, Sani, Robusti, Diuites, Potentes, Honorati, πολύφιλοι, quatenus tales sunt, respectu ipsius Subiecti, iis in locis explicati fuere. At respectu Finis, ad quem bona ista collineant, huius erunt loci: præsertim quando disertè propter ea ipsa μακαρίζονται & διδαιμονίζονται, hoc est, felices & beati prædicantur. Idem iudicium esto de Malis totidem generum, ex quibus Infelices atque Miseri nuncupantur.

FELICITATIS ACQVISITIO, RESPECTV

PERSONARVM: EORVM SCI licet, per quos acquiritur Felicitatis auctores uel

CERTI. ÉVIVSMODI SVNT

Deus, Intelligentiæ.

Prima hæc est causa, à qua & esse hominis, & bene esse dependet. Sed quia mediatè plerumque agit, nos hic de immediata actione loquimur: mediatam, eorum, per quos agit nomine, in sequentibus comprehendentes. Consule Tit. Deorum amici. item Bella diuino auxilio confecta. item, Reuelationes euitandi alicuius periculi, uel boni consequendi.

Homines. Puta

Reges, Principes.

Ex loco Principum bonorum exempla petantur, quatenus Subditorum felicitati cooperantur.

Seruã

Serui.

STRATON unus ex omnibus Tyriis à seruo conseruatus rex fit. Vide Tit. Seruorum fidei erga dominos.

Quisque sibiipsi.

Ex Fructu uirtutum quarumlibetcunque digno, exempla hnc corroganda.

INCERTI. FORTVNA.

De PISCATORE, cui locuples puella nupsit, Agathias in 1. Epigram. Græcorum, ἐς τύχλω:

Γραπεύς τις μορόεσσαν ἐπ' ἰχθύσι τὸν δι' ἰσοδίωσι
εὐκτέανον κόρῃ, θυμὸν ἔχων μεν πόθῳ,
καὶ μιν θῆκε σὺν δινοειδὲ, σὺν βιότοιο πενιχρῷ
δίξατο πανυπίης ὄγκον ἀγλωρίης.
ἡ δὲ τύχῃ γελάσασα παρίστατο, καὶ πανὶ κύπτῳ,
ἀ τεὸς ἀντ' ἀγαθὸν, ἀλλ' ἰρὸς ἐστιν, ἄφρ.

ROMANOS à Fortuna totos dependisse, Plut. commentario proprio luculenter ostendit. Hinc crebra illa tùm sequentibus temporibus tùm à SERVIO potissimùm Tullio rege Fortunæ omnigenis titulis erecta templa.

L. Licinius LVCVLLVS, qui bellum aduersus Mithridatem gessit, cui Gn. Pompeius successor est missus, aduersa nobilitate, quòd feliciter bellum contra Mithridatem & Tigranem reges administrasset, templum Felicitati deæ cõstituit. L. Viues in lib. 4. August. de Ciuitate Dei, cap. 23.

AVGVSTVS, qui annos LIIII imperauit, quando nepotem in expeditionem mittebat, precatus deos est, ut uirtutem ei Scipionis, beneuolentiam Pompeij, & fortunam suam darent, sicut operi magnifico nomen sibi inscribens opificis Fortunæ: quæ insinuans eum Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hirtio, M. Antonio, illorum decoribus, manibus, palmis, classibus, expeditionibus, legionibus in summum fastigium euexerat: hisque, per quos eò aspirauerat, oppressis, solum rẽliquerat. Plut. de fortuna Rom.

RERVM, HOC EST, OCCASIONIS siue Instrumenti considerati

FORMALITER. FELICES

Ex propriis bonis, malisue. Puta ob

Linguarum peritiam.

GODOFREDO Bolionio Comiti regnum Hierosolymitanum à Latinis ducibus ultrò delatũ fuit, tum propter alias animi corporisq; regias dotes, tũ uerò etiam quòd trilinguis, ac ueluti triplici patria (ut qui Gallus natus, Italus propter magnum auunculum Stephanum Pp. Romanum, Germanus, quia sub Augustorum signis meruisset) Sacro bello cunctorum animos in se uerterat, & peritia linguarum discordes sæpe conciliauerat. Aemilius lib. 4.

Ignorantiam.

Ferunt Babym fratrem fuisse Marsyæ, qui nõ ueritus est ipsum Apollinem ad canendi certamen euocare. A quo quum esset uictus, ab eodem supinus de pinu suspensus, excoriatus est. Deinde cùm Apollo pararet BABYM quoq; perdere, intercessit Pallas, admonens hunc usqueadeò infeliciter & indoctè tibiis canere, ut omnino negligendus esse uideretur, κάκιον, inquiens, βάβυς αὐλεῖ: id est, Deterius Babys tybiis canit. Quibus uerbis commotus Apollo Babyn adeò contem sit, ut cum ne supplicio quidem dignum existimaret, sed fugẽ potiùs inscitiæ iudicaret relinquendum. Vnde prouerbium ortum, Babys multò deteriùs cantat. Erasmus.

Impudicitiam.

Duo EQVITES Rom. cùm in eorum numero fuisse accusarentur, qui contra Domitianum conspirauerãt: nulla re Domitianus magis ad eos liberandos motus est, quàm quòd impudicos esse norat. Fulgosus lib. 8. cap. 1.

Formæ similitudinem.

Nicias Nicerati, magnificentia sua pop. Atheniensem sibi conciliauit. Fertur in choragio quodam SERVVS eius, ornatus Bacchi persona, transisse forma & proceritate corporis eximia, etiamnum imberbis. Commoto eius aspectu populo, ac diu applaudente, exurgẽs Nicias, Nefas dixit arbitrari se esse, ut corpus, quod deo omniũ uocibus esset declaratum simile, in seruitute teneretur, atq; adolescentem manumisit. Plut. in Nicia.

Morbum.

Consule sub loco Institutionis, Præceptores per accidens, Morbi.

ISAACVS Patriarcha cùm senuisset, oculis captus est, ut neque filios suos dignoscere posset. At bene hoc cessit illi, nã per cæcitatis errorem bene dixit Iacobo. Neque cùm se deceptum rescisisset, irritam fecit benedictionem: quia prophetiæ spiritu repletus, uidere mẽte ceperat futurorum arcana: illumque dominum constituit fratrum suorum, cuius propaginem in Christo claudendam cognorat. Marulus lib. 5. cap. 4.

IOBVS non tantùm pedibus aut manibus, aut aliquo membrorum æger erat, sed toto prorsus corpore tabidus atque putridus, & à planta pedis usque ad uerticem fœdissimis ulceribus plenus. Testa sanie radebat, iacebatque in sterquilinio, magis etiam dolendi causas habens, quòd paulo antè omnem substantiam (cùm opulentissimus esset) unà cum liberis amiserat, nec tamen unquam cogi potuit ut saltem labiis peccaret. Vxor iacenti assidebat, non quæ consolaretur afflictum, sed petulantia sua grauiùs exasperaret: eumque tantarum impatiens ærumnarum iubebat, ut in suam ipse necem maledictis Deum prouocaret. At uerò non ignarus, longè maiorem esse miseriam Deo peccare, quàm ista pati, in ipsam indignatus: Quasi, inquit, una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti. Meritò igitur post tot aduersa talemque patientiam duplicia dicitur recepisse, cæteris felicior futurus, qui dum uiueret miserior existimabatur. Marulus.

MEPHIBOSETH Ionathæ filius, deleta Saulis domo solus superfuit, quia utroque pede claudus non potuit interesse bello, quo ceciderunt fortes Israel. Insuper auitos agros solus possedit, & regis Dauid mensæ particeps fuit. Tantum ergo illi pedum ægritudo contulit, ut & diutiùs & felicius uiueret: fortasse unà cùm aliis occubiturus, si sanos pedes habuisset. Marulus lib. 5. cap. 4.

PAVLVS post triduanam cæcitatem ita se correxit, ut de persecutore apostolus fieret. Percusserat eum Dominus ut sanaret: & ille sanatus tantùm profecit uirtute, ut omnia ardua, dura, acerba, contumeliæ, uerberationis uitæque periculi plena non inuitus subiret pro Christo, frigus, famem, gladium iuxtà contemnes, & Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi, & cùm infirmior, tunc potens sum. &, Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis; non contemplantibus nobis quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur, temporalia sunt: quæ autem non uidentur, æterna sunt. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed ẽternam in cœlis. Marul. lib. 5. cap. 4.

THEAGES morbi otio adductus, uti tempus falleret, philosophiæ dare cepit operam. Aelianus libro 4. Varia historia, ex Platone.

PTOLEMÆVS secundus Aegypti rex, qui, dum ualeret, occidit fratrem Argeum, Magam alterum fratrem bello lacessiuit, Arsinoem sororem atque uxorem ductã in exilium egit, eius filiis, ex priore coniuge genitis, occisis (unde meritò per antiphrasin Philadelphus uocatus) ubi morbo diuturno oppressus est, totum se studiis dedit: doctorem habuit Stratonem Lampsacenum, studiorum autem hortatorem Demetrium Phalereum. Vnde bibliothecam illam postea tam insignem instituit: cui quicquid ex antiquioribus codicibus habemus, præsertim Hippocratis, debemus. Sacros codices per Septuaginta interpretes in Græcam linguam uerti iussit. Ducenta millia Iudæorum libertate donauit. Theophrastum ad se accersuit: in omnes eruditos mirum in modum beneficus. Strabo lib. 17.

HIERO Syracusanorum tyrannus, qui nihilo mitior, nihilo cordatior Gelone fratre fuit, post morbum ad studia Musarum artiumque se contulit, moresque in melius mutauit. Aelianus lib. 2. Var. hist.

HERODICVS Gymnastes, ut scripsit Panyasis, cùm esset ualetudinarius, certam uiuendi rationem ex medicina & gymnastica ueluti mixtam amplexus, eandem alios quoque docuit. Plato in Politicis.

Cùm Vedasti Atrebatensis episcopi corpus de loco, ubi olim positum fuerat, transferretur, AVDOMARVS cęcus à Deo petiit, ut uideret sancti ossa, & illicò uisum recepit. Mox cùm rursum orasset, ut si ea res animæ suæ saluti minus conduceret, rediret infirmitas, iteratò oculis captus fuit. Marulus lib. 5. cap. 4.

BVLGARIS pestilentia ut Christiani fierent occasionẽ præstitit. Vide Tit. Religionis discipuli.

ADELBERTVS Lubeci reguli Boëmi F. puer ægrotans, uoto matris religioni addicitur. In qua tantum promouit, ut Hungaros, Polonos, Borussos ad Christum traduxerit, & tandem martyrij palmam susceperit. Bonfinius libro 1. Decad. Cromerus lib 3.

HIERONYMVS Alcander Foroiuliensis, agasone patre natus,

tus, anno ætatis XX. publico stipendio conductus, Græcas & Latinas literas Lutetiæ professus, ex uehementi uocis intentione rupta in pulmonibus uena periculum uitæ adiit. Itaque eo uitæ genere relicto, Leodiensem episcopum secutus, à Leone X. Brundusinus episcopus, mox à Clemente VII. Cardinalis creatus est. Hieron. Garimbertus in uitis.

Scabiem.

Hadrianus Imp. VETERANVM notum sibi olim in militia, cùm scabie laborantem animaduertisset in balneis, seruos illi donauit fricatores, & necessaria illi administrari iussit. Pontanus capite 11. de Liberal. ex Dione.

Somnum.

Qui multos perdidit duces, Lucullum seruauit somnus. Nam cùm Olthacus Dardaniorum dynastes L. Lucullo contra Mithridatem res gereti sese insinuasset, eius in meridie opprimendi consilium, Mithridati gratificaturus, cepit. Vbi ad cubiculum uenit, Menedemus à cubiculis, ad limina stans, intempestiuè ait Olthacum uenire; modò Lucullum quieti se ex longis uigiliis & tantis occupationibus tradidisse. qui cùm iussus nõ discederet, sed inuito eo ostẽderet se ingressurum, ac rem delaturum ad eum necessariam & magnam: ibi stomachabundus Menedemus, Nihil tãti esse ait ac Luculli salutem: hominemq; ambabus manibus repulit. Quare metuens ille subduxit se ex castris, atq; conscenso equo aufugit. Plut. in Lucullo.

Mortem.

☞ *Eluc omnes ii, qui morte honesta, æternum decus nominis acquisiuere.*

Paupertatem.

FVRII beatam paupertatem Catullianis uersibus ingeniosè depictam subnectere libet:

Furi, cui neque seruus est, neq; arca,
Nec cimex, neq; araneus, neq; ignis:
Verùm est & pater, & nouerca, quorum
Dentes uel silicem comesse possunt:
Est pulcrè tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam ualetis omnes:
Pulcrè concequitis: nihil timetis,
Non incendia, non graues ruinas,
Non facta impia, non dolos ueneni,
Non casus alios periculorum.
At qui corpora sticiora cornu,
Aut si quid, magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione:
Quare non tibi sit bene, ac beatè?
A te sudor abest, abest saliua,
Mucusq;, & mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quòd culus tibi purior sacello est,
Nec toto decies cacas in anno,
Atq; id durius est faba, & lapillis:
Quòd tu si manibus teras, fricesq;,
Non unquam digitum inquinare posses.
Hæc tu commoda tam beata Furi
Noli spernere, nec putare parui:
Et sestertia quæ soles precari
Centum desine: nam sat es beatus.

HORATIVS libertino se patre natum, nec se illius pœnitere lib. 1. satyra 6. multis uerbis docet, suamque felicitatem etiam beatissimis præfert: —Si natura iuberet

A certis annis, æuum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscunq; parentes:
Optaret sibi quisq;, meis contentus: honestos
Fascibus & sellis nolim mihi sumere, demens
Iudicio uulgi, sanus fortasse tuo: quòd
Nollẽ onus haud unquam solitus portare molestum.
Nam mihi continuò maior quærenda foret res,
Atq; salutandi plures, ducendus & unus
Et comes alter, uti ne solus rúsue peregréue
Exirem: plures calones, atq; caballi
Pascendi: ducenda petorita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, uel, si libet, usq; Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atq; eques armos.
Obiiciet nemo sordeis mihi, quas tibi Tulli,
Quum Tyburte uia prætorem quinq; sequuntur
Te pueri lasanum portantes œnophorumq;.
Hoc ego commodius: quàm tu, præclare Senator,
Millibus atque aliis uiuo quacunq; libido est.
Incedo solus, percunctor quanti olus ac far,
Fallacem circum uespertinumq; pererro
Sæpè forum: assisto diuinis: inde domum me
Ad porri & ciceris refero, laganiq; catinum.
Cœna ministratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, campana supellex.
Deinde eo dormitum: non sollicitus, mihi quòd cras
Surgendum sit manè, obeundus Marsia, qui se
Vultum ferre negat Noniorum posse, minoris.
Ad quartam iaceo: post hanc uagor, aut ego lecto,
Aut scripto, quod me tacitum iuuet, ungor oliuo,
Non quo fraudatis immundus Nacta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lauatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi,
Pransus non auidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare domesticus acrior. Hæc est
Vita solutorum misera ambitione, grauiq;.
His me consolor, uicturum suauiùs, ac si
Quæstor auus, pater atq; meus, patruusq; fuissent.

Expositionem.

☞ *Consule Tit. Expositionem, quatenus hæc occasione felicitatis utuntur.*

Iacturam quamuis.

☞ *Consule Tit. eorum Quos à uirtute paupertas non abstraxit:*

Ναυᾶ σὺν κακῷ, ἀλλ' ἐσῶν νεώς ἀλλ' ἐκ νεώς, Iam bene naufragui, cùm naufragium feci. De iis, quibus præter spem aliquid feliciter euenit. ZENO enim Cittieus, relictis prioribus præceptoribus, Cratetis philosophi discipulus factus, hoc dixit, naufragiũ perpessus: Rectè sanè facit Fortuna, quæ nos ad pallium traduxerit. eoque dicto, se contulisse ad philosophiam fertur. Suidas, & Plut. in lib. de Vtil. ex inimicis.

SELEVCVS Syriæ rex naufragio facto populi misericordia in regnum recipitur. Vide Tit. Crudelitatis ob pellicatum.

EVENVS Apolloniates pastor, dormiens, quum lupi 60. gregem inuasissent, ouesque ad unam trucidassent: re cognita, uocatus est in ius, & iudicum sententia excæcatus. Mox tamen obtinuit diuinationem. Herodotus in Calliope.

DESIDERIVS Longobardorum rex, amisso regno apud posteros fuit illustrior, quàm aut Alboinus adepto, aut Autharis & Agilulfus formato: tantum unius ei Caroli Magni uictoris uirtus & amplitudo gratiæ honorisque conciliauit. Sigonius lib. 3. regni Italici.

Imperij amissionem.

CLODOALDVS, filius Clodomiri regis, cùm uidisset fratres suos à patruis Childeberto & Clothario regibus interfectos, fuga sibi consuluit, auxilio procerum: & relicto regno presbyter factus est Miraculis claruit diuinis, qui splendore regio exutus fuerat. Vincentius lib. 2. cap. 60.

Exilium.

☞ *Consule Tit. eorum qui Exilium fortiter tulere.*

NAVSITHOVS spaciosis relictis Hyperiæ campis, quòd finitimos haberent Cyclopas, in insulam sedes transferens ultrò, aliis procul mortalibus, habitansque, ubi cum nullis hominibus haberet commerciũ, undosa per æquora solus, uitam ciuibus suis parauit suauissimam. Plut. de Exilio.

EVMOLPVS cùm solùm mutasset ex Thracia, Græcos initiauit sacris. Codrus rex Atheniensium, MELANTHO Messenio exule natus. Plut. de Exilio.

THEMISTOCLES, cùm pulsus primùm Athenis, & mox tota Græcia, uenisset ad Persarum regem, carissimus illi factus, cùm magnifica dona, quibus à rege honoratus erat, intueretur, dixit: O pueri, perieramus, nisi perissemus. Perire autem uidetur, qui cogitur exulare: at Themistocli feliciter cesserat suum exilium. Plutarchus in Regum apophthegmatibus, & de Exilio.

PROTAGORAS Abderites, Menandri Thracum ditissimi filius, & Democrati primis annis auditor, in exilium pulsus ab Atheniẽsibus, quũ sparsas toto orbe triremes Atheniensiũ uideret, paruo se acatio credẽs, insulas cõtinente permutauit: ubi tunc mercede dicitur primus omnium profiteri cœpisse. Plato cùm uideret eum arte Rhetorica intumescẽtem uerbaq; ex poetica plus iusto ostentantem, eius sermõnem elegantissimè expressit. Philostratus.

ERGOTELES olympionices, cùm iii patria sua Cnoso seditio orta esset, Himeramque Siciliæ urbem profugus uenirẽt, cluitate donatus est, ubi & turbas ibi concitatas pacauit. Omnia, inquit Pindarus ode 12. Olymp. fortunæ subiecta sunt, proinde honorificè diuino quodam consilio Himeram fugit. Et addit porrò, fugam illam laudis atque gloriæ causam & materiam ipsi extitisse, dum in fine hymni sic canit: Tuus pedũ honor in natali solo emarcuisset: ingloriũs, perinde atq; gallus gallinaceus, domi pugnans: nisi fortunæ tuæ aduersa seditio Cnosia te patria priuasset.

THVCYDIDES Atheniensis bellum inter Peloponnesios & Athenienses gestum conscripsit in Thracia ad Scapten Hylen. XENOPHON Syllunte Eliorum, PHILISTVS in Epiro, Tauromenites TIMEVS Athenis, ANDROTION Atheniensis, Megaræ in Peloponneso poeta BACCHYLIDES; sua est commentatus: omnes hi pluresque alij patriis profugi non desponderunt animos, neque abiecerunt se ipsi, uerùm ingeniorum suorum felicitatem explicauerunt, occasionem mutuati à fortuna exilium. Plut. de Exilio.

CENOVALCHIO occidentalium Saxonum regijin Anglia exilium profuit. Vide Tit. Mores in melius mutati.

ETHELEFREDO rege Northumbrorum à Redoualdo Orientalium Anglorum rege, cæso, & Eduino in regnum restituto, Ethelfredi FILII, Osualdus, Osuuius, Enfredus, Officius, & Offa in Scotiam fuga se proripuerunt. Eos Eugenius quartus rex benignè accepit, baptizandosq; curauit, atq; suo tempore, ope & auxilio iuuit, & præsertim Osualdum regem aduersus eius hostes. Nam Eduino sublato, Officius & Enfredus primùm, mox Osualdus regnũ adeptus, Cadoaullonem Britannorum regem armis simul & pietate iuicit. Tantum ei profuit exilium. Polyd. lib. 4.

EGBERTVS regio ortus sanguine à Britricho Occidẽtalium Saxonum rege pulsus in Galliam, partem militarem illic ità didicit, ut mortuo Britricho anno Salutis 800. regnum susceptum mirificè propagarit. Polyd. lib. 4.

IO. BAPT. Campofulgosus, Genuensiũ dux, scelere suorũ è patria eiectus, unicum in tantis calamitatibus solamen habuit historiarum lectionem. In exilio igitur dictorum factorumque memorabilium exempla collegit uernacula lingua, eaque Petro F. dedicauit. Quo quidem opere maiorem nominis famam exul assecutus est, quàm si in florentissimo principatu Genuæ consenuisset. Vide epistolam, quam Operi præfixit.

Carcerem, Captiuitatem.

CROESVS Lydorum rex, regno à Cyro exutus, & uita donatus, cum fortunæ iniquissitudine mentis quoque mutationem insignem passus est, tam prudens Cyri & Cãbysis consiliarius, quàm priùs stultus rex fuerat. Herod. lib. 1.

METIOCHVS Miltiadis filius, cùm post uictoriam naualem Persarum ad Miletum Athenas nauigaret, captus à Phœnicibus, ad regem Darium ductus fuit. Rex permultis eum bonis affecit: donauit domo, facultatibus, uxore Persida: ex qua liberi geniti sunt, qui inter Persas censebantur. Herodotus libro sexto.

L. Lucullus captis Cabiris, thesauros illic Mithridatis cepit, & multos carceri inclusos regis necessarios: qui cùm habuissent se iamdudum pro deploratis, non tam Luculli beneficio sunt conseruati, quàm reuixerunt. Inter cæteros soror Mithridatis NYSSA capta est, magna ipsius salute. Illæ uerò, quæ remotissimè à periculo & pacato loco repositæ uidebantur apud Pharnaciam sorores & uxores, miserè perierunt, ad quas necandas eunuchum Bacchidem ex fuga misit Mithridates. Plutarchus in Lucullo.

Triumpho Cæsaris Africano de rege Iuba, IVBA filius eius admodum puer in triumpho ductus est. Fortunata fuit ei captiuitas: qui inde ex barbaris Numidis inter eruditissimos historicos recensetur. Plut. in Cæsare.

RADEGVNDIS Thuringiæ principes captiua abducta ad Christum conuertitur. Vide Tit. Religionis discipuli.

HELENA, Bogoris Bulgariæ principis soror, captiua à Græcis abducta, conuertitur. Vide Tit. Religionis discipuli.

Orbitatem.

SODALEM habui Lutetiæ, inquit Viues, doctum inprimis uirum, qui inter cætera fauentis numinis beneficia, & illud reponebat, quòd indulgentissimam matrem amisisset: quæ si uiueret (inquit) ego nec Lutetiam eruditionis gratia uenissem, & domi inter aleas, scorta, delicias, uoluptates, uti cœperam, consenuissem. Lud. Viues de Christ. femina lib. 2.

Coniugium.

☞ *Ex Tit. Coniugia fortunata, hinc quædam. Illic Amicitiæ; hic Felicitatis amicitiam subsequentia habetur ratio.*

Ignominiam.

CASIMIRVS II. Poloniæ princeps, priuatus adhuc cum aulico quodam suo equite, Ioanne Cohario, aleà ludebat, animi oblectandi gratia. Incensus uretq; uincendi studio, in profundam noctem ludum produxit. Pertæsi deinde ludi & uigiliarum, uno iactu summam reliqui lusere. Vincentem Casimirum, & quod luctatus erat argentum non modicum auferentem, palma manus in faciem Conarius uerberauit. Casimirus eam iniuriam æquo tulit animo: eique & argentum omne, quod ludo quæsierat, reddidit. Hæc animi moderatio Casimiro ad Poloniæ regnum uiam strauit: quando Miceeslai fratris tyrannidem proceres Poloni perosi, hoc æquanimitatis exemplo summam rerum ei tutò committi posse non malè sunt arbitrati. Cromerus libro sexto Polonorum historiæ.

Victoriam ludicram.

PROCVLVS cùm in conuiuio (ut fit) latrunculis lusitaret, & decies Imperator ipse exisset, statim scurra tum quidam (ut sunt parata ingenia blandientium) Salue, inquit, Auguste: & allata purpura (ut mos erat) eius humeros ornauit, eumq; adorauit. Quã ille occasione uel oblata, uel arrepta, Imperatoris officium sibi adscripsit, & uulgò ut Imperator salutatus est. Vopiscus libro ad Bassum 2.

Cladem ab hostibus illatam.

Syriæ rex Seleuchus Antiochi filius, LAODICES matris impulsu Berenicem nouercam suam, & fratrem ex ea natum ad cædem persecutus in Patarã compulit. Hanc Ptolemæi regis sororẽ Antiochus, qui fuit maioris Seleuci filius, Laodice adhuc uiuæ, superduxit uxorem. Berenices & regij pueri miserabili casu commotæ Asiæ ciuitates, puero & matri auxilia aduersus Seleucum decernunt. Ptolemæus & ipse sororis periculo commotus, cum ualido exercitu in Asiam transiit. Berenice ante fratris accessum ui expugnari nõ potuit. Cæterùm fraude circumuẽta, cum puero trucidata est. Indigna res omnibus uisa, atque Seleuci scelus Asiæ urbes detestatæ, uno tempore, magno consensu, ab eo deficiunt, seq; & classem, quam ad opem Berenicæ ferendam comparauerant, Ptolemæo tradunt. Erat is haud dubiè Seleucum spoliaturus regno, nisi ob domesticam seditionem, medio rerum actu, trepidis nunciis in regnum reuocatus esset. Post Ptolemæi digressum, quem Seleucus, ingenti classe fretus, Asiaticas ciuitates hostiliter persequeretur, subita tempestate naues amisit. Res quidem calamitosa, sed inprimis Seleuco optanda, quippe qui adeò miserabilis infensis ciuitatibus uisus est, ob cladem illam teterrimam, ut ira in misericordiam uersa sua sponte in fidem redierint. Sabellicus libro nono, Enneadis quartæ.

Cùm Mauri Granatenses Zaharam oppidum per inducias occupassent, ciues omnes crudeliter trucidassent, Rodericus Pontius Leo, Marchio Gaditanus, spiritu diuinitatis afflatus, suis principibus rem pergratam & Deo optimo maximo sacrificium se facturum existimans, si Zaharensium cædem ulciscerẽtur, cum Iacobo Merulo, qui tunc Hispalensis urbis præfecturam gerebat, re communicata, cum copiis quas cogere potuit, equestris ordinis & pedestris leuis armaturæ, Alhamam uersus proficiscens, duce quodam Mauro, qui paucis antè diebus ad Christianam religionem transierat, magno silentio noctu eò peruenit, arcem occupauit simul & urbem. Quo ueluti fundamento belli Granatensis iacto, Ferdinandus & Isabella Catholici principes auspiciis sutis, Boabdele rege sese dedente, Mauros ex HISPANIA exegerũt. Marineus lib. 20. rerum Hisp.

LAVRENTIVS & Iulianus Medices, Petri filij, principes in Rep. erant Florentinã. Saluiatorum & Patiorum conspiratione Iulianus interfectus, Laurentius uix seruatus est. Oppressis inde coniuratis, Laurentius opes familiẽ ob magnitudinem æris alieni, quam non nisi ex ærario summa cum inuidia dissoluere licuisset, pene oppressas in integrum restituit, ciuibus non uolentibus modò, sed etiam cum alacritate conferentibus: sic ut unius Iuliani cæde numen, si quod familiæ infestum erat, placatum uideri possit, quæq; consilia à coniuratis ad Medicum potentiam euertendam inita fuerant, ad eorum principatum stabiliendum mirificè contulerunt. Brutus lib. 6. hist. Flor.

Ex Alienis bonis malisue. Sic Felicitas acquiritur ex

Conuersatione & Societate bonorum.

AEGYPTII felices ex Abrahæ ad ipsos migratione: utpotè à quo illi Astronomiam ab Enoch traditam acceperint. Euseb. lib. 9. Præp. cap. 4. ex Artabano & Alexandro Polystore.

Si inuenti fuissent decem VIRI iusti in quinq; peccatricibus ciuitatibus, propter illos pepercisset Dominus uniuersis, pètente Abrahamo. Gen 18.

Lothus, cùm in oppidum SEGORIS se conferre uellet, à Domino obtinuit, ut oppido illi parceret, ne unà cum Sodomitis periret. Gen. 19.

LABAN propter Iacobi generi præsentiam, cuius seruitio quatuordecim ãnnis fuit usus, mirum in modum ditatus fuit. Genesis 30.

Propter Iosephum benedixit Dominus domui PVTIPHARIS, Aegyptij magistri equitum, cui seruiebat. Gen. 39.

Propter Iosaphat regem Iuda, Deum colentem, Elisæus propheta impetrauit aquas dari EXERCITVI, in quo erant duo alij mali reges. 4. Reg. 3.

Nabucodonosor OMNES sapientes Chaldæorum interfici iusserat, inter quos & Daniel erat. Qui cùm reuelatione diuina somnium cognouisset, & regi exposuisset, seipsum & sapientes à morte liberauit. Danielis 2.

Veniebat Iudas Machabæus ad capiendã Scythopolim ciui-

tatem: sed propter IVDÆOS qui intus habitabant, erga quos Scythopolitæ benigni fuerant, nil eis mali fecit: imò gratias agens, hortatus est eos decæterò erga genus suum benignos esse 2.Machab.12.

In naufragio ad Melitam insulam in mari Adriatico facto, 276

HOMINES seruati sunt Dei beneficio, propter Paulum apostolum, qui unà, licèt uinctus, uehebatur. Actorum 27.

P.RVTILII adolescentiam, ad opinionem & innocentiæ & Iuris scientiæ, P. Mutij domus uehementer commendauit: ut est apud Ciceronem lib.2.Officiorum.

Tyrannide.

Menecles Barcæus scriptor & Andron Alexandrinus, qui chronica conscripsit, aiunt quòd Alexandrinorum GRÆCOS omnes tum Barbaros docuerunt, cùm omnis ferè circularis disciplina defecisset, ob mutationes crebras quæ temporibus eorum, qui Alexandro successerunt, factæ sunt. Athenæus lib.4 cap.24.

Ptolemæus, qui septimus regnauit in Aegypto, & ab Alexandrinis legitimè Cacergetes fuit nominatus, cùm multos ex Alexandrinis iugulasset, complurescq; in exilium, ex iis qui fratris sui tempore pubescerent, profugasset, INSVLAS & urbes omnes uiris grãmaticis adimpleuit, philosophis, geometris, musicis, pictoribus, pædagogis, medicis, aliisq; compluribus, qui ob paupertatem docentes ea quæ sciebant, multos uiros eximios effecerunt. Athen.lib.4.cap.24.

A Mahometo II. Turcarum Imper. Constantinopoli capta, reliquiæ Græcorum ingeniorum, Theodorus Gaza, Ianus Lascaris, Emanuel Chrysoloras, tyrannidem barbarorum fugiẽtes, Græcam literaturã ITALIÆ primùm intulerunt, indeq; per Germaniam & Galliam incredibili cum successu tanquàm per colonias quasdam propagarunt.

Stupro.

Sex.Tarquinius propter illatum Lucretiæ stuprum, cum patre rege Roma pulsus est. Felix stuprum, quod ROMANIS libertatem peperit. Sab.lib.4.cap.11.

Proditione.

DARIO primum Hystaspis filio in Persis regnante, Ionũ res afflictæ propè sunt, classe prodita ab omnibus triremium præfectis, undecim duntaxat Samiis exceptis. Post oppressos Ionas diripuerunt Eretriam PERSÆ, cùm ciuitatis suæ principes, Philabrius Cynei filius, & Alcimachi Euphorbus, patriã suã hostibus prodidissent. Nam XERXI in Græciã irruenti Thessaliam Aleuadę, Thebas Attagilus, & Timageni das Thebanorum primores prodiderunt. Philippi Amyntæ filio ad Græciæ imperium aspirante, unam inuenias proditionis immunem Spartam: cæteras Græcorum urbes non magis pestilentia superiorum temporum, quàm proditiones deleuerunt. Alexandri felicitas effecit, ut nullũ magnopere insigne proditionis exemplũ, quo res eius adiutæ fuerint, possit commemorari. Pausanias in Achaicis.

SELIMVS Turcorum Imperator Aladolum regem, montanis regionibus in Tauro & Antitauro imperantem, proditione Saxonarogli equitum præfecti uicit, cuius pater olim ob affectatum regnum ab Aladolo fuerat interfectus. Pari fortuna Camplonem Sultanum Aegyptium ad Alepum Syriæ ingenti prælio superatum interfecit, cùm in medio pugnæ ardore Cayerbeius Alepi præfectus, ut Camplonem sibi infestum hac ratione ulciscereturᵗ, ad hostes defecisset. Mox uerò Tomumbeium, qui Camplonl successit, prope Memphim aggressurus, insignem cladem accepisset, nisi à Mamaluchis aliquot, qui fidem cũ fortuna mutarant, de tormentorum impetu declinãdo admonitus fuisset. Quinetiam cùm Memphi pulsus Tomumbeius ex Aegypto extrema nouum exercitum comparasset, securum Selimum oppressisset, nisi Albuchomar Aegyptius potentissimus eius conatus detexisset. Itaq; perfidia hostiũ potius quàm uirtute uictor Selimus, florẽtissimum Sultanorum regnum euertit. Sabel. Supplem. lib.7. & 8. & ex Iouio.

Surditate.

Heliogabalus Imperator, cùm iussisset Senatum urbe Roma excedere, indicta morte, si quis remansisset, & sciret Sabinum consularem uirum, spreto decreto, Romæ remansisse, centurionum VNI imperauit, ut eum occideret. Sed cùm is surdaster esset, accepit occidendi uerbum, tanquam ab urbe eum pellere iuberetur. Lampridius.

Calamitate.

Si nihil infelix durus uidisset Vlysses, PENELOPE felix, at sine laude foret. Ouidius.

MATERIALITER. SIC V.G. FELICITATIS occasionem præbent

Ligo.

SFORCIARVM Mediolanensiũ principum gẽti fortunatissimus fuit Ligo ille, quem auctor gẽtis Magnus Sforcia, ruri rediens, iñ quercum euibrans, si quidem suspẽsus maneret, omen captauit, quòd militiæ nomen dare deberet. Iouius.

Bruta.

Ex Titulo, Edocti à Brutis, huc quædam adaptanda.

MITHRIDATES ad Cabiras à Lucullo uictus, cùm nemo apud eum ne apparitor quidem uel equiso remansisset, in caterua se cæterorum extulit castris, ac ne equum quidem ex regiis ad manum habuerit: uerùm cùm ferò tandem in fluctu fugæ illius conspexisset iactatum eunuchus Ptolemæus, cui equus erat: desiliit, præbuitque equum regi: iam enim premebant eum instantes Romani: cùm interea mulus ex iis, qui gazam regis portabant, conieciet se inter regem & consectantes. Ita illi rapiendo colligendoque auro, atque inter se digladiando, cessauerunt illum corripere. Itaque ad Tigranem generum in Armeniam euasit. Plut. in Lucullo.

LEO Cæsar psittaci opera è carcere liberatus. Vide Tit. Prudentiæ in liberando è carcere.

TEMPORIS. PVNCTO TEMPORIS ADEPTA FELICITAS.

Felicitatis momentum.

Statuerant XII. exules Thebani iuuenes duce Pelopida Archiam tyrannum interficere, habitu uenatorio Athenis egressi. Hippostenidas Thebis habitãs, libertatis amãs, & exulum studiosus, uerùm quasi æstuans ad magnitudinem discriminis, quod in manibus erat, mandauit clàm per amicum quendam Meloni & Pelopidæ, rem in aliud tempus extruderent, redirentque Athenas, commodiorem opportunitatem expectaturi. Chlidoni nomen erat nuncio: hic ad se domum perrexit, eductoque equo poposcit frenum. Hæsitante uxore eius, cùm non esset ad manum, ferenteque cuipiam se id uni ex necessariis commodasse, iurgia primùm inter eos, mox maledicta exorta, imprecante muliere ei & aliis, à quibus mitteretur, infaustum iter. Itaque cùm multum diei in his rixando consumsisset, & uerteret casum in omen Chlidon, deposuit prorsus profectionem, atque ad alia se conuertit. Tantulum absuit, quin maxima & pulcerrima cepta statim in limine ad muliebrem rixam destituerentur tempore. Ergo non admoniti exules, uenere sub uesperam, & tyrannos oppressere. Accidit & aliud, in ipso ueluti puncto negotij aggrediundi. Ea ipsa uespera, qua exules Thebani duce Pelopida Archiam tyrannum occidere, & THEBAS à iugo Spartanorum liberauere, cùm Archiam scriba Phyllidas spe matronarum quarundam multo uino immersisset, missus fuit Athenis ab Archia hierophante ad Archiam hospitem & amicum nuncius cum literis, quæ coniurationis Archiam exactè admonebant. At tunc ad Archiam admissus temulentum tabellarius, reddita epistola: Hanc qui misit, inquit, illicò ut legas eam mandat: de seriis enim scripta est. Hic arridens Archias: Ergo, inquit, in crastinum seria, εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα. simul acceptam epistolam subiecit pulvino, ac denuò Phyllidæ ad institutum sermonem aures præbuit. Plut. de Socr. dæm.

Antigonus contra Cleomenem Spartanum bellum gerebat. Thracibus autem irruentibus, ab iis uastati acciuerunt Macedones Antigonum, Quòd si aliquantisper ante prælium hæ literæ illatæ ad Antigonum fuissent, extemplò discessisset. Sed quæ res maximas puncto decernit fortuna, tantum edidit temporis momentum atque uim: ut cùm depugnatum ad Selassiam esset, in qua pugna CLEOMENES exercitu & urbe exutus est, superuenerint statim, qui retraherẽt Antigonum. Quod quidem inprimis fortunam effecit Antigoni splendidiorem, & Cleomenis miserabiliorem. Nam biduum modò si protraxisset, & uitabundus prælium prolatasset: nihil fuisset ei pugna opus, sed quibus uoluisset legibus, pacem Macedone digresso esset cum Achæis pactus. Plutarchus in Cleomenis uita.

MAXIMILIANVS I. Friderici III. F. Francorũ regem Ludouicũ XII. bello aggressus, ad Terbonã uno die uigiti millia militum Francorum fudit fugauitque. Et cùm castra eius, quibus octo millia militum tenebantur, ab hoste essent capta, cæsique milites, ea forti manu recuperauit denuò, hostemque suis castris exuit, ac uictor eo die maxima præda abacta triumphauit, quo primogenitus Philippus sibi natus est, anno Salutis 1478. cùm paucis antè mensibus tota Geldria in eius deditionem uenisset, unà cum capto duce per suos milites. Cuspinianus.

FELICITATIS POSSESSIO. RATIONE HABITA

PERSONARVM, QVI POSSIDENT. HVC

HOMINES BEATI, FELICES dicti. Et ij uel

Viui. Vtputa

Populi.

De HYPERBOREORVM felicitate Pind. ode 10. Pythiorũ:

Μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαιμοῦσι
πέσποις ἐπὶ σφετέροισιν. παν-
τᾷ δὲ χοροὶ παρθένων,
λυρῶν τε βοαὶ, κρουναχά τ' αὐλῶν διανέοντται.
θάλλει τε χρυσία κόμας ἐλαίᾳ
πυνάζουσιν εὐφρόνως.
νόσοι δ' οὔτε γήρας ἐκλέλοιπον
κέκριται, ἀπεῦ θρασεῖ πόνων
δὲ μαχαῖαι ἔστας
οἰκέουσι, φυγόντες
ὑπερόπλων νέμεσιν.

Neque Musa abhorret à moribus illorum: undique uerò chori uirginum cithararumq; uoces strepitusque tibiarum audiuntur. Lauro denique aureas comas religantes conuiuantur sobriè. Morbi uerò neque senium pernicioſum adhæret genti illi sacræ: sine laboribus quoque & bellis habitant, fugientes ultricem Nemesim.

TIBARENI seu Tibarni, Chalybibus Asiæ populis uicini, in risu lusuq; summum bonum collocant. Pomp. Mela lib.1. & Val. Flaccus lib.5. Argonaut.

Platonem CYRENÆI rogarunt, leges ut ipsis scriberet traderetq;, ac remp. ipsorum ordinaret. Id ille abnuit, Magnæ molis esse fatus ita fortunatis leges sancire Cyrenæis. Nihil enim æquè est intractabile, asperum & præfractum, ut homo, cui felicitatis opinio inhæserit. Plut. ad Princ. indoctũ.

CORINTHVM celebrat Pindarus ode 13. Olymp.

ἀνέρα τοῦδε πόλις
ὑμνεῖ Ἰσθμιόνικον, ἀγλαΐαις ἐπιδόξοις
ἐν τᾷδε δ' εὐνομία νάσεν κασίγνητα τάν τε βάθρον πολίων
ἀσφαλὲς δίκας, καὶ ἐμάρτοπος ἀρετᾶν πάμπαν
εὐθρόνοις πλούτου χρύσεον
παῖδες εὐδόξου θέμιτος·
ἐθέλοντι δ' ἀλεξᾶν ὕβριν κόρον
μαινόμενον θρασύμυθον.

Adducam beatam Corinthũ, Isthmii uestibulũ Neptuni, florentem iuuenibus: in ea æquitas uersatur, sororesq; fundamentum urbium firma Iustitia, & cõcordiæ causa Pax, promentes hominibus diuitias, pulcræ filiæ bene consulentis Themitos. Volunt autem arcere Iniuriam, Saturitatis matrem temerariam.

Εὐδαίμων δ' Κόρινθος· ἐγὼ δ' ἄλλο Τενέαθεν, id est, Fortunata Corinthus, at ipse siem Tenеates. TENEA uicus haud procul à Corintho nemorosus & amœnus. Strabo lib.8. scribit, hũc uersum oraculo proditum fuisse cuidam Asiano, consulenti Num præstaret Corinthũ demigrare. Vnde uideturᵗ in uulgi sermonem abiisse prouerbium: quòd Corinthij in urbe magna degentes, sint inuidiosi & occupati: Teneatæ uerò, propter tenuitatẽ fortunarũ, quietiùs uiuũt. Suid. & Erasm.

Xerxis Persarum regis exercitus in Græciam traiectus, propter innumerabilem armatorum uim, Græcos haud uano necessitatis ultimæ pauore perculsit. Quippe quibus aut extremum dimicando, sua coniugum & liberorum libertas, salusq; manu tutãda erat: aut cedentibus, seruitutis conditio subeunda, quam Græcæ in Asia urbes Barbarica ui subactæ experiri impositam coguntur. Eo bello tantis opibus parato, tanta illata ui, tam deniq; insperato rerum deinde euentu soluto, nõ solùm pauore summisq; periculis GRÆCIA liberata constitit, uerùm clarissimam & immortalem ex inaudita uictoriæ magnitudine gloriam consecuta est tantasque simul diuitias unaquæq; Græciæ ciuitas ex ea præda cõtraxit, ut rebus quorumcunq; passim locupletatis thupor ingens populos inuaserit, cunctis supra modum admirantibus, quõnam pacto tantam opum molem, tantasq; uires fortuna possessoribus extorquere, atq; in aduersam partem traducere sustinuerit. Ex eo namq; tempore in 50. sequentes annos, perpetua Græcis ad felicitatẽ populis incrementa prouenere. Tum bonæ artes omnes, opum ui prosequente uirtutis præmia, & dignitatem honestante, doctrinæ mirum in modum excoli, coalescereq; ceperunt, clarissimisq; & excellentissimis cuiusq; artis disciplinæq; auctoribus artificibusq; seculum illud primum floruisse memoriæ proditum est, quo Phidiæ sculptoris in educendis rerum simulacris acumen illud propè diuini opificij enituit. Disciplinarum quoq; institutio eruditioq; haud mediocriter exculta coaluit. Philosophiæ præcipuus honor habitus: necnon & eloquentiæ facultas in dignitate fuit, passim quidem apud Græciæ populos omnes, at uerò Athenis in primis: quo tempore Socraticæ disciplinæ professores, Platonis deinde Aristotelisq; traditio uiguit: eloquentia Pericles & Isocrates, eiusq; discipuli excelluere. Nec minoris excellentiæ uiri temporis eius militari disciplina, clarissimis gestis, famaq; nobilissima recẽsentur, Milciades, Themistocles, Aristides, Cimon, Myronides, ac plerique alij. Diod. lib.11.

Gothis dominantibus, ITALIA optatam aliquando pacem ac quietem adepta, primùm omni genere prosperitatis efflorui: deinde nouis bellorum fluctibus agitata, usque ad extremam urbium desolationem, gentisq; internecionem, miro quodam ac præcipuo Fortunæ ludo, elanguit. Felicitatis autem materiam rex Theodericus, calamitatis reliquiæ deinceps præbuerunt. Sigonius lib.16. Imp. occid.

Homines qui insulam CVBAM, Hispaniolæ ab Columbo inuentæ & cultæ uicinam incolunt, & qui proximas obtinent insulas, quarũ magnus est numerus, plerique auream ætatem agunt, nullum agri modum noscunt, non iudicia, non [illegible] habent, non literis, non mercatura utuntur, non [illegible], sed in die uiuunt. Bembus lib.6. Hist.

Viri boni.

INTERROGATORAS interroganti cuidã, Quisnam esset beatus? [illegible] (inquit) ex iis quos tu felices existimas, sed eũ in eo numero reperies, qui à te ex miseriis constare creditur. Non erit ille diuitiis & honoribus abundãs, sed aut exigui ruris, aut non ambitiosæ doctrinæ, fidelis ac pertinax cultor: in secessu, quàm in fronte beatior. Val. lib.7. cap.2.

Philosophi.

EPICVRVS Gargettius dicebat, Cui pauca non sufficiunt, ei nihil satis est. Ille idem dicebat, se cum Ioue etiam paratum esse de felicitate certare, si aquam haberet & offam. Aelianus lib.4. de Var. hist.

Reges.

Prædicante nõnullo REGEM Persarũ, qui admodum erat adolescens, beatum: Nempe nec Priamus, inquit Agesilaus, hac ætate alteram fuit fortunam expertus. Eras. in Apoph.

Senes.

SENEX Veronẽsis Claudiani carmine nunquã olim felicior:

Felix, qui propriis æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem uidet ipsa senem:
Qui baculo nitens, in qua reptauit arena,
Vnius numerat secula longa casæ.
Illum non uario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator timuit, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille foti.
Indocilis rerum, uicinæ nescius urbis,
Adspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Consule computat annum,
Autumnum pomis, uer sibi flore notat.
Idem condit ager soles, idemque reducit,
Metiturq; suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit paruo qui gramine quercum,
Acquæuumq; uidet consenuisse nemus.

Pauperes.

Ouidij uersus lib.8. Metamorphoseon noti sunt:

Pia BAVCIS anus, pariliq; ætate PHILEMON:
Illa sunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Consentiere casa, paupertatemq; ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.

Mortui.

Consule Tit. Reuelatio alienæ Beatitudinis.

Talthybius, præco Græcorum, ad Hecubam, de filia POLYXENA, mactata ad tumulum Achillis, sic ait apud Euripidem in Troadibus:

Εὐδαιμονίζε παῖδα σὴν· ἔχει καλῶς·
ἔχει πόνων· νυν δ' ἀπηλλάχθαι κακῶν.

Beatam prædicato filiam tuam, bene habet: habet mors ipsam, itaq; liberata est à malis.

Midæ ferunt, postquam SILENVM comprehendit, percõtanti & roganti, Quidnã optimũ foret hominibus, & quid maximè omnium expetendum? nihil hunc primùm dicere uoluisse, sed immobilem siluisse. Cæterùm ut tandem aliquando omnia machinatus expressit, aliquid ut ad se loqueretur, tum coactum dixisse: Fati ærumnosi ac fortunæ asperæ soboles momentanea, quid me proloqui, quod uobis præstabat ignorare, compellitis? ignorantia enim propriorum malorum uitam quàm maximè abducit à tristitia. Nequaquam

quaquam ualent homines summum omnium bonum assequi, neq; optimæ naturæ fieri participes. Siquidem optimum est mortalibus omnibus non esse natos: proximum & alterum, quod fieri queat primùm, sed secundum tamen, natos quàm ocyssimè interire. Plutarchus in consolatoria oratione ad Apollon.

SOLON neminem, dum adhuc uiueret, beatum dici debere arbitrabatur, quòd ad ultimum usq; fati diem ancipiti fortunæ subiecti essemus. Felicitatis igitur humanæ appellationem rogus consummat, qui se incursui malorũ obiicit. Val. Max. libro 7. cap. 2.

Referũt matrẽ CLEOBIS & BITONIS iuuenum Argiuorũ Iunonis sacerdotem fuisse: ac cùm proficiscendi ad templũ tempus instaret, remorantibus qui trahebant currum mulis, atq; articulo urgẽte, hos subisse iugum currus, matremque ad delubrum uexisse: quam supra modum filiorum pietate exultantem, precatam esse deam, ut eis optimum, quod dari posset mortalibus, daret: quos, ut cubitum concesserũt, nunquam pòst surrexisse, dea horum pietatem morte remunerante. Plut. in Oratione consolatoria.

De AGAMEDE & TROPHONIO Pindar narrat, hos post quã fanum Delphicũ struxissent, mercedẽ postulasse ab Apolline: hunc autem ostendisse ad diem septimum eam se persolutũrum, interea ut epularentur, præcepisse. Fuisse hos dicto audientes, ac septima nocte sopitos mortem cum uita commutasse. Ibidem.

Auctores sunt, ipsi PINDARO, qui Bœotorum legatis ad tẽplum Apollinis missis mandauerat, ut quærerẽt, Quid optimum mortalibus foret: respõsum reddidisse uatem, Id non nescire ipsum, si quidem scripta de Trophonio & Agamede iliius forẽt. Quòd si etiam experiri aueat, fore id ei breui apertũ. Hoc ubi relatũ fuit Pindaro, animaduertisse eũid mortẽ esse: nec multo interposito spacio defunctũ fuisse. Ibidẽ.

SCYTHIS, ut narrat Plutarchus, mos erat, ut uesperi priùs quàm dormirent, calculum in pharetram immitterent, candidum, si fortè is dies citra molestiam abiisset: atrum, si secus. Demum ubi quis uita decederet, eius pharetram proferebant: in qua si plures candidos calculos reperiissent, felicem pronunciabant: contrà, si plures nigros. Atq; hinc uitæ summam æstimabant. Vnde prouerbio receptum est, ut dicerent, bonum diem è pharetra esse, si quid ex animi sententia accidisset. Erasmus in Adagiis.

Leotychides Aristonis, Philippo, qui Orphei sacris initiabat, planè mendico, INITIATOS ab se iactantí felicem uitam post fata agere: Quin tu igitur, inquit, homo demẽs quàm ocyssimè uitam deponis, quò desinas infelicitatem atque inopiam deplorare. Plut. in Apophth.

PELOPIDAS Thebanus (qui pro Thessalis cõtra Alexandrũ Pheræum pugnans periit, quem peregrè fato functum, non coniuge, non liberis, non præsentibus propinquis, nemine rogante uel compellente, tam multi populi & ciuitates certatim pro se quiq; prosecuti sunt, extulerunt, & coronis decorarunt) iure uisus est summam assecutus beatitudinem. Non enim, ut Aesopus ait, mors est felicium acerbissima, uerùm beatissima: quæ res bonorum uirorum læras securo loco deponẽs, fortunæ declinat cõuersionem. Plut. in Pelop.

Mortuo L. CORN. Sylla, cùm esset à prima luce nubilum cœlum, quia expectabant imbrem, non nisi nona hora extulerũt cadauer. Tum uento increbrescẽte, & delato in rogum, flammamque excitante luculentam, tãto priùs combustum corpus fuit: quatenus rogo iam tabescẽte, atque igne emorienre excussa est larga pluuia, quę ad noctem usque tenuit. Ita perpetua felicitas eum etiam funere peragendo est comitata. Plutarchus in Sylla.

Magna C. IVL. Cæsaris dictatoris felicitas, qua est in uita usus, mortuũ quoq; comitata, necis eius ultrix, atq; omni terra mariq; persecuta est, & inuestigauit interfectores, quoad nullus superfuit, adeoq; oẽs, qui ulla re uel manu facti affines uel consilij fuerant consortes, uindicauit. Porrò inter humana signa mirandum inprimis, quod Cassio accidit. Hic uictus in Philippis semetipse interemit eodem pugione, quo uiolauerat Cæsarem. Ex cœlestibus, grandis cometa, qui post Cæsaris necem eximiè fulgẽs septem noctes apparuit, inde subductus est. Plut. in Cæsare.

TEMPORA FELICIA.

Debis sub Volumine Chronico. Hic Felicitas, illic Τὸ πρῶτον, quod à felicitate quodammodo informatur.

LOCA FELICIA.

Hæc ex Vol. Topico exempla transferantur. Hic Felicitatis subiectum est Locus: illic loci forma Felicitas.

PERSONARVM, PROPTER QVAS possidetur. Sic felices sunt

SVBDITI OB PRINCIPES.

Plato tum demum beatum terrarum orbem futurum prædicauit, cùm aut sapientes regnare, aut regẽs sapere cepissent. Valerius Max. lib. 7. cap. 2.

Pericles cùm iam animam ageret, contigit ut inter amicos astantes de eius uictoriis atq; eloquentia mentio haberetur, eamq; ceu admiratione capti laudibus efferrent. Hæc cùm ipse audiret, apertis oculis aliquantisper nixus ut loqueretur, Mirari se dixit, quòd uictorias eloquentiamq; in eo laudarent, quarum rerum partem fortuna sibi uendicabat: ATHENIENSES potiùs beatos prædicarent, quòd quanto tempore remp. rexisset, nemo ipsius causa lugubrẽ uestem unquam induisset. Plutarchus in Pericle.

M. Antoninus Pius tanta diligẽtia subiectos sibi POPVLOS rexit, ut omnia & omnes quasi sua essent curaret. Prouinciæ sub eo cunctæ floruerunt. Quadruplatores extincti sunt. Publicatio bonorum rarior quàm unquã fuit, ita ut unus tantùm proscriberetur affectatæ tyrannidis reus, hoc est, Attilius Titianus, senatu puniẽte: à quo conscios requiri uetuit, filio eius ad omnia semper adiuto. Periit & Priscianus reus affectatæ tyrannidis, sed morte uoluntaria. De qua coniuratione quæri uetuit. Capitolinus.

DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Impp. bellicis laxati curis, ad studia pacis excolenda animum conuerterunt. si quidem & nouas urbes condiderunt, atq; à suo nomine appellarunt, & ueteres refecerunt, & antiqua in limitibus castra restituerũt, & publica in urbibus, & maximè primariis: opera ad famam magnificentiæ aucupandam ædificarunt, & liberales artes doctorib. prouehendis ornarunt: omnino ut uiderẽtur id agere, ut prisca terris sæcula, quæ aurea fuisse feruntur, terris reducerent, ac pro uitibus instaurarent, quemadmodum oratores ad aures eorum oblectandas dicebant. Viginti certè anni, quibus summæ rerum præfuerunt, ex omni parte non tam belli, quàm pacis artibus floruerunt: quorum auspicatum initium, mira frugum ubertas, & alma cœli salubritas, ex insigni, quæ præcesserat inopia ac pestilẽtia fecit. Vnum tantùm illud clarissimis eorum sadibus aliquas quasi maculas nefarię libidinis, & impiæ crudelitatis inussit, quòd iidem Christianos, homines innocentissimos, ac nullius flagitij sceleris q; cõpertos, cùm semper, tum maximè in extremo Imperij, omnibus ad perpetuam gloriam iam honoribus aucti, infesta persequutione uexarunt. Sigonius lib. 1. occid Imp.

Theodericus Ostrogothorum rex, obiit anno regni sui tricesimo, ætatis septuagesimo secundo, non minorem hostibus terrorem, quàm populis suis desiderium sui relinquens, quòd iustitia, fortitudine, sapientia, atq; omni denique regia laude præstiterat. Quo factum est, ut ITALIA per multos antè annos, reuocato in pristinam securitatem ac propè etiam splendorem Imperio, aut pace firmiore, aut otio uberiore, quàm ipso regnante, non sit usa. siquidem & à finitimorum barbarorũ incursionibus, & à domesticis seditionibus fuit tranquilla. Sed has omnes laudes una Arrianæ perfidiæ temere cultæ insignis labefactauit infamia. Sigonius libro 16. Imperij occidentalis.

Edgaro Britannici regni diadema suscipiẽte, Dunstanus Cantuariensis archiepiscopus sibi diuinitus prædictum audiuit, pacem BRITANNIÆ futuram quamdiu ille uiueret. Et certè annis XVI. quib. regnauit, omnia in summa quiete tranquillitateq; fuẽre. Polyd. lib. 6.

Otho Longus Marchio Brandeburgensis, tutor datus Vencesslao IV. Boemorum regi, in sua absentia præfecerat illi episcopum Brandeburgensem, hominem sæuum & auarum. Seditionem inde uertitus, eo deiecto, Tobiæ Pragensi episcopo & Theobaldo regni Iudici summam rerum cõmisit: mox pupillum secum Brãdeburgum duxit, dicto priùs die, quo eum Boemis restituere uelit. Fortè in ipsius discessu, arcus cœlestis solito uegetior Pragam cinxerat. Non caruit id spectaculum interprete, qui diceret: finẽ malorum Boemis per hoc signum portendi. Et certè duo illi rectores à Marchione relicti, qua inter se concordia erant, & æquitate, brui temporis spacio felicem fecere BOEMIAM, grassatoribus è medio sublatis. Dubrauius lib. 18.

PATRIA OB CIVES.

Philippus Macedo beatos dixit ATHENIENSES, qui denos quoq; anno inuenirent, quos designarent duces: cùm ipse multis annis unum solum ducẽ inuenisset Parmenionem. Plut. in Apophthegmatibus regum.

AMICI OB AMICOS.

NAMERTES legatus missus, cùm eius loci quidam beatum ipsum prædicaret, quòd multos haberet amicos, requisiuit: An exploratũ haberet, qua ratione multos amicos habere quis se sciret? Desiderantí id discere alterii: Aduersa, inquit, fortuna. Plut. in apophthegmatibus Lacon.

HERODES Iudæorũ rex eò felicitatis prouectus est, ut cùm in toto quàm latè patet Romano imperio duo essent omnium potentissimi, Augustus Cæsar, & M. Agrippa, Cæsar post Agrippam nemini maiorem quàm illi honorem haberet, Agrippa item post Cæsarem nemini: qua mutua beneuolentia fretus, Pheroræ suo fratri tetrarchiam impetrauit, de suo regno decisis centum talentorum reditibus, ut etiam si quid fatale sibi accideret, in tuto essent res illius, neque subiiceretur Herodis filiorum imperio. Iosephus libro 15. capite 13. Antiq.

L. SYLLA, Felix cognomine, inter fortunas suas duas præcipuas ducebat: alteram, quòd Pium Metellum haberet amicum: alteram, quòd urbem Athenarum non subuertisset. Plutarchus in Rom. Apoph.

FILII OB PARENTES.

Deus ad ISAACVM, Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes gentes terræ, pro eo quòd audiuit Abrahamus pater tuus uocem meam, & custodiuit præcepta mea, & mandata mea, & iustificationes meas, & legitima mea. Et alio rursus oraculo: Ego sum, inquit, Deus Abraham patris tui, noli timere: tecum enim sum, & benedixi te, & multiplicabo semen tuum, propter Abraham patrem tuum.

EPAMINONDAS, quòd Lenctricum suum ductum & palmam pater & mater etiam tum superstites uidissent, in maxima reposuit felicitate sua. Plutarchus.

PARENTES OB FILIOS.

APOLLONIDEM ferunt Cyzicenam, regis Eumenis genitricem, triumq; aliorum, Attali, Philetæri, & Athenæi, beatam se semper prædicasse, diisq; egisse gratias, non opum gratia neque regni, sed quòd tres filios conspiceret natu maximum stipantes, eumq; in medio illorum hastis & gladiis armatorum securè agentem. Plutarchus de Pietate erga fratres.

L. PAVLVS Aemilius relicta Papiria alteram sibi matrimonio adiunxit, ex qua duos filios editos retinuit in familia. Priores summis & nobilissimis domibus per adoptionem inseruit: maiorem Fabij Maximi, qui consul quinquies fuit, minorem Scipionis Africani filius consobrinum suum adoptauit, Scipionemq; nominauit. Filiam unam Pauli, Catonis filius secum matrimonio iunxit: alteram Aelius Tubero uir optimus, & qui magnificentissimè tulit paupertatem. Plut. in Aemilio, & Liuius libro 25.

Patrem Claudij Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Liuia, cùm AVGVSTO grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit, fuitq; suspicio, ex uitrico per adulterij consuetudinem procreatum. Statim certè uulgatus est uersus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι τρίμηνα πατρίδια. *id est,*

Felicibus sunt mensium & partus trium.

Nam mense septimo, decimo, & undecimo, legitimi sunt partus: quarto & octauo, neque uitales ferè, & perquàm rari: mense tertio, nulli partus editi leguntur. Plinius lib. 7. capite 5. & Suetonius.

CONSTANTIVS Imp. cùm propriis laudibus clarus, tum præcipuè Constantini Magni filij, quem Imperatorem instituit, eximiis uirtutis ac pietatis insignibus meritò memorandus. Sigonius lib. 2. Imp. occid.

De QVODAM multis beato liberis, libro 3. Epigram. Græcorum Carphylides, ἐς ἀγαθὸν ἀνδρα:

Μὴ μέμφῃ πτερὰν τὰ μνήματά μου πτερόεντα,
ἐσθλὸν ἔχω θρέψαν ἄξιον ἐσθλὸ θανόν.
τέκνων τέκνα λίλοιπα, μιᾶς ἀπίλωσα γυναικὸς
συγγήρυ, τρισσοῖς παῖσιν ἐδωκε γάμους·
ἐξῶν πολλάκις πᾶσιν ἱμεροῖς ὀνειρόμενα κόλπους,
ἐδένδρ οἰκάδας ἐνόσον, ἐθάνατον·
οἱ με κατασάσσοντες ἀπήμονα, τὸν γλυκὺν ὕπνον
κοιμᾶθαι, χώρλῳ πέμψαν ἐπ' εὐσεβέων.

MAIORES OB POSTEROS.

ACESTIVM, ex posteritate Themistoclis Athenienſis, filia Xenoclis, Sophoclis filij, Leontis nepotis, uiuens suos omnes à Leonte proauo Daduchos uidit, ęquales etiam eodem sacerdotio cohonestatos, Sophoclem fratrem, Themistoclem uirum, & eo mortuo Theophrastum filium. Pausanias in Atticis.

ANTIGONVS ut potentia & ætate maximus fuit successorum Alexandri, ita etiam sola illius familia ab intestinis cædibus pura fuit: solusq; ex omni Antigoni posteritate Philippus filium suum necauit. Plut. in Demetrio.

INIMICI OB INIMICOS

Discordes.

Antiochus Cyzicenus Antiochi Soteris F. ubi peruenit in Syriam, multis annis cum fratre Antiocho Grypo (eandem enim matrem habuẽre, Cleopatram Aegypti regis filiam) qui Demetrij Nicatoris filius fuit, conflictatus est: HYRCANO interim Iudæorum duce per totum illud tempus agente in pace cõtinua. Mox enim post Antiochi Soteris cædem defecerat à Macedonibus: iamq; nec ut subditus, nec ut amicus ullam illis ferebat opem ampliùs: sed maximis successibus res eius auctæ sunt Alexandri Zebennę tempore, & majoribus etiam regnantibus his duobus fratribus. Bellum enim quo se atterebãt mutuò, occasionẽ Hyrcanò præbuit, ut securè frueretur Iudææ prouẽtibus, & ingentẽ pecuniarũ inde cõgereret. Et Cyziceno uastãte fratris regionem, non dissimulauit & ipse quid moliretur: uiidensq; Antiocho Gryppo nihil esse ab Aegypto præsidij, sed tã ipsum quàm eius fratrẽ multas clades accipere ex cõtinuis inter se certaminibus, utrumq; facilè despexit. Iosephus lib. 13. c. 17. Antiq.

Victos, Oppressos.

HONORIVS Imp. in magnis reip. tẽpestatibus uersatus, ad extremũ saluo Imperio ex omnibus naufragiis, bene iuuante Deo, elapsus est, ut D. Augustinus existimauit, quòd Christũ eximia pietate coluerit. memorabilis autem ob id, quòd plurimis bellis ciuilibus circumuẽtus, omnia propè sine insigni cæde sedarit: non minùs domesticis hostibus, quàm externis, qui uno tempore omnes ætatis imbecillitate allecti cruperunt, appetitus atq; uexatus. Sigon. lib. 11. Imp. occid.

NECLAN Boemorum princeps, lepore timidior, in opprimẽdis tamen aliena fortitudine inimicis felix. Sic Vlastillaum regni æmulum per Sydetium equitem fortissimum superauit. Dubrauius lib 3.

SVATOPLVCVS Morauorum rex Christianus, hostes suos diuinitus extinctos uidit, Giulam quidem Hungarum fulmine afflatum, Mystibogium uerò Boëmum à dæmone sub humana specie discerptum. Dubrauius lib. 3.

RERVM. SIC FELICITAS consideratur

MVLTIPLEX. VARIIS BONIS FELICES.

Infans MOSES Israelitici generis parua inclusus cista & in Nilum proiectus, cùm sine spe ulla salutis uceretur, crocodilo cæteriscq; beluis id flumen hatantibus prædæ esse potuit, Cæterũm suo uagitu proditus, à Termuthi regis Pharaonis filia & cœta puellarum cum plausu excipitur, fitq; regiæ domus alumnus. Mox regni successor destinatus, ex seruo ingentis exercitus imperator factus, Aethiopicum bellum cõfecit. Hinc exilio damnatus, mox restitutus, suæ genti uindex duxq; designatur: in asserenda libertate per medios fluctus pelagi pedestrem ducit exercitum, per deserta & inculta loca alit: ingentes hostium exercitus inermis fundit, legibus populum instituit. Qui hæc fortunæ opera credit, cum Leucippo delirat, qui cœlum & omnia quæ cœlo teguntur protiidentiæ ademit. Sab. lib. 7. cap 7.

DAVID Iesi F. ab ouium pastione accersitus, rex inunctus est, ex tot fratribus minimus natũ. Penè puer Goliathum Philistæum, immani statura uirum, quem omnis Iudæa formidauit, uno ictu ex prouocatione peremit: Saulum regem sibi infensum, bis cædi oportũnum habuit: cum hoste nũquam infeliciter conflixit. Regnum furto ademtum Absolonis filij impietate breui recepit, inoffensaq; uix ualetudine ad extremum uitæ: pro l emq; numerosam reliquit, & ex ea Salomonem regem ex sentẽtia designauit, ut posteritatis etiam securus moreretur. Sabell lib. 7. cap. 7.

SOLOMON, qui regnum per manus ab illo accepit, præter affluentes regni opes, sapientia humana omnes alios antecelluit mortales, ad quam cognoscẽdam ab eximis terris, reges uenẽre. Templum omnium quæ in terris fuẽre augustissimum condidit, conditũ dedicauit, multa tam piè quàm sapienter scripsit: obiitq; grandis natu, liberis & regno incolumi. Sed prouidentiæ sunt hæc, quæ prophanum uulgus mauult fortunæ fuisse. Sab. lib. 7. cap. 7.

Delphicum oraculum, uelut ad castigandam hominũ uanitatem, semel PHEDIVM felicissimũ pronũciauit, qui pro patria occubuisset. Iterum à Gyge rege tunc amplissimo tertarum consultum, AGLAVM Psophidium esse feliciorem. Senior hic in angustissimo Arcadię angulo paruum, sed annuis uictibus largè sufficiens, prædium colebat, nunquam ex eo egressus: atq; (ut è uitæ genere manifestũ est) minimè cupidine minimum in uita mali expertus. Plin. lib. 7. c. 46.

ERICHTHONIVS Dardani ex Batea F. omnium hominum fortunatissimus fuisse, ueterum Græcorum historiis traditur. Cælius lib. 9. cap. 19. Antiq. Lect.

POLYCRATES Samiorum tyrannus, cùm summa frueretur felicitate, admonitus ab Amasi Aegyptiorũ rege, ut aliquo saltem, quamuis leui incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem: anulum in mare proiecit, quem habebat carissimum, eiusq; iactura uehementer se dolere simulabat: cùm piscator quidam captum piscem Polycrati dono obtulit. Quo exenterato anulus in uisceribus repertus est, quem Polycrates abiecerat. Ibi tunc Amasis Polycrati amicitiam renunciasse dicitur, cùm uideret apertè, Fortunam ad grauiores casus eum reseruare. Nec defuit euentus. Ab Orœte enim Darij regis præfecto, in summo Mycalẽsis mõtis uertice cruci affixus est. Herodotus.

PHILIPPVS Macedonum rex, cùm tria ei sub idem tempus læta

læta nunciata essent: primum, uicisse ipsum Olympiis quadriga: alterũ, ducem suũ Parmenionem signis collatis Dardanos concidisse: tertium, peperisse Olympiadem filiũ: tensis ad cœlũ manibus: Refer pro his, Fortuna, inquit, modicũ aliquod incommodum. Ingentibus felicitatibus inuidere sciebat fortunam solere. Plut in oratione Consolatoria.

Olympicas & Pythicas laureas nemo opinor in unum collectas omnes uni dignetur conferre PELOPIDÆ Thebano certaminũ. Quæ cùm multa decertasset, & uictor euasisset, uitamque penè omnem gloriosè & honorificè traduxisset, tandem in decimatertia Bœotarchia, coniunctum cum tyranni Alexandri Pherei oppressione decus obiens, pro Thessalorũ expiauit libertate, qui eius funus incredibili & gloriosissimo cum luctu celebrarunt. Plut. in Pelopida.

TIMOLEONTIS Corinthij stupenda prosperitas. Quinquaginta diebus quàm applicuit in Siciliam, arcem Syracusanã in potestatẽ accepit, Dionysiumq; in Peloponnesum misit, excidit tyrannides, & bella sustulit. Totam insulam, quã calamitatibus deformatã & inuisam incolis acceperat, octo annorum spacio ita pacatam, & omnibus reddidit exoptatam, ut ad incolendum alii aduolarent eò, unde profugerant antè ciues. Plut. in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

APOLLONIAS, Attali, patris Eumenis regis, uxor, plebeia cùm esset, regina euasit, eamq; dignitatem usq; ad extremũ uitæ diem retinuit, non meretricijs illecebris, sed modestia & urbana grauitate atq; integritate. Filios peperit quatuor, quos omnes insigni beneuolentia & pietate usq; ad obitũ est prosecuta, quãtuis non paruo tempore marito superstes. Defuncta, ab Attalo in maximo Pergami tẽplo cõdita est, quẽ ipse extruxerat: & uicinus lacus illi nomine appellat. Suid.

DIONYSIVS prior, & manu fortis, & belli peritus fuit: & id quod in tyranno non facilè reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non auarus, nullius rei deniq; cupidus, nisi singularis perpetuiq; imperij, ob eamq; rem crudelis. Nam dum id studuit munire, nullius pepercit uitæ, quem eiusdem diatorem putaret. Hic cùm uirtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, maiorq; annos sexaginta natus, decessit florente regno. Neq; in tam multis annis, cuiusquam ex sua stirpe funus uidit, cùm ex tribus uxoribus liberos procreasset, multiq; ei nati essent nepotes. Probus.

HYRCANVS III. Iudæorum dux & pontifex, tribus maximis à Deo habitus dignus honoribus, principatu gentis Iudæorum, & pontificatu, & prophetia: fruebatur enim diuinis colloquiis. unde tantam nactus est futurorum præscientiam, ut prædixerit duos maiores natu è suis liberis, Aristobulum & Antigonum nõ diu fore paterni principatus compotes. Iosephus lib 13 cap. 18.

Si fuit omnium Solon sapientissimus, fuit beatissimus P. VALEPOPLICOLA. Quæ enim illi bona pro maximis & pulcerrimis in uotis fuerunt, horum Poplicola parandorum & fruendorum perpetuò ad fata usque habuit facultatẽ. Nam quod Solon de uirtute emisit ad Crœsum elogium, id Poplicolæ citius quàm Tello conueniat. Telli enim, quem ob honestam mortem, uirtutem, & liberorum probitatem fuisse pronunciauit beatissimum, neq; ipse in carminibus suis ut uiri boni fecit mentionem, neq; liberi eius uel magistratus clarus fuit. Poplicola princeps auctoritate & gloria ciuitatis Romanæ ob uirtutem, dum uiueret, fuit: & ad mortuũ ex clarissimis familiis & gentibus, Poplicolæ, Messalæ, Valerij per annos sexcentos nobilitatis splendorem sicut ad originem retulerunt. Tellus ut uir fortis ordinibus non excedens, sed pugnans, est ab hostibus occisus. Poplicola uerò cæsis hostibus, cùm in patriam in consulatu & imperio suo uidisset uictricem, & honorẽ assecutus esset triumphasset q;, optatum ab Solone & in cœlum elatum est exitum consecutus. Plut. in comparatione Solonis & Valerij.

Q. Metellus Macedonici pater, in ea oratione quam habuit supremis laudibus patris sui L. METELLI, pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitũ, quindecimuiri agris dãdis, qui primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho, scriptũ reliquit, decẽ maximas res optimasq;, in quib. quærendis sapientes ætatem exigerent, cõsummasse eũ. Voluisse enim primarium bellatorẽ esse, optimũ oratorẽ, fortissimũ imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapiẽtia esse, summũ senatorem haberi, pecuniam magnã bono modo inuenire, multos liberos relinquere, & clarissimum in ciuitate esse. Tribuit ei populus Romanus, quod nunquam ulli alij ab condito æuo, ut quoties in senatum iret, curru ueheretur ad curiam: magnum & sublime, sed pro oculis datum. Plin. lib. 7. c. 43. Nat. hist. Quatuor filios reliquit, Q. Balearicum, L. Diadematũ, M. Metellum, & C. Caprarium: ex iis tres consulares, duos triumphales, unũ censorium, quartum prætorium, & consulatus candidatum, ut scribit Velleius, quem magistratũ adeptus est: tres filias clarissimis uiris nuptas, ex quibus nepotes uiderit, & à tanta tamq; illustri & honorata turba à se progenita, extrema senecta facillimo uitæ curriculo usus, rogo sit impositus. Ludo. Viues in librum secundum, Augustini de Ciuitate Dei, cap. 23.

Innumeris gradibus beneficiorum Q. METELLVM Macedonicum, Lucij nepotem, à primo originis die, ad ultimum usque ætatis tempus, nunquam cessante indulgentia, ad summum beatæ uitæ cumulum Fortuna perduxit. Nasci enim in urbe terrarum principe uoluit, parentes ei nobilissimos dedit: adiecit animi rarissimas dotes, & corporis uires, ut sufficere laboribus posset: uxorem pudicitia & fœcunditate conspicua conciliauit. Consulatus decus, imperatoriam potestatem, speciosissimi triumphi prætextam largita est: fecit, ut eodem tempore tres filios consulares, unum etiam censorium, duos triumphales, & quartum prætorium uideret: ut tres filias nuptui daret, earumque sobolem sinu suo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot uiriles togæ, tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis summa abundãtia: cum interim nullum funus, nullus genitus, nulla causa tristitiæ. Eo uno excepto, quòd à Catinio Labeone Tr. plebis uiolẽter ad supplicium raptus, periisset haud dubiè, de Tarpeia rupe præcipitatus, nisi filiorum occursu, Tribunorum intercessione ægrè impetrata, periculo subtractus fuisset. Hunc autem uitæ actum eius consentaneũ finis excepit. Nam Q. Metellum ultimæ senectutis spacio defunctum, lenique genere mortis, inter oscula complexusque carissimorum pignorum extinctum, filij & generi humeris suis per urbem latum rogo imposuerunt. Valerius libro septimo, capite primo, Plinius libro septimo, capite 44. & Sab. lib. 7. Ennead. 6.

P. CRASSVS Mutianus quinque rerum bonarum maxima habuit. Vide Tit. Pœna inobedientiæ bellicæ ex Gellij libro 1. cap. 13.

M. CATO Censorius summo omnium consensu obtinuit, ut & esset & diceretur Optimus senator, optimus orator, optimus imperator. Quæ tamen omnia etsi non priùs, attamen clariùs in SCIPIONE Aemiliano effulserũt, demto etiam multorum odio. Plin. lib. 7. cap. 27.

Vnus hominum ad hoc æui Felicis sibi cognomen asseruit L. SYLLA, ciuili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quòd proscribere tot millia ciuium ac trucidare potuisset. Plinius lib. 7. capite 43.

SYLLA cognomento Felix in maximis suis Felicitatibus numerabat duo, Metelli Pij necessitudinem, & quòd non dèleuisset Athenas, uerùm ei urbi pepercisset. Plut. in Apophth.

Tarsensis ANTIPATER instante fato bona, quæ sibi delata fuerant, reputans, nec nauigationem suam ex Cicilia Athenas secundam prætermisit. Plut. de tranquil. animi.

Quàm indulgenter, & in quàm multis fortuna, hoc est, diuina prouidentia cum AVGVSTO Cæsare egerit, popularis illa Rom. ciuitatis acclamatio indicio est, in noua principum creatione: ubi in bonum omen sæpe est repetitum, Felicior Augusto, Traiano melior. Sed in hoc quoque magna censentur fortunæ uolumina. Nondum uigiti natus annos, consul fuit, Imperator ductauit exercitum: maioris auunculi cædem ultus est ad satietatem: grauissima bella, Mutinense, Pharsalicum, Siculum, Perusinum, Ambracium, Aegyptiacum & Cantabricum, ex sententia confecit: Ianum tertiò clausit: terrarum orbis regimen ad se receptum, ad extremum uitæ pacatissimè rexit. & hæc blandientis fortunæ. Cæterùm hæc eadem tam sæpe est & atrociter aduersis interpolata, ut difficilè sit iudicare, an mortalium quisquam fuerit illam uolubiliorem expertus. Vicit ille ad extremum omnibus bellis, sed sæpe interim exagitatus est: bis maris sæuitia classibus exutus: Italiæ fames uni imputata: inimicorum coniurationes, filiæ & neptis publicata adulteria, legionum cædes, amicorum suspiciones: infelicitatis argumenta tam multa præter hæc & magna, ut difficile sit iudicare, fueritne alternatio rerum, & inconstantia subscribentis fortunæ, an blandientis: quæ læua dulcissimos fauos manu ferret, dextera absinthium. Sabel. lib. 7. cap. 8. & Volat. lib. 23. Anthrop.

AGRIPPINÆ Augustæ, inter feminas Romanas, quæ ante eam fuerunt, uni contigit, ut Romani principis uxor, soror, mater ac filia haberetur. Germanici enim filia fuit, quem Tiberius imperij successorem adoptauerat: Claudium Augustum uirum habuit, Caligulæ soror erat, deniq; Neronẽ peperit. Fulgosus lib. 8. cap. 16.

CONSTANTINVM Magnũ non supplicantẽ dæmonibus, sed ipsum uerum Deum colentem, Deus tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatẽ Romano imperio sociam, uelut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque, concessit: diu imperauit, uniuersum orbem Romanum unus Augustus tenuit & defendit: in administrandis & gerendis bellis uictoriosissimus fuit: in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est. Grandæuus ægritudine & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit. Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 25.

Ambrosius episcopus, cùm apud DIVITEM quendam hospitandi gratia diuertisset, & ille se nihil unquam in uita aduersi passum iactaret: euestigiò cum suis recessit, dixitq;, ideo se inde fugere, ne unà cum homine perpetuis prosperitatibus uso statim periret. Haud ita procul excesserant, & respicientes, uident ædes illas cum omnibus qui ibi erant terræ hiatu iam absorptas. Marulus lib. 5. c. 3.

AVSTRIVS quidam princeps impius, perpetuò felix. Vide Tit. Iudicij Theologici de immortalitate animorum.

SIMPLEX, PROPTER BONI POSSESSIONEM qualiscunq;. Felices ob

Fauorem diuinum.

ALEXANDER Magnus statuerat ad Ammonis oraculũ proficisci. Iter prolixum erat, ac quum multorum laborum ærumnarumque plenum, tum cum duobus coniunctum periculis: uno ob aquæ penuriã, altero ob procellosum in alto & uasto sabulo Austrum, qui Cambysis olim exercitum ad quinquaginta millia capitum obruit oppressitque. Cæterùm arduum erat Alexandrum, quodcunque intendisset, ab eo deflectere, diuina ope fretum. Primùm enim cœlestes aquæ & largi excussi imbres sitis timorem discusserunt, aridiateq; extincta sabuli irrigati & iam compactioris, liquidum aera reddiderunt & puriorem. Deinde confusis, quib. duces itineris utebantur, notis quũ erraret agmen per ignorantiam, atq; ab itinere deflecteret: corui oblati duces præbuerunt se. Si agmen sequebatur, incitatis antecedebant pennis: sin incederet lentiùs & tardiùs, operiebãtur: quod uerò miraculũ superabat omne, ut auctor est Callisthenes, uocibus & crocitu, si qui nocte aberrarent, hos reuocabãt, atq; ad uestigium uiæ reducebant. Plut. in Alex.

Virtutem in genere.

DAVIDI regi, quia in animo habebat Domino templum ædificare, promissio facta est de regno eius in æternum duraturo. Vide Tit. Templa religiosè extructa.

Agesilaus rex rogatus aliquando, Quare supra cæteros agerẽt præcipuè SPARTIATÆ uitam felicem? Quòd supra cæteros, inquit, excolant se ad imperandum & parendum. Plut. in Apophthegmatibus.

Christianos quosdam IMPERATORES non ideo felices dicimus, quia uel diutius imperarunt, uel imperantes filios morte placida reliquerunt, uel hostes reipubl. domuerunt, uel inimicos ciues aduersus se insurgentes, & cædere & opprimere potuerunt (hæc enim & alia uitæ huius commodæ, uel munera, uel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt) sed felices eos dicimus, si iusti imperant: si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem, ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, coluntq; si plus amant illud regnũ, ubi non timent habere consortes: si tardius uindicant, facilè ignoscunt: si eandem uindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipubl. non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt: si eandem ueniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior: si malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et si hęc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo uero immolare non negligunt. Diuus Augustinus libro 5. de Ciuitate Dei, cap. 24.

Institutionem rectam.

Moses apud ISRAELITAS suos gloriatur, nullam gentẽ sub cœlo esse, quæ tam iusta instituta & iura habeat, atque Israelitæ. Deuteron. 4.

XENIADES Corinthius cùm Diogenem Cynicum emisset, uoce eius inductus, quòd se liberis hominibus imperare, & qui moderatore opus haberent, iis se præesse posse profitereturr: posteaquam reconditam eruditionem & uirtutem eius in domestica conuersatione penitus perspexit, bonũ genium specie serui ædes suas subiisse dixit, eumq; mox libertate donauit. Laertius in Diogene.

BASILIVS Magnus Cæsariensis episcopus, passim Deo gratias agit, quòd à Christianis parentibus Basilio Helenapontano Iudimagistro, & Eumele Cappadoce natus sit: quódque à Macrina nuttrice (quæ superiori ætate Gregorij Nazianzeni Cæsariensem audiuerat) nutritus esset. Eius certè anus in tanto hementi illa persecutione sub Maximino cum suis cognatis in specum montis secessit, ibique per septennium solo pane se suosque miraculosè sustentauit, tandem constanter martyrium pro Christo passus est.

Initiationem.

Orpheotelestæ nuncupati, qui sacris Orphicis apud Lesbios initiandi auctores erant, quiq; felicitatem certissimam pollicebantur post obitũ. Id quũ PHILIPPVS quidã orpheotelestes & ipse, uerùm summè inops, ampliùs prædicaret: dixit Leontychidas Spartanus, O fatue, quin statim moreris, luctui & miseriæ finem impositurus? Cælius lib. 15. cap. 9. Antiquarum lectionum.

Facta illustria.

ZACHARIAS Pontifex, rebus pro Ecclesiæ salute & apostolicæ sedis auctoritate non tam piè quàm prosperè gestis, inter primores Pontifices meritò numerandus. Rachim Longobardorum regem ut monachus fieret induxit. Francos à Chilperici regis ignaui sacramento absoluit, & ad Pipinũ substituendum induxit. Sigonius lib. 3. regni Ital.

IOANNES IIX. uel IX. Pontifex, Carolum Caluum Romæ Imp. coronauit. Eo mortuo, Ludouicum Balbum eius F. in Francia coronauit: eodemq; anno Carolum Crassum Romam uenientem, & in quem magis consenserant Romani proceres, diademate insigniuit: quod nulli unquam pontifici contigit, ut intra quatuor annos tres Imperatores coronaret. Ob id plerique scriptores utriusque Cæsaris, Balbi scilicet & Crassi, unum imperium faciunt: aliqui Balbum Cęsarum catalogo non inserunt. Cuspinianus.

EVGENII IV. Pontificis felicitati tributum est, quod nulli ante póstue ad hanc diem pontifici, ut duo Cęsares, Grecus Ioannes Palæologus in Florentino comitio, & Sigismundus Romæ Latinus eum adirent, parentemq; orbis terrarũ profiteretur. Aemilius lib. 10.

Remp. rectè administratam.

PERICLES instante morte beatum se eo ipso prædicauit, quòd ciuis Atheniensis pullam uestem nullus sua opera sumsisset. Plut. in Apophth.

Corporis Voluptates.

Chorus SILENORVM cùm audiret Polyphemũ uino, quod Vlysses porrexerat, exhilaratum canere, apud Euripidem in Cyclope inquit:

Μακαριόν ὃς οἰνάζει,
βοηγῶν φίλοισι πηγαῖς
ἐπὶ κάλαμον σύριγξιν ἀδὰς,
φίλον αὐδᾷ ὑπαγκαλίζων.
ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν
χλιδανὸς ἔχων ἐτάροις
μυρόχριστος λιπαρὸς βόστρυχον.

Beatus est, qui bacchatur, uuarũ gratis fontibus post comportationem exporrectus, earum sodalem manibus attingens: & qui in cubilibus flauum delicatæ habet sociæ unguento delibutus nitidus capillum.

Diuitias.

Laconi qui prædicabat LAMPIDIS felicitatem Aeginetæ, quòd ex magno censu, quem ex nauibus meritoriis comparabat, opulentior haberetur, ait alter: Floccipendo aptam ex Sparto felicitatem. Plut. in Apoph. Laconicis.

THEOGNIS de sua uita sic scribit:

ἀλλ' οὐδέ τις ἐρωτᾷ ἐμὸν βίον, οὐδὲ εἰ ἀκεῖν
ὡς εὖ μὲν χαλεπῶς, ὡς χαλεπῶς δ' μάλ' εὖ·
ὡδ' ἔνα μὲν ξεῖνον παρεόντα σπα ἀπολέσθαι,
ξένια δ' πολλὰ δ' ἐς' ὁ δίψαντος παρέχων.

Hoc uidetur uelle: Vitam iuuenilẽ per se bonã propter paupertatem fuisse duram. Nunc uerò senilem ætatem diuitiarũ nomine satis bonã (quantũ scilicet frugali homini satis sit) propter ualetudinis incommoda duram esse.

Libros, uel

Collectos.

HOMERO hoc singulare contigit, ut sparsa illius carmina in unum ab Hipparcho collecta sint. Vide Titulum, Poetarum studium.

Alfonso, Aragonum regi, cùm à quodam deferrentur aureorum decem millia, dixisseque QVI fortè aderat, ea duntaxat summa se diuitem & beatum fore: Accipe, rex inquit, quantacunq; ea est, & beatus esto. Panorm. lib. 4. de rebus gestis Alfonsi.

SIBYLLÆ oracula Augusti studio per totam Græciam conquisita. Sub Tit. Diuinationis studium.

Conseruatos.

ARISTOTELES bibliothecam Nicanori, huic si quid accidisset, Theophrasto reliquit Bessio, discipulo suo. Theophrastus

phrastus Neleo Scepsio. Is Scepsim urbem Troadis deportauit. Eo mortuo, ad hæredes deuoluti sunt indoctos: qui quum regum Pergamenorum & Aegyptiorum studium in conquirendis libris uiderent, uel inuidia uel auaritia ducti, eos in subterraneo loco recondiderunt, ubi cum blattis & tineis depugnarunt, ad Apelliconem usque Teium, qui eos in Græciam retulit, in Pirçeum Atticæ. Ibi captos, uictor Sylla bello Mithridatico inter manubias Romam deportauit. Tyrannion uerò Amisenus grammaticus recognouit, suamque in illos tyrannidem exercuit. Andronicus Rhodius pòst publicauit Exemplarium catalogũ, inquit Plutarchus in Sylla, quum priùs sine libris Peripatetici incõstanter philosopharentur. Ergo inter spolia opima Syllæ Romam relati sunt commentarij Aristot. ut Paulus Aemylius Macedonicam bibliothecam Persei Romam multo antè retulerat. Post multa secula Saraceni tenuibus principiis sensim inualescentes, uiribusq; aucti, propter Imperatorũ Græcorum fatalem socordiam, depopulata Syria, subiugata Aegypto, domita Africa, in insulas quasdã excurrerunt, Rhodũ præcipuè & Siciliam, atque inde cum præda reliqua Aristotelis etiam libros secum abstulere, eosque in suam linguã transtulere. Itaque secundùm iam in triumpho Aristotelis sunt libri ducti. Fridericus II. Imperator, cùm aliis rebus gestis, tum bello contra Sultanum Aegyptium ritè confecto, & induciis in decem annos pactis clarisſ. Aristotelem barbara ueste indutum, currum triumphalem iam tertiùm sequi iussit, hoc est, è lingua Arabica in linguam Latinam libros eius transferri curauit. Quo Germanici Imp. beneficio factũ est, ut totus orbis Romanus constantiùs iam philosophari, & Aristoteleæ lampadis splendore de rebus naturalibus & diuinis sublimiùs sapere disceret. Cæterùm quia Arabici interpretis culpa Aristotelis sensa plerisque locis uel obscura uel manca uel dubia erant, posteaquam CCL pòst annis Mahometus Turcorum tyrannus, occupata Constantinopoli, Græcorum euertit imperium, è tanto naufragio speciosissima tabula Aristoteleæ philosophiæ ad Latinos translata est, quando inter cæteros uiros doctos, barbarorũ crudelitatis reliquias, facilè principes Ioannes Argyropylus, & Theod. Gaza Romam uenere, illicq; non tantùm uiua uoce literas græcas docuere, uerumetiam libros Aristotelis latinitate donauère, ut iam non ampliùs emendicata ex Arabum lacunis, sed ex ipso fonte hausta philosophia Latini erudirentur. Quod certè spolium uti ex fortuna urbis Constantinopolitanæ solum Christianis superfuit, ita uictos de uictore Turca triumphare, & quartùm iam in triumpho Aristotelem ducere fecit, tanto cum splendore, ut nulla sit ferè Christiani orbis Academia, quæ non de libertate illi gratuletur, eundemq; uel sua lingua, uel certè Latinè loquentem admiretur.

Propagatos.

Andreas Vesalius medicus, AMBROSIVM Calepinum monachum μονογράφον solebat, cuius Dictionarium tam constanti nominis fama toties excusum esset. Ioannis Oporini acroama.

Primogeniturum.

Primogenitura olim omnis felicitatis cumulum in se habuit. Apparet id in ESAO & IACOBO, Isaaci filiis: quorũ cùm ille ætatis prærogatiuam pro edulio lentisim Iacobo uendidisset, & ius primogeniturę, & benedictionem paternam amisit. Genesis 25.

Mortis genus.

Caio IVLIO Cæsari, quod in ipsius ore & uoto frequens fuit, obtigit genus mortis inexpectatum atque subitum, si nõ optabile, minimè tamen pudendum, quòd clarissimorũ ciuium manu, in conspectu amplissimi senatus, honestè & fortiter occubuerit. Sab. lib. 8. Enn. 6.

Gloriam, Honores.

ALEXANDRIDAS gloriam officere iactanti, & beatũ esse qui eã fugisset: Ergo, inquit, qui iniustè agũt, sunt, ut tu ais, beati. Quis enim quis, cùm sacrilegium committit, aut iniuriam facit, gloriam moretur? Plut. in Apoph.

Vna feminarum in omni æuo LAMPIDO Lacedæmonia reperitur, q̃ regis filia, regis uxor, regis mater fuit. Vna PHERENICE, quæ filia, soror, mater Olymponicarum. Plinius lib. 7. cap. 41.

ELISABETHA Alberti II. regis Rom. Hungariæ & Boemiæ filia, rarissimæ pudicitię femina, soror Ladislai regis Hungariæ, uxor Casimiri regis Poloniæ, mater regum IIII. Vladislai, Ioannis, Alberti, Alexandri, Sigismundi, & Friderici Cardinalis, ac Casimiri in sanctorum numero relati. Cuspinianus in Cæsaribus.

ISABELLÆ Hungariæ reginæ præter corporis atque animi singulares dotes hæc contigerunt, ut & regis esset filia, & regis soror, & uxor & mater. Nam & Sigismundi Sarmatarum regis fuit filia, & Sigismundi Augusti soror, & Ioannis Panoniæ regis uxor, & Stephani Transyluani regis mater: quę uarios perpessa casus, inconstantiamq; fortunæ, tamen in ipso regno est mortua, & filium unicum in regni possessione reliquit. Sab. Supplem. lib. 29.

Nobilitatem.

ORESTES, cùm Iphigenia beatam prædicaret patriam, quæ educasset Orestem, apud Euripidem in Iphigenia Taurica, sic respondet:

Γένει μὲν εὐτυχεῖτε· ἐς ᾅδου δὲ συμφορᾶς,
ὦ σύγγον', ἡμῶν δυστυχὴς ἤφυ βίος.

Genere quidem beati sumus: ob calamitates uerò, ô soror, nostra infelix est uita.

Reditum in patriam.

Proditũ à Plut. memoriæ est, DEMOSTHENEM statim post reditum suum, cùm intendisset manus ad cœlum, se beatũ propter lætitiam eius diei uocasse, quia melius, quàm Alcibiades fecerat, in patriam rediisset: persuasos enim, non coactos, uiq; ipsis adhibita, ciues suos se in urbem recepisse.

Augusto Cæsare imperante, facta proscriptione eorum, qui in C. Iulij mortem aut conspirauerant, aut conscij fuerãt, quũ multi intra & extra Vrbem interficerẽtur, etiam qui proscriptos clàm retinerent, atque defenderent: constat tamen plerosque PROSCRIPTOS, qui incolumes euaserãt, postea esse restitutos, atq; ad reipublicæ gubernationem admissos. Ex quo intelligi potest, quanta sit rerum humanarũ uarietas, & fluctuantis fortunæ inconstantia. Dion.

Peregrinationem perpetuam.

TARTARI uno in loco non diu commorantur, sed depastis pascuis, cum armẽtis, uxoribus & liberis, quos in plaustris & equis secum circumferunt, aliò commigrant, exceptis iis qui in oppidis degunt. Graucm autem infelicitatem putãt, diu in eodem loco morari, iratiq; liberis suis sic graue malum imprecantur, Vtinam eodem in loco perinde ut Christianus perpetuò hæreas, propriumq; fœtorem olfacias. Si uerò bello aliquo grauiore urgentur, uxores, liberos senesq̃ue in loca tutiora collocant. Guagninus in descriptione Tartariæ.

Victorias.

TIMOTHEVS dux habebatur felix. Cum eo quidam æmulantes urbes pingebant in nassam illo dormiente ultrò se insinuantes. Quare dicebat Timotheus: Si urbes tantas capio dormiens, quid facturum censetis expergefactum? Plutarchus in Apophth.

Multis & claris uno die annunciatis PHILIPPO Macedonũ regi uictoriis: Exiguũ fortuna, inquit, mihi malum pro tot tantisque bonis rependę. Idem.

L. PAVL. Aemilius à Perse & Macedonib. integrum sine uulnere exercitũ reportauit, uictoriamq; incruentã: adeoq; triumphans extollit Fortunam. Plutarchus de Rom. fort.

L. Corn. SYLLAM ex Nicopolis meretriculæ assumtũ & sublatum sinu, super Cimbricas Marij laureas & cõsulatus septẽ, arbitrio orbis terrę & dictaturæ Fortuna imposuit. Hic palã in adoptionem se cum rebus suis gestis dedit Fortunę, clamans cum Sophoclis Oedipode:

Ego ipse me fortunæ adscribo filium,

ac Felicem se appellauit. Græcis in hunc modum scribebat, L. Cornelius Sylla ἐπιφανὴς siue Venustus. atq; trophæa eius, quæ Coronęæ posita sunt, & illa de Mithridate, hãc habuere inscriptionem. Plut. de Rom. fort.

BELISARIVS Iustiniani dux, bello Gothico cùm cæteris in rebus secũda fortuna usus est, tum in ea uel maximè, quòd, Sicilia in potestatem redacta, postremo consulatus die Syracusas ingressus est: magnoq; plausu Siculorũ exceptus, ingentem uim numorum acclamanti populo sparsit. Sigonius lib. 17. Imp. occid.

ROBERTVS II. Scotorum rex, fortuna belli omnes ante se reges aut superauit, aut æquauit saltem: quum toto regni tempore, etsi prælio nulli interesse ob senium potuerit, nulla tamen aduersa fortuna pugnatum sit. Hector Boethius libro decimosexto.

Nemo ducum, BOLDRINO Panicacia, qui anno Salutis humanæ MCCCXXCII. Pontificiæ militiæ sceptra tenebat, felicior fuit. Nam & dũ uiueret, semper uictor, & post mortem sæpius uictoriis triumphisq̃ue militum suorum interfuit. Ii liquidem ducis sui cadauer exsiccãtum conditumq; aromatibus in feretro circumferebant, quum neminem qui succederet militari imperio dignum putarent. Tendebatur ei prætorium, non secus ac uiuo, & circumpositis uexillis, belli tessera petebatur: ita ut mortui consiliis quadam sorte exceptis, ad res gerendas feliciter uterentur. Paulus Iouius in uita Sforciæ.

Coniugium.

Ex Tit. Coniugii honoristici, hucea, quæ felicitatis meuitorem fecerunt.

Proteus ad MENELAVM, percunctantẽ ipsum de reditu principum Græcorum in patriam post destructam iam Troiam, sic inquit Odyss. δ.

Ἀλλὰ σ' ἐς ἠλύσιον πεδίον, ἠδ' πέρατα γαίης,
ἀθάνατοι πέμψουσιν (ὅθι ξανθὸς ῥαδάμανθυς,
τῇ περ ῥηϊδίη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν,
οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολὺς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,
ἀλλ' αἰὲν ζεφύροιο λιγυπνείοντος ἀήτας
ὠκεανὸς εἰσπνεῖν ἀνιᾶν κελεύσει ἀνθρώπους)
οὕνεκ' ἔχεις ἐλένην, καὶ σφῶϊν γαμβρὸς διὸς ἐσσι.

Sed te ad Elysium campum & fines terræ immortales mittent (ubi flauus Rhadamanthus est, ubi utiq; facilima uiuendi ratio est hominibus: non nix, neque hyems longa, neque unquam imber, sed semper Zephyri suauiter spirãtes auras Oceanus immittit, ad refrigerandum homines) eo quòd habes Helenam, & ipsius Iouis generes.

PELEVS apud Euripidem in Andromacha beatum se prædicat, cui uxor Thetis contigerit, cuius sapientibus sermonib. in extrema senecta, amisso ad Troiam filio Achille, Neoptolemo uerò nepote ab Oreste interfecto, sustentaretur, & cõsolationem acciperet.

LVCVMO, Demarati Corinthij exulis, qui Tarquinios in Hetruriam migrarat, filius, quum Tanaquilem, feminam summo loco natam, matrimonio sibi iunctam haberet: nec inter rim Hetrusci, quia peregrinæ esset stirpis, publicè priuatímue honore ullo afficerent: uxoris hortatu, patriæ & omniũ necessitudinum oblitæ, modò uirum honoratum cerneret, consilium cepit migrandi Romam, ubi in noua ciuitate facilè locus ad nobilitatem parandam uirtuti pateret. Paruit ille, & Anco Martio insinuatus, tandem ad regnum peruenit. Sab. lib. 4. Enn. 2.

PLINIVS Iunior, quum uxore uteretur ex animi sententia, uicissim se illi tractabilem ac suauem præberet, Hispulæ uxoris suæ amitæ gratias & suo & uxoris agit nomine, Ego (inquit) quòd illã mihi, illa quòd me sibi dederis, quasi inuicem elegeris. Viues de Christ. fem. lib. 2.

Amicitiam.

Bionis elegans carmen de AMICORVM felicitate extat, ex illius Bucolicis à Stobæo serm. 61. conseruatum:

Ὀλβιοι οἱ φίλοντες ἐπ' ἴσον τ' ἀντεραόντες.
ὄλβιε· ὦ ἡσυχίου τῶν πυρεῖν ὁσα πυρεσσόντος,
εἰ δ' ἀμεναλίζοιο κατήλυθεν ἐς ἀΐδαν.
ὄλβιε· ὦ χαλεπᾶν σὺ ἀξένοισιν ὀρέγης,
ὅστις οἱ ξενικὸς πυλαίδεσσι φίλος· ἄρχε κελεύθου,
ὦ μάνες αἰακίδες ἐπάρα ζάοντ· ἀχιλεῦς,
ὄλβιε· ὦ, θάσσοντ' ὅτι οἱ μόρον οὐδὲν ἄμισον.

Felices qui amant, & pariter se redamant. Felix erat Theseus præsente Pirithoo, quamuis ad implicidũ descenderet Orcum. Felix erat duros inter Euxini accolas Orestes: quoniãuiæ socium earum habebat Pyladem. Beatus erat Aeacides uiuente socio Achilles: beatus etiam, cùm ei morienti dirũ non auertit fatum.

Pacem.

Inter oës Peloponnesi populos ELEI, ob Olympij Iouis templum & ludos quinquennales sacri habiti, pace maximè floruere: cùm uicinæ gentes, Arcades, Messenij, Spartani, mutuis se bellis attererent. Strabo lib. 8.

Malorum depulsionem, euitationem.

THERAMENES, qui Athenis in XXX tyrannis fuit, collapsa domo, in qua cœnabat cum pluribus, seruatus unus, quũ ab omnibus esset beatus appellatus, elata uoce exclamauit, In quod tandem, inquit, tempus Fortuna me reseruas? Hũc non multo pòst eius collegæ in tyrannide excruciatum necauere. Plut. in Orat. consol.

PITANAM Aeoliæ ciuitatem à Pelasgis in seruitutem redactam, Erythræi in pristinam libertatẽ uindicarunt. Hinc prouerbium, Pitana sum. de iis dici solitũ, qui in extremas redacti calamitates, ab iisdem denuò in pristinam felicitatem restituuntur. Erasmus in Adagiis.

Ennij gnome extat, apud Cic. lib. 2. de Finibus:

—— nimium boni est, cui nil mali est.

Apud Euripidẽ HECVBA exẽplo suo docet, inania esse bona illa, quæ plerunq; in animis hominũ superbiam pariant: eumq; felicissimũ habendũ, cui nihil eo die obtingat mali:

—— κεῖν· ὀλβιώτατον,
ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν ἠκακόν.

Muretus lib. 5. Var. lect. cap. 13.

CATO Censorius, toties accusatus & uocatus in ius, nempe quater & quadragies, semper iudicum sententiis fuit absolutus. Erasmus in Adag.

FELICITATIS CONSERVATIO, DVRATIO, Constantia. Huc pertinet

HOMINVM FELICITAS CONSTANS.

Cũ Gyges, occupato regno Lydiæ, armis & diuitiis abundantissimo, inflatus animo Apollinem Pythium scisciratum uenisset, An aliquis mortalium se esset felicior? deus ex abdito sacrarij specu uoce missa, AGLAVM Psophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, sed ætate iam senior terminos agelli sui nunquam excesserat, paruuli ruris fructib. ac uoluptatibus contentus. Verum profectò beatæ uitæ finem Apollo, non adumbratum, oraculi sagacitate complexus est. Val. lib. 7. cap. j.

Crœsus, Lydorum rex, cùm Solonem Sardibus commorantẽ ad se uocasset, & thesauros omnes ostendisset, interrogauit philosophum, An non meritò in tanta bonorum omnium abundãtia, felix & beatus diceretur? Solon TELLVM Athenienſem, item CLEOBIN & BITONEM Cydippes filios multò beatiores fuisse respõdit: quorum primus cùm suos uicisset hostes, in illa clara uictoria è uita migrauit: duõ uerò posteriores dum matrem grauiter decumbentem ad Iunonium duxissent fanum, precib. matris, bona filiis precantis, etiam continuò mortem obierunt. Caũsam huius iudicij interroganti regi respondit: Neminem ante mortẽ beatum dici debere. Nec multo pòst Cyrus Crœsum uictum pyræ imposuit, ut combureretur. Ibi tunc, O Solon Solon, alta uoce Crœsus inclamauit. Cyrus admiratus ignotum nomẽ, quisue deorum aut hominum esset, quem infelix rex in extremo discrimine inuocaret: posteaquam causam didicit, Crœsi inconstanti felicitate motus, eum liberari iussit, & in posterum honorificè apud se haberi uoluit. Herod. lib. j.

INCONSTANS. FORTVNÆ VARIETAS. VARIIS CASIBVS AGITATI.

Præclara est Solonis sententia, Ante obitum neminem beatum dici debere. Omnis enim motus non ab ipso fluxu, sed à termino ad quem fluit, & à forma quam assequitur, denominari cõsueuit. Vita autem perpetuus est ætatis decursus, in qua uariæ offensiones obuenire possunt, quæ fluxus huius æquabilitatem interrumpãt. Fit quoq; interdum, ut idem felicitatis tenor ad extremũ usq; diem uitæ perduret: uerùm finis ipse mœroris & acerbitatis plenus, infelicitatis causam præbeat. Ratio igitur habẽda est Terminorum, A quo & Ad quem: tum etiam Fluxus intermedii. Termini siquidem inter se uel conueniunt, ut puta uterq; felix, aut infelix, & tunc fluxus intermedius ab utroq; differt. uel certè inter se differunt, quando alter felix est, alter infelix: & tunc Fluxus medius alterutrius naturam sequitur. Cæterùm ne uideamur hæc minutius ἀπαριθμεῖν, Casuum uarietatem cõsideremus, siue Felicitas Infelicitatem, siue Infelicitas Felicitatem consequatur, nunc stabilis, nunc instabilis. Illustrari autẽ locus præsens poterit ex Tit. Humili loco orti qui clari euaserunt, illic ratio habetur Ignobilitatis & Splendoris in specie, hic Felicitatis & Infelicitatis in genere. Idem esto iudicium de Victoria mutata, de Dignitate erepta, de Exilio, & similibus humanæ uitæ mutationib. Quinetiam ex Tit. Ducum illustrium: item, Certaminum regni, non pauca huc transferri poterunt exempla.

Populi, Vrbes uaria fortuna agitatæ.

TARENTINI populari primùm, dominatione potentissimi fuere. Posterioribus annis illecebrosæ inualuêre deliciæ, propter fortunas nimiũ secundas, adeò ut plures totius populi ludos, festasq; celebritates quotannis agerent, quàm reliquos anni dies. Athenæus lib. 12. c. 7. & Strabo lib. j.

Eò magnitudinis rem PISANAM aliquãdo cuectam memorant, ut centum eorum familiæ illustres, totidem rostratas naues priuato sumtu ædificasse, exortatasq; ad Ligusticum bellum eduxisse dicãtur. Verùm cùm bellica uirtute & mercaturæ studio, partis diuitijs aliquando floruissent, eos demum superbia opulentiæ comes, & natæ cõtinuò ex nimia felicitate intestinæ seditiones, euersa republica transfuersos atq; præcipites egerunt. factumque est, ut attritis discordia opibus, atq; intermissa obiter maritima negotiatione, per diuersa tempora uariis tyrannis seruire didicerint. Iouius lib. j. Historiarum.

Pij homines uariis casibus obnoxij.

IACOBVS patriarcha (in quo nescias maiórne sanctitas fuerit, an prudentia) sæpius humanarum rerum inconstantiam expertus est. Nam cùm opibus & liberis Cananęorum esset longè princeps, orbatur repentè filiorum carissimo: sequi-

tur hunc luctum dira fames: & quì cæteris mortalibus opitulari erat ſolitus, ad alienas cogitur opes confugere. Torquet ſenem deſiderium decem filiorum in longinquam fui mentationem profectorum. Additur duplex luctus, & obſidis relicti, & alterius filij in ſuſpectam fetram ablegandi: & unius uiuax ſenectus tot modis torquebatur, cùm & is quē diu luxerat, & quibus demùm timebatur, repentè reſtituun tur: eamq; terram, quam nuper impēſius horrebat, Ioſephi cupidus natali ſolo præculit, in Aegyptum cum domo profectus: ubi honorificè à rege acceptus, agrumq; ex ſententia adeptus, in otio & diuitiarum affluentia extremū uitæ tempus exegit. Sab. lib. 7. c. 8.

MOSES Iſraelitidis mulieris F. à matre propter metum tyranni Pharaonis expoſitus, à filia Pharaonis exceptus, in aula magnificè educatur. Cūq; iam adoleuiſſet, & copiis Aegyptiorū præfectus, magna ſtrage Aethiopes uiciſſet, alertq; iam certam ſpem regni per ſucceſſionem adipiſcēdi, repentè ſunt illi omnia mutata. Perierat, niſi fuga ſolum uertiſſet: eſtq; repētè ex duce exul factus, ex ſucceſſore infeſtiſſimus. Pauit proinde alienas oues diu in Troglodytide. Reuiſit demùm iacentem fortuna, ſed prouidentia ueriùs dixerim: & qui nuper ſeruiebat, ut par regi obiicit: qui oues uerſabat, ſexcentis hominum millibus præficitur: qui uni Batueli erat notus, apud omnes omnibus fit gentibus illuſtris: & de mùm qui ſuæ erat libertatis indigus, fit alienæ aſſertor. Vſque adeò uis hæc (quæcunq; eſt) omnia humana uerſat, læ tis triſtia miſcens, & læta triſtibus, nulla re magis quàm uarietate gaudens: & quà non expectatur, ferè ſe ingerens. Ibidem.

Nihil fuit DAVIDE ſanctius, nihil SOLOMONE ſapiētius: nec tamen domus ulla atrocioribus pluribusque fugillata eſt probris. Vt Dauidis iuuenta diſſimuletur, ſoceri ſæuitiæ & furori obnoxia: mutuæ filiorum occurrunt cædes, adulterium parricidio auctum, filiorum ſtuprum, Abſolonis defectio, domeſticum bellum, & contentio de ſumma rei: & mox, Solomonis præuaricatio, regni ſciſſio. Nulli regum la res atrociùs ſunt à domeſticis uexati, nulli ab externis gentibus ſanctiùs & uenerabiliùs culti. Sab. lib. 3. c. 9.

Quid magis ſubitum eſſe potuit, quid minùs euitabile, quàm cùm ſubita domus ruina cohortem illam obruit filiorū IOBI ſenis, etſi iuſti & innocentis, humanis tamen caſibus obnoxij? Secuta eſt iumentorum, pecorum, frugum calamitas. Acceſſit ærumnarum cumulo fœdiſſima tabes corporis, & putreſcentis dira mendicitas: ut ex omnium nuper floreētiſſimo miſerrimus haberetur. Sed quàm præcipiti lapſu corruit, tam celeri recurſu omnia quæ amiſerat recepit. Sabellicus lib. 7. cap. 8.

Pontifices, Cardinales.

IOANNES XIII. pontifex, pop. Rom. ad arma per ſeditionē compulſo, in uinculis habitus, miſerrimè diem obiit: fame confectus. Fulgoſus lib. 6. cap. 11.

GREGORIVS VII. quinta fregit Henricum tertium, ut brumali tempore nudis pedibus ad ſe Canuſium ire coegerit, in Adriani molem metu compulſus, Romā uidit à Normannis incenſam, & Clementem aduerſus ſe pontificem creatū. Poſtremò ne in urbe quidem, ubi dignitatis faſtigium fuerat adeptus, contigit mori. Nullus Romanorum pōtificum maioribus eſt fortunæ fluctibus iactatus. Sab. lib 7. c. 8.

BONIFACIVS VIII. Pp. Guelforum factioni addictiſſimus, Gibellinis plurima intulit mala, & ab iiſdem quoque extrema paſſus eſt. Nam cùm acerbè Iacobum Ioannemq; Columnenſes cardinales & Sarram eorum fratrem inſequeretur, non contentus eccleſiaſticis eos honoribus priuaſſe, patrimonium etiam, atq; alia bona quæ poſſidebant, ademit. Sarra, diu per nemora errans, paſtorū miſericordia alebatur, nemini propter Bonifacij odium ac uires ſe credere auſus. Squallore igitur cōfectus, cùm inſuper promiſſa barba demiſſiq; capilli totum obtegerent hominem, effigiem prorſus à conſueta ſpecie mutauerat, ac lacera ueſte tectus, feræ potiùs quā homini ſimilis uidebatur. Huius uitæ iam propter longitudinem impatiens, ad mare deſcendit, tutiora loca inquiſiturus. Illic à piratis Catelanis captus, non auſus ſe, ne Bonifacio pontifici uenderetur, detegere, remigariam ſeruitutem patienter accepit. Cùm poſtea piratæ cum triremibus Maſſiliā attigiſſent, non ignarus Sarra, inter Philippum Gallorum regem cognomine Pulchrum, ac Bonifacium pontificem, graue odium atq; inimicitias eſſe, clàm ſe ei detexit: redemtusq; à piratis, in Galliam ad Philippū perducitur. Accepto igitur ſtipendio, & Gallis quibuſdam militibus non ſimul, ſed ſenſim ſequi iuſſis, Sarra cum Agnaninis ciuibus Gibellinæ factionis inita conſpiratione, ſcalis Ananiam Latij urbem ingreſſus, Bonifacium ſecurè in patria agentem cœpit: ei primùm theſauros omnes ademit: deinde re uerboq; nō ſecus atq; in hoſtem inuectus, uinctū Romā deduxit, ubi eum Tiberi immerſiſſe putatus eſt: quanquam quidam ſcripſerunt, Sarram à ui in Bonifacium temperaſſe, ſed Bonifacium nimia indignatione in furore uerſum interiiſſe. Fulg. lib. 6. c. 11. & Sab. lib. 7. c. 8.

IOANNES XXIII. poſt quatum indepti Pōtificatus annū, cùm eſſet in Conſtantienſi concilio, damnationem ſuā confirmare, deinde Pontificatum deponere coactus, cùm fugā tentaret, in inſula Rheni, cui S. Marci nomen eſt, in carcere aſſeruatus eſt: atq; ab eo loco ad Bauariæ ducem tranſmiſſus, triennium per ignominiam, in rerum omnium neceſſitate, tranſegit. Cœtera demùm (ab amicis adiutus magno auri pondere) fuga, Florentiam petiit, ubi Martinus quintus erat, eius in Pontificatu ſucceſſor. Illic non ſine omnium admiratione, & commiſeratione (quia in fugitiui hominis formā, lacrymabundus, humi genu nixus, ſupplicare aliis cernebatur, cui principes, reges, Imperatorq; ipſe non modò paruerant, uerumetiam pedes uenerabundi conſueuerant deoſculari: qui præterea multos ad Cardinalatus honorē euexerat, tunc Pontifici aſſidentes) Pontificatu priuatus, in gentis muneris loco, Cardinalatum accepit. Fulg. lib. 6. c. 11.

IOANNES Vitellius, paruo loco Corneti ciuitate Ethruſca ortus, à prima ætate literis operā dedit: poſtea mutatis ſtudiis, libros armis atq; equis mutauit, ſtipendia cum Tartalia militari duce clariſſimo prima fecit: eius quoq; precibus à Martino V. pōtifice protonotarius honorem adeptus eſt. Deinde ab Eugenio IV. in Cardinalium numerū receptus, Eccleſiaſtico equitatui præfuit, atq; adeò uel ui, uel alia arte, Eugenio ſucceſſurus putabatur, aut fortaſſe uiuentem etiam Pontificatu deiecturus. Pòſt cùm armatus Eccleſiaſticum equitatum trans amnem Tyberim duceret, per pontē, qui arci S. Angeli adhæret, repentè tenſis catenis, ad pontis portam, ita ut ultrà progredi prohiberetur, cernentib. ſuis uulneratus ac captus, intra arcem tractus eſt, eaq; nocte ne catus, tum nudus in publicum elatus, ut per ludibriū à populo Rom. ſpectaretur. Idem.

THOMAS Volſæus, lanio patre natus, Henrici IIX. Anglorū regis ſacellanus, cùm ſeſe regi inſinuaſſet, Lincolniēſis primùm, hinc Eboracenſis archiepiſcopus, regni cancellarius, Cardinalis, Dunelmenſis deniq; epiſcopus, regibus ſeſe æquatum exiſtimans, inter alia impotētis auaritiæ argumenta æs alienum à rege contractum ne diſſolueretur, licèt ſyngraphæ regiæ interpolitæ eſſent, auctor fuit, non mutuum ſed donum hoc populi fuiſſe dictitans. Cœnobia monachorum compilauit, ut duo collegia literaria inſtitueret. Cùm Toletanum archiepiſcopatū per Carolum V. conſequi non poſſet, bellum Cęſari Henrici nomine indicendum curauit. Sed exatiata eſt eius ſitis, Vintonienſi epiſcopatu. Cùm à regina Catharina de emendandis moribus liberè admoneretur, odio concepto regi auctor fuit Catharinæ repudiandę, ea ſpe, ut ſororem Franciſci regis duceret. At rex cùm animum adieciſſet Annæ Vicecomitis Rocheſordiæ F. ægrè ſerens ſe à Volſæo ita circumduci, omni dignitate & fortunis ſpoliatum in dioeceſim Eboracenſem relegauit. Vbi cū more ſuo pontificali ſede reſidere uellet, iuſſu regis captus, dū Londinum ducitur, Leceſtriæ obiit. Polyd. lib. 27.

Principes, Reges, Tyranni, Imperatores uariis caſibus agitati.

IOAS Ochoziæ Iudæorū regis F. cùm in crepundiis eſſet, omni uirili ſtirpe Dauidicæ gentis crudeliſſimo Athaliæ auiæ imperio uno die extincta, uita donatus eſt, regno ſpoliatus. Puer tāmen adhuc regnum recepit: receptum turpiter amiſiſſet, niſi illud aliquāto turpius omni regia gaza fuiſſet ab eo redemtum. Ad poſtremum, ferrum, quod infans aliena effugit ſolertia, ſua ipſius effugere non potuit. Sabellicus libro 7. cap. 8.

HYRCANVS Iudæorum rex atq; pontifex, à fratre Ariſtobulo pulſus, & poſtea per Pompeium recuperato regno, cum omnibus, quæ antè poſſederat, eius poſſeſſionem quadraginta annos quietè retinuit. Deinde à nepote Antiocho, Ariſtobuli filio, atque Parthis pulſus, defectis auribus, in Parthiam captiuus eſt abductus. Cùm poſtea Antigono Herodes ſucceſſiſſet, arte magnis q; promiſſis iterum in Iudæam perductus Hyrcanus, cùm in priuata fortuna quieturum ſe ſperaret, propter falſas ſuſpiciones ab Herode occiſus fuit: in eoq; Aſſamonæorum regnum finem accepit. Fulgoſus libro 6. cap. 11.

AMPHITRYON ad aram mactandus à Lyco, ad chorū Senum inquit apud Eurip. in Hercule furente:

ὀρῶτέ μ', ὁποῖος ὢν ἀδείλεπτος βροτοῖς,
ὀνομαστὰ σφάγιον, ὦ μ' ἀφίλεσθ' ἡ τύχη
ὁποῖος ἐπίεσθ' ὑπὸ σοῦ δ' ἐξ ἡμέρᾳ μιᾷ.

Aſpicite me, qui eram conſpicuus mortalibus, præclara per agēs, & me deiecit fortuna ueluti plumā ad ęthera una die. Chorus Senum, de LYCO, qui per uim regnum Thebanū abſente Hercule inuaſerat, ab Hercule occidendo, apud Euripidem in Hercule furente:

Μεῖζοβολὰ κρυκάν·
μέγας ὁ πεσὼν αὐτὸς,
πάλιν τὰ πρόσθεν
βίοτον ἐς ἀιδῆ.
ἰὼ δίκα, ὦ θεῶν
παλίμβολε πότμε.

Commutatio eſt malorum: magnus antea rex, iterum deſtruet uitam ad Plutonem. Hem iuſtitiam, & deorum retrofluens fatum.

De PRIAMO Aſiæ rege potentiſſimo ita Iuuenalis ſatyra 10.

Incolumi Troia Priamus ueniſſet ad umbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum ceruicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos ædere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſaq; Polyxena palla:
Si foret exſtinctus diuerſo tempore, quo iam
Ceperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia uidit
Euerſa, & flammis Aſiam ferroq; cadentem.
Tunc miles tremulus poſita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram ſummi Iouis, ut uetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato iam faſtiditus aratro.

Item Seneca Troadibus:

— ille tot regum parens
Caret ſepulcro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia. —

Aeſchylus inducit Chorum in Agamemnone canentē, & augurantem graue malum inſtare AGAMEMNONI, cuius uenti antea fuerant ualde ſecundi: adeoq; metuentem, ne ꝓpinquus ſit terminus proſperarum ipſius rerum:

μάλα γὰρ τοι τᾶς πολλᾶς
ὑγιείας ἀκόρεστος
πέρματι νῦν ὁ θεὸς
γείτων ὁρόντας ἐφέδρευει.

Victorius lib. 37. Var. lect. cap. 19.

CROESVS Lydorum rex, qui antea felix, rebusq; florentiſſimis utebat, Cyrū in ſe prouocauit: à quo victus, in maximas calamitates deuenit, & prouerbio locum fecit, Vire Lydo negotium non erat: at ipſe foras profectus parauit. Zenodotus, & Eraſmus in Adag.

Croeſus conſobrinus à CYRO de bello ſuſcipiendo contra Tomyrin reginam Maſſagetarum: Si tibi, ait, eſſe uideris immortalis, nihil eſt opus, ut meam tibi ſententiam dicam. Si uerò te quoq; agnoſcis hominem, illud iuprimis diſcito, talem humanarum rerum circum eſſe, qui rotatus, eo ſdē ſemper fortunatos eſſe non ſinit. Cyrus imperandi libidine acceſſus, Croeſo non paruit. Itaq; in eo bello periit. Bruſonius lib. 2. cap. 37. ex Herod. lib. j.

POLYCRATES Aeacis F. Samum inſulam armis occupatā, cum Pantagnoto & Syloſonte fratribus primò tenuit: mox horum uno interfecto, altero q; in exilium acto, ſolus tyrannidem exercuit. Res huius tam celeri curſu creuēre, ut unius Polycratis felicitas, tota Græcia & Ionia celebri prædicatione extolleretur. Nihil ille tam arduum moliebatur, aut tam difficile, in quo non fortuna eius uotis reſponderet. Aderāt Polycrati centum biremes, & in his ſagittarij mille: quibus opibus fretus, utramq; Aegæi maris oram cum interiectis inſulis ſuæ iniuriæ reddidit obnoxiam: eò fiduciæ prouectus, ut uulgò prædicaret, Se magis iis gratificari, quibus ademta reſtitueret, quàm quibus nihil ademiſſet. Omnes eius conatus placido excipiebantur itinere, ſpes certum cupitæ rei fructum apprehendebat: uota nuncupabantur, ſimul & ſoluebantur: uelle ac poſſe in æquo poſitum erat: ſemel duntaxat uultum mutauit perquàm breui triſtitiæ ſalebra ſuccuſſum, tunc, cùm admodum gratum ſibi anulum, conſilio Amaſis Aegyptiorum regis, de induſtria in profundum, ne omnis incommodi expers eſſet, abiecit: quem tamen continuò recuperauit, capto piſce, qui eum deuorauerat. Sed hunc, cuius felicitas ſemper plenis uelis proſperum curſum tenuit, Orœtes Darij regis præfectus, in excelſiſſimo Mycalenſis montis uertice cruci affixit: ex qua putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam læuam, cui Neptunus anulum piſcatoris manu reſtituerat, ſitu marcidam, Samos amara ſeruitute aliquandiu preſſa, liberis ac lætis oculis aſpexit. Val. lib. 6. cap. 11. & Herod. lib. 3. & Sabellicus lib. 7. Enneadis 2. Hiſtoriam quatuor uerſib. complexus eſt Nazianzenus:

ὦ Σαμίων πότ' ἀνὰξ οὐ πολύκρατες οἷόν ἐμήσω,
ἡβάσας εὐτυχίης δρόμον ἄρξετον, ἐμβαλὲς ἅλμῃ
πορφύρεον, ὦ φιλέσπερε, ἅπως φθόνον ἐξερέουσιν.
Ἑῷ τὸν μὲν πάλιν ἔλκε, ἀπὸς μόρον ἐκ κεφαλῆς.

DIONYSIVS iunior tyrannus Syracuſiorum, poſſidebat nō pauciores quadringentis ſeremes & quinqueremes, pedeſtres copias ad centum millia hominum, equitum nouem millia: in promtu habebat omnem apparatum bellicū quin gentis nauibus. Reconditum frumentum ad centum modiorum myriades, & armamentatium ſcutis, gladiis, haſtis, tibialibus innumeris, thoracibus & catapultis plenum refertumq;. Verùm paulo pòſt ſenſit, labante fortuna, omnium ſuarum rerum perniciouſiſſimas uiciſſitudines. Ab Icete enim Leontinorum tyranno obſidione preſſus, quum præter arcem Syracuſanam omnia amiſiſſet, Timoleontis Corinthij fidei ſe dedens, cum pecunia & paucis amicis in Timoleontis eſt caſtra clàm Icete deuectus. Ac tum primùm priuatus & demiſſus eſt uiſus, unoque nauigio cum modico pecuniæ Corinthum deportatus: qui in tyrannide natus fuiſſet & enutritus omnium clariſſima & maxima, quā decem annos tenuerat, alios fuerat duodecim à bello per Dionem geſto certaminibus & bellis iactatus. Hic ſcelera ſua ſuperauit calamitatibus: filiorum enim adultorum funera, filias uirgines conſpexit cōſtupratas, ſororis eiuſdemq; coniugis obſcœniſſimis libidinibus ab hoſtibus uiolatum corpus, eam inde ui cum liberis peremtam & in altum demerſam. Dionyſium, poſtquam delatus Corinthum eſt, nemo fuit inter Græcos quin aſpicere & appellare deſideraret. Alij cladibus eius ex odio læti libenter eò concurrerunt, ut à fortuna uelut præcipitatum conculcarent: alij inclinationē reſpicientes atque uicem eius dolentes, contemplabantur in rebus infirmis mortalium & manifeſtis exemplis obſcurarum & diuinarum uirtutem cauſarum. Nullum enim tantum uel naturæ ea tempeſtas, uel artis, quantum illud fortunæ opus edidit, quæ illum oſtendit paulo antè Siciliæ tyrannum, agentem cum muliere, quæ exercebat popinam, uel in myropolio ſedentem, bibentem ex cauponis diluti, & altercantem in publico cum mulierculis, quæ formam quæſtui habebant, pſaltrias in cantibus docentem, & circa cantilenas theatricas cum iis enixè de modorum digladiātem concentu. Hæc facere ideo Dionyſium aliqui, quòd aliàs torpidus & ignauus ſua ſponte eſſet atque proteruus, exiſtimabant: alij, quò cōtemneretur, nec formidabilis Corinthiis foret uel ſuſpectus, quaſi grauiter ferret uiciſſitudinem uitæ, & dominandi cupiditate flagraret: magnamque affectaſſe & ſimulaſſe præter ingenium ſuum, atque ad otium fallendum præſe tuliſſe ſtoliditatem. Plutarchus in Timoleonte, & Aelianus lib. 6. & 9. de Var. hiſt. Iuſtinus lib. 21. & Val. Max. lib. 6. c. 11. Coriathi propter inopiam, puerulos literas docuiſſe fertur. Vnde in prouerbium, Διονύσου σὺν κεφαλῇ, Dionyſius Corinthi.

In nullo regum fortunam adeò magnas apparet & uolucres uiciſſitudines feciſſe, neq; aliis in negotiis toties ex abiecta denuò celſam, & humilem ex clara, potentemq; ruiſus ex fracta euaſiſſe, quàm in DEMETRIO Antigoni F. Poliorcete dicto. Vnde in ſiniſterioribus inclinationibus ad fortunam aiunt eum dicere hoc Aeſchyli ſolitum:

Tu me tibi genuiſſe, tu me perdere
Videris. —

Plut. in Demetrio. Vide Tit. Duces fortes.

LYSIMACHVS Thraciæ & Macedonię rex, ſublatis Antigono, Demetrio, Ptolemæo, Pyrrho æmulis, beatus ſibi uidebatur, quando Agathocles F. ab Arſinoe nouerca Ptolemæi Lagi F. ueneno ſublatus eſt. Hoc primum impendentis ruinæ initium. Secutæ inde principum cædes, ſupplicia luentium, quòd Agathoclis interitum liberiùs queſti eſſent. Mox qui exercitibus præerant, ad Seleucum defeceruntq: quorum impulſu Lyſimacho bellum intulit, idq; ultimum certamen fuit ſucceſſorum Alexandri, & uelut ad fortunæ exemplum hi duo reſeruati, annos quatuor & ſeptuaginta Lyſimachus natus, Seleucus tribus adhuc annis maior. Lyſimachus quadraginta liberis aliis alio caſu eo bello amiſſis, poſtremus ipſe domeſticæ cladi cumulus acceſſit. Lætus ea uictoria Seleucus, quòd unus ex omni cohorte Alexandri, & uelut victorum uictor ſuperfuiſſet, ſeptimo uictoriæ menſe à Ptolemęo magni Ptolemęi filio Arſinoes fratre inſidiis exceptus periit, regnumq; Macedoniæ, quod Lyſimacho ademerat, cum uita perdidit. Sabellicus lib. 8. Enn. 4.

Inconſtantiſſima uita fuit DEMETRII eius, cui Nicatoris cognomentum fuit. Nam cùm in prælio pater Demetrius Soter, Seleuci filius, aduerſus Alexandrū Balantem, qui ſe Antiochi Epiphanis filium ferebat, uitam cum Syriæ regno amiſiſſet, & ob eam cauſam ipſe in Cretam profugere coactus eſſet: inde amicorum ope adiutus, Alexandro magnis uiribus reſiſtente, nihil proceſſiſſet, niſi fortuna inexcogitato caſu eum ſubleuaſſet. Nam quum Ptolemæus Philometer, cuius filiam Alexander duxerat, genero opem in eo bello magnis uiribus ferret, detecta proditione, quam in eum Alexāder moliebatur, mutata in Alexandrum uoluntate, iniuriā ulciſci decreuit. Itaq; ereptam ex eius matrimonio filiā, De-

metrio Nicatori coniunxit: fœdereq; inito, cùm in Alexandrum arma, quæ antè pro eo habuerat, conuertisset, Alexander in Arabiã pulsus, illic est occisus, relicto filio Antiocho Deo: qui Diodori Apameni, Tryphonis cognominati opera, Demetrium in Syria persecutus, paruo tempore, ut pater, regno eum deiecit. Nicator uerò, cùm se in Ciliciam recepisset, seruante eum ad alios grauiores casus fortuna, missо Syriaco bello, à Græcis, quibusdam uocatus, in Parthiam se contulit, fretus Parthica expeditione confecta, faciliùs Syriæ se recepturum esse regnum. Sed in contrarium res ei cessere: quippe in prælio à Parthis captus, apud eos in carcere est asseruatus. Variante autem fæpius Syriæ fortuna, post Antiochi Dei ac Diodori mortem, item fratris Antiochi Soteris, qui in prælio à Parthis cæsus fuerat, Nicator à Parthis liberatus est, atq; in aui regno restitutus. In quo, uariante iterum fortuna, haud diu mansit. Nam ab Alexandro Zebenna, qui apud Ptolemęum Physconem regem Aegypti in magna gratia erat, superatus pulsusque, cùm Ptolemaidem ad Cleopatram coniugem se recepisset, inde exclusus, in Tyrũ modico seruorum comitatu nauigauit, ut ibi se templi religione tueretur. Sed uix bene huc appulerat, quum priusquã asylum teneret, ab insulæ præfecto interficitur. Seleucus inde, alter ex Demetrij filiis, quia iniussu matris diadema assumere esset ausus, illius opera interficitur, altero filio Antiocho, cui ob nasi magnitudinem Grypho cognomen fuit, rege constituto. Sab. lib. j. Enn. 6. & Fulg. lib. 6. c. ii.

ZEBENNA, negotiatoris Protarchi filius, Euergetis Ptolemæi fictione & fortunæ præsidio factus est Syrię rex. Sedẽs igitur in throno regio, insolenter agere, & in Euergetẽ, qui eum promouerat, ingratus esse cœpit. Quod tam ægrè tulit Euergetes, ut cùm sciret Gryphum, Demetrij regis filium, Syriæ titulo magis quàm regno insignitum, superuiuere, eum statim concitarit in Zebennam. Victus Zebenna, fugit Antiochiam: ubi pecuniis exhaustus, Iouis simulacrum ex auro solidum auferre uoluit. Commota urbe fugiens, maris tempestatibus agitatus, & à sociis desertus, captus est à latronibus, & Grypho uiuus transmissus, ab eodẽ miserè occisus est. Guido Bitur.

SYPHACEM regem Mauru siorum amicum hinc Roma per Scipionem, illinc Carthago per Hasdrubalem ultrò petitũ ad penates deos eius uenerat. Cæterũ eò claritatis euectus, ut uelidissimorum populorũ non tantùm arbiter, sed & victor victoriæ existeret, parui temporis interiecta mora, cathenatus à Lęlio legato ad P. Scipionem imperatorẽ pertractus est: cuiusq; dextram regio insidens solio arroganti manu attigerat, eius genibus supplex procubuit. Valerius Maximus lib. 6. cap. ii.

Q. CEPIO præturæ splendore, triumphi claritate, cõsulatus decore, pontificis maximi sacerdotio, ut Senatus patronus diceretur, assecutus, in publicis uinculis spiritum deposuit: corq; eius funesti carnificis manibus laceratũ, in scalis Gemoniis iacens, magno cũ horrore totius fori Romani conspectum est. Idem.

LEPIDVS olim Triumuirorum primus, utpote qui potẽtior erat, ius uitæ fortunarũq; in Romanos ciues habuerat. Sed postea ab Octauio triumuiratu depulsus, Romã uenire coactus est: illic Balbinum rogare oportuit, qui superiore anno proscriptus fuerat, sed pace cum Pompeio facta constitutum obtinuerat. Paruo igitur tempore fortuna, quæ Lepidum ad tantam potentiam extulerat, eò deiecit, ut rogare eum cogeretur, qui Lepido rerum potiente, unus maximè infelix ipsum rogabat: cuius etiam calamitas hoc magis augebatur, quòd Balbini seruis inuisus, aditu ad Balbinũ prohibebatur. Qui enim alios audiendo se difficilem præbuerat, apud alium sibi quoq; restrictum ad res agendas aditũ sensit. Fulg. lib. 6. cap. ii.

AGRIPPA Herodis Magni atnepos, ęre alieno ob nimias largitiones ita oppressus, ut fidem penitus amiserit, atq; etiã aliquandiu fororis Herodiadis sumtibus uixerit, in uincula Romæ à Tiberio coniectus, & de uita etiã periclitans: mortuo tandem Tiberio, à Caio successore uinculis liberatur, & diuarum Tetrarchiarum Iudeæ rex constituitur. Iosephus libro 18. cap. 8.

NERO Cæsar, omnium odio premente, in serui sui domum profugit: atq; illic urgente siti, qui aureis gemmatisq; uasis assueuerat, è caua manu poculum sibi fecit: & quum calcei deessent, nudis pedibus per cannetum nuper desectum transituro, ut occultè locum pereret in quo latẽre posset, pronus, per terram reptauit, & ne acuti cannarum stipites læderent, uestem subdidit. Fulgosus libro 7. cap. 6. ex Suet.

A. VITELLIVS à Galba in Germaniam ad regendos exercitus missus, in uiaticum pecuniarum rationem nullam habebat, nisi uxoris margaritas uendidisset: quæ postea cum socru, in parte alienarum ædium habitauit. Ipse quoq;, dũ ab urbe discederet, uix à creditoribus explicare se potuit. Is tamen ex tam humili fortũna ab exercitu in Germania creatus Imperator, Romã uenit, Augusti nomine salutatus. Cæterùm breui pòst captum atq; uinctum Vespasiani duces, p urbem traxerunt, apposito gladij mucrone sub mento, ne uultum submittere posset, cœno sordibusq; à pueris impetitus. Cæsus per hunc modum, & ad scalas Gemonias abiectus. Fulg. lib. 6. c. ii. ex Suetonio.

MAXIMVS Herculeius, Diocletiani studio è priuato homine Augustus factus, non multo pòst Diocletiani suasu imperiũ deposuit, atq; ad pristinum uitæ gradum reuersus est. Cùm autem breui postea huius facti eum pœnituisset, Diocletiani filium Maxentium spoliare regno (quòd eum Maxentius exercitui præfecerat) conatus, uix militum effugere imperũ potuit. In Gallia quoq;, quò se ad Constantinum generum contulerat, quum deprehensus esset pares tetendisse insidias, in fuga comprehensus, miserè suspendio uitam finiuit. Ibidem.

CARANTIVS (Eutropio Caurasius) Athirconis Scotorũ regis F. cùm Findocum Scotorum regem fratrem, libidine regnandi in uenatione trucidari curasset, re detecta, sponte in exilium abiit. Dissimulato genere diu inops, uagus, extoris, tandem inter gregarios bello Persico, quod Carus Imperator gessit, relatus, breui lingua & manu promtus effecit, ut centurio crearetur. Prætor deinde constitutus, tam clarũ uirtutis specimen dedit, ut uel commilitonum omnium suffragio Romanæ classi sit præfectus, ad Gallicanũ mare pacandum, & prouincialium in eo naues tutandas. Missus inde à Diocletiano cõtra piratas Saxones, Francosq; Germaniæ populos, non priùs piratas aggressus est, quàm multa præda onustos sentiret. Qua recepta, nec prouincialibus restituta, Maximiano, qui tunc Galliam regebat, suspectus factus, cum classe, epibatis, opibus malè partis, Hibernico Oceano deuectus, in Vestmariam, Britanniæ regionem, Romanam tum prouinciam, haud procul à Scotorum Pictorumq; agris, in quibus nonnullam auxilij spem contra Romanos animo conceperat, transmisit. Ibi copiis expositis, haud magno negotio, prouinciam, incolis ultrò cedentib. in deditionem accepit. Misit inde legatos ad Crathlintum Scotorum regem, nepotem suum ex fratre Findoco, & societate cum illo facilè inita, Pictis quinetiam & Scotis inter se reconciliatis, ad pellendos è Britannia Romanos auctor illis fuit. Coniunctis copiis Q. Bassianum legatum magna strage affecit, Lõdinum recepit, purpuram sumsit, duo millia Pictorum & Scotorum pro stipatoribus habuit, atq; Britannicum regnum suprema Romanis ademta potestate occupauit, anno sexto & quadragesimo, supra trecentesimũ, postquam id Cæsare dictatore Romanis factum fuisset uectigale. Petitus inde frequentibus cruentisq; prælijs à Romanis, sed in illis omnibus uictor, Britanniæ regnum mira prudentia sibi stabiliuit. Ad postremum tamen Alecti Romani legati insidiis, amicitię ipe deceptus, obtruncatur. Cęso sic Carantio, cùm Britanniam Alectus Romanis reddere nequiuisset, militibus omnibus Romanum auersantib. imperium, ut illis carus haberetur, Romana contemta maiestate, tyrannus effectus, Britannicum regnum sibi uendicauit. Tertio anno, quàm Carantium necauerat, Asclepiodoti ductu (erat is, auctore Eutropio, prætorio præfectus) uita exutus est. H. Boethius lib. 6.

Britanni agrestes, C. Herculei (quem Constantinus Imperator Britannis legatum dederat) tyrannidem indignè ferentes, OCTAVIVM Tegenorum principem, Romana matre, Britanno patre prognatum, factionis suæ ducem creauere. Is Herculeum cum equitatu Romano paucisq; peditibus trucidauit, Londinum occupauit, purpuram sumsit. Traherus à Constantino Augusto missus, Octauium multis prælijs fractum ad Scotos confugere coegit. Eum repetenti Trahero cùm Fincormacus Scotorum rex tradere nollet, bello petitus, XV millibus suorum amissis, XVI millia Rom. occidit. Traherus in Vectam insulam fugiens, indeq; ab Octauio eiectus, in Galliam traiecit. Interea cùm Octauius perfidè cum Scotis egisset, totius q; insulæ imperio inhiaret, desertus à sociis, à Trahero cum legionibus Gallicanis redeũte uictus, ad Danos confugit. Tertiùm inde regno recepto, ex improbo principe optimus euasit: uerũ à Maximo Constantij legato uictis Britannis, præ mœrore expirauit. Idem.

HONORIVS Theodosij Magni F. decem annorum puer, tutelæ & fidei Stilichonis Vãdali uiri strenui à patre commissus, diras Barbarorum incursiones sustinuit. Africã, q̃ Eutropij eunuchi astu ad Arcadium fratrem Gildone duce defecerat, per Mazeselem recuperauit. Ab Alarico Gotho Hastę obsessus, Stilichonis fide & fortitudine liberatus est. Sub inde Radagaisus Scytha torrentis instar Italiam obruens, eiusdem Stilichonis arte Fesulis cæsus est. Stilichonis F. Mariam uxorem duxit: eaq; mortua sororem eius Thermantiam. Vandalis irrumpentibus in Galliam, Constãtinus à Britannicis militibus Augustus salutatus, Galliam occupauit, Constantem F. Cæsarem dixit, qui Hispaniam inuasit. Stilichone, ob imperium orientale affectatum Olympij prętorio præfecti delatione interfecto, Alaricus Romanos ad pacẽ redimendam impulit, Attalum ab iisdem pro Imp. recipi cõpulit: mox etiam Honorio Rauennæ inanes spes alente, urbem proditione occupatam diripuit. Ataulfus qui Alarico successit, Placidiæ Honorij sororis coniugio potitus, Italia in Galliam Narbonensem excessit. Gothorũ inundatione liberata Italia, Honorius per Constantium Comitem, Constantinum & Constantem eius F. tyrannos sustulit, Hispaniam recepit: Attalum Italiæ, Iouinum Galliæ, Maximum Hispaniæ tyrannos captos ueluti triumpho diuersis temporibus duxit. Periit hydrope anno ętatis 44. imperij uerò post patris excessum 29. Christi 423. Sigonius lib. ii. Imp. occid.

Iam decimum annum IVSTINIANVS II. Constantinopoli imperabat, cùm à Leontio Patricio captus, imperium & nasum simul amisit: atq; in exilium Chersonam, quæ in Põto est, missus fuit. Leontius tertio anno pòst & naso & imperio priatus à Tiberio Absimaro, qui Persici exercitus per seditionem ad occupandum imperium iuuerant, in carcere asseruatus est. Deiecto Leontio, Tiberius imperium occupauit, suspicionum plenus, cùm accepisset iuuenem patricium, Philippum Bardanium nomine, in somnis uidisse, capiti suo aquilam insidere, arbitrabatur ea re imperium portendi, eumq; in exiliũ Chersonã misit. Tollere quoq; è medio Iustinianum decreuerat. Cæterùm Iustinianus re intellecta, ad Chaganum Turcarum regem profugit: atq; eius sorore in matrimoniũ accepta, cùm eius quoq; opera cum Trebellio (Bulgarorũ, qui inter Scythas numerantur, rege) fœdus iniuisset, magnis uiribus ab utroq; adiutus, depulso Tiberio imperium recuperauit: inuentumq; in carcere Leontium, post longa tormenta publicè interemit, & propter priora mala suspiciosus, ut Tiberius, cùm eum bello cœpisset, ipsum quoq; occidit. Cùm eodem modo perdere Philippicum uellet, & Chersonam euertere, quòd in ea exulẽ se contemtum fuisse dicebat, contra multorum sententiã, qui ad humanitatem atq; clementiam eum hortabantur, magna classe Chersonam profectus, à Cherronensibus atque Philippico, quos desperatio ad rebellionẽ impulerat, armis exceptus, atq; insuper ab exercitu proditus, in fuga unà cum Tiberio filio captus fuit. Amobs Philippicus securi percussit: qui de exule imperator factus, nec multo pòst ab Anastasio proditus, & lumina & imperium amisit. Fulgosus lib. 6. cap. ii. è Zonara.

ROMANVS Diogenes patricio ortus genere, & rebus contra Scythas pręclarè gestis, mortuo Isaacio Comneno, cùm Constantinum Ducã Imp. audiuisset salutatum, tyrannidẽ affectauit. Verùm captus, & Constantinopolim ductus, capitali pœna afficiendus, Eudociæ imperatricis intercessione (quæ uirtute & forma ipsius capta erat) liberatur, & in Cappadociam patriam ablegatur. Mortuo Constantino Duca, præter omniũ expectationẽ ab Eudocia reuocatur, & in thori simul atq; imperij consortium recipitur. Rebus contra Saracenos feliciter gestis, cùm Azanem Sultanum bello premeret, neque pacis conditiones admittere uellet: Andronici, qui Ioannis Cæsaris, fratris Constantini Ducæ Imp. filius fuerat, proditione desertus à magna parte exercitus, fortiter pugnans, manu uulneratur & uiuus capitur. Eum honestissimè Azan tractauit, & honorificè liberum dimisit cum suis omnibus quos petebat. Interea Ioannes Cæsar eum per Andronicum filium acie uictum cepit, captum in monasterium detrusit, tandem præter datam fidem excæcauit, & nulla cura adhibita mori coegit. Cusp.

Pulsus in exilium ANDRONICVS, à patruele fratre Emanuele secundo Imperatore, oris seditionibus, ad Turcas profugit. Cæterùm postea reuocatus ab eodem, prouinciæ Põticæ præfectus est. Interim, cùm Emanuele defuncto, filium impuberem, qui successerat, Alexius patruus regeret, auaritia atq; crudelitate insignis: ut eius administratione, quę omnibus inuisa erat, remedium daretur, Andronicus à populo uocatus est. Qui Constantinopolim profectus, & pupillum & patruum occidit, cum ipsorum stirpe, ita ut unus Isacius eam uim effugerit. Per hũc modum Andronicus imperio potitus, dum acerbe Isacium insequitur, quia fuga parere sibi salutem desperaret, coegit ut impar præter omnẽ rationem arma tentaret. Quamobrẽ, id quod omnium minimè Andronicus uerebatur, & propterea paratos milites in urbe nullos habebat, nocte Isacius Constantinopolim ingressus, populum ad arma exciuit: obsessoque in palatio Blaquerna Andronico, paruo tempore locum expugnauit, atque Andronico manus iniecit. Quem primùm effosso oculo, nuduni in asino auersum constituit, asini cauda pro imperatorio sceptro data, cùm caput illi reste tanquam diademate cinxisset: Deductus autem per totam urbem Andronicus, tandem furcis suspensus, fœdissimè uitam amisit. Fulg. lib. 6. cap. ii.

LVDOVICVS IIII. Caroli filius, cùm ea adhuc puero pauoris plena mater, post uiri mortem, in Britanniam ad patrem se contulisset, & Rudolphus Burgundio Gallicum regnum occupasset, Rudolpho post aliquot annos defuncto, Gallis principibus reuocantibus, regnum recepit, ac pátrẽ ultus est. Sed haud multo pòst à Normannis in bello captus, Lothario filio obside dato, uix tandem è carcere liberatus est. Fulgosus lib. 5. cap. ii.

HENRICVS IIII. Germaniæ rex, annos quinq; natus patrẽ defuncto, an. 1057. sub Agnetis Augustæ matris tutela educabatur. Mortuo Victore II. Stephanus IX. frater Godofredi Tusciæ ducis (cui Mathildis nupserat) eo prætextu, quòd Henricus sacras dignitates nundinando uenderet, magnũ cum puero certamen instituerat, sed morte præuentus est. Successit ei Nicolaus II. neq; is diu superuixit. Cui cùm inconsulto rege Romani Alexandrum II. suffecissent, Henricus undecennis Honorium II. oppositum, quem Lombardi suscepere, Mathilde Alexandrum fouente. Interea Hãnõ Coloniensis archiepiscopus puerum Agneti cum ipsis imperij insignibus eripuit, & semet ultrò tutorẽ instituit. Mortuo Vidone archiepiscopo Mediolanensi, Henricus Godofredum ei successorem dedit. Ecõtra ab Hildebrãdo, à quo tum pontificatus gubernabatur, Atho institutus. Hæc grauioris offensæ occasio fuit. Alexandro enim Hildebrandus sub nomine Gregorij VII. successit: qui cùm indignè ferret Henricum episcopos & abbates instituere, Simoniaci crimen ei impegit, & sacerdotibus Germanis uxores abrogauit, Henricum ad causam Romæ dicendam comparere iussit. Henricus Vormacienſi conuentu Gregorium uitio factũ pontificem constituit, & Cardinales ad nouum Pp. creandum in Germaniam excuit. Gregorius uicissim Romano conuentu Henricum anathemate ferit, & iurato principũ populorumq; obsequio abdicauit. Henricus à plerisq; desertus de regno periclitans, in Italiam properauit, Canusij triduo integro sub dio nudis pedibus sæuissima hyeme põtificis gratiam implorauit, eamq; multis uix demum intercessionib. imperij positis traditisq; insignibus, impetrauit. Eam abiectionem cùm archiepiscopi Mediolanensis & Rauennas ægrè ferrent, & de Henrici F. substituendo cogitarent, Henricus nihil eorum quæ pontifici promiserat seruauit. Distracta proinde in Regiam & Pontificiam factionem Germania, principum maior pars Rodolfum Sueuum Henrico substituẽre. Henricus Italia relicta, Rodulfum acie uictum interfecit, & Brixinæ Bauarorum conuentu indicto Gregorium ipsum sede pontificia indignum statuit, eique Clementem III. sublegit. Romam inde ualido exercitu petens, Gregorium exegit, Clementem introduxit, & ab eo Imperator inunctus est. Gregorio successit Victor III. qui Henricum & Clementem anathemate feriit: huic Vrbanus II. Henricus in Italiam reuersus, Velsonem ducem & marchionẽ & Mathildim eius uxorem pontifici fauentes ditione transpadana exuit. Interea Conradus contra patrem Hẽricum ad Pontificem deficit, & rex Italiæ creatur. Cæterùm non diu superstes fuit. Paschalis inde II. qui Vrbano successerat, Henricum iterum diris deuouit. Interea Henricum Henrici F. principes Germani, pontificis auctoritate, ad regnum occupandum inuitarunt. Henricus pater dignitate exutus, acie insuper uictus, tandem Spiræ in summa paupertate prę mœrore expirauit, an. 1106. Sigon. l. 9. regni Ital.

Cũ Gulielmus II. Neapolis & Siciliæ rex sine liberis decessisset, regnaq; ad Tancredũ hæreditario iure peruenissent, ad uersus Pontificẽ pro feudo cõtumaciter agentẽ: Celestinus III. pontifex ex Panormitano uirginũ monasterio, Cõstantiam olim Rogerij regis filiã, iam anum, ad se acciuit, eãq; matrimonio cõiunxit Hẽrico VI. Friderici Aenobarbi filio. Hinc graue cũ Tancredo bellum est ortũ. In quo cùm Gulielmus decessisset, GVLIELMVS III. eius filius in regno successit. Cum eo Henricus insidiosè pacem iniuit, fraude Gulielmũ comprehendit, eumq; cum tribus sororibus uinctũ in Germaniam misit. Illic non contentus eũ luminibus priuasse, ut spẽ quoq; successionis adimeret, genitales partes execuit. Fulg. lib. 6. cap. ii. & Sab. lib. 7. cap. 8.

CONRADINVS Sueuus in Italiã aduersus Carolũ I. Neapolitani Sicilięq; regnorũ inuasorem profectus, superatus, anuli indicio in fuga cognitus, captus, inusitato more, Pontificis instinctu, in medio Neapolitano foro securi percussus, carnificis manu caput amisit: quod Germaniæ, Siciliæ atq; Neapolis regnorum diademata gestarat. Fulg. lib. 6. cap. ii.

HENRICVS Leo, Henrici F. Bauariæ & Saxoniæ dux, Friderico I. Imperat. in subigendo Mediolano præclaram præstitit operam, Vandaliam sibi subiecit. Rebus secundis insolescens, magnam principum erga se conspirationem sustinuit, & superauit: Brũsuicum muniuit & ornauit:

sacra peregrinatione Hierosolymam inuisit, à Christianis simul & Barbaris ubiq; honorificentissimè exceptus. Inde reuersus, cùm ætatis præextu Imp. in Italiam comitari recusaret, & penè supplicem despiceret, eiusdē iram in se commouit. Ergo sensim qui eius gloriæ inuidebant, dum Imperator abesset, ab eo deficere, & nunc apertè, nunc occultè hostilia machinari: cumq; ab eo uicti essent, illū apud Imp. iam ex Italia uictorē reuersum accusare. Vocatus ab Imp. quater cùm non uenisset, principum sententia iure omni quod ab imperio haberet exutus, eiq; successor datus Bernardus. Ipse in Angliam ad socerū exulatum iuit. Post triennium reuersus, cùm Fridericus, qui inter illum & Bernardū pacem cōponere statuerat, in Armenia bello sacro periisset, ducatus magnam partē recuperauit: mox etiam per Henricum F. qui comitis Palatini filiam in uxorem duxerat, Henrico VI. Imp. reconciliatus, eiusdem largitione Palatinatū filio conferri uidit. Tandē qui fortunam expertus utranq; diu in terrarum orbe iactatus fuerat, plenus dierum, quum Brunsuici, exornandis ecclesiis & reparandis, piis ubique operibus intentus ageret, in pace quieuit, tumulatus in ecclesia sancti Blasij: quā ipse ornarat, ditarat, & semper coluerat. In sepulcro eius leonem fusilem constituerunt, ut cognomini eius (quòd Leo diceretur) responderet. Cranzius lib. 6. cap. 7. Saxoniæ.

CASIMIRVS adhuc puer, post mortem Miecislai regis Poloniæ, patris sui, in exilium pulsus, in Cluniacensi cœnobio monachali habitu sumto, septimo exilij sui anno, cùm sine duce regnum discordiis esset agitatum, à populo reuocatus est: atque à Benedicto nono pontifice ei concessum, ut monachali habitū deposito, regnū suscipere, atq; uxorem ducere posset. Itaq; liberos procreauit, & regni successores reliquit. Fulgosus lib. 6. cap. 1.

BELA Vngariæ dux (quæ secunda à rege in Vngaria potestas erat) cùm à Colomanno Vngariæ rege luminibus priuatus esset, quanquam in eas tenebras ac miseriam coniectus, minimè tamen animum cum lumine amisit: sed in Græciam profugit, ut meliori se fortunæ seruaret. quę non defuit. Nā mortuo Colomanno, eius filius Stephanus Belam in patriam reuocauit: & cùm sine liberis mortuus esset, in regno Bela successit. Annos nouem cæcus regnās, filium Geisam II. successorem reliquit. Fulg. lib. 6. cap. 1.

PETRVS Pannonum rex, à proceribus pulsus, Henrici Imperatoris ope adiutus, Aba æmulo interemto, regnum recuperauit. Sed à principib. Vngaricis clàm uocato Andrea (qui è regis Stephani stirpe ortus, per orbem terrarum inops errabat) captus, atque oculis priuatus, in carcere haud diu pòst miserandum in modum periit. ANDREAS cùm filium admodum puerum, diademate imposito, regni successorem facere uellet: à Bela fratre, qui ad regnum aspirabat, uictus, atq; interemtus est. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Cùm ad Ladislaum Alberti filium puerum per mortē patris Vngariæ Boemiæq; regna, præterea etiā Austrasię ducatus peruenissent, ipseq; regi potius quàm alios regere dici posset: adeò creuere odia inter Ioannis Hunia dis Vaiuodæ Vngariæ gubernatoris filios, atq; Huldricum Ciliæ comitem, Austrasiæ gubernatorem, Ladislaò affinitate coniunctū, ut Ciliç comes, eorum opera, in urbe Alba, dum in templo esset, occideretur. Ob eam cædem reuersus Budā rex, comprehensis Vaiuodæ filiis, maiorem natū Ladislaum securi percussit: minorem natu MATHIAM in custodia asseruauit. Cùm autem secum postea in Boemiam eum deduxisset, & sine liberis illic decessisset, Georgius Pogibrachius, illius regni gubernator, à Boemis ad regnū uocatus fuit. Qui cùm intelligeret, Mathiam à Pannoniis electum in regem, multis ab eo promissis oneratus, in Pannoniam ad capessendū regnum dimisit. Fulg. lib. 6. cap. 11. & Pontanus lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 2. de Fortuna.

Mathiæ Coruini casibus haud dissimilis IACOBI Lusignani fortuna fuit. Nā in Petri Cypri regis adhuc pueri coronatione, cùm controuersia inter Venetos atq; Genuenses de procedēdi forma esset orta: atq; Iacobi opera, regis patrui, qui dā Genuensis nationis cæsi fuissent: Genuenses ut iniuriam ulciscerentur, missa in Cyprū ingēti classe, Admirato Petro Fulgoso, Dominici ducis fratre, urbem Famagustam per arcē ingressi sunt, reginæ uiduæ opera, quæ cum filio malè à Iacobo habebatur. Illic inter alios captus Iacobus, ac Genuā perductus, cum quibusdā aliis in turri Pharea asseruatus est. In ea cùm nouem mansisset annos, mortuo demùm Petro rege sine liberis, quia iure hæreditario regnū Iacobo debebatur, à Cypriis populis ad regnū electus est: missiq; Genuā ab eis legati, Iacobū à Genuensibus petierunt. Genuenses autem accepta Famagusta, magnumq; pacti cēsus nomine auri pondus, atq; alia quædā, Cypriis Iacobū dedēre. Qui à Genuensium duce ac magistratibus, à turri, in qua captiuus sine ulla libertatis spe degebat, ad nauē ingēti honore sub umbella perductus est. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Mortuo Henrico principe, Boemis de successore consultantibus, hæc tandem sententia obtinuit, ut Premislai principis exulis fratrem VLADISLAVM (ab Hērico, dum armis fratri principatum acquirere conatur, captum, de custodia ereptum) principem constituerent, haud dubiè huius tanti beneficij, quàm iniuriæ sua culpa contractæ, magis memorē futurum: imò ea ipsa re Premislaum quoq; multum deira cundia remissurum, postquam uiderit fratrem dominari. Eunt igitur confestim ad arcem in qua custodiebatur, ibiq; principem illum salutant, & insigni comitum pompa Pragam deducunt, prorsus ignarum, ubinam gentium Premislaus ætatem degeret: sed nec quisquā prestò erat, qui eum de statu illius docere posset planè misero. Ad has enim rei familiaris angustias, ad eāq; pecuniæ inopiā redactus erat, ut ad quærendum uictum quotidianum Ratisbonæ, ubi templum ædificabatur, seruili habitu operā suam architecto locare, totumq; diem rotam uersatilem in subducendis in altum lapidibus, uersare coactus fuerit, uno tantùm ex suis clientulo fideli, laboris sudorisque socio. Ergo cùm dies continuos decem, se in opere illo defatigasset, relaxandi animi causa extra mœnia ad pontem Danubio imminētem progressus, garriebat cum clientulo, quicquid in buccam uenerat: cùm ecce tibi nuncius adest de morte Henrici VI. Cæsaris, Messanæ in Sicilia mortui. Quo Premislaus ex hilaratus (eius namq; metu principatum iam olim deserere coactus fuerat) Adhuc, inquit, numen aliquod nos respicit: quin redimus, & læti hunc diem in cœnopolio consumimus. Imò, ait clientulus, si lautius obsonare uis obsonium, en cape duos aureolos, quos in usum futurum hactenus repositos habui ad obsonandum. Eos simulatq; ille accepit, in Danubium proiecit: Domi, inquiens, nō hic lautior quæ renda cœna. Ad quam ut in tempore ueniamus, fac ut postero die accinctus sis ad iter maturandum Boemiam uersus. Eius fines cùm attigisset, gratiora adhuc noua audit, fratrē uidelicet suū Vladislaum, natu minorem, principatum in Boemia gerere. Sed cùm simul ei ueniret in mentem, quàm incommunicabilis esset regni societas, uisum est, ut fratris sententiam de longiore tutioreq; loco tentaret, si sibi tanquàm seniori de throno cedere, aut se in regni consortium accipere uellet: deditq; hac de re ad fratrē literas. quas cùm ille Danieli episcopo Pragensi & quibusdam aliis recitaret, rogaretq; illorum sententiam: Daniel inquit, Caro tua & frater tuus est Premislaus, piumq; uidetur ac uerè fraternū, ut in ista angustia animæ eius, tua ope illum subleues. Rescribit mox Vladislaus fratri, ut ad certum locū, quem nominabat, ad colloquium ueniat: uelle se tranquillo animo absque multis arbitris cùm eo de rebus communibus fraternè conferre. Sed non latuerunt hæc cæteros nouarum rerum studiosos: qui ut rursus aliquid nouarent, Spitigneo adolescenti persuadent, ut Premislaum in uia intercipiat: quo intercepto, ingens obstaculum, quod nunc ad emergendum ei obstaret, sublatum iri. Imprudens iuuenis, paruula manu, atq; ea inermi contracta, cum stultis consultoribus incidit in foueā quam fecit. Eū nāq; principes effossis oculis in uincula cōiecerūt, ne aspirare deinceps ad principalem honorem posset. Ipsi inter se commendabili Vladislai pietate (qua ultrò maiori fratri de loco suo, quem tātùm quinq; menses occupauerat, cessit) ita rem composuerunt, ut Premislaus Boemis, Vladislaus Morauis imperitaret. Dubrauius lib. 14.

HIARNVS quidam ob scriptum epitaphium Frothoni III. Danorum regi à Danis communi consensu rex fuit declaratus. Pòst ubi Fridleuum Frothonis F. apud Rusciam educatum, uiuere compererunt, ignauiam Hiarni pertæsi, Fridleuum reuocant. Hiarnus acie bis uictus, desperata salute, salis decoctori dissimulata persona operam suam addixit, & inter mediastinos extremum tenuit locum, à balneis cōsultò abstinens, ne ex cicatricibus agnosceretur. Cæterùm suspicione orta, Fridleuus eum se spectante in balneo nudari coegit: cognitumq; sic affatus est: Improbissime latro, qualiter in me consulturus fores, si me tibi insidiantem deprehendisses? Tum Hiarnus, Ex prouocatione te, ait, deprehensum aggrederer, quò maiore demendæ criminationis copia potiteris. Eum ergo mox Fridleuus prouocatum oppressit, tumulo cadauer obruens, interfecti nomen seruante. Saxo lib. 6.

IARMERICVS, Syuardi Danorū regis F. uicto à Sueonib. patre, captus, apud regem Sclauorum Ismarum cum collactaneo Gūnone degēs, rus primùm colere coactus, mox ad regalium mancipiorum magisterium translatus, deinde in necessariorum regis gregem assumtus, primum familiaritatis locum obtinuit, ac ueluti quibusdam meritorū gradibus, ab infima sorte ad spectatum honoris fastigium ascēdit: & ne segnem eneruemq; iuuentam ageret, militaribus se

hūs se studiis assuefecit, naturæ dotes industria cumulans. Grata omnibus Iarmerici indoles erat: soli reginæ suspectū adolescentis ingenium fuit, quæ illum tantò accuratiùs observari curauit, ne dum Ismarus fratris funus celebrat, claberetur. Interea Iarmericus in fiscellam è uimine textam, qua agrestes in effigiem hominis formata aues terrere solent, uiuū canē cōdidit, & uestibus suis induit. Gūno, illata in regiam fiscella, impulsoque ad latrandum cane, percontanti quidnam hoc esset reginæ, mente captum clamitare retulit Iarmericum. Illa ad aspectum statuæ similitudinis errore delusa, insanum domo eiici iubet. Gunno igitur elatā foras statuam, perinde ac furentem socium, lecticlo tradit. Sub noctem uerò uigiles ebrios obtruncat, & abscissa dormientium capita pudendis imponit. Excitata strepitu regina, caput extra fores exerens, à Gunnone confoditur. Iarmericus unà cum Gunnone tabernaculum, inquo rex fraternas conuiuio celebrabat exequias, incendit, fugaq; pro sperè usus, regnum pateratum recepit: mox etiā Gotaro oppresso, Daniæ Suetiam adiunxit. Saxo lib. 8.

REGNERVS Danorum rex, Syuardi F. Noruagios subegit, Thoram Sueonum regis filiam cæsis duobus serpentibus obtinuit, Haraldum tyrannum prostigauit, Britanniam domuit, Carolo Magno Saxonum uictori arma intulit, Sorlū Suetiæ tyrannum occidit, intestinum bellum capto Vbbone spurio suo sopiuit, Hellespontios reges superauit, Biarmos & Finnos uix tandem uicit, Orcades subegit, religionem Christianā ab Haraldo tyranno, Saxonum auxilius regno recepto, introductam, sustulit. Tandem ab Hella Britānorū rege uicto recollectis uiribus uictus, serpentibus deuorandus obiectus est. Saxo lib. 9.

Sueno, Danorum rex, oppresso Haraldo patre Christiano, idolorum cultum magna cum crudelitate restituit, sed impietatis pœnas luit. Quippe à Iulini oppidi accolis, piratica Daniam incessentibus, captus, facta sibi redimendi potestate, corpus suum auro semel, argento bis rependendum promisit. Ea summa à Danis, ob restituta idola nimio eum fauore prosequentibus persoluta est. Non multo pòst iterum captus, nobilium liberis uadibus pro se datis, priorisq; summæ pactione interposita, redemtionis præsidium impetrauit. Sed cùm promissum æs ex proprio fisco soluere nequiret, iis, qui pro salute eius filios prædes dederant, faltus ac nemora uendidit. Itaque Scani ac Sialandenses syluas publico ære comparauerunt. Apud Iutiam uerò non nisi familiis propinquitatis serie coharentibus, emtionis communio fuit. Sueno inde Iulinum, piratarum sedem, euertere cupiens, ad Moen insulam classem duxit: ibique per insidias turpiter captus, cùm exhaustis regni opibus ne aurum quidem redemtioni eius suppetere uideretur, matronę detractis aurium insignibus, cæteroq; cultu, summam auri confecerunt. Argenti uerò pondus uti conficeretur, agros ac latifundia uænire iussit, utq; ab exteris ipse uæniit, ita uęnalem suis patriam fecit. Sacramentum quinetiam de nunquā inferendo Sclauis bello præstare coactus, non multo pòst ab Erico Sueonum rege regno pulsus, ad Olauum Thirgonis filium Noruagiæ regem fugit, à patre olim suo Haraldo regnò restitutum. At ingratus ille supplicem spreuit. Eduardus itidem Anglorum rex, non tam exulem quàm speculatorem esse suspicans, regno illum excedere iussit. A Scotis receptus, pœnitentia scelerum ductus, Christi religionem amplexus est: nec multo pòst, cùm mortuo Erico Olauus filius Suetiam repetiuisset, regnum recepit, & tandem Popponis episcopi opera ad religionis cultū Danos traduxit, Olauum Noruagiorum regem uicit, annis uitæq; sanctimonia grauis placidiss. morte expirauit. Saxo lib. 10.

SVENO Vluonis Sueci F. Canuti II. Danorum regis nepos ex Estritha sorore, Angliæ rex, mortuo Canuto III. consobrino, Daniæ regnum occupare studens, à Magno Noruagiorum rege eiectus, Angliæ etiam regnum amisit, scelere Haraldi consobrini, Godeuini F. quem regno præfecerat. Cæterùm Magno, dū uictoriā persequitur, equi lapsu occiso, Sueno profugus & exul regnum recepit. Mox uerò ab Haraldo, Magni patruo, armis bis uictus, cùm de summa rerum laboraret, Haraldus ad occupandum Angliæ regnū contra Haraldum Godouini F. excitus, ab Anglis cæsus est, grauiq; æmulo liberatus Sueno in pace cōsenuit. Saxo li. 11.

Haquinus Noruegiæ rex, Olao filio impuberi testamento matrem Margaritam tutricem reliquit: & ante pubertatem filio decedente, Margaritæ ipsi regnum. Ipsa uirtute insignis femina, inter excellentes belli duces referenda, aduersus Albertum Megapolensem ducem armis regnum egregiè defendit, belloq; superatum hostem in triumphū duxit. Mortuo Olao filio, regni successorem HENRICVM cōstituit, Pomeraniæ ducem uicinum. Is cùm in Noruegia, Suecia, Daciaq; annos quinq; & quinquaginta regnasset, quo tempore senium se per quietem traductarum arbitrabatur, à Christophoro Bauariæ duce regno pulsus est, sola ei Gothica insula concessa. Sed postea mortuo Christophoro, cui Carolus successisset, intra breue tempus, ipsa quoq; pusilla insula, ubi exulare magis quàm regnare dici poterat, Henrico ademta est, qui iam decrepitus in Pomeraniam miseranda dum in modum redire coactus fuit. Neq; uerò CAROLO fortuna certior fuit. Nam cùm aduersus Deū hominesq; impiè se gereret, Ioannis episcopi opera cōcitatis ad arma populis, ipse quoq; in exilio, in paruā fluminis Vistelli insulā pulsus fuit, in qua diē suū miserè obiuit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

EDOVARDVS III. Anglorū rex quadraginta annos beatissimus fuit. Ioannem Gallorum regem cepit. Reliquo autem grauem fortunæ commutationem sensit. Polyd. lib. 19.

Indignatio uehemens Britannos populos cæperat, quòd Ricardus II. cum Carolo VI. Gallorum rege pacē atq; affinitatē iūxerat: cùm antè ipse ob eā suspicionē patruū ducem Glocestrensem interemisset, & filiū HENRICI IIII. Derbicensem comitem, fratrē patruelē, Parisios relegasset. Post aūt aliquot annos, cùm Ricardus parata classe aduersus Irlandenses nauigaturus esset, Londinēsis populus ad se Hēricum IIII. uocauit, coniunctisq; uiribus, utrique arma in Ricardum mouerunt. Cùm omnes eū deseruissent, Londinum deductus, cùm iudiciū de eo ritè actū fuisset, indignus regno iudicatus est, atq; corā eo ipsius magistratus occisi. Eo metu impulsus, regia ueste atq; diademate ornatē, cùm palā per contumeliā nothum se, atq; sacerdotis filium appellari audiret, Henrico regnū tradidit, imposito ei manu sua regio ornatu, quem ipse duos & uiginti iam annos gesserat. Ita exauctoratus, & in carcere conditus, mortem obiuit. Henricus autem confirmatis cum Gallorum rege induciis, de exule rex ob eam ipsam causam factus est, propter quam Ricardus regno pulsus fuerat. Fulg. lib. 6. cap. 11.

HENRICVS VI. Anglorum rex cùm duodecimum annum non excederet, patri Henrico quinto successit. Britannicis autem populis per discordiam ad arma compulsis, ipse in prælio à Varuicēse comite captus fuit. Sed haud lōgè pòst, apud sanctum Albanum à regina Henrici coniuge amicisq; eius superato Varuicense, liberatus est. Cæterùm cùm ad Londinum urbem Henricus cum uictore exercitu ueniret, Londinensi populo seditione agitato, cui Varuicensis ac Marchiæ comites opem tulerant, iterum Henricus prælio superatus capitur, regnumq; ad Marchiæ comitem, postea Eduardum IIII. nūcupatum, defertur. Post duodecimū rursus annum, Varuicensis Eduardum odisse cœpit, coniunctoq; Georgio Clarenensi comite, Eduardi fratre, Henricū liberauit, atq; in regno restituit. Eduardus in Belgicam fugiens Caroli Burgundi sororij auxiliis, post sex menses reuersus, Henricum cepit, atq; in carcere interemit. Ibidem.

SANCTIVS II. Castulonensis rex cum ingentibus copiis fratrem GARSIAM, Galliciæ atq; Portugalliæ (Lusitaniæ enim portio est) regem obsedisset: is in rerum desperatione, ab urbe eruptione facta, prælio Sanctium superauit. Interim aūt, dum Garsias fugientes insequitur, Aluarius Haucz Sanctiū ab hoste recepit: & cùm ei Rodericus Biuar cognomento Cidus se coniunxisset, statim prælij mutata fortuna, ambo ex uictore Garsiā captiuum fecerūt. Inde cùm se hoc fortunæ successu Sanctius in alium fratrem ALFONSVM Legionensem regem conuertisset, cōserta manu superatus est. Per noctem aūt collectis copiarum suarum reliquiis, fratrem Alphonsum ob uictoriam securè agentem cœpit. Cæterùm instaurato ualidius à Legionensibus exercitu, cùm iterum pugnasset, nouo prælio fusus Sanctius, ducebatur captiuus: nisi fortè Cidus superueniens, denuò ex hostium manibus eum recepisset, & cum Legionensibus egisset, ut Alphonso, ipsorum rege liberato, Sanctium liberè dimitterent. Ita paruo temporis momento, Sanctius bis dominus eorum euasit, à quibus captus fuerat. Ibidem.

PETRVS Alphonsi II. filius, ob uitia regno pulsus est, atque Henricus frater nothus ei suffectus. Bononiā ad Galeranū principem Eduardi III. Britannici regis filium se recepit. Eius ope adiutus Henricum eiecit: qui in Aragoniā se contulit, unde priùs exul ad capiendum regnum uocatus uenerat. Cæterùm ægrè ferentibus Gallis, Petrum Britannorum armis restitutum: Beliramis Elaquignius, Galliæ magnus Comestabilis (quæ post regem suprema dignitas est) Henrici causam suscepit, & Petrum in arce Mōteila obsedit. Cùm autem ultrà resistere posse desperaret, duplex ab eo casu fama manauit. Alij ferunt noctu accepta fide, ad Beliramī tētorium uenisse: alij profugum ab arce, in hostium manus incidisse. Illud constat, in tentorio Belirami ab Hērico fratre, qui tunc fortè illic erat, interemtum fuisse. Ibidem.

Tradidit Ferdinādus senior regnū per manus ALPHONSO iuniori. Is eodem anno, quo regnare cœpit, Gallorum metu regnum Ferdinādo filio reliquit. Galli, qui Caroli VIII. ductu bellum intulerant, Ferdinando eiecto, omnia occupāt. Carolo abeunte, intra annum Ferdinandus Neapolim cū regno recepit, receptū moriēs Federico patruo tradidit habēs;

habendum. Is à Ludouico XII. rege, qui Carolo successit, pellitur. Galli demùm ab Hispanis, qui ex fœdere in regni partem uenerant, non uno prælio uicti, Caieta nouissimè deiiciuntur. Et per hæc fortunæ uolumina penè plures numerantur reges, quàm anni, à maioris Ferdinandi interitu ad Hispanorum victoriam. Quæ rerum inconstantia fecit etiam illud in ore multorum, Esse Neapolitanum regnum asino perquàm simile, qui clitella cum sarcinis deiecta sistit cursum, & agasonem respicit, onus iterum subituras. Sabel. lib.7. cap.8.

FRANCISCVS Carrariensis iunior, à Galeacio Vicecomite, Patauino principatu deiectus, patre eius in uinculis posito, cùm in Germania aliena ope uictum quæreret: mutatis rebus, ut sæpè, Venetorum Florentinorumq; armis adiutus, Patauinum principatum recepit, eiq; etiam Veronam addidit. Qua felicitate non contentus, cùm pro more humani ingenij maiora etiam parare cuperet, molitus Vincentiam Venetis adimere, prælio superatus & captus, uniuersa quæ possidebat amisit: deductusq; Venetias cum duobus ex liberis, quos habebat, unà cum eis miserandum in modum strangulatus est, Salutis anno 406. supra mille. Fulgosus libro sexto, capite undecimo.

CORSVS Donatus, ciuis Florentinus, qui & opibus & amicorum numero in patria plurimũ poterat, ciuilibus discordiis in exiliũ pulsus, tandem Caroli Senzaterræ opera, qui eum ad Pontificem miserat, ut urbem Florentiam pacaret, in patriam restitutus est. Illic Nigræ parti adiunctus, Candidam eiecit: neq; Nigrorum solùm, sed totius urbis princeps habebatur, præsertim posteaquam Hugutionis Fagiolani, Pisani principis, filiã duxit uxorem. Quamobrem populo in suspicionem uenit, tanquam tyrannidem in urbe affectaret. Furens igitur populus, libertatis uexillo arrepto, Corsi ædes oppugnare cœpit. Ipse frustra conatus se armis tueri, clàm in equum conscendit: & cùm milites quidam insequerentur, ab equo delapsus, & stapede tractus, periit, sine ullo honore tumulatus. Fulg. lib. 6. cap. 11. & Sabell. lib.7. cap. 8.

HVGOLINVS Girardescus ciuis Pisanus, Guelfarum partiũ princeps, initio cõtraria factione partim pulsa, partim perculsa, cò potentiæ domi peruenerat, ut pro nutu omnia administraret, patriæq; dominus & esset, & haberetur. In festo frequentiq; natalis sui celebrandi conuiuio, ad quod suos omnes inuitarat adhibueratq;: dum fortunam suam ipse fando effert, admiratur, cœloq; æquat: ausus est quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem abesse uideretur, interrogare. Ille uel reputatione rerum humanarum, quàm fluxi, fallaciq; specie, quàm uolucri orbe circumagantur: uel mente diuinitùs admonita, Sola, inquit, ira Numinis procul diuq; abesse à tam secundis reb. non potest. Et necesse erat congesta in unum hominem nondum alterã fortunam expertum bona, excipi calamitate ingenti. Guelforum uiribus consenescentibus, Gibellini ductu Rogerij Vbaldini archiepiscopi Pisani armis correptis ædes eius circunsistunt, oppugnant: unum è filiis, unumque nepotum, uim arcere conatos, occidunt: ipsum & duos præterea filios, tres nepotes comprehensos in turrim inclusere obseratis foribus, clauibusq; in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame in oculis, in gremio suo carissima pignora parens moriens morientia uidit. Vociferanti, exposcentiq;, ut suppliciis humanis exigendis inimici contenti essent, sacræ confessionis sacrosanctiq; uiatici potestas facta nõ est. Hæc inhumanitas partes Gibellinorum magis inuisas effecit. Circa annum 1288. Aemil. lib. 8. Platina in Nicolao III.

PAVLVS Guinisius, ex priuato ciue, patriæ suæ Lucæ factus tyrannus, inter opulentissimos Italiæ principes habitus est. Cùm bello tota Italia ardoret, is in summa pace ac rerum suarum quiete uersabatur. Triginta iam annos Lucæ rerum potitus, cùm liberos a dultos haberet, militari arte præstantes, ad omnes fortunæ casus satis se munitum tutumq; arbitrabatur, cùm repentè à populo Florentino bellum est illatum. Sed cùm subsidio ei Philippus Mediolanensis dux Franciscum Sfortiam misisset, orta suspicione, tanquam cũ populo Florentino Paulus de uendenda ei Luca ageret, captus à Francisco cum liberis ac fortunis, Mediolanum missus, in arce Modœciensi, tetro carcere conditus, miserè uitã finiuit. Filij quoq, tandem liberati, uitam per omnia extrema traxerunt. Aurum quod Venetiis à Paulo, cùm felix esset, ut ad grauiores casus subsidio foret, depositum erat, Veneti inuaserunt: quia quibusdam in rebus à Paulo uiola tam fidem esse criminabantur. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Anno 1507. BENTIVOLI, Bononia, ubi imperauerant, Iulij II. Pp. armis exacti sunt, nec Mediolanensis imperij (quod tum Gallie rex Ludouicus XII. obtinebat) ulla in parte uersari permissi. Ioannes animi mœrore obiit, fortunæ acerbitatem ferre minimè assuetus, cùm priùs diu omnium Italiæ tyrannorum felicissimus, ac secundo aspirantis fortunæ flatu exemplũ extitisset. Quoniã quadraginta annorũ spacio, quo Bononiæ ad arbitrũ suum regnauit, nunquã alicuius ex suis obitũ, nedum aliud, senserat: semper tũ ipse, tum filij militiæ gradibus, stipendiis, & maximis honoribus ab omnib. Italiæ principib. affectus: semperq; se omnibus rebus, à quibus periculũ sibi imminere uidebatur, facillimè liberauerat. Quã felicitatem, præter eius urbis situs opportunitatẽ, fortunæ præcipuè acceptã ferre debuit, cùm communi hominũ iudicio, nec ingẽnij, nec prudentiæ, nec præstantis fortitudinis ei laus tribueretur. Guicciard. lib.7.

CÆSAR Borgias, dux Valentinus, Alexandri VI. Pp. F. post patris obitũ, ad tantã calamitatẽ redactus est, ut quoduis periculosum consiliũ sequi, seq; aliis submittere cogeretur. Tãdem à Iulio II. Pp. captus, & in Vaticano asseruatus est. Mox etiam in Hispania carceri inclusus. Tãdem anno 1506. subtili artificio è Medinæ campestris arce fune delapsus, in Nauarræ regnũ ad Ioannem regẽ, coniugis suæ fratrẽ, confugit: ubi aliquot annos in sorte satis humili (quia Galliæ rex, qui priùs Valentiæ ducatũ fisco suo addixerat, eũq; uiginti millium Francicorũ pensione, quã ei ad promissæ pensionis supplementũ destinauerat, priuarat: ne Aragoniæ regi Ferdinando rem ingratã faceret, in Galliam ire non est passus) commoratus, tandem dum cum regis Nauarræ copiis, quæ ad Vianã, eius regni ignobile castellum, castra habebant, esset, cum hostibus qui ex insidiis prodierant pugnans, hastæ ictu occisus fuit. Guicciard. lib. 6. & 7.

LVDOVICVS Aurelianensis dux, in pugna aduersus regem Galliæ captus, & in carcere custoditus ad supplicium, à Carolo VIII. rege, contra omnium opinionem absolutus, & equo impositus, in regiam deducitur. Nec multos post annos Carolo absque liberis decedente, Galliarum rex XII. creatus fuit, uno patrum ac procerum consensu. Pontanus lib. 2. de Fortuna, cap. 2.

LVDOVICVS Sfortia ducibus patre, auo ac proauo ortus, ab exilio reuersus (nam mortuo Galeacio fratre, cedere patrio solo coactus fuerat) suscepta nepotis tutela, Mediolanensis rei moderamen obtinuit: bello, quo Florentinus populus Sixti IIII. pontificis, ac Ferdinandi regis Neapolitani armis premebatur, finem fecit. Ferdinandum occupata à Turcis regni parte, grandi pecunia iuuit. Robertum Sanseuerinum in administranda Mediolanensi re honoris participem, finibus expulit. Parmensis agri principes, qui cum Venetis sentiebant, debellauit. Ferrariã contra Venetorum arma defendit. Illatum Mediolanensi agro à Venetis bellũ, in ipsorũ uiscera trãstulit. Laborãtem Ferdinãdum principũ suorum rebellione, in regnum armis asseruit. De Boccalini tyrãni manibus urbem Auximum ereptã, Ecclesiæ restituit. Genuã, quæ sub Bona Galeacij coniuge defecerat, imperiũ agnoscere compulit. Alexãdri VI. pontificis inopiã (nã parando pontificatu omniũ egens factus fuerat) gratuita pecunia, atq; ea ingenti sustentauit. Carolo Sabaudię duci, ut principatus sui proceres ad officiũ cogeret, auxilio fuit: ac postea Ludouicũ Salucienſem marchionẽ patria extorrẽ, restituit. Blancã neptem, Maximiliano Romanorum regi, matrimonio iunxit. Carolo IIX. Gallorum regi ad Neapolitanã expeditionem, cùm odia cum Aragonio Ferdinãdo atq; eius filio Alphonso intercederent, & pecuniã & arma dedit. Redeuntẽ confectã expeditione, quia suspectus erat factus, unà cum Venetis prohibere conatus, ad Tarrum amnem, in Parmensi agro, non sine suorum clade pugnauit: & cùm antè Hastã urbem Aurelianensi duci eripere tentasset, ipse Nouariã amisit: ac demùm confecta cum Gallis pace, recepit. Non contentus titulo regendæ nepotis adolescentię, Dux à Romanorum rege creatus est. Omnia autem quę in uita optare poterat, assecutus, ea momento penè amisit. Mutata enim fortuna, quòd dum ad recipiendas Pisas Florentinum populum, ueterem quidem amicum, sed tũc nullo fœdere coniunctum, iuuare contendit, Venetos fœderatos parum cautè læserat: Ludouici XII. Gallorum regis, & Venetorum ipsorum bello, diuersis partibus, eodem tempore petitus, partum patris uirtute Mediolanensem ducatum, cùm neq; milites, neq; pecunia deesset, Alexandro põtifice simul annitente, intrã XVI. diem amisit: cùm interim è tanto eorum numero, quos ipse in periculo seruauerat, nullus opem ferret, & domestici, quos in magnam fortunã extulerat, eum prodidissent. Ex Germania quinto mense pòst reuersus, cùm Nouariam de Gallorum manibus magna uirtute recepisset, defertus à suis, & in Galliam perductus: non se solùm atq; Ascanium fratrem Cardinalem cãptiuum uidit, sed insultantium quoq; inimicorum, quorũ ipse uitæ necisq; potestatem habuerat, contumelias ac iurgia coràm pertulit. Cuius ut fortuna grauior fieret, cùm postea spes aliqua liberato Ascanio fulgere uisa esset, Romæ ad cumulandas ærumnas decessisse eum audiuit. Fulg. lib. 6. cap. 11. & Sab. lib. 7. cap. 8.

CAROLVS V. ob prudentiam uel magnis Imperatoribus cõparandus, nisi cùm fortunã ad extremum destituisset, quæ eius uirtuti perpetua comes antea fuisse putabatur. Hanc fortunæ mutationem cùm uir prudentissimus ipse sentiret, sese maturè satis atq; honestè à negotiis omnibus retraxit, & contulit in portum. Ex illo namq; tempore quo Mauricius Saxo cum sociis tumultu Germanico eò Cæsarem adegit, ut Ioannem Fridericum Saxonam, & Lantgrauium principes è custodia liberos emitteret: & proscriptos plerosque tum principes, tum alios belli duces ad sua postliminiò redire augusta auctoritate permitteret, eius auctoritatis magna facta est diminutio. Nam & ipse eo tumultu uitandi periculi causa se Vilachum (quod Vacorium quidam olim fuisse uolunt, alij Iulium Carnicum) receperat: pòst etiam redintegratis uiribus ingenti exercitu tentauerat Metim: unde cùm nihil effici posse cerneret, tertia exercitus parte morbis inediaq; amissa, sese intra Belgas suos, inde bienio ferè pòst in Hispaniam recepit: ubi uitam cum morte apud Sanctum Iustum commutauit, tam in morte humilis, quàm in uita gloriosus. Sab. supplem. lib. 29.

Reginæ uariis casibus agitatæ.

Fuit IEZABEL Ionabalis Tyri atque Sydoniæ regis filia, Achabi coniux, qui in Samaria regnabat, ac Iorami mater, perpetuo uitæ decursu felix. Tandem amisso marito, ab Iehu, qui ab ea rebellauerat, filio regnoque simul priuata, ex alta turri præceps data: corpus eius equorum pedibus contritum, in escam canibus obiectum, ut requisito ad sepultuam corpore nihil præter manuum digitos fuerit inuetum. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Alexander Antipatri F. studens cos è medio tollere qui res nouas agitare possent, inuitauit familiares occisorum ab OLYMPIADE Alexandri Magni, ut in communi Macedonum concione feminam accusarent. Qui cùm mandata executi fuissent, & Olympias nec adesset, nec patronos haberet, Macedones eam capitis damnarunt. At Cassander missis amicorum quibusdam ad Olympiadem, cõsulit, ut clàm fugiat, promittens ei se nauem paraturum, quæ eam Athenis deportaret. Id autem faciebat, non ut illius saluti consuleret, sed ut cùm ipsa seipsam fugæ damnasset, & in nauigatione periisset, iustas dedisse pœnas uideretur. Verùm cum fugituram se negaret Olympias, cõtraq; parata foret apud omnes Macedones causam dicere: Cassander ueritus, ne fortè plebs reginam causam dicentem audiens, & Alexandri Philippiq; collata in uniuersam gentem beneficia recordans, pœnitentia duceretur, CC. milites ad eam rem accõmodatissimos, misit ad eam, cum mandatis, ut eam extemplò necarent. Hi cùm in regiam domum irrupissent, ut uiderunt Olympiadem, eius dignitatẽ reueriti, infecta re discesserunt. At necatorum consanguinei, tum ut Cassandro gratificarentur, tum ut defunctis parentarent, reginam iugularunt, nullas molles & muliebres preces fundentem. Igitur Olympias, quæ maximam suo tempore dignitatem habuerat, & filia erat Neoptolemi regis Epirotarum, & soror Alexandri, eius qui regnauit, & in Italiam expeditionem fecit, præterea uxor Philippi, qui omnes qui ante ipsum in Europa imperarunt potestate superauit, & mater Alexandri, qui plurima maximaq; gessit, hũc exitũ fortita est. Diod. lib. 10.

ADELETA nupserat uirgo adhuc Lothario Imperatori, qui Veneti Veneti nominis amicissimus fuit. Eo defuncto, Berengarius, qui Veronæ Imperator declaratus fuerat, Adeletam in Gardensem arcem, unde nobilissimus Italiæ lacus nomen nunc habet, relegauit: ubi ad id inopiæ redacta est, ut emendicato per interruncium cibo calamitosam tueretur uitam. Ergo clàm ex Garda profecta, ad Aleardum Veronæ antistitem se contulit. Is quia locum ubi tam illustris femina latére posset non habebat, eam ad Accionem auunculum suum, quondam Lotharij amicum, clandestinè misit: cuius opera tam diu in suburbano quodam ad decimũ lapidem latuit, quoad Othoni primo, uno Accione auspice, nupsit. Otho illam in Germaniam duxit, habuitq; ex ea filium, qui Otho secundus est postea cognominatus. Is Berengarij & Alberti eius filij opes non tregit solùm, sed euertit etiam: stabilitoq; iam imperio, matre Adeleta annitente, cum Venetis, quibus ob Candiani ducis mortem iratus erat, rediit in gratiam. Sab. lib. 4. Dec. 1.

Athanagildi Gothi Hispaniarum regis filia, Sigiberti Metensis regis uxor, ex Ariana catholica facta & mutato nomine Brunculsch BRVNECHILDA dicta, uiro à fratre eius Childerico Gallorum rege occiso, ipsa in exilium acta fuit. Cùm autem clàm Meroueo Childerici filio nupsisset, Meroueus cùm patris, à quo captus erat, iram ferre non posset, sibiipsi manus intulit. Post aliquod tempus, cùm Childericum, qui in regno Metensi patri successerat, accepisset mortuum esse: magno labore assecuta est, ut ad regendam nepotum Theodeberti atq; Theoderici infirmam ætatem proficisci posset. Quibus, liberisq; eorum mortuis, à Clothario secundo, qui ad se unum Gallicarum rerum summã traxerat, regno priuata, nudaq; nudo ac macilento equo imposita, per tota castra spectãda circumducta, pedibus equo alligata, per saxa, per uepres ac dumeta tracta, dilaniataq; crudelem modum, expirauit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

Mortuo Ludouico Vngariæ rege, MARIA eius filia, regni hęres, sub matris Elizabethæ tutela regebatur: rexque, & non regina, gentis illius more nuncupabatur. Neapolitanus rex Carolus, qui eo nomine postremus fuit, Mariæ patruus, à multis Vngarici regni proceribus uocatus, cùm ad eius regni fines cum ualido exercitu uenisset, etsi quo animo uenerat (quamuis ipse propinquitatis benuolentiam prætenderet) reginas non latebat: tamen quia resistendi facultas nulla erat, exceptus fuit, primò sub gubernatoris illius regni nomine: deinde cùm deteriora impendere uiderentur, ut ipsarum reginarum postulatione Vngariæ regno coronaretur. Non multo pòst in inferiorem arcis partem, ubi reginæ habitabant, uocatus, Elizabethæ consilio, in caput lethale uulnus accepit: infusoq; uulneri ueneno, cùm prætterea in carcere conditus esset, haud multo pòst animam egit, infantibus Ladislao & Ioanna secunda liberis Neapoli relictis. Ad hæc in Carolum patranda, reginas Pannonius eques iuuerat, qui gentis illius more, dum iter fit, armatus, sub ducendæ uxoris prætextu, ad eas iuerat. Per eum igitur reginæ tota arce potitæ, pristinam fortunam recuperasse uidebantur. Itaque cùm eo metu solutæ, Budam profectæ, in uisere regni fines uellent: Ioannes Horuath Banus (id præfecturæ nomen est) in eas impetum fecit. Cùm autem earum conspectu, omnibus qui Caroli neci interfuerant, caput ademtum fuisset, ipsæ conuiciis ingentibus oneratę, ad arcem, quæ in Ioannis potestate erat, deductæ fuerunt. Illic ab Elizabetha iureiurando multipliciter certior factus Ioannes, filiam Mariam conspirationis in Carolum factæ cõsciam non fuisse, eam in carcere asseruauit: Elizabetham autem, noctu in flumine submersit. Iam cùm eo ipso tempore, quo Carolus interemtus fuit, reginæ Sigismundum Marchionem Brandeburgensem, quòd ei Maria desponsata fuerat, uocauissent, is iam ad regni fines uenerat. Quamobrem territus Ioannes Horuath, cùm Mariam reginam sacramento adegisset, ut omnem iniuriam remitteret, ad uirum eam dimisit. Verùm à Sigismundo ea in arce, quam tenebat, obsessus, captusq;, in magnis cruciatibus mortem obiit. Maria Augustæ nomen adepta, quàm uarij sint fortunę casus, & quàm etiam in miseris rebus spes tamen haberi possit, exemplo mortalibus extitit Fulg. lib. 6. cap. 1.

ELISABELLÆ Aragoniæ quid maius ad honestandos natales dari potuit, quàm ut magnorum regum filia, neptis atque proneptis, fratrem, ac mox etiam patruum Neapolitani regni possessores uiderent? quàm ut ipsa auunculi filio Galeacio, Mediolanensi duci, in ætatis flore nuberet? Eadem tamen aui regnum, puella, Turcarum armis infestum, in summo discrimine uersari uidit: matrem ante nubiles annos amisit: ipsa cum uiro ceu pupilli grauiùs quàm sub tutore tenebantur: auo à Gallorum rege Carolo VIII. inferri arma uidit: belli formidine è bona mente depulsum patrem à regno profugum, & fratrem à patre successorem regni factum, inimicorum armis cinctum audiuit. Grauissima hæc fuerũt. Sed quid, quòd postea frater recuperato regno, in ipso flore ætatis ereptus est? & patruus, qui fratri successerat, Gallicis armis tunc regno depulsus est, cùm rebus cõpositis se quietum regni possessorem fore putaret? Hinc uiro orbata, filium in paterni ducatus successione præteriri, & se ipsius iure priuari uidit: ac deinde sibi Ludouici Sforciæ auunculi manu extorto Mediolanensi ducatu, dotem adimi, filium quoque ipsum in Galliam, apud exteras gentes in custodiam duci. Ipsa in Neapolitanũ regnum profecta, Barienſem ducatum, alias quoque nonnullas urbes adepta, principatus umbram aliquam retinere uisa est. Fulgosus libro 6. cap. 11.

Duces uariis obnoxij casibus.

ALCIBIADEM Athenienſem, quasi duæ fortunæ partitæ sunt: altera, quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam præstantissimam, fauorem ciuium propensum, summa imperia, præcipuas potentiæ uires, flagrãtissimum ingenium assignaret: altera, quæ damnationem, exilium, uenditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, uiolentam mortem infligeret: nec aut hæc, aut illa uniuersa: sed uaria, perplexa, freto atque æstui simillima. Valerius Maximus lib. 6. cap. 11.

DION Hipparini filius, in exilium missus à Dionysio, cum bis mille militibus eum rursus expugnauit: effecitq; ut in quo statu ipse fuisset antea, in eum iam suæ calamitatis auctorẽ detruderet. Sed felicitate ea parum diuturna existente, à cõiuratis, quibus ipse libertatem dederat, trucidatus est. Aelianus lib. 4. de Varia historia.

HANNIBALIS gesta sunt notissima, De eo Manilius:

Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Inuenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Niloq; admota tepenti.
Rursus ad Aethiopum populos, altosq; elephantes
Addit imperiis Hispania: Pyrenæum
Transilit: opposuit natura Alpemq;, niuemq;,
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen ultrà pergere tendit,
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media uexillum pono Suburra.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Cùm Gætula ducem portaret bellua luscum.
Exitus ergo quis est? ô gloria: uincitur idem
Nempe, & in exsilium præceps abit, atq; ibi magnus
Mirandusq; cliens sedet ad prætoria Regis,
Donec Bithyno libeat uigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladij, non saxa dabunt, non tela: sed ille
Cannarum uindex & tanti sanguinis ultor
Annulus. I demens, & sæuas curre per Alpes,
Vt pueris placeas, & declamatio fias.

Confirmat Silius lib. 2.

— Vagus exsul in orbe
Erabit toto, patriis proiectus ab oris,
Tergaq; uertentem trepidans Carthago uidebit.
Sæpe Saguntinis somno hic exterritus umbris,
Optabit cecidisse manu, ferroq; negato
Inuictus quondam Stygias bellator ad undas
Deformata feret liuenti membra ueneno.

CN. POMPEIVS potentissimus Romanorum est habitus, ita ut Agamemnon (quòd ipse quoq; mille nauibus imperasset) uocaretur. Verùm intra octo illos dies, quibus olim de Mithridate & piratis triumphauerat, iã à Cæsare uictus, in Aegyptum fugiens, per insidias obtruncatus est. Dion, & Plut. Ouidius lib. 4. de Ponto 3.

Quid fuerat Magno maius? tamen ille rogauit
Summissa fugiens uoce clientis opem.
Cuiq; uiro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.

Similiter Manilius lib. 4.

Quis te Niliaco periturum littore, Magne,
Post uictas Mithridatis opes, pelagusq; receptum,
Et tres emensos meritos ex orbe triumphos,
Cumq; etiam posses alium cognoscere Magnum,
Crederet, ut corpus sepeliret naufragus ignis,
Et collecta rogum facerent fragmenta carinæ?
Quis tantum mutare potest sine numine fati?

AVITVS Aruernensis ciuis & senator, à Maximo Valentiniani Imp. parricida lectus est magister militum, præfectus Galliæ prætorio. Visigothis amicissimus, cum eorũ rege Theoderico iuniore & Eurico fratre fœdus ad Tolosam percussit. Eorum auxilio apud Treuirim occiso Maximo, purpuram induit: & à Gallis, Senatu populoque Rom. Augustus declaratus, Romamq; profectus, cum Marciano Orientis Imp. fœdus iniit, & Pannonias amissas post multa secula Romano adiecit imperio. Mortuo Marciano, Leo Magnus Imperator Orientis, Maioranus Occidentis Cæsar salutatus est: qui Auitum uicit, uictum Placentiæ episcopum constituit, teste Gregorio Turonense libro 2. capite 11. Nicephorus libro 15. capite 11. ipsum post octauum Imperij mensem fame obiisse scribit.

Imperante Galieno, cùm CELSVS priuatam in Africa uitam ageret, ubi tribunus per aliquod tempus fuerat, ob insignẽ iustitiam uenerabilemque aspectum, Passieni opera, qui in Africa proconsul erat: item Pomponiani, qui fines Libycos tuebatur, ab exercitibus Imperator creatus fuit. Sed Galienæ opera, Galieni Imperatoris propinquæ, post septimum diem interfectus est, & corpus à canibus deuoratum. Fulgosus libro 6. cap. 10.

BELISARIVS, Iustiniani Imp. archistrategus, deuictis Persis, ultraq; Euphratis ripam deiectis, non multo pòst in Aphricam missus, Vandalos omnes elecit, Gilimeremque eorum regem cepit, deq; eo postmodum triumphauit. Hinc in Italiam exarchus missus, Gothicum omne nomen contudit, Romam libertate donauit: de Vitige Gothorum rege apud Rauennam capto, Gothisq; ipsis omni Italia pulsis triumphauit, omnibusq; in prouinciis maximè insignis semper extitit. Constantinopolim reuocatus, premente inuidia excæcatus, in Sophiæ templo panem mendicare quotidie coactus est: frequenter hac uoce usus, Panem Belisario date, quem uirtus extulit, inuidia oppressit. Egnat. lib. 6. cap. 10. & Pont. lib. 2. cap. 8. de Fort. domest.

CASTRVCIVS Castracanus Interminellensis Lucensium dux, urbe Luca pulsus per Guelfam factionem, in Gallia atque in Britannia aliquod tempus militauit. Inde Lucam reuersus, ubi rerum potiebatur Hugucio Fagiolanus, non Lucensium solùm, sed etiam Pisanorum princeps, Hugucioni, quia Gibellinæ factionis fautor Castracanus putabatur, suspectus, in uincula coniectus fuit. Cùm autem Hugucio Nerio filio imperasset, minimis quibusdam criminibus Castrucio obiectis, eum capite mulctare: Nerius uerò Pisas ad patrem scripsisset, Non posse id sine tumultu fieri, propter amicorum, quos Lucæ Castrucius habebat, multitudinem: Pisis Hugucio discedens, ut huius rei gratia Lucam peteret, uix ex urbis conspectu abierat, cùm populus Pisanus, clausis portis, arma arripuit, statimq; de eo Lucensem populum certiorem fecit. Lucenses quoq; ex composito arma capiunt, & urbis portas claudunt. Ita paruo momento Pisis atque Luca Hugucio exclusus, pulcerrimum principatum amisit. Cæterùm à Lucensibus per tumultum effracto carcere, Castrucius liberatus, ut uir præstans, & Hugucionis hostis, à Lucensibus princeps creatur, & à Ludouico Bauaro Imp. titulum Lucensium ducatus impetrat: cui haud longè pòst Pisas atq; Pistorium urbes addidit. Fortuna igitur principatum ademtum ei, qui Castrucium morti damnauerat, ad damnatum transtulit: & eum qui dominus fuerat, in exilium egit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

ANTONIVS Grimanus Venetus, cùm bello Turcico Imperatorem in Peloponneso ageret, & ingenti classe, nescio quo fato, Methonem oppidum, & reliqua continentis Græciæ castella amisisset, classisq; etiam Turcica incolumis abiisset: domum reuocatus, carceriq; inclusus, coactus est causam suam agere in maiori comitio: relegatusq; intra Dalmatiæ insulas, indicta pœna, si fines uiolasset. Cæterùm ille, quum aliquot dies priuatus omni dignitate ibi egisset, mox Romam ad filium Cardinalem transfugit: cuius opera adiutus, ab exilio reuocatur, dignitasq; illi procuratoria primùm restituitur. Hinc defuncto Lauretano principe, illi subrogatus fuit. Egnatius lib. 8. cap. 1.

VICTOR Pisanus Venetus, quum præclaras uictorias ex diuersis hostibus patriæ peperisset, patrisq; Nicolai nomine illustris maximè censeretur, Ligustico ad Clodiam bello uniuersæ maritimæ rei præficitur. Cùm in Polensi litore cum tota classe Ligurem hostem expectaret, uel præfectorum quorundam ignauia, uel fortunæ uarietate, uniuersam classem amisit, Venetiasq; cum paucis ueniens, carceri inclusus est. Mox Clodia amissa, totius populi uoto expetitus, è carcere eductus, classi uniuersæ præficitur, magna certaq; omnium spe præclari alicuius facinoris, nisi illum improuisa mors sustulisset. Egnatius lib. 6. cap. 10. & lib. 8. cap. 1.

FRANCISCVS Carmaniola, sic dictus ab oppido Allobrogum, in quo natus est rusticanis parentibus, militiam secutus, breui penes Philippum Mediolani principem primas obtinuit. Huius namq; ductu maximas uictorias ex diuersis hostibus adeptus est Philippus, Mediolanenseque auxit imperium. Non multo pòst, inuidia in illum graui exorta, propter Genuensium seditiones compositas, Philippus ita illum odisse cœpit, ut relicta Mediolani uxore, rebusq; omnibus suis neglectis, uix ad Venetos transfugerit. A' quibus benignè exceptus, imperatorq; copiarum ab eisdẽ dictus, præclaram uictoriam ad Maclodium, fuso profligatoque Philippi exercitu, consecutus, Brixiam Bergomumq;, Veneto nomini addidit. Cæterùm malo quodam suo fato, quũ ad Philippum inclinari cœpisset eius animus, proditionis conuictus, à Venetis supremo supplicio fuit affectus. Egnatius libro sexto, capite nono: & libro 3. capite 4. & Fulgosus lib. 3. cap. 4.

Hoc clarissimis ducibus fatale uidetur, ut in ultimo uitæ actu circumuenti inuidia, imminutaq; dignitate, in ipso contumeliæ dolore moriantur. Quid enim aliud quàm hic dolor CAROLVM Borbonium Gallum, atque PETRVM Nauarrum Hispanum præcipites egit: ut hic contra gentis suę nomen damna arma ferens, in carcere eius arcis, quam manu ceperat, miser interiret: ille uerò & suæ patriæ proditor scelestus, & communis impius euersor, Romã oppugnãs, in limine diri facinoris pœnas daret? Iou. in Cõsaluo.

IOANNES Iacobus Triultius Mediolanensis, Francisco Sfortiæ principi Insubrum carissimus, Galeacio Francisci filio etiam amicus fuit. Post Galeacij mortem inter primos imperij administratores adhibitus à Bona Galeacij uidua, à Ludouico Sfortia exercitui præfectus, res maximas gessit. Hinc ubi à Ludouici gratia excidit, solum exilio uertit: ad Ferdinandum Aragonium confugiens, honestissimum locum obtinuit. A Carolo VIII. Gallorum rege, qui regnum Neapolitanum occuparat, uirtutis ergò susceptus, Gallis reditum per infestissimas Italiæ gentes sua prudentia patefecit. A Ludouico XII. Mediolanensem ducatum subiecit, Ludouicum Sfortiam cepit: atque adeò in patriam reuersus, eorum possessor est factus, quæ ab iis parata fuerant, quorum opera ipse patria caruerat. Sabellicus libro 7. capite 8. Exemplorum.

Consu-

Consules uariis casibus agitati.

CN. CORNELIVS Scipio Asina, Coss. à Pœnis apud Liparas captus, cùm belli iure omnia perdidisset, lætiore fortunæ uultu adiutus cuncta recuperauit, consul etiam iterum creatus. Quis crederet, illum à duodecim securibus ad Carthaginensium penuenire cathenas? quis rursus existimaret à Punicis uinculis ad summa imperij peruẽturum fastigia? Sed tamen ex consule captiuus, & ex captiuo consul factus est. Valerius Max. lib. 6. cap. 11.

L. LENTVLVS consularis, lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus, Censor cum L. Censorino creatus est. Quem quidem fortuna inter ornamenta & dedecora alterna uice uersauit, consulatui illius damnationem, damnationi censuram subiiciendo: & neque bonis eum perpetuis frui, nec malis æternis ingemiscere patiendo. Val. lib. 6. cap. 11.

M. CRASSVS Rom. omnium ditissimus idem & propter auaritiam infelicissimus. De eo Ouidius lib. 6. Fastorum:

Crassus ad Euphraten aquilas, natumq; suosq;
Perdidit, & letho est ultimus ipse datus.

Item Lucanus lib. 1.

— miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculauit sanguine Carras.

Ouidius lib. 4. de Ponto 3.

Diuitis audita est cui non opulentia Cræsi?
Nempe tamen uitam captus ab hoste tulit.

C. MARIVS maximæ fortunæ luctatio est. Omnes enim eius impetus tam corporis quàm animi robore fortissimè sustinuit. Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, quęsturam Romæ petere ausus est: patientia deinde repulsarum, irrupit magis in curiam, quàm uenit. In tribunatus quoq; & ædilitatis petitione consimilem campi notam expertus, prętura candidatus supremo loco inhæsit, quam tamen non sine periculo obtinuit. Ambitus enim accusatus, uix atque ægrè absolutionem à iudicibus impetrauit. Ex illo Mario, tam humili Arpinate, tam ignobili Romæ, tamq; fastidiendo candidato, ille Marius euasit, qui Africam subegit, Iugurtham regem ante currum egit: qui Teutonicorũ Cymbrorumque exercitus deleuit: cuius bina trophæa in urbe spectantur: cuius in fastis consulatus septem leguntur: cui post exilium consulem creari, proscriptoq; facere proscriptionem contigit. Quid huius conditione inconstantius, aut mutabilius? quẽ si inter miseros posueris, miserrimus: si inter felices, felicissimus reperietur. Val. lib. 6. cap. 11. Sic de eo Ouidius 4. de Ponto 3.

Ille Iugurthino clarus Cimbroq; triumpho,
Quo uictrix toties Consule Roma fuit,
In cœno Marius iacuit, cannaq; palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda uiro.

Item Iuuenalis satyra 10.

Exsilium & carcer, Minturnarumq; paludes,
Et mendicatus uicta Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo ciue tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circum ducto captiuorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Cùm de Teutonico uellet descendere curru?

Et Lucanus lib. 2.

Cùm post Teutonicos uictor Libycosq; triumphos
Exsul limosa Marius caput abdidit ulua,
Stagna auidi texere soli laxæq; paludes
Depositum Fortuna tuum: mox uincula ferri
Exedere senem, longusq; in carcere pædor. Et

rursus: —— idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, uacuisq; mapalibus actus,
Nuda triumphalis iacuit per regna Iugurthæ,
Et Pœnos pressit cineres, solatia fati
Carthago, Mariusq; tulit. –
Septimus exequitur repetitis fascibus annus:

Mox. Ille fuit uitæ Mario modus, omnia passo
Quæ peior fortuna potest, atq; omnibus uso
Quæ melior, mensoq; homini quid fata pararent.

De eodem Manilius:

Et Cimbrum in Mario, Mariumq; in carcere uictum:
Quòd Consul toties, exsulq; ex exsule Consul,
Et iacuit Libycis compar iactura ruinis,
Atq; crepidinibus cepit Carthaginis orbem.
Hoc, nisi fata darent, unquam fortuna tulisset?

SEIANVS à Tiberio in consulatu collega ascitus, magnis laudibus à Cæsare, & ab omni populo affectus, cùm superbiens multa contra imperij dignitatem perpetrasset, à fortuna fluctuante in cinerem quasi cõiectus est. De eo sic scribit Dion lib. 58. Seiani casus, inquit, humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit, monetq; nusquam inflatè segerere. Quem enim ut præstantiorem se uniuersi ad curiam comitati fuêre, tunc quasi nequaquam se meliorem in carcerem rapuerunt: quem coronis antè dignati fuerant, ei tũ uincula induxerunt: quem tanquam dominum stipauerãt, eum fugitiui instar custodierunt, tegimenq; obuelanti sese detraxerunt, alapis ingestis: quem antè prætexta purpura ueste decorauerant, cui genua flexerant, ac ut deo sacrificauerant, eum tum ad mortem duxerunt. Populus quoq; irruens, multo ei clamore hos quibus mortem intulerat, exprobrauit, spes quas sibi propositas habuerat, ludibrio iactauit: omnes eius statuas deiecit, confiegit, raptauit, quasi ipsum ea contumelia multarent. Ita spectator eorum quæ passurus esset Scianus fuit, dum in carcerem coniicitur. Nulla interiecta mora, eadem die prope carcerem in ædem Cõcordiæ conuenit Senatus, ac morte eum damnarunt. Itaq; capite multatus, in Gemonias proiectus est, eumq; totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim milit: liberi eius ex Senatusconsulto necati sunt. Filia, quam pactus erat Claudij filio, constuprata priùs à carnifice: quasi impium esset uirginem in carcere perire. Decreuerunt, ut quoniam domino exonerati essent, nemo Seianum lugeret, ut Libertatis effigies in foro poneretur, festus dies ab omnibus magistratibus & Pontificibus (quod nunquam antè factũ) celebraretur: dies quo is pœnas morte dedisset, annuis Circensibus ludis & uenationibus per quatuor collegia Pontificum & Augusti sacerdotes ornandus indiceretur, ne hoc quidem priùs usitatum. Ita quem immodicis ac nouis honoribus ad perniciem prouexerant, in eum diis quoq; nouos cultus statuerunt.

Victores rursus infelices.

Huc etiam Tit. Victi victores, respectu Felicitatis inconstantia.

Post insanissimum bellum, pro mala muliercula tot annos gestũ, Troia funditus euersa est. GRÆCI uictores, aut in reditu perierũt, aut domi reperere pernicię. Erasm. in Adagijs.

Apud Chæroneam Athenienses cum Thebanis uicti perierũt: PHILIPPVS uictor protinus à Pausania sublatus est, iuxta Sibyllæ Erythreæ uaticinium, κλαύσει ὁ νικηθὲς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν: id est, Qui uicit perijt: plorant qui succubuere. Id quod in prouerbium abijt. Cuius meminit Georgius Gemistus in Hellanicis.

BOLESLAVS III. Polonorum rex, quadragies septies aperto marte dimicauit, semper uictor. Extremo prælio contra Russos ad Haliciam, hostium multitudine & Palatini cuiusdam fuga uictus est. Equus cui insidebat, multis uulneribus debilitatus concidit. Ibi miles quidam gregarius, subleuatum equo suo imposuit. Effugit quidẽ, sed paulo pòst præmœrore obijt. Cromerus lib. 6.

Consiliarij, Aulici, principum Amici, uarijs casibus agitati.

MACRINVS sub Commodo fuit uitæ sordidæ, & prostibulum appellatus, gladiator, uenator, tabellioq;. Sub Seuero remotus ab officijs, etiam miseterimis, & relegatus in Aphricam: ubi lectioni operam dedit & declamauit, ut infamiam damnationis tegeret. Sub Antonino uerò aduocatus fisci factus, patrocinante sibi Festo liberto, inde præfectus prætorij, ablegato collega, Antoninum Caracallam Imperatorem suum dolo interimi curauit, & sic imperium inuasit. Cuspinianus.

ABLABIVS humili genere ortus, ad dignitatẽ prætorio præfecti sub Constantino Magno euectus, tanquam pila quædam & ludus fortunæ, plus Imperatore posse uisus est. At mortuo Constantino, Cæsar Constantius imperium adeptus, ac sortem cuiq; fratrum suam partitus, obtinuit quicquid ab Illyrico ad Nisibin usq; extenditur: mox Ablabium imperio exuit, aliosque administratores surrogauit. Ille apud exstructam sibi olim in Bithynia uillam, locum regali otio & secessui dicatũ, substitit, cunctis admirantibus, quòd imperare nollet. Paulo pòst percussores non paucos submisit, iussis primis literas tradere, qui in genua procumbentes (qui mos apud Romanos inoleuit in salutando Imperatore) honorarias illi in manum dedêre literas. Ille magno fastu receptis tabulis, metu solutus omni, purpuram aduenas poposcit. At illi nihil se amplius in mandatis habere professi, pro foribus stare, quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt: quos ille insolenti atq; elato animo confestim accersi iussit. At hi iniecta manu uirum adorti, pro stola purpurea, necem illi purpuream obtulerunt, frustatim dissecto, in modum pecudis, quæ publico in epulo conciditur. Eunapius in Aedesio.

Theodosius Magnus RVFINVM multis honoribus extulit, in primis uerò cum Arcadio Augusto filio in insequentem annum consulem declarauit, licet Promoti magistri militiæ cla-

riæ clariss. nec uulgò infamem: quem iussu Theodosij in Thraciam contendentem per barbaros quosdam in insidiis constitutos dicebatur interfecisse. Qua impunitate elatus, postea in consulatu Tariano præfecto prætorij, & Proculo præfecto urbis iudicium intulit, atq; illi præfecturam, huic uitam iudicum sentẽtiis abstulit. Sigon. l. 9. Imp. occid.

EVTROPIVS eunuchus, Arcadij Imp. cubiculi præpositus, & cõsul designatus, potẽtia extraordinaria nixus, homo paganus, duo grauissima flagitia perpetrauit. Primum, quòd in contumeliam ecclesiæ edictum ab Arcadio extorsit, ut si quis ad ecclesiam cõfugeret, ab altari abreptus pœnas graiores persolueret: quæ lex à Ioanne Chrysostomo Constãtinopolitano episcopo ingenti animi magnitudine improbata est. Deinde, quòd in Eudoxiam Augustam sese contumeliosius gessit. Itaq; cùm propterea ad pœnam ab Arcadio quærereretur, impunitatis caussa ad templum se contulit, & contra legem à se promulgatam aram supplex amplexus est. Quam rem ubi Ioannes uidit, conscenso ambone, orare instituit, neq; tantùm sacinus inultum patiendum esse disserta admodum oratione contendit. Itaq; Eutropius honore consulatus spoliatus est, nomine eius ex Fastis exemto, statuæ & simulacra eius omnia abolita, & in Cyprum deportatus: mox grauiorum quoq; criminum compertus, capite pœnas dedit. Sigon. lib. 10. Imp. occid.

PETRVS Vinea Campanus, obscuro natus loco, sed doctrina atq; eloquentia, quantum ætas illa tulit, insignis, Federici II. Imp. arcanorum omnium particeps ac moderator. Cæterùm per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nuttimenta habet, atq; uirtutis perpetua est insectatrix, in suspicionem adductus, tanquam cum Pontifice Alexandro III sentiret (quo cum Federicus bellum gerebat) luminibus est priuatus. Cuius rei impatiens, atq; ob id in furorem conuersus, ad Sanctum Miniatum, quod Ethruriæ oppidum est, sibiipsi mortem consciuit. Fulg. lib. 6. cap. 11.

ENGERRANNVS Marinius, aulicorum intimus apud Philippum Pulcrum Francorum regem, maximas sibi opes gratia & obsequio comparauerat, opibus auctoritatem tantam, ut eius nutus non cæteri modò, sed & rex ipse in bellis suscipiendis & conficiendis uideretur obseruare. Mortuo Philippo, sub Ludouico Hutino peculatus reus actus, Caroli Valesij Comitis, regis patrui, insidiis circumuentus, & in crucem actus est. Aemilius lib. 8. & Fulg. libro 6. cap. 11. qui Enguerram Marignianum uocat.

IACOBVS Cor Bituricensis, qui apud Carolum VII. Gallorum regem summa quæque ob fidem & opulentiam poterat, tãdem criminis suspicione, quasi Agnetem Formosam regis concubinam ueneno è medio sustulisset, indicta caussa condemnatus, in exilium abiit. Claudius Sesselius in Historia Ludouici XII.

ALVARVS de Luna, Aragonensis spurius, cùm Ioanni regi Aragonię adeò se insinuasset, ut unus omnium regni regiq; que potens uideretur, Ioannemq; Nauarræ regem & Henricum magistrum militiæ sancti Iacobi, regnum gubernare conatos, armis deturbasset, postea tamen aduersante regina, è curia pulsus, aliquandiu priuatus uixit. Dum autem pristinam dignitatẽ recuperare conatur, regi clàm suadet, uti per speciem uenationis in saltus propinquos egrediatur, se illum potenti manu erepturum. Rex cum paucis egressus parum custoditus (nam Aluari iam penè nomen extinctum erat) ad insidiarum locum peruenit. Hic Aluarus interlectos exultans milites, liberum regem saluere dixit, eumq; secum abduxit. Qua re uulgata, confestim mira inclinatio regni facta est, & iterum ad Aluarum regni gubernatio deuoluta. Nec diu pòst cum Ioanne atq; Henrico atroci prælio commisso, uictoria penes Aluarum fuit. Henricus ex uulnere manus, quod in ea pugna receperat, mortẽ obiit. Magistratum eius Aluarus obtinuit, & aliquandiu postea regis pariter & regni moderator est habitus. Ad extremum cùm nobilem quendam iussu regis parum sibi grata nunciantem è fenestris præcipitasset, captus & securi percussus est. Aeneas Syluius cap. 47. Europæ, & Fulg. lib. 6. ca. 11. & Sab. lib. 7. cap. 8.

Iagello natu maximus Olgerdi Lituaniæ ducis, paterno principatu potitus est. Erat apud eum gratiosus in primis VOIDILO quispiam, rusticanæ & obscuræ sortis homo, callidus & impiger: qui cùm primùm in pistrino apud Olgerdũ se exercuisset, & industriâ suam probasset principi, cubicularius, ac deinde pocillator factus est, fuitque in intimis Olgerdi, quoad is uixit. Iagello insuper sororem ei suam in matrimonium collocauit. Quæ res non leuiter Keistutum patruũ eius offendit. Voidilo ab eo sibi metuens, criminari Keistutum apud Iagellonẽ instituit: eoq; cõsiliis suis iuuenem perpulit, ut is clàm fœdus cum Cruciferis Prussiensibus aduersus patruum iniret. Keistutus Vilnam cùm summo principatu Iagelloni ademit, Voidilonem in crucem egit. Tandem Iagello Keistutum & Vitoudum filium eius per speciem colloquij euocatos cœpit: Keistutum in carcere necauit: Vitoudus uerò Vilnæ in custodia diutius asseruatus, uxoris dolo liberatus est. Nam ea cùm liberam haberet commeandi ad uirum potestatem, nocte quadam commutato cum una de duabus pedissequis habitu, uestemulieberi indutum eduxit. Emissus ille, in Masouiam ad Ioannẽ ducem affinem suum, atq; inde in Prussiam ad Cruciferos confugit. Iagellò dominatu pacato potitus, Heduigim Ludouici Vngariæ regis F. uxorem duxit, baptisma, regnum Poloniæ, & Vladislai nomen suscepit. Cromerus lib. 14.

CICHVS Symoneta, honestis natalibus ortus, in Calabria, Francisci Sforciæ Mediolanensis ducis, & post eum Galeacij filij consiliorum in moderando imperio particeps, ob fidem egregiam, & opibus & honoribus plurimum auctus, quem locum apud Sforcianos principes patrem ac filium habuerat, incolumem etiam apud filij coniugem, illiusque filium tuebatur: eumq; diutius obtinuisset, nisi fortuna inuidisset. Eum enim, ceu scopulum, inter Galeacij fratres ac coniugem obiecit: & quia Cichus, ut uiduæ ducis ac pupilli saluti consuleret, Galeacij tres fratres, cum Roberto Sanseuerino, quorum magnitudo animusque iam formidolosus esse cœperat, in exiliũ egerat: Ludouicus ac Robertus, armis in patriam reuersi, cùm res suas cum Galeacij coniuge composuissent, in Cichum, femina duce permittente, seuierunt: direpta domo, populatis possessionibus, filiis per orbem terrarum sparsis: ipsum demùm post grauia tormẽta, senio iam confectum, neq; de dominis quos habuerat, neq; de populis aliqua in parte malè merentem, in Ticinẽsi arce securi percusserunt. Fulgosus lib. 6. capite 11. & Sabellicus libro 7. capite 8.

OTHO Crondorfer, obscuro loco natus, apud Rudolphum Palatinum Rheni cò dignitatis & gratiæ peruenerat, ut ad uicariam operam maximum secundùm principem honorem cuereretur. Qua auctoritate fretus, petulantius apud filium de matre locutus, discordiam inter eos excitare cœpit. Hanc ob causam utrumq; infensum habens, oculos & linguam procacem amisit. Auentin. lib. 2. Annal. Boiorum.

Serui.

HERMIAS eunuchus, Trapezuntij ciuis seruus, Athenas profectus est, ut studiis operam daret. Audito per aliquod tempus Platone, in Asiam cum domino reuersus, uirtute sua patriæ urbis Atarni imperium sibi peperit. Sed postea captus cùm in colloquium cum Memnone Rhodio uenisset, & Persarum regi traditus, suspendio uitam finiuit. Fulgosus lib. 6. capite 10.

Lusit in P. VENTIDIO fortuna, lusitq; ad derisum usq; mortalium, & uitæ huius ludibrium. Ventidius bis puer ductus in triumpho est: idemque primus Romanorum ducum de Parthis triumphauit. Et qui mulio fuit à principio, mox inopem iuuentam in caliga egit: dux factus, eam gentem bello fregit, quæ una omnium ad orientem solem Romanos fregerat conatus. Sabell. lib. 7. cap. 8.

BARBARIVS Philippus cùm seruus fugitiuus esset, Romæ præturam petiit, & Prætor designatus est: ait Vlpian. in l. 3. de Offic. præt. Suidæ autem de eo testimonium est huiusmodi. Magistratum, inquit, gessit sub Triumuiris (quos tres tyrannos appellat) homo blandis moribus, & qui ad Antonij gratiam præturam gessit. Eum autem purpuratum & in foro ius dicentem cùm dominus à quo profugerat agnouisset, à tergo accedens, & eum ueste prehendens, Salue, inquit: seruili eum suo nomine appellans. At ille hero facilè agnito perculsus, rogare eum cœpit ut taceret: domum autem productus, magna se pecunia redemit. Quod magno probro & dedecori Antonio fuit. Hotom. de Verbis iuris.

LOCORVM FELICITAS. VEL CONSTANS.

Lacedæmonij ut rerum sunt per totam Græciàm potiti, urbibusq; imposuerunt præsidia, princeps Epaminondas præsidium, quod Thebis erat, contrucidauit. Eo nomine armæ inferentibus Lacedæmoniis THEBANI ad Leuctra occurrerunt, auspicium loci secuti. Nam antè etiam ibi asseruerãt se in libertatem, quando ab Sthenelo in exiliũ Amphyctionpulsus. Thebas se contulit: ac cùm tributarios inuenisset Chalcidensibus, eos uectigali exemit, Chalcodonte Euboœensium rege interfecto. & tũc apud ipsum Scedasi filiarum à Spartanis olim constupratarum & interfectarum tumulũ Lacedæmoniorum exercitus ingenti clade totus fusus fugatusq; est. Plut. in Amatoriis.

OTHO Vicecomes, Mediolanensium archiepiscopus, cum tota gente à Turrianis urbe pulsus, nobilium exulum stipatus manu, per uim in patriam redire studebat. Ei cum exercitu Turriani obuiam profecti, ad Decimum uicum peruenerant. Quum ibi de inferendo bello à ducibus in consilio sententiæ dicerentur, sacerdos quidam pernici equa deuectus, ad

ctus, ad Othonem peruenit. Erat enim Decimi præclarum Othonis nomen: nam ab adolescentia sacris initiatus, summum in eo pago sacerdotium à pontifice impetrarat, unde postea & in æde maxima Mediolani, & in diui Ambrosij tẽplo canonicas dignitates fuerat consecutus. Is sacerdos Othoni omnia nunciauit, addiditq; Turrianos ea nocte posse deleri, si improuisus confecto per noctem itinere, dispersos atq; sopitos adoriretur. Hoc nuncio maximè lætatus Otho, Dij, inquit, qui à Decimo dignitatis initia prębuerũt, non inani proculdubiò loci omine promissam nobis de hostibus uictoriam dabunt: atq; ita tota re ad consilium delata, singulari omnium alacritate decernitur, non prætermittendam rei gerendæ occasionem. Ergo ducem secuti sacerdotem, Turrianos imparatos adorti per noctem, superarunt, Napum principem ceperunt. Atq; ita septies acie uictor Otho & reditum in patriam & patriæ imperium sibi suisq; peperit. Iouius in uita Othonis.

INCONSTANS. LOCA FELICIA, ET INFELICIA, IISDEM, DIVERSIS.

M. MANLIVS Capitolinus tyrannidis affectatæ reus, in Capitolium ductus, ac de saxo præcipitatus, locum eundem habuit & eximiæ gloriæ & tristissimi exitus monumẽtum. Plutarchus in Camillo.

TEMPORVM FELICITAS. Eaque uel

CONSTANS. TEMPORA FELICIA SEMPER VEL SÆPE, IISDEM VEL DIVERSIS.

BOEOTIIS in diem quintum mensis Hippodromij, quem appellant Athenienses Hecatombæona, uictorias duas clarissimas, quibus libertatem Græciæ asseruerunt, contulit fortuna, Leuctricam, & alteram antè annis ampliùs ducentis ad Gærestos, cùm Lattamiam & Thessalos fuderunt. Hinc Persæ mensis Bœdromionis die sexto in Marathone, tertio ad Platæas, eodemq; ad Mycalem sunt à Græcis cæsi, (Diodorus lib. 11.) uigesimo sexto in Arbelis. Apud Naxum nauali uictoria circa plenilunium mense Bœdromione ATHENIENSES sunt duce Chabria potiti: ad Salamina XX. Plutarchus in Camillo. Vicit eodem mense TIMOLEON Corinthius Carthaginenses ad Granicum amnem in Sicilia. Sab. lib. 9. cap. 4.

Sextus Thargelionis dies ATHENIENSIBVS auspicatissimus erat. In eo Socratis natalis dies fuisse proditur, & Alexandri Macedonis: qui eadem defunctus quoq; fertur. Alexan. lib. 4. cap. 20. & Cæl. lib. 17. cap. 30. A. L.

TIMOLEON Corinthius prælia maxima natali die suo fecit omnia. Quo factum est, ut eiusdẽ natalẽ festum haberet uniuersa Sicilia, & inprimis Syracusani. Probus in eius uita.

Q. FVLVIO contigit, ut qua die priore anno ex prætura triumpharat, eadem postea de Liguribus bello uictis triumphans urbem iniret.

Sutrium bis eodem die à ROM. captum est: euenitq;, ut Thusci, qui oppidum ceperant, id amitterent: & qui amiserant, opera id recuperarent Camilli: qui summa festinatione, uictis acie Latinis & Volscis, Sutrium contendens, hostes securos, uino somnoq; sepultos cęcidit. Plut. in Camillo.

C. IVLIVS Cæsar Idus Iulij natalem suum fortunatas semper habuit, & felices. Alex. lib. 4. cap. 20.

Incidit primordium VENETÆ urbis in octauum Calendas Apriles eius anni, qui quadringentesimus fuit humanæ Salutis, ac primus & uigesimus. Tradunt quidam mundum eodem die à Deo constitutum, & Christum Dei F. eadem luce uirginis utero conceptum. Sab. lib. 1. En. 8.

Eodem tempore, & quod maximè admirandum uidetur, ipso etiam die, Nonis Iulius anni 1495. quum pridie quoque ad Tarrum inter Gallos & Venetos Sforcianosq; esset dimicatum, & Gallica classis ad Rapallum capta, FERDINANDVS II. Aragonius urbe Neapoli incredibili ciuium studio receptus est. Iouius lib. 3 Hist.

Calendæ Iuliæ VENETIS triplici de causa festæ: uictoria scilicet celebri eo die de Patauinis parta, & Andreæ Contareni ducis recepta de Genuẽsibus Clodia reditu, & Petri Lauretani classi præfecti uictoria ad Callipolim contra Turcos nauali. Egnatius lib. 2. cap 3.

Sexto Calendas Martias, Mathię apostolo dicatus, natalis Cęsaris CAROLI V. semper ei faustus, Ticinensi uictoria lætissimus, & inauguratiõe Bononiẽsi. Iou. in Põpeio Colũna.

HISPANI duce Consaluo Magno de Gallis nobilem uictoriam ad Ciriniolam retulerunt, anno 1502. mẽse Maio, octauo post Obignini cladem ab iisdem acceptam: eoq; utraq; die, qui à Venere appellatur: quem diem Hispani sibi faustũ sæpè fuisse obseruarunt. Guicciardinus lib. 5.

Augustus mensis occulto quodam fato OTHOMANNORVM Turcarum Imp. militiæ felicissimi extitit. Eius certè mensis die decima Baiazetes II. Methonem cœpit, eadem Solymãnus Strigonium occupauit. Octauo eiusdem Selimus anno 1514. Ismaelem Sophum Persarum regem in Calderanis cãpis Armeniæ magno prælio uicit: & triennio pòst ad Hierapolim siue Alepum Syriæ Campsonem Aegyptiũ Sultanum. Iouius in uita Selimi. Solimanus eodem Ludouicũ Hungariæ regem ad Mugacium cęcidit, Budam occupauit. Anno 1566. Sigetum expugnauit, & uictor obiit.

INCONSTANS.

Huc pertinet Tit. Qui eodem die nati sunt & mortui.

IVDAS Machabeus Gorgia Antiochi Epiphanis duce deuicto, ad lustrãdum templum ab Antiocho profanatum se cõtulit, excusso q; de sicilibus igne sacrificium fecit. Acciditq; ut quo die templum fuerat ab externis profanatum, eodẽ die fieret templi lustratio, eiusdem mensis, scilicet Casleu, uigesimo quinto die. 1. Machab. 3. & 2. Machab. 10.

Lysander nauibus extra duodecim omnibus & muris potitus ATHENIENSIVM est die sextodecimo mensis Munychionis: quo die superauerant illi quondam prælio nauali ad Salamina Barbaros. Plut. in Lysandro.

Circa tempus mysteriorum dirutæ fuẽre ab Alexandro THEBÆ. Præsidium Macedonicum uigesimo die mensis Boedromionis, quo die mysticam pompam Bacchi educunt, recepẽre ATHENIENSES. Plut. in Camillo.

Eodem die compertum est à GELONE Syracusano Carthaginenses, qui cum Xerxe Græcorum tollendorum fœdus inierant, debellatos, & in Thermopylis LEONIDAM cũ sociis dimicando, intra Xerxis castra occubuisse: ueluti quoddam de industria numen id curasset, clarissimamque hinc uictoriam, illinc gloriosissimam mortem eodem tempore, pari momento rerum, pariq; uirtutis exemplo, subiici, ambiguo præferendæ laudis iudicio, constituisset. Diodorus libro 11. cap. 1.

Ea die qua à Cimbris profligato exercitu ROMANI duce Cepione cęsi fuẽre ingenti clade, eadem postea L. Lucullus contra Tigranem & Armenios, quos magna clade debellauit, & castris exuit, gloriam tulit insignem. Plut. in Camillo.

Ea die qua M. CRASSVS magno dedecore profligatus à Parthis & cæsus fuit, eadem post aliquot annos Ventidius Pacorum & Parthos singulari uictoria uicit. Alexan. ab Alexandro lib. 4. cap. 20.

AVGVSTO, idem dies suscepti imperij primus, & uitæ supremus fuisse traditur. Alex lib. 4. cap. 20.

FRIDERICVS Pulcer, Alberti I. F. Austriacus, cum Ludouico Bauaro de regno Rom non expectato fratre Lupoldo dimicans in agro Salisburgensi, supra L. milites sua manu interfecisse dicitur. Victor primum, inde uictus & captus est, anno Christi MCCCXXIIII. penultima Septembris, qua beati Michaelis festus dies peragitur. Quo die ante annos quinquagintaunum, Rodolphus Habspurgẽsis auctor gentis, in regem Romanum fuit electus. Vnde quidã falsò augutabantur, tunc domum Austriæ ruituram. Cuspin.

LEO X. factus põtifex ad undecimum diem Aprilis, anni 1513. se triplicis coronæ tiaram in Laterano templo sumturum edixit, ut is dies, qui ex clade prælij Rauennatis (in quo captus fuit à Gallis) sibi ualde ater extiterat, eo circumacti anni curriculo commutata fortuna, in candidum atq; lætissimũ uerteretur: eodem quoq; ipso albo equo uehi uoluit, in quo Rauennę captus fuerat. Iouius in Alfonso Atestino.

BARTHOLOMÆVS Aluianus, anno 1513. icto inter Galliæ regem Ludouicum XII. & Venetos fœdere, ex Gallia, ubi captiuus aliquandiu fuerat, Venetias reuersus, ab senatu Veneto omnium copiarum imperator iisdem legibus, quibus Pitiliani comes eum gradum habuerat, & fortasse eodem die, quo ante quatuor annos in hostium potestatem uenerat, est salutatus. Guicciard. lib. 11.

ALFONSVS II. Neapolitanorum rex, Caroli IIX. Gallorũ regis aduentum metuens, in Siciliam fugit, regno relicto Ferdinando filio, eo die, quo pater anno antea decesserat uita, eodem quo fuerat rex salutatus. Ferdinandus regno à patre per manus accepto, Capua & Neapoli amissa, omnibusq; alienatis, in Siciliam classe transmisit. Et Aragonia domus per hunc modum Neapolitano regno excidit, anno tertio & sexagesimo quàm Alphonsus maior, Ferdinandi huius proauus, Renatum Neapoli eiecerat. Sabellicus libro 9. Enneadis 10. & Guicciardinus lib. 1.

LIBRI SECVNDI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- Acquisitio. INFELICITATIS, Miseriæ acquisitio, ratione habita
  - Rerũ, siue Occasionis, siue Instrumenti, considerati
    - Personarum, hoc est, eorum
      - Qui acquirunt.
      - Per quos acquiritur. Infelicitatis efficiens causa
        - Ipse sibiipsi.
        - Alij. Putà
          - Dij. Astra.
          - Reges. Mulieres.
          - Bruta.
    - Materialiter. INFELICITATIS instrumẽta Materialiter cõsiderata: tanquã
      - Hominũ dicta Huc pertinent facta: hæc.
        - Inuentis suis qui periere. Legibus suis damnati.
        - Consiliis propriis infelices. Vaticinio proprio infelices.
        - Insidiis quas aliis struxerant circumuenti.
        - Donis hostium infelices.
        - Supplicio eodem, quo alios oppresserunt, affecti.
      - Res quædam. v. g.
        - Verbum. Pecunia, Thesauri. Anathemata sacra.
        - Equi. Ciues. Imagines.
        - Filum. Vnguentum.
    - Formaliter. INFELICITATIS instrumenta Formaliter cõsiderata. nimirum uel tanquam
      - Mala (Malæ mali occasiones) tũ
        - Animi. Infelices facti occasione
          - Ignorantiæ: propter Indciium
            - Retardatum.
            - Neglectum.
          - Astutiæ, Doli, Insidiarum. Stultitiæ.
          - Libidinis. Auaritiæ. Luxus.
          - Superbiæ, Ambitionis. Adulationis. Impietatis.
          - Iniustitiæ, Crudelitatis, Perfidiæ erga
            - Subditos, Tyrannide.
            - Principes. Doctos.
            - Socios. Hostes.
            - Parentes. Fratres. Nepotes.
            - Coniuges. Seruos.
          - Seditionis, Defectionis, Belli studij.
          - Periurij, Accusationis falsæ. Proditionis.
        - Corporis.
        - Fortunæ. Infelices facti occasione
          - Paupertatis. Ignominiæ.
          - Amicitiæ. Ob
            - Conuersationem improborum.
            - Fœdus cum improbis.
      - Bona (Bonæ mali occasiones) tum
        - Animi: ut
          - Sapientia.
          - Eloquentia.
          - Iustitia.
        - Corporis: ut
          - Forma.
          - Robur.
          - Longæuitas.
        - Fortunę. Infelices redditi occasione
          - Diuitiarũ. Vbertatis.
          - Ciuitatis munitæ.
          - Honoris. Victoriæ.
    - Temporis. INFELICITATIS momentum. Puncto temporis acquisita infelicitas.
- Infelicitatis considerandæ
  - Possessio. Vide signum A.
  - Cõseruatio. INFELICITAS
    - Hominum
      - Constans, quo ad
        - Instrumentum.
        - Modum.
      - Inconstans.
    - Locorum
      - Constans. Locus idem infelix
        - Iisdem. Locus scilicet idem
          - Sceleris & Pœnæ.
          - Cladis.
          - Mortis.
        - Diuersis.
      - Inconstans. Locus idem
        - Dignitatis & Mortis.
        - Ortus & Interitus.
    - Temporum
      - Constans. Tempus idem infelix
        - Iisdem. Tempus idem
          - Sceleris & Pœnæ.
          - Cladis, Excidij.
        - Diuersis.
      - Inconstans.
        - Iisdem. v. g. Locus idem
          - Dignitatis & Mortis.
          - Victoriæ atq; Cladis.
        - Diuersis.

A. Infe-

- A. Infelicitatis Possessio considerandæ respectu
  - Personarum, hoc est eorum
    - Qui possident. Sic Felicitas cadit
      - Primariò in Homines
        - Viuos. Infelices
          - Populi. Familiæ. Reges.
          - Grammatici. Medici. Typographi.
          - Milites. Mariti. Amatores.
        - Mortuos.
      - Secundariò in Accidentia hominum. Huc infelicia
        - Loca.
        - Tempora.
    - Propter quos possidetur. Sic Infelices dicuntur quidam propter
      - Principes.
      - Subditos. Ciues. Comites.
      - Auos, Parentes.
      - Filios. Fratres.
      - Coniuges.
      - Conseruos.
      - Cognatos. Hostes potentes.
  - Rerum, tanquam Materiæ subiectæ infelicitati: siue ea sit
    - Multiplex, ob plura mala.
    - Simplex. Sic ob unum aliquod malum, infelix quis dicitur, consideratum secundùm
      - Animum. Vt propter
        - Ignorantiam.
        - Stultitiam.
      - Corpus. Infelices ob
        - Morbum.
        - Mortem.
      - Fortunas. Ob
        - Paupertatem.
        - Deiectionem à dignitate.
        - Munus impeditum.
        - Excidium Vrbis, Templi.
        - Repulsam.
        - [illegible] Exilium.
        - Expeditionem infaustam.

Voluminis Vigesimisecundi
Liber II.
DE MISERIA & INFELICITATE.

INFELICITATIS ACQVISITIO, RATIONE HABITA

PERSONARVM, PER QVAS acquiritur. Miseriæ auctores

SIBIIPSIS.

Ο καρπάθιος τὸν λαγών. id est, Carpathius leporem. Dicebatur in eos, qui sibi rem noxiam accerserent. Hinc deductum adagium, quod cùm in CARPATHIORVM insula lepores non essent, illi curarunt importandos alicunde. Verùm ubi eius animantis magna uis increuisset, ut est mira fœcunditas, fruges insulæ populari ceperunt. Erasmus in Adagiis.

ΟΙΝΟΕ uicus quidam est Atticæ, quem qui inàolebant, alueum quendam torrentis uicinum, suis finibus inclusérunt. At ingruente immodica ui aquarum, & ob id corruptis agris, agricolationem perdidere. Strabo Geographiæ lib. 8. duas Oenoas commemorat, alteram Eleutheris finitimam, alteram apud Marathonem, de qua uulgò iactata paræmia, οἰνόη τῶν χαραδρῶν. id est, Oenoe charadram. Effertur adagium ad hunc quoque modum, οἰνάοι τῶν χαραδρῶν: id est, Oenei charadram, ubi quippiã accersitur ad commoditatem, unde pernicies adfertur. Idem.

ALIIS. INFELICITATIS auctores

Dij, Astra.

Homerus laborum Herculeorum causam ponit ATEN deam & IVNONEM, quæ infesta Herculi, tanquam ex pellice nato, periculis omnibus illum obiecerit. Erasmus in Adagiis.

Terra pertæsa improbitatis hominum, cùm nollet amplius gestare tam impium pondus, rogauit Iouem, ut se isto onere leuaret. Quare primò excitauit bellum Thebanum IVPITER, ubi multi perierunt. Deinde fecit nasci ex Thetide formosissimum Græcorum Achillem, & pulcerrimam feminarum ex Leda Helenam, quæ causa belli Troiani extitit, in quo Achilles primas partes tenuit. Interierunt autem de Græcis 886 millia: de Troianis uerò, 676 millia, auctore Darete Phrygio. Eustathius ex Stasini rebus Cypricis. Huc alludẽs Helena Euripidea, inquit,

Πόλεμόν γὰρ ἀθάνατοι ἐκλίσσουν χθονὶ
ὃς φέρει δυστήνοισιν, ὅς ἄχλυε βροτῶν
πολλοὺς τε κεφίσειε μητέρας χθόνιε,
ἀγνωτόν τε θάνατον κόψειν Ἑλλάδος.

Bellum enim intulit Græcorum terræ, & Phrygibus miseris: ut turba mortalium & multitudine leuaret matrem Terrã, & cognitum redderet fortissimum Græciæ.

OEDIPVS, cùm interfectis duobus filiis à Creonte, ipse & sẽnex & cæcus in exilium pelleretur, ne res nouas moliri posset, apud Euripidem in Phœnissis in deos causam calamitatis suæ refert, inquiens,

Ὦ πάτραι κλεινοὶ πολῖται,
λεύσετ' οἰδίπους ὁδε,
ὃς τὰ κλεινὰ αἰνίγματ' ἔγνω, καὶ μέγιστος ἦν ἀνὴρ,
ὃς μόνος Σφιγγὸς κατέσχον τῆς μιαιφόνου κράτη,
νῦν δ' ἄπιμος, οἰκτρὸς, ἐξελαυνόμενος χθονὸς.
ἄπιστ' τί πεῖσαι θεοῖσι, καὶ μάτην ὀδύρομαι;
τίς γὰρ οὐκ θεῶν ἀδικοῦμαι, θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.

O patriæ inclyti ciues, uidetis. Oedipus ille, qui inclyta illa enigmata cognouit, soluit, & maximus fuit uir, qui solus Sphingis deuici sanguinariæ uires: nunc uerò ignominia affectus, miserabilis maximè, expellor à terra. Sed quid hęc desleo, & frustrà lamentor? quæ enim ex diis ueniunt necessitates, mortalem existentem oportet ferre.

Ἐν τετράδι γεννηθῶμεν, id est, Quarta luna nasci dicuntur, qui parum feliciter nati sunt, ut auctor est Eustathius in libro Iliadis β. propterea quòd HERCVLES hac luna natus feratur, cuius omnis uita laborum plena fuit. Pyrrhus apud Lucium Florum dicebat se sibi uideri Herculis sidere natum, quòd quo pluribus uictoriis Romanos conciderет, hoc acriores in ipsum coörirentur. Erasmus in Chiliadibus.

Reges.

Consule Titulum Tyrannorum: item, Regum ignauorum, aut fortitudine illustrium.

Mulieres.

Consule Tit. Mulierum improbarum. Quatenus infelicitatem aliis concilant.

Mulieres omnium ferè calamitatum auctores fuisse uiris dicũtur. Testis PANDORA Hesiodia, testis bellum Troianum, testis Hercules à DEIANIRA extinctus, testis Danaidum fabula, testis Lemniarum mulierum historia, testis CLEOPATRA, [redacted] Quanquam hæc magis conueniebat stultitiæ uirorum adscribere, qui tantum indulgeant mulierculis, ut uelut amentes amore, in quo duis malum sequantur: cùm par fuerit, ut illis moderantibus mulier natura stultior, simul & imbecillior, minùs desideret. Quod enim animus est corpori, id uirum oportebat esse mulieri. Verùm quemadmodum uulgus sua uitia corpori imputat, cùm ab animo proficiscãtur, & stulti principes insanissimos bellorum tumultus imputant populo, quorum ipsi sunt auctores: ita uiri reiiciunt in feminas, si quid ipsi delirauerint. Erasmus in Adagiis.

Brutus.

DIONYSIO Syracusanorum tyranno in Italica expeditione absenti nuncius missus à Timocrate, in sylua obdormierat. Lupus odorem carnis, quam in pera ferebat, secutus, peram cum literis abstulit. Tabellarius euigilans, pera non reperta, aufugit. Itaque in tempore Dioni occurrere Dionysius nequiuit. Plut. in Dione.

RERVM SIVE OCCASIONIS SIVE Instrumenti MATERIALITER considerati. Infelices occasione

INVENTI. INVENTIS SVIS QVI PERIERE.

Athenæo teste, lib. Dipnosophistarum 6. capite 7. cùm CHII primi seruis mercenariis instituissent uti, postea subacti à Mithridate Cappadoce, propriis seruis uincti sunt traditi, ut in Colchorum regionem deportarentur: idque illis aliquando euenturum oraculum prædixerat. Huius historiæ auctores citat Nicolaum Peripateticum, & Posidonium Stoicum. Nec Stephanus tacuit, hanc gentem primùm usam famulis θεράπαιν. Hinc prouerbium, Chius dominum emit. Erasmus.

Icarus pater Erigones, quum ATTICOS usum uini docuisset, ab eis in ebrietatem lapsis interfectus est. Ouid. in Ibin:

Muneribusq; tuis lædaris, ut Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.

ZOROASTRES Bactrianorum rex, magicæ artis inuentor (ut est apud Orosium lib. 1. cap. 4. Trogum lib. 1. & alios) uolens olim uideri deus, astris intentus, uelut scintillas quasdam ex stellis producebat, ut rudes in stuporem miraculi traherentur. Tandem ab ipso dæmone, quem importuniùs frequentabat, succensus est. Clemens in suo Itinerario, & Antoninus tom. 1. tit. 2. cap. 1.

PERILLVS faber ærarius egregius, postquam uaccam ex ere Phalaridi tyranno construxisset, ut nouum & crudelissimum tormenti genus, quo sontes torquere solebat: tãdem tyrannus eodem supplicio affecit artificem, dignum profectò ut inuento crudelissimo crudeliter periret. Plutarchus in Parallelis capite 73. Plin. lib. 34. cap. 10. Cicero in Orat. 5. Verrina, Valer. Max. lib. 9. cap. 2. Orosius lib. 1. cap. 20. Claudius lib. 1. in Eutropium:

Sic opifex tauri, tormentorũmq; repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primum inexpertum Siculo cogente tyranno
Sensit opus, docuitq; suum mugire iuuencum.

ARVNTIVS Paterculus, cùm audiuisset Aemylium Censorinum tyrannum magnifica munera offerre iis, qui noua quædam tormenta inuenissent, equum ex ære fabricatum tyranno donauit. Ille autem tum denique ad æquitatis cogitationem conuersus, muneris auctorem primùm intrusit, ut quam cæteris pœnam excogitarat, ipse subiret, pateretur q;. Aristides Milesius, & Plut. cap. 75. Parall.

LEGIS. LEGIBVS SVIS DAMNATI.

ZALEVCVS legislator Locrensium, iussit, ut adultero deprehenso uterq; oculus effoderetur. Filius eius deprehensus erat. Ibi ne, quod semel omnium sententiis confirmatum erat, irritum fieret, ipse pro altero filij oculo, sibi alterum eximi iussit, ut ne prorsus cæcus fieret adolescens. Aelianus lib. 13. de Varia historia.

CLISTHENES Atheniensis, primus ostracismi supplicium introduxit, atq; ipse primus eo damnatus est. Aelian. lib. 13. Var. hist. & Cælius lib. 25. cap. 43. A. L.

Cùm in Repub. pridem floreret PERICLES succinctus legitimis filiis Xanthippo & Paralo (Aelianus lib. 6. Patroclũ uocat, sed malè) legem rogauit, ut soli ex duobus nati Athenienſibus, ciues essent Athenienses. Cùm autem rex Aegypti dono misisset populo XL millia medimnũm tritici, & id diuidendum ciuibus esset, nothis controuersiæ ex eo plebiscito multæ, quæ hactenus fuerant tectæ atque neglectę, motæ sunt: multi etiam calumniis circumuenti. Conuicti fuere paulo minus quinq; millia, qui uenditi sunt: eos, qui ciuitatem retinuerunt, ac censiti inter ciues Athenienses sunt, inuenerunt quatuordecim millia quadraginta numero. At bello Peloponnesiaco cùm filios legitimos peste amisisset, ne orbitate nomen familiæ suę & progenies semel interiret, legem de nothis à se latam suasit antiquandam. Cùm esset autem res indigna, ut quæ contra tam multos uim habuerat, ab eodem lex, qui tulerat eam, rursus abrogaretur: præsens tamen Periclis clades domestica (ut qui pœnam luisse iam fastus & arrogãtiæ illius suæ uideretur) infregit populum Atheniensem, putauitq; eum, deorum oppressum inuidia, esse humanitate alleuandum. Quare indulsit ei, ut in curia sua nothus censeretur nomine paterno. Hunc pòst, cùm apud Arginusas Peloponnesios prælio nauali prætor fudisset, una cum collegis populus morte multauit. Plutarchus in Pericle.

LYCVRGVS orator Athenienſis, unus è decem, legem scripsit, ne mulieres festo Mysteriorum, curru ueherentur. Quæ uerò id fecisset, multam lueret. Prima ipsius uxor aduersus hoc psephisma delinquens, damnata pœnam subiuit. Aelianus lib. 3. de Var. hist.

CONSILII. CONSILIIS PROPRIIS EVERSI.

Statua Romæ in comitio posita Horatij Coclitis fortissimi uiri de cœlo tacta est. Ob id fulgur piaculis luendum, ARVSPICES ex Hetruria acciti, inimico atque hostili in populum Romanum animo, instituerant eam rem contrariis regionibus procurare. Atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circũ undique aliarum ædium nunquam illustraret. Quod cùm ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt. Et cùm de perfidia confessi essent, necati sunt. Constitutque eam statuam (perinde ut ueræ rationes pòst comperta monebant) in locum editum subducendam: atque ita in area Vulcani sublimiori loco à tauendam. Eaque res benè & prosperè reipub. cessit. Tunc igitur quòd in Hetruscos aruspices malè consulentes animaduersum uindicatumque fuerat, uersus hic scitè factus cantatusque esse pueris Vrbe tota fertur:

Malum consilium consultori pessimum est.

Ab Hesiodo illo expressus,

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Ex Annalibus maximis lib. 11. & Verrij Flacci lib. 1. Rerum memoria dignarum, recenset Gell. lib. 4. cap. 5.

Papyrius Cursor cùm consul Aquiloniam obsideret, uelletq; prælium cõmittere cum hostibus, nisi si quid auspicia refragarentur: ac cõsultus PVLLARIVS suaderet, uti committeret, cùm tamen aues infausta nunciassent: re cognita, pullarium in prima acie constituit. Is primo traiectus telo uiolatus est. Paulus Iouius libro octauo Historiarum.

tam religionem expiauit. Valerius Maximus lib. 7. & Liuius Decad. j. lib. 10.

EVTROPIVS eunuchus dum studet in quosdam qui ad tempLum confugerant animaduertere, persuasit imperatori ut ferretur lex, qua templi religio nulli prodesset nocenti. Lata lege factum est, ut Eutropius cùm offendisset Cæsarem, cõfugeret sub altare, unde protractus capite plexus est, suo ipsius consilio perditus. Ex Socrate Erasmus in Chiliadib.

SYLVERIVS Campanus, Pontifex Maximus, Iustiniani Imperatoris temporibus quum consilium dedisset, Atheniensium episcopum nequaquam ab exilio reuocandum esse: ipse coactus Pontificatu se abdicare, in insulam Pontiam fugiens, ibi in exilio mortuus est. Volaterr. lib. 22. Anthrop.

VATICINII.

Olim quum Thebani de belli euentu consulerent oraculũ, uates quæ tum Dodonæ responsitabat, ait eos fore uictores, si quid impiè patrassent. Itaque consultorum quidam arreptam MYRTILAM, nam id mulieris fatidicæ nomen, in lebetem aqua calida feruentem, qui fortè inibi aderat, iniecit, iuxta Heraclidem, referente Zenodoto. Sunt qui narrent, Bombum diuinum quendam Thebanis de belli successu sciscitantibus, respondisse futurũ ut quamplurimos uincerẽt, si priùs quempiam è ducibus immolassent. At illos Bombum ipsum interemtum immolasse. atque hinc ortum prouerbium, Bœotis uaticinare. Erasmus in Adag.

INSIDIARVM. INSIDIIS QVAS ALIIS STRVXERANT IRRETITI.

HAMAN Amalechita, Artoxerxis regis consiliarius, à rege secundus, quum Iudæorũ gentem penitùs excindere, & Mardochæum in trabe L cubitorum alta suspendere, permissu regis, conaretur, Deus omnia eius consilia per Hesterem reginam perturbauit, eumq; cum omni familia pessundedit. Hesteræ 3. & sequent.

SENES qui capitalem noxam insonti Susannæ adstruxerant, sui sceleris conuicti, in se capitale supplicium uertẽre. Marulus lib. 5. cap. j.

Persarum SATRAPÆ Danieli prophetę inuidentes, quòd eũ rex toti regno præfecisset, à rege impetrant, edicto sanciret, ut XXX dierum spacio à nullo deorum quicquam præterquam à rege liceret petere. Sciebant autem Danielem non petiturum, quippe qui singulis diebus ter flexis genib. Deũ suum adoraret. Danielem igitur, quamuis inuito rege Dario, ex lege in leonum speluncam coniiciunt. At diuinitùs seruatus est. Itaq; quum rex summo mane accessisset, & illius innocentiam diuino confirmatam auxilio cognouisset, huius technæ auctores unà cum liberis & uxoribus eò coniici iussit, quos leones dilaniarunt. Dan. 6.

HERCVLES, quibus ipse petebatur insidiis, iisdẽ pœnas expetens ab inuasoribus, immolauit Busirim, Anteum luctatione oppressit: Cygnum, quo cum prouocatus cõseruit manus, obtriuit: Termerum capite incurrentem confecit, à quo Termerium malum ferunt dictum: quippe feriens capite oburios Termerus necabat. Itidem puniebat THESEVS improbos, ulciscebaturq; eos eadem ui, qua alios illi: opprimens ad modum suæ improbitatis iustas pœnas pendentes. Plutarchus in Theseo.

Anno Salutis humanæ MDII. CÆSAR Borgia Alexãdri VI. Pp. F. qui quatuor Varanios proceres antiquissimæ stirpis Camertes necarat, ut eorum imperio & opibus potiretur: Guidonem Feltrium Vrbino, Pandulphum Malatestam Arimino depulerat: Astoremq; Manfredum expugnata Fauentia sub fide deditum strangulãrat: sanguinarias manus Vrsinæ factionis atque familię proceribus admouit. Primò Vitelloccium ab insigni uirtute inuisum, & Liberottum Firmanum, moxque Paulum Vrsinum Latini cardinalis filium, & Franciscum Vrsinũ Grauinæ regulum in Vmbria tetro supplicio sustulit: eodemq; die ab Alexandro pontifice ad constitutum tẽpus Baptista Vrsinus cardinalis in mole Hadriani cantharidum ueneno sublatus est. Sed Italicæ nobilitatis stirpes excindenti, affectantiq; regnum Italiæ, non diu Fortuna arrisit. Cùm cœnaret enim Vaticana in uilla inuitatus à patre pontifice, uenenum bibit, quod conuiuis quibusdã senatoribus ditissimis paratum erat, fallente lagenas incautè à poculis ministro. Sed Alexandro uim ueneni non ferente, ipse Cæsar paterno funeri miseriæque suę interfuit. Nam Iulius II. Pont. Alexandro suffectus, eum exutum exercitu, in arce sub custodia tenuit, quo ad missis tesseris arx Ostiensis redderetur. Fide demum à Consaluo accepta, Neapolim nauigauit, ubi dum compararet copias, & nouas res moliturus uideretur, captus est, & in Hispania custodiendus ad Setabam transmissus. Custodia demum elapsus, ad Nauarrum regem confugens, in prelio quodam ignobilis cecidit; armisque exutus nudus Pampelonem, cui urbi uiuus episcopi munere præesse dedignabatur, deportatus & sepultus est. Paulus Iouius libro octauo Historiarum.

DONI HOSTILIS.

AIAX cum Hectore cõgressus ponitur ab Homero, ac pugnã nocte superueniente diremta, gladio ab Hectore donatus, ille autem ab Aiace baltheo, perniciosissimis quidem donis. Nam HECTOR eo tractus ab Achille fuit. Hic uerò cũ ob arma Achillis Vlyssi adiudicata insanus efficeretur, ei gladio incubuit. Teucer cùm sine fratre reuertisset, non susceptus in patriam, in Cyprum secessit, ubi alteram condidit Salamina. Volaterr. lib. 33.

CÆDIS.

HADINGVS Danorum rex ab Vffone Sueonum rege uictus quum in Helsingiam fugisset, ibique solis feruorẽ maris aqua sublueret, bellũam immanem crebris ictibus oppressit, necatamq; in castra perferendam curauit. Ei obuia femina, quòd deum ferino corpore tectum occidisset, dira fata imminere prædixit. Nec uanum fuit præsagium. Siquidem nauigante eo oborta nimbi uis, ingenti classem tempestate consumsit. Naufragum hospitia petentem, subita penatiũ strages excepit. Nec antè malo remedium fuit, quàm Frõdeo rem diuinam furuis hostiis fecit, quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum, posteris imitandũ reliquit. Frõ Blod Sueones uocant. Saxo lib. j.

SVPPLICII EIVS, QVO ALIOS AFFECERE.

ADONIBEZECHVS Cananæorum rex, in prelio à Iosua Iudæorum iudice captus, amputatis manuum pedumq; digitis, miserrimè in uita seruatus est: siquidẽ uiuere is dici potest, qui eo modo habitus, in longam potiùs mortem coniectus uideretur. Fassus autem fuit, ea se morte septuaginta reges uicinarum urbium affecisse: quum longo eos tempore, ueluti canes, sub mensa ad pedes suos pauisset. Fulgosus lib. 6. cap. 11. ex Iudic. j.

IASON impius & crudelis homo, quum multos homines insepultos abiecisset, ipse demùm diuinam ultionem sentiẽs, sine sepultura quoq; abiectus est. 2. Machab. 5.

PERSEVS bellum cum Cepheo gerens, qui ob senium cęcus erat, quum caput Gorgonis nullam in eum uim haberet, ratus inutile id esse, ad se conuertit, eoq; conspecto obriguit. Hoc postea filius eius Merrus cremauit. Suidas.

PYGMALION frater Antæi, quum immolationem hospitũ docuisset, deorum aras suo sanguine instãr cæterorum imbuit. Ouidius in Ibin:

Frater ut Antæi, quo sanguine debuit, aras
Tinxit, & exemplis occidit ipse suis.

VERBI.

Ex Titulo, Bellorum causa Verba, huc quædam.

[redacted]

Sub Vladislao Boemiæ & Hungatiæ rege ignauo, qui rari sermonis, ad interrogata nihil aliud q̃ Hungaris (quorum linguam ignorabat) Benè, Boemis Dobre respondere solebat; neque Harpyis aulicis quicquam denegabat, per hæc duo uerba REGNVM utrunq; miserè afflictũ fuit, amissis regis oppidis, arcibus, uectigalibus, & quibuscunque aliis reditibus, adeò ut in Morauia rex nullum planè reliquum censum haberet, tenuissimũ uerò in Boemia. Dubrauius lib. 32.

THESAVRI, PECVNIÆ.

Diomnestus uir Eretrieus, thesauros Persarum in Euboea ministrantium in potestate habebat. Quibus omnibus mortuis, numos istos ad Hipponicum Callię Ammonem dictum Athenas clàm transtulit. Hipponicus huius filius in arce Athenis domum extruxit, in qua numos reponeret, quum nõ esse tutum diceret, tot numos esse in domo priuata. CALLIAS tandem pecuniæ huius factus dominus, in adulatores, scorta & eiusmodi generis homines profudit pecuniã: eò tandem miseriarum perductus, ut apud uetulam quandam barbaram uiuere cogeretur, uictusq; quotidiani indipia laborans diem suum obierit. Athenæus lib. 12. c. 17.

ANATHEMATVM SACRORVM.

Antiquæ nobilitatis feminas Helenam atq; Eriphylen preclosa segmenta siue monilia Delphico affixisse templo, compertum habemus, siue Alcmæon fuerit, ac Menelaus, sicuti auctor Athenæus est. Quæ quia sacrilegas admouentibus manus, aut omnino aulis gestare, pessimum peperẽre exitium, prouerbij sibi locum uendicant, non secus ac Tolosanum aurum, apud Gellium. Bello sacro Delphica pecunia, & quicquid ibi preciosiũs erat, magna parte cessit in prędã: inter reliqua uerò ipsa hæc segmẽta: quæ duorũ ex Phocensibus ducũ, qui id bellũ gerebant, uxores, ut est muliebre ingeniũ, auidè oblata arripuẽre, ,ptinusq; collo circũdedẽre,

ut ipsis tum est uisum, ornamenta præsignia, ut mox docuit euentus, interitum exitialem. Ea siquidem, cui Helenes monile obuenit, turpiter prostituto corpore, pudicitiæ iactura & famæ dispendio, quæ bene sentientibus uita quoq; comparatur, pœnas facinoris perpetrati luisse fertur. Alterã uerò crudelior excepit pernicies: nam furentis filij uæcordia tectis iniectò igni, uiua exusta est. Plutarchus in sermone de iis qui seriùs à numine castigantur, Aristonem fuisse appellatum scribit, cui obtigerit Eriphyles ornamentum, tyrãnis contribuentibus. Item que fuisse otium & xenagogum, id est, peregrini mercenariij; militis ducem, cuius deinde filius aduersus matrem indignatione concepta, domum succenderit, omnibus qui intus agerent, incendio consumtis. Monilis à Vulcano Veneris delitiis concinnati, Hermione mox traditi, deinde Thebanis reginis, quæ omnes pessimè interierint, & postremò ad Eriphylen puenerit, Thebaidos secundo fabellam concinit Papinius. Cœlius lib. 12. cap. 13. Antiq. lect. ex Diodoro.

Cnidiorum corona Delphis dicata (qua Delphico fano spolia to saltatricem PHARSALIAM donauit Philomelus Phocensium tyrannus) quum in Italiam ea ex Græcia migrauisset, Metapontij apud Apollinis templum ludentem perdidit. Prosilientes enim ad coronam iuuenes, depugnantesq; inter se de auro, discerpserunt illam. Plutarchus de Pythiæ oraculis.

Mirum in modum superstitiosus scriptor Pausanias penè putat C. CALIGVLAM, sæuissimum principem, necatum, q Cupidinem illum fama celebrem, propter quem Thespiæ uisebantur, sustulerit (Quæ res etiam exitium attulerit NERONI, qui in suas sedes illum reportatum, iterum demoli tus inde sit) Etenim deum illum mœrem dedisse stultissimo Imperatori, ut Cassium Cheream tribunum contumelia irritaret, cùm semper signum illi petenti daret obscenum cum ludibrio quodam & contemtu. Vnde ille tantam contumeliam ferre non potens, ultus est iram suam nece Imperatoris. Victorius lib. 8. Var. lect. c. 21.

EQVI.

Fuit TROÏÆ equus semper exitialis. Ob Laomedõtis equos primùm urbs capta est ab Hercule, & excisa: dein lignea effigie, pari euentu, uenit in hostium potestatem: postremò Charidemi ductu, cùm equus ferro confossus concidisset, fuit iacens Ilienſibus, quò minus fores irruentibus obiicerent hostibus, impedimento. Sabellicus lib. 9. cap. 4. ex Plutarchi Sertorio.

Cn. SEIVS, DOLABELLA, CASSIVS, & M. ANTONIVS, omnes infeliciter perierẽ, cùm equum Scianum possiderẽt. Vide Tit. Diuites equis, ex Gell. lib. 3. c. 9.

CANIS.

In G[illegible] duo tumuli, inge[illegible] ctum fuerat, fore, ut m[illegible] declinaturi, peregrinationem ad remotissimas maximeque contrarias orbis partes susceperunt. In extrema demum senecta in patriam reuersi, cùm quisque fratrem iam pridem obiisse mortem speraret, non procul ab oppido Ionaco sibi Inuicem ignoti occurrerunt, & salute ultrò citrò que dicta & accepta, sub pinu proxima quieuerunt. Mox rixantibus eorum canibus, ipsi quoque ad iurgia primùm, deinde ad uulnera mutua proruperunt, animamq; trahentes, & fratres se agnoscentes, in mutuis complexibus expirarunt. Olaus lib. j. de Ritibus Septent. cap. 37.

IMAGINVM.

Sex. TITIVS erat innocens, Agratia lege lata gratiosus apud populum: tamen quia Saturnini tyrannidẽ affectantis imaginem domi habuerat, suffragiis eum tota Concio oppressit. Val. Max. lib. 8. c. j.

FILI.

Cylonium scelus Athenienſem peragitauit diu ciuitatẽ: ex quo consortes cõiurationis Cyloniæ SVPPLICES Minerua domum redire archon Megacles ad causam dicendam impulit. Hos annexum simulacro filum tenentes, ubi in descensu appropinquauerunt Venerandis deabus, rupto sua sponte filo, Megacles cum collegis institerunt, quasi reiiciente supplices dea, corripere. Atque eos qui extra templũ erant, saxis obruerunt: qui in templo, ab aris auulsos iugularunt. Plut. in Solone, & Thucyd. lib. j.

VNGVENTI.

L. PLOTIVM, L. Planci bis consulis censorisq; fratrẽ, proscriptum à Triumuiris, in Salernitana latebra unguenti odore proditum constat. Plin. lib. 13. cap. 3.

MVLEASSES rex Tunetanus acie uictus dum latet, odore unguentorum proditus, captus, oculisq; orbatus fuit. Paulus Iouius.

RERVM SIVE OCCASIONIS & Instrumenti FORMALITER considerati. INFELICES occasione

MALORVM ANIMI.

Est hoc ipsum diuinæ Nemesεos argumentum manifestissimum. Auctorem fraudis fraude perire sua, & ut per quæ quis peccat, per eadem puniatur: siue consilio, siue conatu, siue dicto, siue facto alios opprimere tentet. Exempla autem eò sunt magis illustria, quando similitudo mali adest, & quod inferre aliis conantur intulerunt ue, ipsimet patiuntur. Huc ergo referendi, qui suis inuentis, consiliis, conatibus, insidiis, semetipsos suos ue perdiderunt. Qui quo alios opprimere malo tentabant, eodem oppressi sunt. Malum consilium consultori pessimum. Fraus in auctorum capita redundat. Huc quoque omnium improborum pœnæ & supplicia pertinent, quatenus eas sibiipsis accersunt sua improbitate. Quæ ipsa si ratione Efficientis, hoc est, eius qui punit, considerentur, siquidem is Deus sit, ad Theatrum pertinent diuinum: sin homo, aut iustè pœnas exigit, & Iustitiæ correctiuæ officio fungitur: aut iniustè, & secundùm Iniustitiam correctiuam, peccabit. Hic solius Patientis improbi rationem habemus.

Ex Indicio infelices, uel Retardato.

Dione Syracusas mouente, aberat tyrannus Dionysius cum XXC nauibus in Italia. Timocrates eum præproperè accersendum curauit. Tabellario autem, qui emissus erat, mirus casus est oblatus. Cùm traiecisset in Italiam, & Rheginorũ fines peragrans Cauloniam ad DIONYSIVM properaret: occurrit cuidam familiari, qui ferebat modò immolatam uictimam. A quo accepta portione maturauit pergere. Cùm partem noctis iter fecisset, ex lassitudine paulisper dormire coactus, in sylua quapiam abiecit se temerè prope uiam. Odorem lupus secutus rapuit carnes peræ alligatas, unaque auferens peram, in qua condiderat epistolam nuncius, fugit. Vt ex somno excitus, multumq; nequicquam palatus requirenda pera non inuenit eam: non sustinuit sine literis ad tyrannum pergere, sed subduxit se, certus non uenire in conspectum eius. Itaque Dionysius ferò erat, & ab aliis, esse bellum in Sicilia accepturus. Plut. in Dione.

Neglecto, Spreto.

ARCHIAS nuncium de coniuratione inter pocula allatum εἰς τὸ ἀθέατον reiiciens, occiditur. Vide Titulum, Negligentiæ practicæ.

CÆSAREM Dictatorem, quà die à coniuratis interfectus est, in Senatum progredientem, seruus alienus conuenire gestiens, ubi à cingente Cæsarẽ multitudine est repulsus, coniecit se in domum eius, tradiditq; Calpurniæ, dum redisset Cæsar, custodiendum. Magna habere ostendit se, quæ ad eum deferret. Artemidorus Gnidius genere, literarum Græcarum doctor, qui ea de re nonnullis Bruti sociis familiariter utebatur, cognouerat magna ex parte, quæ agebantur: eaque in libello complexus afferebat indicium suum: quì quum Cæsarem cerneret, quos accipiebat libellos, eos comitantibus ipsum seruis tradentẽ, proximè accedens: Hũc, inquit, Cæsar solus lege, & citò: magnas enim res continet, & ad te pertinentes. Acceptum Cæsar legere per salutantiũ frequentiam, licèt esse subinde conatus, prohibitus est, ac manu illum tenens, solumq; seruans uenit in senatũ. Sunt, qui dicãt alium porrexisse hunc libellum, Artemidorum uerò nequaquam ualuisse eum adire, sed fuisse tota uia expulsum. Plut. in Cæsare. De eo Manilius lib. 4.

Ille etiam cœlo genitus, cœloq; receptus,
Cùm bene compositis uictor ciuilibus armis
Iura togæ regeret, toties prædicta cauere
Vulnera non potuit, toto spectante Senatu,
Indicium dextra retinens, nomenq; cruore
Deleuit proprio, possent ut uincere fata.

Ex Stultitia infelices.

Ex Titulo, Consilia malis qui paruere, hæc quædam.

PHARTHONTEM & TANTALVM, quãuis scanderint in cœlum, perhibent poetæ propter demẽtiam tamen in summas miseriias incidisse. Plut. de Exilio.

Ex Libidine.

Vide locum, Libidinis fructus.

IVDÆIS exitialis fuit intempestiua & uetita illa libido, qui ducis imperium & leges aspernati, cum Moabitarum feminis concubuẽre. Nec multi se piaculo obstrinxerunt: cæterùm cœlestis ultio, quæ breui secuta est, innumeros afflixit. Sabellicus lib. 4. cap. 11.

SODO-

SODOMITÆ & Gomorrhæi, quum aduenas turpiter appetissent, cæcitate primùm lucem amisere, deinde etiam uitã, cum ipsis urbibus funditùs euersi: & qui igne libidinis exarserant, cœlesti igne super eos pluente consumti sunt. Marulus lib. 4. cap. 8.

MADIANITÆ cùm Israelitas formosissimis suis mulieribus ita pellexissent, ut eos etiam ad idololatriam Baalis Phegoris induxissent, è Domini præcepto tandem ad internecionem sunt ab Israelitis cæsi. Vide Tit. Pœna scortationis.

SAMSON filius Manoæ, iudex Hebræorũ, uir robustus, quanuis corporis uoluptatibus imperauit, superior fuit hostib. Sed posteaquam Dalila scortum sanam ei mentem eripuit, ab aduersariis captus, uinctus, excæcatus, templi columnis subrutis: Abeat, inquit, Samson cum alienigenis. itaq; periit, cùm populum iudicasset annos XX. Suidas.

OPHINIVS & PHINEES, Heli sacerdotis filij, non solũ popularium suarum sacra adeuntium pudicitiã petulanter incessauẽre, sed ne à sacra quidem pecunia uiolanda sacrilegas manus abstinuẽre. Graue scelus: sed pœna non minùs grauis, quam ipsi & pater, qui sacrilegos ferre potuit filios, cum tota gente expendit. Siquidem Iudæi magna clade occisi sunt, & in his Heliani fratres diræ illius culpæ auctores. Arca fœderis amissa, sen ex Helius impar dolori è solio præcipitatus mortem obiit. Sabellicus lib. 4. cap. 11. ex 1. Reg. 2.

DAVIDIS adulterium cum homicidio coniunctum se uindicaturum Dominus per Nathanem prophetam asserit morte eius filij, quem ex eo adulterio Bethsaba prægnans utero gestabat: præterea bello perpetuo, quod nunquam à domo Dauidis abfuturum esset. 2. Reg. 12.

Sara Raguelis Nephthalẽsis F. unica Ecbatanis, septem nupta VIRIS, quos omnes prima nocte Asmodæus princeps dæmonum propter libidinem belluinam occidit. Tob. 3 & 6.

Chorus TROADVM captiuarum apud Eurip. in Hecuba, infelicitatis suæ auctorem facit Paridem cum Helena:

τάλαιν' ἀπεῖπον ἄλγει,
παῦ τοῦ Διοσπόρου Ἑλένην κάσιν,
ἰδοῦσ' τε βάταν
κάνόσπασεν, κοὐτάρα δεδῆσ' ἐπέ με
γᾶς ὀν παγᾶς ἀπώλεσεν,
ἐξώκισε τ' οἴκων γάμῳ, ὐ γάμῳ,
ἀλλ' ἀλάστορός τις οἰζύς.

Misera, concidi dolore, Castoris & Pollucis Helenam sororem, Idæumq; pastorẽ damnosum Parim execrationi dans: quoniam me terra ex patria perdidit. Expulerunt me domo nuptiæ, non nuptiæ, sed dæmonis quædam calamitas.

CREVSAM matrem audiens Ion narrantem concubitum cuiusdam suę cognatę (at ea ipsa erat) cum Apolline, inquit apud Euripidem:

Ὦ τλήμων, ὡς τἄλλ' εὐτυχὴς ὢν εὐτυχεῖς.

O infelix, quantum in cæteris felix existens, non felix es.

LACEDÆMONIORVM imperium ab Epaminonda Thebano ad Leuctras Bœotias concussum est, uindicãte (ut Plutarchus ait) Scedasi genio filias à Lacedæmoniis iuuenib. stupratas, & patris querimoniam à magistratibus contemtam. Plut. in Epaminonda.

ARTOXERXES Mnemon Persarum rex, cùm incesta libidine duas filias uxores duxisset, Ammistrim & Atossam, quarum utranq; Tiribazo satrapæ desponderat: occasionẽ dedit ei, ut cum Dario filio (qui denegatam sibi à rege pellicẽ Aspasiam ægrè ferebat) conspiraret. Quo facto, rex ipse Darium filium sua manu in carcere interfecit. Ochus uerò, qui Atossam sororem & nouercam deperibat, Ariaspe & Arsame fratrib. interemtis, ut expeditam sibi ad regnum uiam patefecit, ita quoque ut Artoxerxes senex libidinosus luctu & mœrore conficeretur effecit. Plut. in Artoxerxe.

Lucretiæ stuprum à Sex. TARQVINIO illatum, Tarquinium regno deiecit.

Florentes Hispanias RODERICVS rex, stupro Cauæ Iuliani comitis filiæ, perdidit, lacerandas q; & conculcandas Mauris reliquit. L. Viues de Christ. fem. lib. j.

Ex Auaritia infelices.

Oraculo responsum est Alcameni & Theopõpo Spartæ regib. Tum demũ uincendos esse LACEDÆMONIOS, cùm aurum & argentum in precio cœperint habere. Id quòd in puerbium abiit, Pecuniarum scilicet cupiditatem Spartam capturam, præterea nihil: in eos, qui sola pecunia possunt expugnari, alioquin inuicti. Respondet apophthegmati Philippi Macedonum regis, qui putauit nullam arcem tam munitam esse, quin capi posset, modò asino pateret accessus onusto auro. Respondet & Danaes fabulæ, à qua nulla custodia auri insultum arcere potuit. Meminit M. Tullius in 2. libro Offic. & Plut. in Laconicis. Erasmus in Adag.

Ob Luxum infelices.

THESSALORVM luxu inuitati Persæ, Græciæ inuadendæ consilium cepere. Athenæus lib. 12. cap. 10.

Ex Superbia, & Ambitione infelices.

EZECHIAS Iudæorum rex, Babylonij regis legatis thesauros suos omnes ostendit, ut hanc opulentiam regi suo narrarent. Ea superbia offensus Deus, per Esaiam prophetam minatus est fore, ut thesauri illi omnes Babylonem transferrentur. Id quod postea sub Manasse Ezechiæ F. cõtigit. 4. Regum 20. & 2. Paralip. 32.

NABVCODONOSOR rex Babylonius sibi diuinos honores arrogare ausus, statuam auream sexaginta cubitorũ erexit, ut sub eius specie uenerarẽtur. Verumenimuerò subitò Dei iudicio mentis expers factus, in bestiam mutatus est, ita quidem ut fœnum comederet, per syluas & campos circumuagans. Elapso septennio Deum recognoscens, mentem recepit sanam, & regnum quod perdiderat. Hieron. in Explanatione super Danielem.

NIOBE Assaonis F. Philotti uxor (pleriq; alij Tantali filiam & uxorem Amphionis fuisse asserunt) cum Latona ob filiorũ pulcritudinem certans, hanc tulit pœnam. Maritus eius Phiottus in uenatione dilaniatur. Assaon filiæ stuprum inferre conatur. Niobe recusante, filios eius in conuiuium uocatos combussit. Niobe ex rupe altissima sese præcipitauit, Assaon seipsum interemit. Parthenius de Amat. cap. 33. ex Xantho in Lydiacis, Neanthi lib. 2. & Simmia Rhodio.

C. MARIVS Cecilij Metelli legatus bello Iugurthino Romã reuersus, quum Metello uehementer obtrectando aditum sibi ad consulatum fecisset, ut in Africam traiecit, Metellus inuidia uictus animiq; æger, quòd confecto per se bello, cũ nihil restaret, nisi corpus ut teneret Iugurthę, lauream & triumphum sibi Marius eriperet, auctus ex inuidia sua: non induxit animum eo congredi, sed fugit eius conspectũ. Exercitus autem Mario à Rutilio Metelli legato traditur. At deorum ira, Marius huius gloria belli ab L. Sylla quæstore, sicut ab ipso Metellus, orbatus est. Plut. in Mario.

ADELBERTVS Häburgensis archiepiscopus, profusissimus & ambitiosissimus, cum in extremis, crebris iteratis suspiriis: Heu me, inquit, infelicem & miserum, qui tantas largitiones in uanum effudi. Potuissem esse beatus, si in usus pauperum ea conuertissem, quæ pro seculi gloria me distraxisse nunc nimiùm doleo. Nunc autem illum adhibeo testem, cuius oculus intuetur abyssi profunda, quòd intentio cordis mei tota fuit super exaltatione ecclesiæ meæ. quæ licèt mea culpa exigente, uel odio inimicorum superante, extenuata nimis uideatur, sunt tamen amplius quàm duo millia mansi, quos ex hæreditate mea uel labore meo gratulor adiectos ecclesiæ. Cranzius lib. 5. Metrop. c. 11.

Ex Adulatione.

DEMADEM oratorem, qui contra Demosthenẽ fauebat Antipatro Macedoni, mortuo Demosthene diuina ultio egit in Macedoniam: & quibus fœdẽ fuerat adulatus, ab iisdem est perditus iustè: odiosus iis uel antè, tunc uerò noxæ compertus manifestæ. Literæ eius emanarant, quibus Perdiccã ad Macedoniam tentandam adhortabatur, & ad consentiãdos Græcos, ut à marcido & uetere filo dependentes, Antipatrum significans. De his cùm eum Dinarchus Corinthius accussasset, infensus Cassander filium eius in ipsius iugulauit sinu, deinde eum iussit necari. Hic maximis calamitatib. didicit proditores semetipsos uendere primos: quod sæpius prædicente non crediderat Demosthene. Plutarchus in Demosthene.

Ex Impietate in deos, Hæresi, Periurio, Idololatria, Superstitione.

Consule Tit. Idololatria, Superstitionis: quatenus Iusticiæ publica ex impiorum uel superstitiosorum magistratuum iyrannide in ipsos redundat subditos.

VALENS Imp. Arianus cùm Gothi petiissent, ut mittere Episcopos uellet, à quibus in Christiana fide instituerẽtur, pro catholicis Arianos misit. Ne impunitum Valentis scelus maneret, tulit Deus, ut traiecto Danubio, intra imperij fines, sine alia publica fide Gothi cùm consedissent, Valentis auaritia cogente rebellarent. Capta igitur Antiochia, Valente uicto uulnerato q;, cùm is fessus in pastoralem casam diuertisset, in ea superuenientibus Gothis uiuus combustus est: ut qui missis peruersis doctoribus Gothorum animos hæresi incenderat, uiuens cremaretur. Fulgosus lib. j. cap. 2. & Egnatius lib. j. cap. 2.

Ex Impietate in Sacros homines, ex Persecutione.

Vide Titulum, Persecutorum.

Anno

Anno Christi LXVI. Neronis X. (ut in Chronicis assignauit Eusebius) HIERAPOLIS, interfectrix Philippi apostoli, terræmotu concidit, unà cum uicinis ciuitatibus Laodicea & Colossis.

In Apologia aduersus Demetrianum præfectum Cyprianus ait: Nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianũ exurgit, ut non statim diuinitùs uindicta comitetur. Puniri enim calamitatibus tum publicis, tum priuatis, persecutiones, historiæ omnium ætatum testantur: & uel mors sola persecutorũ fatetur. Exempla aliquot utriusq; generis Tertullianus commemorat in scripto ad Scapulam: ut, sterilitates: & post sementes, messes amissas: inundationes ex imbribus, tempestates, horrenda prodigia, & solis obscurationem; signum scilicet imminentis iræ Dei. Recitat & priuatas aliquot persecutorum pœnas. VIGELLIVS, inquit, Saturninus, qui primus hinc gladium in nos egit, lumina amisit: CLAVDIVS Herminianus in Cappadocia, quum indignè ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusq; in prætorio suo uastatus peste, uiuus uermibus ebullisset: Nemo sciat, inquit, ne gaudeant Christiani. Hac uoce satis testatus, se crudelitatis suæ in Christianos tam terras pœnas dare. Iam quid de ipsis primis persecutionum auctoribus, Imperatoribus scilicet, dicemus? quorum nullus est, qui non aut in Imperij infelicitate & breuitate, aut in turpi & probroso exitu uindictam diuinam senserit. SEVERVS Imperator, quum regnum feliciter primùm administrasset, statim posteaquam persecutionem mouit, successibus destitui cœpit, ac continuis uariisq; periculis & bellis distrahi, ut Platina inquit. Exitus eius licèt cruentus & tragicus non fuit: tamen eiusmodi fuit, ut in uehementi membrorũ omnium, quemadmodum de eo Victor scripsit, maximè uerò pedũ dolore, uenenũ petierit.

Sub CONSTANTIO Imp. post synodum Antiochenam, in qua Athanasius condemnatus fuit, ciuitates Orientales, ac præsertim Antiochenorum, maximis terræmotibus quassatæ sunt: Sozomeno teste lib. 3. c. 6.

Cùm in exilium abiret IOANNES Chrysostomus, episcopus Constantinopolitanus, in templo incendium exortum est grauissimũ, sumto initio è suggestu, unde concionari Chrysostomus cõsueuerat: quod à crepusculo uespertino ad auroram usq; duraüit. Secuta est paulo pòst grando maxima. Imperatrix Eudoxia quarto pòst die obiit. Vtna eius, in qua posita fuerat, cõtinuo quodam motu agitari statim cœpit, & ad annos XXXV. duraüit. Pestis, & fames, & terræmotus, inundationes, siccitates, & grandines orbem afflixerũt Romanum. Arcadius non multo pòst uiuis excessit. Socrates lib. 6. Sozomenus lib. 4. & 8. & 13. Nicephorus lib. 13. & 14. Aduersarij eius Cyrinus Chalcedonensis episcopus pedis ulcere miserè periit. Theophilus Alexandrinus pleuritide paulo pòst periit.

PHILIPPVS Francorum rex, cùm post reductos in patriam Iudæos, Ecclesias duriter affligere cœpisset, infelicissimum contra Anglum bellum gessit. Nam plura eius oppida hic expugnauit, ac terram circumquaq; longè latecq; uastauit, multaque præda tandem onustus, Philippo frustra resistente, discessit. Vincentius lib. 29. cap. 60. Antoninus tit. 17. capite 9. §. 30.

ADRASTVS Talai filius rex Argiuorum, principiò felix, tandem calamitosus factus est, quòd insolenter Thebanos exagitasset, qui Nemeseos fanum extruxerant, quæ inde ἀδρήστεια uidetur dicta. Nam quum Epignoni, hoc est, eorum liberi, qui ad Thebas occubuerant, bellum contra Thebanos renouassẽt, solus Aegialeus Adrasti F. in eo cecidit. Suidas.

Ex Impietate in Res sacras, ex Sacrilegio infelices.

AEGINETÆ ob uiolatum Cereris templum ab Atheniensibus uicti. Vide Tit. Asyla uiolata.

Fuit diuinitùs castigatũ scelus PHILOMELI & ONOMARCHI & PHAYLLI Phocensium principum, quod spoliato Delphici Apollinis templo perpetrarunt. Nam quum sacrilegis statuta esset pœna, ut præcipitati, aut submersi, uel combusti uitã finirent: haud multo pòst raptos sacros thesauros, unus eorum uiuus combustus, submersus alius, tertius autem ex alto præceps demissus. His mortis generibus Græcam legem in sacrilegos moriendo seruarũt. Fulgosus lib. j. cap. 2. ex Diodoro, & Pausania. Pari fato tandem periẽre eorum milites. Auctore Plutarcho in Timoleonte, Pœni in agro Mamertino quadringentos MILITES mercenarios, quos Timoleon auxilio miserat, occiderunt: & in Carthaginensium prouincia iuxta Hieras, quas uocant, mercede militantes, quibus præerat Leucadius Euthymus, oppresserunt. Hi fuerant inter illos, qui cum Philodemo Phocensi & Onomarcho Delphos occupauerant sacrilegij consortes, quos quum odissent, & deuotos refugerent omnes, palantes per Peloponnesum à Timoleonte fuerãt aliorum militum penuria conscripti. Vt applicuerunt in Siciliam, in omnibus conflictibus, quibus interfuerat ille, palmam tulerant. Quum uerò essent plurima iam & maxima certamina explicata, aliis ab eo suppetias missi perierunt, & absumti sunt: non semel omnes, sed carptim.

Cùm oppidum Tolosanum in terra Gallia Q. Cepio consul diripuisset, multumque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit. Inde manauit prouerbium, Aurum habet Tolosanum. Erasmus in Adagiis.

Ex Perfidia in Subditos, ob Tyrannidem infelices.

Propter iniustè damnatum Nabothum, Elias Thesbites, Domini iussu, ACHABVM regem Israelitarum cum Iezabele uxore, totaque familia periturum asseruit. Id quod triennio pòst contigit. Achabus in prælio contra Syros cæsus, Ioramus filius à Iehu occisus, Iezabel præcipitata, & à canibus dilaniata fuit. 3. Reg. 21. & 4. Reg. 9.

CASSANDER Antipatri F. Alexandri Magni odio flagrans, eius domum totam funditùs euertere contendit. Nam & Olympiadem Alexandri matrem, iis Macedonũ, qui in eam acerrimis flagrabant odiis, lapidibus obruendam tradidit: & Alexandri filios, Herculem ex Barsine, Alexandrũ ex Roxane susceptos, uenenis peremit. Neque tamen ipse satis fortunatus è uita discessit, neq; eius stirpi incolume regnũ permansit. Ex morbo enim aquæ subter cutem fuse, uiuens etiamnum erumpentibus undique uermibus, extabuit. Ex eius uerò liberis Philippum natu maximum regno iam inito tabidi corporis lues sustulit. Cui quum successisset Antipater, Thessalonicem illius matrem interfecit, Philippo Amyntæ filio & Nicasipolide genitam. Parricidij ea fuit causa, quòd ea plus beneuolentiæ Alexandro, qui erat Antipatri liberũm minimus, impertiret. At hic accito in auxilium Demetrio, fratre interemto, matris cædem ultus est. Verùm intellexit percussorem paratum, quem sibi socium adsciuerat. A Cassandro itaque deorum aliquis, quisquis ille fuerit, meritam pœnam exegit. Pausan. in Bœoticis.

CATVLLVS Iudæos Cyrenenses falsis criminibus circumueniens, ad tria millia occidit. Tandem horrendo mortis genere interiit. Vide Tit. Pseudoprophetarum.

IVSTINIANO II. Imp. crudelis. dux exercitus Helias manibus suis caput amputauit. Filius Tiberius cum materna auia Anastasia (nam mater diem suum obierat) aufugit in ædem, quæ est Blachernis, uitandæ mortis gratia: ac sacrarium ingressus, post sanctissimam mensam delitescens, eius pedem unum complexus, Deum orabat ne interficeretur. Sed qui ad eum missi erant, detractum è sacrario crudelissimè instar uictimæ iugularunt. Et sic Heraclij stirps defecit. Cuspinianus.

THEODERICVS rex Francorum, qui consilio Brunechildis auiæ sese sanguine proprij fratris aliorumque Christianorum permultorum fœderarat, ab ipsa sua consultrice uita est priuatus. Cùm enim pacatis rebus, neptem ex fratre occiso reliquam in matrimonium ducere uellet, speciosa eius forma illectus, obstitit Brunechildis, dictitans: Incestum esse connubium, quod cum fratris filia contraheretur. Illud ægrè ferens Theodericus, quum antea sibi ab eadem persuasum esset, Theodebertum non suum germanum, sed ex adulterino concubitu prognatum fuisse: cũ impetu in eam irruit, gladio uolens traiicere. Verùm illa ex ipsius manib. elapsa, non multo pòst ueneno eum sustulit. Trithemius de regibus Francorum: & Robertus Gaguinus libro secũdo. Sunt qui scribant, eum profluuio alui interiisse, postquam regnasset annos XVIII. Auentinus lib. 3. asserit eum fulmine ictum, quum post parricidium fratris Mediomatricum urbem ingressus esset. Bestia uerò illa immanis BRVNECHILDIS, quum iam præter infinitam uulgi multitudinem, decem etiam reges morti tradidisset: infelici tandem bello moto contra Lotharium, cui regno cedere nolebat, capta est, & ex sententia omnium procerum totius que exercitus, quater fustibus cęsa antequam ad Clotharium est deducta: deinde coram omni exercitu, celera eius sunt proclamata: & tandem pedibus & brachiis alligata ad caudã indomiti equi, membratim est discerpta, anno Salutis humanæ DCXVIII. Sigebertus, Tritenhemius, Robertus Gaguinus, & Auentinus.

MARGARITA uxor Henrici VI. Anglorum regis, quum inimicorum falsis delationibus Humfredum Glocestriensem ducem uirum optimum à regni administratione deiectum, in carcere strangulari indicta causa permisisset: non multo pòst ab Edouardo IIII. maritus eius captus, filius optimæ indolis trucidatus, ipsa in exilium eiecta, innocenti sanguinis pœnas dedit. Polydorus lib. 24.

Ob

Ob Perfidiam erga Principes facti infelices.

ACHITOPHEL perfidus erga Dauidem regem, laqueo seipsum præfocat. Vide Tit. Consiliariorum certamina.

BAASÆ perfidiam erga Nadabum regem, in eius filio Ela ultus est Zambris Elæ seruus: ZAMBRIS uerò perfidiam erga Elam dominum suum ipsemet ultus est, cùm se in regia concremauit. 3. Reg. 16. Vide Tit. Tyrannorum.

Decem Prætores uiros clariss. quorum industria Spartani ad Arginusas pugna omnium funestissima ab ATHENIENSIBVS affecti sunt, ob cadauera insepulta relicta (neque enim per tempestatẽ licebat) capitis damnati sunt ab ingratissimo & superstitiosissimo populo. Verùm nõ multo pòst graues pœnas dedêre. Nam & qui prauis suasionibus Oratorũ pellecti deliquerant, debita insaniæ præmia haud multò pòst retulêre, non ab unius solius potestate, sed à triginta simul Tyrannis sæuis exagitati: qui sententiã tulerat Callixenus, mox à populo à se decepto, in uincula publica conjectus, clàm cum quibusdã aliis carceris parietes perfodit, profugitq; ad hostes in Decelium castellum, ut euitata morte, per ignominiam morte grauiorem reliquum ætatis exigeret: nec ab Atheniensibus solis, sed à tota Græcia digito ostensus ob singulare flagitium haberetur detestabilis. Diodorus Siculus lib. 13.

PERCVSSORVM Cęsaris ferè ne triennio quisquã ampliùs superuixit, neq; sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cęsarem uiolauerant, interemerunt, ut Cassius: Brutus à genio uexatus. Suetonius.

PHOCAS Imp. crudelissimè Mauricium Imp. cum liberis interfecerat. Tandem facta est coniuratio in ipsum, à Prisco eius genero. Senatorij ordinis reliqui secretò per literas ab Heraclio, Heraclij (ad quem postea imperium deuenit) patre, tunc in Occidẽtali Aphrica & Libya cum exercitu rempublicam administrante, petierunt ut populum Romanum ab impia eius tyrannide liberaret. Is filium Heraclium cum pedestri naualiq; apparatu contra tyrannum misit. Hic victoria potitus, Phocę primùm manus ac pedes resecari: deinde, quia honestis matronis multis uim intulerat, pudenda excindi, tandem caput amputari, & postremò corpus in boue æneo comburi iussit, omni eius stirpe cum ipso extincta. Nicephorus lib. 18. c. 56.

Intra annos quatuordecim, totus ille EXERCITVS, qui cum Phoca contra Mauricium Imperatorem coniurauerat, ita concisus fuit à Persis, ut tantùm duo superfuerint, Heraclio ea de re diligenter inquirente. Nicephorus lib. 18. c. 41. & 43. & Paul. Diaconus lib. 17. rerum Rom.

RICIMER Gothus quum Anthemium Imp. suum socerum perfidè gladio in Italia transfodisset, non diu de perfidia lætatus est: tertio enim mense cœliacus dolor hominem extinxit. Cuspinianus.



Contra Adolfum Nassauiensem Imp. inutilem PRINCIPES conspirarunt, electo Alberto Austriaco. Sunt qui scribant omnes coniuratores mala morte periisse, quasi quodam fato. Comes enim Albertus de Hagerloch occisus. Otho de Ochsenstein in armis præ æstu suffocatus. Episcopus Moguntinus Gerlacus subitanea morte in sella tactus. Episcopus Argentinensis à ministro suo ante Friburgum ense traiectus. Comes de Leiningen phrentidie correptus. Albertus rex à duce Ioanne nepote ense transfossus. Cuspin. & Auentinus lib. 7.

Ex Perfidia erga Doctos infelices.

Qui temporum rationem ad calculos uocat, haud difficulter intelliget, à sublato uiolenta nece Socrate, nullum postea egregium facinus ab ATHENIENSIBVS fuisse editum: nam & ciuitas illa pessum abiit, & per eam cuncta Græcia simul concidit. Eunapius in Aedesio.

POLIS Lacedæmonius, Platonem philosophum iussu Dionysij tyranni è Sicilia sublatum, Aeginæ uendidit. Verùm quia capitale erat Atheniensem Aeginam adire, à Charmandro mortis reus accusatus fuit. Sed necessitatis ratione habita, Anniceri Cyrenaico uiginti minis uenditus est, & ab eo mox numissus. Polis postea à Chabria superatus, in Helice submersus fuit: dæmonio illi indicante, hæc ei philosophi gratia malè tractati euenire. Laertius lib. 3.

Ob Perfidiam in Socios.

IVDÆI Scythopolitæ Syris inquilinis suis contra Iudæos regionem incursantes opitulati, ab iis tandem in sylua cõclusi, supra XIII millia cecidêre, dignas sua perfidia pœnas luentes, qui in gentilium gratiã suos contribules bello profligare uoluerint. Accidit id sub initia belli Iudaici. Iosephus lib. 2. cap. 19. belli Iud. Exemplum de Simone, pete ex Tit. Desperationis.

CALLIPPVS Athenienſis quum Dionem Syracusis perfidè interemisset (à quo tamen summis honoribus fuerat affectus) & Syracusanorum tyrãnide potitus esset, breui dignas pœnas dedit. Nam Catanam quũ contenderet capere, protinus amisit Syracusas. Quo tempore dixisse referunt eum, missa è manibus urbes, sic tyro cnestim (culter est, quo incidi tur caseus) cepisse. Hinc adortus Mamertinos, maxima militum suorum parte desiderata, in quibus erant Dionis interfectores, nulloq; Siciliæ oppido cum recipiente, sed infestis & detestantibus omnibus, occupauit Rhegium. Ibi egenus & mercenarium militem malignè tolerans, à Leptine & Polysperchonte eodẽ sortè gladio, quo percussum ferunt Dionem, interfectus est. Agnitus gladius modò fuit. Nam breuis, sicut Laconici, fuit, & opificio scitè fabrefactus. Plutarchus in Dione.

AGATHOCLES Syracusiorum tyrannus, in Sicilia maxima exercitus parte amissa uictus, in Africa parua manu uictores Carthaginenses fudit. Et amissis omnibus quas in Sicilia tenebat urbibus Syracusis obsidione premebatur: at in Africa cæteris omnibus urbibus potitus, Carthaginẽses in urbem conclusos oppugnabat. Quo in facto fortuna quasi data opera quid possit in rebus desperatis, ostendit. Cùm Agathocles in tantũ fastigium euectus esset, & Ophellã Cyrenæorum principem hominem amicum & hospitẽ interfecisset, manifestè Deus ostendit ob eius in illum scelus, quæ ei postea acciderunt, diuinitùs accidisse. Nam quo mense & die Ophella necato eius copias ad se asciuit, eodem ei & filij duo, Archagathus & Heraclides (quos ipse clàm scapha abnauigans in Africa reliquerat) perierunt, & exercitus ad Carthaginenses defecit: quodq; est notatu dignissimum, Deus ab eo binas pœnas expetiuit. Nam cùm unum amicũ iniustè occidisset, duobus filiis priuatus est, iis manus, quã cum Ophella uenerant, inferentibus. Diodorus Siculus libro uigesimo.

C. Martium Coriolanum VOLSCI, proditionis falsò insimulatum, trucidauêre in concione. At non multo pòst ab Romanis fusi sunt acie, in qua cecidit Tullius cædis auctor, & præcipuus exercitus flos periit, fœdam pacẽ accipere, qua in pop. Rom. ditionem fuerunt redacti, & pacti imperata facere, sustinuerunt. Plut. in Coriolano.

Belli PISANI & Neapolitani culpam, Ludouici Sforciæ Mediolanensis principis æmulatio atq; perfidia sustinuit. Quę tamen uno ab illo fonte deriuata, paulo pòst in ipsius caput redundauit. Magnum enim hostem nactus, cùm Veneti sæpius ab illo lacessiti & proditi, hominis infidelissimi atq; arrogantissimi societatem semel renuissent, regno à Gallis expulsus, deinde etiam captus, turpissima in custodia uitã reliquit. Bembus lib. 3. Venetæ hist.

Ex Perfidia & Crudelitate erga Hostes reddiri infelices.

GRÆCI Troianos simulatis fœderibus circumuentos excidêre. Perfidiæ in reditu meritas dedêre pœnas. Aiax Telamonius in furorem uersus manus sibiipsi intulit. Menelaus

uariis

uariis in mari casibus iactatus, Aiax Oilei cum nauibus fulmine ictus periit, Diomedes ab uxore Aegiale expulsus, Agamemnon à Clytemnestra interfectus, Vlysses post uarios errores tandem à Telegono filio necatus. Dictys lib. 6.

Xerxes Persarum rex, quum Darius pater moriens dixisset, Marathonis memento: aduersus Græciam bellum suscepit, ac primùm præcones misit, postulantes terram & aquam. Verùm Athenienses legatis urbe interdixerunt, & cum qui sua ferat ut parèrent, lapidarunt cum uxore & liberis. LACEDÆMONII uerò iis in puteum coniectis, terram ingesserunt. Irato autem Deo, pestilentia conflictati sunt. Et quum Pythius iussisset, ut pro nece caduceatorũ satisfacerent Xerxi: Bulis & Sperchis ultrò ad Persas ascenderũt, daturi pœnas. Rex uerò admiratus, reliquit eos incolumes, & morbus desiit. Suidas.

Marci Crassi perfidè à se circumuenti caput SVRENAS Parthorum dux HYRODI regi suo in Armeniam miserat. Hyrodes inter epulas Tragœdis Penthea recitantibus illud ludibrij causa permisit. Cæterùm pœnas & crudelitate Hyrodes, & periurio Surenas pependit dignas. Surenã enim breui pòst inuidia gloriæ eius necauit Hyrodes. Hyrodi uerò postquam amisit acie à Romanis fusum Pacorum filiũ, implicito morbo, qui in hydropisim desiit, Phraates filius ad maturandam mortem aconitum dedit. Id uenenum quum morbus uicisset, atq; unà cum eo esset expulsum, corpus autem recreatum regis: ad celerrimam uiam Phraates conuersus suffocauit eum. Plut. in Crasso.

CAROLVS Andegauensis Comes, regnum Neapolitanũ & Siculum Clementis IIII. pontificis iussu inuasit, Manfredum primò sustulit, inde Conradinum Sueuum securi percussit Neapoli. At tandem manibus Conradini parentatum est. Namq; Petrus Aragoniæ rex, qui Manfredi filiam Constantiam uxorem habebat, Siculorum conspiratione Gallos omnes ad unum hora uespertinarum precum trucidari curauit (quod facinus adhuc hodie prouerbio Vesperæ Siculę circumfertur in Italia) mox etiam per Rogerium de Loria Calabrum nauali prælio Salernitanum principem, unicum Caroli Andegauẽsis F. uicit, nouem triremes cum magno Baronum numero cœpit, Captiui reliqui Messanã missi & capite supra ducentos plexi sunt. Carolus cum nouem sociis in custodia retentus. Interea quum Martinus papa IIII. Petrum regem diris deuouisset, Caroli Andegauensis morte audita, Siculi reliquias Gallorum à Rogerio captorum igni carceribus immisso concremarunt. Mox conuocatis Syndicis urbium, Carolum Salernitanum cum nouem sociis securi percutiendos pronunciarũt, quemadmodum Conradinum pater eius percussisset. Constantia regina Carolo mortem denunciat feria sexta mane. Tum ille, Hac ipsa die cum Christo pro me innocenter passo & ego nocens libenter moriar. Constantia animi magnitudinem admirata, Ergo & ego in Christi honorem ei quantũ in me est parcere decreui. Curauit igitur Carolum in Cataloniam ad regem Petrum maritum uinctum deduci. Colenutius libro 5. cap. 4. & 5. Hist. regni Neapol.

Edouardus IIII. Henrico VI. capto, regnum Angliæ occupauit, & Edouardum Henrici filij, summæ spei adolescentem, in acie captum, in suo conspectu, à GEORGIO Clarentię, RICARDO Glocestrię ducibus fratribus suis, & GVLIELMO Hastyngio crudeliter trucidari sustinuit. Carnifices pœna promerita secuta est. Nam paulo pòst Edouardus Georgium fratrem de regni ambitu suspectum in dolio uini cretici suffo cari curauit. Ricardus tutor fratris filiorũ relictus, iis in carcerem coniectis, ut regnum liberiùs occuparet, Hastyngium in procerum concilio indicta causa securi percussit. Ipse ui regno occupato, Edouardum & Ricardum fratris filios in carcere necari curauit. Sed biennio uix exacto ab Henrico VII. regno & uita exutus est. Polyd. lib. 25.

Ex Impietate in Parentes.

MICHAEL Constantinopolitanus Imp. Nicephori filius, cũ Alexio in patrem coniuratione inita, si uictores ex prælio rediissent, deiecto patre imperium ipsi obtinerent: fortè ita planè accidit, ut ad Dyrrachium à Roberto Guiscardo duce ipse interficeretur cum Alexio, sicq; cogitati sceleris iustissimas pœnas lueret. Egnat. lib. 9. cap. 11.

ABSOLON, quòd impius erga parentem esset, à Domino punitus, & in trunco arboris suspensus crinibus, uitam amisit. 2. Reg. 18. & 1. Reg. 15.

Quum Ludouicus Germaniæ rex Francoforti ad Mœnũ conuentum ageret, ibi in frequentissimo cõuentu CAROLVS minimus natu filiorum regis subitò prosiliit, mentecq; emota insanire cœpit, abiecto ense & baltheo, uestę quoq; exuturus, à sex robustissimis uiris ægrè retinetur: & modò tenui, modò maiore uoce mugiebat magis quàm clamabat, hiantiq; ore dentibus minabatur. Tum Ludouicus alterum filium sibi cognominem (qui unà cum Carolo aliquoties aduersus patrem & Carolomannum fratrem conspirarat) ut exemplo fratris resipiscat, hortatur. Carolus in templum deductus, solennibus sacrificiis à Luitberto Moguntino lustratus & expiatus, in sensus q; pristinos restitutus, propalã pro concione confitetur, continuò se incursum conturbatę mentis sensisse, posteaquam in animo conceperit se aduersus parentem, quòd is sibi solam Sueuiam tribuisset, res nouas moliturum. Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum.

Ob Perfidiam erga Coniuges infelices.

Ob cædem iniustam Mariammes reginæ, pestilentia grauissima Hierosolymorum urbem afflixit, & magnam optimatũ stragem fecit. Vide Titulum, Infortunata coniugia, ex Iosephi lib. 15. cap. 11.

Ex Perfidia erga Fratres, Nepotes.

ABIMELECHVS ob crudelitatem erga fratres miserè periit. Vide Tit. Tyrannorum.

Colomannus Hungarorum rex, filio suo Stephano stabile regnum relicturus, de sententia quorundam familiarium suorum Almum fratrem ac nepotes excæcari iussit. Item BELÆ nepoti adhuc infanti testes exscindi mandauit. At ille, cui patrandum facinus delegatum erat, quum diuinã iram, ac regni orbitatem reformidaret, exertos catuli testes pro his qui forent infantis, ad Colomannum tulit, pioque commento regis sæuitiam elusit. Verùm dirum regis animum præsens supplicium est subsequutum. Nam uix Almus cum filio oculis orbatus in Demesiense cœnobium traductus erat: quum Colomãnus repentino morbo correptus, ingenti capitis dolore laborare cepit. Medicus illi erat Draco, cui plurimum confidebat. Hic remittendi doloris causa, aurib. cataplasma admouit. Quod quum diutius rex pati non posset, remouit, illudq; inspiciendum Othomaro porrexit. Qui comes regius, quum eductum in eo cerebrum intueretur, euestigiò exclamauit, Cataplasma certissimum lethi signũ ostendit. Proinde quæ ad æternam salutem pertinent inprimis cura, mox regnum dispone, ac ede testamẽtum, ne nos tecum periclitemur. Ad hæc rex ingemuit, plus humanis, q̃ diuinis rebus intentus, & tertio pòst die uita excessit. Bonfinius lib. 5. Decad. 2.

Ex Perfidia erga Seruos.

Quum LACEDÆMONII contra seruos Tænarenses, qui ex Ilotarum genere erant, per uim atque perfidiam insurrexissent, ac crudelissimè eos interfecissent, diuinam ob tantam immanitatem experti sunt ultionem. Mox enim tantus terræmotus urbem concussit, ut quatuor tantùm ædificia relinquerentur, quæ non prosternerentur. Aelianus lib. 6. de Varia historia.

Ex Seditionis Defectionis Belli

[redacted]

Seditiosorum [redacted] ex Tit. Clementiæ [redacted]

SIGHELMVS [redacted] plecho spurio [redacted] con [redacted] de Baalberito [redacted] uno [redacted] diuina ultione, quum [redacted] quibus dati sunt. Vide Tit. Tyrannorum [redacted]

C[redacted] (Iulio Cæsaris) Albanorum [redacted] Romani nominis odio bellum [redacted] amicitiam [redacted] populos excitauit, fouendo Romulus & Remus, Albo omnibus [redacted] arma uenirent periit. Eu[redacted] bilios, quòd [redacted] alterius iniuriæ signo in eius corpore ex[redacted] multis, ira numinis cum interiisse, quòd auctor [redacted] belli inter cognatas urbes [redacted] per aduersæ factionis uiros, cum [redacted] interpretarentur, quidam, mœrore & anxietate [redacted] arbitrati sunt, [redacted] uinctus. Sab. [redacted]

Ex Periurio, Falsa accusatione [redacted]

B[redacted] RO [redacted] ligionem [redacted] laudare solebat Agesilaus, eo quòd peierando [redacted] deos infe [redacted] de Iliaca historia [redacted]

PO[redacted] quòd [redacted] esset euasisset, fingunt, quoties [redacted] somnium [redacted] à muste lis morsum: ac tandem despondentem animum, sibi mortem consciuisse. Heraclides.

Malè

Malè sibi conscij tres flagitiosi homines, dum iudicium ac reprehensionem NARCISSI episcopi metuũt, cùm certi cuiusdam infamis criminis insimularunt: iuramento execrationeq; interposita, ut ignis primum absumeret, nisi uerum diceret: secundùm sæuus corriperet morbus, si quicquam mentiretur: tertio uisus eriperetur, si falsum protulisset. Narcissus otij & tranquillitatis cupiditate in agros se solitarios abdidit. Testium uerò non ita multo pòst unusquisq; illud ipsum quod sibi periurio imprecatus erat, expertus est. Prioris siquidem parua de scintilla domus, qua recipiebatur, succensa, incendio tota cum ipso conflagrauit. Alter sęuo morbo confectus, miserè extinctus est. Postremus diuinam uindictam exitu priorum æstimans, lugendo noctes totas, utri usq; oculi usu priuatus est. Eusebius lib. 6. c. 9.

Sub Constantino Imp. STEPHANVS Antiochenus episcopus Arianus, per Onagrum adolescentem perditissimum, scortum infame in hospitium illud, ad quod episcopi duo orthodoxi Euphrates & Vincentius diuerterant, uesperi clã introduci curauit: & non procul ab illis ædibus constituit speculatores, qui strepitum & turbas excitarẽt, quasi episcopos fornicantes deprehendissent. Procedente dolo, clamore orto, mulier comprehensa & interrogata, à quo introducta esset: contrà quàm insidiatores illi expectabant, rem totam exposuit. Ductus deinde ad iudices, ex illis, qui in diuersorio simul capti & comprehensi erant, natu minimus, ultrò ac sine tormentis fabulam eam & compositionẽ scelestam omnem explicauit, Onagrum auctorem esse confessus: qui adductus, fassus & ipse est, se, quicquid sit eius, fecisse Stephani iussu. Itaq; Stephanus à synodo Sardicense depositus est. Theodoretus lib. 2. cap. 9. & 10. Socrates lib. 2. capite uigesimo secundo.

Ex Proditione infelices.

Potiti fuerant POENI in Italia belligerantes Tarento urbe, nõ ui bellica, sed proditione: estq; à Romanis id oppidum pari opera receptum. Vnde uox illa Annibalis: Eadem arte, qua cœpimus, Tarentum amisimus. Sab. lib. 10. c. 4.

Primi omnium LACEDÆMONII ex omni antiquitatis memoria hostem dicuntur muneribus sollicitasse, & uenalem fecisse belli euentum. Prius enim quàm ab illis circumueniretur Aristocrates Arcadum rex, à quo Messenij bello secundo Messenico proditi sunt, uirtute, fortuna, deorum præsidiis res bellica stabat. Constat uerò Lacedæmonios cosdẽ, & insequentibus deinde temporibus, cùm ad Aegos flumẽ classi Atheniensium occurrissent, & alios hostium prętores, & Adimantum inprimis mercede sibi deuinxisse. Verũ suis & ipsi artibus superati sunt. Nam cùm maximè opibus florerent, delecta Atheniensium classe, magna Asiæ parte Agesilai ductu occupata, imperium illi quidem non prorsus amiserunt, sed ipsorum arte Persarum rex usus, missa Corinthum, Argos, Athenas, Thebas pecunia, bellum in Spartanos concitauit, quod est Corinthiacum appellatum. Quæ fuit causa, ut Agesilaus in Græciam, omissa Asiatica expeditione, exercitum reportaret. Dolum itaq; Lacedæmoniorũ dij in ipsorum uertere perniciem. Pausan. in Messenicis.

CORPORIS MALORVM.

Huc illi qui ex Morbo, ex Senio res infeliciter gessere.

MALORVM FORTVITORVM. Infelices facti ex

Conuersatione cum improbis.

ABRAHAMO, quãdiu cum peruersis hominib. in Hur Chaldæorum uixit, non legitur Dominus apparuisse. Sed postquam inde exiuit, multoties diuinis apparitionibus fuit illustratus. Genes. 13. 15. 17. & 18.

Cùm quidam de Sauli prosapia superstites essent, contra Domini mandatum, fames totam IVDÆORVM terram miserè afflixit. Illis tandem cruci affixis, Gabaonitarum opera, fames cessauit. 2. Reg. 21.

SVESSA Pometia urbs florentissima, deportata in eam Valeria, fatali excidio euersa est. Vide Tit. Partus non naturalis.

Fœdere cum improbis.

Cùm ex diuino mandato omnes Palæstini ab ISRAELITIS occidendi essent, neque illi tamen paruissent, sed cum quibusdam fœdus percussissent, malè à Domino multati sunt. Iudicum 1. & 2.

IOSAPHAT rex Iudæorum, licèt recte uixisse prædicetur coram Domino: quia tamen amicitia illi intercesserat cum Ochozia rege Israelitarum omnium pessimo, per prophetam Eliseum arguitur, & classis quam cum ipso communem habebat, prius quã Tharsis, quò missa fuerat, peruenisset, naufragio periit. Rursum alias naues communicatis impensis ædificare ab Ochozia tentatus, renuit: iam damno satis edoctus, ne innocenti quidem securum esse cum perditis hominibus commercium. Marulus lib. 3. cap. 7. ex 2. Paralipomenon, cap. 20.

Quandiu IVDAS Machabæus confidens de diuino auxilio gessit bella pro populo suo, bene ei successit. Cùm uerò iniuit amicitiam & societatem cum gentilibus Romanis, licèt tunc potentissimis, citò pòst superatus fuit, & in bello cecidit. 1. Machab. 2. & 9. Idem accidit IONATHÆ, fratri Iudæ. 2. Machab. 12.

BONORVM ANIMI. INFELICES facti ob

Sapientiam.

MEDEA Iasonem secuta in Græciam, quia peregrina esset, & reliquis sapientior, inuidiæ erat obnoxia. Proinde Corintho excedere iussa à Creonte, suam deplorat calamitatem apud Euripidem in Medea:

ὁ πῶς με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις, κρέον,
ἔβλαψ' ὁ δόξα, μεγάλα τ' ἄρασα κηκίδι.
σοφὴ γὰρ ἐσαν, τοῖς μὲν οὐ ἐπίφθονοι·
τοῖς δ' ἡσυχαίαν, τοῖς δ' ἀστέρα πρέπειν,
τοῖς δ' ἐν ἀνθρώπῃσι.

Non nunc me primùm, sed sæpè, Creon, læsit existimatio, magnaque patrauit mala. Sapiens enim cùm sim, aliis sum inuidiæ obnoxia, aliis quieta, aliis porrò nescio cuius moris, aliis etiam aduena.

Eloquentiam.

Iuuenalis sat. 10. de stultis uotis ageus, inter cætera sic scribit:

Eloquium ac famam DEMOSTHENIS aut CICERONIS
Incipit optare.——
Eloquio sed uterq; perit orator: utrunq;
Largus & exundans letho dedit ingenij fons:
Ingenio manus est & ceruix cæsa. nec unquam
Sanguine caussidici maduerunt rostra pusilli.

Iustitiam.

ARISTIDES non aliam ob causam in exiliũ decennale ablegatus est, nisi quòd molestum esset populo Iusti cognomẽ illi uulgò tributum. Plutarchus.

BONORVM CORPORIS. Infelices ob

Pulcritudinem.

Consule locum Pulcritudinis, quæ plurimis obfuit: item Tit. Raptorum.

HELENA apud Euripidem formam suam Græcis pariter & Troianis calamitosam his uerbis deplorat:

πὸ δ' ἐμὰ δῶρα Κύπρις ἔτεκε,
πολὺ μὲν αἷμα, πολὺ δ' δμίκευον,
ἀχὰ τ' ἄχεσι, δάκρυα δάκρυσιν
ἔλαβε πόντια.
μητέρες τε παῖδας ὤλεσαν·
ἀπὸ δ' παρθένοι κόμας
ἔθεσθ', σύρφανοι νεκρῶν.

Sed mea dona Venus peperit, multum sanguinem, multas lacrymas, & dolores cũ doloribus, lacrymas cum lacrymis, acceperũt passiones, & matres filios amiserunt, & uirgines comas deposuerunt, sorores interfectorum. Et rursus ibid.

αὐ μὲν γὰρ ἄλλαν ἄλλ' τὸ κάλλος εὐτυχῆς
γαμεῖκες· ἡμᾶς δ' αὖτ' ἀπόλεσεν.

Cæteræ propter pulcritudinẽ felices sunt mulieres: sed nos hoc ipsum perdidit.

LVCRETIÆ & VIRGINIÆ exempla Iuuenalis sat. 10. his uerbis citat:

Formam optat modicò pueris, maiore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum uidet anxia mater.
Sed uetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atq; suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregij miseros trepidosq; parentes
Semper habet. Rara est adeò concordia formæ,
Atq; pudicitiæ.——

Robur.

Ex Tit. Luctatorum, exempla quædam petantur, quatenus robore abusi malè perierunt.

Longæuitatem.

Cn. POMPEIVS primo ex Africa de Domitio, altero ex Europa de Sertorio, tertio ex Asia ducto, quasi de orbe terræ tribus triumphis inuectus est uisus. Aetate tunc erat, ut illi uolunt, qui in omnibus cum Alexandro illum conferunt, quatuor & triginta annis minor, reuerà attingebat quadragesimum: qui utinam tum uitam deposuisset, quoad fortunam habuit Alexandri. Vlterius tempus plenas inuidiæ attulit ei prosperitates & acerbissima infortunia. Plut. in Pompeio, & Sab. lib. 4. Enn. 6.

BONORVM FORTVITORVM. INFELICES OB

Diuitias.

Consule Tit. Infelicitas respectu Instrumenti Materialiter considerati, ob Monilia.

Vbertatem.

ZACYNTHII bellorum sunt ignari, propterea quòd in magna rerum copia ac diuitiis deliciarum studio tenebantur. Polybius lib.7. CAPVÆ uiros, quæ est in Campania, ob terræ mirandam ubertatem opulentos, scribit in uoluptatem ita prorupisse, ut uel Crotonis Sybarisq; ciuium famam traditam longè superauerint. Hi igitur cùm præsentem rerum felicitatem perferre non possent, Annibalem ad se uocarũt, quare in eos Romanus Senatus grauiter animaduertit. Athenæus lib.12. cap.11.

Subacta à Scotis & Pictis BRITANNIA, à Maximiano tyrãno & militibus & incolis in Armoricam traductis exhausta, ciuili item bello inter plebeios & nobiles orto miserè lacerata est. Secuta fames ingens tres continuos annos per multos absumsit. Hanc secuta frugum ubertas, quantam nulla retrò acta ætas meminit. Vnde luxuries insolita, omniumq; scelerum colluuies, inter Britones, deliciis & uoracitati, neglectu maiorum uirtute, deditos nata: crudelitas insuper, ueritatis odium, amor mendacij, atque alia innumera hominibusq; indigna flagitia: adeò ut si quispiam mitius se gereret, aut ueritati propior uideretur, in eum quasi patrij instituti subuersorem, omnium odia telaq; torquerentur. Et non modò populares (ut refert Beda) ea inficiebãtur labe: sed & nobiliores gentis, imò Christi sacerdotes, ac dominici gregis pastores, eo tempore aleatores facti, ebrietati, litigio, contentioni, inuidiæ; cæterisq; huiusmodi facinoribus sua colla impudenter subdiderũt. Perdidit ea lues Britannicam gentem, opibus, uirtute & belli gloria olim pollentem, crudelius longè quàm antea unquam gladius. Accessit dira pestis, quæ breui tantam uim hominum strauit, ut sepeliendis mortuis uiui nõ sufficerent. Sed nec peruentium calamitas, nec mortis timor, quos plaga non percusserat, ab animi morte putui reuocare: adeò corruptus ille populus, flagitiis sese addixerat. Hæc fuêre in causa, ut breui gens ea, numinis ultione, suapte culpa Saxonum armis expugnata, amisso regno, nunquam deinceps pristinũ suum decus recuperare potuerit. H. Boethius lib.8.

Ciuitatem munitam.

Rèliquis urbibus commoditati sunt murorum munimina, PRÆNESTINIS autem cladi, propter Romanorum seditiones. Confugientibus enim eò seditiosis, & per obsidionem deprehensis, & urbem uastari, & agrum alienari contigit, ad insontes culpa relata olim. Strabo lib.5.

Victoriam.

Exempla quædam è Tit. Intemperantes in genere.

Commisso apud Ismenum prælio, in cõgressu uicti sunt THEBANI, & compulsi in fugam intra mœnia sese receperũt, tanquam Argiui oppugnationis essent ignari. Porrò quum illi magis ira quàm arte irruerent, non pauci à Thebanis è muro iaculis sunt interemti. Postremò uicerunt & alios, in palantes turbatosq; facta impressione, ita ut totus exercitus excepto Adrasto interiret. Neque paruo ea victoria constitit Thebanis, & ex eo victoriam, coniunctam cum exitio eorũ qui uicerunt, Cadmeã appellant Pausan. in Bœoticis.

Magnam gloriam adepti BOEOTI post res Leuctricas, in cõuiuia conuersi ac ebrietates, bonam partem rerum suarum in conuiuia absumsere, sic ut multi essent, quibus plures essent cœnæ, quàm dies in mense. Quam consuetudinem ægrè ferentes Megarenses, ad Achiuos defecerũt. Polyb. l.20.

SPARTANI nullam omnino acquirendæ pecuniæ rationẽ habebant, quòd ex quodam oraculo acceperant, Spartæ solam pecuniæ cupiditatem fatalem fore. At Lysander uir frugalissimus & auri continentissimus, quibus ipse temperabat, his inundauit ciuitatem. Nam captis Athenis immensam auri uim Spartã misit. Ea res Spartam perdidit. Plut. in Lycurgo.

De ROMANO auaritiæ fomite sic scribit Ouid. lib.1. Fastorum:

Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.
At postquam fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit summos uertice Roma deos:
Creuerunt & opes, & opum furiosa libido,
Et cùm possideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumta requirere certant,
Atq; ipsæ uitiis sunt alimenta uices.

Scribit Liuius, CN. Manlio Volsone de Asiaticis triumphum ducente, luxuriam peregrinam primùm inuectam in Vrbẽ. Inde lectos primò æratos, & uestem stragulam preciosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos adduxêre milites. Tunc psaltriæ, sambucistriæq;, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis: tunc coqui in precio esse cœperunt. Cælius lib.7. cap.12. Antiq. lect.

TEMPORIS. INFELICITAS PVNCTO TEMPORIS acquisita.

Consule Tit. Felicitas inconstans, quatenus exemplæ illic Felicium, qui momento temporis infelices sunt facti, recensentur.

INFELICITATIS POSSESSIO, RESPECTV

PERSONARVM POSSIDENTIVM. Sic dantur.

HOMINES INFELICES

In Genere.

In Iphigenia Aulidensi apud Euripidem sic chorus alloquitur AGAMEMNONEM:

Οὐκ ἐπὶ πᾶσι σ' ἐφύτευσ' ἀγαθοῖς,
Ἀγάμεμνον, ἀτρεύς·
Δεῖ δ' ἐστὶ χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι
(Θνητὸς γὰρ ἔφυς) κἂν μὴ σὺ θέλῃς,
Τὰ θεῶν οὕτω βαλόμ' ἔχει. id est, Non te seuit ad omnia læta, Agamemnon, Atreus: gaudere atque dolere necesse est (mortalis enim es) sin tu nolis, tamen euenient: sic diis placitum.

In specie. Infelices

Populi.

Zenodotus Aristotelem auctorem citat, CYTHNIOS usque adeò diuexatos afflictosq; fuisse ab Amphitryone, ut in prouerbium abierint, κυθνιώδεις συμφοραί, pro maximis cladibus, & immensis calamitatibus. Est autem Cythnus ex insulis Cycladibus una, cõtra Dryopidem sita, teste Stephano. Erasmus in Adagiis.

Quum Arnulphus Imp. bellum gereret in Zuendebaldum Morauiæ regem potentiss. imperatorium iugum subire recusantem, claustra, quibus excludebantur Vngari, genq; Scythica, laxauit: illorum opera in hostem usus, cæterũ magno malo cæterorum Christianorum, feram gentem immisit prouinciis Christianis, PANNONIAS enim antiquam sedem exterarum nationum occupauere. Nam uetustissima memoria eam apprehenderant Gothi, post illos Huni, pulsis Gothis: Longobardi post illos, pulsis Hunis. Quum illi tenderent in Italiam, Huni sedes acceperant easdem ab Longobardis precariò, ut, si qua necessitas illis reuertendi ingruisset, haberent quò reciperentur. Sed Longobardis in Italia permanentibus, permansit sedes Hunis usq; ad tempora Caroli Magni, qui gentem, omni nobilitate in acie cæsa, satis extenuauit. Tunc uerò aduenæ Vngari consanguineis suis (ut putatur) Hunis superuenere. Mirares, tam numerosum populum, tam crebris agminibus ex uastis solitudinibus motum, semper easdem sedes in Pannonia petiisse, quasi illa prouincia decreta sit recipiendis aduenis. Crãzius lib.2. Saxoniæ, cap. ultimo.

Familiæ.

Chorus interemta iam Clytæmnestra, in ædibus Coloni, cui uxor data fuerat Electra, apud Eurip. in Electra, de TANTALIDARVM familia sic ait:

Οὐκ ἔστιν οὐσίας εἶδος ἀθλιώτερον
τῶν Ἀμφιτρυωνιάδων, οὐδ' ἔφυ πότ', ἐκγόνων.

Non est ulla domus calamitosior, quàm Tantali, neq; extitit unquam, nepotum.

Reges.

SELEVCVS Asiæ rex dicere solebat, Si sciret uulgus, quàm laboriosum sit legere ac scribere solùm tot epistolas, diadema ne humo quidem tollere dignaretur. Plutarchus an Seni tractanda sit respubl.

Lucianus, Myronis & Praxitelis colossos ad huiusmodi fermè similitudinem trahit in Gallo, quòd foris multo niterent ebore, multo fulgerent auro, uariisq; coloribus arriderent: præterea Iouis aut Neptuni repræsentarent imaginem, fulmen aut tridentem dextra tenentes, ut planè numẽ aliquod esse uiderentur: cùm intus nihil appareret, præter picẽ, clauos, araneas, mures, atque id genus sordes alias, haudquaquam ad exteriorem illam imaginem respondentes. Atque huiusmodi PRINCIPVM esse uitam affirmat: quorum si strepitum & apparatum inspicias, nihil felicius, nihil deorũ uitæ similius: sin curas, suspiciones, odia contemplere, quibus intus discruciantur, nihil calamitosius. Erasm. in Adag.

Post Ceolulfum regem res Northumbricæ ad exitum inclinatæ sunt, populo per factiones in partes diuiso. Successere ordine

ordine septem reges, populari seditione exiguo tẽpore uel pulsi, uel interfecti. Vacauit regnum aliquandiu, nullo ampliùs id sibi petere audente, utpote quod uelut ensem Sejanum, ut aiunt, uniuersi formidabant. Res sanè mirabilis: cùm nullũ alio qui tam perniciosum imperium existat, quin mortales quamplurimi cupiditate acti, illud ipsum sibi non optent. Sic NORTHVMBRIA exitio domestico agitata, deinceps triginta & ampliùs annis tam finitimorum populorum quàm Barbarorũ iniuriis exposita fuit: namq; eam Daci sedibus patriis egressi, & in insulam delati, interea etiam tenuerunt, quibus ad ultimum deuictis, Egbertus Occidentalium Saxonum rex, regnum ita seditionibus domesticis barbaricaq; feritate deuastatum, per deditionẽ à Northumbris factã, suo adiecit imperio, anno DCCCXXVII. Polydorus lib.4.

ALFONSO Aragonio senex quidam in cœna importuniùs instabat. Rex nihilo commotior, Asinos tantùm regib. beatiores esse dixit: illis enim dum comedunt, clitellas auferũt agasones, mihi uerò senex iste cœnãti imponit. Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.

Docti homines.

Extat Sotadis inductio apud Stobæum serm.96. de DOCTORVM calamitatibus:

Οπ πάντες, ὅσοι πέφυκον ἠθίλησιν εὐρεῖν
ἢ μηχανικὸν ποίημα, ἢ σοφὸν μάθημα,
ἔτοι κρεῖττον ἐς τ' θαύματον τέλος ἐποίησαν,
ὑπὸ δ' γενητῶν κόσμῳ κακῶς πεπόνται.
σωκράτεω ὁ κόσμος πεπόνηκε σοφὸν ἔνα,
ὃ κακῶς αὐτὸς τ' σωκράτεω ὁ κόσμος,
εὖ τῇ φυλακῇ, κάνειον ὅπ πάλιν τέθνηκε.
πολύποδα φαγὼν ὁ διογένης ὧμὸν τέθνηκεν.
εὐχύλῳ ῥεάφοιτε ἐπιπέπωκε χελώνη.
σοφοκλῆς βάρα φαγὼν τραφυλῆς, πνιγὲς τέθνηκε.
κωΐοες οἱ κρατὲ θρίκιον εὐρεπίδεω ἔτεφηρ.
τ' θεῶν ὄμηρον λιμὲς κατεδαπάνησεν.

Omnes enim qui aliquid egregium inuenire uoluerunt, siue mechanicum opus, siue disciplinam sapiẽtem, in malum mortis finem inciderũt, à genitore mundo malè affecti, Socratem mundus sapientem fecit, ac eundem in carcere malè sustulit: cicuta enim epota mortuus est. Diogenes cũ deuorasset crudum polypum, obiit. Aeschylum scribentẽ delapsa testudo oppressit. Sophocles, acino uuæ deglutito, suffocatus interiit. Euripidem canes Thracij uoratunt. Diuinũ Homerum fames absumsit.

Grammatici.

In GRAMMATICOS Ausonius sic ludit, si modò uera scribens ludere potest:

Felix Grammaticus non est: sed nec fuit unquam:
Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.
At si quis felix præter fatum extitit unquam,
Is demùm excessit Grammaticos canones.

Medici.

GLAVCVS Ephæstionis medicus, eo mortuo, ab Alexandro magno cruci affixus est. Plutarchus in Alexandro. Sed ut infelix Glaucus, ita crudelis Alexander, qui quòd per inobedientiam peccasset Ephæstion, Glaucum ignorantiæ nomine luere uoluerit.

Mariti.

DEMEA Terentianus actu 5. Adelphorũ scena 4. sub sua persona maritorum infelicitatem deplorat, inquiens:

Duxi uxorem: quam ibi miseriam uidi! nati filij,
Alia cura: porrò aũt, dum studeo, illis ut quàm plurimũ
Facerem, contriui in quærendo uitam atq; ætatem meã.
Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium.——

Amatores.

Apud Plautum in Trin. LYSITELES adolescens multa queritur de miseriis amantium, ac meditatur amorẽ eiicere ex animo: Apage sis amor, tuas res tibi habe, amor mihi amicus ne fuas unquàm. Erasmus in Adagiis.

Typographi.

Senes.

Diogenes Cynicus rogatus, Quídnam esset in hac uita calamitosissimum? respondit, γήρας ἄπορον, id est, SENEX egens. Erasmus in Adagiis.

Milites.

ERASINADES dux quidam Arginusam obsederat. Infeliciter autem pugnatum est, ad internecionẽm extinctis cùm aliis quotquot resistebant (inter quos erant Thrasyllus & Pericles) tum ipso duce. Huius Erasinadæ malis & illud accessit, quòd accusatus est, quòd pecunias Hellesponticas furatus esset. Huiusmodi fermè Suidas. Hinc uulgò per iocum dicebatur, de his quibus res undiquaq; malè procederent, Militauit cum Erasinade. Erasmus in Adag.

LOCA INFELICIA.

De his Topico Volumine agetur.

TEMPORA INFELICIA.

Chronico Volumine hæc ipsa comprehendentur.

PERSONARVM, PROPTER QVAS POSSIDETVR. SIC INFELICES dicuntur alij propter

PRINCIPES.

Phinees & Hophnis, filij Eli sacerdotis Israelitarum, nequissimi, cùm parentis monita spernerent, & se & populum ISRAELITICVM & patrem perdiderunt. Arca Dei à Palæstinis capta est, pater de solio ruens ceruicem fregit.

Ob scelera Achabi regis & Iezabeles ISRAELITÆ triennali fame afflictati sunt. Itaq; ab Elia propheta audire meruit, Non ego is sum, qui conturbo Israel, sed tu & domus patris tui.

Funditùs perierunt ILIVM ob Alexandri in Menelaum contumeliam: MILETVS ob libidinem & fœdos amores Histiæi Milesij, dum ille modò in Edonis urbi cum imperio & potestate præsidet, modò se Darij consiliarium gerit, nõnunquam uerò in Ioniam se recipit. LEDON Phocidis urbs ob Philomeli principis sui Delphicum sacrilegiũ. Pausanias in Phocicis.

Tiresias ad Creontem, exponentem causam, quare affligerentur tot malis THEBÆ, causam refert in Laiũ, apud Euripidem in Phœnissis:

—— Νοσεῖ γὰρ ἥδε γῆ πάλαι, κρέον,
ἐξ ὧν πεπόηκ' Λαΐου βίᾳ θεῶν,
πόσιν τ' ἔφυσε μητρὶ μίλεον οἰδίπου.

Aegrotat hęc terra dudum, ô Creon, ex quo creauit liberos Laius inuitis diis, maritũq; creauit matri infelicem Oedipũ.

THEBANI duce Pelopida magno prælio Alexandrum Pheræum tyrannum uicerant: & tamen apud omnes, se propter Pelopidæ obitum uictos esse affirmarũt. Nam quia præstantem uirtute uirum amiserant, non iniuria uictoriam illam Pelopidæ uitæ posthabuere. Multa enim commoda patrię portauerat, & ad amplificandam propagandamq; Thebanorum potentiam non parum contulerat. Diodorus Siculus libro 15.

Commodi Imperatoris flagitiosæ uitę urbs ROMA pœnã tulit. Nam Capitolium fulmine ictũ, unà cum egregia illa bibliotheca, maiorum cura parata, concremata est: ædes quoque in proximo sitæ eandem calamitatem sensere. Exortũ est deinde aliud incendium, quo & ædes Vestæ, & Palatiũ, bonaq; urbis pars exusta est, ac solo æquata. Dion.

Cùm Iulianus Apostata rerum potiretur, nouis & horrendis prodigiis totus ORBIS fuit diuersis in locis exagitatus, terræmotibus, cluuionibus, exustionibus, monstris, ita ut ipsa rerum natura talem belluam abominari uideretur. Nicephorus lib.10. cap.35. & 37.

Phocas cæso crudeliter Mauritio Imperatore ignauissimus erga hostes, IMPERII pestis. Nam præter intestinas seditiones Venetorum & (quibus ille fauebat) Prasinorum, ex una parte Cosroes rex Persarum, fœdera rumpens cũ Romanis, perniciosum illud orbi classicum cecinit, quo Syria, Palæstina, Phœnicia, Armenia, Cappadocia, Galatia, Paphlagonia, & plurimæ aliæ regiones ab imperio sunt auulsæ. Ex altera, Auares per Europam omnia uastantes sæuierunt. In pugna Persica, ipso conflictus tempore, ignis cœlitùs, quasi cum largo imbre in Rom. irruit, & dimicantes impediuit, quò minùs uictoria potirẽtur: suntq; in illa pugna omnes, quotquot Mauricij sanguine sese cruentarant, miserabiliter trucidati: ut cùm paulo pòst Heraclius exercitum lustraret, tantùm duo sceleris eius socij, ex immensis illis copiis Phocæ, superstites fuerint. Accessit etiam horrenda fames & pestilentia: hyemes item ingentes, ita ut mare frigore congelatum, pisces postea emortuos eiecerit. Nicephorus lib.18. cap.41. & seq.

Omnium calamitatũ, quas ab exactis Longobardis ITALIA pertulit, nullæ aut maiores, aut fœdiores fuerunt, quàm quas ipsa sacrorum comitiorum dissidia intulerunt. Ex hisce tria, Honorij, Clementis & Anacleti, qui de iure dignitatis cum Alexandro, Gregorio & Innocentio Pontificibus decertarant, externa Germanorũm arma in Italiam non sine

maxima ipsius pernicie aduocauêre: primum uerò, & secũdum Imperium etiam ipsum parum salutari in futurũ exemplo ab ecclesia disiunxêre. Quartum inde exarsit omniũ teterrimum, quo Alexandrum tertium Victor quartus incessit. Hoc enim non omnes solùm Occidentales ecclesiæ, sed etiã regna inter se ac prouinciæ, ciuitatesq; disiunctæ sunt: quin & Imperator propterea tam grauem, tamque diuturnam cum ecclesia contentionẽ iniuit, ut non solùm in præsens ciuitates inter se uniuersas distraxerit, sed etiam in eisdem familias ipsas inexpiabili in multa secula inducta dissensione diuiserit. Hinc enim Gibellinorum & Guelforum nominibus ex uetere Germaniæ dissensione desumtis, exitiales Italis factiones manarunt, quæ sub Friderico I. patre exortæ, neque omnino pòst sub Henrico VI. filio oblitteratæ, demum sub Friderico II. nepote effusiùs erumpentes, ingentes in multos pòst annos strages in Italia edidêre. Sigonius lib. 13. regni Ital.

Laurentio Medice anno Salutis humanæ MCCCCXCII. extincto, pacis ITALIÆ, quæ illius prudentia ceperat atque steterat, fundamenta labefactata sunt. Is enim quandiu uixit, ueluti sequester & fræunum erat moderandarum cupiditatum Ferdinandi Aragonij, & Ludouici Sforciæ Mediolanensis. Quorum simultates, eo sublato, Italiam in grauissimas calamitates, euocato Carolo IIX. Gallorum rege, præcipitarunt. Ibidem.

SVBDITOS.

IOSIAS rex sanctus, non solùm peccatorẽ populum suis uirtutibus non saluauit, sed & ipse in peccatis illius mortuus est. Hieron. lib. 4. in Ezech. c. 14.

CONCIVES, CONTRIBVLES.

Achan, cùm ex præda Hiericuntis, clàm quædam surripuisset, ISRAELITÆ in prælio superati sunt. Iosue 7.

IVDÆI omnes è Babylonia exacti propter Asinæi & Anilæi fratrum seditionem. Vide Tit. Ex humili loco elati qui denuò reciderunt.

IVDÆI omnes Roma sub Tiberio pulsi sunt, propter quatuor Iudæos improbos. Vide Tit. Sacrilegorum.

Chorus de causa excidij Troiani, apud Euripidem in Hecuba, hæc affert:

κρεῖσσον δ' ἐξ ἰδίας αὐδίας
κρακὼν τῷ Ζιμυντιδὶ γᾶς,
δλέθριον ἔμολε, συμφορᾷ τ' ἀπ' ἄλλων.

Commune ex priuata amentia malum Simoenticæ terræ, pernicies contigit & calamitas ab aliis.

Rursus in Troadibus deplorans præsentes ingentes calamitates ait:

τάλαινα Τροία, μυρίους ἀπώλεσας,
μᾶτ' γυναικὸς ἕνεκα συγγενῆ χάριν.

Misera TROIA, infinitos amisisti propter unicam mulierẽ, & lectum tristem.

AVOS, PARENTES.

Andromache ad ASTYANACTA, suum & Hectoris filium, quem Græci de consilio Vlyssis de turri præcipitare decreuerant, apud Eurip. in Troadibus hæc loquitur:

ἦ σ' παγὸς ὃς σ' ἐνγένεϊ ἀπολεῖ,
ἢ τοῖσι ἄλλοις γίνεται σωτηρία.
πόλλ' ἐδόκουν ὅτι εἰς κακὸν ἦλθε σοι πατρός.

Ipsa patris te nobilitas interficit, quæ aliis existit salus. Ipsa uirtus non in tempore uenit tibi patris.

HENRICVS IV. Anglorum rex Ricardum II. regem patruum regnandi libidine cepit, & in carcere perdidit. Ejus nepos Henricus VI. ab Edouardo IV. Eboracensi duce bis captus, tandem in carcere securi percussus est. Sic peccatum aui luit nepos, & similiter pronepos Edouardus Henrici F. à principibus in conspectu Edouardi IV. trucidatus. In quo familia regia Lancastria defecit. Polydorus lib. 24.

FILIOS.

Vide Tit. Filii degeneres: quatenus hæc inconstantia Parentum felicitatem corrumpit.

RAGVEL Nephthalensis Ecbatanis Mediæ habitans, uir pius & locuples, filiam Saram unicam ex uxore Edna habuit, Asmodæo dæmonum regi ita obnoxiam, ut prima semper nocte illius mariti septem numero interfecti fuerint. Vide Tit. Dæmoniacorum mira cura.

Pindarus ode 3. Pythiorum, CADMVM & PELEVM omniũ suæ ætatis felicis. facit, quorum hic Thetidis, Nerei, ille Harmoniæ Mercurij F. nuptias meruit, eorumque nuptiis Dij cum Musis interfuere. Cæterùm iidem quo ad liberos infelicissimi: cùm Cadmi filia Thyone à Ioue constuprata, Pelei F. Achilles bello Troiano interfectus fuerit.

CADMVS, ex Hermione genuit Semelem, quæ casu fulminis subito abortu Bacchum dicitur enixa. Fuerunt Cadmo præter Semelem, Ino, & Autonoe, & Agaue. Hæc Echioni nupsit, cui Pentheum peperit, à Bacchis: Autonoe ex Aristæo Actæonem, à canibus laceratum: Ino Melicertam & Learchũ ex Athamante, æquè omnes tam coniugio quàm partu infelices. Quod ad uirilem stirpem attinet, ex eodem Cadmo Polydorus procreatus est. Hic, ut Herodotus ait, Labdacũ genuit, Labdacus Laium, quo est Oedipus natus. Sabellicus lib. 5. Ennead. 1.

Quinquagintà pater filiarũ DANAVS fuit. Qui si orbꝰ liberis esset, plures habuisset, qui hereditatem suam creuissent, neque pari modo. Plut. de Natiua in progeniem caritate.

Hominis laboriosa educatio, incremẽtum lentum: uirtutem, q̃ sera est, morte præuertunt plerq; PATRES. Non spectauit Themistoclis Salaminem Neocles, neque Eurymedontem Miltiades Cimonis, neque Periclẽ Xanthippus concionantem audiuit, neque philosophantem Aristo Platonem, neque Euripidis & Sophoclis uictorias genitores eorũ: ballutientes & uerba conantes audierunt: comessationes, compotationes & amores eorum offensantium homines uiderunt: ut commendetur & celebretur hoc unum Euenij epigramma:

Vide, patri proles luctum usque quem creet.

Plutarchus de Amore natorum.

IPHIS, pater Euadnes, miser senex, tria simul uidens funera, filij Eteoclis, interfecti ante Thebas bello Thebano: filię Euadnæ, quæ ex petra dolore uicta se deiecit: & Capanei, mariti filiæ Euadnæ, generi, apud Euripidem in Supplicibus inquit:

ἐγὼ δ' ἄλλως ἐσορῶν τεκνωμένους,
πολλὰν ἐρωτῶς ὦ, ἀνέδω τ' ἀπωλόμην.
εἰ δ' ἐς τόδ' ἦλθον, κἀξεπτοήθην τέκνων,
οἷον γεγέοῦς πατέρα γίγνεται τέκνων,
ὅστις ὦν ποτ' ἐς τόδ' ἦλθον, ἐς ὁ τῶν, κακῶν·
ὅπερ φυτεύσας, τῷ γεανίαν τεκὼν
ἄρχαν, ἕπτα τῶδε τῶν γεγίσομαι.
εἶεν. τί δῆτα χρὴ τὸν πολλὰ πωρῶν με δηλεῖν;
σέβειν ἀεὶ θεοὺς; κἄτ' ἐρημίαν ἴσην
πολλῶν μελόθρων, ἀπορίαν τ' ἐμῷ βίῳ,
ἢ ἀεὶ θεὸς μέλλοι τῶδε κρατεῖν; μέλω,
ἥδιστ, ἀεὶν γε δ' ἡ ποτ' ἦν πᾶς ἡδὺς μοι·
ἀλλ' ὅστις ἐστὶν, ἥν' ἐμοὶ γανεῖ δόξα
ἀεὶ σήνετ' ἀλὰ τόμῳ, ὁ κάρα τόδε
κατῆχε χρεῖ. ——

Ego alios aspiciens procreãtes liberos, liberorum quidem amator erã, desideriio uerò peribã. Quòd si ad hoc uenissẽ, & periculum fecissem liberorum, quale esset, orbari patrem liberis: nunquam ad hoc uenissem, ad quod nunc ueni malum. Plantans adolescẽtem progenui optimum, at hoc nũc priuor. Esto. Quid iam conuenit infelicem me facere? Irẽne domum? at solitudinem uidebo multorum atriorum, & egestatem meę uitæ. An ad atria huius Capanei eam? at suauissima antèa, dum adhuc hæc filia mihi erat: nunc nõ ampliùs est, quæ meum mentum admouebat semper ori, & caput hoc demulcebat manu.

NIOBE existimans se, uita semper uirente, germinib. propendentem ac dulce lumen aspicientem expiraturã, ita tumultuata est, ut etiam uitam statueret ob calamitatis grauitatem abrumpere, deosque cieret, ut abriperetur ad exitium quàm dirissimum. Plut. oratione consolat. ad Apollon.

Polynice & Eteocle fratribus propter regnum Thebanum armis inter se decertantibus, infelix mater IOCASTA, cum filia Antigone accurrens, ut illam μονομαχίαν impediret, postquam utrunque mutuis uulneribus iam tum concidisse uidit, rapto ferro è uulnere alterius filij, guttur suũ transfixit gladio, & cadẽs amplexa est filios. Eurip. in Phœnissis.

De NESTORE Iuuenalis satyra 10.

Rex Pylius, magno si quid quam credis Homero,
Exemplum uitæ fuit à cornice secundæ.
Felix nimirum, qui per tot secula mortem
Distulit, atque suos iam dextra computat annos,
Quiq; nouum toties mustum bibit, oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cùm uidet acris
Antilochi barbam ardentem: nam quærit ab omni,
Quisquis adest, socio, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus, dignum tam longo adscriptum ævo.

Chorus ARGIVARVM [illegible] casus filiorum ad Thebas sepulturæ mandandum, apud Euripidem in [illegible]

Ἀγαμὸν μ' ἐπ' ἐνῦ ῥ' ἀφ'
ἀρόνῳ πυλαῖς πυκνῷ
ὠφελ' ἀμ[illegible]
τί γὰς με σῆ πρεσβύτης ἐν
τὸ μὲν ῥὸ σὸν πλοῦτ[illegible]
κἀνῦ· ἀδεῶτον, ἃ γάμοις ἀπτζύγου.
νῦν δ' ὀρῶ σαφέστερον
κρυκὸν, τέκνων φιλτάτων στερῆσ[illegible],
ἔθρε με κρὸ μέσων ἔναρον ἕιρες σὺν ἰρνίασιν,
ἐμὸν ῥ μὴ ποτ' ἐξύγη σέμας
ἐς τὶν' εὐδρὸς ἰωνά.

Innuptam

Innuptam me ad hanc usque diem Tempus senex pater debuerat habere. Quid enim mihi opus liberis? hunc certè nõ timuissem pati dolorem eximium, si non nuptiis copulata fuissem. Nunc uerò uideo certissimum malum, liberis carissimis orbari. O utinam Thebanorum occidissent me ordines in pulueribus, meumque nunquam copulatum fuisset corpus ad aliquod uiri cubile.

TYNDAREVS, pater Clytemnestræ & Helenæ, ad Menelaũ generum suum, apud Euripidem in Oreste:

Εγὼ ῥ' τ' ἄλλα μακάρεσ· ωἰφυὲ αἰνῆς,
πλὴν ἐς ῥωρτέρας, ῥτο δ' ἐστι σὺ δὴ μερῶν.

Ego certè aliàs beatus sum uir, nisi in filiabus: hac in parte non felix sum.

STILPONEM, quin ex philosophis suæ memoriæ omnibus lætissimam duceret uitam, lasciua filia non remorata est. imò quũ hoc ei Metrocles improperaret: Meúmne hoc, inquit, an illius est peccatum? Occurrẽte Metrocle: Illius quidem peccatum, sed infortunium tuum. Quid ais, inquit ille: nonne peccata etiam lapsus sunt? Prorsus, inquit. Lapsus autem nonne quorum sunt lapsus, horum sunt frustrationes quoque? Assensus est Metrocles. Quid porrò frustrationes, sùntne illorum, quorum sunt frustrationes, infortunia? Lenibus hisce uerbis & philosophicis, hominis Cynici maledictum, inanem esse demõstrauit latratum. Plutarchus de Tranquill. animi.

L. IVNIVS Brutus exhonoratum eiecit urbe collegam L. Tarquinium Collatinum. Deinde mox ipse in bello cecidit, mutuis cum hoste uulneribus, occisis à seipso primitùs filiis suis, & uxoris suæ fratribus, quòd eos pro restituẽdo Tarquinio coniurasse cognouerat. Quod factum Virgilius posteaquam laudabiliter commemorauit, continuò clementer exhorruit. Cùm enim dixisset:

—— Natosq; pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulcra pro libertate uocabit.

mox deinde exclamauit, & ait:

Infelix, utcunq; ferent ea facta minores.

Quomodolibet, inquit, ea facta posteri ferant, id est, præferant & extollant, qui filios occidit, infelix est. Et tanquam ad consolandum infelicem, subiunxit:

Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.

D. August. lib. 5. de Ciuit. dei, cap. 16.

HIRCANVS III. quinq; filios habuit. Ex iis Aristobulum & Antigonum minimè diu regno fruituros cognouit: Alexandrum uerò, quem summo prosequebatur odio, successurũ. Vide Tit. Somnia imperij.

Maxima CONSTANTINI Magni Imperatoris decora, per uiginti annos domi forisq; incredibili cum hominũ admiratione quæsita (ut qui uniuersum terrarum imperium deletis tyrannis constituisset, pacem Ecclesię dedisset restituissetq;) derepentè insana domestici doloris puniendi libido corrupit. Crispum enim filium, qui se bello Liciniano fortissimè gesserat, in Italiam præcedentem, uerbis Faustæ uxoris impulsus, in oppido Istriæ Pola comprehendi, & siue ferro, siue, ut quidam etiam prodiderũt, ueneno perimi iussit. Sunt qui tradant, Faustam insano adolescentis amore succẽsam, quum ad stuprum pellicere castum iuuenis pectus non potuisset, furore percitam ipsum ad patrem detulisse, & se ab illo solicitatam insimulasse. Alij affectati eum regni crimine obruisse, ueritam, ne Cõstantinus eximia iuuenis indole captus, ipsum suis filiis etiam tum pueris anteponeret. Itaque Licinium etiam Cæsarem, Licinij F. occisum esse, ne quam tyranni impurissimi prolem relinqueret, quæ aliquando otium Imperij ac pacem turbare Ecclesię posset. Helena Constantini mater Hierosolymis Romam reuersa, cùm nepotẽ Crispum præclarum iuuenem, atque uirtute una ad laudẽ gloriamque nitentem, prauo Faustæ nurus instinctu perem tum audisset: ut primùm uacuas filij aures adepta est, magno dolore affecta, acri ipsum increpare oratione non dubitauit. Ille uerò, siue facti pœnitẽtia tactus, siue pietate materna uictus, siue scelere uxoris compulsus, ut facinus commissum corrigeret, Faustam in balneas ardentes immisit: ubi nimio æstu animam præcludente fœdum in modum expirauit. Qua re uulgo improbata, Ablauius, qui postea consul fuit, diram Constantini in suos crudelitatem notans, auctore S. Sidonio, hos uersus Palatinis appẽdi foribus iussit:

Saturni aurea sæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

nimirum, quòd (ut ille inquit) frigore ueneni filium, & calore balnei coniugem peremisset. Sigonius libro 3. Imperij occidentalis.

LVDOVICVS Pius Imperator, & pace & bello felix, nisi extremam eius ætatem crebræ fœdæque filiorum deformassent seditiones. Sigonius lib. 4. regni Ital.

LVCHINVS Vicecomes liberos reliquit Brutium ex concubina, qui quum Laudi Pompeię præferoci ingenio aliquandiu tyrannidem exercuisset, coniurante ciuitate expulsus, obscuro in pago in Euganeis inops & meritò miser interiit. Borsius autem & Forestinus gemelli detecto Fuscæ matris cum Galeacio, mariti ex fratre Stephano nepote incestu, tanquam ex damnato nati concubitu hic tetro in carcere, ille uerò fuga elapsus exilio perierunt. Eandem exilij fortunam tulit Nouellus, qui nequaquam animo degeneri militiæ assuetus, propinquorum suorum hostibus semper adhæsit. Iouius de uita Luchini.

NOVERCAS.

Consule Tit. Incestus cum Nouerca. item Odium priuignorum.

SERVOS.

Ex Tit. Perfidiæ dominorum & seruorum, exempla huc transferantur. illic Habitus improbi, hic Communicationis habetur ratio.

CONSERVOS.

CONSERVI ob seruì perfidiam erga dominũ etiam ipsi necati à Romanis. Vide Titulum, Pœna perfidiæ seruorum erga dominos.

COGNATOS.

Expulsis regibus comitiis centuriatis, ut Seruius Tullius populum descripserat, consules creati L. Iunius Brutus, & L. TARQVINIVS Collatinus Lucretiæ maritus, Aegerij fratris Tarquinij Prisci filius, ut dicit Liuius: nepos uerò, ut Dionysius. Brutus quum non modò regem, sed ne regium quidem nomen uellet in Vrbe superesse, magistratum collegæ abrogauit, quòd Tarquinius uocaretur, isque bonis suis sumtis ultrò Collatium habitatum migrauit. Hoc factum Cicero tertio Officiorum subindicat non admodum fuisse coniunctum cum honestate: sed quia utilissimũ fuit patriæ, idcirco honestum etiam uideri.

FRATRES, SORORES.

Huc confer Titulum, Perfidiæ fratrum. item, Incestus fratrum. item, Odium fratrum. quatenus scilicet ex fraterna improbitate fratres & sorores infelicitatis notam contrahunt.

Romani, quum CASTORI & Polluci condidissent templum ad lacum Iuturnæ, ferè non aliter quàm Castoris nominabant: in quo nimium uel erant inciuiles ipsi, uel immodestus & ingratus Castor, qui quum mortalis esset suapte natura, immortalitatem beneficio fratris nactus, eam gratiam Polluci referebat, ut se præferendo, nomen, famam, ac propè uitam eius premeret & obscuraret, futurus ipse alio qui obscurus & prorsum ignotus, ni alter subuenisset. Sed nimirum prius hoc Pollux peccauerat: nam dum à patre impetrat, ut alternis tantùm uiuerent diebus, effecit, ne unquam alter altero frui posset. Ludouicus Viues in lib. 18. D. Augustini de Ciuitate dei, cap. 14.

Præclarè TELEMACHVM finxit Homerus, quòd fratre carere, in calamitate numerare.

Vsque adeo nostrum pessum genus ire coegit
Iuppiter. ——

Plutarchus de Pietate erga fratres.

HIERONYMI Syracusani regis impotens sororum dominatus, impulit populum ad seditionẽ, qua ille cum uniuersa gente deletus est. Viues de Christiana fem. lib. 2.

CONIVGES.

SALOMON rex Iudæorum sapientiss. concubinarum irretitus amoribus, & à pietate & à beatitudine defecit.

Zaresa AMANI marito consilium dedit, ut erigeret crucem L cubitorum, & à rege peteret, uti in eam Mardochæum sibi attollere liceret. Verùm Zaresæ consilium Dominus in ipsum Amanem contertit. Esteræ 5.

DEIANIRA apud Sophoclem Trachiniis suam infelicitatẽ coniugalem deplorat: quæ à monstroso primùm Acheloo fluuio expetita, multo certamine ab Hercule liberata fuerit. subinde Herculis uxor, propter assiduas illius peregrinationes ætque pugnas, nouos semper timores concipiat:

— ἀεί τιν' ἐν φόβῳ φέρω σφίσιν
κείνῳ σεσωκρυμένα. νῦξ γὰρ ἐστάγει
τὴν νῦξ ὑπωδεῖ ἀλφδὲν μίνη πόνον.

Sed & illum in amplexus interdum uenire, multo tempore interposito, elegante similitudine ostendit:

κἄφυσε μὲν δὴ πῶῆμος, ὃς κείνός ποτε
γῆτης ὑπνος ἄρκεσον ἐκβῆναι λαβὼν
πτέρωσιν μόνον ἀστρόεσσι κοξαμαῖν ὕπαξ.

ADMETVS Thessaliæ rex, mortua pro ipso uxore Alcestide, sera tandem pœnitẽtia ductus, miserè se discruciat, uitámq; sibi acerbam fore putat, inter cætera & illud, apud Euripidem in Alcestide:

ζηλῶ δ' ἀγάμους, ἀτέκνους τ' βροτῶν.

ἡ μὲν γὰρ ἔνδον ἐξολοῦσ' μ' ἐρημία.
——τί μοι ζῶν δῆτα κοῦδιον, φίλοι,
κοκοῦς κλύουσι, κ̃ κακοῦς πεπεισμένοι;

Famuli, quò d satius fuisset mori ipsum ADMETVM, quàm amittere tot uirtutibus ornatam coniugem Alcestidem, cuius mortem uiuēs doliturus sit perpetuò, apud Euripidem in Alcestide aiunt:

Ἐ κρατεραὼν τ' αὖ ὕπνος, ὀκφυγὼν σ' ἔχει
ποσύτου ἄλγους, ὅ ποτ' ὀπλεήσαντι·
ὁ δόξης ἀμετρακὼν ἀλόχου
τῆς δ', ἀβίωτον τὸν ἔπειτα χρόνον βιοτεύσ.

Et mortuus periisset utiq; : effugiens uerò, habet tantum dolorem, cuius nunquam obliuiscetur: qui optima fraudatus uxore hac, nō uiuendam in posterum amplius uitam uiuet.

Orestes, audiens MENELAVM à Troia reuersum, adducta unà Helena, apud Eurip. in Oreste, inquit:

ἁ μὲν ἐσάφη, μᾶλλον αὖ ζηλωτὸς εἶ·
ἀεὶ ἄλοχον ἀγαπᾶν, κακὸν ἔχων ἥκει μέγα.

Si solus sospes fuisset, magis beatus esset: sed si uxorem adduxit, malum habens uenit ingens.

Αἰγύπτου γάμος, id est, Aegypti nuptiæ, inauspicatæ & infelices dicebātur. Sumtū à notissima fabula Aegypti, qui FILIOS quinquaginta, totidem fratris filiabus maritos dedit. At hi præter unum omnes à sponsis iugulati sunt. Erasmus.

PHILIPPVS rex Alexandrum F. summæ spei summo prosequebatur amore. At ex nuptiis & amoribus eius, contacto aliquatenus simul gynæcei ægritudine regno, multa iurgia inter eos extitere, eaq; Olympiadis acerbitas, suspiciosq; mulieris & tristis, quòd incenderet Alexandrum, exaggerauit. In nuptiis Cleopatræ, quam Philippus uirginem amore præ ætatem captus duxit, cùm in conuiuio Attalus, qui illius fuit auunculus, uino incaluisset: hortatus est Macedonas, ut exposcerent diis iustum ex Philippo & Cleopatra regni successorem. Exarsit inde Alexander, ac cùm dixisset: Quid nos tibi, scelus? num adulterini uidemur? scypho eum petiit. In eum Philippus stricto ense exiliit: sed bona utriusq; fortuna impacto per iram & uinum pede est prolapsus. Cui Alexander insultans: Hic uerò Macedones, inquit, in Asiam parabat ex Europa trāsmittere, qui ex lecto in lectum transgrediens procidit. Post hanc insolentiam abduxit secum Olympiada, quam in Epiro collocauit. Ipse contulit se in Illyricum. Interea Corinthius Demaratus hospes familiæ regię & liberè loqui apud regem solitus, inuisit Philippum. Postquam primæ salutationes & amplexus defluxere: percunctante Philippo, qui conueniret inter Græcos? Scilicet tibi, inquit, conuenit Philippe solicitudinem gerere Græciæ, qui domum tuam tanta seditione & malis obruisti. Ita ad se reuersus Philippus, missis nunciis flexum Demarati opera Alexandrum tenocauit. Plut. in Alex.

HERODES Iudæorum rex, magna uirtute & felicitate regnū adeptus, quàm foris propitiam habuit fortunam, tam domi aduersam, maximè quod ad coniugium attinet. Flagrabat enim legitimo cōiugis Mariammes formosissimæ amore quàm qui ardentissimè, ne illis quidem exceptis, de quib. à scriptoribus proditur. Ea femina cætera pudica & inuiolatæ fidei, innatam habebat muliebrem quandam morositatem & superbiam, quòd regio sanguine nata esset, improbiūs illudens mariti patientiæ, ita ut non habita regiæ potentiæ ratione, non rarò cōtumeliosius eum tractaret: apertè etiam sorori eius Salome & matri exprobraret humilitatem generis: quæ causa fuit implacabilis inter eas mulieres odij. Post Herodis à Cæsare reditum, cùm meridiano tempore quietis causa in cubiculum se rex contulisset, pro coniugali affectu Mariammen accersiit. Hæc autem introgressa quidem est, sed unà cubare noluit, rogantem contemnens, & insuper patris Alexandri ac fratris sui Aristobuli nēcē opprobrans. Quo indignē ferente, & uix ab inferendis mulieri manibus temperante, postquam ex strepitu commotiorem eum sensit soror Salome, submittit iamdudum subornatū pincernam, qui indicaret solicitatum se à Mariamme, ut ei operam commodaret in propinando regi amatorio poculo: ea uōce rex modò non ad furorem concitatus, eunuchū Mariammes fidissimum tormentis subiecit. At illo nullius ueneficij conscio, sed id tantùm prodente, offensam Herodi mulierē, propter ea quæ Sohemus custos corporis ei indicasset (ei enim mandarat, ad Cæsarē profectus, ut si quid sibi humanitùs contingeret, Mariammē cum matre eius interficeret) Herodes Sohemum de adulterio suspectum statim interfici iussit, licèt insontem: ipsam uerò reginam ueneficij accusatam ad supplicium duci imperauit. Ioseph lib. 15. cap. 11. Antiq.

HERODES propter Herodiadis uxoris ambitionem regno excidit. Vide Tit. Inuidiæ.

CATO minor fortuna usus est in mulieribus parum prospera. Ei nullius adhuc consuetudine mulieris uso desposa fuit Lepida Scipioni Metello antè pacta, quæ sponsalib. diremtis tunc fui iuris erat. Cæterùm quòd pœnitentia Scipionē ante nuptias subisset, omnia molitus duxit eam. Qua re incensus uehementer est & exarsit Cato, uoluitq; id iudicio persequi: sed retentus ab amicis, ira & iuuentute consultri cibus, ad iambica se conuertit, multisq; probris Scipionem proscidit. Felle in eo scripto usus est Archilochi, relicta eius lasciuia & nugis puerilibus. Inde Attiliam Sorani filiā matrimonio sibi cōiungit: cum qua prima concubuit, uerùm non eum sola, ut Scipionis familiaris Lælius, cæterùm felicior ille longo, quo uixit tempore unam, quam primam duxerat, cognouit mulierem. Eam tametsi duos ex ea tulisset liberos, exigere impudicam est compulsus. Hinc Martiū duxit Philippi filiam, quæ est proba femina habita. Fuit huius celebre nomen. Plut. in Catone.

M. ANTONIVS à Cleopatra, uti Hercules ab Omphale, corruptus. Vide Tit. Voluptatibus omnis generis dediti.

ANILÆVS propter uxoris idololatriam uita & regno priuatur. Vide Tit. Obscuro loco nati qui clari euasere.

TIBERIVS Imp. habuit uxorem primam Agrippinam, M. Agrippę filiam, neptem Pomponij Attici: ex qua filium Drusum accepit, cū qua coniunctissimè uixit: coactusq; est hāc grauidam inuitus dimittere, licèt plurimùm amaret: ac Iuliam Augusti filiam ducere uxorem alterā, cuius mores improbauit. Quamuis enim ab initio mutuo amore cum hac uiueret, mox ortæ dissensiones fecerunt, ut perpetuò secubaret, eiusq; tædio ab urbe secederet. In Rhodo autem existens nuncium accepit, ob libidines atque adulteria Iuliam uxorem damnatam, & repudium factum: quo nuncio mirum in modum lætatus: licèt literis Augustum patrem precaretur, ut ei dona relinqueret. Cui tamen post mortem patris Augusti ne peculium quidem à patre concessum, quòd nil de eo testato cauisset, reliquit. Sed hanc interfecit Tiberius, teste Tacito. Cuspin.

Philippus Pulcer Francorum rex, ut felix filiis, sic nuribus infelix. Omnes illæ probri causam dixere. Ioanna PHILIPPI Longi absoluta, Othonis Burgundiæ Comitis filia maior. Margarita LVDOVICI, Blanda CAROLI, flagitij conuictæ. Adulteri uerendis conuulsis, cute nudati, unco tracti, resti tandem suspensi, pœnas infesti nobilissimi tori graues illustresq; dedere. Ianitor conscius ceruice luit. Ludouicus ex Margarita Roberti Burgūdiæ ducis filia Ioannam filiam tulerat. Adultera uxore in custodia morbo, an (quando uariant auctores) anima intercluſa defuncta, Clementiam Roberti regis Siciliæ sororem, Martelli filiam, uxorem accepit. Blanda Caroli, minor Othonis Burgundionis F. in custodiā perpetuam coniecta, nullas præterea pœnas dedit, q̃ ea uiua ducere aliam uxorem posse Carolū Mathildis illius mater diceret: ab eo enim illam è sacro lauacro susceptā, nec matrimonium iustum extitisse. Hoc confictum creditur ad salutem capitis nobilissimæ feminæ, in gratiamq; socerorū Othonis & Mathildis. Diremto igitur illo matrimonio, alterum contraxit Carolus, auctore pōtifice maximo, uxore ducta Ioanna Eburouicis Comitis filia. Aemilius lib. 8.

ISABELLA Balduini IV. Hierosolymorum regis soror, hæreditarium regni ius trahebat. Eam, Herfrando Toronio desponsatam, Conradus Montisferrati marchio rapuit. Quo à duobus Assassinis Tyri in foro trucidato, Henrico Campanię Comiti nupsit: qui dum neglecto regni titulo domū redire parat, Ptolemaide è fenestra præceps periit. Nupsit tertiò Almerico Guidonis Lusignani fratri, Cypri regi. Cui propter ignauiam Latini proceres Ioannem Brennū è Gallia uocatū in regni Hierosolymitani iure substituēre, ducta in uxorem Iole, Isabellæ ex Conrado filia. Blondus lib. 7. Decadis secundæ.

MAXIMILIANO I. Imp. post mortē uxoris Mariæ Burgundæ multa aduersa contigere. Nam & paulo antè Franciscus filius diem suum obiit, atq; Georgius. Flandrenses Philippum filium in suam acceptarunt tutelam, inuito patre. Margarita filia Carolo VIII, Ludouici regis Franciæ filio, desponsata, & in Galliā iam abducta, omnes prouinciæ, quas in dotem ab uxore receperat, ab eo alienatæ sunt, imò desficientes contemserunt: adeò ut qui paulo antè fortunatissimus omnium princeps habebatur, amissa coniuge, liberis spoliatus, deficientibus prouincialibus, omnium esset sua tempestate miserrimus: inediam sæpè perpessus, & irrisionem à suis, ne dicam grauiora. Non tamen animo consternatus, æquissimè tulit aduersitates: multatisq; ciuibus, quā auctores defectionis fuerant, post biennium omnes recuperauit prouincias. Cuspinianus.

HOSTES HOMINES

Sacros.

HENRICVS IV. Imp. quum Romæ Paschali II. Pontifici iureiurando adactus, promisisset, se in posterum ab ecclesię locis

eis temperaturum, duò decimq; Germani principes pro eo ita factuum spopondissent: Pontificem atque uniuersos Cardinales cepit, omniaq; eorum bona diripuit: neq; antè eos carcere emisit, quàm omnia quæ uolebat ab eis impetrasset. Fulg. lib. 9. cap. 6.

PHILIPPVS Francorum rex, cognomento Pulcer, iratus Bonifacio VIII. (qui certè plus quàm Pontificem decuit, inimicitias cùm eo exercuit) quòd ipsum regno indignū pronunciasset, & Alberto, cui pertinaciter coronā Imperij denegarat, insuper & Francorū regnum astruxerat, Sarrę Columnij, & Nogareti Galli equitis opera Pontificem incautum, & nihil tale timentem intra Anagninos muros oppressit. Quo facto, Flandrorum graui bello petitus, & suos ad Curciacum cæsos audiuit: & Parisiensium seditione fatigatus, magnaq; auaritiæ nota sublatis Templariis, & Iudæis è regno pari cupiditate eiectis, regnum nepotibus reliquit, tribus eius liberis alio super alium sine filiis decedentibus. Quæ res inprimis Gallos ad internecinum cum Anglis bellum excitauit Philippo Valesio regnum sibi & Eduardo Anglo certatim uindicantibus. Egnat. lib. 1. cap. 2.

FRIDERICVS I. Barbarossa, cùm Alexandrum III. Pp. infestis armis opprimere tentaret, cōtra Venetos, qui eius patrocinium susceperant, mouens, ab illis nauali prælio superatus, Venetiis Pontificis pedes supplex osculari fuit coactus. Mox sumtis cōtra Turcas armis, in medio belli ardore Cydni fluminis undis absorptus est. Eius filius Fridericus, Pontificum quoq; inimicus, cùm miseram Italiam Guelforum & Gibellinorum factionibus infecisset, miserabiliter à filio strangulatus interiit: sublata mox à Carolo primo Siciliæ rege, omni eius sobole. Egnatius lib. 1. cap. 2.

VENETI, studiosi alioqui Pontificij nominis, cùm duce Sixto II. in Herculē Ferrariensem arma sumsissent, & mox turbatis rebus Pontifex anathematis spiculo eos confodisset, principali domo priùs igni absumta, & ingenti pestilentia secuta, nauibus quoq; Britannicis direptis, irato pontifici pœnas dederunt. A Clemente quoq; V. propter eandē Ferrariam diris deuoti, omnibus exosi, à legato Pontificis Ferrariæ mœnibus repulsi, domi quoq; grauem opprimendæ libertatis coniurationem passi sunt. Sub Iulio etiam II. Cameracense fœdus institutū, ut 24. dierum spacio imperium Venetum conciderit, & nihil præter stagna & paludes illis superfuerit. Egnatius lib. 1. cap. 2.

Pontificiæ maiestatis neglectus, CAROLVM regem Neapolitanum Ladislai patrem afflixit. Idem LADISLAO filio non aduersario solùm Ecclesiæ, sed hosti, uitam & imperium ademit. Pater ab Vngaris, à quibus ad regnum euocatus fuerat, crudeliter necatus: filius ueneno sublatus, relicta Ioanna sorore, quam nescias impudicior ne fuerit, an inconstantior, unde è tot malorum series regno illi deductā deriuataq; sit. Idem.

VICECOMITVM familia Pontificibus semper fuit infesta. Philippus ultimus eius gentis, etiam ex professo hostis, Eugenium IV. urbe eiecit, eiectum bello exercuit, Felicem Allobrogem Basiliensi concilio eidem opposuit. Tandem uictus & fūgatus, nepotibus diuturnum imperium relinquere non potuit. Idem.

FLORENTINI à Gregorij XI. legatis iniuriis affecti (qui terram Italiā per ipsius in Galliis morā administrabant) bellū tam graue ipsi Pontifici intulerūt, ut quod antea fando auditū non erat, Italicum imperiū intra paucissimos dies amissum sit, Florentinorū consilio & opera. Quæ res quanti populo illi steterit, immensa uis auri (supra enim decies centena millia numūm expensa feruntur) plebis infimæ seditio, & quasi tyrannis ab ea exercita, nobilitas partim cæsa, partim relegata, sacra urbi interdicta, ingens lues secuta: & q̃ omnium grauissimum ac periculosissimum fuit, bellum à Galeacio contra ciuitatem gestum, indicio sunt. Idem.

Potens PISANA ciuitas olim, ac clara maritimis rebus, post captos in Friderici gratiā Pontifices, qui ex Galliis ad Innocentiū Romam nauigabāt, ut indicto concilio adesset, nihil unquam postea feliciter aggressa est: quin potius à Genuensibus petitæ Pisanorū res, uno nauali admodū memorabili prælio, nunquam ad pristinam fortunam optatq; redierunt, donec clade alia super aliam à Florentinis affecti, postquam multiplicem multorum tyrannidem passi sunt, nomen & imperiū cum libertate penitùs amiserunt. Idem.

LVDOVICCVS XII. Francorū rex, qui Venetas opes & Imperium tam graui uulnere nuper afflixerat, dum irratatum in se Iuliūm II. Pp. aut non timet, aut negligit, tertio uix anno exacto, Pont. auctoritate Venetorum armis Italia expulsus ita est, ut nihil intra annum ex tanto paulo antè imperio in eadem terra possederit. Idem.

FERDINANDVS Neapolitanus Aragonius, Pium pontificem neglexit, Paulum II. strangulari curauit, Sixtum bello exercuit, Innocentium uexauit. Itaq; & sibi exitium, & familiæ dedecus peperit. Idem.

Clemens VII. licèt capto rege Francisco Gallorū, & exhausto regno, Francis res essent deploratæ, cōtra Cæsarem nihilominus Carolum V. uaria moliens dicitur. CAROLVS Borbonius exercitus Cæsariani primarius dux, in urbis oppugnatione perit. Pontifex confugiens in castrum S. Angeli, cùm arctiùs premeretur, Cæsarianis se dedidit. Aurum petentibus Cæsarianis MILITIBVS, obsidem cum aliis nōnullis pro Pontifice se dedit Ioannes Maria Montanus Cardinalis, qui postea Iulius III. Pontifex fuit. Auctor uitę Clementis, & Panuinius in Iulio tertio.

INFELICITATIS POSSESSIO RESPECTV RERVM. SIC DATVR MISERIA

MVLTIPLEX, PLVRIBVS MALIS SIMVL CONCVRRENTIbus in unum.

PRIAMI infelicitas poetarum nota est fabulis, Homeri potissimùm:

Δύσμορος, ὃν ῥα πατὴρ κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδῷ
αὔσῃ σὺν ἀρχαλέῃ φθίσῃ, κακὰ πολλ' ἐπιδόντα,
υἱέας τ' ὀλομένους, ἐλκυθέισας τ' θύρας τεχέας,
κ̃ θαλάμους κεκαδόμενους, κ̃ νήπια τέκνα
βαλλόμενα νηοῖ γαίῃ ὑπ' αἰνῇ δηϊότητι.

HECVBA suam miseriam apud Eurip. in Trōadibus explicat:

Τοῖς γὰρ κακοῖσι πολέσι' εἶκτον ἐμβαλῶ.
ἅμμ' τύραννοι, κἀς τύραννο' ἐγκεμάμιλω,
κἀντεῦθ' ἀριστεύοντ' ἐγενόμιλω τέκνα,
ἐκ ἀριθμὸν ἄλλως, ἀλλ' τατεστάτυς Φρυγῶν
(ὁ τεῦφὰς, κἀγ' ἐλλωὶς, κἀτ' βάσβαρος·
γυνὴ τεκοῦσα κομπάσῃεν αὖ ποτε)
κἀκεῖνό τ' ἔδον δορὶ πεσόνθ' ἐλλωικῷ,
τείχας τ' ἐπμεθλω τάσδε κἀσθ' τύμβον νεκρῶν ὁ
Ἑ τὸν φυτεργὸν Πρίαμον, ἐκ ἄλλων πάρα
κλύεν' ἐκλωστε, τοῖς δ' τ' ἔδον ὄμμασιν
αὐτὰ κατασφαγέντ' ἐφ' ἑρκίῳ πυρός·
πόλιν θαυῶσιν· ὃς δ' ἐθεῖρα πατρθένυς
ἐς ἀξίωμα νυμφίων ἐξαίρετον,
ἄλλοισι θρέψας, ὁκ χερῶν ἀφῃρέθλω·
κοὐτ' ἐξ ἐκείνων ἐλπὶς ὡς ἐφθόσμαι·
αὐτή τ' ἐκείνος ἐκεῖ' ὄψομαί ποτε.
τὸ λοίδιον δ' θεῖκὸς ἀθλίων κακῶν·
σῆλη γυνὴ γραῦς εἰς δόμους ἀφιξομαὶ
ἄδ' ἐσὶ γήρα τάδε συμφορόντατε,
τόσοις με φορθήσεσιν· ἢ θηρῶν λάτρειν,
κλῆδας φυλάσσειν, τὸν τεκοῦσαν Ἕκτορα·
ἢ σιτοποιεῖν, κἀν πέδῳ κοίτας ἔχειν,
ῥυσοῖσιν κόπτοις βασιλικῶν ὀκ δυμενῶν,
τευχηρὸ ἀδὲ τευχηλὸν ἀμένη χρόϊ
πέπλων λικίσκατ', ἀσθόκιμ' ὀλβίοις ἔχειν.
οἴ' γὰ τάλαινα, Δ[illegible] γάμων μιᾶς ἕνα
γυναικὸς, οἷον ἔτυχον, ὧν τε τύγχομαι;

Malis ego maiorē miserationem addam. Fuimus reges, & in regnū nupsi, atq; ibi præstantissimos genui liberos, quāuis non numero, sed præstantissimos Phrygū (non Troiana, neq; Græca, neq; barbara mulier pariens iactare poterit unquā simile quiddā) at illos uidi marte cæsos Græcanico, & capillos abscui hosce ad tumulū mortuorūt: & ipsum plantatorē Priamū, non ab aliis audiens defleui, hisce uerò uidi oculis ipsa occisum ad Hercei arā: ciuitatē pereuntē: quas uerò educaui uirgines, ad dignitatē nuptiarum eximiā, aliis educans, ex manibus amissi neq; ab illis spes est quòd uidear, & ego ipsa illas nunquā uidebo posthac. Suprema uerò pinna miserorū malorū, seruia mulier anus in domos ueniā: quæ uerò senecturi huic maximè conueniunt, istis me addent: aut ianuarū ancillā claues seruare, genitricē Hectoris: aut pinsere, & humi cubilia habere, rugosis dorsis regiis ex lectis, laceras circa squalidū induta corpus, peplorū rupturas, reprobas diuitibus, gestare. Me miserā, propter nuptias uniuscuiusque mulieris, in quæ incidi, & incidam?

ANDROMACHE suam infelicitatem deplorat apud Eurip.

Πελάμεν τύραννον ἐσίαν ἀφικόμιλω,
ὁλάμερ ὀλθεῖσα, πᾶν ὀλοσσοῖς Ἕκτορα,
ζηλωτὸς ἐν γε τῷ πρὶν Ἀνδρομάχη χρόνῳ.
νῦν δ' οὔπις ἄλλη δυσχερεστάτη γυνῇ
ἐμοῦ σοφύκεν, ἢ γενήσεται ποτε·
ἥτις πόσιν μὲν Ἕκτορ' ἐξ Ἀχιλλέως
θανόντ' ἐσεῖδον, παῖδά θ' ὃν τίκτω πόσει,
ῥιφθέντα πύργων Ἀσυνάκτ' ἀπ' ὀρθίων,
ἐπεὶ τὸ Τροίας ἕλον Ἑλλῆνες πέδον·
αὐτὴ δὲ δοῦλη, τῶν ἐλευθερωτάτων
οἴκων νομιζθεῖσ', Ἑλλάδι ἐσαφικόμιλω,

πρὸ νηστείας Νεοπτολέμου δεῦρο τέρας
ἀφίκοντο. Priami ad regiam domum perueni, uxor eiocata, liberos creans Hectori, beata priori Andromache tempore: nunc autem non ulla alia infelicior mulier me exiſtit, aut fiet unquam: quæ maritum quidem Hectorem ab Achille interfectum aſpexi: & puerum, quem peperi marito, iactum turribus Aſtyanacta ab altis, poſtquam Troiæ cœperunt Græci ſolum. Ipſa uerò ſerua, ex liberrima familia habita, in Græciam deueni, inſulari Neoptolemo belli præmium data.

IOCASTA cùm non poſſet redigere in concordiam diſcordes filios, Eteoclem & Polynicem, apud Euripidem in Phœniſſis, inquit:

Εἰς πολλὰ γ' ἄθλια τίκτουσ' ἐγώ.
Ego ad multa mala nata ſum.

IPHIGENIA Aulide ad tumulum Achillis mactanda apud Euripidem, inquit,

Φεῦ,
τίν' αὖ λάβοιμι τῶν ἐμῶν ὀρχήσεων κακῶν,
ἄπαισι γὰρ πρὸς ὑμέναιοι χρήσιμοι, τάφοις,
κἀν ὑφάνσεσι κἀν μέσοισι παννυχίσι. Eheu, quódnam capiam meorum initium malorum? Nam & à primis, & à nouiſſimis, & à mediis orditi licet.

PELASGI ex Attica per uim expulſi, Lemnō incolebant. Huius iniuriæ cùm pœnas de Atticis ſumere cuperent, probeq; cognitos haberent dies feſtos ac ceremonias illorum, collocatis inſidiis, uxores Athenienſium abduxerunt, cùm Mineruæ ſacra facerent in Braurone: hiſq; in Lemnum nauigio aſportatis, concubinarū uice ſunt abuſi. Cæterūm mulieres cùm plurimos liberos parerēt, omneis & Atticis moribus inſtituerunt & Atticè loqui docuerunt: ita factum eſt ut nec miſcere coniugia cum puellis Pelaſgicis uellent, & ſi quando Pelaſgus quempiā pulſare conaretur, omneis conglobati Attici, huic ſuppetias ferrent. Breuiter adeò inualeſcebat pubes Attica, ut pleriſq; in rebus priores tenere uideretur. Quare uiſum eſt Pelaſgis, ut filios ex Atticis mulieribus ſuſceptos trucidarent. idq; perfecerunt, occiſis unà & matribus. Deinde ſterilitate, orbitate, peſtilentia, reliquiſque plurimis adacti malis, Delphicum oraculum conſuluerunt, qua ula calamitatibus leuari poſſent. Hinc igitur per omnem Græciam increbuit prouerbium, ut ingentia miſerandaque mala, Lemnia dicerentur. Eraſmus in Adagiis, ex Herodoti Erato.

Infelicitatis œconomicæ quandam ueluti ſymplocen Paganus Paganinus tali epigrammate complexus eſt:

TYCCA duos peperit pueros. Cum matre lauatur
Alter, dum tepidam ſuggerit alter aquam.
Hic cadit in prunas, uitamq; reliquit in illis,
Nec tulit accurrens tempore mater opem:
Alteriuſq; memor, peteret cùm balnea, merſum
Hic illum infelix exanimemq; uidet.
Caſu igitur duplici natorum exterrita, terram
Fronte cruentata percutit & moritur.
Ecce ſuperuenit coniux, inq; aere pendens,
Impatiens luctus, guttura fune premit.
Sic pueri, genitrix, genitor, fatale tulerunt
Damnum, telluris, aeris, ignis, aquæ.

IOANNES Anglorum rex ſeditionib. uariis agitatus, quòd decimas eccleſiaſticas exigeret, ab Innocentio III. anathemate perſtrictus, regnum Angliæ & Hiberniæ pontifici tributariū fecit. Ab Alexandro Scoto & Ludouico Franco occupato regno, præ maiore expirauit. H. Boethius lib. 13.

FRIDERICVS Aragonius Neapolitanorum rex, anno 1501. ab Gallię Ludouico XII. & Hiſpanię Ferdinando regibus, regno exutus, compoſitione cum Obignino Gallico duce facta, Iſchiam inſulam ad ſex menſes retinuit. In cuius arce omnes certè Ferdinandi I. poſterorum miſeriæ miſerabili ſpectaculo cumulatæ cernebantur: quoniam præter Federicum recenter tam præclaro regno ſpoliatū, ac multo magis de tot paruulorum liberorum, & de primi ſui nati Ferdinandi Tarenti obſeſſi ab Hiſpanicis copiis, quàm de propria ſorte ſollicitum, erat in eadem arce eius ſoror Beatrix, quæ pòſt Mathiæ celeberrimi Vngariæ regis uiri ſui obitum, ab Vladiſlao Boemiæ rege, quo ab illa ad id regnum occupandum iuuaretur, matrimonij fide accepta, ab illo, ubi uoti compos fuit, ingratiſſimè repudiata fuerat, qui pòſt Alexandri pontificis permiſſu, aliam uxorem duxit: ibidem quoq; erat Iſabella Mediolanenſium regina, haud minus quàm cæteri omnes calamitoſa, quòd penè eodē tempore, marito Io. Galeacio, regno, atq; unico filio, quē à matre ſibi imprudenter traditum, ac in Galliam ſecum abductum, Galliæ rex Ludouicus XII. poſt occupatam Inſubriā, monaſticæ uitæ dicauit, orbata eſſet. At Fridericus extremo quo in Hiſpaniæ regē flagrabat odio ductus, quum ad Galliæ regis clementiam potiùs confugere ſtatuiſſet, ad regem fidem publicam poſtulatum miſit, eaq; accepta, ſuis omnibus in Iſchiæ arce relictis, & inſula Vaſtij marchionis & Francheuillæ dominæ fidei, ut antea fuerat, commendata, & copiarum ſuarum parte ad Tarenti defenſionē miſſa, cum quinq; triremibus in Galliam infelici ſanè conſilio traiecit. Si enim libero in loco fuiſſet, fortaſſe in bellis, quæ pòſt inter duos reges orta ſunt, multas in regnum ſuum redeūndi occaſiones habuiſſet. Sed tranquilliorem uitam ſecutus, ac fortè hanc optimam rationem ratus, cōditionem oblatam, ut in Gallia maneret, ab rege accepit: ea autē fuit, ut Andiouinorum dux eſſet, ac præterea aureorū numūm triginta millia quotannis acciperet. Quibus rebus conſectis, iis quos Iſchiæ præfecerat, uti eam Galliæ regi traderent mandauit: qui parēre recuſantes, diu, ſub Friderici tamen inſignibus eam renuerunt. Guicciardinus lib. 5.

Bochnæ anno 1578. MVLIER quædam infantem dum lauat, audito extra domum alterius ſui filioli fletu, accurrit properè, iacentem puerum offendit: is in cultellum, quem manu gerebat, inciderat, ſeq; ipſe miſellus transfixerat. Ma ter dolore amens, recurrit ad infantem in alueolo relictum, hunc quoq; ſubmerſum reperit. Superueniens maritus, impotens ſui uxorem corripit, uerberibuſq; enecat. Trium miſerorum obitu conſpecto, ſceleris conſcientia & cariſſimorum pignorū commiſeratione furens infelix pater, laqueū collo induit. And. Duditius tractatu de Cometis, ex Philippi Talducęij Florentini hypomnemate.

SIMPLEX, CONSIDERATA RESPECTU mali unius quod poſſidetur. Sic Infelices dicuntur propter

MORBVM.

L. METELLII felicitatem ex Tit. Beatorum in genere pete. Nihilominus tamen is, qui fortunatiſſ. Rom. fuit iudicatus, orbam luminibus exegit ſenectam, amiſſis incendio, cùm Palladium raperet ex æde Veſtæ, memorabili cauſa, ſed euentu miſero. Quo fit, ut infelix quidem dici non debeat, felix tamen non poſſit. Plin. lib. 7. cap. 43.

MVNVS IMPEDITVM.

Capitolium à Tarquinio Superbo rege eſt extructum in rupe Tarpeia, templum Ioui omnium pulcerrimum ab Horatio Puluillo Cos. dedicatum, primo libertatis anno. Arſit bello ciuili Mariano, Cn. Carbone, & L. Scipione Coſſ. anno ab Vrbe condita DCLXXI. reſtitutum à SYLLA, refectum uerò & dicatum à Q. Catulo: hoc ſolum felicitati Syllæ negatum, ut ipſe moriens dicebat.

DEIECTIONEM REGNI.

IOANNES Baliolus Scotorum rex infelix, regno exutus ab Eduardo II. Anglo, in Gallia ſenex atque cæcus obiit. Hector Boethius lib. 14.

EXCIDIVM.

IVDÆORVM templum, quod habebant in Aegypto apud Thannas, à Lupo Veſpaſiani præſide clauſum fuit, priùs do nariis ſpoliatum. Paulinus qui Lupo ſucceſſit, omni poſtea cultu deſertum reddidit: fuitq; annus ille, quo in eo ſacrificari deſitum eſt, trecentеſimus eius ædificationis ac trigeſimus. Sab. lib. 3. En. 7.

TYRVM (quæ cognominata eſt uetus, dictione compoſita, παλαίτυρος) Alexander expugnatam, & ex inſula comportatis aggeribus redditam continentem, crudeliter tractauit, plurimiſq; affecit incommodis. Vnde prouerbiū, τὸν ὀνὸν παλαιοῦν. quo ſignificabant tantum malorum, quantum antiqua Tyrus pertuliſſet. Eraſmus in Adagiis.

NVPTIAS.

Britannię nouiſſimus dux Frāciſcus, filiam unicam ANNAM Romanorum regi Maximiliano deſpondit: ſed rex Francię Carolus VIII. puellam per Franciam tranſeuntem rapuit, ſibi iunxit, reginam uocauit: eandemque moriens ſine prole, Ludouico XII. ſororio ſuo reliquit: monſtroſis ſemper nuptiis infelicem feminam, nulli iunctam marito, niſi quem iure habere non poterat. Cranzius libro I. Saxoniæ, cap. 21. & lib. 13. cap. 22.

NEGOTIA.

SELEVCVS dicere ſolebat, Si ſciret uulgus, ſcribere ſolùm ac legere tam multas epiſtolas, quàm ſit laborioſum, diadema ne humo quidem tollere dignaretur. Plutarchus An ſeni tractanda reſpub.

DEPREHENSIONEM IN facinore.

Deprehendi miſerum eſt in Furto, Adulterio, Fuga. Vt illic Ludouicus Sforcia, dux Mediolanenſis, habitu Heluetio urbe exeedens, permixtus Heluetiis.

EXILIVM

EXILIVM.

OVIDIVS exilij ſui calamitates I. Triſtium 4. explicat:

Scire meos caſus ſi quis deſiderat omnes,
Plus, quàm quod fieri res ſinit, ille petit.
Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent:
Paruaq; quot ſiccus corpora puluis habet.
Multaq; credibili tulimus maiora, ratamq;,
Quamuis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam quædam mecum moriatur oportet,
Meq; uelim poſſint diſſimulante tegi.
Si uox infragilis, pectus mihi firmius eſſet.
Pluraq; cum linguis pluribus ora forent:
Non tamen iccirco complecterer omnia uerbis,
Materia uires exſuperante meas.

Item 4. Triſtium I.

Meq; tot aduerſis cumulat, quot litus arenas,
Quotq; fretum piſces, ouaq; piſcis habet.
Vere priùs flores, æſtu numerabis ariſtas,
Poma per autumnum, frigoribuſq; niues:
Quàm mala quæ patior toto iactatus in orbe,
Dum miſer Euxini littora ſæua peto.

Item 5. Triſ. 2.

Litora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
Quótue ſoporiferum grana papauer habet:
Sylua feras quot alit, quot piſcibus unda natatur,
Et tenerum pennis aëra puſſat auis:
Tot premor aduerſis: quæ ſi comprendere conor,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

EXPEDITIONEM INFAVSTAM.

XERXIS feliciſſimi Perſarum regis infelix expeditio contra Græcos, hiſtoriarum monumentis conteſtata. De ea Iuuenalis ſatyra 10.

— Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria: conſtratum claſſibus iiſdem,
Suppoſitumq; rotis ſolidum mare: credimus altos
Defeciſſe amneis, epotaq; flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atq; Eurum ſolitus ſæuire flagellis
Barbarus, Aeolio nunquam hoc in carcere paſſos,
Ipſum compedibus qui uicerat Ennoſigæum?
Mitius id ſanè, quòd non & ſtigmate diguum
Credidit: huic quiſquam uellet ſeruire deorum?
Sed qualis rediit? nempe una naue cruentis
Fluctibus, ac tarda per denſa cadauera prora.
Has toties optata exegit gloria pœnas.

SIGISMVNDVS Imper. Martini V. Pp. auctoritate contra Huſſitas CLM. armatorum præſertim Germanorum duxit, ſed infelici euentu: cùm ne inducias quidem, niſi certis conditionibus, ab hoſtibus impetrare potuerit, ut ſibi Pragæ coronam ſumere liceret. Dubrauius lib. 24.

INFELICITATIS CONSERVATIO. HVC PERTINET

HOMINVM INFELICITAS

INCONSTANS.

Vide Titulum, Felicitas inconſtans.

CONSTANS. Quo ad Inſtrumentum.

CAMBYSES eo enſe, quo Apim uulnerarat, ſeipſum imprudens necauit. Herodotus.

TEMPORVM INFELICITAS.

CONSTANS. TEMPVS INFELIX

Iiſdem. Tempus infelix idem

Sceleris & Pœnæ.

Quo die AGATHOCLES hoſpitem & ſocium Opheltā, Cyrenæorum ducem auxiliarium, perfidè interfecit, eodem filij ei perierunt, & exercitus defecit. Diodorus.

NERO eodem die periit, quo Octauiam uxorem immerentem olim interemerat. Suetonius.

CONSTANTINVS VI. Iconomachus, quo die Nicephorum patruum excæcauerat, eodem ipſe poſt quadriennium oculis priuatus. Paulus Diaconus, Sigebertus, & Zonaras.

Cladis, Excidij.

Templum HIEROSOLYMITANVM primum à Salomone ſtructum, à Nabucodonoſoro rege Babyloniorum incenſum eſt, die decimo menſis Auguſti. Tertium, quod templo à Zorobabele ædificato diruto, rex Herodes magnificè extruxerat, ſub Tito Imp. conflagrauit eodē eiuſdem menſis die. Ioſephus lib. 7. cap. 9. & 10. Iud. belli.

HIEROSOLYMAM Pompeius Magnus die ieiunij, Olymp. 179. C. Antonio & M. Tul. Cic. Coſſ. cepit. Poſt an. 27. eodem die ab Herode rege capta fuit. Ioſephus lib. 14. c. ult. Antiq.

PERSÆ tertiam & ſextam menſis Boedromionis tanquam lugubres & defamatiſſimas uitarunt: quibus diebus in pugna Marathonia, & ad Plataeas, & ad Mycalen, à Græcis uicti, magnas clades perpeſſi ſunt. Herod.

Menſis Thargelion fuit manifeſtè BARBARIS infauſtus. Alexander regis Darij præfectos hoc menſe ſuperauit ad Granicum. Eiuſdem menſis die uigeſimo quarto Carthaginenſes in Sicilia cæſi à Timoleonte ſunt: quo die eiuſdem menſis & Troia putatur capta, ut Ephorus, Calliſthenes, Damaſtes & Phylarchus auctores ſunt. Plut. in Camillo.

Ediuerſō menſis Metagitnion, quem uocant Bœotij Panemū, patrum fuit GRÆCIS ſecundus. Huius menſis die ſeptimo ſignis collatis ad Cranona Antipater uictos funditùs euertit, & fuerant antè iuxta Chæroneam afflicti à Phillippo. Hoc eodem die, eodem menſe & anno Archidami Spartani copiæ, quas tranſportauerat in Italiam, à barbaris incolis cæſæ ſunt. Plut. in Camillo.

Ad Alliam cæſi ſunt à Gallis ROMANI, ad XV. Cal. Sext. Pugnatum plenilunio circa ſolſtitium æſtiuale: quo die antè quoque ingens Fabiorum accepta clades ad Cremeram fuerat, ex qua familia trecenti fuerant ab Hetruſcis cæſi. Cętеrùm obtinuit, ut dies ex clade poſteriore à flumine Alliенſis uocaretur. Plut. in Camillo. Ea certè die cùm VITELLIVS concilium edixiſſet, neglectæ religionis ergò pontificatum amiſit. Alex. lib. 4. cap. 20.

VALENTINIANVS I. Niceæ Bithyniæ Imp. dictus à militibus, & Ancyræ relictus, biſſextum Februarij, tanquam ominoſum & infauſtum, uitabat: quo aliquoties Reſpublica Romana paſſa eſt iacturam. Eo elapſo progreſſus medio campo, ad celſius tribunal perductus, habituq; principali circumdatus & corona, Auguſtus eſt nuncupatus, cum acclamationibus & laudibus amplis ac ſolitis, uigeſima quinta die Februarij. Cuſpinianus.

CARTHAGINENSES diem uigeſimum ſecundum, ut qui calamitates ipſis plurimas & maximas ubiq; attulerit, habent nefaſtum. Plut. in Camillo.

OTHOCARVS Boemorum rex ad Lauam oppidū Moraviię à Rodolfo I. Imp. cæſus fuit, anno Salutis humanæ MCCLXXVIII. XXVI. Auguſti, quæ D. Ruffo ſacra eſt. Et hinc inter infandas infauſtasque à Boemis habita. Quæ opinio poſthac confirmata eſt cæde Ioannis Regis Boiemiæ, eadem die in prælio ad Creſſiacum, anno Salutis humanæ MCCCXLVI. ab Anglis interfecti, dum Gallorum regi Philippo VI. opem ferret. Dubrauius libro 17. & 21. Quinetiam LVDOVICVM Hungariæ & Boemiæ regem anno Salutis humanæ MDXXVI. die XXIX. Auguſti ad Mohazium deſertum à ſuis, à Turcis profligatum, in palude ſubmerſum putant, ob diei diui Ruffi uiciniam. Dubrau. lib. 33.

Diuerſis.

Vide Tit. Dies infelices.

AVGVSTVS mirum in modum obſeruauit, ne poſtridie Nundinarum quoquam proficiſceretur, aut Nonis quicquam rei ſeriæ inchoaret, quòd illas infortunatas multis fuerat expertus exemplis. Alex. lib. 4. cap. 20.

INCONSTANS.

Vide Tit. Felicitas inconſtans.

LOCORVM INFELICITAS

CONSTANS. LOCVS IDEM INFELIX.

Iiſdem. Idem locus

Sceleris & Pœnæ.

Quo loco ANDRONICVS Oniam ſummū pontificem perfidè occiderat, eodem ab Antiocho rege purpura exutus fuit & necatus. 2. Machab. 4.

Cùm ad Hercæi Iouis aram NEOPTOLEMVS Achillis F. Priamum iugulaſſet, ipſi poſtea accidit, ut ad Apollinis Delphici aram interimeretur. Venit inde in prouerbij conſuetudinem, ut quoties, qua quis alterum aſſeciſſet iniuria, eam ipſe pateretur, Neoptolemea ultio diceretur. Pauſanias in Meſſenicis.

TVRVLIVS M. Antonij præfectus, cùm arbores ad fabricandas naues in luco Aeſculapio ſacrato accepiſſet, inter ipſū miniſterium, deuicto Antonio ad Actium, imperio Cæſaris

Auguſti

Augusti morti destinatus, in eo loco quem uiolarat, à militibus occisus est, ut eodem exitio & cuersis iam arboribus pœnas lueret. Val. Max. lib. 1. cap. 2.

Solebat APPIVS Claudius decemuir carcerem, qui unus in urbe fuit, Romanæ plebis domicilium uocare. Sed ipse in ordinem redactus, tribuniq; plebis iussu in eum locum cõiectus, inter sicarios & latrones infeliciter expirauit. Sabellicus libro 10. cap. 4.

GALEACIVS Vicecomes, à fratre Marco apud Ludouicum Bauarum Rom. Imp. anno 1326. Romam ad accipiendam coronam iturum delatus, in Modœtiana arce Nonis Iuliis cum Actio F. duræ custodiæ traditus est, non omnino iniqua sorte, ut fabrefacti paulo antè ab se tetri carceris Furnum, ita à depressa testudine uocatum, primus experiretur, quem aduersarum partium captiuis ad pœnam parauisset. Iouius in uita Galeacij.

Quo loco olim CASIMIRVS II. Polonorum rex Feliciani Vngari filiam Claram constuprauerat: eodem postea eius filiæ duæ, post eius obitum, à Ludouico Vngariæ rege imperio deiectæ sunt. Cromerus lib. 12. & 13.

SELIMVS imperium affectans ad Ciurleum pagum prope Byzantium magno prælio uictus uix Varnam effugit. Rerũ inde potitus, necatis fratribus, paucos post annos eodem in loco, pestifero atrociq; ictus morbo, immaturum acerbissimumq; uitæ finem inuenit, magno Deo primæ temeritatis scelus uindicante, & patrati parricidij iustas exigente pœnas. Sab. supplem. lib. 3. ex Iouio.

Cladis.

PAPIA obsidendis à Franco regibus Longobardorum urbs fatalis. In qua Pipinus Aistulfum bis obsessum, imperata facere coegit, & Carolus Magnus Desiderium cepit. Aemilius libro 2.

HVMBER amnis Britannorũ sanguine multoties cruẽtatus, fatalis olim uincendis Britannis esse credebatur. Proinde Scoti atque Picti contra Arthurum, Britannorum regem, pugnaturi, ad Humbri ripam, locum delegere ad pugnam, ueluti fatalem Britannis deuincendis. Commissa pugna, Arthurus cum XXX M. suorum cæsus, Scotorum & Pictorum XX M. desiderata. H. Boethius lib. 9.

Diuersis.

Hadrianus Imp. cùm ueteri oraculo circumferretur, transitum EVPHRATIS exitialem esse Rom. Impp. Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Persis à Traiano ereptas, iis reddidit, ut Euphrates Imperij limes esset. Eutropius lib. 8.

Ericus IIII. Danorum rex, Valdemari pueri tutor, animę suę sic prodigus erat, ut in acie, ne temerè solus in hostem procurreret, arctius à suis obseruaretur. At eo bello, quod contra Olaum Tyrannum gerebatur, cùm in Scania ad litus LANDORAM (quod fatale regibus esse, neque illud attingentes annum superuiuere solere plebeia fabula fereba tur) hosti occurrendum esset, Eskyllo, Lundensi Episcopo, exercitum commisit: quem ille propter imperitiam amisit. Saxo libro 14.

INCONSTANS. V. C. LOCVS IDEM

Dignitatis & Mortis.

CÆSAR Borgia Pampelonensem episcopatum dedignatus, imperandi libidine profana sacris miscuit. Tandem à Iulio II. exercitu exutus, captiuus à Consaluo Magno in Hispaniam missus, custodia elapsus, sub Nauarro rege ignobilis in prælio quodam cecidit, armisq; exutus nudus Pampelonem deportatus & sepultus est. Iouius lib. 8. Hist.

Victoriæ atque Cladis.

Cecinerant uates antiquissimi, Romana arma Ctesiphontem transire nefas esse: & duces, qui ausi fuissent, pœnas daturos. Iccirco aiunt, M. CRASSVM id cogitantem cum exercitu periisse: TRAIANVM transgredi ausum, Italiam non repetiisse, & quinque prouincias trans Tygrim statim amisisse: legiones longo labore attriuisse: & quamuis uictor longiùs produxerit terminos, tamen non multũ profecisse: dubium an sic uolentibus fatis, an culpa successoris Adriani. Ctesiphontem cupiens transire, superato Tygride, VALERIANVS à Sapore rege Persarum captus est. Verùm Odenatus Palmyrenus, uictor Romanæ maiestatis, Ctesiphontem usque trans Tygrim peruenit. CARVS Imperator exercitum Probi Sarmatico bello latè uictorem duxit in Persida, hostile regnum uastauit: Seleuciam cinctam Eufrate, quam olim ceperat Antoninus, expugnauit. At Ctesiphontem petentem, & longiùs progredi uolentẽ, uel morbus uel ictus fulminis cœlo turbido & coruscante absumsit. GALERIVS postea Ctesiphontem transiuit, & Romanos fines auxit ac dilatauit. Cuspinianus.

VOLVMINIS VIGESIMISECVNDI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Vol. Vigesimumtertium

Topicum

DE

LOCIS HVMANARVM Actio-
num & Passionum

DVOBVS LIBRIS
pertractans.

CL. V.

HENRICO ELMERO

Glaronensi

amplifs. honoribus domi forisq. cũ laude perfuncto

THEOD. ZVINGERVS

Basiliensis

Gallicanæ peregrinationis intra pubertatis an. Topicæ theoriæ desiderio susceptæ ductori comitiq. fidiss.

XXIII

THEATRI VOLVMEN.

TOPICVM

LOCA humanæ uitæ accommodata

DVOBVS LIBRIS comprehendens

OB

laborum atq. dol. bene fort.

NVMINE

exantlatorum gratam memoriam

D

TOMI XXIII. LIBB. DISPOSITIO.

EX duobus Humanæ uitæ Accidentibus cõmunissimis primus occurrit Locus, propter amplitudinẽ suam peculiari uolumine explicandus, sed rudi minerua, & ea quidẽ historica, quatenus uel ipsummet hominẽ, uel alia propter hominẽ, in ipsius usum, locat, continet, conseruat, producit, perdit. Et hoc quidem consilio ad Theatrum Humanum Loci consideratio pertinet: qui alioqui respectu Essentiæ suæ, ut scilicet uel Terrestris, uel Aqueus, uel Aereus est, ad Elemẽtare Theatrũ: respectu Locati, V. G. *Animalium, Metallorum, Vegetãtiũ, ad Theatra Animalium, Metallorum, Vegetãtium referri potest atq; debet. In rem igitur præsentem duplex occurrit Loci respectus: alter Materialis, ut Est, de quo* LIBRO PRIMO *agetur: alter Formalis, ut Locat, quem* LIBRO SECVNDO *delineabimus.*

LIBRI PRIMI

TITVLI.

- GENERE. Huc
  - Terræ, Regionum
    - Ortus. *Terræ detectæ, factæ.*
    - Interitus. *Terra aquis obruta.*
  - Insularum
    - Ortus.
    - Natura: *putas*
      - Frequentes. Oportunæ, *Commodæ.*
      - Frugiferæ. Lethiferæ.
    - Interitus.
  - Maria
    - Belluis *infesta.*
    - Importuosa. Naufragiis *obnoxia.*
- LOCA MATERIALITER, *ut Sunt aliquid, considerabimus partim in*
  - Montes, *quo ad*
    - Ortum.
    - Naturam, *nempe*
      - Abundantes *Metallis, Vegetalibus, Feris, Raris rebus.*
      - Asperi. Alti.
    - Interitum: *obnoxij, haustis*
      - Terræmotu.
      - Incendio. *Montes ardentes.*
  - Scopuli. Valles. Agri. Campi. Prata. Syluæ. Speluncæ.
  - Lacus. *Horum*
    - Ortus. Natura *mirabilis.*
    - Fructus: *quoniam abundant* Piscibus: Auibus: Sale.
    - Magnitudo. Vsus.
  - Flumina. *Quo ad*
    - Motum, *Cursum, Fluxum: utputa Strepentia, Obliqua, Tortuosa, Perennia.*
    - Magnitudinem: *uidelicet* Magna: Diuisa: Aucta, *Inundantia:* Exiccata.
    - Fructum: *Aurifera, Pisculenta, Fertilia, Sterilia.*
    - Nobilitatem.
    - Vsum. *Fluuij*
      - Potabiles. Medicati.
      - Agriculturæ *utiles.*
      - Mechanicis *commodi.*
  - Vrbes, *ut*
    - Oriuntur, *Conduntur*
      - A quo.
      - Quando. *Vrbes* Antiquæ, Recẽns *conditæ.*
    - Reficiuntur, *Instaurantur.*
    - Sunt. *Perpenditur illorum*
      - Situs.
      - Munimenta: *Vrbes munitæ, non munitæ.*
      - Diuitiæ, *Potentia, Amplitudo, Magnitudo.*
      - Dignitas. *Vrbes regiæ.*
      - Successio. *Huc Metropoles, & Coloniæ.*
      - Pulcritudo, *Amœnitas.*
      - Frequentia. *Vrbes populosæ.*
      - Artes. *Claræ*
        - Mercimoniis. *Emporia.*
        - Opificiis.
      - Salubritas. *Vrbes Salubres, Insalubres.*
      - Duratio. *Vrbes quæ diu durarunt.*
    - Destruuntur, *Euertuntur.*
  - Arces. Turres. Portus.

Voluminis Vigesimitertii
Liber I.

De Locis Materialiter considerati.

Loca materialiter considerata in genere. Huc pertinet

Locorvm, Regionvm

Ortvs. Terræ detectæ, Factæ.

Alluvio est adiunctio & appulsus fluminis, ripam continentis. Hinc Alluvius ager, quem paulatim fluvius in agrū redditū est, qui ex alluvione factus est: ut est in libro Varioru auct. de Limitib. Sed cùm isto appulsu & attritu affluentis aquæ detractio illa conglutinatioq; contingeret, ac proinde per alluvionē acquisitio fieret, acquirendi modum, quod Incrementū latens uere definiuit, Iurisconsulti Alluvionē uocarunt, eiq; definitionē illam accommodarunt, rerum uim, non uerborū proprietatem spectantes. Hotom. com. Verb. iuris.

De mari in terrā mutato, deq; causis horum, uide Strabonem libro 1. Nascuntur terræ non fluminum tātùm inuectu, sicut Echinades insulæ ab Acheloo amne congestæ, teste Herodoto lib. 2. maiorq; pars Aegypti à Nilo, in quam à Pharo insula noctis & diei cursum fuisse Homero credimus: sed & recessu maris, sicut eidem de Circeiis: quod accidisse & in Ambraciæ portu decem millium passuum intervallo, & Atheniensium quinq; millium ad Piræum memoratur. Et Ephesi, ubi quondam ædem Dianæ alluebat. Herodoto quidem si credimus, mare fuit supra Memphim usq; ad Aethiopum montes: itemq; à planis Arabiæ. Mare & circa Ilium, & tota Teuthrania, quaq; campos intulerit Mæander. Plin. lib. 2. cap. 85. Mæander fluuius plurimum terræ attulit Asiæ regionibus, per quas fluit. Simili modo & in Arcanania Achelous, Cephisus in Bœotia à Phoceis descendens, nō parum eis oris terræ superaddidere, quæ coli posset. Diod. li. 1. cap. 3. Quòd Echinades insulæ non sint adhuc continenti terræ annexæ, Aetolorum opera factū est. Sedibus enim suis pulsi, agrum colere desierunt. Eo factum, ut Achelous minùs iam lutulentus per deserta fluens, medium inter continentis terræ litus, & eas insulas fretum, non oblimauerit. Huic rei Mæander argumēto esse possit, qui Phrygum & Carum feracissimos agros prætorlabens, medium inter Prienen & Miletum mare breui in continentis naturam uertit. Pausanias in Arcadicis.

Peloria apud Thessalos uocantur, quæ apud Romanos Saturnalia. Narrant enim, cùm sacrificium Pelasgis commune fieret, uirum quendam Pelasgo regi significasse, cui nomen erat Peloro, quòd terræmotibus magnis in Hæmonia siue Thessalia factis, montes Tempe uocati fracti sunt, atque disrupti, ac per interuallum aqua stagni erumpens influxerit in Penei fluentum, & omnem regionem, quæ priùs stagnum fuerat, esse denudatam, tum aquis exiccatis, & magnitudine & pulcritudine admirabilem planitiem apparuisse. Cùm id audiuisset Pelasgus, mensam copiosè magnificèque ornatam Peloro parauit, ac apposuit, alij autem perhumanè amplectentes contulerunt singuli, si quid optimum haberent, ac in mensam nuncianti deposuerunt, ipse uerò Pelasgus ministrabat promtè, & alij, qui in dignitate erant constituti, seruiebant, uelut singulis tempus cōcederet. Referunt idcirco ubi regionem sunt consecuti, sacrificantes Iouī Pelorio mensas splendidè paratas apponere eos consueuisse ad illius festi imitationem: atq; ita amicè, beneuolèq; fieri conuentum, ut uel omnes peregrinos in conuiuium excipiant, uinctosq; soluant, ac serui cum omni licentia accumbant. & epulētur, dum domini illis seruiunt. Atq; nunc etiam omnino Thessali maximum festum agētes Pelorium uocitant. Athen. lib. 14. cap. 17. & Strabo lib. 9. De eo sic Herod. lib. 7. Narratur Thessalia quondam lacus fuisse, conclusa undiq; præaltis mōtibus. Nam ad auroram Pelion & Ossam iunctis inter se radicibus habet: ad aquilonem, Olympum, ad Hesperum Pindam, ad austrum Ochryn. Inter hos montes media est Thessalia, ita deuexa, ut cùm alij frequentes amnes in eam defluant, cùm ij quinq; præcipuè, Peneus, Apidanus, Onochonus, Epineus, Pamisus: qui è montibus in unum confluentes, per unum anfractum eumq; arctum in mare euadunt, Penei retento nomine. Fertur quondam, cùm nondum esset hic anfractus, per quē flumina mearent, hos fluuios, & præterea lacum Bœbeidem, non fuisse nomīnatos, quemadmodum nunc, & tamen non minùs quàm nunc fluxisse: sed suis fluentis omnem Thessaliam effecisse pelagus. Ipsi quidem Thessali memorant Neptunum fecisse conuallem, per quam meat Peneus, haud absurdè sentientes. Qui enim arbitratur Neptunum terram quatere, & quæ terræ motu discussa sunt, huius dei esse opera, ei cernenti hunc locum uidetur Neptunus id fecisse. Nanq; diductio illa montium à terræ motu facta uidetur. Herod. lib. 7.

Platæas urbem à latitudine remorum appellata probabile est, & Platæenses remigationis quæstu uictitantes. Cæterùm hodie procul à lacu habitantes, nequaquam adhuc ita propriè possunt appellari, Helosque & Heleon & Helesium, à palude uocatæ sunt urbes Pelopōnesi, quoniam paludibus finitimę sitæ fuerant. Nunc autem nequaquam modo simili sese omnes habēt, uel seorsum positis domiciliis, uel lacu uehementer ad ima decrescente, effluentibus postmodùm aquis. Strabo libro 9.

Pyramus fl. in minori ortus Armenia, montem Taurum secās, tantum limi in mare effert Cilicium partim ex Cathaoniæ, partim ex Cilicię cāpis, ut oraculi locū carmina illa habeāt:

Ἔσσεται ἠοτρόφοις, ὅτε κῦμα Πύραμος εὐρυοδίνης
πόντον ἐπεκχύσῃ τεῦχε δὲ κύπρος ἐκηνεῦ.

Tempus erit rapidis olim cùm Pyramus undis
In sacram ueniet congesto littore Cyprum.

Strabo lib. 1. & 12.

Aegypti non paruam partem quandoque aquis obrutam fuisse, satis constat. Quicquid supra Memphim & Aethiopum montes iacet, Delta dicta, quoniam triangulī speciem præbet, mari & Nili extremis duobus brachiis circumscripta, accessio terræ est, ac fluminis donum, ad trium usq; dierum nauigationem, quoniam Nilus annua inundatione ea loca cœno oblimauit. Quod inde patet, quoniam cùm Aegyptū uersus in alto cursum tenes, procul ab ea adhuc diurna nauigationis spacio, patieris sensum cœni etiam in aqua undecim alta passus. Nilus itaque siccaneum fecit. Attestatur huic quoque rei humus ipsa fragilis, & minimè petrosa. Item quòd nongentis antè annis Nilus octo cubitis, ut minimum assurgens, irrigabat Aegyptum, quæ supra Memphim est: at Herodoti ætate nisi quindecim aut sedecim cubitos ascenderet, regionem generasse. Strabo id soli, quod à Siene ad mare Nilo irrigatur, Aegyptum ab initio appellatum arbitratur: cui quantum postea incrementi accesserit, Homeri carmen hauddubiè demonstrat, quo significatur, Pharum insulam, quæ hodie Alexandriæ adiacet, uelificæ nauigationis diei unius à continentis ora abfuisse. Sabell. lib. 1. Ennead. 1. Ex Diodoro lib. 3. cap. 1. & Herod. lib. 3. qui idem aliquando Aegyptiis euenturum putant, quod illi Græcis euenturum asserunt: uidelicet, quòd aliquando magna spe decepti, esuriturī sint. Græci quidem, si Deus pluuiam illis non largiatur cœlitùs: Aegyptij uerò, si Nilus tantum terræ aggerat, ut aggeres ipsos transcendere nequeat, cùm alioqui nullis planè imbribus illorum regio irrigetur, sed sola Nili inundatione. Herodotus libro secundo.

Alexandria ab Alexandro Magno ad Persicū mare condium oppidum, primò fuit à litore stadijs X maritimum, etiam inde pseudoporticus habet: luba uerò prodente LM pass. Nunc abesse à litore CXXM. legati Arabum & negotiatores, affirmant. Nec ulla in parte plus aut celerius profecere terræ fluminibus inuectæ. Magis id mium est, æstui longè ultra id accedente non repercussas. Plinius libro sexto, capite 27.

Apud Orchomenon aiunt ruptam terram per hiatum, Melanem fluuium hausisse, qui per plagam Haliattiam labitur. Strabo lib. 9.

Polybius futurum credidit, ut assidua fluminum exaggeratione, Mæotis palus & Euxinum mare, quod & Ponticum dicitur, aliquādo uadosum fieret: quod in Mæoti sua tempestate propemodum euenisset, quum nullibi stagnantes aquæ, plus quinq; ulnis, aut ubi plurimum, septē uado distarent, ob idq; maiora nauigia paludem ipsam non ferre, sed uadorum incrementa minùs in Ponto sentiri, ob aquarum multitudinem, esse tamen unius diei à terra arenarum tumulos, quos fluenta Istri materia in altum propulsa faciāt, quatenus fluuialis aquæ impetus procul litoribus durat indubitato exaggerationis, quam ille futuram dixit, argumento. Adijcit illud quod ad institutam demonstrationem pertinet, quòd quāto Mæotis Pontico dulcior est, tanto Pontus ipse nostro mari minus amarus. Sab. lib 8. En. 2.

Italiæ ad Adriaticum mare litora creuerunt. Adria immīnens mari olim, nunc in continente aliquot passuum millibus. Spina Græca olim urbs, maris domina, in paludibus Adriæ sita non procul Rauenna, cuius donaria Delphis quoq; spectabantur, Strabonis tempore uiculus erat, XC stadijs à mari distans. Strabo lib. 4.

Circeii quondam insula immenso quidem mari circumdata (ut creditur Homero) at nunc planicie. Theophrastus, qui primus externorū aliqua de Romanis diligentius scripsit (nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, urbem duntaxat à Gallis captam dixit: Clitarchus ab eo proximus, legationem tantùm ad Alexandrum missam) hic iam Circeiorū insulæ & mensurā posuit stadia LXXX. in eo uoluminc quod scripsit Nicodoro Athenienśiū magistratui, qui fuit urbis CCCCLX anno. Plin. lib. 3. cap. 5.

Expulsis regibus cum tota gēte, Tarquiniorum ager circa Tiberim Marti consecratus est, & Martivs campus dictus. Defecta seges cum stramento (quia religiosum fuit in humanum usum uertere) in fluuium deiecta, medio Tiberis alueo, uadosis obhæsit locis. Tenuis æstiuo anni tempore fluebat amnis: accidit propterea, ut limo aliaq; materia eōdem temerè congesta, insula paulatim sit facta, Aesculapio postea cōsecrata, quæ nostra tempestate uetustis operibus, nonnullis etiam recentibus conspicua, in Transtyberinam regionem duobus pontibus ex urbe transmittit. Vnde Inter duos pōtes ea regio uocatur. Alij, quod fabulosum mihi uidetur, id postea accidisse arbitrati sunt, quum Tarquinia quædam Vestalis agrum huic finitimum publicè reliquisset. Sab. lib. 7. En. 2. ex Dionysio lib. 5. & Plut. Poplicola, & Val. Max. lib. 1. & Liuio lib. 2.

Interitvs. Hvc

Terræ aquis obrutæ.

Ex Titulo Terræmotus, huc quædam.

Licniforvm urbs quondam insignis, & nota Ptolemæi temporibus, in minores abijt pagos, dilapso, uti uidere est, Eupyli piscoso lacu, in cuius ripa peramœnæ fertilitatis Licniforum adiacebat: eius regionis tractū corrupto uocabulo Iucini plebem uocabant. Asserunt nonnulli, ex uehementi terræ motu Eupylum cæco hiatu terræ haustum subsedisse, profundioribusq; inæqualis alueī locis, reliquisse exiguos quinque lacus, è quibus Lamber amnis emittitur. Iouius in uita Othonis Vicecomitis.

Insvlarvm

Ortvs. Insvlæ enatæ, Abscissæ continenti.

Dijs inter se orbem terrarum, deuictis gigantibus, partientibus, Sol in cursu diurno occupatus aberat: cumq; absentis nulla esset habita ratio, Rhodvm insulam emergere fecit. Quæ idcirco Soli sacra dicitur. Pindari interpres. At alij terræmotu exortam aiunt, (uti & Delum) & paludosam primò, mox Solis caloribus exiccatam, fertilissimam extitisse. Diodorus, Philo. Ammianus Marcellinus lib. 16.

Anysis Aegyptiorum rex cæcus, expulsus in palustria à Sabaco Aethiopum rege, insulam cinere atq; humo exaggerauit. Nam ut quisq; Aegyptiorum iussus illuc ibat portans frumētum, ei mandabat, ut clam Aethiope ad se dono etiā cinerem ferret. Nomen insulæ indidit Elbo. Quam septingentis annis nullus regū ante Amyrtæum inuenire potuit. Est autem decem stadiorum magnitudine. Herod. lib. 2.

Philostratus è Protesilai uerbis cognitione digna scribit, Nēptuno Thetida pro nouo solo supplicasse, ut aliquam his, qui è Thessalia forent, incolendam insulam daret. Hunc reputantem Ponti longitudinē, nullam inhabitabilem inuenisse: quum Istrum, Borysthenem, & Thermodonta, qui immensis perpetuisq; gurgitibus in Pontum deferuntur, reputasset: unum ex his omnibus profluentem exaggerasse, in Pontoq; insulam Leucen statuisse, eius longitudinem triginta fuisse stadiorum, quatuor uerò latitudinē: mox ibi preleas albasq; arbores fuisse ortas, unde insulæ nomē inditum, aliàs templum in mirum amœnitatis ornatum circumstare: hāc deum Achilli ac Helenæ incolēdam permisisse: ibi templum utriusq; religiosissimum, & utriusq; statuas fuisse positas, quæ se mutuò nō conspiciunt: nam Helena spectat ad Aegyptum. Quin & Neptunum & Amphitritas, item Nereidas, cæterosq; amnium dæmones, qui in Mæotidem Pontumq; conueniunt, ibi sua cōiugia frequentare: albas adhæc aues insulam habitasse, & confirmasse nomen omnes Græcos, cæterosq; Barbaros Ponti accolas, tali sese hospitio abstinere: Achillem & Helenam ibi conuiuia agere, in cantibusq; quotidie uersari: mutuūm amorē, Homerumq; præconē, perpetuo cantu resonare. Præterea esse famam, mercatorem quendam hāc insulam quandoq; frequentasse: huic apparuisse Achillē, retulisse quæ ad Troiam gesta sunt: grato hospitio, & lauto prandio excepisse: mox imperasse, Ilium nauigaret, Troademq; puellam adduceret, quę una è Priamidum sanguine supererat. Quod quū ille fecisset, ab Achille mirificè laudatum: ac iussum, ut eam (quando Leucen mulieribus adire nefas erat) in sua naui custodiret: mercatorē ab eo non sine multa pecunia dimissum: neq; adhuc stadiū abnauigantē, puellæ ululatus audiuisse, immaniter ab Achille disceptæ. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

Longè clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quę diu fluctuata (ut proditur) sola motum terræ non sensit, ad M. Varronis ætatem. Mutianus prodidit, bis concussam. Hanc Aristoteles ita appellatam prodidit, quoniam repentè apparuerit enata. Plinius lib. 4. cap. 12.

Clarę iā pridē insulę, Delos & Rhodos, memoriæ prodūtur enatæ. Postea minores, ultra Melon Anaphe, inter Lemnum & Hellespontum, Nea: inter Lebedum & Teon, Alone: inter Cycladas Olympiadis CXXXV. anno quarto, Thera & Therasia. Inter easdem post annos CXXX. Hiera, eademq; Automate. Et ab ea duobus stadijs post annos CX. M. Iunio Syllano, L. Balbo Coss. ad VIII. Idus Iulias, Thia. Plin. lib. 2. cap. 87.

Cēos insula aulsa Eubœæ, quingentis longa stadijs fuit quondam: mox quatuor ferè partibus, quæ ad Bœotiam uergebant, eodem mari deuoratis, oppida habet reliqua, Iulida, Cartheiā: intercidēre Coressus, Pœessa. Ex hac profectam delicatiorem feminis uestem, auctor est Varro. Euboea & ipsa aulsa Bœotiæ, tā modico interfluente euripo, ut ponte iungatur. Thera, cùm primùm emersit, Calliste dicta: ex ea aulsa postea Therasia, atq; inter duas enata mox Automate, eadem Hiera. Plin. lib. 4. cap. 12. Inter Theram & Therasiam insulas in Cretico mari, è pelago proruperе flammæ, quæ per dies quatuor mare totum æstuans, atq; ardens reddiderunt. Tū educta altius sensim uelut machinis insula, & ex fluitantibus terris composita, duodecim stad. circuitum cōtinet. Inde cessante casu, tum imperantes mari Rhodij primū capta fiducia ad locū nauigantes, templum tutori Neptuno in insula ædificarunt. Strabo lib. 1.

Vrbes quinq; iuxta Athon insulanæ redditæ. Vide Tit. Iranimia erga inanimata.

Tradunt prisci rerum scriptores, Siciliam olim fuisse Italiæ coniunctam: sed postea ex huiusmodi causa insulā euasisse. Qua parte angusta continens ab utroque maris latere æstu collidebatur, dirupta maris fluctibus terra, aquā peruiam fecisse: à qua terræ scissura Rhegium is locus appellatus est, ac multis postmodum annis conditæ ibi urbs idem nomen sortita est. Quidam tradūt, terræmotu scissam continentem, dedisse mari locum, ac propterea diuisam à cōtinenti Siciliam insulam effectam. Hesiodus poeta contrà sentit: ait enim, aperto mari promōtorium, quod iuxta Pelorum montem est, aggerasse Orionē. Diod. lib. 4. cap. 14.

In Acheloo Acarnaniæ fluuio ex alluuione amnis Insvla enata. Vide Tit. Ab insania curati.

Anno decimo Leonis Isauri, Christi 727. æstiuo tempore, uapor ut ex camino ignis uisus est ebullire inter Theram & Therasiā insulas, ex profundo maris, per aliquot dies: quo paulatim incrassato & dilatato, igniti æstus incendio totus fumus igneus monstrabatur. Porrò crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes, ut cumulos quosdā transmisit per totam minorem Asiam, & Lesbon, & Aby-

dum, & maritima Macedoniæ, ita ut tota superficies maris his punicibus esset repleta. In medio autem tanti ignis, INSVLA ex terræ congerie facta, insulæ quæ Sacra dicitur, copulata est, nondum priùs existens. Paulus Diaconus lib. 21. rerum Romanarum, & Cedrenus, & Sigon. lib. 3. regn. Ital.

NISYRVS insula Sporadum una, molendinariis abundans lapidibus. Eam, fama est, fragmentum Coæ insulæ fuisse. Neptunum enim persequentem Polybotem gigantem ab insula Coa tridente suo frustum auulsisse, inque illum iaculatum fuisse, appellatamque Nisyrum insulam, sepultum ibi continens gigantem. Tametsi quidam asserant, sepulcrum eius in Coo esse. Strabo lib. 10.

PELASGI sedibus suis pulsi, Dodonæ oraculũ acceperant, in Italiam irent, & eo loci, ubi insulam uiderent fluitantem, urbem conderẽt. Igitur cùm in Latiũ post errores plurimos appulissent, in lacu CYTVLIENSIVM natam insulam deprehenderunt. Amplissimus enim cespes, siue ille continentis limus, seu paludis fuit, coacta compage, uirgultis & arboribus in syluæ licentiam comtus, iactantibus per omne mare fluctibus, uagabatur: ut fides ex hoc etiam Delo facta sit, quæ celsa montibus, uasta campis, tamen per maria migrabat. Hoc igitur miraculo deprehenso, has sibi sedes prędictas esse didicerunt, uastatisq; Sicilienſibus incolis, occupauere regionem. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 7. ex Varrone.

Bello Peloponnesiaco, terræmotu Græciam infestante, tradũt, in Loeride, qua intra mare porrectum eius lateris solum, angusto ueluti aggeris cuiusdam tractu continẽti iunctum constabat, ea disruptione ac discissione, eo uinculo insulam illinc abscissam, cui ATLANTA nomen est inditum. Diodorus libro duodecimo.

MONA insula à Britannia olim mari disiuncta angusto, quoties decrescebat Oceanus, cuius magni fiunt omni tempore æstus, adeò prope terram erat, ut sine nauigiis adiri posset. At nunc ab omni terra ab est ampliùs XXV millibus, quæ quondam uix mille passus procul erat. Polydorus lib. 1. Cæterùm Polydori opinionem solidis argumentis conuellit Humfredus Lhuyd in epistola ad Abrahamum Ortelium, in Theatro orbis terrarum.

Reges Tauricæ Chersonesi à metropoli Crym dicti fuẽre Crymskij. Posteaquam uerò isthmus illę spacio MCC passuum perfossus fuit, & fossa hęc (quam Precop lingua Tatarica dicunt) in insulæ formam redacta, Precopientes deinceps appellari cepere. Alex. Guagninus in Tartaria.

NATVRA. INSVLÆ

Frequentes.

Obiacent Scotiæ in mari Hibernico tres & quadraginta insulæ: quarum nonnullæ triginta passuum millia longæ, alicubi non plus duodecim latæ sunt, alicubi amplius: ab aliis EBONIÆ, ab aliis HEBRIDES dictæ. Harum prima ac princeps est Mona siue Man appellata, Gallouidiam atque conterminos Anglorum agros respiciens, præcipuaque olim Druydum sedes. H. Boethius in Scotiæ descript.

Oportunæ, Commodæ.

Ioannes Nouius, Lusitanorum nauarchus, Calecutio rediẽs, admodum commodè nauigando, Bonæ spei promontorium flexit, & indè in paruam quandam insulam cursu delatus est, cui Sanctæ HELENÆ nomẽ imposuit. Est autem insula ita in medio mari sita, ut diuino consilio constituta uideatur, ut Lusitanos homines ex India redeuntes, iactatione, multarumque rerum penuria, quod fieri in tam larga nauigatione opus est, afflictos reficeret. Fluuios namq; habet gelidos atque perennes, & syluas atque nemora densissima, cœlumque saluberrimum. Postea uerò, quàm cultus accessit, multis porcorum & pecudum gregibus, uariisque fructibus & oleribus abundauit. Itaque Lusitani in ea aquationem & lignationem commodissimè faciunt, & piscatione, & uenatione, & aucupio non oblectantur solùm, sed naues commeatu reficiunt. Osorius lib. 2. rerum Emm.

ARMVZIVM est insula intra ostium sinus Persici, non ita lato mari à Carmania disiuncta. Ambitus illius decem & sex passuum millibus continetur. Est autem ostio sinus propinqua: à Carmania uerò 12. millibus passuum distat: ab Arabia autem ea parte, qua Carmaniam respicit, 40. millibus. Insula est nimis arida & sterilis, solo adeò macro, ut nihil omninò, quod ad usum uitę ualeat, uel natura, uel hominum cultu proferat. Perennibus aquis omninò caretutres tantùm putei in insula procul à ciuitate sunt: homines eisternis utuntur: & cùm reliqua omnia ex uicinis insulis, & ex Carmania & Arabia ad usũtum idonea importentur, aqua etiam ex iisdem locis in eam afferri solet. Duos portus habet tutissimos: unus ad occidentem solem, alter ad orientem pertinet. Quorum commoditatem secuti mercatores ex India, Perside, & Arabia, eam insulam frequentare ceperunt. Eatandem frequentia & celebritate factum est, ut ciuitas ædificaretur in plantie sita, quæ progressu temporis ad summam amplitudinem peruenit. Nullæ sunt deliciæ uel in Arabia, uel in Perside, uel in India, uel in quacunque alia regione, è qua naues in insulæ portus inuehantur, quæ non omnes terræ opes in eam inferant. Ita fit, ut cùm nihil ex se ipsa gignat, multis tamen regionibus opimis rerum omnium abundantia præferatur. Osorius lib. 5. rerum Emm.

Frugiferæ.

SICILIÆ ubertas nihilo Italica inferior, frumento autem, croco & melle præstantior. Enimuerò populi Romani horreum Sicilia est olim dicta. Pecora, pelles, lanæ, aliæque diuitiæ affatim, ut Italiæ, cui agnata fuit olim, cæterùm terræmotu auulsa (ut uetus est opinio) Tyrrheno hinc pelago, inde Ionio admissis, insula facta est. Sabellicus lib. 6. Ennead. 1. ex Strabonis lib. 6. Eapropter Cereri consecrata olim fuit, & propter Aetnæos crateres Proserpinam illuc ad inferos transportatam à Plutone, fabulantur. Natalis Comes lib. 3. Mythol. cap. 16.

AEGINA insula sterilis priùs, fertilis reddita. Vide Tit. Metamorphoseos uariæ.

De CRETA insula illud iactatum ueteribus circumfertur. Quicquid usquam proueniat, id optimè omnium haberi in Creta. Cælius lib. 18. cap. 26. A. L.

CYPRVS uirtute nulla insularũ inferior. Nam & uino abundat & oleo: frumenti quoque satis habet: æris metalla apud Tassanum abundat. Auctor est Eratosthenes, cùm olim campi adeò syluis essent occupati, ut coli non possent, arbores ad æris & argenti decoctionem excisas, & classem ædificatam fuisse. Sed cùm neque sic euincere syluam possent, permissum est uolentibus ut eam excinderent, & purgatã peculiarem atq; immunẽ sibi haberent. Strabo lib. 14.

Indiæ insula ZEILANDA, à Ptolemæo Cori dicta. Est admodum fertilis, neque solùm uariis frugibus abundans, uerùm & herbis, & plantis odore mirifico redolentibus egregiè uestita: quæ sine ulla cultura prouenint. Malorum citreorum nemora sunt densissima: fructus uarij atque multiplices, tam sapore, quàm odore gratissimi. Magnam præterea uim cinnamomi passim fundit. Multi insuper pretiosissimi lapides, atque multiplices, è saxorum ingentium uenis eruuntur: & gemmæ etiam incredibili multitudine, & singulari colore atque fulgore, extractis ostreis è profundo maris gurgite, reperiuntur. Ad hæc, miram Elephãtorum copiam nutrit. Osorius lib. 4. rerum Emm.

Inagua, Canaria, Tenerissa, Palma, Ferrea, Lancerota, Fortunata, insulæ CANARIÆ uulgò, FORTVNATÆ ueteribus, Archiepiscopum Inaguæ habent, & Gubernatorem. Abundant saccaro. Id iis merces est amplissima, & palmæ fructus, dactyli. Io. Metellus.

Lethiferæ.

GALATA insula maris Africi, cuius terra scorpionem dirum animal Africæ necat. Dicuntur & in CLVPEA emori. Plinius lib. 5. capite 5.

INTERITVS. INSVLÆ CONtinenti iunctæ.

Natura abstulit insulas mari, iunxitque terris: ANTISSAM Lesbo, ZEPHYRIVM Halicarnasso, ETHVSAM Mindo, DROMISCON & Pernen Mileto, NARTHECVSAM Parthenio promontorio. HYBANDA quondam insula Ionię, ducentis nunc a mari abest stadiis. SYRITEN Ephesus in mediterranea habet: DERASIDAS & SOPHONIAM, uicina ei Magnesia. EPIDAVRVS & ORCIVM insulæ esse desierunt. Plin. lib. 2. cap. 89.

ECHINADES insulæ plures extant, cunctæ steriles & asperæ, è quibus quæ longissimè abest, ante Acheloi eruptionem stadiis quindecim distat. Quæ uerò propiùs, stadia quinq;, cùm priùs pelagio circunflua foret. Limus enim qui frequens defertur, quasdam illarum in continentis terræ faciem redigit, alias mox rediget, qui etiam Parachelotidem (sic enim finitimam fluuio plagam uocant) effecit, quam amnis inundat. Ea uerò cùm antiquis temporibus semper limites confunderet, bella inter uicinos ciebat, Aetolos & Acarnantes terminos designans. Cumque arbitri nulli essent, armis decertabant. Qua ex causa conficta est fabula, quasi debellarit Acheloum Hercules, & uictoriæ præmium reportarit Oenei filiæ Deianiræ nuptias. Addunt nonnulli, Amalthęæ cornu id esse, quod Hercules ab Acheloi fronte auulsit: idque Oeneo nuptiale munus dedit Hercules. Quibus è rebus ueram plerique similitudine quadam allegoriam educentes, Acheloum sicut flumina reliqua tauro comparant, ob sonos ipsos, & alueorum circunflexiones, quas cornua uocant, draconi quoque propter obliquatam ipsius longitudinem, eadem est bouinæ frontis causa. Herculem quoque omnibus alioqui beneficum mortalibus, Oenei filiam ambientem aggeribus & aquarum ductibus fluuium coercuisse, & agros illuuione Acheloi uastatos priùs exiccatos Oeneo concessisse: hoc autem Amaltheæ cornu esse. Strabo lib. 10.

Chalcidenses reliquiq; fermè omnes qui EVBOEAM incolebant, Athenienſibus rebellauerant, ueriti ne fortè ab Athenienſibus iam maris dominis, dictis in Hellesponto Lacedęmoniis, malè tractarentur: postularunt à Bœotiis, uti communi opera atq; impensa ducere per Euripum aggerem uellent, & ita solum solo connectere, uti Eubœa Bœotiæ continuaretur. Bœotij, quòd id maximis rebus suis conducere cernerent, ut reliquis gentibus Eubœa insulæ speciem præferret, sibi uerò cohærens pro continentis parte haberetur. aggeris educendi studiis accensis, ad opus maturandum concertabant. Nam non ciuibus modò edictum erat, ut copiis omnib. ad operã exirent, uerùm conuenas, inquilinos, alienigenas, aduenas omnes eadẽ edicta urgebant. Ita multitudine operariorum studioq; omniũ cœptum opus breui perficitur. In Eubœa ex Chalcide ceptus agger duci, in Bœotia ex loco Aulidi proximo. Ad ea nãq; loca maris interluuies quàm angustissima separabat utraq;. Antea quidem per eũ locum perpetuus ponti profluus rapiebatur, crebręq; fiebant fluctuũ reciprocationes. Tum uerò multo rapaciore ferebatur unda profluens impetu, utpote potentiore conatu, uiolentiusq; irrumpente per angustissimas fauces pelagi exæstuantis illuuie. Nam quantum carinæ satis esset ad internauigandũ, nihil amplius petebat fluctibus intercursus. In utrisq; extremis molib. turres excelsas extruxere, quarũ media interstitia ligneis pontibus iunxerunt. Diod. lib. 13.

MARIA. HVC MARIA

BELLVIS INFESTA.

Plurima & maxima in INDICO mari animalia reperiuntur, maximè pristis & balena: in Gallico Oceano physeter, ingẽtis columnæ modo se attollens, altioriq; nauium uelis diluuiem quandam eructans. In Gaditano Oceano arbor in tantum uastis dispansa ramis, ut ex ea causa fretum nunquam intrasse credatur. Plin. lib. 9. cap. 4.

Mare SEPTENTRIONALE ob marinas belluas infestissimum est nauigantibus. Illæ tamen solo turbarum clangore ne naues cuertant abiguntur. Olaus lib. 21.

IMPORTVOSA, NAVFRAGIIS FAMOSA.

Strabo lib. Geographiæ octauo tradit, Corinthiorum urbem in Isthmo sitam, duos habuisse portus, alterum Asiam uersus, alterum Italiam. Verùm quòd freti instar esset, non sine discrimine eò nauigari, ueluti olim in mari SICVLO inter Scyllam & Charybdin, maximè autem præter MALEAM, propter reflantes inde uentos. Vnde & prouerbium celebratum fuisse, Μαλέου δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε: id est, Maleã legens, quæ sunt domi obliuiscere. Est autem Malea promontorium Laconiæ, à Maleo Argiuorum rege dictum, quod per quinque passuum millia in mare protenditur, auctore Seruio in quintum Aeneidos. Significat Homerus lib. Odyssęæ 9. periculosam circa Maleam nauigationẽ fuisse, sic Vlyssem loquentem inducens,

Αὐτὰρ με κῦμα φέρει τε καὶ ἀχνύμενον περὶ Μάλειαν
Καὶ βορέης ἀπέωσε, παρὲξ δὲ τε Κυθήρων: id est,
Sed me dum Maleam præteruehor, undaq; fluctusq;
Et Boreas illinc pulsum admouere Cytheris.

Erasmus in Adagiis.

Darij regis classis ex Thaso Acanthum profecta, Aquilonis uiui disiecta est, & supra XX Persarum millia circa ATHON periere. Excurrit Athos à planitie in mare septuagintaquinque millia passuum: radicis ambitus centum quinquaginta millia colligit. Oppidum in eius uertice fuit Achroton. Xerxes Darij F. non multo post atrocissimi huius casus memoria territus, montem continenti terræ ademit, mille & quingentorum passuum Isthmo militari opere effosso, per quem postea est Athos enauigatus. Sab. lib. 1. En. 3.

Mare MAMERTINVM fœdissimis tẽpestatibus infame est: siquidem uenti è diuersa superi inferiq; maris regione (quę maria Adriaticum & Tyrrhenom uocant) spirantes, ab alto undas cient, & procellis infestissimas reddunt. Quin & cum uenti posuẽre, ea est influentis & refluentis pelagi concitatio, tam grauis belluarum innatantium odor, ut naufragis nulla salutis reliqua fiat spes. Quòd si nauẽ hoc in freto Vlysses fregisset, non ille quidem in Italiam incolumis enatasset. In ea pueri XXXV. cum chori magistro & tibicine, ad festos ludorum dies à Rheginis missi, ad unum periere. Pausanias libro 5.

Inter tres Norugiæ insulas, Lofoth, Langanas, & Vastral, mare appellatur MVSKOSTROM, id est æstus. Hic mare sorbetur intra cauernas, accedẽte fluxu, & reflatur refluxu, quanto maximo impetu deferuntur torrentes. Nauigatur hoc mare, donec inferius est faucibus scopulorum: at qui iniquo tempore inciderint, feruntur præcipites in uoraginem. Naufragiorum reliquiæ perraro reddunturr: & si quando reddunturr, reperiuntur robora attrita collisione scopulorum, ut lanugine quasi obducta uideantur. Hæc est potentia naturæ, fabulosas Symplegadas, & formidatam Maleam, & Siculam Charybdin, & omnia miracula superans. Zieglerus in Scondia.

LOCA MATERIALITER CONSIDERATA IN SPECIE. HIC IGITVR PERPENDENDA

MONTIVM IPSORVM

NATVRA. MONTES

Abundantes

Metallis.

Memoriæ proditum est ab antiquis scriptoribus, Iberiæ montes, qui PYRENÆI uocantur, & latitudine & longitudine longe alios excẽllere. Nam à mari, quod est ad meridiem, iacent usque ad Oceanum ferme ad Arctos situm, Galleciamque ab Iberia diuidunt. per Celtiberiam quoque protenduntur stadiis tribus millibus. In quibus cùm sint frequentes syluæ, ferunt priscis temporibus igne à pastoribus iniecto montanas omnes regiones fuisse combustas (qua ex re montes aiunt cognominatos Pyrenæos, ardente continuis diebus igne) plurisque ex montium incendiis argenti puri riuuli effluxerunt. quod incolis ignotum, Phœnices mercatores uili rerum permutatione emtum in Græciam, Asiamque, ac nationes cæteras deferentes, magnas ex eo commercio opes contraxerunt. Adeò autem mercatores quæstus excitauit cupiditas, ut quum onustis nauibus superaret argentum, amoto ab ancoris plumbo argentum subderent eius loco. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti, plures colonos tum in Siciliam, propinquasque insulas, tum in Libyam, Sardiniamque, ac Iberiam destinauerunt. Multis postmodum seculis cognito argento, Iberi metallis quærendis operam dedere: magnaque argenti copia reperta, ingens ex eo uectigal prodiit, quum æs, aurum argentumque sint metalla præcipua. Argenti studio à Carthaginenſibus, quo tempore Iberiam tenuere, ea metalla ampliata sunt. Hæc fuit causa, ut eorum postmodum excrescerent uires. Precio enim optimis militum conductis, plura gesserunt aduersus hostes bella, neque domestico, neque sociorum milite usi, Romanos Siculosque ac Lybicos ad maxima deduxerunt pericula, quum omnes diuitiis ab auri argentique copia stperarent. Io Gerundensis lib. 1. Paralip. Hispaniæ.

Vegetantibus, Frugibus, Fructibus.

HELICON Bœotiæ, montium qui in Græcia sunt omnium præstat soli bonitate, & arborum crebritate. In eo portulacæ frutices longè suauissimi saporis fructum ferunt. Aiunt incolæ, earum, qui ibi gignuntur, herbarum, aut radicum, nullas omnino homini esse mortiferas: quin & serpentum uirtus loci eius pastionibus infirmari, atque adeò, ut si quem serpens ulla momorderit, is ubi uel de genere Psyllorum, qui in Aphrica sunt, quenquam, aut aliquod ad id affectum medicamentum nancisci potuerit, facilè periculo liberetur. Pausanias in Bœoticis.

TMOLVS mons uitibus celebris. Vide Tit. Vitiũ præstantia.

Mons VESVVIVS, amœnissimis habitatus agris, excepto cacumine. Id magna ex parte planitiem habet, fructũ nullum omnino ferentem, cauernosa monstrans antra, combustis ex petris, ut color indicat, cùm ignis habeat crateras, restinctos autem cessante materia. Et hanc fertilitatis, quæ circa locum est, causam dixeris. Strabo lib. 5.

Feris animalibus.

PARNES mons Atticæ, aprorum & ursorum luculentam uenatoribus copiam præbet. Pausanias in Atticis.

TAYGETVS mons Laconiæ, Spartæ imminens, facit qualibet sui parte uenatoribus luculẽtam caprearum, aprorum, ceruorum, & ursorum copiam. Pausanias in Lacon.

Raris quibusdam.

Est in media insula ZEILANDA in mari Indico (à Ptolemæo Cori promontorium dicta) mons præcelsus, multis paludibus cinctus. Ex illius summo fastigio collis assurgit, è cuius medio è lacu quodã aquæ dulces atq; perennes emanant. Prope lacũ est silex, in qua cernitur uestigiũ hominis impressum. Est aũt persuasum incolis, uestigium illud esse primi parentis generis humani, qui inde in cœlum sublatus ab illis esse dicitur. Non procul autem inde Sacellum uisitur, in quo duo sepulcra mira superstitione coluntur. Existimant

enim in his condita fuisse corpora primi hominis, & uxoris illius, è quorum semine fuit uniuersum genus humanum propagatum. Ea uerò opinio animis penitus infixa facit, ut eò multi Saraceni, & alij longè diuersis superstitionibus impliciti, religionis gratia confluant. Locus adeò accliuis est, ut neque manibus niti ad summum possint, sed scalis & catenis adiuti eò perueniant. Osorius lib.4. rerum Em.

Asperi.

Iulianus apud Suidam in uoce ἑρκύνιος HERCYNIVM saltum multò difficiliorem magisq; arduū penetratu putat quàm uel Thessalica tempe, uel Thermopylas, uel Taurum, nihil deniq; simile huic in Romano imperio inueniri.

Alti.

ATHOS Thraciæ mons ingens, adeò ut umbram iaciat ad stadia trecenta, teste Stephano. Tradunt in Lemno bouis fuisse simulacrum ingens, candido factum lapide. id Athos mons tametsi longo dissitus interuallo, tamē ob summam celsitudinem, obscurat umbra sua. Pomponius Mela tradidit huius cacumen altius, quàm unde cadant imbres, eius rei coniecturam ex eo colligi, quòd de aris, quas in uertice sustinet, non abluitur cinis, sed quo relinquitur aggere manet. Obstat & nauigantibus, quòd toto longè dorso procedat in pelagus, qua continenti adhæret: unde & à Xerxe perfossus. Meminit huius Apollonius Argonauticōn lib.1.

Ἠέλιος νισσομένοισιν ἄθω ἀνέτειλε κολώνη
Θρῃκίη, ἣ τόσσον ἀπόπροθι λίμενος ἔδεισε,
Ὅσσον τε ἴνδικοι κερεΐφολοι ὀλκὰς ἀείσται,
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ σκιάει, καὶ ἐς ἄκρι μυδαίνης.
Solis ad exortum uada salsa lecantibus alto
Vertice sese ostendit Athos, mons Thracius, is qui
Dissitus à sacra tanto discrimine Lemno,
Quantum alata die ualeat transmittere nauis,
Hanc tamen aerij contingit uerticis umbra:
Quin longinquam etiam contingit ad usq; Myrinen.
Erasmus.

INTERITVS. MONTES

Terræmotu hausti.

Castrum Tauredunum in Galliis (ut Turonensis scribit lib.4. cap.30.) situm in MONTE supra Rhodanum. Auditus est uerò per dies ampliùs sexaginta mugitum edere mons, do nec tandem mirabiliter scissus ab alio sibi uicino monte, cū uniuersio castro omnibusq; incolis in Rhodanum præceps rueret. Aque itaq; retrocedens, & impedita atq; obstructa tanta mole, cum aliàs inter angustias montium laberetur, multos nihil tale opinantes oppressit. Accidit hoc imperante Iustiniano. Triginta quoq; monachi paulo pòst uenientes, & circa ea loca unde mons prolapsus erat fodientes, æs seu ferrum reperiunt. Verùm subitò incipit mons, sicut antea, mugire. Sed cùm ipsi nihilominus ab incœpto non desisterent, reliqua montis pars corruit, eosque interfecit. Hanc cladem multa præcessere prodigia. Aliquandiu manè sole oriente, tres uel quatuor soles uisi sunt. Sol deniq; ita obscuratus & obtenebratus est, ut nec quarta pars in eo lucens remaneret. Apparuit quoque integro anno cometa, radium de se spargens instar gladij. Cœlum item ardere uisum est.

Incendio clari. Montes ardentes.

Seruius Aeneidos 6. narrat mōtē esse in Lycia CHIMERAM, cuius etiam tum ardebat cacumen, iuxta quod leones erant, media uerò pascua esse, & ima serpentibus plena. Hūc Bellerophon fecit habitabilem, & proinde Chimæram occidisse dicitur.

Aetnæ montis incendiis similia sunt ea quæ in Liparæis insulis propinquis, quas AEOLIAS uocant, septem numero, Thermissam, Strongylem, Acoli regiam, Didymam, Ericusam, Phœnicusam, & Euonymam, accidere dicuntur. His adiungitur Lipara octaua & princeps. Inter hanc & Siciliam media Vulcano sacra, saxosa tota & ignita, & ex tribus crateribus incendia efflans. Cùm spiraturus est Auster, densissima nebula insulæ offunditur. Cùm Boreas, purissima flāma conspicitur. Cùm Zephyrus, media quædam aeris constitutio cernitur. Et hinc fit, ut Liparæi uentos prædicere possint. Itaq; locus fabulæ datus, Aeolum qui illic imperabat, uentorum regem esse. Strabo lib.6.

AETNA mons est in Sicilia Vulcano sacer, qui per noctem flammas euomit per hiatum stadiorum XX. quem Craterē uocant, quos duos esse uult Solinus in Polyhistore. Dictus sic uel ab Aetna filio Briarei Cyclopis, uel ab Aetna filia Cœli & Terræ, quam alij Thaliam uocant, quemadmodū Seruius dicit. Hunc montem Vergilius descripsit longo carmine: Ouidio sunt qui attribuant. Seneca Ouidium à describēdo Aetna deterritum refert, quòd illum à Vergilio iam sciret cantatum. Cornelij Scueri putant esse nōnulli. Exundat sæpè incendiis, uicinis agris gentibusq; noxiis. Sic Gn. Seruilio Cæpione, & C. Lælio Coss. tum Seruio Flacco & Q. Calphurnio Coss. iterum. M. Aemilio, L. Aurelio Coss. mōs terræ motu ignes super uerticem latè diffudit, & ad insulā Liparas mare efferbuit, & quibusdam adustis nauibus uapore plerosq; naualeis exanimauit: piscium uim magnam exanimem dispersit, quos Liparenses auidius epulijs appetentes, contamination e uentris consumti sunt: ita ut noua pestilentia uastarentur insulæ. Accidit istud paulò ante sedi tionem C. Gracchi. Orosius addit, multos mortales incendio absumtos, coactosq; esse desertis suis quàm longissimè aufugere. Conflagratio prima, secundo anno octauæ & octogesimæ Olympiadis, tribus ante natum Platonem annis contigit: secundùm Eusebium Cæsariensem. In conflagratione seruatos esse pios homines miraculo quodā, ne ab igne læderentur, & hoc de Mundo libro attingit Aristoteles, & fusius in Mirabilibus naturæ auditionibus explicat. L. Viues in lib.3. cap.31. & lib.4. August. de ciu. Dei, c.2.

Apud Celtas, cùm montes RIPHÆI, postea Obij dicti, nunc uerò Alpes (sunt autem Galliæ) aliquando incensi essent, argenti riui per terram defluxerunt. Athen. lib.6. cap.4.

Anno Constantini decimosexto, mense Martio, VESVVIVS exarsit, & ignes per aliquot dies & cinerem euomuit, adeò ut omnia uirentia circumquaq; perderet. Secuta est Saracenorum in Aphricam irruptio, & excidium Carthaginis. Paulus Diaconus lib.6. cap.4. de gestis Longobardorum. Anno 472. Vesuuius mons in Campania intimis æstuans ignibus, uiscera exusta euomuit, noctturnisq; in die tenebris incumbentibus omnem Europam minuto cinere cooperuit. Itaq; eius portenti memoriam annuam Constantinopolitani instituerunt VIII Idus Nouembris. Ea re Leo Imperator exterritus urbe excessit, atq; ad S. Mamantem consedit. Sigonius lib.14. Imp. occid.

Circa an. 512. Vesuuius mons hiatum ingentem edidit: inde spiritus quidam ater adeò ac densus erupit, ut lucem solis caligine tenebrisq; inuolueret: strepitu ita horrendo, ut uicina loca tremore concuteret: cinis inde tantus effundebatur, ut prouincias quoq; Transmarinas obrueret. In Campania uerò quidam quasi pulueri amnes fluebant: & arena impetu feruente more fluminis decurrebat, qua plana camporum usq; ad arborum cacumina tumescebant, & uirescētia omnia protinꝰ arescebāt. Sigon. li.16. Imp. occid.

In LOPPIA regione Russiæ montes in altum eminentissimi dicuntur esse, qui ad Aetnæ similitudinem, flammas semper eructant, in quibus Salamandræ, animalia quædam lacertarum similitudine, quæ in igne non secus ac pisces in aquis uiuunt, crescere perhibentur. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

In ISLANDIA insula mons est Hegle, qui rupem Syderean perpetuæ flagrationis æstibus imitatus, incendia sempiterna iugi flammarum eructatione continuat. Saxo lib.1.

QVITVM, Acquatori subiecta, & Peruano regno finitima regio, in qua locus (Vulcanum uulgus appellat) flammas eructat, & cineres octoginta & eo amplius milliaria procul iactat. Io. Metellus.

SCOPVLI NOBILES.

Eodem, quo Peruanum regnum, mari abluitur proximè Nicaragua: in qua rupes, MASAIA nomine, quæ flammam, magno cum fragore, euomit. Os, medio milliari, in circuitu patet. In intimo fundi recessu, liquor quidam feruidus manat, auro liquefacto similis. Si ferrum ei immittas, statim absumitur. Ad oris marginem tamen, in qua nec herba crescit, nec arbor, passeres innoxiè nidificant. Io. Metellus.

In Fifæ, Scotiæ regionis æstuario, situs est SCOPVLVS, angusto aditu, uix piscariam nauem recipiens, qui non in sese ædificia extructa habet, sed excauatus non incommodiora domicilia intùs præbet, quàm si magnis operib. extructus esset. Quicquid in eo est, portentosæ plenum est nouitatis. Auium enim, quas uernacula lingua Solandis appellant, haud absimilium iis, quas Aquilas Plinius aquatiles uocat, in eo ingens copia inhabitat, nec in ullo ferè alio loco. Eæ quum primùm adueniunt, incipiente uere, construendis nidis tantam lignorum uim comportāt, ut auferentibus, qui illic inhabitant (nec enim id ægrè ferunt) satis in annum ea ex parte prospectum sit. Pullos suos piscibus alunt delicatissimis: nam si quempiam antè ceperint, auolantesq; meliorem in fundo maris nantem conspiciant, abiecto illo, magno sese impetu præcipitantes immergentesq; prædā persequuntur. Vbi uerò ad nidum escam pullis adportarunt, auferentibus rursus hominibus haud grauatè concedunt, continuò pro aliis auolantes. Pullos quoq; deprædātibus non repugnant, unde ingens commodum ad Castelli dominum redit. Nam cutem detrahentes cum pingui, oleum inde magni precij conficiunt. Habēt quoq; intestinū quoddam paruum, oleo singularis uirtutis refertum: coxendicum enim arthriticumq; morbos sanare consueuit. Nascitur etiam in hoc scopulo herba quędā humano esui suauis: cæterùm si exportetur trāsplanteturq;, nec esui apta est, nec alicubi crescere usquā potest. Inuentus fuit olim in eadē rupe lapis quidam porosus, in formā spongiæ, altera ex parte cōcauus: cui si marina infunderetur aqua, ea percolata, dulcis potuiq; cōmoda effluebat. Cæterū communicatione āmicorū, ut ferunt, per multas manus tandē ad Fast castellū, ubi & hodie esse aiūt, delatus est. H. Boeth. in Scotiæ descr.

In Fifa Scotiæ regione insula est MAIA, ubi in altissimo scopulo fons aquæ dulcis largissimus admirando naturę miraculo medio mari scaturit. Idem.

AGRI.

Consule Titulum, Diuites agri.

PRATA.

AEGYPTII soli tractus optimus est in Gossene & Ramesse, pascuis aptus. Eapropter Iosephus suum patrem Iacobū & fratres posteaquàm in Aegyptum descenderāt, ibi à Pharaone rege collocari curauit. Genes. 47.

Raptum Proserpinæ prope SYRACVSAS in pratis iuxta Aetnam factum ferunt, quæ liliis uariisq; floribus ornata erāt. Ibi propter odorum fragrantiā fagaces canes indagare nequeūt, uim sensus florū odore superante. Et idē pratū à superiori parte planū admodū, aquis redundantib. circū, & precipitiis undiq; abscissum: ex quo à nōnullis Siciliæ appellatur umbilicus. Sunt ei propinqua nemora, prataq; & paludes undiq;. Spelunca insuper pergrandē, quæ hiatū sub terrā habeat, ad Arcū spectantē dicunt: per quā Plutonē fabulantur cum curru rapta Proserpina trāsisse. Lilia, alios q; flores odorē præbentes, per uniuersum uolunt annum, quibus aspectus oblectetur, uirides permanere. Diod. lib.5. cap.2.

Apud Brutiorū urbē HIPPONIVM, qd̄ mutato deinde uocabulo, Vibonā Valentiā appellauere, Proserpinam è Sicilia aduēta esse ad legēdos flores, credidere ueteres, quoniam eius regionis amœnissima prata esse cōstat. Hinc matronis usus inualuit, ut collectis ex florib. coronas texant, cùm per dies festos emta gestare serta, uitio illis detur. Strabo lib.6.

LAVDÆ Pompeiæ apud Insubres ager compascuus, tantam casei copiam suppeditat, quantam Italię pars nulla. Semper ibi recentes herbæ propter aquarū copiā, alueis plena omnia, ternis quaternisue interdū canalib. alios super aliis superinductis. Itaq; cuenit, ut tertiū quartumq; fœnū his pratis secetur, an. 1552. etiā quintū. Ob lactis ubertatem caseos ingentib. figurant molib. IO. certè Franciscus comes Soma lienus anno 1551. caseos quatuor confecit, quorum singuli pondo quingenta adæquabant. Leander in Lombardia transpadana.

INTERAMNÆ in Vmbria quater anno prata secātur, etiam non rigua. Ter uerò plerisque in locis Italiæ, & postea in ipso pabulo non minus emolumenti est, quàm à fœno. Plinius lib.18. cap.28.

Est PODOLIA pars Sarmatiæ, Poloniæ prætenta, inferior Ruthenia dicta. Solum tā prodigiosæ est feracitatis, ut gramen humanæ staturæ instar assurgat, mira florum copia: & ob eam rem incredibilis quidam mellis & ceræ prouentus: passim apes cauis arboribus lapidibusq; cauernosis mellificant. Sabellicus libro 4. En.10.

ISLANDIA, Tyle ueterum, magna sui parte montosa est & inculta. Qua autem parte plana est, præstat plurimum pabulo tam læto, ut pecus depellatur à pascuis, ne ab aruina suffocetur. Iac. Zieglerus in Scondia.

GRONLANDIA, insula interpretatur uirens terra, sic dicta ob insignem prouentum pabuli. Cuius, & pecoris, quanta sit copia, hinc licet spectare, quòd sub tempore, quo ad eos nauigatur, componunt promercales ingentes strues butyri & caseis: unde etiam coniectamus, terram non esse asperam montibus. Iac. Zieglerus in Scondia.

SYLVAE.

Nemus est in Hispania unū, apud oppidū nomine MONTIS maioris, in quo quercus, castaneas, ilices, nuces, corylos, cerasos, prunos, pyros, ficus, labruscas, & omne genus arborum fructificans sola natura plantauit, arbores altitudinis ingētis & amplitudinis. Iuxta oppidū BEIERANVM, ubi nemus est amœnissimum, castaneę arboris ambitum mensi sumus pedū circiter quadraginta. Marin. lib.1. de reb. Hisp.

Transalbina regio Saxoniæ usq; ad Eydoram & Aldenburgi regionē HOLSATIA nomē sunū habet; quà terra nemorosa & saltibus occupata est, ad differentiam uicinarum partium, quæ palustres & pascuæ sunt. Incolæ eius Holsaten, hoc est, inter nemora sitiquum ediuerso palustres dicantur Mersude. Cranzius lib.5. Saxoniæ, cap.27.

SPELVNCAE CELEBRES.

Scribit Philochorus, in insula SALAMINE speluncam esse tetram & horridam, quā Gellius lib.15. cap.20. se uidisse ait, in qua Euripides tragœdiam scriptitarit.

In Samico Elidis, non longè à flumine Anigro gratissimi odoris, ANTRVM est Anigridum Nymphārum. Huc qui uitida alioquo uitiliginis genere cute intrarit, ubi primū Nymphis imploratis, nuncupatisq; uotis, deinde amne nando transmisso, laborantes corporis partes defricuerit, fœditatem eam oris in aquis relinquere creditur, atq; inde nitidiùs ac tersus discedere. Pausanias lib.5.

COVOLVM specus in Venetorum ditione, contra hostium impetum munitissima. Vide Tit. Arces munitæ.

Ad SLANIS castellum Buthquhaniæ regionis Scotię antrum est admirandæ naturæ. Aqua enim in id instillans tractu tēporis in candidissimum conuertitur lapidem: ac nisi certo annorum curriculo eximerentur, olim iam oppletū illis fuisset. Nullus in hac regione mus maior conspicitur, nec si introportetur uitam ducere illic potest. Nascuntur in eadem auenæ plerisq; in locis sponte nullaq; cultura: uerùm messores si consultò præcogitatoq; accedāt, inania omnia reperiūt: si de repente, nihilq; prædicentes, plena uniuersa: id quod haud per naturam fieri posse apparet, sed illusione dæmonum; credulis superstitiosisq; hominū mentibus imponentium. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Paulus Eremita, Decij persecutionem fugiens, XV. an. adolescens, ad saxei montis radicē grandē speluncā, lapide quo claudebatur remoto, explorans, aliiim aduertit intus grādē uestibulum; quod apertō desuper cœlo, patulis diffusa ramis uetus palma contexerat, fontem lucidissimū ostendēs: cuius riuum tantūmodo foras erumpentem, statim modico foramine, eadem, quæ genuerat aquas, terra sorbebat. Erant præterea per excsum montem haud pauca habitacula, in quibus scabræ iam incudes & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ, uisebantur. Hunc locum Aegyptiorum literæ ferunt furtiuæ monetæ officinam fuisse, ea tempestate qua Cleopatræ iunctus est Antonius. In eo loco deinceps consenuit Paulus. Hieronymus in uita eius.

LACVVM

ORTVS.

Ex Tit. Terræmotus huc quædam.

Nicolaus Damascenus lib.104. Historiarum, Eo tempore quo terræmotus facti fuerunt, pugnante Mithridate circa APAMEAM Phrygiæ, apparuerunt, inquit, in ipsa regione stagna quæ prius non erant, & fluuij, & alij fontes, qui ob motū aperti fuerunt, alij contrà complures sese occultarūt, tanq; aqua uirescens ac salsa ex terra scaturiuit, quamuis plurimum abessent hæc loca à mari, ut uicinus quinis locūs ostreis & piscibus totus impleretur, & aliis omnibus, quæ in mari degere solent. Athen. lib.8. cap.1.

NATVRA MIRABILIS.

Refert Boccacius, in ulteriori Hispania mōtem excelsum esse nomine Canatum, & in eius uertice LACVM summę & inextricabilis profunditatis, colore nigrum, de quo incolę miranda commemorant. Dicūt enim, si quis in eum lapidem uel durum aliquid iecerit, magnam protinus oriri tempestatem. Marineus lib.1. rerum Hisp.

NESSA, Scotię fluuius, ex lacu eiusdem nominis exortus, nullo unquam sidere concrescere potest, nec ipse quoq; lacus. Quicquid autem in eos congelatum infertur, extemplò liquescit, præcipuo commodo equis luto glacieque rigentibus. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

In Gallouidia Scotiæ (olim Brigātia dicta) lacus MYRTOVN nomine, cuius una pars aliarū more aquarū gelu hyeme cōcrescit, altera nullis frigoribus cōgelari potest: dignus propterea qui referatur. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

In HIBERNIA lacus est, circa quem amplissimo circunquaque spacio nec arbor nec herba ulla nascitur. In quem si lignum infigas, anni circiter unius curriculo id, quod in terra fixum erit, in lapidem conuertetur: quod deinceps aqua tangitur, in ferrum: reliquum aqua extans ligni formam naturamq; seruabit. Ita coniuncta, lapis, ferrum & lignum, eodem in stipite, inaudita nouitate spectantur. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

FRVCTVS. HVC LACVS

Abundantes, Fertiles

Piscibus.

Lacus pisculenti. Vide sub Tit. Pisces ubi.

Auibus.

Est lacus in Morauia, Scotię regione, SPINA nomine, insignis olorum frequentia. Nascitur enim in eo herba quædam, cuius semine auidissimē uescuntur, atque ob id Olorum cognominata. Ea autem herbæ illius natura est, ut agris iniecta nunquam putrescat. Hinc factum est, ut licēt in spacium quinque propè millium lacus extendatur, hominumque adhuc memoriā piscibus ac maximè salmonibus exundāte cōn-

re consueuerit:ubi ea nasci cepit, sensim accrescens, totum illud uadosum nantibusque impeditum reddiderit, nec ullus deinceps, piscis maior quispiam in eo uisus sit. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Sale.

In PERVANA regione lacus quidam dulcis est,in cuius fundo sal candidissimum reperitur.Io.Metellus.

Steriles,Piscibus carentes.

In Iudæa lacus ASPHALTITES siue Mare Mortuum diuersa admodum à cæteris aquis natura est.In eo enim uiuentia etiamsi nihil se moueant, supernatant: inanima uerò omnia in imum descendunt.Et fit,ut orba sit piscibus palus, quamuis in ea palude Iordanis fluuius consumtus euanescebat. E manifesto enim periculo se pisces ad aquas recipiunt naturæ suæ congruentes.Pausanias lib.1.

MAGNITVDO.

In regione Scotiæ Lennos dicta,Ptolemęo Lelgonia,lacus lōgè maximus est,ad Grampij montis radices, supra quatuor ac uiginti milliaria in longitudinem extensus, octo in latitudinem.Triginta insulas complectitur, quarum pleræq; uicis frequentibus habitatæ,templa sacellaq; diuis dicata habēt, LOVMVND uernacula dictus.Tria in hoc memoratu digna reperiūtur. Nam pisces illic esui humano suaues.pinnis carent. Lacus interdum nullo flante uēto ita cōcitatur, ut naues medio cursu correptæ, cum maximo discrimine iactentur,& plerūq; euertantur. Deniq; est & insula quædam gregibus pascendis armentisq; apta, sed quæ natans fluctuansque quò uenti impellant huc illuc fertur. Hector Boethius in descript.Scotiæ.

VSVS.

Lacus ALPHION uitiliginibus medetur. Plin.lib.21.cap.1.

QVALITAS.

Lacus DVNENSIS, regnante Theodeberto & Theoderico apud Francos, tanto feruore ebulliit, ut in eo pisces cocti ad ripas in esum accolarum uenirent. Robertus Gaguinus libro 2.de gestis Francorum.

FLVMINVM

MOTVS, CVRSVS, FLVXVS, FLVVII

Strepentes.

TROLHETA fluuius Norueglæ tanto fragore decurrit, ut per schœnos tres audiatur,hoc est,p XV.M.Ziegl. in Scōd.

Obliqui, Tortuosi.

Quum res agitur non simpliciter, sed uafris & obliquis consiliis, Mæandros dicimus, metaphora sumta à fluuio Mæandro,qui sinuosus ac flexuosus labitur: unde & nomen habere uidetur quasi oberrēt quærens hominum consortia. M. Tullius in Pisonem, Quos tu Mæandros dum omnes solitudines persequeris, quæ diuerticula flexionesque quæsisti? Erasmus in Adagiis.

Perennes.

Trœzenij amnem habent CHRYSORRHOAN,hoc est, Auri fluuium dictum: quem solum suam aquarum perennitatem seruasse narrant, cùm in magna siccitate, desideratis per annos IX imbribus,nullæ aquarum uenæ in Græcia nō exaruissent.Pausanias in Corinth.

MAGNITVDO. FLVMINA

Magna.

GANGES fluuius altissimus atq; latissimus, citeriorē Indiā ab ulteriore disterminat,& duobus ostiis, inter se tercētum passuum millia distantibus, in Indicum Oceanum labitur. Aquæ sunt salubres, & religionem possidere ab incolis existimantur,ita, ut multi uel ut morbos depellant, uel ut animos scelere pollutos expient,illis frequenter abluantur. Osorius lib.11.rerum Emm.

Fluuiorum totius orbis maximus,in India est,nomine ORELLANA,sub Aequinoctiali perpetuo ferè tractu decurrens: in longitudinem plusquam mille quingēta milliaria patet: maris æstus ad centum milliaria sese hoc aduerso flumine protendit.Est & alter fluuius, dictus ARGENTEVS, propter argentum,quod in eo reperitur.Io.Metellus.

Diuisa.

GYNDEM amnem Cyrus Persarum rex in centum sexaginta alueos stulto ultionis genere diduxit.

Regnante Cæsare Augusto, quando flos de radice Iesse ascendit, & in orbe Romano prima facta est descriptio: potentissimum priùs regnum AEGYPTIORVM, quod multis duraui ætatibus, Cleopatræ morte destructū est,& percussus est amnis Aegyptius in septem riuis,siue in septē uallibus. Nilus enim aquarum mulcarum,qui priùs uno fluebat alueo, & intransibilis erat.in septem ualles humillimas & riuos diuisus & concisus est, ut calceatis pedibus transiretur.Hieron.com.lib.4.in Esaiam cap.11.

Aucta,Inundantia.

Vide infrà,Fluuii fœcundi.

Exiccata.

ONOCHONVS Thessaliæ fl. Xerxis exercitui non suffecit. Herod.lib.9.Vide Tit.Exercitus numerosus.

FRVCTVS. HVC FLVVII

Auriferi.

Τὸν Πακτόλου χρυσόῤῥοον,id est,Pactoli diuitias,pro summis opibus alicubi dixit Philostratus. Est autē PACTOLVS Lydiæ fluuius,ex mōte Tmolo profluens,aureis scatēs harenis,unde & χρυσορρόας à poetis cognominatur. Cuiusmodi narratur & Tagus inIberia, & Gāges in India, & Hebrus in Thracia. Plinius addit Padum in Italia,negatq; ullum esse aurum absolutius,quā id quod in fluuiis reperitur, utpote cursu ipso tituq; perpolitum.Erasmus in Adagiis.

Pisculenti.

Consule Tit. Pisces ubi.

Oritur in Laminitano agro Hispaniæ fl. ANAS, ut scribit Plinius. Qui etsi pisces,præter anguillas,quæ sunt optimæ,inutiles gignit,fama tamen & natura est memorabilis: quippe qui modò se fundit in stagna, modò in angustias resorbet, ac totus in cuniculis latet,& quasi nasci sæpius gaudet. Hic etiam, ut Strabo meminit, non longè oritur ab ortu Tagi. Marineus lib.1.rerum Hispan.

Fertiles.

Perpende locum Fertilitatis, quæ magna ex parte à Fluminibus prouenit. item paulo post,Vsus, Agriculturæ commodi.

Steriles.

ANIGRVS fluuius Elidis, è Lapitho Arcadiæ monte descendens,grauiter olentem aquam emittit,pisces non alit, priusquā flumen aliud,Acidantē nomine,accipiat.Ii etiam,quos Acidas importarit,esculenti esse desinunt. Teter ille odor, è terra unde effluit,existit.E Græcis uerò Chironem alij,Polenorem centaurum alij,ab Hercule sagitta percussum aiunt, cùm uulneratus fugeret,huius fluminis aqua uulnus abluisse.Inde hydræ ueneno infectum flumen,fœdum odorē contraxisse.Sunt qui in id causam referunt, quòd insaniæ morbo liberatis Proeti filiabus, Melampus Amythaonis filius piacula in hunc amnem abiecerit.Pausanias lib.5.

NOBILITAS.

Non tam impiè quàm stultè Naaman Syrus leprosus, Damasci aquas aquis prætulit Israelis: cùm IORDANIS deuotus Deo famulatus toties probatus extiterit, siue quando Heliæ,siue quando Helisæo, siue etiam quando Iosue & omni populo simul siccum in se transitum præbuit. Denique quid in fluminibus isto eminentius,quod ipsa Trinitas sibi quadam euidenti præsentia dedicauit? Pater auditus, uisus spiritus sanctus,filius est & baptizatus Meritò,pinde ipsam eius uirtutem, quam Naaman ille consulente propheta fertsit in corpore, iubente Christo uniuersus quoq; fidelis populus in anima experitur, quando in eo sacris undis tingitur.D.Bern.ad Templi milites.

Gortynam Arcadiæ urbem fluuius præterlabitur, quem circa suos fontes LVSIVM appellant, quòd in eo Iouem recēs natum lotum credant. Quā uerò longius à fontibus discedit, Gortynius dicitur, cuius aqua frigidissima est. Pausanias in Arcadicis.

LADON Arcadiæ fluuius aquæ pulcritudine omnibus Græciæ fluminibus antecellit: celebratur uerò maximè Daphnes causa, & ob ea quæ de illa poetæ decantarunt. Pausanias in Arcadicis.

VSVS. FLVVII

Potabiles.

Maximè iucundo aquarū frigore sunt CYDNVS, qui Tarsensium fines præterlabitur:MELAS,qui propter Sidā Pāphylorum decurrit:tum uerò HALESI ad Colophonem frigidam aquam,qui elegos fecerunt poetæ celebrant. Sed hos omnes, æstate præsertim, uincit GORTYNIVS Arcadiæ fluuius,qui ad fontes suos Lusius dicitur, quòd in eo Iouē recēs natum lotum credunt.Pausanias in Arcadicis.

CHOASPES & EVLÆVS fluuij saluberrimæ aquæ, quā solā secū etiā in lōginquas peregrinationes Parthorū reges uehunt.Plin.lib.31 c.2. Solin.c.51. ingt, Choaspes ita dulcis est, ut Persici reges quādiu intra ripas Persidis fluit, solis sibi ex eo pocula uēdicarint,& cū eundū foret peregrè,aquas eius secū uectitarint.Ac c.46.de Eulæo flumine, q ortū à Medis tā puro fluore inclytum habeat,ut inde oēs reges non alias quàm eius aquas bibāt.Susianā Persidē ab Elymaide disterminat amnis Eulæus, ortus in Medis: modicoque spacio cuniculo cōditus,ac rursus exortus,& per Mesobatenen lapsus,circuit arcē Susorū,ac Dianæ templū augustiss.illis gētibus,& ipse in magna cæremonia: siquidem reges non ex alio bibunt,& ob id in longinqua portant.Plin.lib.6.c,27.

ALPHEVS fluuius Elidis,uberrima & suauissima aqua, ex Arcadia descendit,Helisson, Brentheatem,Gortynium,Phagā, Ladonem,Erymanthum,Cladeum amnes suscipit,& subter mare in Sicilia apud Syracusas denuò emergens; Arethusæ fonti sese commiscet. Hinc fabulæ locus datus, Alpheum uenatorem Arethusæ amore captum, cùm illa nuptias eius auersata in Siciliam (quæ tunc Ortygia dicebatur) fugisset, ambo in aquas commutati fuere.Pausanias lib.5.

Medicati.

THEARVS Thraciæ fluuius, fertur ab accolis omnium amnium esse optimus, cùm ad alios morbos, tum ad scabiem curandam,uel hominum uel equorum.Eius fontes duodequadriginta sunt,ex eadem petra manantes, partim frigidi, partim calidi.Herodotus lib.4.

CYDNVS Ciliciæ amnis podagricis medetur, sicut apparet in epistola Cassij Parmensis ad M. Antonium. Plinius libro trigesimoprimo,capite primo.

Scribit Theophrastus in libro de Aquis, NILI aquam fertilissimam esse & dulcissimam: quamobrem uenter bibentibus soluitur,ob nitrosam admistionem.Athen.lib.2.cap.2.

Agriculturæ commodi.

NILVS Aegyptum,Babylonem & Seleuciam EVPHRATES atq; TIGRIS restagnantes fœcundant. Nilus quidem natura, Euphrates uerò & Tigris etiā arte temperari possunt. Plinius lib.18.cap.18.Nilus incipit crescere luna noua, quæcunque post solstitium est, sensim modicēq; cancrum sole transeunte,abundantissimè autem leonem. Et residet in uirgine.iisdem quibus accreuit modis. In totum autem reuocatur intra ripas in libra,ut tradit Herodotus, cētesimo die. Cùm crescit, reges aut præfectos nauigare eò, nefas iudicatum est. Auctus eius per puteos mensuræ notis deprehendunturIustum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant, ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ serendi tempora absumunt solo madente, illæ non dant sitiente.Vtrumque reputat prouincia. In XII cubitis famem sentit, in XIII etiamnum esurit: XIIII cubita hilaritatem afferunt: XV securitatem: XVI delicias. Maximum incrementum ad hoc æui fuit cubitorum XVIII. Claudio principe: minimum quinque Pharsalico bello, ueluti necem Magni prodigio quodam flumine auersante. Cùm stetere aquæ, apertis molibus admittuntur. Vt quæque liberata est terra, feritur. Idem amnis unus omnium nullas expirat auras. XV ostiis in mare se exonerat: quorum septem sunt celeberrima. Plin. lib.5. cap.9. & 10. De eo sic Diodorus: Vtilitate commodisq; cæteros orbis fluuios excellit. Incrementum eius à solstitio incipiens æstiuo, usq; ad æquinoctium, semperq; nouum limum secum uehens, rigat tum cultas regiones, tum incultas, quanto tempore uelint agricolæ. Aqua enim leniter fluente, facilè eam paruis aggeribus arcent,inducuntq; pro commodo terræ.Tantam uerò fertilitatem infert, & agri colendi facilitatem, ut cùm seuerint,aut oues introducant in cāpos ad conculcanda iacta semina,aut aratro leui terram subducant: neq; nisi quatuor aut quinq; exactis mensibus ad messem redeūtes, breui tempore uberrimos fructus absq; magna impensa laboréue reportent. Alibi agricultura magno labore exercetur,ac sumtu: soli Aegyptij minima impensa, labore tenui fruges fertiles auferunt. Vineæ quoq; eodē rigatæ modo, uino abundant. Terra inculta pecori ad pastum relicta, adeò exuberat herbis,ut oues bis in anno pariant, bisq; præbeāt lanam. Diod.lib.1.cap.3. & Strabo lib.17. Galenus Nilum ita laudat, ut bonitatis excellentia paucis admodum cōparari fluminibus possit. nam & mulierum partum insigniter adiuuat.Ex eo præterea in Aegypto solæ omnium palustres aquæ redduntur commodiores, quando æstate nec computrescant omnino.Seneca in Naturæ quæstionibus: Pleraq; sunt,inquit,ratio quorum reddi non potest, ut eur aqua Nilotica fœcundiores faciat feminas, adeò ut quarundā uiscera longiore præclusa sterilitate ad conceptū relaxauerit. Auicenna primo Canonis, quatuor ex causis Nilo incomparabilem bonitatis uim scribit attributam:quarum primā statuit,à cursus longitudine:secundam,regionis adscribit nitori ac præstantiæ,per quam fit aquarum delapsus:tertiam putat, quòd à meridie in septentrionem deferatur:sic enim attenuari ampliùs:postremò, & immensam suffragari fluminis molem. Aristoteles etiamnum postea quàm fœcundissimum dixit Nilum, & alendi facultate insignem, moderatæ solis decoctioni id acceptum retulit. Inuenio præterea Iouis uice fuisse Aegyptiis Nilum: unde illud apud Byzātium poetam Parmenonem,ut scribit Athenæus, αἰγύπτιε Ζεὺς νέε,id est Iupiter Aegypti Nile: quoniam certis anni temporibus superfusus ripis imbrium modo miram campis fertilitatem inserat.Propterea de Nilo Tibullus:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui:

Creditur & Pindarus inde Saturnium appellasse Nilum,tanquam & ipse Iouis innuens cognomentum:quoniam antistrophos, ut diximus, Iouiſit Nilus, & imbrium censeatur analogon eiusdem aqua,ubi in Pythiis ait:

ἠέλιο τε θεοῦ πίον τιθήνᾳ χρυσίδα.

Dicitur inde & chrysorrhoas Nilus, quasi auro fluens. Ex quo & graues in eos,qui chomata Nili ruperint, uel uiolarint omnino,sancciuntur pœnæ. Sunt autem eō nomine aggeres. Cœlius lib.27.cap.6.Antiq.Lect.

EVPHRATES Armeniæ fluuius, increscit & ipse Nili modò statis diebus,paulum differens; ac Mesopotamiam inūdat, sole obtinente uicesimam partem cāeri. Minui incipit in uirginem à leone transgresso. In totum uerò remeat in uigesimanona parte uirginis.Plin.lib.5.cap.26.

Inter Scythię fluuios BORYSTHENES secundùm Istrum omnium maximus,& omnium aliorum (præter Aegyptium Nilum,cum quo non licet alium comparare)uberrimus,pascua præbens amœnissima & accōmodatissima pecoribus, nec non optimorū ac singularum affatim piscium, idem ad potandum suauissimus,liquidus inter turbidos fluens, iuxta quem sementis optima fit, & herba non satiua, etiam altissima.In cuius quoq; ostio ingens uis salis sua sponte concrescit.Præbet idem ingentia cete,ad salsuram, spinis carentia,quæ antacæos appellant.Herod.lib.4.

Mechanicis inseruientes.

De CYDNO,& de sacra Apollinis,qui Tharsi est,secēspita,referunt,à Cydno ferrum illud extergi rectiùs, neq; alia ab aqua cultum illum quàm ab illa: quomodo Olympiæ cinerem adcorporant aræ & affigunt, cui ALPHÆI undam affundunt: ex alio amne si tentent, nulla ualent solidare uel agglutinare cinerem.Plut. de Def.orac.

BÆTIS fl.Hispaniæ aqua ad inficiēdas lanas plurimum ualet,quam Martialis hoc modo commendauit:

Bætis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis uellera tingit aquis.

A quo etiam, ut Strabo & Plinius asserunt, Bætica prouincia nomen accepit.Marinæus lib.1.rerum Hispani.

Apud Vascones fluuius CHALYBS nomine, cuius aqua Hispani gladios temperāt. Ab eodem populi Chalybes dicuntur.Marineus lib.1.rerum Hisp.ex Iustino.

FONTES CONSIDERATI respectu

QVANTITATIS. Vbi Fontes

Multi.

Ex loco Fertilitatis huc quædam.

Nulli.

Argiuorum regionem aquis abundare concedunt, urbem uerò ipsam ARGOS in loco iacere arido,in qua copia puteorum sit,quos Danaidum adscribant solertiæ: eos enim illas inuenisse.Quo ex facto uersus ille uulgatur:

ἄργος ἄυδρον ἐόν, δαναοῖ δόσαν ἄργος ὕδωρ.

Argos aquis uacuum Danaæ struxere redundans.

Ex puteis autem quatuor insignes habentur & sacri, quos eximia ueneratione colunt:qui in aquarum penuria, aquarum abundantiam inducunt.Strabo lib.8.

MOTVS.

In paruo Lusitaniæ oppido,quod uulgò VILLAMNOVAM uocant,distatq; à Caura ciuitate passuum millia circiter undecim,fons oritur Kalendis Maiis,& ad Kalendas usq; Nouembres aquas Villænouanis abundè diffundit:postea uerò occultatur,laetetq; hyeme tota:& ad statutū tempus,hoc est ad Kalendas Maias, renascitur,& accolas reuisit. Marineus lib.1. de rebus Hispan.

In ISLANDIA fontes sunt cōplures, qui modò plenis exundant alueis, & in sublime assurgunt, modò deprimuntur & absorbentur.Saxo.

In Bernensium ditione,non procul ab Haslensium municipio, Alpes ENGSTLIÆ occurrūt,Iunio,Iulio & Augusto mensibus habitabiles. Iisdem mensib. solis ex scopulo profluit fons uberrimus,bis in die,mane & uesperi,quando pecora adaquantur:iisq; refectis sensim euanescit.Sordiū iniectionem Nympha eius loci tanta feit impotentia,ut per aliquot dies aquam denegare soleat, nec nisi expurgato alueo, & ueluti propitiato numine,ad officium redeat. Testis experientia.Stumpfius lib.7.Heluetiæ.

QVALITATIS. HVC FONTES

Calidi.Thermæ.

CALLIRRHOE fons calidus,medicæ salubritatis,aquarum gloriam ipso nomine præferens, prope Asphaltitem Palæstinæ lacum.Plinius lib.5.cap.16.

Ad Syriæ HIERAPOLIM calidæ aquæ scaturiunt, & Plutonium est: ibi aqua adeò faciliter in tophum duratur, ut qui aquæductus deducunt,ex integro topho fistulas conficiāt. Plutonium est os, in paruo quodam imminentis montis superciliō,ita commensuratum,ut hominem suscipere possit,

mira profunditate. Huic propositum est uallum quadratum, ambitu ferè semiiugero, quod nebulosa & crassa caligine plenum est, ut uix solum discerni possit. Ad septum appropinquantibus, aer innoxius est, purus ab illa caligine, in tranquillitate uentorum. Nam caligo intra ambitum manet. Si uerò animal introrsum progrediatur, statim moritur. Quapropter tauri introducti cadunt, & mortui educuntur. Nos, inquit Strabo, passeres immisimus, qui subito mortui ceciderunt. Galli uerò execti illæsi accedunt, ut etiam usque ad os appropinquent, & introspiciant, & immergantur quousq; possint spiritum continere. Strabo lib.13.

In IONIA, XL stadiis procul à Smyrna, thermæ sunt, in quas Græci ex oraculo descendere iussi, à Mysis multis uulneribus affecti, cùm ad Troiam, duce Agamemnone, proficiscerentur, sanati sunt. Inde nomen meruêre, ut Agamemnoniæ dicerentur. Philostratus in Protesilao. Vide 4. lib. Græcorum Epigram.

In Thracia urbs est ANCHIALVS, quam Sardanapalus Parthorum rex (teste Iordane) ex fundamentis erexit, intra limbum maris, & Hæmi montis radices. Ibi calidæ aquæ quintodecimo milliario ab urbe distãtes, ab imo sui fontis igne scaturientes, tam salubres esse creduntur (Gothorum testimonio, qui direpta sub Galieno Asia illis sese refocillarunt) ut uix in uniuerso orbe æquè salutares pro reparandis hominum membris inueniantur. Ioannes Magnus lib. 16. cap. 14. & Cranzius lib.2. Sueciæ, cap.8. ex Iordane.

In Isthmo Corinthiaco è regione Cenchræi promontorij, sunt HELENÆ balneæ. Aqua è saxo in mare defluit, multa illa quidem, & salsa, nihilo calidior quàm quæ igni primùm intepuerit. Pausanias in Corinth.

LEBEDIORVM ager (quem primò Cares, deinde Iones obtinuere) insigni fœcundirate fuit, & calidarum in eo aquarum balneæ plurimæ saluberrimæ. Pausanias in Achaicis.

In Isthmo agri TROEZENIORVM, à Methanis oppido stadia fermè XXX absunt calidarum aquarum balneæ salsæ. Aquas eas è scatebris primùm erupisse aiunt, Antigono Demetrij filio in Macedonibus regnante, ac priùs quidem repentinis ignibus eum locum æstuasse. Ibi qui laueriint, frigidis perfundi non possunt, quòd neque dulces ullæ propè sunt, neque potest quisquam sine periculo se in proximum mare, natandi causa, mittere, propter cùm alias belluas, tum uerò canes, quorum uim magnam pelagus illud gignit. Pausanias in Corinth.

Campus est Chalcidi adiacens LILANTVS dictus, in quo calidarum scaturigines aquarum erumpunt ad curandos morbos. Quibus Corn. Sylla Romanorum Imp. est usus. Adfuit quoque admirabile æris ac ferri commune metallum, quale nusquam prouenire memoriæ proditur, hoc tempore utrunq; prorsus euanuit. Strabo lib.10.

LIPARA una Aeolidum insularum balneis, ad ualetudinem pristinam recuperant. Profert metallum celebre, quod alumen appellant: ex quo Liparenses Romanique magnum percipiunt uectigal. Nam cùm nullo alio in loco orbis alumen generetur, magnos affert huic insulæ quæstus. Diodorus lib.5. capite 3.

Thermas salubres recenset Plinius lib.31. cap.1. in Aquitania apud TARBELLOS, & in Pyrenæis mõtibus PVTEOLOS in Campania, STATIELLAS in Liguria, SEXTIAS in Narbonensi prouincia, nusquam tamen largius quàm in BAIANO sinu, nec pluribus auxiliandi generibus in Campania itidem SINVESSANÆ sterilitati feminarum, & uirorum insaniæ medentur: in AENARIA insula calculosis. Plinius lib.31. cap.1. plures alias recenset.

Quidam fabulati sunt Gigantes è Phlegra Campaniæ uicina pulsos ab Hercule terram subiisse, atque ex illorum cruore fontem Leucæ fœtidum odorem habuisse, Phlegramque Campaniæ oram fuisse uocatam, quòd igni calidarumque aquarum fluxu abundarent, totusq; Baiarum & Cumarum tractus sulphuris & ignis naturam referentes aquas emitteret. Calidas ideo esse inquiunt, quòd uulnerum flammas abluerint, cùm ex ipsius fulminis natura sulphur oleant.

Aquæ calidæ ad BVDAM in Hungaria uergunt in occasum, distantq; à mœnibus stadiis fermè duodecim: mirabilis autem earum natura fertur, quum scaturientis aquæ tantus sit feruor, ut pede uix tentari possit, & in eam à laniis proiecti sues facilè depilentur, nec ranæ tamen intercant, quæ frequentes innatare conspiciuntur. Iouius lib.39. Histor.

FABARIÆ Thermæ apud Rhætos, ad Fabarium, cœnobium Benedictinorum uetustissimum, sub Friderico II. Imp. aucupis opera, aquilas sectantis, repertæ, ulceribus chironiis, corporibus uel morbo uel labore resolutis mirè utiles. In profundissimo & angustissimo hiatu, ad cuius apicem æstiuo tempore meridianus sol unica tantùm hora pertingit, sitæ, aquam fundunt calidam, pellucidam, insipidam, Maio primùm mense ex scopulo prorumpentem, Septembri denuò euanescentem, sex ferè mensibus feriantem, quasi natura medica ægrorum commoditati æstiuis tantùm mensibus in tam horrenda specu, hocce non magis admirando quàm salubri fonte consulere uoluerit. Stumpfius lib.10. Heluetiæ.

AQVIS Heluetiorum (uulgò Badam uocant) in pago Tiguriino, thermæ sulfureæ præstantis usus. Quarum commoditatem & illecebras eleganter describit Poggius in epistola ad Leonardum Aretinum.

Vallesiani thermas VIBERAS siue Brigias habẽt, sulfureas. Habent quoq; LEVCINAS tanti feruoris, ut coctura etiam inseruiant, à cupri uenis promanantes. Stumpfius.

Frigidi.

In Eleuthero Laconia propter ruinas CYPHANTVM urbis, fons saliens conspicitur frigidissimæ aquæ è saxo prorumpentis. Atalantam è uenatione siti laborantem, cùm saxum illud cuspide percussisset, aquam elicuisse ferunt. Pausanias in Laconicis.

Pindarus, Dulcis diuinaq; aqua Tilphosæ ex pulcro fonte. Est autẽ TILPHOSA fons Bœotiæ, ex quo scribit Aristophanes Tiresiam bibisse, qui cùm frigus ob senectutem ferre nõ posset, statim mortuus est. Athen. lib.2. cap.2.

Sapidi.

In Mesopotamia CABVRÆ fons est unus in toto orbe suaueolentis aquæ. Plinius libro trigesimo primo, capite secundo Historiæ nat.

Reperiuntur in ISLANDIA fontes cereuisiæ sapore. Saxo in præfatione, & Olaus lib.21. cap.4.

Fœcundi.

Ad urbem HIERICHO largissimus fons est, rigandisque aruis uberrimus, iuxta ueterem scaturiens ciuitatem: quam Iesus Naue filius, Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello possederat. Hunc fontem aliquando ferunt non solùm terræ atque lignorum fructus, sed etiam seminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere: postea uerò mansueuisse, contraque saluberrimum ac feracissimum esse factum ab Heliseo propheta, qui Heliæ notus fuerat atque successerat. Receptus enim hospitio ab Hierichuntinis habitatoribus, quòd humaniores eos expertus erat, ipsos & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est: progressusque ad fontem, lagenam fictilem nouam salis plenam in profluentem aquam misit. Iuxtà deinde ad cœlum dextram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipsum quidem precabatur, ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum uenas aperiret: Deum uerò, ut fœcundioribus aruis flumina temperaret, orabat: tam ubertatem fructuum, quàm successionem prolis daret indigens, nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iusti manerent. Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutauit: & qui antea causa erat his orbitatis ac famis, idem uictus ac fœcunditatis auctor est effectus. Denique rigationis eius tanta potentia est, ut si attigerit modò terram, sapidior sit, aquis diu perseuerantibus. unde eo quę largiùs abutuntur, exiguum emolumentum habent: quæ uerò parciùs, plurimum. Amplius tamen, quàm cæteri fontes, spacium tigat, & septuaginta quidem stadiis longam, uiginti autem latam planiciem permeat. Iosephus lib.5. cap.4. belli Iud. ex 4. Regum 2.

VSVS. FONTES
Potabiles.

In desertis Arabiæ locus est, ELIMVM dictus, in quo Israelitæ, duce Mose, duodecim fontes aquæ repererunt, & 70 palmas. Exodi 15. In eodem deserto locus est Mara dictus, propter amaritudinem aquæ. In quo cùm castra haberent Israelitæ, Moses, Domino monstrante, lignum quoddam aquæ iniecit, eamq; potabilem reddidit. Exodi 15.

HIERICHVS urbs cùm restaurata esset, situ quidem commodo erat, uerùm terra sterilis, & aqua uitiosa. Elisæus igitur propheta salem è nouo salino fonti iniecit, & amarorem atque sterilitatem ei abstulit. 4. Regum 2.

AETHIOPES Macrobij carne tantùm cocta, & lacte aluntur: aquam bibunt ex fonte, in quo loti efficiuntur perinde atque inuncti, uiolam olentes. Ea aqua adeò inualida est, ut in ea ne lignum quidem uel palea innatare possit, sed omnia pessum eant in profundum. Hæc aqua illis præstare uidetur, quòd sint longæui, & plerique ad centũ uiginti annos perueniant. Herod. lib.3.

Ad Lernam in agro Argiuorum AMYMONES fons est, & ad eam platanus exurgit, sub quo hydram Lernæam educatam narrant. Pausanias in Corinth.

CORINTHVS perennium aquarũ copia abundauit, & plurimos habuit aquæductus. Bellerophontes ibi spectabatur, & ex ipsa Pegasi equi ungula manans aqua. Item fons Glauces, in quem sese illa abiecit, salutarem sibi aquam fore speras cõtra Medęę uenefica. Pausanias in Corinth. Qui fontis

Pirenes dicti in Corintho aquam ponderauit, omnibus aquis totius Græciæ leuiorem illam inuenit. Aristophanes Comicus cùm alijs multis in rebus, tùm quòd optimam õmnium habeat aquam, agrum Athenienſem excellere ſcribit, inquiens: Qualia producit regio Hipponice omnibus totius terræ habitatæ præstantiora, mel, panes, ficus, ficus per Iouem fert certè: greges, lanas, myrti fructum, uictimas, caseos, aquam egregiam, ita ut quispiam statim se Atticam aquam bibere cognoscat. Athen. lib.2. cap.2. Inciderat inter sophistas sermo quæ aquæ essent suauissimæ. Cumq; alij Lernæ aquam laudarent, alij Pirenes, respondit Carneus Megarensis Cynicus, ex Philoxeni sententia, Quæ manus abluit. Idem lib.4. cap.18. Ptolemæus rex libro Commentariorum septimo ita scribit: In Corinthum nobis per Contoporiæ dictæ promontorium procedẽtibus fons obuius est factus, qui aquam niue multò frigidiorem emittit, ex quo multi non bibunt, nisi aquam longinquam esse à fonte expectent: ipse uerò seipsum bibisse scribit. Athen. lib.2. c.2.

Apud TENARVM Laconiæ promontorij fons est, qui olim introspicientibus portus, & naues spectãdas prębuisse dicitur. Aquę miraculum illud femina quædã sustulisse dicitur, cùm in ea pollutam uestẽ abluisset. Pausanias in Laconicis.

BRVNDVSII in portu fons, incorruptas præstat aquas nauigantibus. Plinius lib.3. cap.103.

Medicati.

SILOA fons ad radices montis Sion, non iugibus aquis, sed certis horis diebusq; ebullit, & per terrarum cõcaua & antra saxi durissimi cum magno sonitu uenit. Hieron. com. in Esaiam lib.3. c.8.

Sozomenus l.5. c 21. narrat de fonte circa EMAVS, postea Nicopolim dictam, ubi Christus cũ Cleopha post resurrectionem ambulans, in alium se uicum properare simulauit, & ubi cùm discipulis aliquando lauit pedes, quòd eam acceperit uim, ut esset medicina omnis generis morborum, nõ modò hominibus, sed etiam animantibus.

Prope Cynæthensium Arcadum urbem fons est prægelidæ aquę, fontẽ obumbrat platanus. Si quis ex rabidi canis morsu, uel uulnus, uel noxã quouis modo traxerit, aqua hausta statim sanatur. E re itaque ipsa fontem ALYSSON, quòd per eũ sedetur rabies, nominant. Videtur itaq; natura Arcadibus, cùm Stygis aquam ad perniciem hominum dedisset, hunc etiam, qui in Cynæthensibus est, fontem, longè diuersa ui, æquata boni maliq; sorte, salutis causa tribuere uoluisse. Pausanias in Arcadicis.

In ELIDE, ad uicum Heracleam, supra fontem, è quo amnis Cytherus manat, Nympharum templum est. Sua sunt propria Nymphis nomina, Calliphæa, Synallaxis, Pagæa & Iasus. Communi uocabulo Ionides nuncupantur. Saluberrimæ sunt lauantibus aquæ ad lassitudines & cæteros corporis dolores leuandos Pausanias lib.6.

Stephanus de nominibus urbiũ, refert AZANIAM unã, quæ sit Arcadiæ pars: in hac fontẽ quempiam esse, cuius aquam qui gustarit, hũc usqueadeo à uino abhorrere, ut nec odorem ferat.

PAMISI amnis fontes, quà à Thuria in Arcadiam itur, infantium morbis medetur. Pausanias in Messenicis.

In BOEOTIA ad Trophonium deum iuxta flumen Orchomenon duo sunt fontes, quorum alter memoriã, alter obliuionem affert, inde nominibus inuentis. In Cilicia apud oppidum Cescum riuus fluit NVS, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri, M. Varro tradit. ZAMAE in Africa, quo canoræ uoces. Plinius lib.31. cap.1.

Cyzici fons CVPIDINIS uocatur, ex quo potãtes amorem deponere Mutianus credit. Plinius lib.31. cap.1.

SCOTVSAE fons non hominum modò, sed & pecoris uulnera sanat: lignumq; etiam fissum & confractum si inijcias, coalescit. Antigonus in Mir. nar.

THESPIARVM fons conceptus mulieribus repræsentat. Itẽ in Arcadia flumen ELATVM. Custodit autem partum LINVS fons in eadem Arcadia, abortusq; fieri non paritur. Plinius lib.31. cap.1. Theophrastus in libro de Plantis dicit, aquam esse filiorum feracem, uelut in THESPIIS, & in PYRRHA sterilem ex dulcibus aquis quasdam esse steriles, uel certè parum fœcundas, sicut quæ in Phæta & Tarrha. Athen. lib.2. cap.2.

TVNGRI ciuitas Galliæ, fontem habet insignẽ, plurimis bullis stellantem, ferruginei saporis, quod ipsum bõ nisi in finẽ potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumq; ultia. Plin. lib.31. cap.1.

Supra Burgensem ciuitatẽ in Hispania, ad passuum millia circiter uiginti, uersus Orientẽ, pagus est nomine BOETIVS, sub altissima rupe positus, ex qua fonticulus effluens in planiciem apud pagum prænominatum descendit, & duos in lacus ingreditur, quibus tantam uim salubritatis & uirtutis infundit, ut omnes fluxũ sanguinis patiẽtes, cùm hac aqua lauantur, statim liberentur. Marineus lib.1. rerum Hispan.

In Bætica prouincia iuxta oppidũ Antiquerã fons est ANTIQVARIVS, potu suo calculos dissoluens, ideoq; à petra, quam extrahit per urinam, cognominatus est. Ibidem.

Referunt in BONICCA insula, quæ ab Hispaniola orbis noui MCC passuum millibus distat, fontem in uertice montis esse qui senes restituat, non tamen canos mutet, nec tollat iam contractas rugas. Cuius rei præter perseuerantem famam, locuples testis. Petrus Martyr Angerius Mediolanensis, à secretis regis olim Hispaniarũ, in suis decadibus orbis nuper inuenti. Cardanus de Subtilitate, libro de Elementis.

Varij usus.

Apud Hierapolim Syriæ AQVA quædam adeò tingendis lanis idonea est, ut ex radicibus tincta cum his decertẽt, quæ ex uermiculo purpuraq; tingũtur. Et adeò exuberat aquarum uis, ut regio balneis sponte nascẽtibus plena inueniatur. Strabo lib.13.

Refert secundo libro Plinius, fontem esse quendã in DODONA, qui cùm sit frigidissimus, faces si quis ardẽtes immergat, extinguit: si extinctæ admoueantur, accendit. Erasmus in Adagijs.

In ISLANDIA fons est, qui exhalatione sua omnia uicina in lapideæ naturæ duritiem transmutat. Saxo lib.1.

FRVCTVS. PVTA
Oleum.

Ab EDINBVRGO Scõtiæ urbe plus minus duobus passuũ millib. fons est cui olei guttæ innatant, ut si nihil inde colligeris, nihilo plus confluat: quantumuis autem abstuleris, nihilo minus remaneat. Natum esse aiunt effuso illic oleo D. Catharinæ, quod ad D. Margaritam ex monte Sinai adferebatur. Fidem rei faciunt, fonti nomen diuæ Catharinæ inditum, atq; in eiusdem honorẽ sacellum iuxtà, diuæ Margaritæ iussu ædificatum. Valet hoc oleum cõtra uarias cutis scabrities. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

VRBIVM, CIVITATVM consideratio: quatenus ORIVNTVR, QVO AD Auctorem. A quo Conditæ.

Vide Titulum, Magnificentia in extruendis urbibus, illic Habitus animi, hic externæ Opulentiæ habetur ratio.

Clarissima urbium orientis HIEROSOLYMA (quo illam epitheto dignatur Plinius) quos habuerit conditores, patum constat. Hieron. ad Dardanum scribit, primùm dictam Iebus, deinde Salem, tertiò Hierusalem, postremò Aeliam. Salem interpretatur pax: sicut etiam dicit Apostolus ad Hebræos, Hierusalem pacis uisio. Hanc esse Salem, in qua Melchisedech regnauit, tradunt Iosephus & Hegesippus. Aelia nominata est ab Aelio Adriano Cæsare, qui à Tito diruta instaurauit, maiore murorum ambitu. Gentiles eam Solymas, & Solymos, & Hierosolymam nominarunt. Sunt qui à Pisidis Lyciæ, quos ueteres σολύμους dixêre: aut à populis in Asia Pontica Solymis, quos interijsse cum Lelegibus & Bebrycibus, perhibet Eratosthenes. Eupolemus uerò, ut Eusebius scribit, à Solomone Solymos deducit, & Hierosolymam quasi ἱερὸν σολύμων, quo nomine etiam ab Homero esse uocãtam, sunt qui credant. Cæterùm Iosephus lib.7. Solymam esse dictã temporibus Abrahæ narrat. Hinc cùm Dauid è Iebuzæis captæ urbi iunxisset arcem, munitionemq; fecisset, nominatam esse Hierosolymam. nã Hebræi munitionem hieron dicunt. Verùm non Iebus antequam Salem uocata est, sed contrà potius. Nam à Melchisedech putatur condita, qui eam Salem cognominauit: incoluerunt q; ipsam Cananæi, quorum gentis princeps erat Melchisedech: sed, ut Hegesippus uocat, rex iustus (sic enim patrio dicit nomine appellatum) etsi Hieron. in locis Hebraicis, & ad Damasum, negat Salem esse Hierusalem, sed esse aliam urbem in regione Sichem, quę est in terra Chanaan, ubi ostenditur palatium Melchisedech, ex multitudine ruinarum ueteris operis ostendens magnificentiam. Prætereo quam originem Hierosolymæ Strabo ponit, à Mose, cùm hic terram Cananæam nunquam sit ingressus. Vides in librum 17. de ciu. Dei cap.13. & Sab. lib.9. En. 1.

Ambris Israelitarum rex, cùm sex annis Thersę regnasset, emit Samariam montem à Semere duobus argenti talentis, & in eo urbem ædificauit, regni caput, quam SAMARIAM appellauit. 3. Reg. 16.

Herodes, Iudæorum rex, cùm propter mutatos à se patrios ritus populum tumultuari, & à seditione & defectione non procul abesse cerneret, cùm duas arces munitas in urbe habereť

Giula tertius dux Hunnorũ, qui è Scythia emigrãtes in Transyluania consederunt, quum uenatum proficisceretur, ALBAM uetustissimam urbem, multa Romanorũ monumenta referentem, succrescentibus undiq; uepribus & arbustis obrutam inuenit. Antiquitatem uenteratus, ademto situ instaurare cœpit: quam nunc Albam Iùliã appellant, non tam à Iulio, quam à Giula Hunnorum duce nominatam. Bonfinius lib. 9. Decadis 1.

Cracus Polonorum princeps, urbem in læua Vistulæ ripa in loco domicilij sui condidit, ac de nomine suo CRACOVIAM appellauit: eiq; arcem in colle Vauelo, Vistula eum ab oppido tunc diriment̃e, felicibus auspicijs superædificauit: quam regni caput, Gnesna relicta, fecit. Cromerus lib. 2.

PRAGA Boemiæ metropolis à Primislao III. duce & Libussa condita est. De cuius nomine cùm ambigeretur, misit Libussa ad fabros, & quam illi primam uocem emisissent, ex illa oppidum denominari iussit. Interrogatus ergo faber lignarius quidam quid ageret? Praham se facere dixit, hoc est, Limen. Inde nomen urbi datum, quod posteri Pragam dixẽre. Aeneas Syl. in hist. Boem.

OTHOCARVS Boemorum rex, uictis & ad fidem conuersis Prutenis, urbem in littore maris pręclarã condidit, quam ex titulo suo regio MONTEM regalem appellauit, ut tanto Prutenos in officio retineret faciliùs. Condidit ibidem Rege annuente Brumo quoq; Olomucensis Episcopus nouam ciuitatem, eandemq; similiter ex suo nomine Brumonis montem uocauit, ad Episcopi usum, quem Prutenis pro pastore constituebat. Dubrauius lib. 17.

Ioannes Zitcha Hussitarum dux in Boemia, ad Lusmicium annem, locũ natura munitum mœnibus cinxit, & ut quisq; reuerentia fixerat, ita ædificare sibi domos imperauit: ciuitati THABOR indidit nomen. Nam & comites eius, fratres Thaboritæ appellabantur, tanquam cum tribus Apostolis Saluatoris Christi transfigurationẽ in monte uidissent, indeq; suas opiniones mutuati essẽt, quas fidei ueritates appellabant. Aen. Syl. cap. 40. hist. Boem.

Suerchone seu Suerchero Gothis & Sueonibus imperãte, cœperunt erigi urbes munitæ in litore Teutonico, & ex Aquilonaribus regnis coloniæ in illas deduci. Priùs enim Vandalica lingua toto illo tractu homines illi Sarmatici litoris utebantur. LVBECA anno à Christo nato M·CXL. ROSTOCH MCLXX. & RIGA Liuonię metropolis MCLXXXVI initium sumsit. Deinde anno Christi MCCVIII. STRALESVNDIVM, à Valdemaro Daniæ rege, ministerio Iarimari Rugianorum principis fundatũ scribit Cranzius lib. 7. Vandal. c. 5. REVALIA autem MCCXXIII inchoatę fuerũt. Post quas VISMARIA anno Christi MCCXLVIII erecta est, & munita. Io. Magnus lib. 18. cap. ult.

Refectæ, Restauratæ.

HIERICHVS urbs restaurata ab Hiele Bethelensi, sub Achabo rege. 3. Reg 16.

Nehemias Hachaliæ F. Babylone reuersus, permissu Xerxis regis, HIEROSOLYMÆ muros restaurare cœpit, partitis per cognationes & negotiationes operis. 2. Esdræ 3.

Thebas Bœoticas ab Alexandro Magno euersas, Cassander Antipatri filius restituit, adiuuantibus ad eam rẽ Atheniensib. Messenijs, & Megalopolitanis. Pausanias in Bœoticis.

ILIVM Alexander Magnus, Lysimachus, Sylla à Fimbria bello Mithridatico captum & ambustum, instaurarunt.

Solon in Cyprum delatus Philocypro regulo auctor extitit, ut urbẽ EPENAM in Cilicia, à Demophoonte Thesei filio olim conditam ampliaret, in opportunioremq; transferret locum. Quod ille secutus, in auctoris memoriam SOLOS deinceps dixit. Sab. lib. 5. Enneadis 2.

Herodes Antipas, Tetrarcha Galileæ, SEPHORI cincta mœnibus, totius Galileæ caput fecit. Item Bethoramphtha oppidum communitum, nomine mutato IVLIADA ab uxore imperatoris appellauit. Iosephus lib. 18. cap. 3.

C. Iulius Cæsar CARTHAGINEM & CORINTHVM, urbes antiquissimas atq; florẽtissimas, quæ fuerant à Romanis deletæ, illa à Scipione, hæc à L. Mummio, instaurauit, in easq; colonias deduxit: quę sicut antea uno eodemq; tempore diruta fuerãt, ita tum unà reficiebantur, ac florere incipiebant. Xiphilinus, & Strabo lib. 17.

Adrianus Imp. CARTHAGINEM aliqua ex parte instauratam, Adrianopolim iussit nominari. HIEROSOLYMAM ædificijs reparatam Aeliam nominauit. Sab. lib. 4. En. 7.

Nero Cæsar formam ædificiorum urbis ROM. nouam excogitauit, & ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solatijs incendia arcerentur, eas sumtu suo extruxit. Destinarat etiam Hostia tenus mœnia promouere, atq; inde fossa mare ueteri urbi inducere. Suetonius.

Plinius Pomœrij ROMANI ambitum Vespasianis Imperatoribus tredecim millia passuum, & ducẽta habuisse auctor est, septem intra se inclusis collibus, in quatuordecim regiones distinctum, mille & ampliùs uicos: porras quatuor & triginta habuisse, ad quas paribus spacijs uiæ decurrerent; ab aurea columna, quæ in foro Romano fuit. Enimuerò si quis tectorum extrema cum prętorijs castris animo concepisset, septuaginta millium passuum & ampliùs fuit circuitus ille habiturus. Sab. lib. 5. En. 2. Aurelianus Imp. muros urbis Romæ ita ampliauit, ut quinquaginta propemodum millia passuum ambitu complectereturq; pomœrio tamẽ nihil moto. nam id proferre nulli principũ licuit, nisi qui barbarici agri parte aliqua rem Romanam locupletasset, quod Augusto contigit, Traiano & Neroni: quo principe, pontus Polemiacus, & alpes Cottię Romano accesserunt imperio. Sab. lib. 7. Ennead. 7.

Vespasiano rerum potito, deformis VRBS ueteribus incendijs ac ruinis erat: uacuas areas occupare, & ædificare, si possessores cessarent, cuicunq; permisit. Ipse restitutionem Capitolij aggressus (quod sub Vitellio conflagrauerat) ruderibus purgandis manus primus admouit, ac suo collo quædam extulit: ærearumq; tabularum tria millia, quæ simul conflagrauerant, restituenda suscepit, undiq; inuestigatis exemplaribus. Suetonius.

Nerua Rom. Imp. terræmotu collapsa Ciliciæ Diocæsarea, senatorẽ misit Anazarbum nomine: qui eam instauratã, cùm olim Cyinda diceretur, deinde Diocæsaria, de suo nomine ANAZARBVM dixit. Suidas.

Prætextatus præfectus urbis ROM. an. 367. mœniana sustulit omnia, priscis quoq; legibus interdicta, & parietes priuatorum ab ædibus sacris discreuit ijsdem inuerecundè coniunctos. Sigonius lib. 7. Imp. occid.

Theodericus Ostrogothorum in Italia rex primus, Romanis non libertatem modò restituit, sed & ruinas VRBIS, bellorum diuturnitate & Imperatorum ignauia admissas, reparauit, sic ut urbis restaurator dici posset. Atque ut ciues Rom. uel nouis erigendis, uel instaurandis uetustioribus ædificijs, maiorem haberent commoditatem, parandæ calcis officinas in pluribus Italię insulis fieri curauit, calcemq; postmodum ciuibus, quorum principia ædificiorum cernerentur, liberaliter & sine precio est largitus: multaq; alia pro publica & priuata Romanæ urbis instauratione, supra hominum fidem effecit. Io. Magnus lib. 9. ex Cassiodori epistolis. Idem Patauium refecit.

THEMISTITAN nouæ Hispaniæ ciuitas, fœdere primùm cum Cortesio inito, Hispanorum præsidium non difficulter admisit: sed Petri Aluaradi culpa (qui, interim dum Cortesius Pamphilum Narua sium superare bello contendit, ciues choreis & festis ludis intentos, omni preciosa ueste & ornamentis spoliarat) ab eodem defecit, & præsidium partim cęcidit, partim mœnibus eiecit. Hanc urbem Cortesius postuodum, innumerabili sociorum Indorum exercitu stipatus, obsedit, & post continuam septuaginta duorum dierum oppugnationem cepit: ferro flammaq; miserè deformatam instaurauit, & nouam quodammodo è fundamentis erexit, & ingenti mirique operis Regia exornauit. Io. Metellus.

Tempus, Vetustatem. Vrbes

Antiquæ.

Vetustissimum oppidum Græcum, Bœotiæ THEBÆ, quod rex Ogyges ædificauit: in agro Romano ROMA, quã Romulus rex. Thebæ, ante cataclysmon Ogygi conditæ. Varro lib. 3. cap. 1. de Re rustica.

Recentes.

MEGALOPOLIS. Vide suprà, Vrbes conditæ.

SVNT. SIC VRBES CONSIDERARI POSSUNT SECUNDÙM

Situm.

PALMYRA Syriæ urbs nobilis situ, diuitijs soli & agri amœnis, uasto undiq; ambitu harenis includit agros: ac uelut terris exemta à rerum natura, priuata sorte inter duo imperia summa, Romanorum Parthorumque, & prima in discordia semper utrinq; cura. Plin. lib 5 cap. 25.

CERE uetustissimum oppidum est, & ob locum natura munitissimũ ualde celebre: est enim in tumulo, uel potiùs saxi solidi fastigio positum: eam ob causam Romani à Gallis ad Alliam fluuium, qui hodie Caminates dicitur, fracti, de urbe tuenda desperantes, Vestales uirgines, & deorum magis arcana augustioraq; simulacra, cum multis alijs sacris religiosisq; rebus, eò tanquam in tutissimum locum miserunt: & ea dem de causa sequentibus temporibus, Barbarorum ferocitate. in Rom. imperij inclinatione, tota Italia tãto impetu inundante, minimè uiolatum fuit. Guicciardinus libro 5.

Dissentit aliquantulum Strabo à T. Liuio in uoce Philippi regis Macedonum referenda. Latinus enim scriptor tradit ipsum tres nobiles urbes, DEMETRIADEM scilicet Thessaliæ, CHALCIDEM, Eubœæ, CORINTHVM Achaiæ, solitum compedes Græciæ appellare. Strabo uerò in IX. Geographiæ duas ex his tantùm *uidus* ipsum uocare consuesse affirmat, Chalcidem, ac Corinthum, Cuius etiam cõtumeliosi dicti rationem affert, ostendens respexisse illum ad earum opportunitatem, quòd inde in Græciam commodè incurri posset è Macedonia. Addit autem, inferioris ætatis homines, & ambas has, & adiũctam illis Demetriadem appellasse nõ dissimili à superiore nomine, ἐπιθέτῳ μιᾷ. Vsum autem tertiæ quoque huius declarat, dicens ipsam quasi in sua manu habuisse transitum prope Tempe, cùm Peliũ Ossamq; teneret. Victorius lib. 12. Var. lect. cap. 19.

Qui à DELPHIS Vmbilicus uocatur, è candido marmore esse eum aiunt, medium terræ uniuersæ punctum. Pausanias in Phocicis.

CARTHAGINIS situm uide apud Strabonem lib. 17.

In litore Aegyptij maris ALEXANDRIA, à magno Alexandro condita, iuxta Mareotin lacum, qui locus antea Rhacotes nominabatur. Metatus est eam Dinochates architectus pluribus modis memorabili ingenio, XVM. pass. laxitate insessa, ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato la ciniosam, dextera læuaq; anguloso procursu, iam tum tamen quinta situs parte regiæ dicata. Plinius libro 5. cap. 10. Eam duo maria undiq; alluunt, alterũ à septentrione, quod Aegyptium dicitur: alterum à meridie, quod Mariæ lacus & Maræotis appellãtur. Hunc Nilus multis fossis tum è superioribus partibus, tum è lateribus adauget, per quæ multò plura importantur quàm in mari: quare portus qui in lacu est, ditior est maritimo. Quæ hac exportantur ex Alexandria, plura sunt, quàm quæ importantur. Aeris temperies accedit, quæ idcirco contingit, quòd ea utrinq; alluitur, & Nilus incrementa commodè facit. Strabo lib. 17.

CONSTANTINOPOLITANÆ urbis commodissimũ situm Petrus Gillius eleganter describit: cùm in Isthmo sita, tribus partibus portuosis mari alluatur, suosq; agros suburbanos duorum dierum itinere in eadem peninsula extendat. Propõtidi & Aegeo mari imperat, Euxino pariter, uno illum ostio claudens, Bosporo scilicet, quem inuitis Constantinopolitanis nemo transire potest. Asiæ & Europæ ueluti pons est, & porta utriusq; orbis expeditior quàm Hellespontus. Meritò igitur arx totius Europæ uocari potest, atq; adeò totius orbis principatum præ se ferre uidetur, eminens in fauces Europæ & Asiæ. Iure etiam omnes qui in Hellesponto uel Propõtide urbes ædificauere, cęci possunt appellari, quia commoditatem situs Constantinopolitani non præuidere. Gillius in Topographia Cõstãtinopoleos.

VENETORVM urbs ampla atq; magnifica, mercaturę & rei naualis studio à paruis initiis creuit. Sed ea propter incredibilem situs munitionem, ante alias, & beata, & admirabilis existimatur, quòd interfluentis Hadriæ paludibus cincta, nullisque ob id oportuna hostium iniuriis, ueteres thesauros domestica in pace cumulatos, periculosis etiã temporibus conseruarit. Nulli etenim à terra aditus, intercedẽte quadraginta stadiorum pelago, nulli penitus à mari ingressus propter cæca atq; humilia uada, usu tantùm indigenis nota, aut ingruentium barbarorũ auaritiæ, aut magnis ab alto classibus patuerunt. Iouius lib. 1. Hist. De ea sic Actius Sincerus Sannazarius:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantum uis Iuppiter arces
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si pelago Tyberim præfers, urbem aspice utranq;:
Illam homines dices, hanc posuisse deos.

Nouæ Hispaniæ regionis feracissimæ, & amplissimo quondã Mexicanorũ imperio clarissimæ metropolis THEMISTITAN, ad instar Venetiarum, in magno lacu ædificata, ab in numeris populis habitatur. Io. Metellus.

Rugiorum Sclauorum metropolis ARCON, in excelso promontorij cuiusdam uertice collocata, ab ortu, meridie, & aquilone non manu factis sed naturalibus præsidiis munitur, præcipitiis mœnium speciem præferentibus, quorum cacumen excussæ tormento sagittæ iactus æquare nõ possit. Ab iisdem quoque plagis circunfluo mari sepitur, ab occasu uerò uallo quinquaginta cubitis alto concluditur. cuius inferior medietas terrea erat, superior ligna glebis intersita continebat. Septentrionale eius latus fonte irriguo scatet, ad quem muniti callis beneficio oppidanis iter patebat. Medium urbis planities habebat, in qua delubrum materia ligneum opere elegantissimum uisebatur, Suantouito dicatum. Saxo lib. 14.

Præcipuam Sueonum ciuitatem regiam STOCHOLMIAM à fundamento regius tutor Birgerus Ierl à fundamentis erexit, murisque & mœnibus fortissimis communiuit, in loco adeò oportuno & necessario, atque inuincibili, ut nihil unquam commodius per eum excogitari potuisse creditur. Est enim locus torrentibus undique munitus (quondam solis piscatorum usibus usurpatus) atque inter aquam salsam & dulcem ita positus, ut porta totius Sueciæ appellari possit. Priùs enim Estones, Moscouitæ, Russi, Tauesthi, per eas fauces continuè ingrediebantur, & clandestinis incursionibus Sueones, nullam hostilitatem suspicantes adorti prædabantur. Sed Stocholmia extructa, omnes & singuli diuturnam pacem assecuti fuerunt, hostes uerò sempiternam formidinem: qui uiso tam insperabili præsidio contra quoslibet inimicos in reliquum tempus erecto, à diripienda Suecia abstinuerunt. Hanc si quis obsidione cingere, uiribusque superare præsumserit, nunquam proficiet, etiã si pertinax perseuerare posset in omnimoda eius obsidione. Sita enim est in profundissimis aquis, & rapidissimis fluminibus, duas solùm portas longis interpositis pontibus ex Austro & Aquilone habens: quæ portę pontesque plus Regibus Daniæ constant iis frustrata impugnatione, quàm decem maiores sui regni ciuitates. Nec obsideri poterit, nisi tribus fortissimis exercitibus in insulis, solida terra, & aqua distinctis: qui tamen exercitus nullo tempore à sagittariis terrarum subitò congregandis securi uidebuntur. Olaus libro 9. cap. 36.

TARENTINÆ urbis admirabilis est situs, utpote quæ undique mari abluitur. Abscidit enim eam à continenti Alfonsus iunior, cui Straboni cognomentum fuit, quum Turcæ Hydrunte capta inter alias Salentinorum urbes Tarento propter summam eius portus opportunitatem imminerẽt: urbsq; nunc eo loco est constituta, quo antiquitus Tarentina arx amplissima fuit, tam longa quàm inani Annibalis obsidione nobilitata. Vbi uerò uetus Tarentum fuit, nunc ingentes sunt ruinæ, passimq; admiranda deletæ urbis uestigia apparent. Igitur Tarentum urbs noua est, totaq; in eã insulam traducta, & circumfluo mari cincta, duobus ligneis pontibus ab Ortu & Occasu tantùm aditur. In capitibus interioribus eorum pontium duæ sunt egregij operis arces ædificatæ, quæ ab utraque continenti intercurrentibus duobus euripis, difficilem habent oppugnationem. Ab aperto autem mari nequaquam adigi possunt naues: nam id urbis latus perpetuis scopulis à natura permunitum est. Iouius in Consaluo.

Munimenta. Vrbes

Munitæ.

Naturalis munitio sub Situ explicatur.

IEBVSA urbs munitissima, quam Dauid regni initio expugnauit, eamq; Hierosolymam uocauit. Antiquitus enim Solyma dicebatur: Hieron uerò munitionem significat. Iosephus Antiq. lib. 7. cap. 3. Vide Tit. Contemnere hostem.

HIEROSOLYMA Iudæorum metropolis & natura & arte munitissima fuit. Vide Iosepb. lib. 6. ca. 6. de Bello Iudaico.

Vrbes muris munitissimæ olim fuere ANDROSOS in Phocide, BYZANTIVM & RHODOS. Quas tamen uicit MESSENE in Peloponneso post Leuctricam Lacedæmoniorum cladem ædificata, Epaminonda Thebano auctore. Pausanias in Messeniciis.

Meles primus SARDIVM rex, Lydorum tertius, cùm ex pellicę leonem sustulisset, oraculo edoctus, quacunq; parte urbis circumlatus esset, inexpugnabilem fore urbem: cùm per cæteram partem murorum circunduxit, quacunque poterat arx oppugnari: per eam autem partem (tanquam inexpugnabilem atq; præcisam) circunducere prætermisit, quæ ad Tmolum fluuium uergit. Qua ipsa multo pòst à Cyro Persarum rege capta fuit. Herod. lib. 1.

Cepheo Arcadum regis filio Minerua TEGEAN inexpugnabilem præstitit, donato ei detonso de Medusæ capite crine. Pausanias in Arcadicis.

Strabo VIII. libro Geographiæ, docens urbẽ MESSENIORVM similem esse CORINTHO (nam editus præruptusque collis imminet ambobus oppidis, communi muro cũ ipsis cinctus, arcis naturam habens: quorum alter uocatur Ithome, alter uerò Acrocorinthum) addidit: Vnde aptè uidetur Demetrius Pharius dixisse, cùm hortaretur Philippũ, ut ambas has urbes præsidiis firmaret, si Peloponnesi cupidus esset: Ambobus enim (inquit) cornibus bouẽ tenebis, cornua uocans Ithomem & Acrocorinthum: bouem autem Peloponnesum. Victorius lib. 12. Var. lect. c. 19.

BYZANTIVM sub Seuero Imper. munitum fuit muro præclaro, ex lapide molari quadrato. Fuerunt autem turres septẽ, à Thracia porta ad mare pertinentes: in quarũ primã si quis inclamasset, aut lapidẽ coniecisset, cùm ipsa resonabat, tum eundem sonũ secundæ & cæteris omnib. quasi per manus tradebat. Suidas ex Dione. Veteres muros Herodianus scribit quadrato lapide tam artificiosè constructos, ut nullis saxorum coagmentis extantibus, tota murorum facies ex uno constare uideretur lapide. Sab. lib. 5. En. 7.

Non munitæ.

IVDÆI sub ἠλειμμένῳ siue Messia, quē sibi spe uanissima repromittunt, putant Zachariæ prophetiam carnaliter esse intelligendam, quòd tantam HIERVSALEM habitura sit beatitudinem, ut præ multitudine hominū & omnium iumentorum, murum habere non possit: sed murus sit ipsius Domini defensio, & illius in medio habitantis gloria perfruatur. Hieron. lib. 1. com. in Zachar. cap. 2.

LACEDÆMONII diu urbem suam sine fossa ac muris incoluerunt, quæ ab eis demum cincta est, sed rudi & tumultuario opere, contra Demetrij & Pyrrhi exercitus. At Nabidis tyrannide firmissima mœnia extruxerūt, quę ab Achæis sunt diruta. Plutarchus in Philopœmene, & Pausanias. Ante Leuctricam cladem nullos in Laconia hostes conspexerant Spartani, quamuis antè quingentis annis nullo uallo claustrorúmue ambitu septam, urbem suam habitassent. testis in Agesilao Plutarchus. Quorum hac in re institutū, quasi iam diuinaret uir prudentissimus id quod eucnit, damnat lib. Politicorum VII. Aristoteles.

Diuitias, Potentiam, Amplitudinem.

THEBÆ Agyptiorum opulentissima ciuitas. Vide Tit. Persidia parentum erga liberos.

Ausonij carmen de claris urbibus Roma, Constantinopoli, Carthagine, Antiochia, Alexandria, Treueris, Mediolano, Capua, Aquileia, Arelate, Emerita, Athenis, Tolosa, Narbone, & Burdigala patria, adhuc extat.

BABYLON in campo iacet, muri ambitum habet 300. & 85. stadiorum. Eius crassitudinem pedum 32. altitudinem inter turres cubitorum quinquagenūm, turrium ipsarum sexagenūm, uiam super mœnibus tam latam, ut quadrigæ occurrentes facile pertransire possint. Vnde & hoc ex 6. spectaculis unum dicitur. Item horti pensiles in figura quadrata, quorum latus quodlibet quaternūm est iugerum. Hi fornicibus continentur sese in forcipis modum intercidentibus, sitis super pilis, in aleatoriarum tabellarum formam, alius super alia positarum. Pilæ concauæ sunt & terra plenæ, ut arbores maximas cōsitas recipere possint, ex lapide coctili & bitumine structæ, tam ipsæ quàm fornices & fornicum intersectiones. Supremum tabulatum ascensus scalares habet, & cochleas ipsis adiacentes, per quos continuè aqua ex Euphrate in hortos afferabatur ab hominibus ad hoc ipsum constitutis. Nam flumen mediam urbem interluit. cius latitudo stadium occupat, horti super flumine sunt, ubi etiam Beli sepultura est eruta, quam Xerxes eruit, ut fertur. Ea pyramis quædam erat quadrata, ex latere coctili structa, stadij altitudine, cuius quodq; latus stadium obtinebat. Hanc Alexander reparare uoluit: sed cùm multi laboris esset, & multi temporis, (nam solùm ad expurgādam terram 10. millibus hominum, duob. mensibus opus erat) quod incœperat perficere non ualuit. Illico enim morbus & mors consecuta est. Id posteriorum nemo curauit: quinetiam reliqua neglecta sunt, & urbis partem Persæ diruerunt, partem tempus consumsit & Macedonum negligentia, præsertim ubi Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim condidit ad stadia 300. Babyloni proximam. Nam & ille & posteri omnes circa hanc urbem maximopere studuerunt, & regni caput effecerūt, ita ut Babylone maior efficeretur, postmodum deserta, ut de ea dici potuerit, Magna ciuitas magna solitudo est. In ea propter lignorum inopiam ex palmaceis trabibus & columnis ædificia faciunt. Circum columnas funes extorta stipula confectos ponunt, postea ea illinientes coloribus pingunt. Portæ bituminatæ & altæ sunt tam ipsæ, quàm domus, quæ omnes propter lignorū penuriam fornicantur. Nam regio magna ex parte nuda, nihil habet præter frutices, & palmam, quę & in Babylonia, & in Susiana, & in ora Persiæ, & in Carmania permulta est. Imbrice autem non utuntur, cùm imbribus careant. Strabo lib. 16. Eius uastitatem illo argumento maximè comprobat Politicorum tertio Aristoteles: quòd capta quandoque ab hostibus urbe, tertio demum die uix id persenserit pars ultima. Cælius lib. 8. cap. 12. Antiq. Lect. De ea sic Plinius: BABYLON Chaldaicarum gentium caput diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamię Assyrięq; Babylonia appellata est, LXM. passuum amplexa muris, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mēsura ampliore quā nostra, interfluo Euphrate, mirabili opere utroq;. Durat adhuc ibi Iouis Beli templum. Inuentor hîc fuit sideralis scientiæ. Cæterò in solitudinem rediit, exhausta uicinitate Seleuciæ, ob id conditæ à Nicanore intra nonagesimum lapidē, in confluente Euphratis fossa perducta atq; Tigris, quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui iuris, Macedonumq; moris. Ferunt ei plebis urbanæ DCM. esse: situm uerò mœnium aquilæ pandentis alas: agrum totius orientis fertilissimum. Inuicem ad hanc exhauriendam, Ctesiphontem iuxta tertiū ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc est caput regni, & postquam nihil proficiebatur, nuper Vologesus rex aliud oppidum Vologesocertam in uicino condidit. Plinius lib 6. cap. 26. Vide etiam Diod. lib. 2. & Iustinum lib. 1.

BABYLONIA amplissima est omnium urbium cogniti orbis, si priscæ structuræ mœniū ambitus rectis dimensionib, æstimetur: nam urbis Romæ magnitudinem exuperat. Sed in tantā uastitate uidere est præter cultissima rura, & innumerabiles hortos ædificiis coniunctos, atq; item peramœna uiridaria, pomiferis & odoratis consita arboribus. Visuntur etiam latissima arua, quę ad segetem aratris proscindunturr, nec in ea syluæ nemoraq; desunt, captiuis & inclusis feris dicata, ut ad uoluptatem præfectorum atq; primatum, iocunda atque expedita uenatio suppeditetur. Mediā urbem interfluit Euphrates, lapideo sumtuosi operis ponte iunctus. Is à confluente Tigri amne ita suis atque alienis crescit undis, ut maioribus etiam nauigiis usq; ad Oceanū Persicum tutissimè pernauigetur. Iouius lib. 33.

ECBATANA, quæ sunt in Media, ducentorum & quinquaginta stadiorum ambitum habēt, totius Mediæ regia. Diodorus Siculus lib. 17.

NINIVE Assyriorum metropolis erat, ad quā pergebat propheta Ionas, ciuitas magna, & tanti ambitus, ut uix trium dierum posset itinere circumiri. At ille præcepti & superioris naufragij memor, uiam trium dierum unius diei festinatione compleuit: quanquam sint qui intelligant, quòd in tertia tantùm parte urbis prædicauerit, & ad reliquos confestim prędicationis sermo peruenerit. Hieron. in Ionæ c. 3.

ANTIOCHIAM Syriæ metropolim magnitudine simul aliaq; felicitate sine dubio tertium inter omnes urbes, quæ in Romano orbe erant, Vespasiani tempore, locum occupasse, Iosephus lib. 3. c. j. arbitratur.

Strabo Geographiæ lib. 16. SELEVCIAM ad Tigrim ait Babylone maiorem fuisse, sed pleraq; sui parte deserta, ac iure optimo de illa dici posse, quod de Megalopoli Arcadiæ ciuitate dixit comicus quispiam:

Ἐρημία μεγάλ' ἡ νῦν ἡ μεγάλη πόλις. id est,
Est magna solitudo, magna ciuitas. Erasmus.

ALEXANDRIA Aegypti, Neronis tempore, in longitudine stadia triginta, in latitudine decem habuit. Iosephus lib. 2. cap. 16. belli Iudaici.

MEMPHIS hodie uasto ambitu tres ingentes urbes complectitur: sed hæ raris inter se iunctæ ædificiis unam efficiunt, quarum frequentissimam hodie nouum Cayrum appellāt. Ea in longitudinem sex milliarium, secundùm Nilum amnem protenditur: & ab Nilo passus mille, paribus semper interuallis distat: latitudo eius decem stadia non excedit. Media in urbe arx est molli tumulo imposita, cuius amplitudinem & elegantiam potius quàm munitionē nostri homines admirantur. Sab. Supplem. lib. 8. ex Iouio.

PALIBOTRA omnium Indiæ urbium amplissima & ditissima. Plinius lib. 6. c. 19.

ATHENAS Græciæ totius Musæum, Græciæ firmamentum Pindarus: Thucydides in epigrammate in Euripidem, Græciæ Græciam nominauit: Pythius Græcorum domum atq; Prytaneum. Athen. lib. 5 c. 2. Aristophanes in Horis, pulcras Athenas ita laudauit: Videbis per mediam hyemem, cucumeres, uuas, poma, uiolarum coronas. Idem lib. 9. c. 2.

CORINTHVS urbs locupletissima, propter mercimonia. Itaque Homerus etiam ἀφνειὸν κόρινθον appellat in Nauium catalogo. Eustathius hunc uersum olim prouerbio fuisse celebratum ait:

εἴη μοὶ τὰ μέλεξῦ κορίνθυ τ' σικυῶν⊙. id est,
Sit mihi quod Sicyonem interiacet atq; Corinthum.

Id inde uenit in adagium, quòd urbs utraq; esset opulētissima, agriq; longè feracissimi interiacerent. Aristophanes in Auibus, indicat ex oraculo natum:

Ἀλλ' ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιοί τε κορῶναι,
Εν παυτῷ τὸ μέλεξῦ κορίνθυ τ' σικυῶν⊙. id est,
Comix cana lupusq; ubi eadem sede morantes,
Quod spacium Sicyonem dirimit atq; Corinthum.

Interpres adscribit, Aesopo consulenti de parandis opibus, ita responsum fuisse:

ἐς τὸ μέσον κλίσαιο κορίνθυ τ' σικυῶν⊙. id est,
Si teneas quod agri Sicyonem interq; Corinthum est.

ROMANÆ urbis nota maiestas & amplitudo, uel ex Propertij libro tertio:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ:
Natura hic posuit quicquid ubiq; fuit.

Sub Vespasiano Vrbis ambitus fuit XIII. MCC passuum, septem complexus montes, portas XXXVII. anno urbis DCCCXXIIX. Plin. lib. 3. c. 5. Constantius Imp. uicto Magnentio tyranno, Romam urbem intrans, cōmite Ormisda regis Persarum filio, nobilitatem Vrbis cū maiestate est admiratus: uerissimum fuisse dicens Cineæ testimoniū, apud

Pyrrhum affirmantis, ROMÆ nō ciues se uidisse, sed reges. Derisus tamen, cùm triūphales arcus aureo suo curru transgressus, more anseris ceruicem inclinaret, cùm esset alio qui statura pusilla. Et cùm nimium se efferret Constantius (Domitianum credo superare annixus, qui se dominum & deū scripsit) totius sese orbis dominum appellauit: cùmq; Ormisdæ Persæ, qui ponè sequebatur, dixisset, se equestrem locaturum statuam, quę Traiani & aliorum omnes superaret (nam Tarpeij Iouis delubra, Pantheum, Pompeij theatrum, Traiani forum, & urbis singula ędificia admiratione digna attonitus spectabat) facetissimè Ormisda respōdisse fertur, Priùs oportere stabulum fieri molis equi capax, si uellet opus hoc procedere. Quo scommate tactus Imperator conticuit. Sed iterum interrogatus Ormisda, Ecquid de Roma sentiret? Id tantùm sibi placuisse aiebat, quòd didicisset, ibi quoq; homines mori. Cuspinianus.

CAPVA ualidissima urbs multitudine ciuium incolarumq;, & post Romam olim florentissima omnium Italiæ ciuitatum, Hetruscorum colonia, Vulturnum primò, Capua dein de à duce eorum Capio, uel quod propius uero est, à campestri agro appellata fuit. Circum enim adiacent campi omni fertilitate terræ, pulcritudineq; agrorū insignes, quos κάμπους appellant Græci. Auctor uitæ Annibalis.

GADIVM urbē, Strabo inquit, post Romanā urbem, cæteras urbes mundi anteiuisse: & cùm illi ager nullus esset, omnes illius urbis incolæ ad nauigationem se contulisse in asportandis Romā rebus mercatoriis, maximeq; eis quæ ab Hispania exportabātur. Adiicit, cùm census semel exigeretur ex ea, repertos esse in ea militaris ordinis equites quingentos: quod nusquam in aliqua ciuitatum Italię compertum, quàm in Patauio urbe.

MAROCCVS Mauritaniæ urbs, prope Atlantem montē, inter maximas orbis non postrema, ultra CM domorum circuitu suo complectebatur, portas habens XXIV. Sede regia & Academia nobilissima insignis. Vix tamen D. duraiuit annis, regno Fessam translato deserta. Ioannes Leo lib. 2. cap. 45. Africæ.

CARTHAGINIS urbis, Romæ æmulæ, potentia præsertim ex ultimo bello perspicua est, in quo à Scipione Aemiliano euersi sunt, & urbs funditùs deleta. Nā in initio belli CCC urbes in Lybia habebant: in ciuitate hominū millia septingenta. Obsessi uerò, & in deditionem coacti, armaturarum dederunt CC millia: bellicorum instrumentorum tria millia, tanquam non ampliùs bellaturi. Sed cùm rursum bellū gerere decreuissent, mox arma fabricare constituerunt: unde singulis diebus C & XL clypei confecti, in armamentarium referebantur, & gladij CCC & lanceæ quingentæ, & mille tela missilia. Ancillæ funes ex pilo confectos præbebant. Adhuc naues XII stabāt ab anno quinquagesimo ex fœderibus in secundo bello percussis. Tunc cùm iam in artem cōfugissent, duobus mensib. C ac XX naues cataphractas construxerunt, & cùm Cothonis ostiū asseruaretur, aliud effodere, unde subitò classis erupit: adhuc enim antiqua materies aderat, & fabrorum multitudo publicè conducta assiduè operabatur. Et quanquam Carthago talis esset, tamen capta est & deleta. Strabo lib. 17.

CARTHAGO, ut inquit Saluianus, Romanis artib. semper æmula, armis quondam, & fortitudine, pòst splēdore, & dignitate urbi Romæ maximè aduersaria, & in Africa quasi Roma, uniuersam penitus, qua totus mundus regebatur, in se complexa erat disciplinam eo tempore, quo à Genserico Vandalorum rege capta est. Illic enim omnia publicorum officiorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ: cuncta deniq; uel linguarum gymnasia, uel morum: illic copiæ militares, & regentes militiam potentes: illic honor procōsularis, illic quotidianus iudex, & rector, nomine quidem proconsul, sed opib. consul: illic omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu, quàm uocabuli dignitate, omnium platearum & compitorum procuratores, cuncta fermè & loca urbis, & membra populi gubernātes. Sigonius lib. 12. Imp. occid.

HISPALIS Bæticæ prouincię urbs, ambitu magna, forma rotunda, uisu pulcra, templis celebris, sacerdotibus exculta, multis equitibus nobilis, ciuibus plena, domibus insignis, plateis & uicis hilaris, hortis & fontibus amœna, tuta propugnaculis, mœnib. cincta, defensa portis & turribus, campis iucunda, agrorum frugibus abundans, oliuetis & magnis oliuis & oleo felix, mercatorum commerciis diues, artibus adornata mechanicis, & liberalibus studiis illustris, plena multis piscium generibus & magnis ostréis, palmetis & palmulis & arborum fructibus exuberans, ostio maris & nauigabili flumine ligneoque ponte, quem parua nauigia catenis compactum sustinent, admodū delectabilis. Quapropter uerum est quod uulgò dici solet, Hominibus, quos Deus amat, Hispali domum largitur & uictum. Matineus lib. 19. rerum Hispan.

Dignitatem. Huc

Regiæ Vrbes.

Plures regiæ uelut regalis opulentiæ monumenta, apud plerasque gentes laudibus celebrantur. Cirtha & Vtica, Massylorum regum regię fuere: Sybaris Colchorum, Lybs Antęi, Ioliubæ & Zama: Pergamum Eumenis, Cynaræ Byblus, Gnōsos Minois, Deiotari Blutiū, Halicarnassus Cariæ principum, Eleusa Archelai, Napatia Candacis, Darij uerò regia fertur Sadracę in Assyria, Parthorum Susa, ubi hyemem agunt: Ecbatana & Persepolis, ubi æstatem: quam Alexander iniectis facibus incendit. Indorum regum Taxila. In Aegypto Abydus. Tigranis Artaxata olim Medorum, nūc Parthorum. Attali Trallibus, & Sardis Cœsi regia uisebatur, quam Gerusiam fecere. Cyri autem regia Babylon fuit, quā Susis anteferre statuerat. Tametsi Persarum mos foret, in montibus regias facere, in quibus thesauros & antiquissimas gazas congerebant: ut illas uelut amplissimum uirtutum monumentum posteris relinquerent. Mithridatis autē erat Gabiis, & Oenotriorum regum Pandosiæ: Macedonū Demetrias, Ilion Priami, Scepsis Aeneæ, Tolgus Pyrrhi. Alexandria uerò tres habuit regias, unam Lochiam promōtorium, alteram Timonium appellauit Antonius. Museum quoque pars regiarum erat. Etiam in Antiochia Assyriorū regum regia ferebatur: sicut Sogdianæ gentis in Maracanda: Sami, Polycratis. Alexander autem Macedo præcipuè Arabiam, quam sedem imperio delegerat, totius imperij regiam destinauit. Alex. lib. 2. c. 6.

BABYLON olim Assyriæ fuit metropolis, nunc Seleucia est quę ad Tigrim dicitur. Prope eam uicus maximus est nomē ne CTESIPHON, in quo Parthorum reges hyemabant, Seleuciæ parcentes, ne à Scythica & militari natione opprimeretur. Strabo lib. 16.

Mediæ metropolis sunt ECBATANA, qua etiā Parthi regia utuntur. Nam reges ibi æstatem agunt (frigida enim est Media) hyemē uerò Seleuciæ, quæ secus Tigrim est, prope Babylonem. Strabo lib. 11.

Persæ ac Cyrus superatis Medis, cùm propriam terram in ultēmis sitam uiderēt, SVSIAM uerò interius & Babyloniæ & aliis gentibus propinquam, in ea imperij sedem locauerūt. Susa à Tithono condita dicuntur, Memnonis patre, ambitu C & XX stadiorum, figura oblonga, cuius arx Memnonium uocabatur. Vrbs, mœnia & templa & regię structura, erant Babylonicis similia, ex coctili latere & bitumine, ut quidam ediderunt. Polyeletus dicit eam sine mœnibus fuisse CC stadiorum ambitu. Cùm regias apud Susa maximē exornassent, nihilominꝰ Persepolim & Pasagardas magnò perè coluerunt. Nam & gaza & thesauri, & Persarū monumenta ibi erant, ut in locis progenitorum munitioribus. Erant etiam regiæ aliæ Gabis in superioribus Pērsiæ partibus, & in ora iuxta eā quæ Oca dicebatur. Cyrus PASARGADAS habuit in honore, quòd ibi Astyagem Medum ultimo prælio superauit, & Asiæ imperium in se transtulit, urbe condita, & regia constructa in memoriæ monumētum. Alexander uerò uicto Dario, pecunias omnes, quę in Persia erant, Susa exportauit: quæ quanquam & ipsa thesauris & supellectile plena erant, non tamen eam regiam existimabat, sed BABYLONEM, quam in animo habebat illis omnino anteferre. Strabo lib. 15.

IEZRAEL, quæ nūc iuxta Maximianopolim est, metropolis fuit regni Samariæ: prope quā sunt campi latissimi, & uallis nimiæ uastitatis, quæ plus quā X millium renditur passibus. In hac commisso certamine, ab Assyriis cæsus est Israel, id est, decē tribus: quæ ob Hieroboamū de tribu Ephraim, q primus schisma fecit in populo, appellatæ sunt Ephraim. Hieron. lib. j. comment. in Oseæ cap. j.

SARDEIS urbs Lydiæ potentissima & ditissima, quæ eius, q præfecturam maritimam nomine regis Persarum administrabat, ita regia erat, uti Susa in Perside ipsius regis. Pausanias in Laconicis.

Sub Paryadrę montis radicibus, CABIRA sita sunt, Mithridātis Ponti regis sedes: ubi sunt uiuaria, & uicinę uenationes, & metalla. Cùm Pompeius Cabira struxisset in urbis modum, ac Diopolim nominasset, Pythodoris regina Pōti Polemonis uidua, eam auxit, & Augustam appellauit, pro regia usa. Strabo lib. 12.

MAZACENORVM urbem ad Argæum montem, quanquā plurimis rebus incommoda sint, eam tamen reges Cappadocum ad habitandum præcipuè uidentur elegisse, quia locus totius regionis medius erat, & lignis & lapidib. abundābat, & herba, quā plurimū ad alenda pecora indigebant. Nam ea urbs licēt muris carens, quodammodō illis castra erat: tutelam ex munitionibus & castellis habebant, quæ ibi plurima sunt, alia regis, alia amicorum. Idem.

TOLGVS Pyrrhi Epirotarum principis regia, à Cypselo ædificata ad sinum Ambracium. Strabo lib. 7.

Licinius uicto Maximino NICOMEDIAM cũ cõiuge Constantia, Constantini Magni soróre, ouans iniuit, eamq; urbem Diocletiani & Maximini more pòst sedem Orientalis Imperij habuit. Sigonius lib.3. Imp. occid.

RAVENNAM Honorius Imp. sibi atq; Occidentis imperio sedem, urbe Roma relicta, constituit. Quod institutum successores quoq; illius tam Imperatores Rom. quã reges Gothorum custodierunt. Ex quo urbs maximis cùm ædificiorum priuatorum, publicorumq; operibus, tum non mediocribus ciuium atq; incolarum opibus creuit. Eandem quoque Valentinianus III. pro Imperij sede habuit, omnique munimentorum atq; ornamẽtorum genere insigniuit. Nã ædem D. Ioannis Euangelistę ex uoto cõstruxit, & ducta ex Pado fossa flumen ipsum deriuauit, atque ad mœnia urbis deductum partem in urbem infudit, partem mœnibus circunfudit, ita ut non solùm commercio seruiret ciuium, sed etiam firmamento murorum. Ex Sidonio Sigonius lib. 12. Imp. occid. & lib. 15. regni Ital.

CAMELODVNVM primaria regia q; sedes Pictorum olim, portum habuit aptissimum hyemandis nauibus: nunc cœno herbarũm q; radicibus limo concrescẽtibus oppletum, in amœnissima prata conuersum. H. Boethius lib. j.

Gathelus Scotorum regni in Hispania, in BRIGANTIA urbe, quæ Compostella hodie est, auctor, marmori cathedræ in morem efformato insidens ius dixit. Cui ea accessit auctoritas, ut Scotorum regni, ubicunq; terrarum reperiretur, constituendi omen facere crederetur. Proinde Simon Brechus ab Hibernis ex Hispania in regẽ euocatus, marmor illud secum extulit. Multoq; pòst Fergusius ex Hibernia in Albionem traiiciens, secum unà uexit, & in Argathelia constituit. Cui deinceps lõga successione usq; ad Robertũ I. Scotiæ reges insidẽtes coronari solebãt. Lapidi multo pòst hoc additum distichon:

Ni fallat fatum, Scoti quocunq; locatum
Inuenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Hector Boethius lib. j.

EVONIVM, ueterum Scotorum regia. Idem.

CLODOVEVS Francorum rex, uicto Alarico Vestgotho, Parisiis basilicam nomini S. Petri construxit, ac regni domicilium collocauit: ex quo ab hominibus celebrari Parisiensis ciuitas cœpta, demum ad immensam opum magnitudinẽ est euecta. Sigonius lib. 16. Imp. occid.

Pipinus Caroli Magni F. Alpes transgressus, MEDIOLANI regiam delegit, quòd ea florentissimæ regionis urbs, secundùm Romam longè princeps totius Italiæ esset: & ut Rauenna ad res Orientis Latinis, Græcis, Ostrogothis oportuna fuerat, ita hæc Francis idonea uisa est uelut arx & specula Italiæ, Galliæ, Germaniæq;. Aemilius lib. 2.

Ingo Gothorum & Sueonum rex, celebratis apud Vpsaliã comitiis, inuiolabili decreto (consentientibus Principibus populisq; Sueonum) statuit, ut caput & sedes regni Sueciæ in metropoli VPSALA deinceps conseretur, quemadmodũ olim Humelus rex præceperat, quòd illic etiam præcipua deorum cultura esset. Io. Magnus lib. 7. c. 11.

STOCHOLMIA regia & emporium Suecorum, munita natura & arte. Sita est in paludibus, instar Venetiarum. Inde sortita est nomen, quòd sita in aquis fundamenta sint palis stabilita. Mare eam ingreditur duobus ramis, tam largis aquis, ut naues oneratiæ extẽsis uelis & toto onere inuehantur. Zieglerus in Scondia.

Succesionem. Huc

Metropoles.

NIDROSIA super australi ripa, omnium ecclesiarũ per Norũegiam, Islandiam, Gronlandiam, & insulas adiacẽtes, metropolis. Fuit nobilis inprimis ciuitas, sub florente Norũegię imperio, continens in ambitu parochias (quasi dicas regiones urbis) XXIV. Nunc in uici formam ferè redacta est. Vocatur lingua germana Truthaim, quasi Druydum domicilium. Zieglerus in Scondia.

Coloniæ.

VALENTIA filia Ilerdæ metropolẽos. Sub Tit. Fortitudinis fructus dignus.

Pulcritudinem. Vrbes

Amœnæ.

Celeberrimi omnium ob delicias Persæ, quorũ reges SVSIS hyemabant, æstatem degebant Ecbatanis. Susa ob loci amœnitatem uocata fuisse, scriptum reliquit Aristobulus, ac etiam Chares. Est enim Susum, lilium. Versantur per Autumnum in Persepoli, ac reliquam totius anni partem in Babylonia. Parthorum reges Rhagis uere commorantur, hyemant in Babylonia.

RHODI & SYRACVSIS nunquam tanta nubila obducuntur, ut non aliqua hora sol cernatur. Plin. lib. 2. c. 62.

Vrbem Siciliæ TRIOCALA dictam uolunt ex eo, quòd τρία κάλα (id est, tria pulcra) ei inessent. Primùm, quòd scaturigines plurimæ aquarum in ea extarent, quæ dulcedine magnopere commendarentur. Deinde quòd adiacentes agri uineta simul & olineta haberent, essent uerò & culturæ minorum modũ idonei. Postremò, quòd natura locus ita munitus foret, ut nihil suprà posset: quippe qui magnã quandam & inexpugnabilem haberet rupem. Eam Tryphon seruorum rex, bello seruili, ambitu, qui mille passus amplectitur, cùm cinxisset, fossaque in summam altitudinem perducta circumdedisset, pro regia sua habuit, omnium quæ humanæ uitæ usus postulat abundantia refertam. Construxit insuper basilicam: forum item numerosæ hominum turbę capax. Diodorus lib. 36.

Vrbs GRANATA, quæ ex antiquæ Illiberis ruina creuit, mali Punici ex maturitate perrupto cortice sese aperientis formam refert. Nam duæ ex aduerso exurgunt Regiæ oppositis in collibus aliquanto maiore amœnitatis quàm munitionis studio à delicatis regibus ædificatæ. Odoratis enim citriorum arborum uiridariis, & perennium fontium scaturigine, uermiculatisq; passim pauimentis admirabiles existimantur: ita ut imagine quadam sicuti naui, hæc urbis proram, illa uerò puppim obtinere uideantur. Media nãq; uallis domorum frequentia celebris urbem disterminat. Iouius in Consaluo.

Frequentiam. Vrbes populosæ.

Est locus quispiam, ut auctor est Suidas, in Leontide, cui nomen πόωμοι, id est, FLVVII. Huius incolæ ποτάμιοι, quasi Fluuiales dicuntur. Hi notati sunt, quòd quamplurimos in suam ciuitatem adscriberent, quos ea non satis commodè caperet. Atq; hinc prouerbij iocus, πόωμος ἱκελόπη ἱκέλευς, quòd cùm fluuius esset, id est, locus non admodũ amplus, mare uideretur æmulari, cùm omnes undecunq; in sese reciperet. Erasmus.

Non longè aberraret fortasse à scopo, quisquis totius habitatæ terræ compendium ROMAM appellauerit, in qua omnes ciuitates commorantes facilè intueri licet, & particulatim, & quamplurimas: ut Alexandrinorum auream, Antiocheorum pulcram, Nicomediorum ornatissimam, omniũ præterea splendidissimas, quotquot Iupiter aspicit, Athenas. Neq; uerò dies unus suffecerit, ad connumerandas ciuitates, quæ in urbe Romana continentur, sed omnes uix per anni spacium ob multitudinem connumerarentur: omnes namq; ibi nationes habitãt, Cappadoces, Scythæ, Pontici, & alij complures: hi sunt enim totius habitatæ terræ compendium. Athen. lib. j. c. 15.

AGRIGENTVM olim urbs octies centena millia hominum inhabitantium habuit. Vide in i. Greçorum Epigram. rectè μέγα ἄστυ appellatur.

Artem, Industriam habitantium. Vrbes nobiles

Mercimonia. Emporia celebria.

In Celænorum iugis, quæ ad Lycaoniam pertinent, urbs fuit nomine Celænis, qua destructa Antiochus Soter homines transtulit in eam, quæ postea APAMEA dicta est, & urbem appellauit de nomine matris Apamiæ Artabazi filiæ, quæ Seleuco Nicanori nupta fuit. Vrbs in ostiis Marsiæ sita fuit, qui mediam urbem percurrens, in Mæandrum exonerabatur. Insigne hìc emporium fuit, secundàs post Ephesum ferens laudes, & commune Italicorum & Græcorum hospitium habuit. Non procul hinc lacus extat, qui calamum gignit ad tibiarum ligulas idoneum: hinc fabula conficta est de contentione, quam cùm Apolline Marsias habuit. Aen. Sylu. cap. 61. Asiæ, ex Strabonis lib. 12.

TARTESSVS emporiũ nobilissimũ. Vide Tit. Mercatorum.

Vetus emporium in Aegypto fuit sola NAVCRATIS urbs. Quòd si quis in aliud aliquod Nili ostiũ applicuisset, is necesse habebat deierare, se uenisse inuitum, dato iureiurãdo, quòd eadem naui ad Canobicum nauigaret: & si id minùs per contrarios uentos posset, onera fluuialib. nauigiis circumagere lustrando Delta, donec peruenireat Naucratẽ. Ita Naucratis in honore erat. Herod. lib. 2.

CADYTIS urbs Assyriorum, qui Palæstini dicuntur, non minor quàm Sardis, emporium habet celebre. Herod. lib. 3.

SMYRNA, in Hermęi sinus recessu, emporium fuit celebre olim, unde frumenta è uicinis agris conuecta, à peregrinis coemebantur. Herod. in Homeri uita.

Emporium Pheræ Thessalicæ habent PAGASAS, nonaginta distans stadiis: quo ex loco Pelias Iasonem ac nauẽ Argo foras emisit. Pagasas autem ideo dictas esse aiunt, quia eo in loco nauem Argo compegerit. Alij uerò similius existimant, loco ipsi nomen impositum propter uicinos fontes, id est, πηγὰς, qui frequentes aquarum ubertatem effundũt. Iuxtà quoq; sunt Aphetæ ciuitas, id est, emissa, quia hinc emissi fuerint Argonautæ. Strabo lib. 9.

CORIN-

CORINTHVS, Græciæ emporium appellatur à Thucydide. Ad Isthmum Peloponnesi sita, geminum habebat portum, quorum Lechæus Asiæ, Cenchræus propinquus est Italiæ, utroq; ex loco faciles inuicem mercium cõmutationes faciens, tantundem remotis utrinq; gentibus. Fuit autẽ, cùm fretum esset, non tuta profectò nauigatio, quod quidẽ antiquioribus annis freto contigit Siculo. Itidẽ nec maria ipsa, præsertim supra Maleam, propter aduersos uentorum flatus. Inde est natum uulgò prouerbium, Cùm Maleam deflexeris, domesticos obliuiscere. Asiaticis igitur Italisq; mercatoribus gratissimum erat, omisso ad Maleam cursu, Corinthum diuertere, aduectis eò mercibus. Vbi & importatarum & exportatarum è Peloponneso rerum, uectigalia pendebantur. Illuc quoq; in Isthmorum celebratione ludorum multitudo conuenarum concurrebat. Ipsi quoq; Bacchiadæ annis fermè CC urbem dominatione tenuerant, & tyranni locupletissimi, & numero plurimi, & genere clari euadentes, & emporium ipsum adempto metu fructuosum possedere. Cypselus autem hisce destructis, tyrannidẽ occupauit. Cuius diuitias, oblatum Olympico templo donum testatur, eximiæ magnitudinis simulacrum, solido ex auro, quod in tertiam usq; generationẽ domus eius perdurauit. Demaratus quoq; ex Corinthi potentissimis unus domesticas fugitans factiones, tot domo secũ opes tulit in Ethruriam, ut urbis, quam ciuitate donatus adijt, princeps extiterit, & filius eius Tarquinius Priscus Romæ potitus sit regno. Strabo lib. 8. Templum hìc erat Veneri sacrum, adeò locupletatũ, ut plus mille puellas haberet, quas Corinthij Veneri consecrarant, ut in eius honorem prostarent. Itaq; harum gratia frequens in urbem multitudo undiq; cõfluebat, unde ciuitas maiorem in modũ ditabatur: quinetiam negotiatores, hospites ac nautæ, propter urbis luxum deficiasq;, immoderatos sumtus faciẽtes exhauriebãtur. Arq; hinc manauit uulgò prouerbium, Cuiuslibet non est Corinthum appellere. Horatius, & A. Gellius lib. 1. c. 8. ad Laidem nobile scortum referunt adagium.

DELVM Corinthus à Romanis euersa auxit. Eò enim negotiatores commigrarunt, cùm eos & templi immunitas accerferet, & ipsius portus inuitaret occasio. Etenim ex Italia & è Græcia in Asiam nauigantibus commodissimè iacet, conuenientium quoq; frequentia rei mercatorię conducit: interẽq; cæteros maximè Romani in ea familiariter uersabantur, etiam stante Corintho. Athenienses redacta in potestatem insula, & sacrorum & negotiatorum curam suscepe te præcipuam. Mithridatici uerò duces eam inuadentes, tyrannusq; illam ad descisendum impellens, cuncta uastarunt. Domum rege regresso, Romani denuò desertam recuperarunt insulam, in summa inopia, Atheniensium ditioni subdita. Strabo li. 10. Antiquissima ætis gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo cõcelebrante toto orbe, & ideo cura officinis tricliniorum pedibus fulcrisq;. Plin. lib. 34. c. 2. Strabo lib. 14. refert huiusmodi prouerbiũ, ἔμπορος κορίνθιος, ἐξελῶ, πάντα πέπρακται, id est, Mercator ad nauiga, expone, omnia diuendita sunt. Ait natum à Cilicibus, olim piraticam exercentibus, quorũ præcipuus quæstus erat ex mancipijs, quæ propter opportunitatem loci facilè capiebantur, & celerrimè distrahebantur, quòd Delus quæ nõ procul aberat, emporium præstaret & amplum & pecuniosum, ut illic eodem die præsente pecunia, multa mancipiorum millia distrahi possent & auchi. In causa erat illud quoq;, quòd Romani ex Carthagine Corinthoq; subuersis uehementer locupletati fuerant, eoq; pluribus mancipijs uti cœperunt.

Bosphoranorũ metropolis, qui sunt in Europa, Panticapæum est, Asianorum uerò, Phanagorium. PHANAGORIA emporium est earum rerum, quæ ex Mæotide & ulteriore Barbarorum regione importantur. Earum uerò quæ mari aduehuntur, PANTICAPAEVM. Strabo lib. 11.

CHRYSOPOLIS, mercatus Chalcedoniæ, ubi Græci, qui apud Cyrum stipendia fecerunt, septem dies manserunt, ut prædam uenderent: ut ait Xenophon. Suidas.

COMANA Pontica hominibus abundant, insigne Armeniorum emporium. In colæ molles sunt ac delicati, omnia uitibus consita, mulierum multitudo maxima & operantium, quæ magna ex parte sacræ sunt. Hæc enim ciuitas quasi quædam parua Corinthus est. Strabò lib. 12.

Florẽte imperio Romano, LVGDVNVM Galliæ urbs & opibus & uiris mirificè claruit. Emporium ibi celeberrimum habebatur, magno ciuitatis usui accommodatũ, aurea argenteaq; moneta ibi cudebatur, ducesq; à Romanis designabantur. Templum quoq; nobilissimum communi Gallorum impensa factum, Augustoq; Cæsari dicatum, quòd stabat ante urbem, ubi fluenta coeunt: in quo ara est dignitatis eximiæ, sexaginta gentiũ numero inscriptum titulum habens, & earum singularum una statua, altera subinde ingens ara sita est. Ad aram, poetarum, cæterorumq; scriptorum certamina agebantur: ubi quicunq; succubuisset, aut spongia delere scripta, aut in profluentem demergi cogebatur. Bonfinius lib. 4. Dec. 1.

IVLINVM præclarum Vandalorum emporium, circa annum Christi 900. tantis opibus mercatorumq; negotijs frequẽs, quale uix tota habuit Europa, sola Constantinopoli excepta. Ibi Russi, Dani, Sembi, Saxones, & ipsi Vandali suas incoluẽre plateas: eratq; illa terra matiq; uenientium lex, in quam iurare cõgebantur, Nullam se ullius nouæ religionis facturos mentionem, quo minùs ethnicus illorum cultus turbaretur: & sic tándem commune municipij ius aduenis erat, cum eius oppidi ciuibus. Cranzius in Vandalia lib. 2. cap. 33. & 34.

BIRCA Sueciæ metropolis olim, non longè ab Vpsala. Eius incolæ piratarum incursionibus sæpiùs impugnati, quum ui & armis non possent resistere, sinuin maris impacati per centum & ampliùs stadia latentium molibus saxorum obstruentes, periculosum æquè suis ac prædonibus iter fecerunt. Ad quam stationem, quia tutissima est, in maritimis Sueciæ regionibus solenne Danorum, Normannorũ, Vandalorum, atq; Semborum naues, alijq; Orientis popuili, pro mercaturis suis emporium constituerunt. Cranzius libro 3. Metropol. cap. 6.

Celebre emporium FRANCOFORDIA ad Mœnũ, quasi in meditullio situ Germaniæ, locus deligẽdi Imperatoris habeti cœpit. Primus ibi Arnulphus electus fuit Imperator: coronam tamen non nisi octauo regni sui anno accepit à pontifice: Cranzius libro 2. Metropoleos capite 18. Carolus IIII. à Francofordensibus ad Mœnum contra Gurtherum comitem Schuartzenburgensem, qui imperiũ affectabat, suscepitus, & Cæsar declaratus, cùm alijs priuilegijs FRANCOFVRTVM dotauit, tũ mercatu annuo gemino; qui etiamnum hodie durat. Anno 1350. Stumpfius.

Circa an. sal 1356. mercatores in Flandria diuersantes ex urbibus orientalibus (ut illi uocant) cum BRVGENSIBVS grauem habuere simultatem: quæ usque adeò inualuit, ut populariter locum deserentes, in DORDRACVM Hollandiæ oppidum se contulerint, ibi publicum emporium constituentes; per triennium. Flandrenses & præcipuè Brugenses, Lubicæ cum cęterarum urbium oratoribus transegere, ita ut in antiquum statum redierit emporium. Nunc Stapulam uocant, mutuato de Germanica lingua uocabulo. Aggestionem & comportationem sic uocant mercium omniũ, quæ id genus sunt, ut seruando seruari possint. Cranzius lib. 8. Vandaliæ, c. 38.

CALETVM oppidum munitissimum, & situ opportunissimũ, è quo in Angliam XXX milliariorum traiectus est breuissimus, Edouardus III. Anglorum rex de Philipo Valesio Francorum rege bello cepit: & anno 1362. lege lata, ut Angli tantùm homines illud habitarent, coloniam eò deduxit Qui uerò sunt ducti, fuere uiri diuites, qui mercium diuersarum, & præsertim lanæ commercio, eum locũ emporium totius regni celebre fecerunt. Polydorus lib. 19.

A. S. 1294. duo præcipua emporia combusta fuerunt, STOCHOLMIA apud Sueones, & LODOSIA apud Vestrogothos, forte ut fatali incendio ostenderetur, neutrum sine altero periclitari posse. Io. Magnus lib. 20. cap. 24.

THORNA Bothniæ emporium. Vide Titulum, Pisces ubi repetiantur.

CERCIAGVM, uulgò Zurzacum, emporium Heluetiæ uetustissimum, iam inde à Tiberij ætate (nam à Ptolemæo Forum Tiberij appellatur) ubi etiamnum hodie diei naturalis spacio, à uespera ad uesperam, bis in anno, merces cõplosę distrahuntur, & ueluti initia mercatuum reliquorum celebrantur, nullo alio Germaniæ emporiorum exemplo. Stumpfius.

ORMVS emporium Felicis Arabiæ, cùm omnibus abundet, ob concursum gentium, licèt ibi nihil nascatur, mortales habet solertissimos: iactant enim conuenæ, si mundus esset anulus, Ormus esset illius gemma. Cardanus de Rerum uarietate libro 1. capite 4.

MALACA est in aurea Chersoneso ad ostium fluminis non ualdè magni sita, celeberrimum Orientis emporium: quatuor millibus passuum in longitudinem patens, latitudine perangusta. Fluuio, qui mediam urbem interfluit, distinguitur: utraque tamen urbis pars inter se ponte coniungẽtur. Aedes & urbis mœnia magnificè & eleganter extructa. Gens est colorata, & moribus atque uitæ cultu ad humanitatem propensa. Lingua adeò suauis existimatur, ut omnes finitimæ regiones, & insulæ etiam, quæ commercium cum ea ciuitate ullum habent, ualdè ad urbanitatem & elegantiam pertinere arbitrentur, linguam & orationem ciuitatis illius usurpare. Osorius lib. 6. rerum Em.

In Indiæ occidentali peninsula, ex CALECVTII interitu, duo, parentum nostrorum ætate, natá emporia, longè celeberrima, GOANVM scilicet, & COCHIMENSE. Illud tamen, quàm hoc, frequentius efficit, totius per

Indiam

Indiam Lusitanorũ imperij administrator, qui Proregẽ firmas ibidem sedes habet. Io. Metellus.

Opificijs.

TOLETANA ciuitas Hispanię mercatorum commercijs admodum diues, & præsertim lanificio & serico. Quibus duobus officijs, lanæ scilicet & serici, uiuunt in hac urbe hominum millia fere decem. Marineus lib. 2. rer. Hispan.

Salubritatem. Huc urbes

Salubres.

☞ *Vide Titulum, Vrbes temperatæ.*

Fuit CROTO Italiæ ciuitas rei bellicæ peritissima, nec paruã exercendis athletis operam dedit. In uno Olympiaco certamine, septem uiri, qui cæteros studio superarunt, Crotoniatæ fuêre omnes. Iure itaq; dici uisum est, Qui Crotoniatarum postremus est, is reliquorum Græcorũ primus est. Vetus quoq; prouerbium alterum, Crotone salubrius. Quod inde ortum esse aiunt, quia locus ipse ad salubritatẽ, & bonas habitudines, propter athletarum multitudinem, plurimum conferat. Plurimos enim Olympionicas habuit. Strabo libro 6.

Intra paludes Venetas urbs maxima RAVENNA Augusti Imp. tempore tota ligneis compacta ædificijs, aquis diffusa, pontib. ac lembis peragrabatur. Cùm à mari fierẽt inundationes, nõ mediocrem accipiebat maris partem, adeò ut hinc fluctu marino, hinc fluminibus cœnum omne exportaretur. Hoc pacto igitur saluberrimus reddebatur locus. Vnde gladiatoribus educandis huic idoneum magistri locum designauerũt. Inter cætera eius loci mirabilia illud est, quòd paluſtribus in locis aer innoxius est, quemadmodũ ad Alexãdriam Aegypti paludis uitium æstate propulsatur, propter amnis incrementum, simul etiam euanescente cœno. Strabo lib. 5. Huius rei argumentum (Rauenna hodie penitùs exiccata) ex Venetorum urbe colligi potest, quæ corpora producit maxima & pulcerrima.

MADRID oppidum Hispanię uiuis undiq; silicibus constructum, nulla unquam uictus penuria fatigatũ, nec cœli grauitate oppressum. Marius Aretius in Hisp. chorog.

Insalubres.

SVSIA Persarum & Medorum regia quanquam opulẽta situ torridum tamen & æstuosum aerem habet, præsertim circa urbem. Quapropter ad duo cubita terram tectis imponũt. Domus ipsæ propter onus angustæ fiũt & longæ, cùm longis trabibus careant, & maguis domibus indigeant, propter æstũ. Palmaceæ trabes cùm inueterascunt, non cedunt in partem inferiorem, sed in superiorem pandũtur, propter onus, unde melius tectum sustinent. Aestus causa dicitur, quòd septentrionem uersus montes quidã altissimi imminent, qui omnem borealem flatum arcent. Strabo lib. 15.

In Lesbo apud MITYLENEM Austro flante ægrotant homines, at Coro tussiunt: à Septentrione in integrum facilè restituuntur. Verùm frigore urgente, in angiportis plateisúe consistere nequeunt: quoniam parum prudenter ab architectis positum sit oppidum, magnificè aliàs extructum. In quo d uitium ne dilabi inter ędificandum Athenienses possent, Andronici cura octogonos excitata turris est marmorea, collocata in lateribus singulis uenti imagine contra suum cuiusq; flatum. In turris demũ uertice metallis præsto erat prominentia, superincũbente Tritone æneo, dextra uirgam intendente, quæ flantis uenti imaginem indicaret. nam ita libratus stabat Triton, ut circumãgẽtem perpetuò spectaret uentum. Cælius lib. 20. cap. 18. Antiq. Lect.

ARCES MAGNIFICAE, munitæ.

Curtius BABYLONIS arcem præter cętera miratus; eam uicenũm stadiorum ambitu fuisse prodidit, murorũ, fastigio octoginta pedes in cœlum educto, & in arce pensiles hortos proceritate arborum miraculo uisenda, in his frugiferas quasdam octonum cubitorum crassitudine, quinquaginta pedes cacuminibus extantes, quod citra fidẽ penè sit, tantam arborum proceritatẽ in aliena terra coalescere potuisse. Hortorum moles uiginti lati parietes sustinebant, inter se undecim pedum interuallo distantes, ut procul uisentibus quædam syluarum species montiũ uerticibus imposita uideretur. Sab. lib. 3. En. 4.

PERSEPOLIS Persarum regia fuit, quã Alexander Magnus exussit. Arcem iustæ magnitudinis cingebant triplicia mœnia. Quorum primus muri cinctus, magnis operibus extructus, altitudinem habebat sedecim cubitorum, supraq; pinnas, quæ ei non paruo erant ornamento. Secundus priori cætera consimilis, altero tanto altitudinis eum superabat. Tertius murus formam habebat quadratam, & sexaginta cubita in altum erigebatur. Vnumquodq; quatuor laterũ muri portam æneam, & ante eam uallum itidem æneum uiginti cubita extans, hoc quidem ad inijciendũ aspectu ipso terrorem, illam autem ad firmam loci defensionem, habebat. Ad oriẽtalem partem arcis, mons interuallo fermè pedum quadringentorũ distabat, qui regius nuncupabatur, ubi regum inerant sepulcra. Saxum erat ingens excisum, in cuius medio multa facta fuerant domicilia, defunctorum regum sedes. Neq; aditus quispiam opere factus ducebat in locum eum, sed instrumentis quibusdam sublata cadauerum conditoria illic reponebantur. In ipsa arce elegantissimæ & omnibus rebus instructæ ædes complures uisebantur, ad reges & milites accipiendos. Thesauri, quibus seruarentur pecuniæ, ingeniosè ibidem parati fuerant. Diodorus lib. 17.

Alexander Magnus in Bactriana petram SISIMITHRAE, cuius altitudinem scribunt stadiorum quindecim, ambitum octoginta. In superiore parte planam & feracem, ut uiros quingentos alere possit. In ea hospitio sumtuose acceptus est, & Rhoxanam Oxyartis filiam uxorem duxit. Cepit aliã in Sogdiana, altitudine duplam. Strabo lib. 11.

Messenij cùm primo bello cruento marte cum Lacedęmonijs pugnassent, & magna ui pecuniæ absumta, iam unde exercitum alerent non haberent, atq; etiam seruitia ad Lacedæmonios perfugerẽt: omnia oppida, quæ longiùs à mari abessent, deseruere, & in ITHOMEN montẽ secessere, in quo castellum erat loci natura egregiè munitũ: in quo per XX annos se strenuè defenderũt. Tandem obsessi à Lacedæmonijs, illud relinquere fuere coacti. Lacedæmonij Ithomen solo ęquarũt. Pausanias in Messenicis. Huic similis ACROCORINTHVS. Vide Tit. Vrbes munitæ.

In Iudæa tres arces munitissimæ fuerunt, HERODIVM, Machærus & Massada, quarum priores duas, excisis tandem Hierosolymis, Lucilius Bassus legatus à Vespasiano missus in Iudæam cepit, Massadam uerò Fl. Sila, qui Basso successit. Iosephus lib. 7. cap. 25. & 27. belli Iud.

MASSADA castellum Iudeæ (quod Fl. Sila Vespasiani legatus excidit) aduersus hostiles impetus natura simul & manu erat munitissimum, & apparatu copiosissimo instructũ. Nam & frumentum multum erat conditum, & quod in longum tempus sufficere posset, uinumq; multum & oleum: insuper autem cuiusq; leguminis fructus, & palmulæ coaceruatæ. Cuncta ibi condita reperit Eleazarus sub initia belli Iudaici, castello per dolum cum sicariis occupato, matura, nihilq; recẽs depositis deteriora: quanquã ferè ex quo apparata sunt ab Herode Magno ad excidium à Romanis illatum, centum annorum tempus agebatur. Quinetiã Romani fructuum reliquias incorruptas offendẽre. Si quis autem causam diuturnitatis auram esse existimet, non errauerit, quòd arcis altitudine ab omni terrena ac feculenta materia sit remota. Iosephus lib. 7. c. 28. belli Iud.

Sub Paryadræ montis radicibus Cabira sita sunt, & qui NOVVS locus appellatus est, petra munita ac prerupta, ad CC stad. à Cabiris distans. Ea in uertice habet aquæ fontem ubertimum, ad radicem flumen ac uallem profundam, petre altitudo ingens, quare obsideri non potest, mœnibus autẽ mirificè structa, nisi quantum Romani diruerunt: circumcirca syluosa & montana & sicca, adeò, ut intra centum ac uiginti stadia castra non patiatur. In ea erant preciosissimi Mithridatis thesauri, qui nunc in Capitolio sunt à Pompeio dicati. Strabo lib. 12.

Arx NEAPOLITANA, quæ nomen ab Ouo ducit, scopulo imposita, olim continenti coniuncta fuit: uerùm Lucullí operą inde diremta, ponte angusto cum proximo Neapoli litore coniungitur. Guicciard. lib. 2.

Galeacius II. Vicecomes sumtuoso ędificandi studio, magnificisq; operibus Romanæ potentiæ monumenta luculenter imitatus, Mediolani ARCEM Portæ Iouis mira celeritate construxit, quum antea è regione templi maximi, anteriorem curiam uastis porticibus atq; cœnaculis & media latissima area ad equestres ludos admirandam Actianis ædibus adiunxisset. Arx demum in supercilio decliuis urbis ad boream extructa, condecoratq; eximijs picturis, ita spectantium oculos ad admirationẽ conuertit, ut Franciscus Petrarcha nihil adulatus, Galeacium, eo inconiparabili ædificio, quum cæteris operibus maximos Europæ reges anteiret, seipsum superasse perscripserit. Spacium enim quadratæ formæ ducẽtorum ferè stadiorum perpetuo muro circumplexus oportunum, ad omne genus uenationis addiderat, fundis nonnunquam antiquis possessoribus iniquo precio ademtis, usqueadeò impotenter, ut Bartolus è Xysta familia, quum paterno agro pelleretur, iniuriam frustra deprecatus, equitanti Galeacio uẽtrem cultello perfoderit leui quidem inflicto uulnere, quòd magno casu in ipsam balthei fibulam cuspis incidisset. Iouius in uita Galeacij II.

Est eo

Est eo in itinere, quo Germania ex Italia magnopere aditur, ter mille passus ante Scalam mons saxeus præcelsus, maximeq; directus, ad perpendiculum uiæ imminẽs, in cuius superiore parte ipso in saxo specus cum perennis aquæ fonte natura factum homines concinnauerunt, arcemq; paruam ex eo effecerunt, COVOLVM uulgò dicunt. Ea omnino arx adiri pedibus non potest: funẽ autem demisso cùm lignea sedecula, singuli homines rota desuper uertẽte attolluntur: ac quicquid aliarum rerum inferendum est, eodem uno subleuatur, atq; in arcem importatur modo. Ei arci inter montem flumenq;, quod arctam atq; angustam uallem dirimit, subest ea, de qua dixi perexigua sanè uia, qua commeare ijs, qui in arce sunt, inuitis licet nulli; propterea quòd saxis modò ab ea deuolutis quoslibet obrui atq; interfici nullum negocium est. Bembus lib. 19. Ven. Hist.

Carolus IV. Imp. in cõsortiũ regni asũto Vẽceslao F. ut regni corona, & sanctæ reliquię, in loco maximè firmo munitoq; seruarentur, arcem de nomine suo KAROLSTEYNAM appellatam, tertio à Praga lapide intra montes ædificauit: addiditq; illi duos custodes, unum ex proceribus, alterum ex equestri ordine. Dubrauius lib. 22.

CAMYENIEC ciuitas Moldauiæ finitima, diuinaque ferè manu inter arduas cliuosasq; rupes cõdita, portas solummodò duas habet. Arx quoq; natura & oportunitate loci rupe petrosa undiq; cincta, quam unà cum ciuitate Smotricz fluuius prælabitur, fossaq; profundissima naturali cingitur. Arx ipsa muro propugnaculisq; munita. Ciuitatẽ uerò rupes altissima, saxosa, accessuq; ardua inexpugnabilem facit, quam ita suo ambitu includit, ut minimè ædituũ quamuis eminentiorum tecta appareãt. Sæpius ab ea Tartari Valachiq; & Turcæ cum ingenti strage & dedecore repulsi & fugati sunt. Guagninus in descriptione Poloniæ.

BELEIEZIORO, quasi dicas albus lacus, ducatus Russiæ, arcem habet natura loci munitissimam inexpugnabilemq; in qua princeps Moschouiæ thesaurum suum recõdere solet, illicq; tempore necessitatis hostibus urgentibus, uelut ad asylum quoddam confugit. Abest autem Beleiezioro à Moschouia centum miliaribus, à Nouogardia magna totidem Guagninus in descriptione Moschouiæ.

TVRRES EXCELSAE, magnificæ.

Terra Sennaar locus est Babylonis, in quo fuit campus Dura, & TVRRIS, quam usq; ad cœlũ hi, qui ab Oriente mouerant pedes suos, ædificare conati sunt. Vnde & à confusione linguarum locus nomẽ accepit Babylon, hoc est, confusio. Hieron. com. in Daniel. cap. 1. Turris ędificata post diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuũ, paulatim de lato in angustias coarctata, ut pondus imminens faciliùs à latioribus sustentaretur. Idem com. lib. 5. in Esaiam, c. 14.

Hierosolyma Iudæorum metropolis turres habuit admirabiles, PSEPHINAM, Hippicon, Phaselum & Mariammen. Iosephus lib. 9. cap. 6. belli Iud.

In Africa Hispaniaq; TVRRES Annibalis: in Asia uerò propter piraticos terrores, simile specularum præsidiũ excitatum: in quis prænunciatiuos ignes, sexta hora diei accensos, sæpe compertum est, tertia noctis à tergo ultimis uisos. Plin. lib. 2. cap. 71.

In Seueri rebus prodit Dion, ad BYZANTIVM turres se uidisse numero septem, ab portis Thracijs in mare uergẽtes. Eas si quis præter seriem impulisset, uox prorsum ædebatur nulla. Quòd si ad primam quis inclamasset, aut lapidẽ impegisset, exceptum illã sonum reddebat, ac mox sequens, & deinceps, donec ad extremam perferretur uox, sic uti perturbatio interstrepens sentiretur nulla omninò. Cælius libro 19. cap. 13. A. L. & Suidas.

PORTVS NOBILES.

Classis Græcorum contra Troianos ex uniuersa Græcia integro quinquẽnio instructa, AVLIDE cõuenit, portu Bœotiæ. Dictys Cretensis lib. 1.

Artemisia Cariæ regina in urbe Halicarnasso à Rhodijs obsessa, cùm HALICARNASSVS duos haberet portus, altero hostes ingredi & partem urbis capere permisit: altero autẽ portu per occultam fossam in eum egressa, quẽ hostes ceperant, ubi classem, nihil tale uerentes, inanem reliquerant, ut omnes commodiùs in urbe prædari possent; ipsa totam cepit, atq; palãtes Rhodios prædaq; impeditos omnes occidit. Tum Rhodia classe militibus suis instructa, Rhodum nauigauit, nulloq; obstante, cùm classem suam redire arbitrarentur, in terram egressa, facilè Rhodum cepit atq; diripuit. Fulgosus lib. 7. cap. 4.

Aiunt portum esse quendã TORONÆ Thraciæ ciuitatis, qui longis & angustis duobus excursibus porrigitur in mare, ita ut in ipso portus secessu nullus fluctuum fragor audiatur. Vnde prouerbium in eos qui non audiunt. Quanquam alij Toronem ponunt in Macedonia. Stephanus meminit etiam sinus cognomento Toronæi, à quo prouerbium ductum uideri possit. Nisi quòd mare surdum uocatur, aut litus surdum, magno fragore resonans, ut ob strepitum uiridarum præterea nihil exaudire liceat. Erasmus in Adagijs.

Αἴγιμα, locus in PIRAEO portu Atheniensium, in quo frequentes conueniebant ciues & hospites, quò & rerum uenalium specimina portabantur, ab ostendendo dictus. Attici enim moris est, ab ijs rebus ipsa loca dici, quæ in eis geruntur. Suidas.

LVNÆ urbis in Hetruria maximus & pulcerrimus portus est, multos intra se portus amplectens magnæ profunditatis uniuersos, usqueadeò ut omnium qui maris teneant imperium, facilè fierẽt receptaculũ. Celsis montibus portus ipse circumcluditur, qui prospectum longè pelagi prębeant. Nã & Sardiniæ, & magna litoris utriusq; pars cernitur. Tanta uerò candidi & uarij lapidis lucidissimi ac talis effossio est, ut unico integræ saxo tabulæ, atq; columnæ præbeantur. Strabo lib. 5.

Portus Gothorum HANGOE tam lætus ac securus est, ut in toto Septentrionali mari, & forsitan amplo Oceano parem nõn habeat, qui eidem ualeat comparari. Omnes enim undecunq; nauigantes liberè recipit in suum sinum, securęq; introrsum tam à tempestatibus quàm hostili classe, sua naturali munitione protegit, & conseruat. In modum amplissimæ arcis in medijs mõtibus ac uallibus amœnè situs est: habętque in cautibus uetustissima heroum Gothorum ac Suconum insignia, literato ordine, sed antiqua simplicitate insculpta, maximè ad ostendendum posteris, ibi olim classem pro regnorum defensione contra quoscunq; hostiles insultus cõtinua expeditione stationem tenuisse, atq; inde ad aperta arma, quoties opus fuerat, prodijsse. Olaus Magnus lib. 2. cap. 25.

LIBRI

LIBRI SECVNDI

TITVLI.

- **Loci** *Forma, quatenus locus, est ut locet. Quæ ipsa Locatio dupliciter perpendi potest: respectu*
  - Contẽti, *siue Eorum quos locat: rationeha bita*
    - Naturæ. *Sic locãtur uel*
      - Ipsimet *Homines.* LOCA HOMINVM *uaria: quatenus illum locant, ut*
        - Exercet *sese*
          - Animo. *Cuiusmodi sunt*
            - Tẽpla *illustria, clara*
              - Structura, *Elegãtia.* Antiquitate.
              - Sanctitate, *Cultu, Veneratione.*
              - Miraculis.
            - Scholæ.
            - Buleuteria. *ad Forum*
              - Iudiciorum.
              - Promercalium.
            - Theatra. Speculæ. Leschæ.
            - Mechanica *tractantium*
              - Officinæ: *ut*
                - Tonstrinæ.
                - Fulloniæ.
              - Vrbes.
          - Corpore. *Huc*
            - Lupanaria.
            - Gymnasia.
            - Pontes. Viæ.
        - Habitat. *Habitationes, Domus*
          - Quorum. *Puta*
            - Regum, *Regiæ.*
            - Mulierum, *Gynæcea.*
            - Pauperum. Mortuorum.
          - Quales. *Vt*
            - Basilicæ.
            - Porticus.
        - Excolit *corpus.*
        - Retinetur. *Custodiæ, Carceres.*
        - Punitur. *Suppliciorum loca.*
        - Moritur.
      - Alia *quædam in usum hominum. Vide signum A a.*
    - Excellentiæ. *Quæ quouis in loco excellunt.*
  - Modi. *Quo locat, & locata ueluti cogit.* LOCA *Formaliter considerata respectu Modi quo locãt. Sic igitur Loca, præter id quòd locant, simul etiam uidentur rebus locatis aliquid communicare quo ad Animũ, Corpus, Fortunas. Spectatur proinde in Loco*
    - Temperies. *Loca*
      - Temperata.
      - Intemperata *in*
        - Genere.
        - Specie. *Ob*
          - Calorem.
          - Frigus.
          - Humorem.
    - Cultus. *Regio, Loca*
      - Culta.
      - Inculta.
    - Situs. *Loca*
      - Vltima.
      - Infernalia.
    - Fertilitas. *Loca*
      - Fertilia
        - Hominibus. *Populosa.*
        - Aquis. *Irrigua.*
        - Fructibus, *Frugibus quibuscunque.*
      - Sterilia.
    - Iucunditas *in*
      - Genere. *Loca Voluptuosa.*
      - Specie, *ratione*
        - Visus. *Loca*
          - Amœna.
          - Inamœna.
        - Auditus. *Loca*
          - Quieta, *Tacita.*
          - Strepentia, *Confragosa.*
        - Olfactus. *Loca*
          - Odorata, *Fragrantia.*
          - Fœtida.
        - Gustus. Tactus: *quo ad Temperiem, uel Intemperiem.*
    - Securitas. *Loca*
      - Secura *à*
        - Terræmotu.
        - Vi *externa. Loca tuta ob*
          - Munitionẽ. *Loca munita, arte uel natura.*
          - Religionem. *Asyla.*
      - Infesta *ab*
        - Igne. Vento. Naufragiis.
        - Dæmonibus. Hostibus.
        - Belluarum *incursu.* Serpentibus.
    - Salubritas. *Loca*
      - Salubria.
      - Insalubria.
    - Magnificentia.
    - Felicitas. *Loca*
      - Felicia.
      - Infelicia.

A a. Sic

- **A a. Sic LOCATA *uaria dantur: easq; uel***
  - Naturalia *ut*
    - Ignis.
    - Aer *consideratus*
      - Per *se.*
      - Respectu *fructus.*
    - Aqua *uel*
      - Salubris. Insalubris.
      - Potabilis. Medicata.
    - Lapides, *Marmora.* Lapides *preciosi, Gemmæ.*
    - Metalla, *in*
      - Genere.
      - Specie. *Loca*
        - Auri.
        - Aeris. *Aerifodinæ*
          - Fertiles.
          - Defectæ.
        - Ferri.
        - Argenti. *Argentifodinæ*
          - Fertiles.
          - Defectæ.
        - Stanni. Plumbi.
    - Vegetantia *considerata respectu*
      - Stirpis. *Loca ubi nascuntur*
        - Arbores, *quo ad*
          - Vsum
            - Potus. Ignis.
            - Fabricæ.
          - Speciem. *Vt*
            - Olea. Vitis. Ficus. Cedrus. Palma. Citrus.
            - Cupressus. Persea. Laurus. Platanus.
            - Quercus. Populus. Pinus. Terebinthus.
            - Styrax. Malua. Salix.
          - Durationem. *Vetustæ arbores.*
        - Plãtæ, *quo ad*
          - Vsum
            - Medicum. Veneficum.
            - Magicum. Pastoralem, *Pabuli.*
            - Coronarium.
          - Speciẽ. *Vbi*
            - Lactuca. Allium. Porrum. Raphani. Rapæ.
            - Melones, *Cucurbitæ, Cucumeres.* Bulbi. Tubera.
            - Linum. Rosa. Lilium. Crocus. Cytisus. Medica.
            - Silphium. Thymus. Ruta. Myricæ.
            - Arundines. Iunci.
      - Fructus. *Cuiusmodi sunt*
        - Flores. Oleum.
        - Vinum, *consideratum quo ad*
          - Vsum
            - Potulentum.
            - Medicatum.
          - Quantitatem. *Vbi uini*
            - Copia.
            - Inopia.
        - Acetum.
        - Mel. *ratione habita*
          - A quibus *conficitur.*
          - E quo. *Ex*
            - Rore.
            - Floribus.
            - Cannis.
          - Quale. *Vbi mel*
            - Salubre.
            - Venenatum.
        - Cera. Cerealia. *Frumentum.* Legumina. Ficus. Palmulæ, *Dactyli.* Poma. Nuces. Aromata. Gummi, *Lacrymæ.*
        - Pabulum
          - Copiosum.
          - Medicatum.
        - Lignorum
          - Copia.
          - Inopia.
      - Mineralia. *v.g.*
        - Sulphur. Asphaltum. Bitumen. Pix. Naphtha.
        - Alumen. *Venæ aluminis*
          - Fertiles.
          - Defectæ.
        - Sal. Nitrum. Sandaracha.
        - Minium. Carbones. Thus, Myrrha. Vitrum.
      - Animalia. *Vide signum B b.*
  - Artificialia. *Loca ubi reponuntur, conseruantur*
    - Thesauri: *Aeraria, Fiscus, Gazophylacia.*
    - Monumenta *publica: Archiua.*
    - Lintea. Mechanica *uaria.* Naues: *Naualia.* Armamentaria.

B b. Ani.



Volu-

Voluminis Vigeſimitertij Liber II.

De Locis Formaliter conſideratis.

LOCA CONSIDERATA FORMALITER, QVATENVS LOCANT HOMINEM

EXERCENTEM SESE VEL ANIMO. HVC Templa Illuſtria.

Templorum extructio, reſpectu Sumtus ad Magnificentiam, reſpectu uerò Pietatis & cultus, ad Iuſtitiam pertinet religioſam. Ipſe Locus huius eſt loci. Conſule Alex. ab Alex. lib. 6. capite 2.

Structura, Elegantia.

Templi HELIOPOLITANI deſcriptionem habet Strabo libro 17.

In urbe BVBASTI Aegyptiorum templum eſt Bubaſtis, hoc eſt Dianæ, omniũ maximè memorabile. Quo etſi alia ſunt tum grandiora, tum ſumtuoſiora, nullum tamen aſpectu iucundius. Id ita ſe habet. Cætera præter acceſſum inſula eſt: cuius ad ingreſſum uſque duo è Nilo fluenta uicina currunt, nec confluunt, hinc atq; illinc præterfluentia, centum utrinq; pedum latitudinis, arboribus inumbrata. Eius ueſtibulum decem paſſibus ſublime eſt, figura ſenũm cubitorum adornatum. In media urbe ſitum, undiq; circumeuntium oculis ſubiicitur. Nam cùm urbs ſit aggeſtu terræ ſublimis, templum quemadmodum à principio conditum, nec loco motum, pro ſpeculo eſt. Illud macerie figuriſ exculpta ambit. Interius delubrum, ingenti proceriſſimis arboribus manu conſitis luco ambiente, in quo delubro ſtatua eſt. Lõgitudo templi quoquò uerſus unius eſt ſtadij. Ab eius ingreſſu uia per forum orientem uerſus, quæ fert ad Mercurij templum, tria circiter ſtadia longitudinis, & quatuor iugerum latitudinis, ſtrata lapide eſt, utrinq; arboribus manu conſitis in cœlum euntibus Herod. lib. 2.

In Aegypto ciuitas eſt fluuiatilis, nomine TINDIVM, ubi deorum fit concilium, atq; in media ipſa ciuitate templum purum ac magnificum ex lapidibus conſpiciur: tum etiam extra templum ipſum ueſtibula ſunt lapidea, ſpinæque candidæ ac nigræ naſcuntur, quarum in ſuperiorem ſpinæ partem, coronæ ex mali punicæ uitiſq; flore cõpoſitæ proiiciuntur: atq; hæ ſemper florent. Narratur fabula quædam ab Aegyptiis, quòd cùm Aethiopes in Troiam proficiſcerẽtur ſub imperio Tithoni, ubi mortuum eſſe Memnonem audiuerunt, in eodem loco coronas abiecerunt in ſpinas. Sunt autem ramuli, ex quibus flos emittitur, coronis perſimiles. Athen. lib. 15. cap. 10.

BABYLON Aſſyriæ metropolis, medio ſecatur Euphrate. In utriuſq; ciuitatis plagæ medio murus erectus: quorum hic regiam comprehendit ambitu prægrandi atq; ualido: in altero Iouis Beli templum, æreis portis, duorum undecunq; ſtadiorum amplitudine, figura quadrata. In templi medio turris ſolida, craſſitudine ſimul & altitudine ſtadij: cui alia rurſus ſuper impoſita turris, & huic ſubinde alia, ad octauam uſque. His forinſecus ſcalæ ſunt in circuitu adhibitæ, per quas ad ſingulas conſcenditur turres. In mediis gradibus ductus, ſellæq; in hoc factæ: in quibus aſcenſuros liceat ſedere ac conquieſcere. In poſtrema turri ſacellum eſt aliud magnum: magnus quoq; lectus, & ſplendidè ſtratus, & appoſita menſa aurea. Statua tamen in hoc ſacello nulla eſt: neq; hîc noctu cubat hominum aliquis, præter mulierẽ unam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, ut narrant Chaldæi ſacerdotes. Herod. lib. 1.

IONIA templa habuit olim plurima, & qualia non facilè alibi. Præſtabat magnitudine & opulentia Dianæ Epheſiæ. Proxima duo non perfecta illa quidam Apollinis, alterum in Mileſiorum finibus Branchidæ, Colophone alterum Clarij. Duo Perſarum furor exuſſit: Sami Iunonis, ad Phocæan Mineruæ, tuinæ cum admiratione ſpectantur. Erythris præterea Herculis, & Priene Minerue delubra celebrantur. Hoc propter deæ ſignũ, illud ob uetuſtatẽ. Pauſan. in Achaicis.

EPHESI Dianæ templum omnia hominum opera magnitudine ſuperauit. Pauſanias in Meſſenicis. Eius templi magnificentiam perſequitur Plinius libro 36. capite 5. & 14. item libro 7. capite 37. ac libro 16. cap. 40. Vitruuius libro 10. cap. 6. & Strabo libro 14.

BRANCHIDARVM templum à Mileſiis conſtructum ea fuit amplitudine, ut remanſerit ſine tecto. Vide Titulum, Loca oraculorum.

MAGNESIÆ Dianæ Leucophryenæ fanum fuit, quod & ædis magnitudine & multitudine rerum dedicatarum ab Epheſio ſuperabatur: artificio uerò & ſtructuræ concinnitate circa ædem longè præſtabat. Magnitudine omnia Aſiæ fana excellebat, præter Epheſium & Didymenum. Strabo libro 14.

CYZICI delubrum fuit, in quo filum aureum commiſſuris omnibus politi lapidis ſubiecit artifex, eburneum Iouem dicaturus intus, coronante eum marmoreo Apolline. Tralucent ergo iuncturæ tenuiſſimis capillamentis, lenique aſſlatu ſimulacra refouente, præter ingenium artificis ipſa materia quamuis occulta in precio operis intelligitur. Plinius lib 36. cap. 15.

SAMI templũ eſt in tota Græcia ampliſſimum, cuius architectus primus fuit Rhæcus Philæi F. Samius. Herod. lib. 3.

Mineruæ Aleæ templũ TEGEÆ in Arcadia cùm loci ſpacio, tum ornatu reliquo, omnia Peloponneſi templa ſuperauit. Pauſanias in Arcadicis.

In ELIDE ædes eſt Mineruæ, in qua frater Phidiæ Pannæus tectorium induxit lacte & croco ſubactũ, ut ferunt: ideoq; ſi teratur in ea hodieq; ſaliua pollice, odorem croci ſaporemq; reddere traditur. Plin. lib. 36. cap. 23.

In COTYLIO Arcadiæ monte Apollinis Epicurij, id eſt, Auxiliaris (quia peſtilentiam abegerat) ædes, lapideo lacunari omnium, quæ in Peloponneſo ſunt, excepto eo uno templo, quod Tegeæ eſt, cùm lapidis pulcritudine, tum uerò ſtructuræ concinnitate, longè præſtantiſſima. Pauſanias in Arcadicis.

S. PETRI in Vaticano templum Romæ à Conſtantino ædificatum, ad quod aſcẽditur per gr. XXXV, quos collapſos Pius II. Pp. reſtituit. Portas habet æneas, unam antiquam, alteram recentem cum uariis hiſtoriis, opus artificis Veneti, qui metas, obeliſcos, moles, porticus, arma Romanorũ uetera in iis expreſſit: & Eugenius IIII. Orientalium populorum, qui ad ſe legatos miſerant, facies, ueſtitus, & numerum curauit effingenda. Columnæ Aegyptiacæ per totum templum X. ſed non uno in loco, quæ ſunt cum aliis è mole Hadriani eò translatæ. Sunt autem ordines duo, in ſingulis prioribus decem, cæteris maiores, in poſterioribus uerò undecim. Aedificari cœptum eſt aliud, omnium, quæ habitura eſſet Roma, altiſſimum & maximum, cuius fundamenta iecit Iulius II. Georgius Fabricius in Romanis Antiquitatibus.

S. PAVLI in uia Oſtienſi omnium templorum maximum, extructum ab Imp. Conſtantino: in prædio nobilis matronæ Lucinæ, longum cub. CCXL. lat. CXX. Habet ingentium

columnarum ordines quatuor, in uno quouis XX. Vnus ordo ab altero distat ped. XXXIIII. colàmna una ab altera ped. XIS. In pauimento tantum fragmentorum ex antiquis epitaphiis, quantum in alio nullo templo Romano. Sunt & aliæ columnæ circa altare XIIII. porphyreticæ, & sex alterius lapidis. Habet in uniuersum CXIIII columnas. Georg. Fab. in Rom.

S. MARIA Rotunda, olim Iouis Vltoris, omnium tota urbe pulcerrimum & magnificentissimum ex antiquis relictum. Habet porticum ingentem, ualuas & trabes æneas: altare summum ianuæ respondet: omnia intus marmorea sunt, pauimentũ, altaria, statuæ. Tectum est circulare. Testudo, per quam ad tectum, quod est plumbeum, ascenditur, gradus habet CXX. & antequam ad eam peruenia tur testudinẽ, sunt alij gr. XXX. Ad foramẽ tecti, quòd lucem tẽplo præbet, per plũbeos gradus XL. duobus in locis ascensus est in ipso tecto, deq; eo tota Roma est cõspicua. Fabricius.

Sacrauit Pantheon Bonifacius III. MARIÆ Deiparæ uirgini Romæ, opus cùm sua mole. tum quòd una sit testudinẽ cõplexum, inter pauca memorabile. Sab. lib. 10. cap. 14.

Statuerunt Mediolanenses diuo AMBROSIO magnificum: sed omnium opulentissimum Veneti diuo MARCO, quo nullum est hodie in terris opulentiore, magisq; uisendo apparatu. Sab. lib. 10. cap. 14.

In Septẽtrionali metropoli NIDROSIA, extat etiãnũ hodie ecclesia cathedralis, argumentum ueteris felicitatis: cui magnitudine & laborati lapidis artificio, par opus non est in orbe Christiano. Crepido circum altare corrupta incendio VII M. aureorum uix reparari potuit. Atq; à tantula parte æstimatio præstãtiæ ſtat templi totius. Zieglerus in Scõdia.

Templum ARGENTINENSE magnificum, anno Salutis 1015. ædificari cœptum. Turris uerò anno 1277. ab Ebroino Steinbacense fundamenta iacta. Anno 1305. Ioannes Hiltzius Colonienſis turris educendæ prouinciam suscepit. In medio opere concidit. Tandem Sueuus quidam materiam iam paratam composuit, sic ut imperfecta licèt DLXXIV pedes altitudine excedat. Stumpfius.

Antiquitate.

Apud THEBAS Aegyptias olim ex quatuor templis pulcritudine magnitudineq; admirabili constructis, unum fuit antiquissimum, cuius circuitus stadiis XIII patebat, altitudo cubitis quinq; & quadraginta: muri latitudo erat pedum quatuor & uiginti. Respondisse huius templi magnificentiæ aiunt ornamentorum cultum, magna impensa & miranda opere constructum. Ea structura usq; ad posteriora permansit tempora. Aurũ uerò & argentum, ebur, & lapidum sumtus atq; ornatus, à Persis ablata, quo tempore Cambyses Aegyptiorum templa combussit. Diod. lib. 1. cap. 4.

Templa GRÆCIÆ uetustissima habentur, Pythij Apollinis apud Samios, Mineruę apud Phocaẽses in Ionia, quod Hat pagus olim Medus exussit: antiquissimum uerò omnium Theatij Apollinis apud Troezenios, quod Pittheus maternus auus Thesei ædificauit & exornauit. Paus. in Corinth.

Memorabile fuit VTICÆ templum Apollinis, ubi Numidica rum cedrorum trabes durant, ita ut positæ fuere prima urbis eius origine, annis mille centum octogintaocto. Et in Hispania SAGVNTI aiunt templum Dianæ à Zacyntho aduectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Troiæ, ut auctor est Bochus, infraq; oppidum ipsum id haberi. Cui pepercit religione inductus Annibal: iuniperi tra bibus etiam nunc durantibus. Super omnia memoratur ædes in AVLIDE eiusdem deæ, seculis aliquot ante Troianum bellum exædificata: quónam genere materiæ scientia obliterata. Plin. lib. 16. cap. 40.

Romæ non reperio aliud antiquius templum ædificatum, aut dicatum, uel ad usum sacrorum fuisse conuersum, quàm thermas Nouati in uico Patritio, quas Pius Pontifex Praxedis eximiæ sanctitatis feminæ rogatu, diuæ PVDENTIANÆ eius sorori consecrauit, qui fuit annus circiter CL ab eo qui humanæ Salutis fuit primus. Hyginius tamen, qui Pium pręcesserat, auctor fuit, ut templa sacris dedicarentur cæremoniis, quòd fidem facit, iam antea loca aliqua Deo dicata fuisse: sed ubi loci id factum fuerit, parum liquidò traditur. Nec ita multo pòst Callistus iam sese tyrannorum odio sensim remittente, ædem in Transtiberina regione beatæ Virgini struxit, cœmeteriumq; ex suo nomine condidit uia Appia, ubi multorum martyrum repositi erant cineres. Polyd. lib. 5. cap. 6. de Rerum inuent.

Sanctitate, Cultu, Veneratione.

In Ponto fanum est Mensa Pharnacis dictum, AMERIA scilicet uicus, in urbis modum, multos sacros seruos habens, & regionem sacram, cuius fructum sacerdos percipit. Hoc fanum adeò reges uenerati sunt, ut quod ipsi regium iusiurandum uocant, id regis fortunam & Phárnacis mensam dixerint. Est autem hoc Lunæ fanum, quemadmodum id, quod apud Albanos est, & ea quæ sunt in Phrygia. Strabo libro 12.

Supra Tuneta itinere trium dierum urbs est CARVENNA, per antiqui templi [redacted] ibera & immunis, in qua functi fato Maurorum & Numidarum proceres, uel è longissimo terrarum tractu tumulantur. Quoniam persuasum habent, eorum animas, quorum ossa [redacted] o in loco sita sint, uti purius expiatas, ad impetrandam cœlestis uitæ felicitatem, illorum sacerdotum accuratiore cæremonia superis efficacissimè commendari. Iouius libro 33. Hist.

Apud ARGIVOS nobilissimum templum fuit Apollinis Lycij, dedicatione Danai. Cuius occasionem pete ex Tit. Certamina bonorum fortunæ. Item & AESCVLAPII. Pausanias in Corinthiacis.

Veneris templum adeò locupletatum fuit CORINTHI, ut supra mille prostitutas puellas caperet, quas Veneri uiri mulieresque addixerant. Propter has frequens in urbem multitudo conueniebat, unde ciuitas mirum in modum dãtabatur. Strabo libro 8.

Miratur hodie Byzãtium augustissimum SOPHIÆ templũ, quo nullum fuit olim in terris sanctius: quia Christo sit sacrum, qui uera est Patris æterni sapientia. Sab. l. 10. ca. 14.

Habet & Roma, sanctior Byzantio, quod in hoc genere miretur, PETRI Barionæ basilicam in Vaticano, & Hostiensi uia, alteram Tarsensi PAVLO sacram, utramq; immani amplitudine & apparatu uisendo. Religio utrobiq; ingens, sed Vaticanæ ob pontificiam domum maior celebritas. Ibidẽ.

Obtigit & IOANNI Zachariæ filio augustum & opulentum phanum Lateranense, religione, cæremonia & donariis nobile: tum quia Pontificis sit maximi sedes, longè nobilissimum. Sab. lib. 10. cap. 14.

Garganus quidam ciuis Sipontinus, cuius prægrande armentum in monte Vrio Apuliæ, qui hodie Garganus & S. Angeli dicuntur, pascebatur, quo tempore Gothorum armis Italia uexata est, armentalem taurum, qui à grege aberrarat, quæritans, inuentum tandem ad speluncam natiuam, in uiuo cauatã saxo, ira percitus sagitta petiit. Ea ubi tergũ tauri attigit, retro flexa euestigiò in Garganum uersa est. Ea re in religionẽ uersa, Garganus Laurentio sacerdoti rẽ aperuit. Is indicto trium dierũ ieiunio noctu MICHAELEM archangelum in somnis uidit, affirmantẽ sua opera taurũ indicem basilicæ extitisse, quã inhabitari uellet, & ab hominibus celebrari. Iam uerò cùm Sipontini Neapolitanos urbem obsidentes, oraculo Archangeli per Laurentium habito, stata hora erumpentes fudissent, fides spectro habita, & spelunca tãquã Archangeli excauata manib. religiosè colĩ cœpta, neq; Gelasij põtificis max. dedicatio, quã parabat, ab Archangelo approbata, quòd locus cœlitùs cõsecratus humana non egeret dedicatione. Sic igitur specus cõsecrata, cum templo augustissimo, quod plurimi mortales quotannis accedere solent. Est aũt natiua specus durissimo è saxo, in quã multis gradibus, cæterùm non lato admodum aditu descenditur, specularibus quibusdam lumen præbentibus. Vestit eam parte superiore, qua natiua ipsa quidẽ ac perimosa testudo est, è quercu uasta proceritate lucus, muris tamen circundatus, pecori ne qua pateat ingressus. Antè uerò quã descendere in antrum incipias, ædificia extant manu facta elaborato è lapide. Vbi uerò antrum in imum descenderis, quã specus diffunditur, mira animum religio subit, loco ipso subobscuro & horrido, solaq; natura constituto. Admonent religionis tabellæ, uotaq; passim suspensa, titulos indicantia. Vbi uerò aræ admotus, ad numinis procumbes statuam, loco solo, & ab hominum accessu semoto, repentè inhorrescit tacito metu animus, atq; in diuinarum tantùm rerum cogitationẽ uersus, in preces & supplicia effunditur. Augent ueneationem aliæ item aræ, nullo sumtu, nullo artificio factæ, quibus natura ipsa uidetur locum statuisse. Pont. lib. 2. belli Neapolitani.

Miraculis.

Vt in primo Ezrę libro cap. 4. legitur, expleto templi HIEROSOLYMITANI secundi opere, sub Zorobabele & Nehemia, plurimi sacerdotum atque aliorum, qui primum templum uiderant, cæteris exultantibus lacrymabantur, quòd templum illud secundum respectu primi nihil penè esset. Vasa quoque ferè omnia quæ in primo templo aurea fuerant, in secundo facta sunt ænea, ut Talmudistæ referunt. Herodis opificium, etsi ingens fuit, tamen Herodes neq; diuitiis, neque potestate, neque ulla in re cum Salomone conferri potuit. Talmudistæ dicunt, sanctitatis primi templi indicia, in secundo defuisse. Neque enim ignis qui in primo templo de cœlo descendens, holocausta comburebat, in secundo unquã descendere nisus est. Nec gloria Dei, quæ in primo templo in Sancta sanctorum inter Cherubim apparere solebat, in secundo unquam apparuit. Nec spiritus sanctus, qui

ctus, qui in primo templo ad loquendum cum prophetis sæpissimè ueniebat, in secundo uenire solitus fuit. Quæ omnia per Talmud optimè probantur. Nam in libro Sanhedrin Hierosolymitano in cap. Ellu hen haggolin, ait Rabbi Samuel: Quinq; res defuerunt in ultimo templo, quæ in primo fuerunt. Ex eo quod dictum est Haggæi primo capite, Ascendite in montem, & afferte lignum, & ædificate domum, & contentabor in ea, & honorabor, dixit Deus. Veeccabda, id est, & honorabor, uel honorabo, scilicet eam, diminutè scriptum est, sine litera he finali, quæ quinq; designat, ad significandum quinq; res, in quibus sanctuarium ultimum fuit à primo diminutum. Videlicet Ignem, Arcam, Vrim uethumim, id est lumina & simplicitates, hoc est, Rationale iudicij: Oleum unctionis, & Spiritum sanctũ. Glossa autem Rabbi Salomonis super uerbo Veeccabda, id est, & honorabo eam, sic dicit: Deest hic litera he, quæ quinq; significat, ob quinq; res quæ in secundo templo defuerunt, & in primo fuerant: uidelicet Vrim uethumim, id est, lumina & simplicitates, hoc est rationale iudicij, & arca, & ignis, & diuinitas, & spiritus. P. Galatinus libro 4. contra Iudæos.

In libro de Fabulosis locorũ rebus est, cùm HALICARNASSI sacrificium quoddam Ioui Ascræo peragitur, gregem caprarum ad fanum adductum cõsistere, uotisq; absolutis, unam earum, nemine ducente, progressam ad aram accedere, qua sacerdos arrepta litet. Apollonius de Hist. mirab.

In Bœotia CERERIS Mycalessiæ templum occludi singulis noctibus & aperiri ab Hercule putant. Præterea ad simulacri pedes poma omnia, quæ fert autumnus, exponunt. Ea quã recentissima totum annũ perdurant. Pausan. in Bœot.

Inter Tralles atq; Nyssam uicus est NYSSÆNSIVM, non procul ab urbe, nomine Acharaca, ubi Plutoniũ est, luco sumtuoso circundatum. Item Plutonis ac Iunonis delubrum, & antrum Charonium natura admirabile, quod luco imminet. Tradunt ægrotos, qui horum deorum curis uacant, eò proficisci, atq; in uico specui uicino, apud sacrorum peritos immorari: qui pro eis indormientes, curas ex insomniis captant. Hi deorum remedia inuocantes, sæpè illos in antrum ducunt: ubi tanquam in cauerna manentes, multos dies & ieiuni & quieti exudant: nonnunquam ægrotantes, propriis insomniis intendunt, ductu & consilio sacerdotum. Strabo lib. 14.

EPIDAVRVS Peloponnesi ciuitas, Aesculapij claritate nobilitata, quem uaria morborũ genera curasse, somniati sunt homines. Erat uerò templum ęgrotantium multitudine usquequaq; refertum, pendentibusq; tabellis, in quibus sanati languores erant inscripti. Quemadmodum & in Coa fiebat insula pariter & Trica. Sita urbs est in ipso Saronici sinus recessu intimo. Strabo lib. 8.

CANOPVS centum ac uiginti stadiis distat ab Alexandria, dicta de nomine Canopi, qui Menelai classem gubernabat, & ibi mortuus est. In ea est Serapidis templum, & cultu & religione excellens, ut etiam doctissimi uiri credant, & pro se uel pro aliis insomnia ibi captent. Sunt qui curas conseribant, quidam uerò uirtutes eorum, quæ ibi respondentur. Strabo libro 17.

Celebre fanum habet Veneris PAPHOS, in cuius quandam aream non impluit. Item in Nea oppido Troadis circa simulacrum Mineruæ. In eodem & relicta sacrificia non putrescunt. Plin. lib. 2. cap. 96.

Scripsit Lucianus in Icaromenippo celeberrimum templum Aesculapij fuisse PERGAMI, sicut Apollinis in Delphis. Strabo lib. 8. fanum Aesculapij insigne scribit TETRAPOLI, quæ ciuitas ab Ionibus & Caribus habitabatur. Erat id templum multitudine ægrotantium & uariis morbis laborantium plenum, & parietes pictis tabellis ubique tecti, in quibus scripti erant morbi & nomina eorum, qui ab illo deo sanati essent. Natalis Comes Mythol. lib. 4. cap. 11.

In DAVLIA esse memorant Iliados Mineruæ templum, in quo alantur canes, quibus insitum planè sit, perinde ac ratione quadam, aduentantibus subblandiri Græcis, Barbaros autem, ubi se ostentarint, latratu insectari. Cæl. lib. 23. cap. 30. Antiquarum Lectionum.

Extra CROTONEM olim Iunonis Laciniæ templum fuit, multa religione sacrum. Lucus proceris abietibus septus. Læta in medio pascua, ubi omnis generis pecus deæ sacrũ sine custode pascebatur, gregibus sub noctẽ ad stabula spõte remeantibus, nulli hominum ferarúmue iniuriæ obnoxiis. Solida ex auro columna ex illorum prouentu facta dedicataque deæ est, templum diuitiis & religione inclytum. Miraculum loco affingitur ex ara, quæ ibi sub dio fuit, nunquam cinerem uentorum impulsu dissipatum. Sabellicus libro 3. Enneadis 5.

Templum Diomedis esse aiunt in insula DIOMEDEA, non longè à monte Gargano, qui est in Apulia, & hoc templum circumuolare atq; incolere alites aues Diomedeas, tam mirabili obsequio, ut rostrum aqua impleant & aspergant: & eò si Græci uenerint, uel Græcorum stirpe progeniti, non solùm quietas esse, uerùm & superaduolare: si autem alienigenas uiderint, subuolare, & capita eorum tam grauibus ictibus, ut etiam perimant, uulnerare. nam duris & grandibus rostris satis ad hæc prælia perhibentur armatæ. August. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 16. Seruius 2. Georg. ait. socios Diomedis duce suo sublato impatientia doloris in aues mutatos esse, & memores originis suę, Græcis nauibus lætas occurrere, barbaris infestas, quòd ab Illyriis Diomedes sit interemtus. Aristoteles tamen in Mirabilibus audit. ab Aenea occisum dicit. Has aues Seruius dicit à Græcis uocari ἐρωδιάς. sic putat Aelianus. Aues earumq; ingenium describit Plin. lib. 10. uocatiq; scribit à Iuba Cataractas, esseq; illis dentes & oculos igneo colore, cæterum corpus cãdidum: duas semper iis duces, alteram ducere agmen, alteram cogere: has tantùm uisi in insula nobili Diomedis tumulo atque delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum similes. Aduenas barbaros clamore infestant, Græcis tantùm adulãtur, miro discrimine, uelut generi Diomedis hoc tribuentes. Originem uerò fabulæ esse dicit, quòd illi ædem eius quotidie pleno gutture madẽtibus pẽnis perluũt atq; purificãt.

Romæ in Boario foro ædes HERCVLI rotunda præcipuæ admirationis, ad quam nec canes, nec muscas ingredi, opinio est, sicut Achillis ædem ante Borysthenem nulla ales ingrediebatur. Alex. lib. 2. cap. 14.

DAGOBERTVS Francorum rex, ceruum insequebatur. Hic iam cursu lassus in uicum Catuliacum profugit: in eo uico sacellum erat, ubi lapide instrata corpora Dionysij, Rustici, & Eleutherij martyrum, per annos triginta supra quingentos religiosè condebantur. Eò se ceruus proripuit, solòque recumbens quieti sẽ mandauit: neque canibus aut uenatoribus in sacellum irrumpẽdi facultas fuit. Dagobertus ergo martyribus templum uouit, ædificauit, & solido argento texit, eoq; transferri corpora instituit, condito ad eum usum aureo feretro, additisq; ad decorem multis uariisque gemmis, annuis insuper prouentibus ad sacerdotum & ministrorum templi alimoniam designatis. Emporium itẽ annuum mense Iunio in campo non procul à basilica sanctorum instituit, translata ministris ecclesiæ ditione: id Lendit um uulgus, quasi Edictum appellat, propterea quòd ad eas nundinas mercatores suas undiq; merces edicto regio tanquam ad communem regni mercatum conferre deberent. Templum Christo dedicatum, leprosus quidam in eo pernoctans, lepro ablatæ & parieti affixæ argumento, fidẽ fecit. Guagninus lib. 3. cap. 2. & 3. & Cranz. lib. 1. Saxon. c. 32.

Apud oppidũ Hispanię OLIANAM, quòd est in ripa Sicoris, & distat ab Ilerda passuum millia circiter quadraginta, domus est Mariæ uirginis Castiluedrensis in alto loco posita, ad quam domum singulis annis Martio mense, diebus Veneris, ex insula fluminis tria lumina cærulei coloris ascendunt, & ecclesiam per fenestras ingressa, lampades accendunt, & subinde descendunt ad eundem locum unde uenerant, ibiq; ab inspicientium oculis euanescunt. Marineus libro 5. rerum Hispan.

Scholæ.

De his Volumine Academico. Hic Locum per se, illic certo uitæ generi dicatum spectamus.

Bulęuteria, Loca consultationum.

CYZICI buleuterion uocant ædificium amplum, sine ferreo clauo, ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur. Quod item Romæ in ponte sublicio religiosum est, posteaquam Coclite Horatio defendẽte ægrè reuulsus est. Plin. lib. 36. cap. 15.

Cœtus & belli consilia, in DELI insulæ templo, nonnunquã apud Olympia Græci olim habebant: deq; rebus maximis de concilij sententia decernebant.

Romæ ædes Vulcani extra mœnia à Romulo fuit ædificata, ut esset consessus ei & curia arcana cum regni consorte Tatio: quo coacti ibi cum senatoribus sine interpellatione de repub. quietè deliberarent. Plut. in Centur. Rom.

Forum. Idque uel

Iudiciale, Iudiciis destinatum.

Apud ATHENIENSES ea urbis regio, quæ Areopagus dicitur, inde nomen accepit, quòd eo in loco ab initio Mars capitis causam dixerit, cùm Neptuni F. Halirrhothium in stupro filiæ Alcippes deprehensum occidisset. Eodem uerò in loco Oresti de mattis cæde iudicium est constitutum. Extat adhuc Minetuæ Areæ (id est, deprecatricis) ara, quam Orestes iam absolutus, dicitur dedicasse. Scabella ibidem, quæ saxa esse uidentur, duo sunt argentea, quibus accusatores & rei insident: alterum Contumeliæ, Impudentiæ alterum uocant. Proximè dearum est ædes, quas Athenien-

ses Scueras, Hesiodus in eo quem de Gentilitate deorum fecit carmine, Etinnyes nominat. Earum serpentibus esse crinem implicitum, primus omnium finxit Aeschylus. Sunt etiam apud Athenienses alia iudicia, sed multo minus illustria. Eorum unum Parabystum, alterum Trigonum nominant. illud ab obscuro urbis loco, in quo leuissimæ prorsus causæ cognoscuntur: hoc à loci forma nomen sumsit. Batrachij uerò & Punicci, à coloribus, in hunc usque diem nomina permansere. Maximum uerò omnium, & quò frequentissimi conueniunt, Heliæam uocant. In eo foro, quod Palladium appellant, cædis causæ agitabantur, atque in eo quidem primum Demophontem causam dixisse, nemo ambigit: cuius uerò is criminis reus fuerit, non satis inter omnes conuenit. Diomedem quidem tradunt Ilio capto, cùm in patriam reucheretur, per noctem uiæ errore ad Phalerũ appulisse. Vbi cùm Argiui, qui cum eo erant, in agrum tanquam hostilem populabundi excurrerent, ut qui aliâ quàm Atticam terram inter tenebras crederent, Demophontem aiunt, & ipsum nescientem Argiuorum eam classem esse, ad propulsandas populatiões accurrisse. Vbi, cùm aliquot interfectis Palladio erepto domum abiret, ab eius equo Atheniensem hominem subuersum, elisumq; interiisse. Demophontem itaq; alij ab eius qui interfectus fuerat propinquis, alij uerò ab Argiuorum multitudine reum factum memorant. In Delphinio causam dicunt, qui se iure occidisse defendunt. Quo in loco Theseus, cùm Pallãta, ciusq; filios, res nouas molientes, interemisset, absolutus est. Ante Theseum enim, interfectorẽ necesse erat exilij causa solum uertere, aut talionis pœnam suscipere. In Prytaneo de ferro, aliisq; in animis iudicium fit, cuius rei hoc initium fuisse arbitror. Erechtheo Athenis regnante, bouem sacerdos, is qui Buphonus est appellatus, ad Polici Iouis aram mactauit, statimq; relicta bipenne è finibus excessit. Bipennis iudicio absoluta est. Et eum quidem ritum quotannis seruant. Dicuntur autẽ alia quoq; sensu carentia lege plecti. In Piræei maritima parte gurges quidam est: ubi qui in exilium abeunt, si quod nouum fuerit in eos crimen conflatum, è nauigiis, iudicibus in litore consistentibus, causam dicũt. Ac Teucrum aiunt primùm omnium eo se in loco Telamoni purgasse, cùm de Aiacis tæde culpa uacaret. Pausan. in Atticis.

SPARTÆ forum, Clarium uocatur, apud Iones: Panium, Argis gymnasium, quod Cyllarauium dixere: Athenis aliud quod Ptolemæum, & apud Samios & Alexandrinos duo fora, Larua nuncupari, in Thessalia. Liberum, in Pyræo Hippodromia, & Capuæ Albanum. Celebratur inter cætera Argiuum forum sepulcro Danai, qui insigni prudentia & astu præcedentes reges anteisse fertur: in quo lupus æreus cum tauro pugnans, fatum Pyrrho regi prædixere: & Magnetum sepulcro Themistoclis: sicut forum Antiochiæ, Germanici funere insigne fuit: & Megarensiũ, sepulcro Coræbi in quo mirum proditur, ut oleaster longo æuo suspensa diu arma intra corticem admiserit: mox incisa, ocreas & galeas peperit. Et Celænarum, ubi Marsyæ pellis detracta ab Apolline, appensa uidebatur. Mirumq; prodi de Ariciæ foro, ingenti chasmate in profundum hausto, magno & exitiali portento calamitatis futuræ. Tradunt Thaletem in loco Milesij agri uili & contemto sepeliri uoluisse, prædiuinans animo, in illo Milesiorum forum aliquando futurum. Apud PERSAS, teste Xenophonte lib. 1. Pædiæ, fora duplicia fuere: unum, quod Liberum uocant, in quo honoratij & præcipuę nobilitatis uiri principem locum tenebant, ubi regia erat: alterum, in quo mercenarij & negotiatores, aliaq; humilis turba diuertebant. Capuæ quoq; fora distincta fuere: alia plębeiorum, quum plebs à patribus dissentiret: alia nobilium. In quibus enim nobiles erant, ne essent in contubernio sordidissimorum, ad illa infimo ordini accedere non licebat. Alex. lib. 2. cap. 12.

Primum forum ROM. iuxta comitium fuit, in quo de iure cõtrouerso responderi solebat: ipsumq; Cato Censorius, ne populus litibus assuesceret, acutis lapidibus sternendum putauit: quem postea Marcellus Octauia Augusti sorore genitus, quò salubrius disceptantes operam forensi labori darent, uelis inumbrauit. Constat Iulium Cæsarem, cùm ius quotidie seuerissimè diceret, alterũ de manubiis unà cum æde Veneris genitricis magnifica impensa & profusis sumtibus construxisse, cuius aream supra sextertium millies, & immenso constitisse auctores tradunt: ipsumq; suo nomine imposito, Cæsaris appellasse, in quo iudicia etiam reddebãtur. Tertium diuus Augustus inter publica opera præcipuè forum cum æde Martis construxisse fertur, cum porticu duplici, ubi Apollo eboreus uidebatur: foriq; extruendi causam fuisse, hominum iudiciorumq; multitudinem, quæ uidebatur, (ut Tranquilli uerbis utar) non sufficientibus duobus foris, tertio indigere, quod Augusti nuncupatur. Idem.

Promercalium, Mercatorum.

Vtin Velabro olearij, prouerbiali similitudine circumfertur de iis, qui conspirarunt, remq; gerunt ex compositio. VELABRVM, auctore Varrone, locus erat Romæ, quo olearij distrahebant oleum. Mos est autem huic hominum generi, ut inter se de precio cõspirẽt, quo pluris uendant. Eras.

Forum ubi carnes uenduntur, MACELLVM Rom. uocant, uel à Marcello, uel à dictione græca μάγειρος, id est, coquus, litera c pro g (quam ferò Sp. Caruilius adiunxit) usurpãtes. Plut. in quæst. Rom.

GRANATÆ in Hispania, Forum, platea magna planaq; est ã Christianis post captam à Ferdinando rege urbem instructa, quam Biuaramblam Mauri uocant, & Arenariam signãficari dicunt: cuius forma est quadrangularis, sed ad mensæ similitudinem. Siquidem longitudo maior est quàm latitudo: est enim longitudo pedum quadringentorum, & latitudo ducentorum. In ea fons est excelsus & insignis: campus præterea totus in circuitu dealbatis ædibus crebrisque fenestris conspicuus. coniuncta est domus, quam Alcaceriam uocant, in qua tabernulæ sunt numero ferè duocentæ in quibus serici panni cæterarumque rerum merces quotidie uenduntur. Domus hæc, quæ parua ciuitas dici potest, calliculas habet multas, & decem portas, in quibus transuersis catenis ferreis propter uicorum angustias & ne gotiantium frequentiam ingressus equitantibus prohibetur. Eius præfectus noctu foribus clausis nocturnas habet excubias, & uigiles canes, & nomine Regis à singulis tabernis uectigal exigit. Marineus lib. 20. rerum Hisp.

Sub Dagoberto rege Francorum institutum est ius publicarum sub dio nundinarum inter Parisios & sancti Dionysij oppidum in Francia, quod peragitur in agris, in tota Francia celebre, quòd LENDITVM uulgus appellat, ab edicto (ut est uerisimile) detorto uocabulo. Cranz. l. 1. Saxon. c. 32.

Theatra.

Amphitheatrum est duplex theatrum, siue orbiculare: Theatrum semicirculare. In illo gladiatores & feræ exhibebantur: in hoc autem Comœdiæ & Tragœdiæ, cùm ex altera parte spectatores, ex altera scenæ essent histrionum. Theatrorum structuram & partes Scaliger lib. 1. Poeticæ cap. 21. enarrat. Consule locum Magnificentiæ in Theatris. De Theatris Romanis ut alii, sic quoq; Alexan. lib. 4. cap. 25.

Maiores nostri facere, quàm dicere præclarius semper existimarunt. Quare operum gestarumq; rerum exercitationes prælatæ generibus meditationum. Iccirco roboris atq; celeritatis cùm ederent spectacula, locum in quo ea fierent, Theatrum potiùs à spectando, quàm ἀνεφαστήριον ab audiendo nominarunt. Olim in diem ac locum indictum conuenientes, qui specimen firmitatis, aut dexteritatis, aut pernicitatis edituri essent, in medio datis nominibus profitebantur. Circumfusa turba cum iudicibus ad spectandum, mox alia item affluente, commodè spectare non poterant, quòd aliis alij obiectu corporum conspectum adimebãt. Iccirco aggestis cespitibus editiorem locum sibi puluillis auctis faciebant. Eam ob caussam medius locus depressior fuit, ac propterea Cauea dictus. Igitur per initia stantes spectabant. Postea subsellia sibi quisq; quum ferret, his etiam pro telo, dum pugnant de loco, rem agebant. M. Messala & Cassio Coss. id primùm uidetur creuisse. Mox P. Scipiõe Nasica Censore sublatus & apparatus & mos. S. C. cautum, ne cui in urbe propiùs uc mille passuum subsellia posuisse, sedentiue ludos spectare licitum esset. Primus omnium Thespis tãquam ambulatorium Theatrum commentus est: tectis enim uiculis in ædicularum modum, in iis fabulas egit, atq; agendas circumuexit. Postea est Athenis structũ è lapide, quum antea sublicium fuisset: quo tempore inter eos quoque pro loco ad manus uentum est. Quare lex lata scitaque, ut de publico ærario uiritim binos acciperent obolos, quibus locum sibi quisq; compararet. Scaliger libro 1. Poetices cap. 21.

In fano Aesculapij apud EPIDAVRIOS theatrum est omnium operis dignitate præstantissimum. Nam quæ apud Romanos uisuntur, antecellunt illa quidem tam ornamentis, quàm quod est Megalopoli apud Arcadas, magnitudine. De arte uerò, partiũ conuenientia, ac pulcritudine, quis Polycletum audeat in certamen prouocare? Polycletus enim ipse theatro ædificando præfuit, idemq; rotundam ædem fecit. Pausanias in Corinthiacis.

In AEGINA insula non longè ab occulto portu theatrum est, quod spectatur sanè dignum, magnitudine ac reliquo opere par ei quod est apud Epidaurios, unico consurgit latere, quo theatrum, quantum operis patitur conuenientia, fulcit. Pausanias in Corinthiacis.

Speculæ.

In Tarraconensi prouincia iuxta Barcinonem ad maris Balearici litus mons est, quem nonnulli, MONTEM Iouis esse opinantur; ego uerò Iudæorũ potiùs appellatõ, propterea quòd illic olim Iudæi sepeliebantur, quorum plures adhuc ex magno lapide tumuli signaq; cernuntur: cùm præsertim Barcinonenses hunc montem Moniui, & Iudæos Iuios appellauerint. In uertice aũt montis summo q; iugo turris est, unde speculator die linteo uelo, quasi uexillo, & noctu faci bus nauigiorum aduentum Barcinonæ ciuibus ostendit. Mons aũt consitus est uineis, & arboribus, & omni genere fructus abundantissimus. Marineus lib. j. rerum Hispan.

Leschæ.

Veteses ærarias officinas λέσχας dixerunt, ut indicauit Ioannes grammaticus, quòd hybernis frigoribus huc sese turba tenuium teporis gratia conferre consueuerit, ibiq; desidens otiosis fabulis tempus fallere. Hæc loca uelut ignauis apta Hesiodus æstate iubet uitare agricolam:

Πλὴν οἷ' ἐν χάλκειον θῶκον ἐν ὑπαλίῃ λέσχῃ,
ὅφρ' χειμαίνῃ. —— id est,
Mensibus hybernis ualeat ferraria sedes,
Ac nugæ tepidæ. —— Erasm. in Adag.

Mechanicis artibus destinata loca.

Vt sunt

Officinæ mechanicæ.

Ex Mechanicorum opificum locis huc quædam.

Vrbes mechanicis insignes.

SARDO, siue (ut Hesychius scribit) Sardon, insula ingens opposita Italiæ, in qua uariæ purpurarum tincturæ laudatissimæq; fiebant. Itidem & Tyrium muricem ostrumq; Sarranum, legimus apud Latinos. Hinc Tinctura Sardonica, de colore præcellenti dicebatur, præcipuè purpura. Erasmus in Adagiis.

Strabo putat PHASIANOS ab Aegyptiis oriundos, argumẽtum sumens ex usu lineorum, quorũ tanta sit uis apud Phasianos, ut hinc exportentur etiam in alias regiones. Idem.

CORPORIS EXERCITIORVM LOCA. HVC

Gymnasia.

Erat CYNOSARGES locus in Attica quispiã, in quo nothi spuriiq; exercebantur, cui nomen inditum, ἀπὸ κυνὸς ἀργοῦ, id est, à cane albo, seu ucloci. nam Græcis ea uox ἀργὸς, utrunq; significat. Qui collegit historias ex orationib. Stelieuticis Gregorij Nazianzeni, tradit Cynosarges dictum ἀπὸ τοῦ κυνὸς τοῦ ταχεῶς, cõmutato κ in γ. Nominis causam hanc adscribunt. Cùm olim Diomus quidam Atheniensis, auctore Stephano (nam Suidas Didymum ponit) sacrificaret Herculi, canis quidam albus, aut, ut alij dicunt, uelox aquila, uictimæ partem abreptam in locum quendã deposuit. Quo prodigio territus, cùm deum consuluisset, responsum est, ut eo in loco Herculi sacellum extrueret, in quem uictima deportata fuisset: nam eum Herculi placere. Porrò, quoniã Hercules nothus fuit, utpote ex adultera natus, & tamen uirtute sua diis æquum honorem assecutus: idcirco uisum est, ut inibi qui spurij fuissent, & neq; patris neq; matris nomine ciues, exercerentur. Erasmus.

Syracusani Timoleontis corpori monumentum in foro fecerunt, quod porticibus postea cinxerunt: ibiq; palæstris inædificatis parauerunt iuuentuti gymnasium, quod TIMOLEONTEVM appellauere. Plut. in Timoleonte.

Portæ.

De portis Romanæ urbis, Alex. lib. 4. c. 26.

Viæ oportunæ.

Byrsa fluuius ex monte Iura ortus, diei itinere Basileam Rauracorum alluit. Locum hodie Pierreportam, & Pierrepertusam uocant, quasi tu dicas, Portam petræam, & Petrã pertusam. Monumentum illic ueteris Rom. magnificentiæ, Antoninorum fortassis, spectatur, porta per durissimam cautem, ob uiarum compendium, ferro excisa, in cuius summo fornice inscriptio uetustate utiiata extat, quã cum nulli nostrorum tot seculis uel uoluerint uel potuerint assequi, scio li uerò etiam hosce uersus subiecerint:

Numinis augusti uia facta per ardua montis
Fecit iter petram scindens in margine fontis.

primus P. Pittheus, Trecensis, Curię Parisiensis Aduocatus, I. C. doctiss. & summus antiquitatis inuestigator, dum exulare quàm bellare mauult, oculorum mentisq; acumine singulari, ne scalis quidem adhibitis, de plano felicissimè assecutus, suæ nobis peregrinationis fructũ reliquit iucundissimum. Sic autem se habet inscriptio:

NVMINI AVGVS
TORVM
VIA FACTA PER
O VRSVM PATERIVM
IIVIR. COL. HELVET.

Dubitat tamẽ, Paterium an Paternum legi debeat, exesa uetustate literã.

Pontes.

Amnes in Hispania CL uidimus, in quib. pontes ultrà septingentos numeraiimus. Ex quibus duos insignes suspeximus & memorabiles, SEGOVIENSEM scilicet, qui potiùs arcus & aquæductus dici potest, per quem aqua profluens ciuitatem ingreditur, & per omnes ferè domos diuiditur, & in puteis æstiuo tempore frigidissima conseruatur: alter est ALCANTARAE. Qui quidem sunt, & altitudine, & opere, & artificio mirabiles. Marineus lib. j. de rebus Hisp.

Lupanaria.

Ex Tit. Meretricum & Lenonum, huc quædam.

Athenæus lib. Dipnos. 12. ostendit ANCONEM locum quem piam fuisse Sardis, uoluptatum ministeriis paratum: in quo popinæ, scorta, atq; aliæ id genus deliciæ. Dulcis igitur Ancon, ob blandimẽta uoluptatum, sed in eo complures naufragium faciebant. Idem indicat, Polycratem apud Samios mulieres aliquot uoluptatũ architectrices instituisse, ad exemplum Anconis dulcis Sardorum, eumq; locum Laura dictum fuisse, siue Samiorum flores. Idem addit, Omphalen eius gentis reginam, per uim uirgines dominorũ cum eorũ seruis inclusisse ad stuprum, ne sola haberetur impudica. Lydos autem eum locum, in quo femine constuprabãtur, γλυκὺ κῶμ' ἀγκῶνα dixisse, sceleris atrocitatem uerbo mitigãtes. Vocem autem dictam putat ab eo quod illic gerebatur. Erasmus in Adagiis.

HABITANTEM HOMINEM
locant DOMVS, cõsideratæ
respectu
PERSONARVM. QVORVM DOmus. Puta

Regum. Regiæ.

Ex Tit. Vrbes regiæ, huc quædam. Regiæ & Aitria Romana quid inter se differant, Alex. lib. 3. c. 6. Genialium dierum explicat.

Regia Palatij nomine insigniri cœpta AVGVSTI Cæsaris tẽpestate, teste Dione, quia is Palatinum mõtem incoleret, ac inibi esset prætorium. Domus item Romuli, à loco dicta Palatium est. Hinc ubicunq; fuerit Imperator, eius domus Palatij assequitur nuncupationem. Cælius lib. 8. c. j. A. L.

Mulierum. Gynæcea.

Scribit Neocles Crotoniata, ouum, ex quo prognata tradatur Helena, ex luna delapsum. Quippe oua parere Selenitidas mulieres, indeq; nascentes homines quinquies decies esse nobis ampliores: quod approbat Herodotus quoq; Heracleotes. Cæterùm uetustum educationis morem fabellę occasionem dedisse, Athen. tradit lib. 2. c. 17. inquiens: αἰαὶ uocarunt cœnacula Græci ueteres. Clearchus in Amatoriis Helenam in eiusmodi palatiis scribit educatam fuisse, & idcirco famam apud multos increbuisse, quòd ex ouo esset genita,

Pauperum. Xenodochia.

ROMÆ post sedes pontificias nihil admirabilius, laudeq; diguius est, quàm tot per totam urbem, ut uocantur, Xenodochia, non solùm publica omnium (ut amplissimum S. Spiritus, ab Innocentio III, teste Platina, extructum & locupletatum in Campo Vaticano: S. Saluatoris, in Cœlio: S. Marię de consolatione, in Velabro: S. Iacobi de Augusta, in uallę Martia) uerumetiam propria singularum ciuitatum atq; nationum, ut Florentinorum, apud S. Ioannem Baptistã: Germanorum, apud S. Mariam de anima: Hispanorum, apud S. Barbaram: Gallorum, apud S. Ludouicum: Anglorũ, apud S. Thomam: Flandrorum, prope turrim Argentinã: Hungarorum, prope S. Petrum: ut alia omittam, in quibus locis infiniti homines grauibus morbis laborantes domestici atq; externi cum curãtur, tum etiã alũtur. G. Fabricius in Roma,

Cadauerum, Mortuorum. Cœmeteria.

Cœmeterij condendi institutum ABRAHÆ assignant, qui, sicut patet apud Iosephum, dicitur emisse ab Ephron Hettæo filio Saor prope Hebron, quadringentis siclis spelunca duplicem, & agrum circa eam, sepelisseq; in ea Saram uxorem suam. Polydorus lib. 5. c. 6. de Rerum inuent.

Nomina cœmeteriorum ROM. hæc extant: Aproniani, Balbinæ, Basillæ, Callisti, Calopodij, cliui Cucumeris, Commodillæ, Cyriaci, Damasi, Domicillæ, ad duas Lauros, Felicitatis, Hermetis, ad Insalatas, Nicomediæ, Pontiani, Prætextati, Priscillæ, Thrasonis, Vrsi pileati: quibus omnibus locis, & multò pluribus fortasse, olim condita sanctorum corpora fuere, ut scriptores Ecclesiastici testantur. Georgius Fabricius in Roma.

LEGIONENSE templũ artificio mirabili, omnibus est Hispaniæ tẽplis anteponendũ, in cuius claustro sacellũ est, in quo iacẽt reges septem & triginta, & unus Hispaniæ Imperator. Marineus lib. 3. rerum Hispan.

Eugenius Fergusij F. Scotorũ rex, patris reliquias effossas loco, ubi Romanis urgentib. armis erant reconditæ, funebri pompa in IONAM insulam delatas, uti iusserat uiuẽs Fergusius, sepeliuit. Viros pietati eo loco addictos, ut fructus cœnobij ad sumtus suppeterent, prædiis atq; prouentib. uariis uicinis ex insulis donauit. Fergusij sunus omnium Scotorum regum primũm in Ionam fuit delatum. Mansit exinde locus regum sepulturæ sacer, usq; ad Malcolmi tertij regis tempora (cui ob capitis molẽ, Canmoir, id est, caput maius, uulgò nomẽ fuit adiectũ) sub quo D. Margaritæ reginæ suasu, ab bãtia Dounfermilem, id est, in monte infirmorum structa, multis prædiis ab eodem rege donata, ut illuc deinceps regum funera efferrentur, publico edicto est constitutum. Et quidem Turgoti Dunelmensis prioris suasu Malcolmus Trinitatis templum ad DOVMFERMILEM cõdidit, sanciens ut exinde commune esset regum sepulcrum. Hector Boethius lib. 7. & 12.

THRONDEMVM Noruagiæ regum sepulturis nobile. Saxo libro decimo.

ROSKILDIA Daniæ urbs, à Danorum regibus uetusto more exculta, ut uiuis sedem, ita fato functis sepulturam præstare consuerat. Saxo lib. 11.

Fr. Almeida Indiæ prætor, anno MDIX. in fluuiũ Maim delatus, qui p̃ CAMBAIÆ regnũ in mare influit, uidit in oppido peruetusto maximum & amplissimum templum, & campum latissimum, in quo erant sepulcra innumerabilia. Cùm ab incolis sciscitaretur, Quid infinita illa mortuorum monimenta designarent? responderunt illi, qui sapientes existimabantur, Antiquissimis regionis illius scriptis atque monimentis contineri, Herculem in Indiam cum maximo exercitu penetrasse: & in eo loco bis cum rege quodam potentissimo collatis signis conflixisse, & utroque prælio superatũ fuisse. Vt autem tam præclari facinoris memoria seculis innumerabilibus conseruari posset, institutũ ab antiquis fuisse, ut locus ille, in quo milites Herculis ceciderant, religione consecraretur, & illa sepulcra inuiolata permanerẽt. Hęc quidem illi prædicabant: quibus quanta sit habenda fides, liberum sit ei, qui uelit, iudicare. Osorius lib. 6. rerum Emmanuelis.

QVALITATIS. QVALES DOMVS. HVC

Porticus.

ROMÆ porticus uariæ fuere. Q. Catuli, ex manubiis Cimbricis. Cn. Pompeij porticus, antè ipsius curiam: & altera Octauiæ iuxta ædem Iunonis, in qua signa militaria olim à Dalmatis Domitio adepta, mox ab Augusto restitura, diu mansere: & Philippi porticus, Herculis imagine, & Helena Zeuxidis manu celebrata. Porticum quoq; duplicem circum Flaminium, ab opere Corinthiã, à Cneo Octauio, qui de Perseo nauale triumphum egit, magnificè instructam legimus atq; munitam: & Metelli iuxta ædem Statoris Iouis, per quas matronæ uectari & spatiari solebant. Fuit præterea porticus Quirini, antiquo opere uisenda, & Lucij & Caij: atque alia Liuiæ & Octauiæ, ab Augusto quondam, sed alienis nominibus constructæ. In hac ampla prætoria fuisse memorant: quibus ab Augusto demolitis, porticus sub nomine Liuiæ non minoris cultus maiestatisq; suffecta est. Et porticus Claudię, ubi ambulationes subdiales miro ingenio elaboratæ fuerunt. Celebratur quoq; porticus Augusti in palatio cum bibliotheca Græca Latinaq;, Numidico marmore per suam symmetriam extructa, in qua Belidũ imagines quinquaginta, quæ maritos necauerũt, sitæ erãt: & Vipsana, & septorum marmore, & imaginibus, tum lauretis & magnificis operibus excultæ. ATHENIS uerò porticus Pœcile: & altera uaria, ubi Mercurius æneus erat, celebratissimæ picturæ uarietate, miris laudibus feruntur, ubi pugna Marathonia depicta: & alia Pysianactia, & Pœcile in Elide, quam Echum uocabant. Ferturq; de Olympiæ porticu, quam hetaphonon uocitant, diuersa structuræ facie, mirum: ut uox conclamata per septem orbes ruptis spatiis, eandem multiplicato sono referat: sicut in Cyzico turres septem, acceptas uoces numeroso percussu multiplicãt. Inter quas angiportus patritia non in postremis fuit, iuxta ædem Dianæ, ad quam ingredi uiros religio non sinit. Extra quoque portam Trigeminam, unam porticum, & alteram ad portam Fontinalem, iuxta Martis aram, ab ædilibus curulibus ex multatitia pecunia constructas, & Seueri porticum postea additam fuisse, à multis proditũ memoriæ est. Alex. lib. 3. cap. 23.

EXCOLENTEM CORPVS.

Huc Balnea, Tonstrinæ, de quibus inter Mechanica respectu Artis mentio fit: at hic respectu locationis.

CVSTODITVM, RETENTVM IN CERTO LOCO. CARCERES.

Carceris genera ueteribus tria fuisse inuenio: unum, quo immodesti & parum exculti compellerentur, ut noctu à doctis comdocefierent, & bonarum artium professoribus, quæ ad bonos mores & uitæ modum pertinerent. Alterum, quo ære alieno implicити, & qui carceris tædio ab inita uitæ petulantia absterrendo erãt, detinerentur. Tertium, quo immanibus præsignes flagitiis, cœlo & hominum cœtu indigni, uitiis ac uitæ turpitudine defamatissimi, ac propediem plectendi, tenebrisq; & pedori addicendi, intrudebantur. Cælius lib. 17. cap. 9. Antiquarum lectionum.

Sunt qui LABYRINTHVM in Creta nil aliud quàm carcerẽ fuisse tradant, in quo non foret incommodi quippiam, nisi quòd qui asseruabatur, effugere non poterat: unde & labyrinthum dici putant, quia λαβ sit particula uocum intendens notiones, & βάω obturare signet, ac claudere. Cælius lib. 17. cap. 9. A.L. & Sab. lib. 6. Enn. j.

De LATOMIIS Syracusanis, sic scribit Cicero in Verrẽ act. 7. Latumias Syracusanas omnes audistis, pleriq; nostis. Opus est ingens, magnificum, regum ac tyrannorum, totum est è saxo, in mirandam altitudinem depressum, & multorũ operis penitùs excisum. Item in eadem: Carcer ille, qui est à crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ Latumiæ uocantur, in Verris imperio domicilium Romanorum fuit: ut quisque istius animum aut oculos offenderat, in Latumias statim coniiciebatur. Huius carceris meminit & T. Liuius belli Punici secundi lib. 6. Cælius lib. 17. cap. 9. Antiquarum lectionum.

THESAVRVS dicebatur Messeniorũ carcer, domiciliũ subterraneum, neq; auras neq; lucem exterius excipiens. Fores nullæ, sed saxo immani occludebatur. In quem Philopœmẽ coniectus, hausto ueneno periit. Plut. in Philopœmene.

Scribit Suidas, locum quendam esse in Caria, cui nomẽ TERMERIO, quo tyranni quandoq; pro carcere soleant uti. Situm autem esse inter Melum & Halicarnassum. Ex hoc cũ postea prædarentur latrones, neq; depelli possent, quòd esset locus admodum munitus, abiisse in prouerbium, Termeria mala. Erasmus in Adag.

Apud Cyprios CERAMON, Aethiopib. Macrobiis HELIOTRAPEZA noxiorum locus erat. Alex. lib. 3. c. 5.

Bœotiis, qui Arnen quondam incolebant, dictũ fuit ab Apolline, tum eos ea regione pulsum iri, cùm albi corui apparuissent. Adolescentes autem quidam ebrij coruos ceperunt, & per ludibrium gypso inductos diuiserunt. Quibus Bœotij uisis, perturbati sunt, quasi exitum iam sortiente oraculo. Itaq; adolescentes tumultum illum ueriti, fugerunt, & locum quendam incoluerunt, quem KOPAKAΣ, Coruos dixerunt, quò postea Bœotij delinquentes relegarunt. Suidas in dictione, ἐς κόραξας. Vnde frequens illud apud Aristoph. Es coracas.

Persis carcer fuit nomine LETHES, & domicilium cineribus refertum, ad quod nisi moriturus accedat nemo. Diodorus Siculus.

BARATHRVM Athenis, siue (ut enunciant alij) Berethrum, locus erat profundior, in tribu Hippothoontia, putei modo, in quẽ nocentes deturbabant. Eius superiora dura quidem erant ac rigida, infima uerò laxa & mollia, ut descendentes facilè demergerentur. Abusus uidetur dictione hac in Philippicis Demosthenes, ut inquit Harpocratio, & pernicie tantùm ex tralatione posuisse. Cælius lib. 17. cap. 9. Antiq. lect. In hoc specu erant uncini, alij supernè, alij infernè. Huc Phrygem matris deũm sacrificulum pro insano cõiecerunt, quòd diceret, adesse matrem ad filiæ inquisitionẽ. At irata dea, sterilitate agrum multauit. Cuius causa ex oraculo cognita, & specum expleuerunt, & deam uictimis placarunt. Suidas.

In Attica locus erat MELITA nomine, quò damnatorũ abiiciebantur cadauera, item suspendiosorum indumenta, & laqueì. Quanquam inibi Dianę templum substruxisset olim Themistocles, quam ἀλεξιβέλλω nuncupari uoluerat, quod in Persico tumultu ipse rebus Græciæ salutaria protulisset consilia. Cælius lib. 10. c. 4. A.L.

Athenienses sæuissimum carcerem, DOMVM nuncuparunt, sicut tributorum exactionem ciuitatis regimen, miti nomine indignitatem rei temperantes: quo exemplo Appius decemuir, carcerem quem constituit, DOMICILIVM plebis nuncupauit: alij Promtuariam cellam, nonnulli Publicum hospitium dixerunt. Spartæ DECAS erat locus in carcere ad pœnam ædificatus, ubi damnatos mortem oppetere cogebant: & spelunca, quam CEADA uocarunt, quasi pallorem & lacrymas, tetræ caliginis & diri aspectus, in quã maximis damnati criminibus uiui præcipitabantur. Alexander libro 3. cap. 5.

Χαρόνια

Χαρόνια θύρα, id est, CHARONTICA ianua. De imminente capitis periculo, siue de re magnopere tristi. Sic enim antiquitùs appellabatur una è carceris ianuis, per quam damnati iudicum sententiis ad supplicium educebantur. Zenodotus, Hesychius, & Suidas. Charontis enim cymba fingũt animas ad inferos deduci. Erasmus.

T. Liuius V. C. lib. j. Ancum Marcium refert, ingenti incremento rebus auctis, quum in tanta multitudine hominum, discrimine rectè an perperam facti cõfuso, facinora clandestina fierent: carcerem ad terrorem increscentis audaciæ media urbe imminentem foro ædificasse. Nec satis siquidẽ humana rabie latius etiamnum serpente grassante q;, in ipso etiam carcere, formidoloso diroq; aspectu loco alius requiri cœpit, quando quotidiana & proinde leuia remedia parum efficacia noscerentur. ROBVR edidẽre nomen, quo maleficum genus hominum præcipitabatur: sic nuncupatum, quòd antè arcis robusteis includeretur, sicuti Sex. Pompeij fragmenta nos perdocent, & significasse Plautus deprehenditur, quum ait:

Ego uos ambo in robusto carcere ut pereatis.

Hinc facinora magnitudine rara, nouitate dira & inauspicatissima, robore digna, magnis auctoribus appellari solent. Cælius lib. 17. cap. 8. A.L.

TARPEIA rupes, inquit Plut. uocatur Capitolij saxũ, è quo deturbari fontes, moris est. Hinc Horatius Serm. j.

Tũne Syri Damæ, aut Dionysi filius audes
Deiicere è saxo ciues, & tradere Cadmo?

Eum uerò locum exponens Porphyrio, Tribuni plebis, inquit, damnatos de saxo Capitolij præcipitabant: adiicitq;, fuisse Cadmum notæ crudelitatis carnificem. Idem.

Romæ SCELERATVS campus iuxta Collinam portam: in quo Vestales incesti dãnatæ, uiuæ defodi consueuẽre. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 6.

Apud Rom. fuẽre GEMONII gradus, seu scalæ Gemoniæ, in Auentino, iuxta templum Iunonis reginæ, quod Veiis captis Camillus dedicauit. Sic dictæ, quòd locus esset gemitus & calamitatum: quoniam illuc per Hamotrahonas raptarent unco damnatorum cadauera. Nam quod aliqui augurantur de Gemonio auctore, uel qui primus sit extumbatus, parum comperi. Gemonios gradus apud Plinium inuenies lib. 8. Cornelius item Tacitus. Gradus, uel scalæ dicebãtur, quantum coniectura ducor, quòd surrectus foret locus, ac gradibus quibusdam conscenderetur. Proinde αὐαβαθμοὺς appellat etiam Dion in Tiberij rebus. Cælius lib. 10. cap. 4. Antiquarum lectionum.

Scribit Plutarchus, Galbæ caput multifariam cæsum, & omni contumelia affectum fuisse: postremò in eum locum abiectum, in quo eos necant, quos Cęsares supplicio dedũt. Vocatur, inquit, locus SEXTRITIVM. In Græcis tamen codicibus scriptum inuenio, σηξίγνιον, Sestertiũ. SPOLIARIVM non absimilis erat locus. Lampridius in Commodo, Hostis patriæ, parricida, gladiator in Spoliario lanietur. Idem.

Erat apud Romanos TVLLIANVM, locus in carcere ad lævã, camera lapideis uincta fornicibus, sed inculta tenebris, odore fœda. Cælius lib. 17. c. 8. A.L.

ALBA Latinorum urbe multoties ad noxiorum custodiã usi sunt Romani, & ager ipse in profundo locatus sit, & quasi uallo circũseptus, in ea carcerados includentes. Strabo li. 5.

Ἀγκὼν, ANCON (id est, cubiti flexus) domicilium fuit in aula regia Gilimeris Vandalorum regis obscurissimũ (quod genus Anconas uocant Carthaginenses) in quod coniciebantur omnes, quibus tyrannus infensus erat. Eo in loco, cùm à Belisario urbs fuit capta, multi orientales mercatores inclusi erant: eo temporis articulo à custode carceris emissi. Suidas, & Cælius lib. 17. c. 9. & lib. 4. c. 3. A.L.

Barnabas Vicecomes laxos CARCERES Mediolani instituit, in quo egestatis ultimæ debitoribus, & extra capitalẽ pœnam damnatis alimenta gratuita præbentur. Paulus Iouius in eius uita.

Galeacius Vicecomes, Matthæi Magni F. à Marco fratre apud Ludouicum Bauarum Cæsarem Mediolani de tyrãnide accusatus, in arce Modoetiana teterrimo carceri traditus fuit, non omnino iniqua sorte, ut fabrefacti paulo antè ab se tetri carceris FVRNVM (ita à depressa testudine uocatũ) primus experiretur, quem aduersarum partiũ captiuis ad pœnam parauisset. Idem.

PVNIENDVM, SVPPLICIO AFFICIENDVM. LOCA SVPPLICIIS destinata.

Actisanes Aethiopum rex, subacta Aegypto, summa æquitate Aegyptiis imperauit. Latrocinia nouo more cõpescuit, sontes neq; morte plectens, neq; linquens impunitos. Eorum iudicio constituto, res omnes in unum cogens, miti sententia damnauit: amputatis enim naribus, in ultima deserti ire compulit, ibiq; urbem condidit, ab excisis nasis RHINOCRVRAM appellatã. Ea in Aegypti Arabiæq; finib. haud procul à mari sita, omnibus uitę commodis caret: nam omnis uicina regio salsa est. intra urbis mœnia unicus est puteus, & is inutilis, utpote aqua amara gustu. Diod. lib. j.

MORIENTEM. MORTIS LOCA INSIGNIA.

Ex secundo Volumine huc loca Mortis.

LOCA FORMALITER CONSIDERATA, RESpectu NATVRAE eius quod locatur. Huc

Loca Corporum

NATVRALIVM. PVTA

IGNIS.

Ex Tit. Montium ardentium, huc quædam.

AERIS, CONSIDERATI

Per se.

Ex Titulo, Regiones odoriferæ.

Respectu Fructus. Vbi

Ros.

Hic plurimus in regionibus fertilibus. Proinde ex loco Fertilitatis, huc quædam.

Manna.

In CALABRIÆ superioris uallibus ex mitiore calore, cũ Sol à meridie statim altissimorum montium uertices transcendat, ros depuratur, & in manna concrescit. Bern. Saccus libro j. cap. 5. Ticinensis hist.

AQVÆ.

De Aquarũ uariis differentiis, uide Athen. lib. 2. c. 2.

Potabilis.

Sub Tit. Fluuii, Fontes potabiles.

Tanta per aquæductus ROM. olim aquarum ubertas influebat, ut per urbem atq; cloacas amnes inundare uiderentur, & uniuersæ propemodũ ædes subterraneos meatus, siphones ac fistulas uenosas haberent. Quorum accuratissimam diligentiam M. Agrippa egit, qui urbem pluribus aliis monumentis adornauit. Strabo lib. 15. Hinc Augusti iocus, flagitante uini largitionem populo, Satis ab Agrippa genero suo prospectum dicentis, ne populus sitiret. Suetonius.

Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisq; palma, præconio urbis Romæ, MARCIA est, inter reliqua deũm munere urbi tributa, Vocabatur hęc quondam Aufeia, fons autem ipse Piconia. Oritur in ultimis montib. Pelignorum, transit Marsos & Fucinum lacum, Romam nõ dubiè petẽs. Mox specu mersa, in Tiburtina se aperit, IX M pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus è regibus. Postea Q. Marcius rex in prætura. Rursusq; restituit Marcus Agrippa. Idem & VIRGINEM adduxit ab octaui lapidis diuertículo IIM passuum Prænestina uia. Iuxtà est Herculaneus riuus, quem refugiens uirginis nomen obtinuit. Horum omnium comparatione differentia supradicta deprehenditur, quum quantum uirgo tactu, tantum præstet Marcia haustu. Quanquam utriusq; iampridem urbi periit uoluptas, ambãtione auaritiaq; in uillas ac suburbana decoquentibus publicam salutem. Plin. lib. 31. c. 3.

Medicatæ.

Vide Tit. Thermæ, Fontes medicati.

Insalubris.

Stratonicus musicus, cùm esset PELLÆ, & in puteũ descendisset, rogauit, Num esset aqua potabilis? cùm dixissent, quã aquam hauriebant, Nos istam bibimus: Non est igitur, inquit, potabilis. quòd illos uideret pallidos luridosq; : nam id interpretabatur malæ ualetudinis argumentum, quã ea aqua contraxerant. Athen. in Dipnos.

LAPIDVM, MARMORVM. VBI MARMORA, LAPIDES.

Marmora ubi nascantur, copiosè describit Plin. lib. 36.

In Laconia, quã ad mare prope Gythion descẽditur, uicus est, cui CROCEÆ nomen: in ea lapidicinæ perpetuo ac nusquam interrupto saxo. Cæduntur inde lapides, fluuialibus haud absimiles, qui cœlo sanè nonnihil repugnãt, elaborati tamen & expoliti, suam habent in deorum cellis exornandis gratiam. Multum iidem & piscinis, & aquarum ductib. afferunt decoris. Pausanias in Laconicis.

AVLIS

AVLIS Græciæ regio, marmore Carystio nobilis, uti PAROS insula, una è Cycladibus, Pario. Plin. lib. 4. c. 12. Marmorarij ueteres tantũ candido marmore usi sunt è Paro insula, quẽ lapidem cœpere lychnitẽ appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderet, ut auctor est Varro, multis postea candidiorib. repertis, etiam in LVNENSIVM lapidicinis. Sed in Pariorum mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis diuidentium soluta imaginem Sileni intus extitisse. Plinius libro 36. cap. 5.

E montibus Atticæ nobilibus HYMETTVS, effossione marmorum pulcerrimorum, & melle optimo. Strabo lib. 9.

Sub Tethrio Chalcidis mõte Carystus cõsistit, cui uicina sunt STYRA & MARMARIVM. In quo Carystiarum columnarum excisio est, ibi Apollinis Marmarini templũ est. Ad Carystum lapis nascitur, quem pectunt, nent, texunt. Inde mantilia conficiuntur egregiè contexta: ea ubi sordescunt, in flãmam proiecta non secus emundantur, quàm si maculas elueris. Strabo lib. 10.

DOCIMIA uicus Phrygiæ, in quo Sinadicus lapis effodiebatur (sic enim Romani appellabant) indigenæ Docimitem, & Docimeum. Vena à principio paruas glebas emittebat, postea propter maximos Romanorum sumtus columnæ integræ & ingentes extrahebantur, uarietate Alabastro persimiles. Ex Strabonis lib. 12. Aeneas Syluius c. 61. Asiæ.

Inter plurima alia ITALIÆ miracula, ipsa marmora in lapidicinis crescere, auctor est Papyrius Fabianus, naturæ rerũ peritissimus: exemptores quoq; affirmant, compleri sponte illa montium ulcera. Quæ si uera sunt, spes est, nunquam defuturam luxuriam. Plin. lib. 36. c. 15.

Apud solos MEGARENSES in tota Græcia Conchites lapis effoditur, insigni candore & mollitie, marinis conchis undique refertus. Ex quo extructum fuit monumentum Cari, filio Phoronei, uia quæ Megaris Corinthum ducit. Pausanias in Atticis.

LAPIDVM PRECIOSORVM, GEMMARVM. GEMMIFERA LOCA.

INDORVM regio, teste Curtio, diues est non auro modò, sed margaritis & aliis gemmis, ad luxum & magnificentiam.

Gemmiferi amnes sunt ACESINVS & GANGES, terrarum autem omnium maximè INDIA. Plin. lib. 37. c. ult.

Margaritis abundat TAPROBANA insula & TOIDIS: itẽ PERIMVLA promontorium Indiæ. Præcipuè aũt laudantur circa Arabiæ in Persico sinu maris rubei. In BRITANNIA paruí & decolores nascuntur. Plin. lib. 9. c. 35.

Adamas AETHIOPICVS & ARABICVS laudatur. Smaragdus SCYTHICVS, Bactrianus, Aegyptius, Cyprius. Opalus Indus. Sardonyche INDA. Carbunculus Indicus, Garamanticus, Aethiopicus, Alabandicus. Sarda Sardibus primùm reperta, laudatissima Babylonia. Topazius Arabicus. Iaspis Scythica, Cypria, Aegyptia. Amethystus Indica & Arabica. Hyacinthus & Chrysolithos Indicæ & Aethiopicæ. Asteria Caramanica & Indica. Ceraunias Caramanica. Iris Arabica. Plin. lib. 37. ubi gemmas factitias Physes appellari scribit, uelut ipsius naturæ admirationem uenditantes.

In Arabico mari est OPHIADES insula, ab euentu rei appellata, uel quòd rex eam à serpentib. liberauit, uel quòd multi applicantes, à serpentibus interficerentur, & propter Topazium. Is est lapis pellucidus, splendore aureo refulgens, ut interdiu uideri non possit, usque adeò illustratur: noctu uerò uidetur ab iis, qui eum colligunt. Nam signo aliquo imposito, de die effodiunt. Aegypti reges maximam hominum multitudinem, mercede conductam, ad horum lapidum collectionem custodiamq; collocauerant. Strabo lib. 16. De eo sic Diodorus: Inuenitur in insula sinus Arabici Ophiade dicta, Topazij lapis, uitro similis, colore aureo. Cuius accessus omnibus est interdictus, pœna mortis ad eam nauigantibus statuta. Pauci custodes insulæ præsunt, uitam miseram ducentes. Ne quis enim eos lapides furto auferre possit, nulla penitùs in insula nauis relinquitur. Qui propè nauigant, regis timore haud quaquam propinquãt insulæ. Nutrimentum deferentes, euestigiò abscedunt, cibo relicto. Cæteri propinqui insulam non adeunt. Deficiente cibo ad litus sedent omnes, uitæ subsidium expectantes. Hos q deferunt, ut tardos sæpè incusant, uelut in extremo uitæ positi. Hic lapis in petra nascitur, die ob solis splendorem minimè apparens. Noctu in umbra lucet, procul ostendens, quo sit in loco. Custodes sorte diuisi, ad loca ubi latent Topazij accedunt. Quem ubi noctu splendentem cõspexêre, locum splendentem lapidis designant: eum postmodum die excisum opificibus tradunt, qui ex eo Topazium eliciant. Diodorus lib. 3. cap. 3.

Cum TROGLODYTIS commercium tantùm tempore Plinij intercedebat gemmæ carbunculi, ex Aethiopia uectæ. Plinius lib. 5. cap. 5.

In sinu PERSICO, qui à rubro mari uersus Aquilonem est situs, uniones aluntur, à pectinibus quos Zambaces uocant. Horum pectinum quidam inuentus est, intra se alens unionem ingentem, ac splendidissimum: qui cùm auctus mensuram usitatam excessisset, radiosq; splendoris sui fulgoris in morem eiacularetur: canis quidam marinus eum splendorem adamauit, & pulcritudinem perpetuò assectari cœpit: & quocunque undæ pectinis concham ferebant, eò canis quoq; perniciosi cuiusdam dæmonis impulsu bacchabatur. Id prodigium piscator quidam animaduertens, statuit pectinem machina quadam deprædari: uerùm canis nõ concessit, sed raptum pectinem, in profundum aquæ abduxit. Proinde regi Persarum de pulcritudine margaritæ piscator refert, isq; ei uiros adiungit, qui in eo capiendo ipsi adsint. Cũ ad mare profecti, per aliquot dies præstolati essent, contigit ut canis aliquantisper secederet: tum piscator statim se se in aquam iniecit: & ad fundum delatus, pectinem cum unione arripuit, sursumq; enatauit, exerta manu qua unionem tenebat, quem & statim ij qui aderant ei eripuerunt: priusquam uerò in lembum piscator euadere posset, superuenit canis, miserumq; deuorauit. Vnio ad regem allatus est: qui eius spectaculo delectatus, piscatoris filios magnis donis affecit. Eum unionem ut redimeret Iustinianus Magnus, C auri libras Barbaris misit: uerùm ij recusarunt uendere, asseruantes eũ in signu Persicæ stoliditatis. Cedrenus.

AETHIOPIA Zimiri dicta, regio arenosa, Magnetem lapidem preciosissimum producit, qui pari argento rependitur. Eadem in uicino mõte Theameden lapidem gignit, qui ferrum omne abigit respuitq;. Plin. lib. 36. c. 16.

CYPRVS insula & ALABANDA Asiæ crystallum proferunt, teste Solino. Quo argumento conuincitur Plin. qui lib. 1. Nat. hist. ex uehementi gelu crystallum concrescere putat. Rectiùs Diodorus lib. 3. non ui frigoris, sed cœlestis caloris aquam purissimam congelari sentit.

Gemmas, maximeq; margaritas ij habent populi, qui CVBAGÆ, & CVMANÆ, & TERAREQVI insulis (sic enim eas appellant) in Septentrionem uersis paulùm à media cœli conuersione declinantibus sunt proximi: ubi eas urinatores expiscãtur, tanta cum mari assuetudine, ut semihoræ interdum spacium conchis margaritarum conquirendis sub aqua se contineant. Earum magna uis ab incolis regib. Hispanis tradita, nobilium feminarum mundum facilè auxit. Bembus lib. 6. Hist.

Sanctus Crater GENVÆ in sacrario templi maximi religiosissimè custoditur: refertq; immensi precij smaragdum hexagonam, escariæ patinæ modo cauatam. Partum id fuit antiquitùs ex Syriaca victoria: & ad publicum ciuitatis decus D. Laurentio consecratum. Iouius in Consaluo.

In Aquilonaribus terris sunt quidam amnes gemmiferi, quoniam conchas producunt: è quarum testis albicantes margaritæ, licèt pallidæ, propter aerem gelidum, extrahuntur. Aër enim iste rori admixtus, circa medium mensis Augusti in conchã descendit, causamq; præstat, ut quantocyùs margaritæ in ea contentæ maturescant. Olaus libro 22. cap. 21. Septent. gent.

Quantum apud Rom. Indicis margaritis precium est, tantum apud Indos in curalio. Namq; ista persuasione gentiũ constant. Gignitur quidem & in RVBRO mari, sed nigrius: itẽ in Persico uocatur Iace, laudatissimum in Gallico sinu circa STOECHADAS insulas, & in Siculo circa HELIAM ac DREPANVM. Nascitur & apud GRAVISCAS, & ante Neapolim CAMPANIÆ: maximeq; rubens, sed molle, & ideo uilissimũ ERYTHRIS. Aiunt tactu protinus lapidescere, si uiuat. Itaq; occupari cuelliq; retibus aut acri ferramento præcidi. Hac de causa curaliũ uocitatũ interpretantur, ὡς κοραλλὸν ἁλὸς. Auctoritas baccarum eius non minùs Iudæorum uiris quoq; preciosa est, quàm feminis Rom. uiones Indici. Aruspices eorum uates q; inprimis religiosum id gestamen, amoliendis periculis arbitrantur. Itaq; & decore & religione gaudent. Prius quàm hoc innotesceret, Galli gladios, scuta, galeas, adornabant eo. Nunc tanta penuria est uendibili merce, ut perquàm rarò cernatur in suo orbe. Plinius lib. 32. cap. 2.

Oculus Catti ex ZEILANA, laudatissimus: in PEGVA, nonnulli: multò pluris apud Indos, quàm Lusitanos, fit. Lineus pannus ita ad lapidem hunc compressus, ut gemmæ meditullium siue oculum tangat, nullo igni uri potest. Sapphiri genus utrunq;, aqueum & obscurum inuenitur in CALECVTIO, Cananore, & Bisnagua: præstantiores ex ZEILANA: laudatissimi ex Pegua adferuntur. Hyacinthus & Granatus nascuntur in Calecutio, & Cananore. Granatos præbet CAMBAIA & Balaguata. Io. Metellus.

METALLORVM.

In Genere.

In monte PANGÆO Thraciæ, aurea sunt & argentea metalla: quem Pieres & Hodomanti, tum præcipuè Satræ populi exercebant. Herodotus libro septimo.

ITALIA metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. Sed interdictum id uetere consulto patrum, Italiæ parci iubentium. Plin. lib. 3. cap. 20.

Hispaniæ felicitatem insigniter admiratum Posidonium, tradidisse ferunt, HISPANIÆ subterranea non infernum, sed Pluton ipsum, id est, opulentię deum inhabitare: tanta est in eo terrarum tractu metallorum fœcunditas. Imò uerò & literarum parens Homerus, opum eius prouinciæ gnarus in primis, nec uirtutum aliarum nescius, in ea Elysium effinxit campum, & piis dicatam sedem, ad quam uaticinans Proteus Menelaum cecinit emigraturum. Cæl. lib. 18. c. 22. A. L.

Metallifodinis omnium generũ SVECIA scatet inexhaustis. auri olim copiosissimæ fuerunt: sed postea interciderunt. Sub Gostauo tamen rege his annis preciosissimæ denuò inuentæ sunt. Olaus lib. 6. gent. Septent.

Circa annum Domini 968. uenæ metallicæ prope GOSLARIAM in Saxonia repertæ sunt.

In specie. Puta

Auri.

OPHIR, Terra aurea dicta, Chersonesus aurea, Indiæ regio, è qua Solomo Iudæorum, & Hyramus Tyriorum reges, classe in sinu maris Aegyptiaci ad ciuitatem Elanã, quæ nunc Beronice dicitur, instructa, talenta auri quadringẽta collegit. Nauigatio autem tribus semper annis perficiebatur. 3. Reg. 9. & Iosephus lib. 8. Antiq. c. 6. B. Arias Montanus, uir in omni literarum genere eruditis. terram Ophir, eandem quam nunc Peru dicunt, Cabalistica literarum metathesi, ingeniosè deducit.

INDI raras habent aurifodinas, maiorem partem acquirunt ex aurea arena. Vide Tit. Prudentia in acquirendis diuitiis.

DARDÆ Indi auri fertilissimi, Setæ argenti. Plin. lib. 6. cap. 19.

Megasthenes de formicis ait, apud Dardas, quę maxima natio est INDORVM montanorum, ad orientem expositorum, collo quẽdam esse trium millium stadiorum ambitu, & sub eo aurifodinas, quas formicæ effodiant, uulpibus magnitudine non minores, mira celeritate, uictum ex uenatione cõparantes: fodere autem terram per hyemem, & ad ostium accumulare, quemadmodum talpæ. Aurũ parua decoctione eger, id uicini iumentis clàm rapiunt, apertè enim nõ possunt, prohibentibus formicis, quæ & pugnant, & fugientes insectantur, quos cùm deprehenderint, cùm iumentis interimunt. Vt ergo illas lateãt, ferinas carnes per loca disponunt, quibus distractis, aurum asportant, & fusionis ignari cuicunq; mercatori diuendunt. Strabo lib. 15.

In AEGYPTI finibus, qui ad Aethiopiam & Arabiã uergunt, loca sunt metallorum feracia, ex quibus magno cum labore atque impensa aurum educitur. Nam terra nigra natura meatus ac uenas habet marmoris albissimi, & quod super omnem luceat splendorem. Huic operi qui præsunt, magna hominum copia ad excudendum aurũ utuntur. Aegypti enim reges, crimine dãnatos omneis, ac ex hostibus captos, insuper ob aliquã falsam calumniã aut regum iram in carcerem detrusos, interdum ipsos, interdũ uniuersam cognationẽ auro effodiendo deputant, simul sumentes facinorũ pœnas, simul magnum quæstũ ex eorum labore percipientes. illi compedibus uincti, magnus hominũ numerus, absq; ulla intermissione die nocteq; operãtur, nulla neq; requie cõcessa, omniq; ablata fugiendi facultate. Nam Barbari milites diuersa inuicem lingua, eorum custodiæ præsunt: quorum nullus, sermonis commercio sublato, aut precibus aut amore potest corrumpi. Vide Diodorum lib. 3. cap. 2.

AETHIOPIA terrarum habitatarum ultima, auri multum fert. Apud MACROBIOS Aethiopes fontes aureis catenis uinciuntur, propter auri copiam. Herod. lib. 3.

INSVLAM quandam Aethiopici maris adeò diuitem Clitarchus Alexãdro Magno retulit, ut equos incolæ talentis auri permutarent. Plin. lib. 6. cap. 31.

Iuxta Zygantes in Africa insula est CYRANE, in cuius portu uirgines pennis uolucrum pice illitis, ramenta auri referũt è limo. Herod. lib. 4.

Effoditur in ARABIA aurum, quod non igni decoquitur, ut apud alios consueuit: sed euestigiò effossum, uucibus id castaneis similes reperitur, colore est ita lucido, ut preciosos lapides ab artificibus auro inclusos, splẽdidissimos reddat. Diod. lib. 2. cap. 12. Arabes ABILÆI, aurum è cuniculis nulla arte factis effodiunt, non quidem quod terra igne liquefactũ exprimant: sed ipsa natura purum, quod ab re apyron dicunt. Minutum tamen reperitur, ut pars minima, scintillæ ignis: maxima, nucis sit instar regiæ. Illud circa manuum iuncturas ferunt, circaque collum, preciosis lapidibus distinctum. Cùm auri apud eos sit copia, æris inopia ac ferri, inuicem ea cum mercatoribus permutant. Diod. lib. 3. cap. 3. DEBÆ Arabes, & ipsi pastores, colunt agros aliqua ex parte: gens auri abundans, inter glebas temerè iacentes aureas pilas iuglandium magnitudine reperiunt, quibus lapilis affabrè interiectis monilia conficiunt, haud iniucunda aspectu, ea collo & manibus inducunt: uendunt aurũ finitimis triplo æris precio, argẽti duplo, cùm auri contemtu, tũ eorum desiderio, quæ commercio parantur. Sab. lib. 3. En. 1. In medio eius regionis dicitur esse fluuius arena aurea, ex qua incolæ aurum elicere nesciunt. Sinunt autem ab externis, sed non omnibus, auferri. Bœotiis enim duntaxat & Peloponnesiis arenam asportare licet. Idq; eis Herculis beneficio, erga suam gentem, ut à maioribus acceperãt, olim impenso, in gratiam beneficij concessum. Diod. lib. 3. cap. 3.

Vrbs olim Troadis ASTYRA auri metalla habebat, quæ nũc perrara sunt, utpote consumta, quemadmodum ea quæ in Tmolo, & circa Pactolum fuêre. Strabo lib. 13.

PACTOLVS Lydiæ fl. à Tmolo fluens, olim multa auri ramẽta deferebat, ex quo præclaras illas Crœsi & maiorum diuitias ferunt. Nunc prorsus defecit. Herod. lib. 5. Strabo l. 13.

THASIIS erat prouentus ex cõtinẽti, atq; ex metallis. Ex fossiticia quidẽ metallorum aureorũ materia, septuaginta talentorum: ex Thasiis aũt metallis minus, sed tamen frequentes ita, ut si Thasii forẽt immunes tributorum, fuerint eis in summã prouentura quotannis ex continenti atq; ex metallis ducenta talenta: & quãdo plurimum, trecenta. Quæ metalla Herodotus quoq; inspexit: & tamen longè admirabiliora fuêre, quæ Phœnices ij qui cum Thaso eam insulã condiderunt, inuenere: quæ insula ab hoc Thaso Phœnice nomen obtinuit. Hæc autem Thasi Phœnicea metalla sunt, inter locum qui uocatur Aenyrorum & Cænyrorum sita: atq; eregionẽ Samothraciæ ingens mons indagando euersus est. Herod. lib. 6. Thassus insula est iuxta Thraciam. Callistratus orator demigrãs Athenis, persuadere conatus est Athenienfibus, ut regionem quæ ex aduerso erat, incolerẽt, multa splendida de eius feracitate iactitans, & quòd auri uenas haberet, & quòd glebam optimam. Deniq; in summa, inquit, Thassus bonorum est. Hinc in uulpi sermonem abiit, θάσου- ἀγαθῶν, id est, Thassus bonorum, de iis qui splendida pollicentur. Zenodotus & Erasmus.

DATHVS Thassiorum colonia iuxta Strymonem, cùm alioquin opulenta ac florẽs, tum habet etium auri uenas. Hinc prouerbium, Δάθου- ἀγαθῶν, id est. Dathus bonorum, de conferta rerum opulentia. Suidas & Erasmus.

SIPHNIORVM insula aurifodinas habet, de quarum fructibus iussit Apollo Delphicus sibi decimam offerri. Illi thesauro condito, decimam obtulerunt: postea uerò quàm nimio pecuniæ retinendæ studio ab ea religione desciuerunt, maris alluuie metalla prorsus abolita sunt. Pausanias in Phocicis, & Suidas.

Philippus Amyntæ Macedonum rex, CRENIDAS se conferens, inductis multis qui eam urbem incolerent, ex sui appellatione instituit, ut PHILIPPI nominarentur. Erant in eo tractu fodinæ auri, sed tenues & non bene exploratæ: eas Philippus magnis operibus ita instruxit, ut annua ei redirent amplius mille talenta. Vnde magnis opibus breui cumulatis, Macedoniæ imperium plurimum auxit, cùm pecuniæ ceptis omnibus negotiis sufficerent. Numum aureum Philippi nomine cudi instituit. Diod. lib. 16.

Γλαῦκες κωμῳδικαί, id est, Noctuæ Laurioticæ: hoc uelut ænigmate pecuniarum uim significabant. LAVRIOS enim Aticæ regio est, auri uenis frequens. Porrò nomismatis aureis noctuarum figura inscalpebatur. Erasmus.

COLOPHONII optimũ aurum fecerunt: etenim id multũ differre dicũt ab alio. Fortassis aũt Lydi patria pulsi, aurifodinas Thraciæ, & iuxta Strymonem, cum Ionibus quibusdã occuparunt, & auro faciendo studuerunt. Suidas.

In Hispania TVRDETANA aurũ non solũ ex metallis effoditur, uerumetiã fluit. Flumina namq; torrentesq; aureã deferunt arenã. Quòd si quib. à natura negatæ sint aquæ, illatis rigãtes aquis mox splendescentẽ inueniunt grumulum. Puteos quoq; effodiẽtes, & alia per solertiã tractantes artificia, lauandis arenis aurũ excerpũt. Pluresq; hac ætate sunt qui aurũ eruant, quàm qui aurũ effodiant: unde Chrysoplysia, id est, auri lauacra sunt appellata. GALLI quidẽ digniora esse sua prædicant metalla, quæ in Cemmeno mõte sunt, præsertim quæ ad Pyronen uergũt. Verùm enimuerò quod his è locis educitur, magis probatũ est. Inter auri aũt micas quandoq; dimidiæ libræ grumos, quas Palas uocant, reperios fuisse memoriæ traditũ est, qui paruæ admodũ purgationis indigeant. Traditũ etiã est, scissis lapidibus, glebulas quasdã papillis mammarum similes inueniri. Strabo lib. 3.

Aurum, inquit Georgius Agricola, totius Europæ laudatissimum affert Hispania BETICA, quæ totius Europæ maximè Australis est: Aphricæ uerò Aethiopia. Vicena millia põdo auri annis singulis ASTVRIAM atq; GALLECIAM & LVSITANIAM præstare, quidam tradiderũt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neq; in alia parte terrarũ tot seculis hæc fertilitas. ITALIÆ parcitum est uetere interdicto parcitum

trum, alioquin nulla fœcundior metallorum quoq; erat tellus. Extat lex censoria Ictimulorum aur. fodinę, qua in Vercellēsi agro cauebatur, ne plus quinq; M hominum in opere publicani haberent. Plin. lib. 33. cap. 4.

Polybius scriptū reliquit suis temporib. aurifodinas in TAVRISCIS Noricis, maximeq; penes Aquileiam, inueniri adeò natura opimas, ut cùm à superficie terræ duos ad pedes solum detraxeris, fossile confestim aurū inuenias. Fossam aūt non ultra pedes XV esse. Aurum ipsum per se partim purū esse, ad fabæ aut lupini magnitudinē, octaua tantū parte decocta: partim uerò maioris indigere digestionis, ualdeq; utilissimæ. Adiuuantibus aūt Barbaros Italis, bimestri tempore, cuestigiò auri preciū tertia parte uilius ueniisse totam per Italiam. Quod quidem ubi Tauriści sensérunt, eiectis adiutoribus soli uenum dedēre. Pòst uerò uniuersas aurifodinas Romani in suam redegere potestatem. Strabo libro quarto.

Tellus SALASSORVM in Alpibus aurifodinas habet, quas Salassi, cùm olim potētia ualerēt, possidebāt. Magnam quibem illis opem ad effossiones aurumq; lauandū Durias fluuius afferebat. Quocirca multis in locis aquæductus partiētes, cōmunem aluéum exinanibant. Quod cùm ipsis ad auri uenandi conquisitionem conduceret, reliquos sua colentes arua, rigationibus destitutos contristabat', cùm fluuius suppeditare terris potum nequiret. Eam ob causam assidua inuicem prælia gens utraq; conferebat. Potitis inde rerum Romanis, Salassi quidē & aurificium simul & agrum amiserunt: montium tamen iura tēentes, adhuc aquam publicanis, aurifodinas capessentibus uenundedēre Ibidem.

Apud COLCHOS torrentes dicuntur aurum deferre: quod Barbari perforatis tabulis, ac lanosis pellibus excipiunt. Vnde aurati uelleris fabula conficta est. Et fortasse Iberes eodem nomine uocantur, quo occidentales Hispani, ab auro quod apud utrosq; inuenitur. Strabo l. 11. Mithridatico bello Cn. Pompeius, qui in Colchidem usque fuerat hostem secutus, postquam ab eo ulteriùs insectando destitit, pro non paruo habuit negotio omnia de Iasonis in eam terram accessu argumenta recognoscere. Piures auriferi fontes ex CAVCASO scatent, locorum accolæ pelles in ima uada demittunt, aurumque uelleribus implicitum legunt, ita ut in emerso aurea sit pellis facies. Vnde poetis materia orta uideri potest, tam multa de aureo uellere fabulandi. Sabellicus lib. 4. Ennead. 6.

Vltra Riphæū montē ditissima REGIO est, sed inhabitabilis, quando gryphi, sæuum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mira sollicitudine custodiunt, neque quenquam id attingere patiuntur. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

In plerisque PANNONIÆ fluminibus auri optimi ramenta inueniūtur. Quin & in uitibus in aurifero solo satis aurum quandoq; legunt. Ibidem.

CHRYSVS fluuius, uulgò Keuureuus, à Carpathiis mōtibus demissus, quum ramenta aurea deducat, ab auro nomen accepit. Ibidem.

TRANSSYLVANIA pecoris, uini, frumenti, item auri & argenti feracissima est: ubi amnes nonnulli aurea ramenta ferunt, aurique fragmenta quandoque sesquilibralia trahūt, quum montibus sit undique circumsepta in coronæ speciem. Ibidem.

In BOEMIA aurum tale statim, qualem natiuæ uenæ ferunt, in puteis effoditur, qui de loco Giloua cognomen suū trahunt. Tenet fama, Regibus Boemiæ sæpiùs inde allatas fuisse micas aureas puti auri, quarum singulæ pondo denum librarum graues erant. Dubrauius lib. 1.

Imperante Carolo V. Cæsare, sunt reperta ad Australem Oceanum in aduersis Pariæ & Darienæ terræ regionibus, PERVRÆ & CVSCHÆ regna immenso auro refertissima, quod nullo fodientium aut legentiū labore paratur, quando id in domesticos coquinariosq; usus, rudi artificio fabrefactum, sed non planè putum Hispani apud Indos inueniāt. Eius autem omnis copia aduecta Hispalim, in officinā publicanorum ęa lege tum conferebatur, ut uectigalis nomine quintą pars esset Cæsaris, reliquum negotiatores conflarent, & demùm admixto purioris uenæ auro, reiectisque exactæ conflaturæ intertrimentis, ad pondus puritatemq; monetæ Cæsaris Hispanica noua cudi curarent. Iouius libro 34. Historiarum.

Quemadmodum ferrum ad Septentrionē penè in ipsa superficie terræ ita ad meridiem in agris & arena pura reperitur. Tradunt enim in regno DAMVTI iuxta montes Bet, ultra Capricornum, aurum post imbrium copiam detegi, & ut cætera metalla ignea ui coquuntur ad Septentrionem in montibus Pyrenæis, Iurasso, Cemeno, Alpibus, Carpatho, Rhodope, Pangæo, Laurio, Tmolo, Caucaso: ita quoque ad Meridiem aurum non igneo calore, sed siderum cœlestium ui & ardore solis, uelut in superficie terræ & arena conflatur. Ioan. Bodinus Met. hist.

Aeris fodinæ'

Fertiles.

Aere DELVS insula celeberrima fuit, mercatus concelebrante toto orbo. Plin. lib. 34. cap. 2. E mari quod ad Delum insulam est, Carthaginensium urinatores æs ad duas ulnas efferre, Theophrastus tradit: è quo ære statuæ in Phæneo ab Hercule politæ, fuerint confectæ. Antigonus in Mir. nar.

Scribit Aristoteles ἐν Θαυμασίων ἀκουσμάτων, in CYPRO genus quoddam gigni æris, auro non absimile, quod in frusta minutissima concisum agricolæ ferant: mox ad pluuiā exoriri & coalescere, & postquam adolcuerit ad iustam maturitatem, colligi & recondi. Alex. lib. 4. cap. 9.

Defectæ.

Fodinæ æris in EVBOEA planè defecerunt, ex quo procudebantur durati aquæ rigore gladij, ut ait Aeschylus:

Acie rigentem acuta ensem Euboicum capit.

Plutarchus de Defectu oraculorum.

Ferri fodinæ.

Ex omnibus generibus palma Serico ferro est: SERES hoc cū uestibus suis pellibusq; mittunt. Secunda Parthico. Plinius libro 34. capite 14.

Circa ANDIRA Phrygiæ lapis quidam inuenitur, qui combustus ferrum fit: deinde cum terra quadam in fornace excoctus, pseudargyrum exudat terra: quæ terra, si æs acceperit, fit mixtura, quam quidam orichalcum uocant. Pseudargyrum etiam circa Tmolum gignitur. Hæc sunt ea loca quę Leleges tenebant. Strabo lib. 13.

Ferrum omnium præstantissimum prouenit apud SVECOS & OSTROGOTHOS, quod Osemutum appellant, quin etiā in Ligiis ad Sagam oppidum in pratis ferrum erui scribit G. Agricola, ad altitudinem duorum pedum, & decennio renatum fodi, nec altiùs propter aquas penetrari. Io. Bodinus Methodi histor. cap. 5.

In Populonia urbe Hetrusca olim ferrum laborabatur ex ipsa deuectum AETHALIA, cùm in eius insulæ fornacibus in massam compingi nō possit, nisi statim ab effossoribus deferatur in continentē. Hoc etiam admiratione dignum habet insula, ut exhausta effossionibus loca, post aliquod tempus rursus repleta cernātur. Sicut de Rhodi Platamonibus, & de Pari insulæ marmore proditum est. Idem apud Indos de sale Clitarchus asserit. Strabo lib. 5.

HISPANIA ferrariis ultra cęteras orbis plagas abūdat, adeò ut etiam aquas generet, quib. ferrum aerius temperatur. Inde chalybis copia exhauritur, & plures mundi prouincias ferro & chalybe ditat: nec ullum apud Hispanos telum probatur, quod nō aut Birbili fluuio aut Chalybe tingatur. Vnde etiam Chalybęs accolæ huius fluuij appellati, ferro cæteris præstare dicuntur. Plumbi deniq; & æris uberrima est. Rodericus Santius parte 1. hist. Hisp. cap. 3.

Ferrum rarissimum in Africa, frequēs in CANTABRIA (quæ totius Hispaniæ maximè Septentrionalis est, & Europæ maximè occidua) in GALLIA, in GERMANIA frequens. Georg. Agricola.

ILVA Tyrrheni maris insula ferri uenis inexhausta, magnum quotannis uectigal Plumbini domino præbet. Aeneas Syluius cap. 56. Europæ.

Argenti fodinæ

Fertiles.

LAVRIVM breui uia à Sunio promontorio distat, ubi olim argenti metalla Athenienſibus fuēre. Pausanias in Atticis. Argentifodinæ regionis Atticæ initiò quidem existimatione dignæ, postea defecerunt. Ipsi artifices uetera purgamenta recoquentes, purgatum ex illis argentum adhuc inueniebant, cùm antiquiores imperitè fornacibus uterentur. Strabo lib. 9.

Iberiæ montes, qui PYRENÆI uocantur, & altitudine & magnitudine longè alios excellunt. In quib. cùm sint frequentes syluæ, ferunt priſcis temporib. igne à pastoribus iniecto montanas omnes regiones fuisse cōbustas: qua ex re montes aiunt cognominatos Pyrenæos. Ardente continuis diebus igne, multi ex montib. argenti puri riuuli flammarū effluxere: quod incolis ignotū, Phœnices mercatores uili rerū permutatione emtum in Græciam Asiamq; ac nationes cæteras deferentes, magnas ex eo cōmercio opes contraxerunt. Adeò aūt mercatores quæstus excitauit cupiditas, ut cùm onustis nauib. superaret argentum, amoto ab ancoris plumbo, argentū eius loco subderent. Hoc lucro Phœnices admodū opulenti facti, multas colonias tum in Siciliā propinquasq; insulas, tū in Libyā Sardiniāq; ac Iberiā deduxerūt. Multis post seculis cognito argēto, Iberi metallis quærēdis operā dedere: postea cùm Romani Iberiā subegissent, maximè ex eo ditati sunt. Emtā enim seruorū copiam ad effodiēda metalla deputabāt: q uariis locis metallorū uenas scrutati, ac alrè lateq; terra effossa, plurimū auri argētiq; eruūt, uariis multorū stadiorū cuniculis sub terrā actis. Maximè uerò quis admiretur, cur nulla illarum fodinarum recēs habeat initium, quin omnes à Carthaginensiū auaritia sue rint apertæ, quo tempore Iberiam tenebant. Hęc fuit causa, ut eorum postmodum excresceret uires. Precio enim optimis militum conductis, multa gesserūt aduersus hostes bella, neq; domestico neq; sociorum milite usi, Romanos Siculosq; ac Libyos in maxima deduxerunt pericula, cùm omnes diuitiis ob auri argētiq; copiā superarēt. Diod. li. 5. c. 9. Polybius effodiendi argenti locos, qui circa nouam CARTHAGINEM in Hispania sunt, memorans, maximos esse dicit, distare uerò ab urbe stadiis circiter XX. in circuitu stadiis CCCC. Quo in loco quatuor myriades operariorum manere, qui tunc populo Romano XXV drachmarum millia per dies singulos referebant. Carthaginēses ductore Barca aduersus Hispanos ductantes exercitum, eos (uti scriptores prodidēre) argenteis in Turditania præsepibus & doliis utentes, in potestatem redegerunt. Strabo lib. 3.

Tempore Plinij durabant adhuc per HISPANIAS ab Annibale incoati argenti putei sua ab inuentoribus nomina habentes. Ex queis Bebelo appellabatur, qui CCC pondo Annibali subministrabat indies, ad mille quingentos iam passus cauato monte. Plin. lib. 33. c. 6.

CVTHNA in Boemiæ regno argenti inexhaustas fodinas habet. Aeneas Syluius in historia Boemiæ.

Olim in BRITANNIA ex puteis terra candida effodiebatur, non minùs centum passibus profundis, ex qua, postquā argentum detraxisses, insperſi agri adeò fœcundi reddebant', ut semel in uita insperſisse sufficeret. Cardanus de Subtilitate, lib. de Mistis, seu metallicis.

Defectæ, Exoletæ.

Argenti fodinæ ATTICÆ Plutarchi ætate penitus defecerāt. Testis ipsemet de Def. oraculorum.

Stanni.

Supra Lusitaniam plurimum stannum effoditur in insulis Oceani Iberiæ proximis, quæ à stanno CASSITERIDES denominantur. Diodorus lib. 5. c. 9. Sunt autem decem numero inter se propinquæ, in Oceano Gaditano, ex aduerso Celtiberiæ, eas habitant homines colore fusco, tragicarū persimiles furiarum. Stanni ac plumbi metalla habent, pro quibus simul & pro pellibus tegulas permutant, & sales cū negotiatoribus, nec minus ærea uasa. Plinius lib. 4. cap. 22. & Strabo lib. 3.

BRITANNI qui iuxta Velerium promontoriū incolunt, mercatorum usu, qui eò stanni gratia nauigant, humaniores relíquis erga hospites habentur. Hi ex terra saxosa, cuius uenas secuti effodiunt stannum, igne eductum, in quandam insulam ferunt Britannicam, iuxta quam (Ictam uocant) maris fluxu uidentur insulæ: cum uerò refluit, exiccato interiecto litore, curribus eò stannum deferunt. Diod. lib. 5. c. 8.

Plumbifodinæ.

FESVLARVM mons in Hetruria, Florētinę ciuitati imminēs, lapides habet plumbarios, qui si excindātur, breui tēporis spacio nouis incrementis instaurantur, teste Boccacio Certaldo. Georg. Agricola c. 7. de Rebus metall.

MINERALIVM. LOCA FOECVNDA

Sulphure, Bitumine, Pice, Naphtha, Succino.

In BABYLONIA bitumē multum innascitur: de quo Eratosthenes dicit, liquidum, quod naphthan uocant, in SVSIANO agro nasci: aridum uerò, quod congelascere potest, in Babylonio. cuius fons est prope ipsum Naphthan. Hoc autem inundante ex liquefactione niuium, & ipse augetur, & effusionem in fluuium facit. Hic glebæ maximæ cōcremantur ad ædificia idoneæ, quæ ex coctilibus lateribus fiunt. Sunt qui liquidum etiam in agro Babylonio innasci dicāt. De arido quidē dictum est, quod præsertim ad ædificia ualet: dicunt etiam nauigia cōtexi, quæ bitumine illita constipentur. At liquidum, quod naphtham uocāt, admirabilem quandam naturam habet. Nam igni admotum eum corripit, & si corpus eo illitum igni admoueris, deflagrat, nec aqua ullo pacto extingui potest, sed magis ardet, nisi ualde multam superinfuderis. Cœno & aceto, & aluminę, & uisco oppressum extinguitur. Vnde Alexandrum tradunt, experientiæ gratia, puero cuidā in balneo naphtham insperſisse, ac lucernam admouisse, ut propè puer totus deflagraret, nisi circūstantes multa aqua flammas euicissent, ac puerum seruassent. Strabo lib. 16.

Cùm multa sint in BABYLONIA aspicientibus admiratione digna, non minus mirabitur quis magnam uim, qui in ea gignitur, asphalti: tanta enim illius superest copia, ut nō solùm satis tot tantisq; ædificijs fuerit, sed & populus licēt innumerabilis eo arefacto pro lignis utatur: adeò magna illius copia tanquā ex largo fonte haurientibus adest. Diodorus lib. 2. cap. 4.

Alexandro Magno Babyloniam occupanti, miraculo fuit in ECBATANIS terræ hiatus ignem perpetuò, sicut ex fonte subūcbens, & scaturigo naphthæ ex abundantia nō longè ab illo hiatu stagnantis, qui cætera bitumē repræsentat, cæterùm cognationem habet cum igne adeò magnam: ut prius quàm contingat flammam, interfusum aera frequenter solo splendore circa flammam elucente accendat. Quò uim eius & indolem ostēderent Barbari, uiam ad regis tentorium tendentem irroratuere minutis huius medicamenti stillis, stantesq; in extremo faculas irrigatis admouere. Iam enim tenebræ erant. Capite accenso, mox flamma punēto temporis depasta reliqua est: atq; momento ad alterū percurrit terminum, ac uia cōtinuo colluxit igne. Athenophanes erat Atheniensis ex ijs, qui in ungendo & balneo curare regis corpus solebat, mentemq; eius scitè abducere ad remissionem. Hic in balneo assistente tunc regi puero facie ridicula, sed qui caneret lepidè, Stephanum dicebant: Vis, inquit, in Stephano, rex, periculum faciamus naphthæ? Nā hunc si attigerit, nec fuerit extinctus: dicam uires eius planè inexuperabiles & eximias esse. Cùm promtè puer offerret se ad experimentum: simul atq; inunctus fuit, & attigit eum medicamentum, flammam corpus eius tam ingentem effudit, & igne occupatum est totum: ut ad extremā perplexitatem trepidationemq; reciderit Alexāder. Quòd ni adfuissent, qui multa uasa aquæ in balnei usum ad manum habebant: nulla ope prohiberi potuisset, quin corpus pueri esset ambustum. Sed & tunc corpus eius undequaq; inflammatum fuit, & ignem extinxerunt ægrè, ac pòst malè habuit. Itaq; haud absurdè fabulam quidam ad ueritatem reducentes, hoc illud esse dictitant Medęę medicamentum: quo decantatam illam coronā flammeumq; inunxit. Plut. in Alex.

In stathmo Cissiæ regionis, qui dicitur ANDERICA, CCX stadiis procul à Susis, puteus est, qui trifarias rerum species exhibet, in hunc modum. Hauritur quidem celonio (id est, instrumento ciconia) pro situla autē dimidiato utre ad ciconiam alligato, quo in puteum decusso quicquid hauritur, mox in cisternā diffunditur: atq; hinc aliò effusum, triplici uaietate concrescit, in asphaltum quidem & salem protinus: inde etiam in oleum, quod Persæ Rhadinacē appellāt, atrum, ac grauiter olens. Hoc loci rex Darius locauit Eretrienses: quem ad meam usq; memoriā tenuere, seruantes pristinam linguam, inquit Herod. lib. 6.

ASPHALTIS lacus in media Idumeæ satrapia, in longitudinem patens stadia maximè quingenta, in latitudinem circiter sexaginta. Aquam habet amarā, & supra modū fœtidā, ita ut neq; piscem alere possit, neq; aliud animal aquatile. Cumq; in eum magna flumina dulcedine præstantia influant, ea fœtore uincit. Ex eius medio exhalat quotannis bituminis solidi moles, quandoq; maior tribus iugeris, interdum non multo minor iugero. Quā ob causam incolæ Barbari maiorem uulgò uocant taurum, minorē uitulū: cumq; natet bitumen procul in aqua, fit ut procul spectātibus speciem præbeat insulæ. Fit autem manifesta bituminis excretio ante uiginti dies. Nam circum lacum in multa stadia, fertur odor bituminis tetti uenti, ac quicquid circa eum locū argenti, & auri, & æris est, amittit naturam coloris. Verùm ea in pristinum statum redit, postquam omne bitumen efflatum est. Vicinus autem locus cùm sit ardens & putidus, facit corpora finitimorum ualetudinaria, & omnino uitæ breuis. Excretum autem bitumen, qui ex utraq; parte lacū accolunt, diripiunt, hostili inter sese animo, scitè nauigiis id priuatim percipientes: conficiūt enim arundinum prægrandes rates, quas in lacum coniiciunt, atq; in his sedent non plures tribus, quorum duo alligatos habentes remos, remigant: unus arcus ferens, si qui adnauigāt ex ulteriore ripa, aut uim tentare audent, propulsat. Vbi prope bitumen uentum est, insiliunt cum securibus quas habent, ac tanquā de molli petra secantes, ratem replent. Deinde retrò nauigāt. Diod. lib. 19. Asphaltites Palæstinæ lacus nihil præter bitumen gignit, unde & nomen. Nullum corpus animalium recipit: tauri cameliq; fluitant. Inde, fama, nihil in eo mergi. Longitudine excedit CM passuum. Plinius lib. 5. cap. 16. & Strabo lib. 16.

In ZACYNTHO insula sunt complures lacus, quorū qui maximus, septuaginta quoquò uersus pedum est, altitudinis duum passuum: in hunc uirgines contum, cuius in summitate myrtus alligata est, demittunt: deinde referunt myrto picem, odorem quidē asphalti habentem, sed cæterà præstantiorem pice Pieria: eamq; in scrobem, quem iuxta lacū foderunt, effundunt, & ubi multum illius aggesserunt, ita è scrobe in amphoras transfundunt. Quicquid autem in lacum decidit, id sub terram meaus redditur in mari, quod à lacu quatuor stadijs abest. Herod. lib. 4.

In ipsis Apolloniatarum Illyriorum finibus celeber locus extat, quem NYMPHAEVM uocitant: ibi petra est ignē uomens, cui fontes subsunt, qui aquas tepidas bitumenq; scaturent,

tent, dum ipsa bituminis petra (uti par est) uritur. Propè uerò in tumulo eius metalli effossilis locus est, quod excisum temporis spacio denuò repletur: cumq; tellus intra fossas aggesta sit, in bitumen trãsformatur, Posidonio teste. Idem memoriæ prodidit, terram uinetis consitam, bitumine referetam, quæ in Seleucia Pieria iacet, uineis esse remedio. Nam si cum oleo inungatur, bestiolas ad germina è radice ascendentes necari. Strabo lib.7.

ADIABENE, regio media inter fluuios Tigridem & Euphratem: uocatur & Mesene, quasi Interamniam dicas, uel, regio sita ante Mesopotamiam, uersus Orientem, ultra Tigridem. In ea bitumẽ est, quæ naphtha dicitur. Est autem Adiabene sortita nomen, à difficili transitu, propter fluuiorũ frequentiam. Illic sita est etiam Niniue. Bitumen porrò ædificia ita firmat, ut coctilibus lateribus, & minutis lapillis immistum, ferro quouis robustiora fiant. Illic etiam sunt Auerni fauces, è quibus dirus halitus expirat: qui quoduis terrestre animal, quemuis alitem perimat, si olfecerit duntaxat ex propinquo. Qui si spargeretur, habitari locus ille nõ posset. Verùm recta linea ascendit: & cùm paululum emersérit, rursus infringitur. Vnde uolucres altiùs uolantes euadunt, & animalia quæ in circuitu pascuntur. Suidas.

Sulphuris nusquã terrarũ copia maior, quàm in insula THVLE, quæ Islandia dicitur, unde in uniuersam Europam aduehitur. Io. Bodinus Method. hist. c. 5.

SEPTENTRIONALES regiones, abietes & pinos in maxima alũt copia. Quarum resina cancri caloribus resoluta in subiectos destillans fluuios, & aquæ frigiditate congelata, marino æstu per mare Gothicum in meridionale litus aduersum Prutenicum euomitur. Olaus lib. 11. c. 8.

Alumine. Fodinæ aluminis

Fertiles.

Veteres inuẽniri aluminis fodinas in ITALIA, negarunt. At Pij II. Pontificatu ad Forum Claudij primũ in FALISCIS, & postremò in VOLATERRANO agro magna uis aluminis inuenta, posse falli doctissimos sæpè uiros, ostendit. Volaterrani quidam priuati homines ea re obseruata, cùm permultis operis conductis indigerent, Florentinos quosdam Iuri simul & periculi socios sibi ascíuerunt. Volaterranus populus ubi fossionem uberem magniq; quæstus esse animaduertit, arbitratus posse exigi uectigal non contemnendum, quoniam infectores alumine plurimum uterẽtur, publicum agrum esse contendens, commodum quoq; ad ærarium pertinere affirmauit. Contrà priuati suo labore & periculo inuentum in publicam auerti utilitatem, iniquum censebant. Re ad seditionem spectante, Florentinorum magistratui (iis enim parebant) iudicium controuersiæ permiserunt. Missi à Florentinis arbitri, siue mũneribus corrupti, siue æquitate ducti, secundùm priuatos iudicarunt, adiecto ad contumeliam decretò, Volaterranum populum malè facere, qui suos ciues homines industrios & uigilantes fructu sui laboris priuare uelit: placere tamen, priuatos quotannis certam pecuniã tributi nomine pẽndere, quod indicio esset, eius soli ius ad ciuitatem pertinere. Volaterrani eo iudicio exacerbati, à Florentinis palàm defecerunt, & ciuium suorũm, secundum quos pronunciatũ fuerat, ædes diripuerunt & incenderunt. Florentini armis perfidiam prosecuti, Volaterras captas diripuerunt, anno MCCCCLXXII. Brutus lib. 5. Florent. hist. Pio II. Pp. sedente, in agro Tolphano prope Centũcellas, montes aluminis parefacti sunt, ex quibus prouentus annui aureorum numũm paulo minùs percipi ꝝ CM feruntur. Io. Campanus in uita Pij II. Pont. max.

Defectæ.

Non ita pridem destitit uena illa CARYSTI glomos lapidũ molles, qui in licia deducerentur, eructare. Nonnullos certè uestrum uidisse arbitror mantilia, plagulas, & reticula ex ea materia, ab ignis iniuria libera: quæ cùm sordida usu facta sunt, coniecta in ignem splendida & pellucida efferunt. At nunc exoleuit, & uix quasi fibræ uel capillamẽta tenuia intercurrunt in iis metallis. Plut. de Def. orac.

Sale. Salifodinæ.

Africa circa VTICAM construit aceruos salis ad collium speciem: qui ubi sole lunaq; induruere, nullo humore liquescunt, uixq; etiam ferro cæduntur. Fit tamen & in CRETA sine riguis, in salinas mare infundentibus: & circa AEGYPTVM, ipso mari influente in solum (ut credo) Nilo succosum. Fit & è puteis in salinas ingestis. Prima densatio BABYLONE in bitumen liquidum cogitur, oleo simile, quo & in lucernis utũtur: hoc detracto subest sal. Et in CAPPADOCIA è puteis ac fonte aquam in salinas ingerunt. In CHAONIA excoquunt aquam ex fonte, refrigerandoque salem faciunt in certem, nec candidum. Galliæ Germaniæq; ardentibus lignis aquam salsam infundunt. Hispaniæ quadam sui parte è puteis hauriunt, muriam appellant. Marinorum maximè laudatus CYPRIVS à Salamine: at è stagnis Tarentinus suauissimus omniũ atq; candidissimus: ac Phrygius, q Tartæus uocatur. Hi duo oculis utiles. Plin. li. 31. c. 7.

Sal siccatur in lacu TARENTINO æstiuis solibus, totumq; stagnum in salem abit, modicũ alioquin, altitudine genua non excedẽs. Item in Sicilia in lacu qui COCANICVS uocatur, & alio iuxta Gelam: horum extremitates tantùm inarescunt, sicut in Phrygia, Cappadocia, Aspendi, ubi largiùs coquitur, & usq; ad medium lacum. Illud mirabile, q̃ tantundem noctu subuenit, quantum die auferas. Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis litorib. ac scopulis relicta. Hic omnis rore densatur, & est acrior q̃ in scopulis inuenitur. In Bactris duo LACVS uasti, alter ad Scythas uersus, alter ad Arios, sale æstuant: sicut ad Citium in Cypro, & circa Memphin, extrahũt lacu, dein sole siccãt. Sed & summa fluminum densantur in salem, amne reliquo ueluti sub gelu fluẽte, ut apud Caspias portas, quæ salis stãmina appellantur. Item circa MARDOS & ARMENIOS. Præterea apud Bactros amnis OCHVS & OXVS, ex appositis montibus deferunt salis ramenta. Sunt & in Africa lacus, & quidem turbidi, salem ferentes. Ferunt quidem & candidi fontes, sicut Pagasæi. Sunt & montes natiui salis, ut in Indis OROMENVS, in quo lapidicinarum modo cæditur renascens: maiusq; regum uectigal ex eo est, quàm ex auro atq; margaritis. Effoditur & è terra, ut palàm est humore densato, in Cappadocia. Ibi quidem cæditur specularium lapidum modo. Pondus magnum glebis, quas micas uulgus appellat. CARRHIS Arabiæ oppido muros domosq; massis salis faciunt, aqua ferruminantes. Inuenit & iuxta Pelusium Ptolemæus rex, cùm castra faceret. Quo exẽplo postea inter Aegyptum & Arabiam, etiam squallẽtibus locis, cœptus est inuẽniri detractis harenis: qualiter & per Africæ sitientia usq; ad Ammonis oraculum. Is quidem crescẽs cũ Luna noctibus. Cyrenaici tractus nobilitantur Ammoniaco, & ipso, quia sub harenis inueniatur, appellato. Similiter & in Hispania citeriore Egelastæ, à medicis laudatissimum. Plinius lib. 31. cap. 7.

In agro Troiano prope Lectum promontorium est Halysius campus, & Tragesci sales, qui sponte nascuntur, & Etesiis uentis congelascunt. Aeneas Syluius cap. 70. Asiæ.

In interiore sinu maris Persici urbs iacet, nomine GERRHA, quam Chaldæi tenebant, à Babylonia profugi, loca salsa, & domos ex sale habitantes, quas, cùm salis squamæ propter solis ardorẽ separatæ continuè cadunt, crebrò aquis aspergant, atq; eo pacto continuant parietes. Strabo lib. 16.

In XIMENA Ponti regione sunt sales fossiles, à quibus Halym flumen dici putant. Strabo lib. 2.

TATTA lacus Phrygiæ maioris salis fontes habet, ut & auiũ superuolitantium pennæ rore aspersæ, in sal concrescant. Strabo lib. 12.

Dicunt in terra SOPITHIS, in monte quodam sales effodi, qui toti Indiæ sufficiant. Strabo lib. 15.

Est Hispaniæ Tarraconẽsis mons in Comitatu CARDONÆ sale plenus, præstatq; omnibus regionalibus salis fertilitate: quem montem, quum maximè sale euacuatur, tunc latiùs in altum crescere nemo dubitat. Io. Gerund. lib. j. Paralip. Hispaniæ.

Sunt montes Hispaniæ natiui salis, apud RIBAGORCIAM, in quibus lapicidinarum modo sal cẽditur, & arborum modo postea pullulat ac renascitur. Apud oppidũ ANTIQVERAM uallis est amœnissima, cuius longitudo est passuum mille & quingentorum, & ex omni parte clausa montiũ iugis: quæ uallis hyeme pluuialibus aquis impletur, & in formam magni lacus efficitur: cuius aquæ calore solis in salẽ candidum conuertuntur. L. Marineus Siculus lib. j. de Reb. Hispaniæ.

In Dacia MARMACIA, unde Tibiscus oritur, in Carpathiis montibus collocata, quam Marmarussam nunc appellant, sal marmoris instar effoditur, & tanta quidem copia, quanta uniuersæ Scythiæ satis esse posset. Nec procul quidẽ hinc aqua inuenitur, in qua demersum ferrum uertitur in cuprũ. Bonfinius lib. j. Dec. j.

Salinæ ubertimæ apud LVNEBVRGVM Saxoniæ habentur, ex quibus multi monasteriorum abbates & prælati uitam ducere consueuerunt. Has Luneburgenses uiolenter usurpauere. Ob quam rem & à Nicolao Pont. max. & à Friderico III. Imp. Augusto damnati sunt. Aeneas Syluius cap. 32. Europæ.

In POLONIA montes profundissimi salis sunt, præsertim in Vielisca & Bochna. Olaus lib. 13. c. 43. Septentrionalium gentium. Bolesłao Pudico regnante, anno MCCLII. salis metalla apud BOCHNAM, quinto à Cracouia milliario, inuenta sunt. unde uberes principi reditus accessere. Kinge, siue Cunegundis, uxoris Bolesłai, pietati & sanctimoniæ beneficium id, non modò Polonis, uerùm etiam finitimis populis perutile, acceptum refertur. Excinditur autem id altissimis & latè sub terra patentibus puteis, supersuè egesta humo,

mo, solidum duritie lapidea, molesq; ingẽtes trochleis, uel equorum, uel hominũ opera circumactis extrahuntur, non nullæ crystalli penè in modum pellucidæ. Quin ex eo quoque columnæ miræ magnitudinis excisæ specus cauos, & contignationes eorum, atq; oppidum ipsum superædificatum uillasque sustentant. Aqua item è puteis illis hausta, in sal candidum excoquitur. Cromerus lib. 9. & Guagninus in Polonia.

Anno MDLI. flante Austro, stagnum OSTIÆ propinquum mense Augusto nimio æstu exaruit, limusq; per XX dies salem ẽdidit candidissimũ, rore salso, matutino tempore humectatus. Bern. Saccus lib. j. c. 4. Ticinensis hist.

Nitro.

Nitrum optimũ copiosumq; in CLYTIS Macedoniæ, quod uocant chalastricum, candidum, purumq;, proximum sali. Lacus est nitrosus, exiliente è medio dulci fonticulo. Ibi fit nitrum circa canis ortum nouemis diebus, totidemq; cessat, ac rursus innatat, & deinde cessat. Fit & in Aegypto circa Naucratim & Memphim, Nilo nitrariis scrobibus immisso. Plinius libro 31. cap. 10.

Sandaracha.

Ad Pompeiopolim Bithyniæ MONS est, Sandarachẽ metallo nobilis. Hunc operatores maximis cuniculis subeunt. Solebant olim publicè operari, & fossoribus utebãtur seruis, ex aliquo maleficio redemtis. Nam præter operandi laborem, qui maximus est, dicunt aerem ex metallis lethiferum esse atque intolerabilem, propter odoris grauitatẽ è glebis prodeuntem. Vnde corpora citò ibi mori, sæpè metallorum effossionem deficere propter operariorum incommoditatẽ: qui cùm plures sint quàm CC. continuè & morbis & labe absumuntur. Strabo lib. 12.

Minio.

SISAPO Beticæ oppidum est, olim Romanis uectigale, uenas habens miniarias. neq; temerè Romam aliunde miniũ aduehebatur. Negat autem Plinius ullius rei Romanis fuisse diligentiorem custodiam. Neq; enim ibi fas erat perfici miniũ excoquiq; ubi nascebatur: uena signata, ad dena millia ferè pondo annua Romæ lauabatur. In uendendo lex præscribebat precij modũ, ne in immensum excederet. Sed multis modis adulterabatur. Vnde, inquit, præda societati. Et mox de minio adulterino, Hoc ergo adulteratur in officinis sociorum. Ex his liquet eam regionem in multos socios fuisse diuisam, quemadmodum & hodie metalla argẽtaria aurariaúe iuxta certos tractus à redemtorib. occupantur. Erasmus in Adagiis.

Carbonibus fossilibus.

In regione THRACVM, qui Agrij, id est, feri appellantur, fluuium esse tradit Theopompus, nomine Pontũ, qui lapides carbonum similes alueo deferat suo: hos lapides uri quidem, sed planè contrario modo atque carbones ligneos: quippe extingui, si flabris exuscitentur: aqua conspersos, faciliùs ardere: odorem horum nullum reptile tolerare. Antigonus de Mir. nar.

In FIFA Scotię regione effodit ingẽti numero lapis niger, faciẽdo igni supra modũ accõmodus, quales LEODII quoque effodiuntur, tanti caloris cùm accensi sunt, ut ferrum etiam liquefaciant, fabrisq; ferro æriq; molliendo inprimis usui sint: nec usquam alibi, nisi inter Taum & Tinã amnes, in tota Albione illius lapidis genus inuenitur. H. Boethius in Scotiæ descript.

Thure, Myrrha fossili.

In MORAVIA Thus & Myrrha reperitur, non ex arbore desudante, ut alibi, lecta, sed è solo terræ eruta, uno tantùm in loco, cui Gradisco nomen, in quo ad hunc diem Thus non solùm id quod masculum uocant à similitudine testium, sed quod alia præterea uirorum mulierumq; membra ostẽtat, effoditur. Nuper autem Vencesłaus à Quercu, dum in agro suo Sterenbergensi fundamenta aggeri piscinario molitur, corpus hominis integrum inuenit, quod nihil nisi Myrrha erat, quam ille per amicos distribuit, Io. quoq; Dubrauium plus media parte lacerti humani donauit. Dubrauius lib. 4.

Vitro.

Inter Ptolemaida & Tyrum est litus aggerosum, quod uitrariam arenam fert, quam dicunt hoc in loco non fundi: quum uerò Sidonem delata sit, fusionem recipere. Strabo lib. 16. Tradit Iosephus, esse PTOLEMAIDA Galileæ ciuitatem montibus hinc inde ferè obmunitam, conuallaramq;: siquidem à Meridie Carmelo constipatur, à Septentrione uerò quem uocant incolæ Scalam Tyriorum: ab urbe duorũ ferè stadiorum interstitio fluuiolus offert se, Beleus nomine: eius in propinquo Memnonis est sepulcrum, cui adiacet locus omnium admiratione dignissimus: ea est species uallis circumactæ in orbem, quæ uitream harenam emittit, alioqui & singulare miraculum adest. Commeãt illuc numerosi nautæ genus terræ auecturi: sed quicquid inde egestũ fuerit, repletur mox: eadem semper campi facies. Produnt peritiores, uentorum id opera contingere, qui ex circumiectis superciliis difflatu suggerant metallum. Nec tamen uno ibi est miraculo natura contenta: quicquid aliunde congesseris harenæ, transit euestigiò in uitrũ: quòd si ultra loci imagines fuerit denuò proiectum, in habitum priorem eadem redit celeritate. Cælius lib. 22. cap. 5. A. L.

PAGIDA siue Belus Phœniciæ fluuius, uitro fertilis, è palude Cendeuia à radicibus Carmeli profluens. Plin. lib. 5. c. 19.

VEGETANTIVM LOCA, CONSIDERATORVM respectu STIRPIS. Huc Loca in quibus reperiuntur

Arbores respectu Vsus sui conferentes

Potui.

FERREA insula una Canariarũ, fluuiis, fontib. puteisq; caret. Veruntamen unica in ea est arbor, muris, uti fons, circundata, nuci arbori similis: hæc aquam, quæ pecoribus hominibusq; sufficiat, è foliis ubertim stillat. Hanc arborem meretrix quædam eius insulæ, cùm primũ insula subigeretur, Hispanis prodidit. Quam perfidiam, à suis clam auecta, supremo supplicio luit. Io. Metellus.

Igni.

☞ *Vide infrà, Lignorum copia.*

Arbor in PERVVIA est, materie spongiosa, q̃ uenereos stimulos perdomat: eamq; ob causam Indi nunquam ex ea ignẽ struunt, ne eius calore fumoúe impotentes in uenerem redantur. Io. Metellus.

Fabricæ.

Alexandri Magni comites prodiderunt, in TILO rubri maris insula arbores esse, ex quibus naues fierẽt, CC annis durantes, & si mergerentur, incorruptas. Plin. lib. 16. cap. 41.

Arbores respectu Speciei uariæ. Puta

Olea.

Oleaster copiosus apud ALPHEVM nascitur. Pausan. lib. 5.

In ITALIAM olea omnino tardè peruenit: nam Theophrastus, teste Plin. in principio 15. libri, urbis Romæ anno circiter CCCCXL. negauit, nisi intra XL millia passuum à mari nasci. Fenestella uerò dicit, hanc arborem omnino non fuisse in Italia, Hispania, atq; Africa, Tarquinio Prisco regnante, ab anno pop. Rom. CLXXIII.

Vites.

MARGIANA Bactrianis ad occidentẽ adiacet, & campis desertis ambitur. Fama est Antiochum, Soterem, loci naturam admiratum, magnam terræ partem muro circũclusisse: cuius ambitus mille & quingentorum fuerit stadiorum, & urbem Antiochiã condidisse. Vites hic optimas inueniri, quarum truncum uix duo uiri complecti queant, racemumque duorum ferè cubitorum. Aen. Syl. c. 17. Asiæ, ex Strabone.

Vitis in paludibus CHALDÆORVM (quas effusus Euphrates facit) nascitur, terra in arundineis cratib. imposita, quantam stirps recipiat, ut sæpè etiam ab aqua deferatur, quam rursus in pristinam sedem contis propellunt. Strabo lib. 16.

CARMANIA fert uitem Carmanicam uocatã, quæ sæpè bicubitalem racemum facit, magnis acinis ac densis. Par est enim eam fœcundiorem esse. Strabo lib. 15.

Vites in BOSPHORO per hyemem terra infodi perhibent. Strabo lib. 7. Geographiæ.

LAMPSACVS uineis abundat. Vnde Priapus ibi colitur. Eã urbem Xerxes Themistocli in uinũ dedit: nam tota hæc regio & Pariana uineis abundauit. Hinc fortasse temulẽta matronarum turba, & Veneri dedita, Priapi cultum inuenit. Aeneas Syl. c. 65. Asiæ, ex Strabonis lib. 13. & Plut. Themistocle.

M. Varro auctor est, uitem fuisse SMYRNÆ apud mare biferam, & malum in agro Consentino. Hoc autem euenit perpetuo in Tacapensi Aphricæ agro, ea est soli fertilitatis. Plinius lib. 16. cap. 27.

TMOLVS mons Lydiæ, uitibus consitus, Pactolum fluuium producit, & Sardis urbem celeberrimam in latere habet. Plinius lib. 5. cap. 29.

Ad ELEPHANTINEN, neq; ficus neq; uites amittunt folia. Varro lib. j. cap. 7. Rei rusticæ.

Ficus.

Ficus celebrantur ATTICÆ, PHRYGIÆ, Rhodiæ, Cauneæ ex Aeolia, uel Caria, Pariæ, Chiæ, item Callistruthiæ à Romanis dictæ. Athen. lib. 3. c. 3.

Ficus HYRCANIÆ & dulcedine & fertilitate uincunt Italas, ut quæ modios CCLXX singulæ ferant. Plin. lib. 15. c. 29. ex Onesicrito. Laudantur & AFRICANÆ, illustri testimonio Catonis, qui Carthaginem unius fici argumento delendã Senatui Rom. persuasit. Ibid. EBVSA insula præstãtissimos ficus gignit, mox in Marrucinis. Idem cap. 19.

Varia ficuum genera in Albenſe rus è Syria intulit L. VITELLIVS, qui poſtea cenſor fuit, cùm legatus in ea prouincia eſſet, nouiſſimis Tiberij Cæſaris temporibus. Plin. lib. 15. c. 19.

Caricas CIMOLIAS commendat Athen. lib. j. c. 27. Inter caricas maximè ATTICÆ admiratione dignæ putabantur. Quamobrem ſcripſit Dinon in rebus Perſicis: Apponebantur in regis ipſius menſa quotcunq; epulas terra producit, ex qua primum ſumit rex ex ſingulis, quaſi initiaretur. Neq; illo uel potu uel epulo externo uti reges oportere, exiſtimatur. Ex quo lex etiam lata eſt. Nam cùm quidam ex eunuchis inter reliqua bellaria Atticas aliquando intuliſſet, in terrogauit: Cuiates eſſent? Vbi uerò Atticas eſſe intellexit, iuſſit obſonatoribus, ne emerent, donec ei non licereat capere ubi uellet, non autem emere. Fama eſt, hunc eunuchum ſeduló id effeciſſe, ut illi in memoriam reuocaret, in Athenienſes eſſe militandum. Athen. lib. 14. c. 23.

Philemon Aegilidas pulcerrimas caricas uocari inquit, ac AEGILA populum eſſe quendã Atticæ, ab Aegilo heroe quodam nominatum. Idem.

ROMÆ olim colebat ficus arbor in foro ipſo ac comitio Romæ nata, ſacra fulgutibus ibi conditis. Magisq; ob memoriam eius, quæ nutrix fuit Romuli ac Remi cõditoris appellata: quoniam ſub ea inuenta eſt lupa infantibus præbẽs rumen (ita uocabant mammam) miraculo ex ære iuxtà dicato, tanquam in comitium ſponte tranſiſſet. Adacto nauigio illicò areſcebat, rurſusq; cura ſacerdotũ ſerebat. Fuit & ante Saturni ædem, urbis anno CCLX. ſublata ſacro à Veſtalibus facto, cũ Syluani ſimulacrũ ſubuertẽret. Plin. li. 15. c. 18.

Cedrus.

ANCHORARIVS mons uocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatiſſimam olim dedit cedrum, Plinij tẽpore exhauſtus. Plinius lib. 13. cap. 15.

Palma.

Dactylos ſeu palmulas BABYLONIOS commendat Herodotus: lotum Libycam Polybius. Vide Athen. lib. 14. ca. 22. Regio hordeum fert, quantum alia nulla. Cætera ex palma præbet. Ex ea enim panis, & mel, & uinum, & acetum fit, & textilia uaria. Nucleis pro carbonibus fabri ferrarij utũtur, qui in aqua macerati, bobus & ouibus in pabulum dantur. Dicunt eſſe carmen quoddam Perſicum, in quo CCC & ſexaginta palmæ utilitates numerentur. Strabo lib. 16.

IVDÆA inclyta eſt uel maximè palmis. Sunt quidem & in Europa, uulgoq; Italia, ſed ſteriles. Ferunt in maritimis Hiſpaniæ fructum, uerùm immitè, dulcẽ in Africa, ſed ſtatim euaneſcentem. Contrà in oriente ex his uina, gentiumq; aliquibus panis: plurimis uerò etiam quadrupedũ cibus. Quamobrem iure dicentur externæ. Nulla eſt in Italia ſponte genita, nec in alia parte terrarũ niſi in calida. Frugifera uerò nuſquam niſi in feruida. Plin. lib. 13. c. 4.

HIERICVS eſt campus à montana quadã circumdatus, quæ in theatri ſpeciem ad ipſum declinat. Hoc in loco eſt palmetum, cui immixta eſt etiã alia materies domeſtica, & ferax, palmis caryotis præſtantiſs. abundans, ſpacio ſtadiorum C & totum irriguum, & habitationibus plenum. Vbi & regia eſt, & balſami uiridarium. Strabo lib. 16.

ENGADDI urbs circa lacum Aſphaltitem, CCC ſtadiis procul ab Hieroſolyma, palmetis optimis & opobalſamo nobilis. Ioſephus lib. 9. cap. j. Antiq.

Citri.

VALENTIÆ in Hiſpania horti non tantùm citris conſiti, ſed etiam citreis parietibus uiuente materia concluſi: ut dubites hortíne ſint, an ædes. Nam cùm nihil aliud inſit quàm arbores frugiferæ atq; felices, manu poſitæ, inſtitutæ, digeſtæ, quid niſi horti dicendi ſunt? Rurſus cùm audis extrinſecus eſſe parietes, intus autem aulam, conclauia, curiam: item ſacella, altaria, ſedilia canonicorum, thronum epiſcopi, & cætera huiuſmodi, non aliud quàm ædes eſſe ſuccurrit. Sunt enim parietes ex truncis citriorum confecti, & tamen frondibus ueſtiti, ut perſpici introrſum nequeat, nedum intrari. Ita cùm rami adoleſcunt, intorquentur & inflectuntur, ita inſiti atq; inſerti, conſiti atq; conſerti coaleſcunt, ut omnes rimæ expleantur, ut nihil uacui relinquatur, ut pariter firmitatis ex truncis, & decoris ex frondibus ratio conſtet. Eodẽ pacto introrſum, quæ enumeraui, compoſita ſunt, clericis per ſe, laicisq; deſeruientia. Pauimentum laterculo quadrato uitreatoq; ac picto conſtratum eſt. Valla lib. 3. Hiſt.

Cupreſſus.

Cupreſſum Creticam ut præſtantiſſimam laudat in Sympoſiacis Plutarchus: ſicuti etiam Iſthmiam pinum. Cælius lib. 25. cap. 2. De ea ſic Plin. Cupreſſo patria inſula CRETA, quanquam Cato Tarentinam eam appellat, credo, quòd primũ eò uenerit. Et in AENARIA ſuccifa regerminat. Sed in Creta quocũq; loco terram mouerit quiſpiam, niſi ſeratur alia, hæc gignitur, protinusq; emicat. Illa uerò etiam non appelato ſolo ac ſponte, maximeq; in Idæis montibus & quos Albos uocant, ſummisq; iugis, unde niues nunquã abſunt, plurima: quod miremur, alibi non niſi in tepore proueniens, & nutricem magnoperè faſtidiens. Plin. lib. 16. c. 33.

Perſea.

Perſea arbor ſola gaudet NILI aqua. Pauſanias lib. 5.

Laurus.

Theophraſtus auctor eſt, hederam olim in ASIA nullam fuiſſe, nec in INDIA, niſi in monte Mero. Harpalo Medo, q Babyloniæ ab Alexandro relictus præfectus fuit, ſtudenti Græcis plantis regiam & ambulationes excolere, cętera reſponderunt. Vnam reſpuit tellus hederam, quam ſemper corruppit impatiẽtem eius temperiei: quòd hæc frigidis gaudeat, illa ferueat. Alexander Magnus, exemplo Liberi patris, obraritatem coronato exercitu, uictor ex India rediit. Plinius lib. 16. cap. 34. & Plut. in Alex.

Circa Boſphorum Cimmerium in PANTICAPEO urbe, omnino modo laborauit Mithridates rex & cæteri incolæ, ſacrorum cauſa, laurum myrtumq; habere, ſed fruſtra, cùm teporis arbores abundent ibi, punicæ ficiq;, iam mali & piri laudatiſſimę. Frigidas eodem tractu non genuit arbores, pinũ, abietem, piceam. Et quid attinet in Pontum abire? Iuxta Romã ipſam caſtaneæ ceraſiq; ægrè proueniunt, perſica in Tuſculano: nec non nuces græcæ cum rędio inſeruntur, Tarracina ſyluis ſcatente earum. Plin. lib. 16. c. 32.

Platanus.

Platani pulcerrimæ ATHENIS olim in ambulatione Academiæ fuere, cubitorum XXXVI. In LYCIA caua fuit domicilij modo, XXCI pedum ſpecu: in qua Mutianus ter conſul cum XI comitibus epulatus cubuit. Caligula princeps in Veliterno rure ſupra platanum cum XV conuiuis diſcubuit, eamq; cœnam appellauit nidum. GORTYNÆ in Creta iuxta fontem platanus eſt, nunquam folia dimittens, ſub qua Iouem cum Europa concubuiſſe ferunt. Cuius generis fuit etiam alia in Cypro. Plin. lib. 12. c. j. ex Varrõnis lib. j. c. 7. de re Ruſtica.

In PIERI ripis (qui fluuius Patrienſium Achiuorum agrũ præterfluit) platanorum lucus eſt, tãta arborum magnitudine, ex ipſa uetuſtate, ut intra cauernas (multæ enim concauæ ſunt) qui uelint & epulari, & recumbere poſſint. Pauſanias in Achaicis.

Paulò ſupra CAPHYAS Arcadiæ oppidum, fons eſt, & prope fontem ingens & eximia ſpecie platanus, quã Menelaida nuncupant: Menelaum Troiano bello ſuſcepto, ad comparandas copias huc ueniſſe, & eam ab ipſo platanum ſatã dictitantes. Hoc ſanè tempore & fontem & platanum Menelaida appellant. Pauſanias in Arcad.

Quercus.

In THVRIO agro, ubi Sybaris fuit, ex ipſa urbe proſpiciebatur quercus una, nunquam folia dimittens, nec ante mediã æſtatem germinans. Plinius lib. 16. cap. 21. & Varro lib. j. c. 7. rei Ruſticæ.

Populus.

Hercules in THESPROTIDE ad amnem Acherontem primùm reperit populum albam, eamq; ſecum in Græciã detulit. Populus nigra PADI & Galliæ alumna. Pauſan. lib. 5.

Pinus.

De pulcra pinu, quæ loco cuidam TROADIS nomen dedit, Attalus qui primus regnauit, ita ſcribit, ambitum eius eſſe pedum XXIV. altitudinẽ à radice LX & VII. poſtea in tria ſciſſam æqualiter inter ſe diſtantia, iterum in unam apiceem coaleſcere. Totam eius altitudinem eſſe duorum iugerũ & XV cubitorum. Diſtat ab Adramyttio ſtad. CXXC. ad ſeptentrionem. Strabo lib. 13.

Terebinthus.

In CHEBRONE Idumeæ municipio Terebinthus maxima fuit, ſexto ab oppido ſtadio, quã ab initio mundi uſq; ad Iudaicum bellũ perduraſſe, aſſerit Ioſephus lib. 5. c. 7. belli Iud.

Styrax.

Apud SELGAM Piſidiæ urbem, in ſummo Tauri uertice ſitã, ſtyrax arbor copioſa naſcitur. Strabo lib. 12.

Malua.

Arbor eſt malua in Mauritania LIXI oppido ęſtuario, ubi Heſperidum horti fuiſſe produntur, CC paſſ. ab Oceano, iuxta delubrum Herculis, antiquius Gaditano, ut ferunt. Ipſa altitudinis pedum XX. craſſitudinis quam circumplecti nemo poſſit. Plin. lib. 10. c. 4.

Salix.

Salix ocyſſimè ſemen amittit, ob id frugi perda dicta ab Homero. Vna tamen proditur, ad maturitatem perferre ſolita, in CRETA inſula, ipſo deſcenſu Iouis ſpelunceæ, tortuum lignęumq;, magnitudine ciceris. Plin. lib. 16. c. 26.

Arbores

Arbores reſpectu Durationis ſuæ.

Vetuſtæ.

De arboribus uetuſtiſsimis totius orbis, Plinius lib. 16. cap. 44. diſſerit.

Ex Græcorum monimentis uetuſtiſſimæ arbores, quæ Pauſaniæ tẽpore adhuc ſuperſtites & uegetæ erant, antiquiſſima omnium uitex fuit, quæ apud SAMIOS ad Iunonis extat. Ei uetuſtate proxima quercus DODONEA. Olea deinde in ATHENARVM arce, & quæ DELI adhuc extabat palma. Tertium uiuacitatis locum lauro ſuæ iurè fortaſſe SYRII tribuerint. Præter has, platanus Menelais dicta apud Caphyeaſes Arcades omnium ueterrima. Pauſan. in Arcad.

Plantæ reſpectu ſui Vſus uel

Medicæ.

CRETA inſula plantas præſtantiſſimas producit, inter cæteras dictamnum, quod nuſpiam alibi naſcitur. Quicquid denique in Creta naſcitur, infinito præſtare cæteris eiuſdem generis alibi genitis dicitur. Proximè quod in PARNASO. PELIVS quoq; in Theſſalia herbifer eſt, & TELETHRIVS in Eubœa, & tota Arcadia & Laconica. Arcades nõ medicaminibus, ſed laſte tantùm circa uer utuntur, quoniam tunc maximè ſuccis herbæ turgeãt, medicenturq; ubera paſcuis. Plinius lib. 25. cap. 8.

ANDROMACHO Neronis medico, q celebratã illam Theriacæ antidotum carminibus mandauit, medico elegãti & experienti, plurimũ ad eam medendi præſtantiam contuliſſe ipſam patriam, Gal. cap. j. ad Piſonem opinatur: quòd ſcilicet Creta, quæ complures herbas ſalutares profert, uirum quoque talem producere potuerit, qui humano generi ſalutarem antidotum componeret.

Aeſchylus è uetuſtiſſimis in poetica refertam ITALIAM herbarum potentia prodidit: multiq; CIRCEIOS, ubi habitauit Circe, magno argumento etiamnum durante in Marſis à filio eius orta gente, quos eſſe domitores ſerpentium conſtat. Homerus primus doctrinarum & antiquitatis parens, multus aliàs in admiratione Circes, gloriam herbarũ AEGYPTO tribuit, cùm etiam quæ rigatur Aegyptus illa non eſſet, poſtea fluminis limo inuecta. Herbas certè Aegyptias à regis uxore traditas Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud Nepenthes, obliuionem triſtitiæ uenianique aſſerens, & ab Helena utiq; omnibus mortalibus propinandũ. Plinius lib. 25. cap. 2.

INDIA Luſitanorum & Hiſpanorũ nauigationib. patefacta, exoticorum medicamentorum feraciſſima. Turbit, in Cambaiete, Surrateque, Dio inſula, & Bazaimo, uicinisq; locis, procreatur. Rhabarbarum omne, in Chinarum prouincia naſcitur. China radix, oritur in uaſtiſſima Chinarum regione, quæ Tartariam ſpectat: uenerean quidẽ luem, quæ Chinam & Iapaniam, aliasq; Indiæ prouincias, longè lateque peruagatur, mirificè curat: adeò ut, poſtquam eius uſus ꝑ Indiam increbuit (id quod poſt annum MDXXXV contigit) Guaiacanum lignum, tanquam Hiſpanus quiſpiã, helluones Indos nimia inedia enecans, uileſcere cœperit, uel potiùs omnino profligari. Io. Metellus.

Veneficæ.

Abeſt à Ponti ore MCC, portus ACONE, ueneno aconito dirus, ſpecus Acheruſia. Plin. lib. 6. c. j.

Theopompus hiſtoricus ſcribit, aconitum naſci in cautib. (eę Græcis ſunt aconæ) ad HERACLEAM in Ponto, indeque nomen habere: id cùm ſit uenenum admodum ualidum, nihil tamẽ ei obeſt, qui qua die id offertur ipſi, rutam biberit. Itaq; cùm Agatharchus tyrannus multos ueneno ſuſtuliſſet, conaretur que latére: re detecta, pleroſque Heracleotarum non antè egreſſos domo, quàm rutam edidſſent. Antigonus de Mir. nar.

In LYCIA naſcitur quædam herba caprarum pernicies, ægolethron Græci uocant, eam nulla Lycia capra guſtat. Quod ſi peregrina incidat, & ob ignorationem edat, interit, corrupto omaſo. GYARVS, inſula eſt, Caryſto & Andro uicina, ibi mures ferrum peredunt. Eſtq; ea in inſula ſpina, nomine acherdos, lethalis: & interficit arbores alias, ſi in eas incutiatur. Idem.

SARDINIA inſula eſt uenenorum omniũ, & lethalium ſtirpium expers. Vna eſt herba perniciosa apio perſimilis. Qui eam comederint, ridentes emoriuntur. Ex eo Homerus primùm, aliq; deinde poſt eum, Sardonium eum dixerũt riſum, qui ſimulatè & cum ſtomacho ederetur. Gignitur circa fontes maximè, cumq; ipſis aquis ueneni naturam communicat. Pauſanias in Phocicis.

Datura planta in INDIA citeriore frequens, in Malauare naſcitur. Eius florem aut ſemen fures in eorum cibum iniiciunt, quos deprædari uolunt. Eo ſumto, mente alienantur, eoq; ſoluuntur in riſum, & magna libertate id ſibi, quod illis libitum eſt, prædari ſinunt. Io. Metellus.

Magicæ.

Herbæ magicæ ubi naſcantur, & quales, docet Plinius libro 24. capite 17.

Paſtorales.

Vide ſupra, Prata, & Pabulum ubi.

Plantæ quo ad Speciem uariæ. Puta

Lactuca.

In SMYRNA lactucæ, & in Galatia. Athen. lib. 2. c. 20.

Allium.

Suidas ſcribit, apud MEGARENSES permultã allij copiam eſſe, huius acrimonia multis exprimi lacrymas uel inuitis. Proinde apud Ariſtophanem, qui lacrymatur, alliũ olfacere, per iocum dicitur. Hinc prouerbiũ, Megarenſium lacrymæ. Eraſmus, ex Suida.

Porrum.

Porrus laudatiſſimus in AEGYPTO, mox ORTHIÆ atque ARICIÆ. Plin. lib. 19. c. 6.

Raphanus.

LACIADÆ, municipium Atticæ, in quo multi raphani naſcebantur, quibus ad exagitandos adulteros uti ſolebant. Si hi deeſſent, capulos ſecurium adhibebant. Dicitur de adulteris. Suidas. Raphani Romæ laudabantur AMITERNINI, inde NVRSINI. In Germania infantium puerorũ magnitudinem æquat. Syriacum ſuauiſſimum & tenerrimum, rapi figura. Plinius lib. 19. c. 5.

Rapum.

Apud MAGNESIAM rapas magnitudinis non mediocris, dulces, & quę conferant ſtomacho, naſci, Athen. lib. 2. c. 20. ex Diocle teſtatur.

Rapis palma in NVRSINO agro naſcentibus Taxatio in libras ſeſtertij ſinguli, & in penuria bini. Proxima in Algido natis. Plin. lib. 18. c. 13.

Melones, Cucurbitæ, Cucumeres.

Diocles optimas ait cucurbitas naſci apud MAGNESIAM. Athen. lib. 2. c. 20.

Cucumeres copioſiſſimos AFRICA, grãdiſſimos MOESIA profert. Plin. lib. 19. c. 5.

In ANTIOCHIA cucumeres copioſè proueniunt. Athen. lib. 2. cap. 20.

SICOMARIVS ager prope Ticinum Inſubriæ urbem melones profert ſuauiſs. Saccus lib. 4. Ticinenſis hiſt.

Bulbi.

Bulbos MEGARENSES præcipuè laudat Nicander, teſte Athenæo lib. 2. c. 25. Eoſdem Cato celebrat. Crudi manducantur in CHERRONESO Taurica, poſt hos in AFRICA nati maximè laudantur. Vnum de iis uolumen edidit Pythagoras. Plin. lib. 19. c. 5.

Tubera.

Tubera laudatiſſima AFRICÆ. Lartio Licinio prętorio uiro iura reddenti in Hiſpania Carthagine, paucis his annis ſcimus accidiſſe, mordenti tuber, ut deprehenſus intus denarius primos dentes inflecteret. Quo manifeſtum erit, terræ naturam in ſe globatam tuber producere ueluti callũ. MITYLENIS negant naſci, niſi exundatione fluminum inuecto ſemine ab Tiaris. Eſt autem is locus, in quo plurima naſcuntur. Aſiæ nobiliſſima circa LAMPSACVM & Alopeconneſum, Græciæ uerò circa ELIN. Plin. lib. 19. c. 3. Proinde Tubera Mytilenæorum, Lampſacenorum, Eliensium laudat Athen. lib. 2. c. 22.

Linum.

Linum ſplendore prę cipuo HISPANIA Tarraconenſis producit, tenuitate mira, carbaſis ibi primùm repertis. In Italię Campania ſuus eſt CVMANO honos tenuitate mira, ad caſſes & plagas. Item PELIGNO ad uſum fullonum. CADVRCVM Gallię candidiſſimum lanæq; ſimillimum. AEGYPTIVM eſt goſſypinum dictum, cãdore & mollitia excellens. Aſia è geniſta, Aethiopes & Indi è malis, Arabes è cucurbitis linum colligunt. Plin. lib. 19. cap. j. Apud COLCHOS magnus lini prouentus, cannabis, ceræ & picis. Lanificiũ uulgò exercent: quo ſanè argumento utuntur hi, q eam gentẽ ab Aegyptiis oriundã exiſtimant. Sab. lib. 5. En. j.

Roſa.

Macedoniæ regio eſt, quã HORTOS appellant, quos Midas Gordio genitus poſſediſſe dicit. In his hortis ſua ſponte naſcuntur roſæ ſexagenũm foliorum, fragrantiori odore, quã cæteræ, & in quibus (ut fertur à Macedonibus) Silenus fuit exceptus. Super eos ſitus eſt mons, nomine Bermius, ꝑ hyemem inacceſſus. Herodotus lib. 8.

Maximè odoriferæ ſunt roſæ in CYRENE: quare fit, ut ſuauiſſimum ſit unguentum: uiolarum etiam, aliorumq; florũ ſuauiſſimi ac diuini ſunt odores, tum præcipuè croci. Athenæus lib. 15. cap. 12.

Rosarum celeberrima genera, PRÆNESTINA, Campana, MILESIA, Trachinia, Alabandica, Pangæa, GRÆCA. Plinius lib.21. ca.4.

Lilium.

Lilium ANTIOCHENVM, Laodicense, Phaseliticum. Plinius lib.21. cap.4.

Crocus.

Crocus Cilix è monte Coryco, Lycius è monte Olympo, Sicilus è mõte Centuripino. Plin.lib.21.c.6. Corycum Pamphyliæ promõtoriũ: ultra quod ad stadia XX est CORYCVM antrum, in quo crocus optimus nascitur. Id autẽ est ingens quædam concauitas in orbem deducta, cui labrum petrosum ac satis altum circumiacet. Cùm descenderis, solũ est inæquale, & magna ex parte petrosum, & fruticosa, & semper uirẽti ac domestica materie plenũ. Adiacens uerò solũ croco satũ est. Ibi specu est, quod fontẽ ingentem habẽt, puræ ac nitentis aquæ, in flumẽ exeuntẽ, quod mox à terra absorptũ exit in mare, idq; aquã amaram uocãt. Strabo li.14.

Cytisus.

In SCOTIA per loca inculta & sterilia sponte sua enascitur, cùm ouibus, capris, & omni pecudum generi utilissima Cytisus, tum apibus inprimis gratissima. Florem fert mense Iulio purpurei coloris, mellitissimũ: unde Picti olim potus genus conficere solebant, non minùs salubre quã delectabile. Cæterũ quia eius faciendi artem (ne ea uulgata aut potus ipse minoris fieret, aut materia eius pluris) celauerunt. Ipsis postea à Scotis deletis, usus eius potus idẽ qui & gentis finis extitit. H. Boethius in Scotia.

Medica.

Medicam frugis genus, quẽ uno satu plusquam tricenis annis durat, bella Persica sub Dario GRÆCIÆ notam fecẽre. Vnde & nomen habuit. Plin.lib.18.c.16.

Silphium, Laserpitium.

CYRENAICA Africæ regio per CCLM passuum lasere abundat, XXXM passuum latitudine. Plin.lib.5.c.5. Cyrenæis finitima est regio, quæ silphium gignit, & Cyrenaicum succum, quem silphium posterius esset. Id propemodum defecit, cùm aliquando Nomades odio quodã radices eius penè omnes eruissent. Strabo lib.17. C. Valerio, M. Herennio Coss. Cyrenis aducta Romam publicè laserpitij pondo XXX. Cæsar uerò dictator initio belli ciuilis, inter aurũ argẽtumq; protulit ex ærario laserpitij pondo CXI. Id apud auctores Græciæ euidentissimos inuenimus natum imbre picco repentè madefacta tellure, circa Hesperidum hortos Syrtinq; maiorem, septem annis ante oppidum Cyrenarũ, quod conditum est Vrbis Rom. anno CXLIII. Vim autẽ illam per quatuor millia stadium Africæ ualuisse, in ea laserpitium gigni solitum. Plin.lib.19.c.3.

Thymus.

Thymo etiam lapidei campi in prouincia NARBONENSI referti sunt, hoc penè solo reditu, è longinquis regionib. pecudũ millib. conuenientib. ut thymo uescant. Plin.l.21.c.10.

Ruta.

In urbe MYRINA ruta copiosè prouenit. Athen.lib.2.c.20.

In arce MACHERVNTE munitissima, quã Lucilius Bassus excidit, erat in ipsa regia Ruta mirabilis magnitudinis, à nulla sicu uel celsitudine uel magnitudine uicta: ferebãt autem eam ex Herodis temporibus perseuerasse: mansissetq; ulteriùs profectò, nisi bello Iudaico à Iudæis, qui locum ceperant, excisa fuisset. Iosephus lib.7.c.25. In uicina ualle nascebatur Baaras admiranda planta, eodem teste.

Myricæ.

Myricæ ad MÆANDRI ripas copiosæ nascuntur. Paus.lib.5.

Arundines.

Ferunt INDIÆ tum flumina, tum loca palustria, arundinum copiam ità crassarum, ut nequaquã ea ulnis homines amplecti queant: ex his naues optimæ fiunt, propter arundinũ robur. Diodorus lib.2. cap.5.

De Papyro, Biblo dicta, in AEGYPTO, uide Strabonẽ lib.17.

Iunci.

Iunci insignis magnitudinis in ASOPO Bœotiæ fluuio reperiuntur. Pausanias lib.5.

VEGETANTIVM LOCA CONSIDERatorũ respectu FRVCTVS, quem proferunt. Huc ergo Loca in quibus abundant

Flores.

Vide suprà, Prata. item Rosa, Lilium, Crocus.

THESSALIAM floribus abundare, ex Catullo & Theophrasto lib.7. Hist. stirpium patet.

Circa Aetnam in SICILIA neminem ferunt cum canib. uenatum ire: quia enim multos perpetuò illic ut in uiridario prata colles; flores mittunt, à fragrantia, quæ eam oram occupat, obfuscari ferarum anhelationes. Fabula narratur, legentem ibi flores raptam à Plutone Proserpinam fuisse: cuius gratia colentes & uenerantes eam regionem, pascẽtibus illic non insidiantur. Plut. in Quæst. nat.

Oleum.

Sub Tit. Arborum, Oleas recensuimus. Hic solùm Fructus habetur ratio.

Apud ATHENIENSES ex fructibus solum oleum dedit pẽregrinis distrahendi facultatẽ Solon, aliorũ exportationib. interdixit: eosq;, qui quid euexissent, archontem iussit deuouere, aut ipsum ærario dependere C drachmas. Prima tabula est, quæ hanc legem continet. Vnde non est semel illis abroganda fides, qui aiunt, olim etiam ficuum uetitam exportationem fuisse, & delatorem exportantium à delationibus factitandis, quod Graeci φύσιν uocant, dictum sycophantam. Plut. in Solone.

Oleum SAMIVM, CARICVM & THVRIVM commendatur apud Athen.lib.2.c.29. & lib.j.c.27.

Principatum olei obtinuit ITALIA toto orbe, maximè agro Venafrano, eius q; parte quæ Licinianum fundit oleum: unde & Liciniæ gloria præcipua oliuæ. Reliquum certamen inter Istriæ terram & Bæticæ par est. Plin.lib.15.c.2.

Vinum alimentare

Copiosum.

LAMPSACVS urbs Phrygiæ uino abundans, Priapi patria. Quam Artoxerxes Persarum rex Themistocli Athenienſi in uinum dedit. Diodorus lib.11. & Plut.

De uinis AEGYPTIIS, Mareotico, Tæniotico, Antyllico: itẽ de uinis Græcis, Athen.lib.j.c.ult. Dipnos.

Vino antiquissima claritas MARONEO, in Thraciæ maritima parte genito, ut auctor est Homerus, qui id uicies tanto addito aquæ miscendum prodidit. Durat etiam uis eadẽ in terra generi, uigorq; indomitus. Quippe cùm Mutianus ter consul, sextarios singulos octonis aquæ misceri comperit præsens in eo tractu. Esse autem colore nigrum, odoratum, uetustate pinguescere. PRAMNIO similiter, quod idem Homerus celebrauit, etiam nunc honos durat. Nascit Smyrnæ, regione iuxta delubrum Matris deũm. In reliquis claritas generi non fuit alicui. Plin.lib.14. c.4.

In summa gloria post Homerica illa fuere THASIVM & CHIVM. Ex Chio quod Aruisiũ uocant. His addidit LESBIVM Erasistrati maximi medici auctoritas, circiter DC annum urbis Romæ. Nunc gratia ante omnia est CLAZOMENIO, postquam parciùs mari condiunt. Lesbiũ sponte naturæ suæ mare sapit. Ab his dignatio est Sicyonio, Cyprio, Telmesico, Tripolitico, Berytio, Tyrio, Sebennytico. Plinius libro 14. cap.7.

ARVISIA insula Ionij maris, locus asper & importuosus, stadiorum trecentorum, quod uinum fert Græcanicorum optimum. Strabo lib.14.

Arianæ Asiæ regionis pars est ARACHOSIA, optimi uini ferax, quod in uasis non picatis ad generationes tres perdurat. Similis est MARGIANA. Campus desertis ambitur. Quapropter Antiochus SOTER muro, admiratus loci naturam, circumdedit, cuius ambitus mille & quingentũ erat stadiorum, atq; urbem Antiochiam condidit. Ea etiam uites optimas fert. Tradunt sæpè uitis truncũ inueniri, quantum duo utri complecti queant, racemum duorum cubitorum. Strabo lib.11.

Vinum ICARIVM optimum, teste Athen.lib.j. c.27.

Est regio sole perusta, quam Mysi possident, & Lydi, exuta arboribus omnino uisitur, præter uitẽ, CATACECAVMENEN uocant. Inde uinum habetur uirtute præstans, Catacecaumenites οἶνος uocatur. Ex quo & nonnullorum perelegans circumfertur iocus, Dionysium dici rectè πνευματικὸν, id est, ex igne natum. Catacecaumenen dici coniectant de fulminum frequentia, quam ceraunoboliam uocant: auctor Stephanus, meminit Strabo lib.13. Cælius lib.7. cap.14. Lectionum antiquarum.

Persarum rex uinum CALYBONIVM solum bibere consueuerat, quod Possidonius in Damasco Syriæ etiam nasci affirmat, quia uineas ibi Persæ plantarunt. In ISSA uerò insula, quæ est propè Adriam, uinũ esse scribit Agatharchides, quod cum omnibus comparatum, est melius. De Chio & Thasio uino meminit Epilycus. Prannium è Lesbo laudat Clearchus & Ephippus. Eubulus etiam Leucadiũ, Mileſiũ, Pythiũ. Aristophanes Peparethij meminit. Hermippus Dionysiũ inducit multorũ locorũ uini nomina cõnumerantẽs:

Mendæum mingunt cœlestia regna tenentes
Mollibus in stratis: sunt suauia Thessala uina.
At Thasium, quod pomorum diffundit odorem,
Hoc ego crediderim cunctis iucundius esse,
Felicis Chij post iucundissima uina.
Est uinum, proprio Saprium quod nomine dicunt,
A quo reclusis uasis, & tegmine capto
Surgit odor uiolam redolens, suauesq; hyacinthos,
Tota uolat diuinus odor per tecta reclusus,
Nectar & ambrosia est simul illud nobile nectar.
Tale meis opto conuiuis adsit amicis.
Hostibus at nostris ignobile sit Peparethum.

Athenæus libro 1. capite 26.

Fuit in Laconia uinum MONOBASITES dictum: id Malũsium dici uulgò coniectant eruditi, esse tamen Creticum. Apud Tænarum uel modò Monobasiam agnoscimus, unde uino conciliatum nomen, non tam quòd ibi nascatur, quàm quia rectà illuc aduehatur ex Creta. Cælius libro 28. capite 39. Antiq. Lect.

BYBLINVM uinum uoluit Epicharmus à mõtibus quibusdam Byblinis nomine dictum fuisse. Armenidas Byblinam Thraciæ regionem esse dicit, quam postea Oesymam nominarunt. Erat autem Thracia olim, & propinquæ regiones uini feracissimæ. Hippias Rheginus uitem Ileam uocatam fuisse Byblinam, asseruit, quam Polis Argiuus qui Syracusiis regnauit, primus ad Syracusas ex Italia detulit, & id fortasse uinum quod dicitur Pollium, apud Siculos ipsum est Byblinum. Athen.lib.1. cap.28.

Nascitur in Icaro insula PRAMNIVM, ut testatur Eparchides, atq; est hoc genus quoddam uini, neque dulcis, neque spissi, sed austeri & asperi, atq; egregium supra reliqua uina robur habentis, cuiusmodi non delectari Athenienses, scribit Aristophanes. Athenienſis populus nec poetis delectatur asperis & strictis, nec Pramniis asperis uinis: contrahit enim cilia & uentrem, sed Anthosmia, & pepone nectareo. Athen.lib.1.cap.27. & mox: Semus in Icaro insula esse petram Pramnium uocatam dicit, apud quam magnus est mons, à quo uinum Pramnium, quod Pharmacitem aliqui nominant, exportatur. Vinea quæ uinum Icarium producit, nuncupatur, ut uoluit Eparchides, SACRA ab aduenis, ab Oenoenſibus Dionysias: est autem Oenoa ciuitas in ipsa insula. Et Didymus uinum Pramnium à Pramnia uinea ita dicta, nominari contendit. Alij nigrum proprie, alij quoduis in uniuersum ad permanendum idoneum quasi paramenium uolunt appellari: alij à mitigando robore, quoniam bibentes lenes faciat. Athenæus lib.1.cap.28.

Vini SAMAGONII heminis tribus, etiamsi dilutis, homines numero quadraginta ebrios fieri, pronunciat Aristoteles. Cælius libro 28. capite 30.

In regione quadam, inquit Galenus, uinum ad ignem utribus appensum obdurescit in salis modum, aqua euaporante. Ex Aristotelis Meteororum quarto liquet, ARCADIAM esse eam, ubi uinum ita in utribus siccesset ex fumo, ut abrasum & in minutias pertritum ebibatur. Cælius libro 28. capite 36. Antiq. Lect.

De uinis ITALICIS consule Athenæum lib.1. cap.24. ex Galeno generosissima olim, Pucinum, Setinum, Cæcubum, Falernum cum Gaurano & Faustiano: Surrentinum, Massicũ, Calenum, Mamertinum, & reliqua Romanis nota. Vide Plinium libro 14. capite 6.

CATANENSIVM colles in Sicilia alto exundant cinere ex Aetnæ incendiis, qui aliquando magno illos afficiens mœrore, posterioribus annis magnum terris attulit beneficiũ. Quippe tam læta reddidit illis uineta, & singulari bonitate, ut reliqua nulla uini nobilitate eis comparabilis existat: loca ipsa cinere permixta radices educunt. Sicut igitur ex lignorum cinere ruta fouetur, sic Aetnæum cinerem quandã affinitatem cum uitibus habere, uerisimile est. Strabo lib.6.

Parcum. Nullum.

In Musicani regione Indiæ frumentũ sponte nasci tritico persimile, refert Aristobulus: item uites uiniferas, cùm cæteri uino carere INDIAM dicãt, adeò ut nec ullum aliud musicum instrumentum, præter cymbala, & tympana, & crotala, quibus uti præstigiatores solent. Strabo lib.15.

SAMOS insula feracissima omnium rerum, ut etiam lac gallinæ, sicuti Menander ait, ferre dicatur, uino infelix est, cùm cæteræ circumuicinæ uino optimo abundent, & tota ferè continens, quæ propinqua est, uina optima ferat, ut Chius, Lesbus, & Cos. atqui & Ephesium & metropolitanum optima sunt. Mediterranea uerò & Tmolus, & exusta, & Gnidus, & Smyrna, & alia ignobiliora loca, optimo uino, & ad iucunditatem, & ad medicam uictus rationem excellunt. Strabo lib.14.

Medicatum uinum.

Theophrastus in Historiis plantarum in HERÆA Arcadiæ uinum nasci scribit, quod potum uiros insanire faciat, mulieres uerò parturire. Circa CERYNIAM uel Carypiã Achaiæ esse genus quoddam uini, quod feminas prægnantes abortiuum párere faciat: nam etsi racemum gustarint, abortiuum pariunt. Vinum Trœzenium steriles facit bibentes. In THASO uinum quoddam soporiferum bibunt, & aliud quod bibentes facit uigilare. Athen.libro 1. cap.29. & Plinius libro 14.

Acetum.

Chrysippus philosophus, optimum esse CNIDIVM acetũ & AEGYPTIVM, testatur, atq; Aristophanes in Pluto, Sphettium. Meminit CLEONÆI aceti, uelut eximij, Diphilus. Magno in precio habetur & Decelicum. Athen.lib.2.ca.30.

Mel respectu Efficientis, Collectum

Ab Apibus.

Vide Ticulum, Apes ubi.

In CAPPADOCIA obseruatum prioribus est, sine ullis fauis confici ab apibus mella, ea crassitudine, qua oleum. Cælius libro 23. capite 35.

Ab Hominibus.

Eudoxus Cnidius in septimo Circuitionis libro ait, in Africa quandam esse gentem, quæ supra Syrtes & Carthaginem, uersus Orientem incolat, GYZANTES appellata: hanc q; exerceat artem, quòd flores istis in locis colligat, melq; apum instar conficiat. Apollonius de Hist. mirab.

CALLATIBVS urbs est in confinio Phrygiæ & Lydiæ, in qua sunt opifices mellis è myrica & tritico conficiendi. Herodotus libro 7.

Mel respectu Materiæ, Collectum

Ex Rore.

In MEDIA ab arboribus mella stillare, cecinit Euripides in Bacchis. Apud CITHÆRONEM dulces à ramis guttas manare: uerùm & in THRACIA mel item arboreum suppetere, proditur. Arbores item mellifluas HYRCANIÆ, in pagis qui Fortunati dicantur, celebrat historia. Cælius libro 23. cap.35. A.L.

Ex Arundinibus.

Canna mellis multa in CYPRO reperitur, ex qua saccharum excoquitur. Aeneas Syluius cap.96. Asiæ.

Ex Floribus.

Huc ea quæ de Melle sub loco Apum attulimus.

Mel respectu Qualitatis.

Sincerum, Purum.

In Creta mons est CARINA, IX.M. pass. ambitu, intra quod spacium muscæ non reperiuntur, natumq; ibi mel nusquã attingunt. Hoc experimento singulare medicamentis eligitur. Plin.lib.21.cap.14.

Venenatum.

Græci è Babylone redeuntes, cùm in agrum COLCHORVM descendissent, ingens alucariorum per ea loca multitudò passim conspiciebatur, unde fauos multo melle redundantes multi ad usum eripuerunt, quos qui gustarunt, in quendam incredibilem casum incidere. Nam deglutito mellis liquore, repentè in dementiam uersi, humiq; mox prostrati, extinctis similes uidebantur: cumq; multos dulcedo ad edendum traxisset, breui creuit prostratorum eadem causa numerus. Postera die qua ceciderant hora, ad se omnes redire cœperunt, primumq; uires, ac paulo post etiam mentem recipere, inde mox humo sese attollere, membraq; per inde affecta habebant, atq; illos uidemus, qui fortè aliquo ueneno poto periculum euaserunt. Diodorus lib.14.

Plinius libro 21. tradit, HERACLEÆ in Ponto, ab iisdem apibus aliquando mella reddi perniciosissimum habentia uenenum: quæ qui ederint, abiiciunt se humi, refrigeriũ quærentes: nam sudore diffluunt. Id cur fiat, pabulum in causa est. ea est herba alba, quam ægolethron appellant. Erasmus in Adagiis.

Aliud genus in eodem Ponto gente SANNORVM mellis, quod ab insania, quam gignit, mænomenon uocant. Id existimatur contrahi flore rhododendri, quo scatent syluæ. Gensq; ea cùm ceram in tributa Romanis præstet, mel, (quoniam exitiale est) non uendit. Et in Perside, & in Mauritaniæ Cæsariensis Getulia, contermina Massæsulis, uenenati faui gignuntur: quidamque à parte, quo nihil esse fallacius potest, nisi quòd liuore deprehẽduntur. Plin. l. 21. c. 13.

Cera.

Cera optima PVNICA, inde Pontica, Cretica, Corsica. Plinius libro 21. capite 14.

Cerealia. Frumentum ubi

Copiosum.

BABYLONIA regio omniũ longè optima est, duntaxat ferendo frumẽto. Nã in arboribus ferendis, ficu, uite, olea, nequaquam de principatu contendit: Cereris aũt fructu procreando adeò ferax est, ut nunquã nõ ferè ducẽta reddat: & ubi

ubi præstans bonitate se uincit, etiã ad tricena: quaternũm ferè digitorum latitudine triticeis atq; hordeaceis folijs ibi nascentibus, milij uerò ac sesami proceritatem instar arborum. Herodotus lib.1.

Qui ad MEMPHIM Aegypti habitant, neq; proscindunt aratro terram, neq; agros colũt: sed posteaquam Nilus irrigarit arua, tunc in suum quisq; rus semine iacto, pecus immittit: cõculcatoq; à suibus semine, messem expectat. Itaq; maximè illaboratũ inter omnes mortales fructum percipiunt. Herod. lib. 2.

Est fertilis THRACIA frugum rigore, æstibus AFRICA & AEGYPTVS. In CHALCIA Rhodiorũ insula locus quidam est in tantũm fœcundus, ut suo tempore satum demetant hordeum, sublatumq; protinus serãt, & cum alijs frugibus metant. Plin. lib. 17. cap. 3.

Libyphœnices BYZACIVM incolunt regionẽ CCLM pass. circuitu, fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddentem. Hic oppida libera, Leptis, Adrumetum, Ruspina, Thapsus. Plin. lib. 5. cap. 4. Et alibi: Byzacius Africæ, centena quinquagena fruge fertili campus, nullis cùm siccũs est arabilis tauris, post imbres uili asello, & à parte altera iugi anu uomerem trahente, scindi potest. Idẽ lib. 17. cap. 5. Rursus: Tritico nihil est fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alat hominem: utpote cum è modio, si sit aptum solum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modij reddãtur. Misit ex eo loco diuo Augusto procurator eius ex uno grano (uix credibile dictu) quadringẽtã paucis minus germina, extantq; de ea re epistolæ. Misit & Neroni similiter CCCXL stipulas ex uno grano. Cùm centesimo quidem & LEONTINI Siciliæ campi fundunt, alijq;, & tota BÆTICA, & inprimis AEGYPTVS. Plin. lib. 18. cap. 10.

AFRICÆ solum Cereri totum natura concessit, oleum ac uinum non inuidit tantùm, satisq; gloriæ in messibus fecit. Plinius lib. 15. cap. 2.

AEGYPTVS, frugum fertilissima est, sed ut propè sola ijs carere possit: tanta est ciborum ex herbis abundantia. Plinius lib. 21. cap. 15.

GARGARA Mysiæ urbs, in Hellesponto, cui imminet Idà mons, cuius cacumen itidem Gargara dicitur. Cùm autem perpetuis fontibus ex Ida descendentibus planities subiecta irrigetur, fertilissima redditur Mysia, & inprimis Gargara, frugumque cerealium feracissima: ita quidem, ut Gargara in prouerbium abierint, pro insigni abundantia quarũuis rerum. Macrobius lib. 5. Satum. cap. 20. ubi explicat locum Vergilij in 1. Georg.

Humida solstitia & hyemes orate serenas
Agricolæ, hyberno lætissima puluere farra,
Lætus ager, nullo tantum se Mysia cultu
Iactat, & ipsa suas mirantur Gargara messes.

Quo in loco in uetustissimorum carminum libro, qui ante omnia Latinorum scripta compositus ferebatur, inuenisse se scribit hoc rusticum uetus carmen:

Hyberno puluere, uerno luto
Grandia farra, Camille, metes.

In OLYNTHIA quotãnis restibilia esse dicũt arua, sed ita uertere quoq; anno uberiores ferãt fructus. Varro li. 1. c. 44.

Artoxerxes rex Persarum Themistoclis ditioni tres subiecit urbes, quæ ad necessitates uitæ subministrandas habebantur idoneæ: MAGNESIAM ad flumen Mæandrum sitam, omnium Asiæ totius urbium frumentò feracissimam, ex qua panem conficeret. Myunta ad obsonium, piscium copia, quippe quæ mari iuncta sit, præstantem. Lampsacum agro uitibus consito cultam, unde uino affluereret. Plutarchus, & Diodorus libro 11.

SMYRNA Aeoliæ frumentis abundat. Vide Titulum, Emporia nobilissima.

In SICILIA primò frumentum terræ bonitate ortũ tradunt: sicut & clarissimus testatur poeta, inquiens, omnia ibi sua sponte tertam producere. In agro Leontino, multisque præterea Siciliæ locis, etiam nunc triticum agreste oritur. Et si quæritur antè frumenti usum, ubi primùm id repertum sit, consentanеum est, primas tribuere optimæ regioni. Diodorus libro 5. cap. 1.

M. Cato Sapiens, cellam penariam reipub. & nutricem plebis Romanæ, SICILIAM nominauit. Sed & Italico maximo difficillimoq; bello, Siciliam Romanis non pro penaria cella, sed pro ærario illo maiorum uetere ac refecto fuisse, experimento constitit: nam sine ullo sumtu nostro coriis, tunicis frumentoq; suppeditato, maximos exercitus nostros uestiuit, aluit, armauit: Cicero lib. 4. in Verrem.

Frumenti uaria geneta pete ex Plin. lib. 18. cap. 7. quò in loco ITALICVM omnib. aliis, Sophoclis testimonio, præfert.

Inter Parhacama & Chile ualles, iuxta ciuitatem KEGVM Occidentalis Indiæ, serunt Maizum: cumq; nunquã pluat, nulla aqua planitiem illã irriget, prouenit tamen, ac uiuunt incolæ hac arte: sulcos latos ac profundos faciunt, atq; in sarda grana Maizi componunt, & ita serunt, eoq; modo prouenit: tãta uerò est copia sardarum, ut sufficiat ad ferendũ, & pro ientaculo: efficit aũt sarda, ut humido pingui alatur recens semen: ipsa uerò terra humido pingui crasso prædita est, atq; ita nutritur. Cũq; assurgit ros noctiũ, quę semper prope XII horas extenduntur, alit plantas, atq; ita producunt semen: arbores aũt quæ copiosiore succo abundant, uix ferre potest. Cardanus de Rerum uarietate lib. 1. cap. 3.

Legimus Sopatrum quandoq; ERETRIAM Eubœæ ciuitatem appellasse λευκόλφιτον, id est, candida insignem farina: quòniam indidem mazæ proferrentur præstantissimæ. At Archestratus colore quodam poetico, inclytã scribit LESBON ætherea niue candidiorem farinam ferre, siq; farina uescãtur dij, illùc ad coemendã pergere Mercurium: quippe aliã omnem uideri præ illa, uelut γύψαφτον, id est acinos uuę, aut etiã punici mali, quos conterentes rustici cum caricis uorabant, teste Aristophane. Cæl. lib. 9. cap. 12. Antiq. Lect.

Ob panis inopiam, optimas placentas licet in PARIO comedere Hellesponti, quod ij qui peregrinati sunt, attestantur. Errauit autem Alexis, qui dixit ex Paro: nam ita scribit in Archilocho inscripto:

Fortunate Parum felicem qui colis, ô uir:
Quæ duo terrarum gignit sola optima passim,
Ornãtum superis lapides, hominiq; placentas.

Quòd SAMIÆ etiam placentæ fuerint egregię, testatur Sopater ridiculorum scriptor, placentarum opificem Samum uocans. Athen. lib. 14. cap. 19.

Apud Bœotiæ SCOLVM præstantes fieri panes solitos, accepimus, unde & Cereris megalarti & megalomazi statua erecta colebatur. Consimiliter uerò apud Mesapios in Iapygia, ubi etiam fuisse rex Artos dicitur: sed & festa nomine Megalartia, de panis magnitudine appellatione ducta. Cælius lib. 9. cap. 16. Antiq. Lect.

Siliginis & fruméti LIVONIA dicitur esse, adeò ut exteræ quoque & transmarinæ nationes Lubeca, Amsterdam, Oládia, Dania, Suecia q; eius ubertatem persentiant, ad quas grandi copia frumenta è Liuonia deportantur. Guagninus in descriptione Liuoniæ.

VOLODIMIRIA ager in Russia adeò fertilis est, ut ex uno tritici modio sæpe 20. modij, interdum 25. proueniant. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

Principatus RHEZANENSIS cæteris omnibus Moscouiæ prouinciis fertilior est, in quo singula grana frumenti binas pluréśue spicas proferre solent, quarum culmi tam densè accrescunt, ut nec equi facilè transire nec cotũrnices inde euolare possint: mellis, piscium, auium, ferarumq; magna copia, ac arborum fructus longè Moscouiæ fructibus nobiliores. Gens audacissima bellicosissimaq;. Guagninus in descriptione Moscouiæ.

In ORCADIBVS insulis abundãtia ordei potentissimũ cõficiunt potum, & omnium mortalium sunt bibacissimi: nullus tamen in ea unquam ebrius aut mente alienatus uisus est, nullus amẽs aut stolidus. H. Boethius in Scotię descript.

Parcum.

In agro ARDANO frumentum satum non nascitur. Plinius libro 2. capite 96.

ORCADES partim in Oceano Deucalidonico, partim in Germanico sitæ: quarum præstantissima Pomonia est, sede episcopali ac templo augustissimo insignis, tum duobus castellis longè munitissimis. Nulla in eis arbor est, nullum triticum, exundantibus alio qui cęteris frumentorum generibus. H. Boethius in Scotia.

Legumina.

In GELA Siciliæ legumina optima nascuntur. Athenæus libro 1. capite 27.

Ficus.

Vide suprà, Ficus ut Arbor.

Palmulæ, Dactyli, Phœnices.

Sub loco Arborum, Palma.

Poma, qualiacunq;, Pyra, Cerasa.

Egregia poma nasci in SIDVNTE, qui pagus est Corinthi, Euphorion & Archytas in Grue commemorat. Athenæus libro 3. capite 4.

Cydonea mala è Cretæ urbe CYDONE aduecta. Laudantur & Neapolitana. Plin. lib. 15. cap. 11. Persica, Gallica & Asiatica in honore habentur, & Sabina, cap. 12. Item mala Camerina & Græcula, & Epirotica; cap. 14. Pyra Crustumina, Falerna, Amerina, Picentina, Numantina, &c. cap. 15.

SIDÆ in Bœotiæ & Atticæ confinio abundant malis punicis. Vide Titulum, Certamina in asserendis rebus suis contra aliados possessores.

Theophrastus de Stirpibus scribit, iuxta SOLOS Ciliciæ urbem, ad amnẽ Pinarum, ubi Alexãder cũ Dario pugnauit, mala punica nasci sine ossibus, quorum grana per omne ęuum uinum referant. Apollonius in Hist. mirab.

Cerasa è Ponto Cappadocum urbe CERASO à L. Lucullo in Italiam aduecta bello Mithridatico, in Aegypto nulla cura potuere gigni. Transuecta sunt in Britanniam usq;. Commendantur CAMPANA, LVSITANA, RHENANA. Plinius lib. 15. cap. 25. & Sab. lib. 4. En. 6.

A pyris Apia uocata fuit PELOPONNESVS, quòd ibi planta huiusmodi plurima reperiretur, uelut Ister asserit in rebus Argolicis. Athen. lib. 14. cap. 20.

CEVS insula pyra fert optima. Athen. lib. 14. cap. 21.

In PALMA, insula Fortunatarum, pyra (ut referunt) in miram magnitudinem excrescunt, scilicet ponderis unciarũ uigintiquatuor. Cardanus de Rerum uarietate lib. 6. cap. 20.

Mangas fructus, omnes Europæ fructus suauitate superat. Optimus in ORMVZIO producitur: secundus ab hoc, in Guzarate: tertius, in Balaguate. Arbor Mangas, bis quotannis fructum fert. Io. Metellus.

Nuces, Amygdalæ, Auellanæ.

Amygdalæ è NAXO & CYPRO insulis laudatissimæ. Athenæus lib. 2. cap. 11.

Pistaceas nuces idem L. Vitellius in ITALIAM primus intulit, simulq; in HISPANIAM Flaccus Pompeius eques Romanus, qui cum eo militabat. Plin. lib. 15. cap. 22.

CARSYTANI homines in agro Prænestino, abundantes nucibus auellanis, quæ idcirco Prænestinæ dicuntur. Et aliàs Ponticæ, quia in PONTO copiosæ habentur. Macrobius lib. 3. Satur. cap. 18.

Iuglandes è PERSIDE uenêre: unde optimum genus earum in Græcia Persicõ & Basilicon, uocauere. Auellanæ è PONTO, ea propter Ponticæ dictæ, patrio nomine abellinę. Laudantur Prænestinæ, item Thasiæ, & Albenses, & Tarentinę. Plin. lib. 15. cap. 22.

Castaneæ à Græcis Sardiani balani appellatæ, quia SARDIBVS prouenere primùm. Nobilissimæ Tarentinæ & Neapolitanæ. Plin. lib. 15. cap. 23.

Aromata, Gummi, Lacrymæ.

De peregrinis aromatis, gummi, lacrymis, apud quas gentes nascantur, pete ex Plin. lib. 12.

Felicissima SABÆORVM terra, quæ maxima natio est. Apud hos thus, & myrrha, & cinnamomum nascitur. In ora etiam balsamum, & alia quædam herba ualdè odorata, quanquã eius odor citò deperit: habent præterea palmas odoratas, & calamum. Homines propter maximam fructuum copiã otiosi segnescũ uiuunt. In radicibus arborum cubant. Ab odoribus autem stupefacti, bituminis suffitu, & hirci barba stuporem tollunt. Strabo lib. 16.

Galanga minor, è China: maior & deterior, ex Iaua insula ad nos aduehitur. Gingiber semine aut radice satum, in omnibus Indiæ nobis notæ locis gignitur: optimum est Malauaricum, idemq; frequentissimum, Arabibus & Persis expetitum: secundum locum obtinet id, quod in Bengala reperitur: tertium, quod in Dabulo & Bazaimo, omnique ea ora maritima. Io. Metellus.

Calamus aromaticus per uniuersam Indiam seritur, in qua tantùm crescit: plurimus in Guzarate, & Balaguate, in Goa quoq;, sed paucus, gignitur. Nardus in Mandoua & Chitora, prouinciis Deliæ regni, Bengalæ & Decamę uicinis, iuxta Gangem nascitur. Costum circa Guzaratem, in Mandoua & Chitora: plurimus Malaccæ usus eius est. Idem.

Macis arbor, in insula Banda prouenit: myristicamq; nucem, macin, profert. Garyophyllum, in Maluccis insulis quinq; folis, quarum Gilolo primaria est, nascitur. Colliguntur garyophylli à die quintadecimã Septembris, in Ianuariũ usq; & Februarium, uiolenta flagellatione summis arboribus excussi, & per triduum in solo mundato ad solem siccati. Piper copiosè in Malauari prouenit: maritima regio est, quæ à Gomorino promontorio Cananorem usque pertingit. Nascitur & in insulis, Iauæ uicinis, & Sunda, & Luda. Piper longum, in Bengala regione, quingentis milliaribus à Malauari dissita, prouenit, ubi & candidum & nigrum gignitur. Album, rarum est, procerumq; mensis inferri solet. Idẽ.

Lacca, in Indorum regione Pegua prouenit. Magnæ eam formicæ, in terræ uisceribus alibiq; natæ, in uastæ cuiusdam arboris foliis, prunum referentis, minutis surculis & ramulis, apum more, elaborant, materiam ex ipsa arbore exsugentes: hi deinde rami reuulsi, in umbra siccantur, donec decidant ramuli: lacca uerò tãquam in subulos concreta manet: interdum ligni fragmenta inhærent. Sincerior tamen eorum expers est. Idem.

Ambarum optimum, Naleditia insula Indiæ generat. Circa Commonionense promontorium, ambari fragmentum inuentum est, trium ferè millium pondo. Inuenitur, sed raro, in Timoia & Brasilia. Io. Metellus.

ESTONES, dextrum Sueuici maris litus accolentes, soli omnium succinum (quod ipsi Glesum uocant) inter uada atq; in ipso litore legunt: nec quæ natura quæ ue ratio gignit, ut barbaris, qu æsitum compertúmue diu: quinetiam inter cætera eiectamenta maris iacebat: donec luxuria Romana dedit nomen, ipsis in nullo usu. Rude legitur, informe perfertur, preciumq; mirantes accipiunt. Succum tamen ab oris esse intelligas, quia terrena quædam & etiam uolucria animalia plerumq; interlucent, quæ implicata humori, mox durescente materia clauduntur. Cornelius Tacitus in Germania.

Pabulum quibus in locis

Copiosum.

Vide suprà, Prata.

De CATANA Siciliæ proditum est, eiectum ab Aetnæis ignibus cinerem ea ex parte lętam uineis atq; pascuis tellurem effecisse. Excoctæ enim igne glebæ, pingue aliquid habẽt, quod uberiores fructus affert. Proinde pecudes tanta exuberare pinguedine tradunt, ut inde suffocentur, nisi cruor quatuor aut quinq; per dies ab aurib. eximatur. Strabo l. 6.

Medicatum.

Iuxta ABDERAM & Limitem, quem Diomedis uocãt, equi pasti rabie inflammãtur. Hinc ortum duxit fabula de equis Diomedis Thraciæ regis. Plinius.

Lignorum ubi

Copia.

Sub Titulo, Syluarum.

Inopia.

SCYTHIA lignis minimè abundat, eaq; propter compendiariã coquendi rationem repererunt. Vide Tit. Coquorum.

Cùm tota ferè CAPPADOCIA lignis careat, Argæus tamẽ mons circũcirca syluã habet. Sed loca syluæ subiecta ignes habent. Sunt etiam gelidis aquis plena, quanquã nec ignis, nec aquæ in summum extant: quapropter maxima ex parte herbida sunt. Quibusdam in locis solum palustre est, & per noctem ex eo flammæ consurgunt. Rei itaq; gnari cautè lignantur, sed multis periculosum est, præsertim pecori, in obscuras ignis fossas incidenti. Strabo lib. 12.

Asserit Plinius lib. 9. cap. 3. dicens: GEDROSOS, qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecti prodidere, in domibus fores maxillis belluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadragenũm cubitorum longitudinis reperta. Sunt etiam qui spinis dorsi huius belluæ, seu uertebris concauatis, uelut mortariis, pro speciebus conterendis utantur.

Cùm uehementia frigorum in extremis partibus SEPTENTRIONIS, & ualidæ tempestates ibidem haud sinant in altum crescere arbores, è quibus erigi possint ędes, idcò natura incolis prospexit, ut ex ingentibus belluarum costis fabricare ualeant domos, & reliqua necessaria in eisdem. His enim belluis marinis ad litora tam inimica ui aliarum bestiarum appulsis, quàm uenatione hominum frequenti attractis, ut illic incolarum præda fiant: uel putredine consumantur, certum est, ex eis relinqui talia, tamque uasta ossa, quòd ex his integræ habitationes, tum quoad parietes, portas, fenestras, tecta, sedilia, tum etiam quoad mensas, conficiqueant. Hæ enim costæ 20, 30, aut plurium pedum sunt præterea spinæ, spondyli, atque uasti capitis bifurcata ossa haud paruam in se quantitatem habent: quæ omnia artificum industria ita ferris & limis aptantur, ut faber lignarius adhibita ferrea iunctura compendiosius nihil extruere posset. Meminere similium Plin. lib. 9. cap. 3. & Strabo lib. 15. Olaus lib. 21. cap. 22. Septent. gentium.

AVIVM LOCA NATVRALIA.

In Genere.

In ORCADIBVS insulis auium tanta est copia, tum syluestrium, tum domesticarum, quanta nusquam in tota Albione. H. Boethius in Scotia.

In lacu ALBO inter Sericinnos & Blarmos & Moschos habitant infinitæ species auium, cõtinuum garritum ferè sex mensibus, sub clarissima lucẽ diẽrum ac noctium, usque ad graue fastidium, emittentium. Olaus lib. 9. c. 45. Sept. gentiũ.

In Specie. Vbi

Galli, Gallinæ.

Gallorum gallinaceorum quidam ad bella tantùm & prælia assidua nascũtur, quibus etiam patrias nobilitarunt RHODVM ac Tanagram. Secundus est honos habitus MELIACIS ac CHALCIDICIS. Horum sunt tripudia solistima. Hi magistratus Romanos quotidie regunt, domosq; ipsis suas claudunt ac reserãt: hi fasces Rom. impellunt aut retinent, iubẽt acies aut prohibẽt, uictoriarũ omnium toto orbe partarum auspices: hi maximè terrarum imperio imperant, extis etiam fibrisq; haud aliter quàm opimæ uictimæ diis grati. Habent ostenta & præposteri eorum uespertinis canitus.

cantus. Plin.lib.10. cap.21. HADRIANIS gallinis laus apud Rom. fuit maxima. Idem lib.10.cap.53.

Οἶνοῦ νίβας κοκκύσῃ, id est, Cùm Nibas coccyssauerit. Simillimum illi, Ad Græcas calendas. Tradunt in THESSALONICA Macedoniæ ciuitate uicum esse, cui nomen Nibas, ubi Galli nunquam uocem ædant. Quemadmodum & cicadæ mutæ sunt alicubi. Vnde prouerb. de iis quæ nunquam fient, Cùm Nibas coccyssauerit. Erasmus.

A gallinis dicitur insula GALLINARIA appellata (quæ est in mari Thusco, secundùm Italiã, contra mõtes Ligusticos, Intemelium, Albium, Ingaunũ) ab uillaticis inuectis à nautis, ibi feris factis procreatis. Varro lib.3. cap.9. Rei rust.

Columbæ.

CAMPANIA columbas habet nobilissimas. Plin.l.10.ca.37.

Pauones.

Menodotus scribit SAMI circa sacellum Iunonis pauones primùm uiso atq; nutritos fuisse: hinc demum in loca externa missos: sicut Galli in Perside, in Aetoliaq; uocatæ Meleagrides. Athen.lib.14.cap.25.

Volaterr.lib.25. dicit, Pauone primùm in India uiso, Alexandrum admiratum, prohibuisse edicto, ne quis eam auem necaret. In GRÆCIAM demùm delata, diu quæstui fuit: primùm elegantibus tantùm mercede indicatus, deinde ad eorum spectaculũ admissa multitudine. Olaus lib.19.cap 39.

Anates.

Prope GLEGORNVM (teste Hectore Boetho Scotorum historico) ad duas leucas est rupes Bassensis, in qua est arx inexpugnabilis: circa quam magnarum anatum (quas Sollẽdas uocat) piscibus uiuentium, est mira multitudo. Hæ in uere turmatim à Meridie in rupem de Bass quotannis ueniunt, & rupem duobus uel tribus diebus circumuolitantes, nidificare incipiunt, & tota æstate manent, ac piscibus uiuunt: & incolæ rupis piscibus ab illis captis pascuntur. Ascendunt enim illarum nidos, & ad libitum pisces rapiunt. Olaus lib.19.cap 9.

Perdices.

ATTICI & BOEOTI celebrantur perdices: quorum istos uocales, hos admodum exili uoce esse, in confesso est. Antigonus in Nar.mirab.

ASTYPALÆA perdicibus abundauit olim: ex qua in Anaphem illatum par perdicum, breui temporis spacio mirificè auctum fuit, sic ut parum abesset, quin præ illarũ copia incolæ regionem deserere cogerentur. Athen.lib.9. cap.20.

In Lemniorum insulis, quæ NEÆ seu Nouæ uocantur, neque nascuntur perdices: & si importentur, pereunt. Quidam pro digiosius narrant, mori eas, si uel conspiciant eam terram. Antigonus in Nar.mirab.

Coturnices.

In AEGYPTI ARABIÆQVE litore magnus est coturnicũ numerus ad capiendos pisces: quarum aucupio latrones ab Actisane Aethiopum rege in ultima deserti relegati, urbe Rhinocera condita, omni re egentes, uitam suam sustentarunt. Diodorus lib.1.cap.4.

Phanodemus lib.2. Atthidis scribit, DELVM insulam ab Achiuis Ortygiam nominari, quoniam coturnicum greges ex pelago delati in ipsam insulam uolant, quia commodũ his præbet portum. Athen.lib.9.cap.15.

Cornices.

Andron in 4.lib. Sacrificiorum ad Philippum scribit, in ATTICA nullam cornicem uisam esse in arcem intrare. Apollonius de Histor.mir.

Lusciniæ.

Myrsilus, qui Lesbiaca composuit, in ANTISSÆA perhibet regione (quo loco fabulæ aiunt sepultum esse Orphei caput, idq; sepulcrum incolæ ibi ostendunt) luscinias quàm alibi meliùs canere. Antigonus in Nar.mir.

Cygni.

Non longè à Londino regia ciuitate ANGLIÆ, in flumine Tamesia reperiuntur plura millia cygnorum domesticorũ: etiam in lacu Scotiæ, Spina dicto. Olaus lib.19.cap.16. Septentrionalium gentium.

Stymphalides.

ARABIÆ deserta præter cæteras feras, uolucres etiam alũt, Stymphalidas nuncupant, hominibus nihilo mitiores leonibus, & pardis. Siquidem in eos, qui ad earum aucupia exierint, inuolant, ænea ferreaq; corporis tegumenta facilè rostris perfodiunt. At si è libro se quodam, qui eas captant, factis amiculis uelarint, haud aliter uolucrum rostra caudicibus deprehensa tenentur, quàm uisco auicularum pinnæ. Gruibus illæ quidem sunt magnitudine pares, forma ibis persimiles: rostra tamen & ualidiora, neq; ut ibes adunca habent. Sic dictæ, quòd ad Stymphalum Arcadiæ fluuium, qui postea Erasinus dictus est, ab Hercule uel sagittis confectæ, uel (ut alij uolunt) crepitaculorum sonitu ex eo loco pulsæ fuerint. Pausanias in Arcad. & Diodorus Siculus.

PISCIVM COPIA VEL INOPIA.

In Genere. Vbi pisces

Multi.

Complura piscũ genera, eaq; suauissima, NILVS fluuius producit, quæ recenset Athen.lib.7.cap.29.

PÆONES Prasiadem paludem incolentes, equis & subiugalibus pisces pro pabulo præbent. Piscium enim tanta est copia, ut quoties quis ianuam compactam reclinauerit, demissam funè sportam uacuam, aliquanto pòst retrahat piscium plenam. Quorum duo sunt genera, unum quod uocant Papraces, alterum Tilones. Herod.lib.5.

Apolloniam Chalcidicam fluuij alluunt, Ammites & OLYNTHIACVS, qui ambo in stagnum Bolycam influunt. In Olynthiaco monumentum est Olynthi Herculis Bolyæq; filij. Narrant incolæ, quòd Nouembri ac Februario mensibus Bolga in Olynthum ebullitionem mittit, piscium q; innumera multitudo ex stagno in fluuium Olynthiacum accedit: est autem fluuius hic non ualde profundus, ita ut uix talum attingat, tanta nihilominus piscium uenit copia, ut incolæ omnes quantum salsamenti in eorum usum sit satis, condire possint. Admirabile est etiã, quòd Olynthi monumentum non transmutetur. Priùs consuetudinem fuisse inquiunt, in Apollonia mense Februario, ut iusta persoluerẽt mortuis, at nunc in Nouembrem mensem ea esse translata, ac ideo solis his mensib. pisces ascendere, quibus defunctis exequias absoluere consueuerunt. Athen.lib.8.cap.15.

MYYNTA piscium copia insignem Artoxerxes Persarum rex Themistocli ad obsonium concessit. Plut. & Diod.lib.11.

ICARVS insula primùm Ichthyoessa dicebatur ob piscium multitudinem, quæ ibi nascebatur, ut SEPIADES à sepiarum copia. Aliæ Phycusæ, & Lapadusæ, ab horum similibus. Athenæus lib.1.cap.28.

BRITANNIS tanta piscium est abundantia, cùm ubiq;, tum quò magis ad Septentrionem accedas, ut uel ij soli sufficere possint ad pastum insulæ totius: quippe quum uicinæ circum circa gentes Gallia, Flandria, Zelandia, Hollandia, insuper Germania omnis litori adiacens, non modò quantũ sibi satis sit immenso nauium numero in mare Britannicũ piscatum aut ad Britannos mercatum proficiscantur, sed mediterraneis etiam regionibus quantum opus est tota quadragesima, imò anno toto, maximo omnium quæstu, submittant, nec modò uulgarium, quales sunt, quas eę gentes asportant, sed etiam quæ in deliciis habeantur. H.Boethius in Scotiæ descriptione.

BORYSTHENIS accolæ uno ore affirmant, piscinas suas suapte sponte denuò semine conseri, siue id à defluxu cœlesti, siue à terreno humore proueniat. Io. Dubrauius libro 3. de Piscinis, cap.ultimo.

LACVS albus inter Sericfinnos, & Biarmos, ac Moschouitas, uersus polum Arcticum situs, dominiorum & gentium terminos habet, longus & latus, adeoque piscosus, ut quibusuis piscatoribus, æstiuo præsertim tempore, exhibeat se sine sui diminutione liberalem. Quare ad eum multæ gentes accedunt, domesticam prouisionem ex eius abundantia sacturæ per totum annum. Olaus lib.19.cap.45.

BOTHNIA, quæ sinum Gothicum siue Suecicum ad Septentrionem terminat, latissima est terra, diuisa in tres magnas prouincias, Occidentalem, Aquilonarem & Orientalem. Qui Aquilonarem incolunt, piscatu maximè uiuunt: non quòd agrum sterilem habeant, sed quia tanta est his copia piscium optimorum, ut in omnium necessariarum rerum permutationem abundè sufficiat. Suntq; in omnibus rebus locupletes: siquidem ex Hispania ac Lusitania optimũ uinum, & sal: ex Anglia & Flãdria pretiosum pãnum: ex Germaniæ ciuitatibus uariã domorum supellectilem & ornatũ, præter domesticum cultum: ex Suetia & Gothia triticũ, siliginem, hordeum, & omne genus necessarij leguminis, illuc nauibus aduectum, comparãt. Omne litus, insula, sinus, amnis, riuulus illic exuberãtem piscium copiã toto anno, maximè tempore æstiuo, quo omnia ibi amœnissima sunt, præbet. Insulæ circa maris litora plurimæ sunt, & iucundissimæ: quæ herbis, arboribus & graminibus, maximã delectationem exhibent. Labitur ex montibus huius Aquilonaris Bothniæ (id est fundi maris) undosus & profundus amnis: qui duobus ostiis fertur in mare, relicto in medio breui spacio, in quo est oppidum, quod Thorna, id est, turrita insula dicitur: cuius latitudinis eleuatio est circiter 82. grad. longitu. 42. Nec aliud emporium frequentius in toto tractu suppolari. Cõfluunt eò Russi albi, Lappones, Biarmi, Bothniẽses, Finni, Sueci, Tauasti, Hersingi, & complures alij. Cõportati pisces diuersarum specierum, mercatoribus longinquarum prouinciarum rerum commutatione uenundantur. Mercimonia non pecuniarum numeratione (eo quòd gens illa numos non æstimat) sed commutatione rerum necessariarum ineunt. Et id quidem fit, quia ad hoc emporium ob populi simplicitatem, ac credulitatem, plerunq; à dolosis mercatoribus importata moneta deprehensa sit falsa, uafro præsertim ingenio Moschouitarum, qui illuc circa æstiuale solstitium in magno numero, nauigia in humeris aliquando inter distantes aquas portantes, concurrere solẽt. Olaus lib.20.cap.1.& 2. gentium Septentrionalium.

Iutia Danię regione sinus, qui LYMICVS appellatur, ita piscibus abundat, ut non minus alimentorum indigenis, quàm ager omnis exoluere uideatur. Saxo in præfatione.

In SCANIA Daniæ regione interiectus maris sinus quotãnis omni piscium frequentia repleri consueuit; ut interdum impacta naulgia uix remigij conamẽ eripiat: nec iam præda artis instrumento, sed simplici manus officio capiatur. Saxo libro 1.

LAPONES piscibus abundant, eosque captos frigore excoquunt, & edomant in farinam. Tantum denique superest capturæ, ut eius plurimum condant in cetariis, & exportẽt in uicinas terras Northbothniam & Russiam album. Zieglerus in Scondia.

Magni.

In Syria fluuium nomine CHALVM, celebrat αὐτάρκεστον primo Xenophon, in quo uisantur pisces magnitudine insignes, ac miti mansuetoq; ingenio: Eos, inquit, deos arbitrabantur Syri, nec iniuria affici patiebantur, sicuti neque columbas. Cælius lib.18.cap.34. A.L.

Optimi, Suaues.

Pisces optimi quibus in locis reperiantur, Cælius lib. 28. capite 7. A.L. docet.

Vocales.

Mnaseas Patrensis pisces qui sunt in LADORIÆ fluuio, circa Arcadiæ Clitorem uocem emittere scribit, quamuis solum scarum, suemque fluuiatilem Aristoteles uocem emittere dixerit. At Philostephanus genere Cyrenæus, Callimachique familiaris, in Mirabilibus fluuiorum scripsit, pisces esse in fluuio AORNO, qui fluit per Pheneum, qui uocem emittant turdis persimilem, qui uariegati dicuntur. Athenæus libro 8.cap.1.

Cicures.

Nymphodorus Syracusius in circumnauigationibus, lupos anguillasque magnas ita mansuetas esse scribit in flumine ELORO, ut panem accipiant ex manibus porrigentium. Ego uerò uidi (inquit Athenæus libro 8. capite 1.) in ARETHVSA in Chalcide, mugiles domesticos, & anguillas inaures aureos & argenteos habentes, cibumq; ex præbentium manibus capiẽtes, uictimarumq; intestina, & caseum recentem. Athen.lib.7. cap.17.

Fossiles.

Quæ loca pisces terrenos, hoc est, absq; aqua in scrobibus uiuentes, ferant, pete ex Plin.lib.9.cap.57.

Pisces effodi in HERACLEA, & apud Tium ponti Milesiorũ coloniam, scribit Theophrastus. Idem de piscibus in glacie per hyemem compactis narrat, qui non priùs sentiunt, aut mouentur, quàm in ollas coniecti coquantur. In Paphlagonia, in profundis locis, quæ neque fluuiorum neque calidarum aquarum habeant fluxus, pisces uiuos inueniri asserit. Athen.lib.8.cap.1.

Eudoxus tradit, fossiles pisces esse in PAPHLAGONIA in locis siccis, locum tamen non determinat, item in humidis circa lacum Ascanium, qui apud Cium est, sed nec id perspicuè dicit. Strabo lib.12.

Polybius lib.34. Historiarum, planiticm esse inquit post Pyrenem, ad Narbonem usq; fluuium, per quã Ilebernis & Roscynus fluuij, ciuitates à Celtis conditas eiusdem nominis alluentes, defluunt, in qua pisces sint effossi. Habet autem hæc planities terram exolutam, multumq; gramen innatũ: subter terra est fabulosa ad duas uel tres ulnas, sub qua aqua inuenitur, quæ à fluminibus ab errauit, in qua pisces sub terram discurrunt per riuos ipsos cibi gratia, quia graminis radicibus mirum in modum delectantur: totam planitiem idcirco pisces subterranei occuparunt, quos excauantes capiunt. Athen.lib.8.cap.1.

Venenati, Noxij

Ctesias in Armenia scribit, esse FONTEM, ex quo nigros pisces illicò mortem afferre in cibis: quod & circa Danubij exortum audiui, donec ueniatur ad fontem alueo appositum, ubi finitur id genus piscium. Ideoq; ibi caput eius amnis intelligitur fama. Hoc idem & in Lydia in stagno Nympharum tradunt. Plin.lib.31.cap.1.

In SICILIA fons Arethusa magna copia fert pisces sacros, quippe ab hominibus intactos. Sæpius qui eos bellorum tempore edere ausi sunt, deorum ira magnas calamitates subierunt. Diodorus lib.5.cap.2.

In Laconia ad oppidũ Aegyas est STAGNVM quod Neptuni dicitur, in ripa eiusdem delubrũ & simulacrum. E stagno pisces metuunt extrahere, quòd qui eos ceperunt ex hominibus in pisces mutari dictitarent. Pausanias in Lacon.

Salmones.

In NESSA lacu Scotiæ maior reperitur piscium atque inprimis Salmonum uis, quàm usquam alibi. Sed nouus is piscẽdi mos est. In intimo maris sinu cratem longo tractu directam cœno inducunt, in angulis suis ternis quaternisue gyris inuolutam: aduersus quam pisces aduenientes mari delati in gyris illis sese implicant: unde nec facilis manente aqua fit illis exitus. Itaq; mox abeunte Oceano in sicco destituti, aduenientium manibus prædas sese exhibent. Hector Boethius in Scotiæ descriptione.

Vix alicubi in tota Europa uberior salmonum piscatura reperitur, quàm in Bothnico mari uersus LAPPONES, è quorum montibus & terris uastissima flumina dulcium aquarum descendunt: contra quæ sub solari æstu ascendere uidentur salmones. Similiter & in lacu uastissimo VENER dicto, apud Vestrogothos. Ibidem cap.3.

LEVISSA insula, Hebridũ una, unicũ habet amnem: quem si uado transierit mulier, nullus in eo Salmo eo anno uidebitur, affluente alioqui piscis illius multitudine. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Lati.

Lati qui in fluuio NILO nascuntur, ad ducentarum librarum uel etiam plurium pondus accedere sunt deprehensi. Est autem hic piscis candidissimus, optimus suauissimusq; quacunq; ratione fuerit conditus. Est ei pisci simillimus, qui in scitur in Istro, ac Silurus dicitur. Athen.lib.7.cap.29.

Delphini.

In PROMONTORIO Bœticæ prope Gaditanũ fretũ, certis tẽporibus anni innumera delphinorũ multitudo ad litora accedit, quasi piscatoribus se offerant. Turres enim inibi sitæ sunt, ex quibus uenire cateruatim ceruuntur: & appositis magnis retibus cum paruo labore & summo uenandi gaudio tanta capitur piscium copia, quantam piscatores uolunt, appositisq; salibus conseruantur, & per totum ferò orbem deferuntur. Vnde Strabo, In mari, inquit, Hispano omnia genera piscium capiuntur, ut delphini, ostrea, conchylia, congri, muræna. Rodericus Santius parte 1. histor. Hispan.cap.2.

Lupi.

Sunt lacus dulcium aquarum in montanis LAPPONIÆ amplissimis: in quibus tanta est luporum aquatilium (quamuis & aliorum piscium) copia, ut non solùm alendis hominibus, per quatuor amplissima Septentrionalia regna sufficiant, sed etiam latius sale, soleq; siccati nauigiis, uelut lignorum magnæ strues, in Amplam Germaniam uendendi exportentur. Itidem de lacubus Finlandiæ censendum est. Olaus lib.20.cap.20.

Acipenser.

Acipenser SYRACVSIVS laudatur ab Archestrato. Athen. lib.7.cap.18. Thunnus GADITANVS, Samius & Byzantius. Ibidem cap.20. Mugil Abderitanus & Sinopensis cap. 25. Lupus Milesius cap.28.

Anguillæ.

Dorion in libro de Piscibus, anguillas COPAIDAS laudat: nascuntur enim eximiæ magnitudinis, ex quo, ut Agatharchides inquit lib.6. rerum Europicarum, eximias anguillas Copaidas Bœoti uictimarum more coronantes uouentesque, & molas iniicientes, deis mactare consueuerunt. Atq; ad peregrinum huiusce generis inauditum sacrificium admirantem, percunctantemq; quendam Bœotum, Hoc se scire respondisse aiunt, quòd ueterum statuta legitima obseruare oportet, quodq; aliis non licet horum rationem reddere, nec admirari oportet, si uictimarum more anguillas sacrificant, quando Antigonus Carystius in libro Dictionis, Piscatores inquit Neptuno sacra persoluentes, cùm prosperè captura cesserit, sub ipsum thunnorum tempus, captũ thynnum Deo mactare, ac sacrificium huiusmodi uocari Thynnæum. Sacrificantur salsamenta etiam apud Phaselitas. Athen.lib.7.cap.17.

In uadis limosis iuxta urbem SYRACVSARVM, quæ copiosam ex fontibus aquam dulcem, copiosam etiam ex paludibus & fluminibus ex mari delabentibus accipiunt, magna uis anguillarum pascitur, largaq; semper captura cuius suppeditat. Obsesso aũt in arce à Carthaginensibus Timoleonte Corinthio, utriusq; partis mercenarij milites per otium & inducias unà uenabantur. Qui Græci cùm essent, per inducias congrediebantur, collo quebãturq;. Peruaserunt hæ uoces castra, quærentiq; iam diu obtentum Magoni, suspicionem præbuerunt prodi se: ita obsecrante ut maneret secte, docenteque, hostibus quanto præstent: uirtute magis & fortuna Timoleonti ratus se concedere, quàm superare

superare eum copiarum numero, confestim in Africam uela fecit, Sicilia nullo humano consilio fœdè de manibus proiecta. Plut. in Timoleonte.

Quòd STRYMONIS fluuij Thraciæ anguillæ sint celebres, patefecit Antiphanes in Thamyra. Narrat Demetrius Scepsius lib. 16. Troici apparatus egregias anguillas nasci circa EVCLVM fluuium. Athen. lib. 7. cap. 17.

Congri.

Philemon comicus poeta mentionem fecit & ipse congrorum excellentium Sicyone. Athen. lib. 7. cap. 12. Eudoxus certè lib. 6. Terræ ambitus tradit apud SICYONIOS cõgros capi permultos εὐσυμμέτρους: hoc est, tantæ magnitudinis, ut iusto pondere baiulum onerent: nonnullos etiam ἀμετρεκτείνους, hoc est, iustum onus uehiculi.

Polypi.

Polypus in CARIA Thasoq; optimus, plurimus in CORCYRA. Athen. lib. 7. cap. 32.

Astaci.

Nascuntur astaci in HELLESPONTO, & circa Thasum, locustæ multæ capiuntur circa SIGÆVM, & ATHO, quæ di uturnam uitam omnes sortiuntur. Athen. lib. 3. cap. 13.

Ostrea.

Ostrea à ueteribus mirè commendabantur. De iis sic scribit Mutianus: CYZICENA maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, suauiora Edulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Corypbantenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus. Sed his neq; dulciora, neque teneriora esse ulla, compertum est. In Indico mari Alexandri rerum auctores pedalia inueniri prodidere. Necnon inter nos nepotis cuiusdam nomenclator tridaena appellauit: tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent. Plinius libro 32. capite 6.

Purpuræ.

Purpuræ commendantur in Asia quidem TYRIÆ, in Europa LACONICÆ, in Africa MENINGIÆ & GETVLICÆ. Plinius lib. 9. cap. 35.

Fert LACONICVM mare conchylia, ex quibus ad infectura uestium purpura comparatur, nobilitate solis iis, quæ in rubro mari capiuntur, inferiora. Pausanias in Lacon.

BVLIS urbs Phocidi finitima est. Inquilinorum dimidia plus parte uitam tolerant, è quibus purpura elicitur, conchyliorum piscatu. Pausanias in Phocicis.

TYRVS olim septingentos passus à litore discreta, mox Magni Alexandri operibus continens facta, purpura & conchylio nobilis, nullibi terrarum gratior apparatus, ob idque & à Romanis Tyrij ipsi, & à regibus libertate donati. Sab. lib. 4. Enneadis 1.

SARDINIA insula maxima iuxta Italiam, in qua gignuntur purpuræ insignes, & acutissimæ. Prouerbium, βάμμα σαρδόνικον, Tinctura Sardinia: id est, rubra, purpurea. Suidas.

Conchæ, Margaritæ.

In MVLA insula Hebridum una fons est limpidissimus, duob. passuum millibus à mari distans, ex quo oua quædam exigua, margaritarum modo splendentia, candidaq;, & spissi humoris plena, exili torrēte in fossam littori propinquam, in qua aqua marina est, deferuntur: ibiq; ante spacium horarum duodecim in conchas ingentes euadunt. Hector Boethius in Scotiæ descriptione.

Apud SCOTOS cõchæ limpidissimis purissimisq; amnibus, ac nullo unquam limo turbidis, quâ profundissimi sunt, agere gaudent, in eisque solis margaritas concipiunt. Sub auroram enim cœlo sereno temperatoque in aerem se, do nec capitibus aqua exstēt, subleuantes, roridum liquorem oscitatione auidè excipiunt, pro concepti seminis multitudine partu aut exili aut grandi futuro. Sensus illis tam acutus inest, ut si altiorem in litore astans uocem emiseris, aut lapillum quantumuis minutum in aquam conieceris, repētè se subtrahentes subsidant uniuersæ. Ea enim illis thesauri sui custo diendi naturalis indita est solertia, haud ignorā tibus uidelicet, quanti sit precij apud mortales luxus ex fœtu suo comparatus. Itaq; piscantes quoque id maximè obseruant, ut primo attactu testas coniunctas arctissimè detineant, protinus alioquin illis unionem euomituris. Quaterni aut quini humerorum tenus flumen ingressi, atque in orbem stantes, contum alterutra manu, quò firmius consistant, fundo fixum tenent: inde oculis per aquæ limpiditatem prædas collustrantes, pedum digitis (nam manibus id fieri prohibet altitudo) testarum torturas placidè comprehendunt, atque astantibus uacua manu excipiendas præbent. Hæc Boethius in Scotiæ descriptione.

Haleces.

In lacu FYN, in Argatholia Scotiæ regione, præter uariorum piscium copiam tanta halecum uis reperitur, quanta nullo in loco, humano accessui patenti. Hector Boethius in Scotiæ descriptione.

Halec in litoribus Meridionalis Gothiæ terræ SCHONINGIÆ, sub principio autumni in tanta multitudine plerunque capitur, & infinitis in uasis sale conditur, exportaturque, ut sufficiat in salsamentorum genere maiori parti totius Europæ cibandæ. Capitur & duobus, aut tribus millia ribus ab eo loco: sed degener est in sapore, & æstimatione, ac uilipenditur. Est etiam eodem tempore copiosissima halecis piscatura in litoribus Angliæ & Scotiæ: quæ per piscatores Flandriæ instituitur: à quibus postea sortitur nomen, ut Romam ille piscis delatus, halec Flādrorum appelletur. Non tamen adeò pingue genus est piscium, ob pastum minùs uberem, ac undarum conflictum, quemadmodum halec Septentrionale, quod propter gratum saporem ubique in maiori precio habetur. Olaus lib. 20. capite 20. Septentrionalium gentium.

Salpæ, Asselli.

NORVEGIA mittit in reliquam Europam piscem ex genere asellorum, frigore induratum, & extentum in fustem: unde & eum Germani dicunt Stocfisch. Captura eius laudatissima est Ianuario, quādo superest frigus, ut induretur. At qui clementioribus mensibus fuerunt capti, marcescunt, neque sunt idonei ut exportentur. Zieglerus in Scondia. In Norue giano Oceano salpæ capiuntur copiosissimæ, quas sole uel fumo uel uento siccatas in emporio Norueglæ celeberrimo, Bergen dicto, uendunt. Vnde Bergersisch uulgò dicuntur: à Germanis autem, quia ligneo malleo supra truncum molliendi ueniunt, Stocfisch. Olaus lib. 21. cap. 1. & 2.

Pelamides.

BYZANTIORVM cornu ad Byzātij mœnia propè spectat, cornu ceruino perquàm similis, nam in plures sinus perinde ac ramos quosdam scinditur, in quos irruentes pelamides facilè capiuntur, cùm earum multitudine, tum ui & impellentis fluxus impetu, ut propter sinus angustissimos uel manibus comprehendantur. Earum generatio in Mæoticis paludibus fit, inde uerò paulatim erumpunt grege facto per os ipsum, ac propter litus Asiaticum usq; Trapezuntem ac Pharnaciam excurrunt. Hinc primùm earum uenatio ex istit, non copiosa admodum. Nondum enim conueniens est multitudo. Vt uerò Sinope propius accesserint, speciosior nimirum earum est piscatio simul & salsamētaria. Postquam uerò Cyaneas transierint, & ex ripa Chalcedonia albicans occurrit petra quædam, tantus bestiis ipsis terror in cutitur, ut euestigiò in ulteriorem conuertantur ripā. Quas cùm præceps aquarum cursus corripiat, & innata locorum aptitudo maris fluxum ad Byzantium cornuque Byzantij deflectat, & eo naturæ impetu propellat, copiosum Byzantinis populoq; Rom. suppeditat prouentum. At enim Chalcedonij in ulteriore propè consistentes litore, in nullam eius ubertatis communionem accedunt, quoniam ad eorū portus ne una quidem pelamis sese applicat. Strabo lib. 7. Est in euripo Thracij Bosphori, inquit Plinius, quo Proponti Euxino iungitur, in ipsis Europam Asiamque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, à uado ad summa perlucens, iuxta Chalcedonem in latere Asiæ. Huius aspectu repentè territi thynni, è ponto in Aegæum descendentes semper aduersum Byzantij promontorium, ex ea causa appellatum Auri cornu præcipiti petunt agmine. Ità q; omnis captura Byzantij, est magna Chalcedonis penuria, D. passmedij interfluentis euripi. Plin. lib. 9. cap. 15.

Crocodili.

Ex ATLANTE monte extremæ Libyæ aqua turbulenta tribus alueis descendens, ab arenis exorbetur (hoc flumen hodie Nigrum appellant) Circa eius fontes crocodili cubitales gignuntur: qui ubi propius homines accedere senserint, in fontem se demergūt. Vnde quidam suspicati sunt, ab hac ipsa aqua è mediis arenis emergente Nilum postea oriri. Pausanias in Atticis.

Ranæ.

CYRENIS mutæ fuere, illatis è continente uocalibus durat genus ranæ. Mutæ sunt etiam nunc in SERIPHO insula. Eædem aliò translatæ canunt. Quod accidere & in lacu Thessaliæ Sicendo tradunt. Plin. lib. 8. cap. 58.

❧ GRESSILIVM CICVRVM LOCA IN GENERE. Vbi

Multa.

Armentorum & pecudum tanta copia est in HISPANIA, ut plerunq; ob sola uellera atque coria multa millia occidantur. Rodericus Santius parte 1. hist. Hispan. cap. 2.

Parua.

TARTARI hyeme ad Mæotim præ frigore descendunt, æstateq; per Mediterraneos campos diuagantur: idcirco asinis carent, quum animal sit frigoris impatiens: boues quoque cornua non habent, quum algori sint obnoxia: equi pusilli, magnæ contrà pecudes: hydriæ congelata aqua; quamuis æneæ, tamen scinduntur. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

Nulla.

Caruit prouincia PERVANA ante Hispanorum aduentum; quēadmodum & aliæ plurimæ, bobus, mulis, asinis, capris, ouibus, canibus, foricibus, literis, & moneta. Io. Metellus.

❧ ARMENTORVM. BOVM, VACCARVM loca. Nempe

Patria.

Boni generis in Italia pleriq; boues GALLICI ad opus: contrà iugatorij LIGVSTICI. Transmarini EPIROTICI, nō solùm meliores totius Græciæ, sed etiam Italiæ. tametsi quidam de Italicis, quos propter amplitudinem præstare dicunt, ad uictimas farciunt, atq; ad deorum seruant suppli cia. qui sine dubio ad res diuinas, propter dignitatem amplitudinis & coloris, preponendi. Quod eò magis fit, quòd albi in Italia non tam frequentes, quàm qui in Thracia ad μέλανα κόλπον, ubi alio colore pauci. Varro lib. 2. c. 5. Rei rust.

Hecatæus Herculem Geryonis boues abegisse scribit; nosti ex Hispania, non ex Erythia insula, sed è locis circa AMBRACIAM & AMPHILOCHOS, in quibus Geryon imperarit, herbida regione & pascuis admodum lætis. Græci scribunt, Epiroticos boues Larinos dici, ab Larino pastore, cuius Athenæus quoq; meminit, qui ab Hercule redeunte ab Geryonis nece, exceperit educaueritque. Vnde Epirotica mox armenta celebrari cœpere. De quibus commeminit & Lycus Rheginus ad Alexandrum. Cælius libro 6. cap. 7. Antiq. Lect.

A'LOTOPHAGIS triginta dierū spacium est ad eos, apud quos gignuntur boues præposterè pascentes. Ideò autem præposterè pascuntur, quòd cornua inflexa anterius habēnt, & ob id cessum euntes pascuntur. Nam offensantibus in terra cornibus progrediendo pasci nequeunt: alioquin nihil differentes à cæteris bobus, prēter crassitudinem pellis, atq; duritiam. Herodotus lib. 4.

Reges PAEONVM, Philippica secūda scribit Theopompus, pocula ex cornibus facere solitos, quibus labra uel auro uel argento operiebant: quippe cùm egregiæ magnitudinis boum cornua apud illos nascantur, atq; ita ut uel tres, uel etiam quatuor choas capiant. Athen. lib. 11. cap. 8.

EPIRVS boues profert laudatissimos, iam inde à Pyrrhi regis cura. Id consecutus est, non ante quadrimatum ad partus uocando. Prægrandes itaq; fuere, & suo etiamnū tempore stirpium reliquias durasse, scribit Plinius lib. 8. c. 45.

Timæus in historijs, quas græcè de rebus populi Romani cōposuit, & M. Varro in Antiquitatibus rerum humanarum, & lib. 2. de Re rustica, terram ITALIAM de Græco uocabulo appellatam scripserunt, à multitudine & pulcritudine & fœtu uitulorū: quoniā boues Græca ueteri lingua ἰτάλοι uocitati sunt: quorū in Italia magna copia fuerit, bucetaq; in ea terrā gignī pascīq; solita sint complura. Cōiectare autem ob eandem causam possumus, quòd Italia tūc esset armentosissima: multamq;, quæ appellatur suprema, institutam in singulos dies, duarum ouium, triginta boum, pro copia scilicet boum, proq; ouiū penuria. Sed cùm eiusmodi multa pecoris armentiq; à magistratibus dicta erat, adigebantur boues ouesq;, aliàs precij parui, aliàs maioris: eaq; res faciebat inæqualem multæ punitionem. Idcirco postea lege Aterina constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris centeni. Minima autem est ouis unius. Suprema multa est eius numeri, cuius diximus: ultra quem multam dicere in dies singulos, ius non est: & propterea suprema appellatur, id est, summa & maxima. Quando igitur nunc quoq; à magistratibus pop. Rom. more maiorum multa dicitur uel minima uel suprema, obseruari solet, ut oues genere uirili appellentur. Atq; ita M. Varro uerba hæc legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: M. Terentio, quando citatus neq; respondit, neque excusatus est, ego ei unum ouem multam dico. ac nisi eo genere diceretur, negauerunt iustam uideri multam. Gellius lib. 11. cap. 1.

In CARIOCTA regione Scotiæ præter reliqua armēta ingēti magnitudine boues reperiuntur: quorū caro tenera suauisq; esui est: cæterùm pingue nunquam concrescit, olei liquidi modo ferè semper fluens. H. Boeth. in Scotię descript.

Vaccæ, in PERVANIS montib. educatę, in planitie moriuntur. In ea enim, octo tantùm milliaribus lata, longa plus mille, uehementissimus est æstus, pluuia nulla. Montes uerò frigidissimi sunt, planitiei tamen contigui, in ijsq; quotidie pluit. Io. Metellus.

Stabula.

Ostendit Lucianus, AVGIÆ stabula tantum habuisse congēsti simi, quantū ter mille boues pluribus annis reddere potuerint. Hinc Augiæ bubile seu stabulum, prouerbiali allegoria dicebatur in hominem, aut in rem, maiorem in modum inquinātam. In Græcis epigrammatis recensetur inter Herculis labores Augiæ stabulum repurgatum. Erasmus in Adagijs.

Pyli adhuc, tempore Pausaniæ, extabat spelunca, in qua NESTORIS & ante eum Nelei boum stabulum fuit. Boues enim Neleus à filiæ procis sponsaltiumq; mūnus deposcebat. Paus. in Messenicis.

❧ EQVI VBI.

AEGYPTVS equorum feracissima fuit. Eapropter Dominus interdixit Israelitarum regibus, ne multis equis uterentur, ne populum ad conuersandum cum Aegyptijs propter equos inducerēt Deuter. 17. Ex Aegypto certè Salomoni regi equi adducebantur, singuli CL argenteis 3. Reg. 10.

MEDIA, ut & ARMENIA, eximiè pascendis equis apta est. Pratum quoddam Hippoboton uocatur, per quod iter faciunt, qui ex Persia & Babylone in Caspias portas proficiscuntur: in eò pasci dicuntur equorum L millia, quæ armenta regia sunt. Nysæos equos, quibus reges utebantur, optimos ac magnos, alij ex Media (uti Herod. l. 7.) genus habere dicūntur, alij ex Armenia, propriam quandam formam habentes. Herbam, quæ præcipuè equos nutrit, eo quòd ibi abundet, propriè Medicam uocamus. Armeniæ Satrapes quotannis per se uiginti millia pullorum ex Mithractna mittebat. Artauasdes rex M. Antonio præter alios equos cataphractorum instructorum septem millia ostendit, cùm in Mediam cum eo ingressus est. Strabo lib. 11. & 12.

CILICIA equorum feracissima. Eapropter Dario Persarum regi annuatim trecenti sexaginta albi equi, & argēti quingenta talenta pendebantur, quorum centena & quadragena erogabantur in eam Ciliciæ regionem, quæ equos producebat. Herodotus lib. 3.

In CAPPADOCIA olim quū quandoq; equina defecissent armenta, moniti Apollinis oraculo indigenæ, ab Agrigento usq; seminium petiere, unde succreuerint longè præstantiora. Agrigentini uerò equitij gloriam, Pindaro astipulante, sacra Græciæ certamina indicant. Cælius lib. 18. c. 30. A. L.

APAMIA Syriæ, regione & multa & ubere abundat, per quā Orontes fluit, & multa in ea oppidula sunt. Hoc in loco Seleucus Nicator quingentos elephantes alebat, & magnam exercitus partem, sic etiam posteriores reges. Ea olim PELLA dicebatur à primis Macedonibus, propterea quòd maxima Macedonum pars, qui in Asiam militauerant, hic habitauere. Pella uerò Macedonum metropolis fuit, Philippi & Alexandri patria. Hoc in loco milites recensebantur, & equi alebantur, & regis equæ, numero supra XXX millia. Harum emissarij CCC. Hic erant equorum domitores, hic bellici ludi magistri conducebantur, & quicunq; rei militaris erant periti. Quam potētiam Typhonis incrementum, cui cognomēto fuit Diodorus, plurimùm declarat. Is enim hinc mouens, Syrorum regnum adortus est. Strabo lib. 16.

Equorum genus excellit ARCADICVM, quemadmodum & ARGOLICVM & EPIDAVRICVM. Aetolorum præterea & Acarnanum solitudo pascendis equis est accommoda, non minus quàm Thessalia. Strabo lib. 8.

Antiquitùs prima laus fuit equarū THESSALIÆ. Id quod satis indicat oraculū Aeginensibus redditū: citat Eustathius in secundum Iliados librum. Suidas refert, hauddum scio ex quonam auctore: ἱππᾶς μὲν οὖν θεσσαλίας τῆς θρέψαν, τοξότας δὲ τῆς τὰς κυφότερα τῶν ὅπλων οὐ ἐνδίδοσι τῆς κεφαλῆς, id est. Equites in Thessalia Thraciaq;, sagittarij arq; armatura leuior in India, Creta & Caria. Erasmus in Adagijs.

Hippolaitæ seu Hippobotæ, POPVLVS Chalcidensis, cuius meminit Plutarchus in uita Periclis, olim opib. gloriaq; cū primis clarus. Nam ipsum nomē ab agrorum fertilitate inditum est, quasi dicas equorum altricem: quorum regionē pulsis indigenis, & deducta colonia, occuparunt Athenienses. Huius rei mentionem facit & Herodotus in Terpsichore. Erasmus in Adagijs.

Cōstat in LVSITANIA circa Olyssiponem uel Vlyssiponem oppidum & Tagum amnem, equas Fauonio flante obuersas animalem cōcipere spiritum, idq; partum fieri & gigni perniciissimum ita, sed triennium uitæ non excedere. Plin. l. 8 c. 42. & lib. 4. c. 22. Ante illū Varro l. 2. c. 1. Rei rust. scribit: In fœtura res incredibilis est in HISPANIA, sed est uera: quòd in Lusitania ad Oceanum in ea regione, ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam è uento concipiunt certo tempore equæ: ut hic gallinæ quoq; solent, quarum oua ἀνεμώνια appellant. Sed ex his equis qui nati pulli, nō plus triennium uiuunt. Verum numeri Iustinus figmentum ex equarum fœcunditate ac gregum multitudine, qui in ea prouincia multi & pernices uisuntur, fluxisse autumat. Eorum qui aliter opinātur, turba Homerisci licet, Va-

ronis, Columellæ, Plinii Solini, eliditur Iustinus, quibus D. Augustinus adscribi potest. Brodeus in primo Epigramm.

CELTIBERORVM equi Parthicis similes agilitate, colore subalbi: sed si in exteriorem Hispaniam exportentur, colorem mutant. Strabo lib.3.

Equos quàm optimos alit HISPANIA, sed Bætica plures, Lusitania uelociores, Asturia fortiores, quos ueteres Asturcones appellabant. Marineus libro 1. de rebus Hispaniæ. Eorum certè tanta est uelocitas, ut potiùs uolare quàm currere credantur, illorum præsertim, quos olim expeditos equos, hodie Ginetos uocant, quos Strabo ait esse similes equis Spartarum, reliquos omnes mira celeritate superantes. Rursus equorum Hispaniæ tãta fertur esse fides, ut cùm sæpe cussos in bello sentiũt, sessores suos incolumes inter hostes mira probitate extra prælium exponunt. Rodericus Santius parte 1. hist. Hispan. c. 2.

VENETOS Italiæ pop. quidam Gallorũ eiusdem appellationis, Occani accolarũ, colonos esse, memoriæ prodiderunt. Nonnulli è Venetis, qui post bellum Troianum, cum Antenore salutem assecuti, cursum huc è Paphlagonia tenuere, descendisse affirmant, fidi usi testimonio, eorũ in alendis equis industria: quæ licet hoc omnino tẽpore defecit, antea tamẽ summo apud illos in honore fuerat, ab illorum imitatione, qui creandis ex equabus mulis studebant. Cuius rei meminit Homerus:

ἐξ ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Dionysius certè tyrannus ex his locis equos pro sobole equestribus apta certaminibus procreanda petendos curabat, & diu inter Græcos Veneti pulli celebres fuere. Strabo lib.5. Equæ præstantissimæ λευκοφάραι dicebantur. Vide Tit. Humanitatis hominum erga bruta.

SVETIA & Gothia equos magnos & ad cataphractorũ prælia aptissimos producit, qui tamẽ regio edicto extra regnũ educi prohibentur. At minores magno numero quotannis à Germanis exportantur, propter tolerantiam laborum, famis, frigoris, tenebrarum laudatissimi. Olaus lib.17. cap.16. gent. Sept.

In ELANDIA insula Gothici maris, plurimi greges equorũ paruorum, sed ualidissimorũ, utputà qui fortitudine, & agilitate multis eximij corporis equis præualent: quosq; domestici, & exotici negotiatores pro uoluptate emunt, atq; in terras remotas ueluti naturę miracula uenales exportãt. Ingeniosissimi enim sunt, ut saltibus & choreis, buccinę uel tympani sono per eos adaptari possint, quorum exercitium est, huiusmodi spectaculis acquirere quæstum. Insuper instruuntur, ut circulos ferteos, aut ligneos non admodum amplos, more canum, transiliant, saltuatimq; uiuacissima pernicitate sese gyrando reuoluant. Proprio etiam nomine moniti magis, uel minus id faciunt, iuxta arbitrium imperantis. Pascuntur huiusmodi equi, ubi opus est, piscibus solè tostis, & lignis abietinis: ceruisiaq; & uino usq; ad ebrietatem potantur. Olaus Mag. lib.2. cap.23.

In ORCADIBVS insulis equi parui, asinis haud maiores, laboris interim patientissimi. H. Boethius in Scotia.

ASINI, MVLI VBI.

ANTRON ciuitas erat Thessaliæ, nomen inde sortita, quòd cauernis & specubus abundaret. Illic aiunt asinos insigni magnitudine quondã fuisse, unde prouerbium increbuit, Antronius asinus, pro homine stupido & prægrandi. Auctores Stephanus & Suidas. Attingit prouerbium & Homeri Scholiastes in Iliados β. Erasmus.

ARCADICI asini in precio sunt apud Achæos: apud Italos REATINI. Plinius lib.8. cap.43. & Strabo lib.5.

Mulæ apud CAPPADOCES optimæ, atq; etiam uulgò pariunt. Plinius lib.8. cap.43. ex Theophrasto.

In ELEO agro Græciæ, muli nequeunt gigni, quamuis nec locus sit frigidus, neq; ulla alia causa appareat. Aiunt Elienses ipsi, ex imprecatione quadam id sibi contigisse. Itaque cùm tempus aduentat conceptus equarum, in loca finitima equas educunt. Ibi posteaquam admiserint asinos, eas reducunt. Herodotus lib.4. & Pausanias lib.5.

OVIVM LOCA.

Fabulati sunt ueteres, Solem habuisse propria boum armenta, & ouium greges, quos Horæ & Nymphæ pascerent in TRINACRIA, sicuti recensuit Homerus lib.μ. Odyss. Hæc non procul à Tænaro fuisse scribit Homerus in hymno in Apollinem. Memoriæ prodidit Herodotus in Calliope, in APOLLONIA, q̃ regio est in sinu maris Ionij, oues fuisse sacras Solis, quæ per diem secundùm eũ fluuium pascerentur, qui è Lacmone Apolloniæ monte apud Oricum portum olim uocatum in mare defluebat: has per noctem, qui diuitijs & nobilitate inter illos præstant singulari, per anni spacium seruare domi soliti fuerunt. Pascebantur boues etiam deorum cõmunes in PIERIIS montibus, de quibus scripsit Homerus in hymno in Mercurium. Natalis Comes Mythologiæ lib.5. cap.17.

Pherecydes GADES Erythiam uidetur appellasse, in qua Geryonem habitasse uolunt. extra columnas Herculis. Alij uerò adiectam huic urbi insulam, quam stadij interuallo euripus interlabens segregat. Lætitia pabuli summa. Pecudũ lac ferum non efficit, caseumq; multum immiscentes aquã conficiunt, tantum exuberat pingue. Tricesimo die animal suffocatur, nisi quicquam cruoris exhauriatur. Herba uerò quam pascuntur oues, sicca quidem est, sed incredibilem gignit aruinam. Quibus ex rebus fabulam de Geryonis armentis confictam esse, conijciunt. Strabo lib.3.

Pecorum adeò fertilis ARABIA est, ut nationes plurimas uitam pastorum ducentes enutriat. Diod. lib.2. cap.10. In Arabia sunt ouium duo genera admiratione digna, quæ nusquam alibi uisuntur: quorum unum caudas habet tam longas, ut non sint tribus breuiores cubitis, si quis trahi sinat, hulcera contracturæ, dum per terram atteruntur. Nunc unusquisq; pastorum hactenus est doctus arte fabrili, ut plostella faciant, quæ singularum ouium caudis subligent, super quæ plostella caudas ipsos alligent. Alterum genus ad cubitalem latitudinem caudas gerit. Herodotus lib.3.

Leo Afer historicus se uidisse affirmat, ouium AEGYPTIARVM caudas, quę pondere libras quinquaginta, interdum uerò centum uiginti æquarent. Idem Bellonius & Hieronymus Cardanus tradunt. Io. Bodinus Methodi histor. cap.4.

Oues innumeras habet HISPANIA. Siquidem multos in Hispania pastores nouimus, quorum unusquisq; ouium triginta millia possidebat. Quapropter lanas mollissimas nõ Hispaniæ solùm populis, sed externis etiam gentibus oues abundantissimè suggerunt. Marineus lib.1 de reb. Hispan.

Colles passim multi, nullis arboribus consiti, nullisq; aquarũ fontibus irrigui, in ANGLIA, qui herbã tenuissimam atq; breuissimam producunt, & tamen abundè ouibus pabulum suppeditãt: per eos ouium greges candidissimi uagantur: quę siue cœli, seu bonitate terræ, mollia, & lõgè omniũ aliarum tenuissima ferũt uellera: sed terræ sterilitati id cùm primis, teste Vergilio, assignandum est, qui libro Georg.3. de ea re sic docet:

Si tibi lanicium curæ, primùm aspera sylua,
Lappæq; tribuliq; absint, fuge pabula læta.

Etsi uerò nunc Anglicana lana multò est preciosissima, ueteres tamen scriptores de ea nihil meminerunt: nam Vergilius Milesiam ut optimam celebrat, lib.4. Georg.

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circum Milesia uellera nymphæ
Carpebant.——

Est enim MILETVS ciuitas Asię. Et deinde Columella, qui Claudio principe, circiter annum Salutis LIII floruit, libro de Re rustica 7. de ouibus preciosis ita loquitur: Generis eximij Milesias, Calabras, Appulasq; nostri existimabãt, earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ preciosiores habentur, earumq; præcipuè Altinates. Item quæ circa Parmam, & Mutinam, macris stabulantur campis. Hæc ille. Et postremò Plinius lib.8. de pecorum & lanarum natura, eadem ferè tradit. Hinc igitur cognoscere licet, nullam olim apud ueteres Britannos Anglos ue lanigeri pecoris curam fuisse, sed illos post ætatem Plinij, uel omnino tardissimè eam suscepisse, ac lanam per Francos mercatores, ut uiciniores, ad alias gentes delatam. Quo factum est, ut Itali etiam nunc Anglicam lanam uocent Franciscam, perinde quasi eã Francia ferat. Et sic homines paulatim effecti sunt magis industrij. Idem postea lanarũ studium SCOTIS esse cœpit, quamuis uellus rudius sit. Est uerò illud admiratione dignum, quòd oues istæ præter rorem cœlestem nullum bibunt potũ, adeò ut etiam à pastoribus de industria à fontibus arceantur: quando experientia cognitum, dare bibere, illis esse exitiale. Polyd. lib.1.

In PERV regione, quòd calida sit, oues ad asellorum magnitudinem crescunt, longis cruribus, crasso corpore, caput longũ, collum & effigies quasi cameli, caro optima, agnorum maximè. Castrati aratrum ducunt ac ferunt, ferũt & ligna: non clamant, nec molesti sunt: sunt albi, nigri, & cinerei coloris. Cardanus de Rerum uarietate lib.7. cap.31.

Insula est in Gothico mari, regno Gothorum seu Suetiæ subiecta, GOTLANDIA, id est, Bona terra, nominata, inter Aquilonares insulas felix & abundans, ob plurimas naturæ dotes. Hæc arietes, siue uerueces, cæteris robustiores, & proceriores producit: quibus quaterna uel octona cornua crescunt: tantumq; ferociæ à cornibus mutuant, ut tempore coitus, nisi ferra, uel lima demantur, cæteris animalibus sint nocumento, ipsiq; pastori rebelles. Lanam habent longam & mollem. Olaus lib.17. cap.1. gentium Septent.

In ORCADIBVS insulis oues penè omnes geminos, imò trigeminos pleræq; partus edunt. H. Boethius in Scotia.

In parte quadã Angusiæ Scotorũ regiõis, cui nomẽ VALLIS

Eskæ, oues tam mollem, candidã, delicatamq;, & tam subtili uillo lanam ferunt, ut uix similis in tota inueniatur Albione. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

In GAREOTA, Scotię regione, est mons quidã Doundor aureus ab incolis appellatus, quòd oues in eo flauæ sint, habentes dentes coloris planè aurei, carnes uerò uelut croco tinctas, pauloq; plus quàm ea est quam ferunt lanam. Est & in eadem regione quodam in loco lapidum ingentium corona admirandum in modũ sicut æs resonantium. H. Boethius in Scotiæ descript.

HIRTHA insula Hebridũ una, ab ouibus, quas prisca lingua Hiertth Scoti uocant, dicta. Fert enim oues uel maximos hircos altitudine exuperantes, cornua bubulis crassitudine æqua, sed longitudine aliquãto etiam superantia: præterea caudas in terram usq; promissas habentes. Cincta est hæc insula undiq; rupibus altissimis, nisi quã angusto difficiliq; portu uix nauem recipit. Olim haud sine discrimine, nunc tantùm solstitio æstiuo ad eam accessus patet: quo tempore sacerdos à Leuissa uicina insula nauigio ad eos accedit, infantes eo anno natos baptismate sacro tincturus, atque aliquot exinde dies illic remanẽs sacra administrat: quibus peractis, ac receptis ex bona fide omnium rerum eo anno natarum decimis, ad sua reuertitur. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

CAPRÆ VBI.

SCYRIÆ capræ maximam lactis uim reddere dicuntur. Id quod affirmat & Athenæus Dipnosophistarum lib.1. citans hoc Pindari carmen:

Σκυρίαι δ' ἐς ἄμελξιν γάλακτος αὖγες ἐξοχώτατοι: id est,
Scyriæ uerò ad emulgendũ lac capræ præstantissimæ.

Vnde prouerbium quidam deduci putant, αἶξ σκυρία, de ijs ex quibus plurimum emolumenti percipitur. Erasmus.

SVES VBI.

Ptolemæus rex Aegypti lib.9. Memorabilium: Cùm in Assum, inquit, proficiscerer, mihi ASSII porcam attulerunt filium habentem, cuius altitudo erat duorum cubitorum cum dimidio, totus q; æqualis in longitudinem, colorecq; niueo. Dicebãt regem Eumenem studiosè res huiusmodi ab ipsis emere, quippe qui quatuor drachmarũ millia pro uno daret. Athenæus lib.9. cap.5.

In ARABIA suillum genus non uiuit. Plin. lib.8. cap.52.

Apud INSVBRES sues magis ouibus crescunt, quòd sint calidiores, adeò ut unus ad DLXXX libras peruenerit, dũq; ueheretur in curru, cum alijs tribus suffocatus est. Dum uerò suspensus & adhuc calidus aperiretur, axungia prosiluit, & lanionem in uultu aspergens; reperitè ob impetum prostrauit in terram: unde tum ictu, tum timore ægrotauit plus quàm per duos menses. Cardanus de Rerum uarietate lib.7. cap.31.

CANES VBI.

Canes in primis generosas aduertimus, LACONICAS, ARCADICAS, LOCRIDAS, CELTICAS. Ibericæ item celebrantur, & quæ uocantur Carinæ, id est, καρῖναι, Creticæ, Molossicæ, Eretrinæ, Hyrcanæ, Indicæ, Achaiæ ciuitate: ni Cypselicos malis, quando est in Arcadia munitus locus Cypsela, cuius apud Thucydidem mentio fit historia quinta. Est & in Thracia nominis eiusdem adiacens Hebro ciuitas: Nam Cypsele, id est, κυψέλη, uasis est aut mensuræ species. Cypselidas uerò aurium dicunt marmorata. Cypseli sunt, quos etiam apodas uocant hirundinibus similes. Porrò sunt Elymæi canes à populis in meditullio Bactrorum & Hyrcaniæ. Castorij autem, & Menelaides, & Harmodij à dominis appellationem traxere. Prodidere quidam, Laconicas canes antiquitùs esse ex uulpibus natas, & canib; quo nomine appellari etiam quandoq; alopecidas. Sicuti Arcadicæ ex leonibus creduntur prouenisse, unde & leontomiges dictæ. Indicarum sobolem prodit Aristoteles etiã ex tigribus factam. At Nicander Colophonius ex canibus Actæonis Indicos scribit propagatos, quæ à rabido furore resipiscentes, Euphrate transmisso, in Indos usq; aberrarint. In parte Indorũ, ubi regnasse Sophites memoratur, & gentem esse sapientia præcipuè insignem, nobiles ad uenandũ traduntur canes, quiq; latratu abstineant, quum uidere feram, leonibus maximè infesti. Molottidas canes proles traduntur eius canis, quem ære monesio ubi constauit Vulcanus, immissa quo q; anima, Ioui dedit dono: is uerò Europæ, hęc Minoi, Minos Procridi: illa uerò Cephali esse uoluit munus. Eius hæc fuit natura, ut uitari non posset, ubi insequi occœpisset. Sicuti Tecmesia uulpes fuisse narratur incomprehensibilis. Quæ ratio utrunq; deformauit in lapidem. Cælius lib.17. cap 28. A.L.

In SOPITHIS terra Indiæ canes optimos narrant, atq; Alexandrum C & L canes à rege accepisse: atq; ut periculum faceret, duos leoni immisisse: quibus illum tenẽtibus, alios duos soluisse: qui cùm iam in certamine consisterent, Sopithes iussit, ut unus ex canibus crure apprehensus abstraheretur à morsu: & nisi obtẽperaret, crus amputaretur: quod Alexander primò non concessit, cani uidelicet parcens; Sed cùm Sopithes diceret, se quatuor pro uno daturum, concessit. Canis uerò priùs sibi crus incidi profundo uulnere passus est, quàm morsum dimitteret. Strabo lib.15.

Ad mare rubrum CYNÆMOLGI, qui ab indigenis Agrij appellantur, comati & barbati. Hi canes maximos alunt, quibus Indicos boues uenantur, è uicina regione uenientes, siue à feris pulsos, siue pascuorum inopia. Eorum aduentus est ab æstiuo solstitio, usque ad mediam hyemem. Strabo libro 16.

Inter Corcyram & Illyricum MELITA insula, unde catulos Melitæos appellari, Callimachus auctor est. Plinius libro 3. cap.20. Hæc hodie Cursula, antiquitùs Corcyra nigra. Sab. Supplem. lib.21.

CANARIA insula, una Fortunatarum, à multitudine canum ingentis magnitudinis dicta: ex quibus perducti sunt regi Iubæ duo. Plinius lib.6. cap.32.

Apud SCOTOS sunt pter uulgares domesticosq; canes tria alia genera, quæ alibi nusquam (ut opinor) terrarum inuenias. Vnum genus uenaticum est cùm celerrimum, tum audacissimum, nec modò in feras, sed in hostes etiam latronesq;, præsertim si dominum ductorémue iniuria affici cernat, aut in eos concitetur. Alterum est odorifequorum, feras, aues, imò & pisces quoque inter saxa latentes odoratu inuestigãtium. Tertium genus est haud maius odorifequis: sed ut plurimum ruffus nigris inspersum maculis, aut nigrum ruffis. Tanta uero his sagacitas inest, ut fures furtoq; ablata persequantur & deprehensos continuo inuadant. Quòd si fur quò fallat fluuium traiecerit, quo loco fluuium ingressus est & ipsi sese præcipitant, & in aduersam deuenientes ripam, in gyrum circunquaq; procurrere non cessant, donec odoratu uestigia assecuti sunt. Id minùs uerum uideri possit, nisi uulgaris eorum esset usus Scotis Anglisq; in confinibus, ubi ex mutua agrorum prędatione multi sibi uictum quærere consueuerunt. Quòd si quis pacis tempore, dum sibi ablatum quispiam cane indagatore persequitur, uel etiam in secretiora cubicula cani ingressum deneget, is planè pro fure habetur. H. Boethius in Scotiæ descriptione, & Cardanus de Var. rerum lib.7. c.31.

FELES VBI.

Apud TARTESSOS in Iberia feles nascuntur maximæ, ita ut in prouerbium abierint, γαλῆ ταρτησσία.

GRESSILIVM FERORVM LOCA.

In Genere. ubi

Multã.

Consule Tit. Montes feraces. illic Loci, hic Locati habetur ratio.

ARABIÆ pars Syriæ contermina, multas uariasq; nutrit feras. Nam & leones & pardales multò plures maioresq; in ea quàm in Libya reperiũtur: præter hos qui Babylonij uocantur tigres. Fert & animalia naturæ duplicis, mixta specie: quorum aliquos appellãt struthiocamelos, qui ex struthione camelo q̃ue constant: unde & nomen trahunt, magnitũdine ad cameli nascentes modum. Diodorus libro secundo capite decimo.

AFRICA admirabiles feras gignit, aquæ penuria ad eosdem fontes & flumina diuersi generis animalibus cocuntibus, unde nouæ subinde feratum species: ut in prouerbiũ abierit, Africam semper aliquid noui afferre. Plinius libro octauo capite secundo.

AETHIOPIA producit Nabin siue camelopardalim, lyncas, sphingas, pegasos, crocutas, cercopithecos, monocerotas, leucrocutas, eales, tauros sylueſtres, hyenas, mantichoras, catoblepas. Plin. lib.8. cap.21.

Nulla regio in Europa aptior est aucupio & uenationibus, quàm LÆVMELLINÆ tractus inter Ticinũ & Agoniam positus. Syluæ spaciosæ, antiquæ, apricis campis finitimæ, hyeme siccæ, æstate umbrosæ. In quibus Franciscus I. Gallorum rex, Insubria armis recepta, uenatus est, & post etiam Carolus V. Imp fines prescripsit, intra quos uenatio regum ac principum uoluptati seruaretur. Bernardinus Saccus l.4. Ticinensis hist.

Sub polo apud LAPPONES in uasto nemorum circuitu, tanta ferarum reperitur fœcunditas, & multitudo, ut soli uiri, nisi & feminæ accurrant, non sufficiant ad earum uenationem instituendam. Igitur eadem agilitate feminæ uenantur, ut uiri. Attamen uir prædam diuidit, uerũque designat assandã: quid ue domesticis, quid uicinis certa liberalitate donandum sit, disponit. Olaus libro quarto capite duodecimo gentium Septent.

Ad Nessæ lacus, longi quatuor & uiginti passuum millia, lati duodecim, latera, propter ingentia nemora ferarum ingès copia est, in MORAVIA Scotiæ regione, ceruorum, equorum indomitorum, capreolorum, & huiusmodi animantiũ magna uis. Ad hæc marterellæ, fouinæ, ut uulgò uocantur, uulpes, mustellę, fibri, lutræq; incomparabili numero, quorum tergora exterę gentes ad luxum immenso precio coemunt. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Parua.

SCYTHARVM regio feras alit, neq; numero, neq; magnitudine insignes. Hip. de Aere aquis locis.

Nulla.

In OLYMPO Macedoniæ monte non sunt lupi, nec in CRETA insula. Ibi quidem non uulpes ursi uc, atq; omnino nullum maleficum animal, præter phalangium, aranei genus. Mirabilius in eadem insula ceruos, præterquam in Cydoniatarum regione, non esse: item apros, & attagenas, & herinaceos: in AFRICA autem nec apros, nec ceruos, nec capreas, nec ursos. Plinius lib. 8. cap. 58. & Herod. lib. 4.

ANGLIA nullum gignit uenenatum animal, aut rapax, præter uulpem, & olim lupos: quare uagum pecus, & nullo ferè custode tutum est: uidere enim licet armenta boum & equorum ac ouium greges interdiu noctuq; passim errare per montes & ualles, per agros compascuos ad pascendũ communiter relictos, aut per fundos, quos post collectos fructus, consuetudine quadam peruetusta, uicinus quisque communes habet, ad alendum pecus. Polydorus lib. 1.

Nullum HYBERNIA maleficũ gignit animal, non araneum, nõ ranam, nec alit aliunde inuectam. Terra Hybernica aliò asportata necare dicitur noxia animalia solo puluerisiniectu. Sabell. lib. 5. Enneadis 10.

Serpens aut aliud animal uenenosum nullũ reperitur in ORCADIBVS insulis, adeò ut ne quod horridam habeat formam, aut quod ueneni præ se ferat suspicionem, facilè admittat. Nulla rana, anguilla in ea rara est. H. Boethius. in Scotiæ descriptione.

GRESSILIVM FERARVM LOca in specie. Vbi reperiuntur

Elephanti.

INDIA elephantes fert maximos: item Africa ultra Syrticas solitudines, & in Mauritania: Aethiopes quoq; & Troglodytæ. Plinius lib. 8. cap. 11.

In extremis AFRICÆ, quà confinis Aethiopiæ est, postium uicem in domiciliis præbere elephantum dentes, sepesq; in ijs & pecorum stabulis pro palis elephantorũ dentibus fieri, Polybius tradit, auctore Gulussa regulo. Plin. lib. 8. c. 10.

In Aethiopia Ophiophagorum PTOLEMAIS urbs à Ptolemæo Philadelpho Aegyptiorũ rege condita ad uenatus elephantorum: ob id Epitheras cognominata. Plin. lib. 6. c. 29.

ZEILANA insula, maximos & optimos omnium totius Indiæ, summiq; ingenij, & quibus reliquos obediẽtes esse ferunt, elephantos progenerat. Hi nõ modò uernaculam, sed etiam peregrinas linguas, si doceantur, intelligunt. Gloriæ sunt cupidi, beneficiorũ memores, & iniuriarũ uindictam expetunt. Io. Metellus.

Catoblepa.

AETHIOPES Nigritæ catoblepã animal habent, cuius oculos qui uiderint, confestim expirant. Basiliscus in Cyrenaica prouincia serpens, aspectu solo necat homines. Plinius lib. 8 cap. 21.

Gorgones.

Sunt in LIBYA Gorgones animalia καταβλέποντα, id est, semper despectantia, ouibus agrestibus similia, aut uitulis, sicuti quidã uoluere. Pestilens ijs est oris halitus, quippe intereunt mox afflata omnia. Sed nec innocentior ab oculis radius manans, ubi concussa, quæ à fronte in oculos propendet, coma, spectarint aliquid. Cognitũ id à Marij militibus aduersus Iugurtham bellantibus. Cælius lib. 18. cap. 38. A. L.

Leones.

Apud CRESTONÆOS & MYGDONIOS, leones multi, sed longè uiribus præstãtiores ijs quos Africa aut Syria gignunt, & boues agrestes prægrandibus cornibus reperiuntur, qui ad Græcos ueniunt. Leonum terminus est Abderorum flumen Nestus & Achelous, qui per Acarnaniam fluit. Nam nemo aut ad auroram trans Nestum usquam gentiũ uiserit leonẽ in Europa, aut trans Acheloum ad Hesperum in reliqua continente: sed in horum fluuiorum medio leones gignuntur. Herod. lib. 7. & Plin. lib. 8. cap. 16. ex Arist.

Montana THRACIÆ regio, quæ intra Nestũ est, qui fluuius Abderitarum fines pręterlabitur, & alias immanes belluas, & leones alit. Tam uerò multi illuc gignuntur, ut in Xerxis camelos, qui commeatus conuectabant, impetu facto, magnam eorum stragem fecerint. Errãt hi plerunq; per subiacentem Olympo monti agrum. In eo monte Polydamas ferocissimum leonem Herculis æmulatione inermis interfecit. Pausanias lib. 6.

Aestate in regionem AETHIOPVM Rhizophagorum è deserto leones irrumpunt, & umbræ causa, & ut minores uenentur feras. Ad hos Aethiopes ex paludibus exeũtes, multi pereunt, tum inferiores uiribus, tũ deficientibus quibus se tutari ualeant armis. Et iamdiu ea deleta esset à leonibus natio, nisi natura eis sponte præsidium tulisset. Nam sub ortum Canis, mirabilis atq; innumera nullo agitata uẽto culicum multitudo ad ea loca aduolat. Homines ad paludes confugientes, minimè lædunt: leones abire ex his regionibus compellunt, tum morsu, tum uocis sono territos. Diodorus lib. 3. cap. 3.

Tigrides.

Megasthenes auctor est, Tigres apud PRASIOS Indos gigni, magnitudine duplos ferè ad leonem, adeò ualentes, ut unus ex mansueris à quatuor hominibus ductus, si mulum posteriore pede apprehenderit, ad se trahit. Cercopithecos uerò maximis canibus maiores, & totos albos, præter faciem, quæ nigra est: apud alios uerò econtrà, caudæ longitudinem supra duos cubitos, præterea mitissimos, & circa adortus & furta non malignos. Strabo lib. 15.

Lupi.

Lupi in SCOTIA ubiq; atrocissimi sunt gregibus, atq; armẽtis infensissimi, præterquam in ualle quadam Angusiæ, nomine Glemmores: ubi domesticis animantibus innoxij ferarũ præda sese pascũt. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Sunt in mõtibus DOFFRINIS, Suetiam ac Noruegiam diuidentibus, lupi albicantis coloris, gregatim ut pecora partim in uallibus, partim in montibus euagantes: quorum esca sunt animalia imbecillia, ut mures, talpæ, &c. Olaus lib. 18. cap. 15.

In ANGLIA lupi nulli, assiduis uenationibus stirpitus excisi. Polyd. lib. 1.

Vrsi.

Plinius lib 8. c. 36. negat ursum in AFRICA terra gigni, quum Romanorum quidem, & in his illustres poetæ, cum Herodoto contrarium affirment. Maiore quidem uenia dignus Maro: fabulatur enim ut poeta, Aeneam in Aphrica ceruos uenantem, quũ neq; ceruum terra ipsa, neq; lupum gignat: etsi de lupo quoq; in dubium auctores tradunt. Plutarchus auctor est, C. Gracchum ad instaurandam Carthaginem in Libyam missum, metasq; fubito eius belluæ incursu turbatas, & ob id omen ex ea re factum. Sab. lib. 5 En. 1.

Apri.

ALEXANDER Scotorum rex auxit facultates sacræ ædis D. Andreæ cùm alijs quibusdam prædijs, tum eo agro, cui nomen est Apri cursus, ab apro immensæ magnitudinis, qui edita & hominum & pecorum ingenti strage, sæpe nequicquam à uenatoribus magno ipsorum malo peritus, tandẽ ab armata multitudine inuasus, per hunc agrũ profugiens, confossus est. Extãt immanis huius belluæ indicia ad Diui Andreæ: dentes (quos maxillis exertos habuit) admirãdæ magnitudinis, longitudinis enim sunt sexdecim digitorũ, & latitudinis quatuor, religati catenulis ad sellas D. Andreæ. H. Boethius lib. 12.

Cerui.

In HELLESPONTO in alienos fines non commeant cerui: & circa ARGINVSSAM Elatum montem non excedunt, auribus etiam in monte fissis. Plin. lib 8. c. 58.

CILICIA ceruis abundat, qui integris agminibus mare in Cyprum tranant. Plinius lib. 8. cap. 32.

In Asia apud HYPERBOREOS, & Hippophagos SARMATAS sylueſtres, homines supra niues ferè perpetuas uehiculis feruntur, quæ cerui tanta pernicitate trahunt, ut ultra cẽtum millia passuum uno die iter facilè emetiantur. Bonfinius lib. 1. Decadis 1.

In partibus Septentrionis utriusq; BOTHNIÆ (sic enim extremi Aquilonis terræ, quasi à fundo uasis, uocãtur) & magnæ LAPPONIÆ, bestia tricornis est, de genere ceruorum, sed longè procerior, robustior, ac uelocior, Rangifer dicta, in capite ferens alta cornua, uelut quercinarum arborum ramos, ad ramos quindecim aucta, tertium in medio capitis cæteris breuius. Hæc animalia cicuratæ currus trahunt tanta uelocitate, ut XXX milliaria Gothica siue Germanica die uno, si necesse sit, emetiantur. Olaus lib. 17. c. 26. & Io. Magnus lib. 8 cap. 36.

Dorcades, Onagri.

In LYCIA dorcades non transeunt montes Sytis uicinos: onagri montem, qui Cappadociam à Cilicia diuidit. Plinius lib. 8, cap. 58.

In

In PHRYGIA & LYCAONIA onagri præcipui. AFRICA pullis eorum ceu præstantibus sapore gloriatur, quos lasciones appellat. Plinius lib. 8. cap. 44.

Xenophon in I. libro ἀναβάσεως natrat: cùm Græci, qui secuti fuerant Cyrum minorem, cum reliquis ipsius copijs uenissent in ea loca, in quibus magna uis foret ferorum asinorum (erat autem illa ARABIA) conatique essent impositi equis ipsos captare: facile cognouere, se frustra illo modo laborare, quia celetiores illi in cursu forent. quare artẽ adhibuerunt, & plures, distantibus locis, positi, ita ipsos iam defatigatos excipiebant. Carnem uerò eorum similem esse commemorat carni ceruorum. Victorius libro 38. Var. lect. capite 1.

Vri, Bisontes.

ANGERMANNIÆ ducatus in Suecia tenet septentrionalia ad confinia Laponiæ: eius tractus est totus syluosus. Et ibi in præcipuis feris uenãtur uros & bisontes, quos patria lingua dicunt Elg, id est asinos sylueſtres: tantæ proceritatis, ut summo dorso æquent mensuram hominis porrecti in brachia elata. Zieglerus in Scondia.

Vulpes.

Sunt in SEPTENTRIONALIBVS syluis uulpes nigrę, candidæ, rubeæ, crucigerę in dorso, aliæq; cœlestino colore respersæ. Olaus lib. 18. cap. 37.

Vulpes quum nusquam non sint infestæ minoribus animalibus alitibusq; domesticis, tum maximè in montanis SCOTIÆ, ubi difficilis earum uenatio est. Tali itaque consilio belluæ illius perniciem anteuertere cõsueuerunt. Vicis frequentioribus singulæ ædes singulas uulpeculas nutriunt, easq; earum carnibus contusis coctisq; animaliũ cibis miscere solent. Quæ autem uolucres aut pecudes domesticæ eas degustarint, duos propè menses innoxiæ securæq; pascentes oberrant, uulpibus à sui generis esca tam anxiè abstinentibus: quod ita esse comprobant. Nam si qua non degustarit, peruagantibus inter gallinas, anates, anseres, cęteras q; aues innoxijs uulpibus, ea sola illis prædæ est, quam à genere suo abstinuisse sentiunt. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Simiæ.

Prope Emodos Indiæ montes, sylua est maximam ingentium cercopithecorum multitudinem habens, adeò ut cùm Macedones aliquando multos in collibus quibusdam apertis uidissent in aciem instructos (nam id animal ad humanum accedit ingenium, nõ minus quàm elephantes) in eos tanquam hostes irruerunt: sed cùm à Taxilo, qui cum Alexandro erat, rem agnouissent, cessarũt. Hoc animal duobus capitur modis: nam cùm imitatiuum sit, & in arbores fugiat, uenatores cùm eos in arboribus insidere animaduertunt, catinum aqua plenum in conspectu ponunt, oculos sibi ex ea abluentes, postea uisco pro aqua posito abeunt, à longè insidiantes. Cùm animal ex arbore descenderit, & sese uisco illiuerit, & conniuenti palpebræ implicitæ fuerint, accedentes uiuum capiunt. Alter est: Postquam culleolos quosdã in subligaculi modũ induti fuerint, abeunt, alijs ibi relictis, interius uillosis, & uisco illitis. Simiæ in hos ingredientes, facilè capiuntur. Strabo lib. 15.

In AFRICA regio est simiarum feracissima, in qua sunt urbes tres ab ijs animalibus nomen sortitæ, Pithecusæ dictæ. Easdem cum hominibus simiæ domus habitant, utpote quæ pro dijs colantur, quemadmodum apud Aegyptios canes. Præterea ex penu reposita cibaria si quando lubebat, nullo prohibente sumere solebant, & parentes liberis suis ut plurimùm à simijs nomina indebant, quemadmodum nostri à dijs: ijs q; qui hoc animal interfecerãt, quasi qui summum scelus commisissent, pœna proposita erat mors. Hinc apud eos prouerbij uicem obtinuit, Simiæ sanguinem bibisti, Diod. lib. 20.

Boues feri.

Gignit sylua Scotiæ CALIDONIA boues cãdidissimos, in formã leonis iubam ferentes, cætera mansuetis similimos, uerùm adeo feros indomitosq;, atq; humanum refugientes consortium, ut quas herbas arboresq; aut fructices humana cõtrectatas manu senserint, plurimos deinceps dies fugiant. Capti autẽ arte quapiam (quod difficillimum est) mox paulo præ mœstitia moriuntur. Quum uerò sese peti senserint, in obuium quemcunq; magno impetu irruentes eum prosternunt: non canes, non uenabula, nec ferrum ullum metuunt. Carnes esui iucundissimæ sunt, atque inprimis nobilitate gratæ, uerùm cartilaginosæ. Cæterùm quũ tota olim sylua stabulare solerent: in una tãtùm nũc parte reperiuntur, quæ Cummirould appellatur, alijs gula humana ad internecionem redactis. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

Pecudes, Oues, Capræ feræ.

In Originũ libro Cato scribit hęc: In Sauracti FISCELLO cã præ feræ sunt, quę saliũt è saxo pedes plus sexagenos. Oues enim, quas pascimus, ortæ sunt ab ouibus feris: sic capræ quas alimus, à capris feris sunt ortæ: à queis propter Italiã CAPRASIA insula est nõminata. De capris, quòd meliore semine eæ quæ bis pariant, ex his potissimùm mares solẽt summitti ad admissuras. Quidam etiã dant operã, ut ex insula media capras habeant, quòd ibi maximi ac pulcerrimi existimantur fieri hœdi. Varro lib. 2. c. 3.

In locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot: ut in PHRYGIA ex ouibus, ubi greges uidentur cõplures: ut in SAMOTHRACE, caprarum, quas Latinè rotas appellãt. Sunt enim in Italia circũ Fiscellum & Tetricã montes, multæ. De suibus nemini ignotum, nisi qui apros nõ putat sues uocari. Boues perferi etiam nunc sunt multi in Dardania, & Media, & Thracia: asini feri in Phrygia & Lycaonia: equi feri in Hispaniæ citerioris regionibus aliquot. Varro libro 2. cap. 1. Rei rust.

Lepores, Cuniculi.

In ITHACA lepores illati moriuntur, extremis quidem in litoribus. In EBVSO cuniculi nõ sunt, scatẽt in HISPANIA Balearibus q;. Plin. lib. 8. c. 58.

Iulius Pollux, quinto de Rerum uocabulis libro, addit, nec in ITHACENSIVM insula nasci lepores, nec in SICILIA fuisse, priusquã Anaxilas Rheginensis eos importasset: unde uictorin Olympiacis, Rheginensium nomismati currũ insculpsit & leporem. Erasmus in Adagijs.

ANAPHE abũdauit olim leporibus. Quorum par unicum in ASTYPALÆAM illatũ tãtopere auctũ fuit, ut cõsulto oraculo uenari illos iussi, anni spacio sex leporum millia capta ferantur. Athen. lib. 9. c. 20.

Omnes lepores in AQVILONARIBVS regionib. post Aequinoctium autumnale occulta naturæ ui, primo præsertim niuium casu, pilum griseum uertunt in album. Certum est, eos (frigore ac niuibus conclusa terra) uesci corticibus arborum pini, quercus, populi, non autem niuibus, ut Plinius opinatur lib. 7. Somnumq; capiũt sub densis abietum ramis, altitudine niuium (fouea relicta) condensatis. Olaus lib. 18. cap. 10.

Feles feræ.

In AFRICA excelsus mons porrigitur in longitudinem CC stadiorum, qui felibus abundat, quo fit, ut nullæ omnino aues ibi neque in arboribus, neque in uallibus nidos extruant, propter naturales, quibus inter sese diffident, inimicitias. Diod. lib. 20.

Talpæ.

In Bœotiæ LEBADIA illatæ solum ipsum fugiunt, quę iuxtà in Orchomeno tota arua subruunt talpæ, quarum è pellibus cubicularia uidimus stragula. Plin. lib. 8. c. 58.

Mustelæ.

In POROSELENE insula uiam mustelæ non transeunt. Ibid.

Mures, Glires

Venenati.

In Italia muribus arancis uenenatus est morsus: eosdem ulterior Apennino REGIO non habet. Iidem ubicunque sint, orbitam si transiere, moriuntur. Ibidem.

Pluuij.

In MARONITE montis cuiusdam iugo magna murium uiuentium multitudo in aerem sublata, instar pluuiæ decidit & collisa est. Eustathius Iliados α.

In NORVEGIA, HELSINGIA, atq; uicinis prouincijs diœcesis Vpsalensis, bestiolæ quadrupedes, Lemmar, uel Leem uel Lemmus dictæ, magnitudine soricis, pelle uaria, per tẽpestates & repentinos imbres è cœlo decidunt: incompertum, an ex remotioribus insulis uento delatæ, an ex nubibus feculentis temerè natæ deferantur. Statim atque deciderint, reperiuntur in uisceribus herbæ etudæ nondũ concoctæ. Hæ omnia uirentia destruunt, & quæ morsu tantùm attigerint, emoriuntur. Viuit hoc agmen, donec non gustauerit herbam renatam. Cõueniunt quoque gregatim quasi hirundines euolaturæ, sed stato tempore aut moriuntur aceruatim cum lue terræ: (ex quarum corruptione aer fit pestilens, & afficit incolas uertigine, & ictero) aut ab Hermelinis (Lefrat dictis) consumuntur: unde ijdem Hermelini pinguescunt, & reddunt pellium mensuram longiorem. Olaus lib. 18. cap. 20. & Zieglerus in Scondia.

Nulli.

In MÆSIA sylua Italiæ, non nisi in parte, reperiuntur glires. Plin. lib. 8. cap. 58.

Greg.Turon.lib.8.ca.33. scribit,urbem PARISIORVM antiquitùs fuisse consecratam, ita ut nec incendium ibi grassari, uel serpens aut glis apparere posset. Accidisse uerò, cùm cuniculus pontis à sordibus expurgaretur, ac serpēs & glis æneus inueniretur: ijs ablatis, non solùm glires ac serpentes apparere, sed incendia quoq; grassari cœpisse.

In BYTHQVHANIA Scotię regione ad castellū Slanis mus gigni nō solet: nec si inferatur, uiuit: nam imbecille animal omnino est, ideoq; contrariam naetum temperiem, non alitur, multoq; minus generat. Cardanus de Rerum uarietate lib.7.cap.31. ex H.Boethij descriptione Scotiæ.

PERVANA prouincia, cùm foricib. natura careret, nauis Antuerpiana, per freti Magallanicum, cū mercib. eò primū uexit. In tantam uerò multitudinem, ij, benignitate soli, mox excreuere, ut grauissimum arboribus, quas & adscendunt, plantis, itē & herbis, detrimentum adferant. Io. Metellus.

Lacerti.

ARABIA lacertos cubitales producit. NYSA mōs Indiæ 24 pedum in longitudine. Plin.lib.8.cap.39.

Buffones.

In PERVVIA buffones pluit, Hispanicis non minores: quos Indi assatos comedūt, uti & alia longè spurcissima. Io. Met.

Testudines.

SORONE sylua Arcadiæ, præter apros, & ursos, testudines alit insigni magnitudine, ex quibus lyræ fieri facilè possint, pares ijs, quæ ex Indica testudine fiunt. Paus. in Arcadicis.

Serpentes in genere

Magni.

Syriæ campus est MACRA, in quo Posidonius scribit uisum fuisse serpentem mortuum iugeri longitudine: crassitudine tantā, ut equites ex utraq; parte astantes se inuicem intueri non possent: hiatu autem tanto, ut hominem, equo insidentem recipere: exuuiarum squamam quamlibet, clypeo maiorem. Strabo lib.16.

Multi.

In sinu Arabico insula est longitudine stadiorum octoginta, nomine OPHIADES, olim deserta cultoribus, ob serpentum (unde & nomen sumsit) in ea diuersantium multitudinem. Postmodùm regum Aegypti opera serpētibus purgata est, ad cultūrę redacta, ita ut nulli in ea ampliùs cōspiciantur. Tantum potest humana auaritia. Diod.lib.3 cap.3.

Nearchus & multitudinem & malitiam serpentum INDIÆ admiratur, qui ex campis in eorum cauernas refugiāt, quæ in fluminum inundationibus operiuntur, atq; ea impleant, & propterea cubilia alta esse dicit: nonnunquam etiā emigrare, cùm ualde fuerint multiplicati: & nisi multitudo maxima ab aquis extingueretur, regio deserta esset. Dicit etiā & paruitatem eorū periculosam esse, & nimiam magnitudinem. alteram, quia non facilè possit euitari: alteram, quia sit uiolenta. Visam etiam esse uiperam feminam sedecim cubitorum. Circumnauigare incantatores, qui medicari creduntur. Strabo lib.15.

Arbitrantur plurimi, in solis regionibus calidis habitare serpentes, ob connatam frigiditatē eisdem animalibus inhærentem, tum quòd calore magis multiplicētur, ac citiùs incrementum suscipiant: sed reuerà frigida illa Europæ pars in SEPTENTRIONĒ etiam pessimos habet & enutrit serpentes, licēt quoad naturam ueneni debiliores, quàm sint Africani. Olaus lib.21.c.45.

Alati.

In Libyæ solitudinib. SERPENTES sunt plurimæ uolucres, quæ Africo uento in agrum Aegyptium cum magna indigenarūm pernicie se effundūt. Idcirco Cicero Ibem ab illis cultum hominibus scribit, quòd hoc animal eam pestem ab Aegypto auertat. Idem Herodotus in Euterpe. L. Viues in lib.3. Aug. de Ciuitate Dei, c.31.

Noxij, Innoxij.

Apud BABYLONEM Euphrate traiecto, exigui dicūtur esse angues, qui peregrinos feriant, ab incolis abstineant. Apollonius in histor. Mirab.

Serpentes parui in TYRINTHE, quos terra nasci proditur, indigenis innoxij, aduenas interimunt. Item in SYRIA angues, circa Euphratis maximè ripas, dormientes Syros non attingunt: aut etiam si calcati momordere, non sentiuntur maleficia: alijs euiascunq; gentis infesti, auidè & cum cruciatu exanimantes: quamobrem & Syri nō necant eos. Plinius lib.8.cap.ult.

Abbatia est in Fifa Scotiæ, D. Virgini sacra, LOVDORIS dicta, Benedictinorum, à Dauide Gulielmi Scotorum regis fratre post reditū ex Terra sancta ædificata, in media uallę, syluis & riuulo cincta, serpentibus abundantissima, sed qui neminem mortalium lædant. Ipse uidi (inquit H. Boethius libro 13.) adolescentem per lusum in medium colubrorum gregem incidisse, sed illæsum inde abijsse.

OPHIVSA insula in mari Balearico, Colubrariam Latini dicunt, serpentes parit omnibus infestas, nisi Ebusitanam terram ferentibus. Plinius lib.3.cap.5.

Nulli.

PITYVSA in mari Balearico, à frutice pineo dicta, nunc Ebusus, serpentes omnes fugat. Plin.lib.3.cap.5.

In PARISIORVM urbe olim nec glires nec serpentes reperiebantur. Greg. Turonensis lib.8.c.33.

Serpentes in specie. Vbi

Dracones.

INDIA dracones generat maximos, ut & Aethiopia, ulcenū cubitorum, qui cum elephantis bellum gerunt, eorum sanguinis cupidi. Spiris elephantem complexi, corruētis pondere & ipsi elidūtur. Quaterni quiniq; inter se cratium modo implexi, erectis capitibus uelificantes ad meliora pabula ex Aethiopia in Arabiam migrant. Megasthenes, tantæ magnitudinis reperiri scribit, ut solidos hauriant ceruos taurosq;. Plin.lib.8.cap.11. & seq.

Strabo lib. Geographię 8. scribit, LERNAM lacum fuisse quēpiam, Argiuorum ac Mycenæorum agro communem, in quem cùm passim ab omnibus purgamenta deportarētur, uulgò natum prouerbium, λέρνη κακῶν: id est, Lerna malorum. In hoc lacu poetæ fingunt hydram illam septem capitum constitisse, quam Hercules igni Græco confecerit. Eam autem hydram Hesiodus scribit, ex Echidna & Typhaone prognatam, alitam à Iunone: nimirum in odium Herculis. Zenodotus ait, locū quempiam fuisse in Argolica, in quem cùm omne sordium genus promiscuè conijcerent, fœtidas inde ac pestilentes nebulas solitas exhalari. Ferūt Danaum quinquaginta iuuenes, Aegypti fratris filios, quibus totidē filias suas collocarat, omnes eadem nocte trucidasse, atq; horum capita in Lernam lacum, Argiuorum ac Mycenæorum agro communem, fuisse congesta. Hinc ortum est prouerbium, Lerna malorum. Quinetiam contumeliæ causa in eundem locum, in quo capita composuerat, iussit purgamenta comportari. Erasmus ex Zenodoto.

EPIDAVRI dracones cùm omnes, tum inprimis fului quidam, hominibus cicures, qui in sola Epidauriorū terra reperiuntur, Aesculapio sacri habētur. Pausanias in Corinth.

Viperæ.

Memoriæ est, in ARABIÆ uiperas, minùs esse lethales, nec morsu lethiferi, quòd odoratis depastę uirulentæ nō sunt. In PHOENICIA uerò & omni Aphricæ tractu, truculentiores, & uel solo halitu afferre necem. Alex.lib.2.cap.17.

INSECTORVM LOCA. VBI

Apes.

Mellis consideratio ad Fructuum locum pertinet. hic de eo tantùm propter Apes mentionem facimus.

Apud ZYGANTES Africæ populos, magnā uim mellis apes conficiunt: sed multò plus opifices uiri facere dicuntur. Herod. libro 4.

In AEGYPTO loca quædam sunt, ubi si defodiatur taurus, ita ut cornua duntaxat supra terram emineant, eaq; deindè serra amputentur, ferunt apes euolare: putredine enim taurum in istud animalculū mutari. Antigonus in Mirab. nat.

HYMETTVS Atticæ mons pastiones habet apibus omnium aptissimas, quæq; solis cedunt Halizonum pascuis. Apud HALIZONES certè adeò mansuetæ sunt apes, ut cū hōminibus unà pabulatum exeant, ac liberè uagentur. quippe quæ aluearibus nullis continentur: passim uerò opus faciunt, illudq; ita concretum, ut mel à cera nequeas seiungere. Paus. in Atticis, & Strabo.

ATTICA terra Hymettio melle, SICILIA Hyblæo gloriatur: mox etiam CALYDNA insula. Plin.lib.11. cap.13.

CYRNVS insula melle abundat optimo. Vide Tit. Latrones, prædones.

HOSTILIA uicus alluitur Pado. Huius inquilini pabulo circà deficiente imponunt nauibus apum alueos, noctibusq; quina millia passuū cōtrario amne naues subuehūt. Egressæ luce apes pastæq;, ad naues quotidie remeant, mutātes locum, donec pondere ipso pressis nauibus, pleni aluei intelligantur, reuectisq; eximantur mella, & in Hispania mulis prouehunt, simili de causa. Plin.lib.21. cap.12.

In PONTO sunt quædam apes albæ, quæ bis in mense mella faciūt. Circa Thermodontem autem fluuium duo genera aliarū, quæ in arboribus mellificāt: aliarum, quæ sub terra, triplici cerarum ordine ubertim prouentus. Plin.lib.11.c.18.

In PODOLIA regi Poloniæ subiecta apes propter pascuorum ubertatem, odorem suauem, florem abundantem, ac saporem iucundum, maximas siccarum terrarū foueas fauis melle plenis replent, ita ut immanes ursi in tales foueas cadentes, ob nimium mel deuoratum suffocentur. Olaus lib.22.cap.19. Septentrionalium regionum.

Regiones AQVILONARES uti in plurimis rebus tam necessarijs, quàm etiam superfluis, in usum cæterarum nationum communicandis, abundāt: ita & maximam mellis copiam habent, magnamq; curam semper & ubiq; circa apes adhibēt, ut pura custodia seruentur, & coalescant. At in extremo climate polari apes non sunt, ob uehementiam uenti Circij, tum crabronum, uesparum ac locustarum innumeram multitudinem: contra quas bestiolas nequaquam solæ apes se opponere ualent. Olaus lib.22. gentium Septentr.

Muscæ ubi

Multæ.

ELEI Myiagro deo rem faciunt diuinam, muscarum multitudine pestilentiam afferente. Cui qua die litatum est, muscæ omnes intereunt. Plin.lib.10.c.28. & Pausanias in Eliacis.

APVLIA muscis per æstatem infestatur. Consule Tit. Regiones exustæ.

Nullæ.

In PAPHO insula nulla musca ingreditur per forçs Veneris. Apollonius de Hist.mir. ex Andronis lib.4. Sacrificiorum.

Apud TOLETVM in macello publico, unam modò comparere muscam per integrum annum aiunt, albedine insigni notabilem. Cælius lib.17.cap.11. A.L.

Luderi comitis, Hermanni Saxoniæ inferioris ducis filij, uxor Emma, multa bona contulit in ecclesiam Bremensem. Inter alia quæ donauit auri & argenti & lapidum preciosorum donaria, fertur ciuib. permisisse PRATVM nō longè ab urbe feracissimum: cuius usque hodie illa præcipua est indulgentia, ut nullis ibi pecora muscis, nullis crabronibus aut uespis uexentur. Id referunt in merita eiusdem uenerabilis Emmæ. Cranzius lib.4. Saxoniæ c.29.

Culices.

Ex historia obseruatū, inter MESOPOTAMIÆ fruteta leones uagari innumeros, quos anni tempore præferuido mirè infestent culices, in locis eiusmodi admodum frequens malum. Quoniam autem oculos appetant potissimùm, ceu humecta & collucentia membra, palpebrarum libramentis mordicus insidentes, agitati grauius aut in flumen leones mersantur, & uorticibus absorpti pereunt: aut amissis oculis, quos unguium assiltu labefactant crebrò, fodicantque, in amnib. efferescunt: aliàs feris id genus præscateret Oriēs uniuersus. Cælius lib.13.cap.8.A.L

Versus extremas SEPTENTRIONIS terras & aquas, maxima est molestia grandiorum culicum, præsertim in punctura, & fastidiosissimo sono, quando in continua dierum ac noctium luce dormiendum est. Verùm ad euitandam horū molestiam Aquilonares absinthio utūtur, aceto peruncto, ac tosto, & fumigato, ut eo graui odore percepto aufugiāt. Simili modo recedūt, quando caput cæteraq; membra decoctione rutæ uel absinthij asperguntur. Olaus lib. 22. c.5. Gentium Septent.

Cantharides.

CAPPADOCIA cantharidibus abundat usque adeò, ut incantatione eas abigere cogantur. Mulieres enim menstruis laborantes, si nudatæ segetem ambiant, retectis super elunes uestibus, erucas, uermiculos, scarabeos, cātharides perimunt. Plin.lib.28.cap.7.

Cicadæ.

In REGINO agro Italiæ circa Alecem fluuium, qui Reginum à Locrensi agrum disterminat, ferūt Herculem ex Hispania redeuntem uia fessum, ac somno deditum, cicadis obstrepuisse quietem interpellantibus: atq; ob id factum, ut iam inde toto tractu id insectum uolucre perpetuò obmutuerit. Sed locorū situs in causa esse creditur, quòd altera parte fluminis, quæ ad Reginum agrum attinet, mutæ sint cicadæ: aduersa, quæ Locrensium, canoræ, quoniam latus hoc sit apricum, illud umbrosum & roscidum, ob idq; madidis cicadarum alis, nulla earum motu uox stridula sequatur. Sab.lib.6.En.1.ex Diodoro lib. 4.cap.3.

Aranei. Scorpiones.

Bidui itinere Susis Ecbatana Mediæ cōtendentibus, LOCVS est scorpionibus ita refertus, ut rex Persarum illac iter facturus, triduo antè plurimos emittat ad uenādos scorpiones, amplissimis etiam muneribus ei, qui plures confecerit, propositis. Aelianus lib.15.cap.26. hist. Animalium.

In LATMO Cariæ monte Aristoteles tradit, à scorpionibus hospites non lædi, indigenas interimi. Plin.lib.8.cap.ult. & Antigonus in hist. Mir.

ALBANI uel Caspij ad flumen Alazonium lethiferos habēt scorpios & araneas: quarum alteræ cogunt ridendo mori, contrà uerò flendo suorum desiderio alteræ. Bonfinius libro 1.Dec.1.

In PERVVIA sunt araneæ, mali citrij crassitudine, admodum uirulentæ. Io. Metellus.

FRVCTVVM EX ANIMALIBVS loca. Vbi

Mel.

Mel nusquam melius nobiliúsue, quodq; minus ceræ habeat, albumq; sit, quàm in SAMOGITIA reperitur, sylnæq; illic summas diuitias ferūt: stipitibus enim cauatis mella passim promuntur. Guagninus in descriptione Lituaniæ.

Lac, Caseus, Butyrum.

Quæ regiones optimos ferant caseos, pete ex Plinio libro undecimo, cap.42.

Caseus SICVLVS olim laudabatur, & columbæ Siculæ. Est eximius etiam caseus Tromelicus, ut asserit Demetrius Scepsius lib.2. Troici apparatus: est autem TROMELIA ciuitas Achaiæ, circa quam caseus caprinus suauissimus conficitur. Athen. lib.14. cap.30.

INSVBRIA ob irrigationis commoditatem pascua copiosa habet & salubrerima, unde lac, butyrum, casei præstantissimi, Parmenses copia, Placentini cura reliquos uincūt. Bern. Saccus lib.5. Ticinensis hist.

Transcurrēdo singulas prouincias SEPTENTRIONALIS plagæ à 52 usq; ad 84 gradū eleuationis poli Arctici, ubiq; propter fertilissima terrarum pascua, & armentorum abundantissimos greges, maximā butyri copiam reperies. Olaus lib.13.cap.45. gent. Sept.

In insula ISLANDIA tanta butyri saliti, ob pecudum multitudinem, & pascuorum ubertatem, reperitur copia, ut non sufficientibus uasis aut tonnis, cistas uel capsas ex odorifero ligno confectas, 30 uel 40 pedum longitudine, 4 uerò, uel 5 altitudine, quotannis pluribus in locis repleant, atque in domesticum usum, imò & mercatorū commutationem conseruent. Piscibus enim tostis, huiusmodi butyro inunctis, loco panis frequentiùs utuntur: unde etiam Ichthyophagi appellati. Olaus lib.21.cap.4.

VESTROGOTHI supra omnes incolas Aquilonares maximè commendantur, quòd nulla gens illis similis est in confectione caseorum, ob ubertima pascua. Caseos enim tam magnos plerunq; conficiunt, ut duo robusti uiri uix unum ad breue spacium deferre possint. Olaus lib.13.cap.46.

Insula est Meridionalis Gothiæ, OELANDIA appellata, ubi aeris salubritas cum pinguis arui fœcunditate cōsentiens, herbas producit suauissimas: quarum pastu lac tanta salubritate conficitur, ut quibus multa medicorum auxilia uel consilia prodesse nesciunt, solus uideatur potus ille è butyro expressus optabilem afferre sanitatem: hocq; butyrum tanquam aromaticum, & cæteris omnibus salubrius, appretiatur. Olaus lib.13.c.45.

Salsamenta.

Apud Basistanos Hispanos urbs est MELLARIA, optima habens salsamenta piscium. Strabo lib.3.

Maxima Hispaniæ nationis portio CERRETANI, à quibus multifariam perinę conditur, Cantabricis perquàm similes, prouentum non mediocrem hominibus exhibentes. Strabo lib.3.

EXITANORVM ciuitas Hispaniæ litoralis, à qua salsamentaria præcipuum nomen adepta sunt. Strabo lib.3.

Pernæ optimæ sunt GALLÆ, quibus minimè sunt inferiores eæ, quæ ex CIBYRA ueniunt Asiatica, ac neque LYCIÆ. Strabo lib.3. inquit.

In Hispania apud Aquitaniam ciuitas est POMPEIADVM, tanquā si quis Pompeiopolim diceret, in qua pernæ egregiæ componuntur, æmulæ Cibyraticis. Athen. lib.14. c.30.

Succidias GALLI optimas & maximas facere consueuerunt. Optimarum signum, quòd etiam nunc quotannis è Gallia apportantur Romam pernæ tomacinæ, & taniacæ, & petasiones. De magnitudine Gallicarum succidiarum Cato scribit his uerbis, In Italia in scrobes terna atq; quaterna milliaaulia succidia. Varro lib.2.c.4. Rei rust.

Lana.

Vide Tit. Oues ubi. Illic Corporum naturalium, hic Fructus habetur ratio.

Ctesias libro rerum Persicarum decimo, camelos esse in PERSIA prodit, quarum pili mollitie lanas Milesias æquent: sacerdotes q; & alios proceres, uestes ex ijs confectas gestare. Apollonius in Hist. mirab.

In maiori Phrygia loca LAODICEÆ proxima oues optimas ferunt, nō modò lanæ mollitie, qua Milesijs præstant, sed etiā colore, unde magnos prouentus assequuntur. Aten. Syl. cap. 61. Asiæ, ex Strabone.

Loci MVTINENSES & Scutanæ adiacentes fluuio, mollia & longè alijs omnibus præstantiora ferunt uellera. LIGVRES autem & INSVBRES aspera, è quibus magna Italiæ pars domesticis indumenta conficit. Mediocria uerò PATAVINI, è quibus preciosi tapetes & gausapia texuntur, & hoc stragulæ uestis genus utrinque uillos eminentes habens, uel una tantùm è superficie. Strabo lib. 5.

Lana laudatissima est APVLA, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locum MILESIÆ oues obtinent. APVLÆ breues uillo, nec nisi penulis celebres. Circa Tarentum Canusiumq; summam nobilitatē habent. In Asia uerò eodem genere Laodiceæ. Alba circumpadanis nulla præfertur, nec libera centenos numos ad hoc æui excessit ulla. Syria cubitales ouium caudas profert. Plinius lib. 8. cap. 48.

In ATHOLIA Scotiæ prope Doundor, mons est, ubi oues dentibus, carne, uellere aureæ, unde nomen inditum: superare enim humidum bile tenui perfusum, ob aquas, aerem & uictum, uerisimile est. Velut contraria ratione, in eadem insula iuxta Dunsrein Nidisdalię oppidum, ouium lana pulchrissima, atq; ob id tenuissima candidissimaq;, ex qua contexti panni in Angliam & Gallias deferuntur. Cardanus de Rerum uarietate lib. 7. cap. 31.

ARTIFICIALIVM RERVM loca. Videlicet

THESAVROVM. AERARIA, Fiscus, Gazophylacia.

Fiscum ab Aerario differt: quod in Traiani uita scribit Dion, & significat Plinius, Non eadem, inquiens, fuerunt fiscum, qua erarium cohibes. Ad fiscum spectare uidentur extraordinari reditus, unde sunt & Confiscationes recentioribus nuncupatæ. Romanum erarium tributis constabat, & uectigalibus. Vectigalia, ut ex Cicerone liquet pro lege Manilia, trium erant generum: ex agricolatione: mercibus exportatis uel importatis, unde Exagogica dicebātur & Eisagogica: denique ex agris pascuis. Gellius lib. 10. cap. 2. Antij. Lectionum. Hotom. de Verbis iuris, Aerarium populi, Fiscum principis esse statuit.

Templum HIEROSOLYMITANVM opulentissimū fuisse, ex uarijs illius direptionibus agnosci potest. Neq; id mirū, cēm nullas publicas pecunias Iudæi præterquā sacras haberent, & eas qui in toto orbe erant Iudæi quotannis conferrent. Mithridate certè Asiam uastante, Iudæi octingenta talenta apud Coos deposuere, quæ Mithridates abstulit, unà cum ijs quas Cleopatra regina ibi deposuerat. Iosephus lib. 14. cap. 13.

NEERDA urbs Babyloniæ, frequens populo, & agro fertili, munitissima, cincta fluentis Euphratis & firmissimis mœnibus. Eidem flumini est & Nisibis apposita. Iudæi Babyloniā incolentes freti locorum natura, sacrum didragma, quod Deo ex more solēt offerre, cæteramq; uotiuam pecuniam, in his urbibus deponebant, tanquam in communi ærario, inde suo tempore transmittendam Hierosolyma: quæ deinde à multis hominum illò deducebatur, metuentium latrocinia Parthorum, quorum ditioni tum suberat Babylonia. Ioseph. lib. 18. cap. 12. Antiq.

Græci si quando communi consilio bellum gerendum foret, in DELO insula, quam sedem bello delegerant, collatas pecunias ad belli opus tanquam in ærarium deponebāt, fortè quòd difficilis aditu, & arcis in modū munitissimus locus foret, ab Aristide Athenienſi cōstitutus. Plut. in Aristide.

Macēdones in oppido QVINDA iuxta Tharsum, omnē gazam & pecuniam ad belli opus deponebant. Syracusani in LABDALO castello munito, Assyrij autem SVSIS, Cambysis ærarium, oppidum GAZA in Palæstina fuit. Nā Persæ gazam ærarium uocant. Deiotari uerò in PEIO Phrygiæ. Lysimachi thesaurus Pergami seruabatur: aliquādo in CETIRIZI promontorio. Iugurthæ in THALA & CAPSA Nūmidiæ. Persarum reges barbaras opulentias in montibus ponunt. Tigranis in BAMBINSA & OLENA: Mithridatis in PETRA Armeniæ. Babyloniorum autem regum in ZEVGMA urbe iuxta Euphratem, uelut arce tutissima, tributorum thesaurus & ærarium esse consueuerat. Alex. libro 2. cap. 2.

PERGAMI thesauros suos seruabat Lysimachus Agathoclis filius, qui unus fuit ex successoribus Alexandri: Mons turbineus est, in acutum apicem desinens. Munitionis huius custodia & pecuniarum, quæ erant nouem millia talentorum, commissa erat Philetæro Tyanensi, quia puero spado fuerat. Contigit enim in funere quodam, cùm ad spectaculum multi adessent, nutricem, quæ Philetærum infantem portabat, deprehensam opprimi, adeò ut puer etiam affligeretur. erat igitur eunuchus. Is cùm optimè esset educatus, dignus uisus est Lysimacho, cui hæc crederentur. Sed cùm ab Arsinoe illius uxore diffideret, locum ad defectionem perduxit, & ut tempora erant, ità se gerebat, uidens ea ad nouitatem apta. Nam propterea quòd Lysimachus ab adulatoribus coactus fuerat Agathoclem filium interficere, Seleucus Nicator reuersus illum sustulit, & ipse à Ptolemæo Ceraunо sublatus est, ac dolo interemptus. Dum res ita tumultuarentur, eunuchus sese in arce continebat, & pollicitādo semper ualidioribus ac propioribus obsequēdo uiuebat. Hoc pacto castellum ac pecuniam possedit annis uiginti. Strabo lib. 13.

In fano Delphici APOLLINIS uarij uariārum gentium thesauri dicti extructi fuerunt, in quibus non tam donaria & opes, deuictis hostib. ex manubijs partas reponere, quām uictoriæ monumentum consecrare uolebant. Hic Corinthij thesaurum exædificarunt, & in eo aurum de Lydis repoſuerunt: Syracusij uictis Athenienſibus, item Thebani & Athenienſes ob rē bene in bellis gestam: Cleonæi pestilentia liberati: Siphnij ob metalli fodinas. Paus. in Phocicis.

Romani ædē SATVRNI infaucibus Capitolij (qui mons Saturninus dictus est) ærariū esse uoluerunt, quòd tempore, quo Saturnus Italiam incoluit, fertur in eius finibus nullū esse furtum commissum: aut quia sub illo nihil erat cuiusquam priuatum,

Nec signare solum, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant.

ideo apud eum locaretur populi pecunia communis, sub quo fuissent eunctis uniuersa communia. Macrob. lib. 1. Saturn. cap 8. Ad fidem pronius est, Plut. auctoritate in quæst. Rom. P. Val. Poplicolam, qui Saturni ædem construxit, loci oportunitate ductum, quum omni aditu præsepto undiq; præruptus & ab accessu munitus locus foret, eandem Saturni ædem æris publici, legumq; & senatusconsultorum, tabularumq; publicarum, & signorum militariū sacrarium esse uoluisse.

In eadē Saturni æde fuit sanctius AERARIVM intēstioris curæ in quo aurū Vicesimariū, quod ex uicesimis exigebatur, ad ultimos casus & in extrema fortuna populi Rom. seruabatur: quod Incensimarium, ab alijs Cimiliarchium dictum est. Ex quo C. Cęsar primo ingressu ciuilis belli, laterum aureorum sex & uiginti millia: percussæ uerò monetæ, pondo CCC millia, quod erat tot triumphis partum cōgestumq;, & laserpitij pōdo centū & undecim, protulisse fertur. Alex. libro 2. cap. 2.

Præter Saturni ærarium, NEMIS quoq; & TIBVRE, sacrarum pecuniarum thesauros ad incertos belli euentus, si externa uis ingrueret, longo tempore seruari accepimus. Alexan. ibidem.

Theodericus Ostrogothus, Vestgothis à Clodoueo Francorum rege pressis opem ferens, per Hibbam comitem, CARCASSONEM, ut inquit Procopius, periculo obsidionis eripuit. hanc enim Franci omnibus uiribus oppugnabant, quòd in eo conditæ opes erant, quas senior Alaricus capta Roma euexerat: in his Salomonis preciosa suppellex, quam Romani Hierosolymis deportauerant. Sigonius libro 16. Imp. occid.

BELEIEZIORO, quasi dicas Albus lacus, ducatus Russiæ, arcem habet natura loci munitissimam inexpugnabilemq;, in qua princeps Moschouiæ thesaurum suum recōdere solet, illicq; tempore necessitatis, hostibus urgentibus, uelut ad asylum quoddam confugit. Abest autem Beleiezioro à Moschouia centum miliaribus, à Nouogardia magna totidem. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

MONVMENTORVM PVBLICORVM. Archiua.

Lacedæmonij AMYCLIS societatum & fœderum tabulas, fidei custodia, diligentissimè semper seruabant. Alexan. lib. 5. cap. 3.

In æde SATVRNI Romani ærarium & archiuum habebant.

NAVIVM. NAVALIA.

CORINTHIORVM naualia duo, Leches & Cerichrias dicta, à filijs Neptuni, ex Pirene Acheloi filia. Pausanias in Corinthiacis.

LOCA FORMALITER CONSIDERATA, RESPECTV eius quod locatur excellentiæ. QVÆ quoq; loco excellant.

Antiphanes uniuscuiusque ciuitatis propria quædam sic connumeranit: Ex Elide oliuum, ex Argo lebetem, Phliasium uinum, ex Corintho strata, pisces Sicyonios, Aegij tibicinas, caseum Siculū, unguentū Atheniense, anguillas Bœotiæ. Athen. lib. 1. cap. 25. ubi similia quædam alia enumerat.

M. Varro in Satyra, quam περὶ ἰδιοματῶν scripsit, cœnarum ciborum exquisitas delicias persequitur: & domicilia ueluti ciborum, è quibus maximo cum sumtu, nec minore cum Rom. nominis ignominia peteretur, exprobrando proposuit. Pauus è Samo, Attagena Phrygia, Grues Meliceæ, Hœdus ex Ambracia, Pelamis Chalcedonica, Murena Tartessia, Asellі Pessinuntij, Ostrea Tarētina, Pectūculus Chius, Elops Rhodius, Scari Cilices, Nuces Thasiæ, Palma Aegyptia, Glans Iberica. Gel. lib. 7. cap. 16.

LOCA FORMALITER CONSIDERATA, RESPECTV Modi locationis. Huc Locorum pertinet

TEMPERIES.

IONIA cœli clementia fruitur maxima. Paus. in Achaicis.

Lacum GENESARENSEM in Galilęa, & temperie cœli maxima, & omni fructuum genere amœnissimum esse, scribit Iosephus lib. 3. cap. 18. belli Iudaici.

CRETAM insulam Anaximāder à rege Curetum, Philistides, & Mallotes Crates primùm Aeriam dictam, deinde postea Curetin, & Macaron nonnulli à temperie cœli appellatam existimauere. Plin. lib. 4. cap. 12.

ALEXANDRIÆ ac tractu uicino loca sunt adeò lætis substructa diuersorijs & auris, ac salutari perflatilia temperamento, ut extra orbem uersari nostrum sibi uideatur, qui in illis agat, quum persæpè uel aprico spiritu immurmurantes sentiantur flatus. Cœlius lib. 16. cap. 3. A. I.

HISPANIA sita est inter Africam & Galliam, ut refert Strabo, & (ut Iustinus subdit) sicut minor utraq; terra, ita utraq; longè uberior atq; salubrior. Nam neq; ut Africa uiolento sole torretur, nec ut Gallia assiduis uētis fatigatur, sed media inter utranq;, hic temperato calore, ibi felicibus & tempestiuis imbribus gaudet. Rodericus Santius lib. 1. hist. Hispan. cap. 1.

ANGLORVM regio quocunq; anni tēpore temperatissima, atq; cœli nulla grauitas, adeò ut rari sint morbi, & inde minor medicinæ usus quàm alibi: quapropter plures passim homines centum & decem uiuunt annos, nonnulli etiam centum & uiginti. Polyd. lib. 1.

INTEMPERIES TVM IN GENERE.

ASCRA Bœotiæ uicus, nobilis Hesiodi poetæ natalibus, per cætera ignobilis, ob Heliconis uiciniam, ut ille idem ait:

Ἀσκρη χεῖμα κακή, θέρος ἀργαλέον, οὐδέποτ' ἐσθλή.

In IAPONIA insula calores æstate feruentissimi, frigora hiemе sæuissima sunt: Typhonis procellæ uehemētissimę. Terræ motus ita frequētes, ut ad eos incolę pænè occalluerint. Regio argentifodinis abundat, cętera sterilis, nō naturę uitio, sed gentis incuria. Boum tamen armenta in agriculturam duntaxat aluntur. Io. Metellus.

IN SPECIE. LOCA scilicet INTEMPERATA

Ob Aestum.

In AEGYPTI ac TROGLODYTARVM finib. propter immensam solis circa meridiem caloris uim, nequaquā se respicere propè stantes queūt, ab aeris crassitie. Absq; calceis ire non possunt: nam discalceati subitò pedes immensa caliditate exulcerantur. Sitientes, nisi potum citò sumāt, euestigio moriuntur, utpote solis æstu humiditatem corporis subitò absumente. Cibi in uas æneum cum aqua positi, extemplò solis ardore absq; igne alio decoquuntur. Has tamen qui incolunt oras, tanta uitæ incommoda nolunt effugere, sed ultro potiùs eam deligunt uitam, quàm alio cogantur more uiuere. Ita patriæ amor quidam ingens natura singulis innatus est: & aeris malitiam cōsuetudo à teneris annis cœpta superat. Diod. lib. 3. cap. 3.

INSVLA in sinu Persico, omnium (ut referunt) partium orbis terræ calidissima, adeò ut Aethiopiæ loca, huius comparatione, temperata uideri possint. Causa est, quoniam præter propinquitatem æquinoctij circuli, cùm ab eo distet partibus solùm XXVII, uel circa, licèt calida regio sit, quia tamen montibus salis acutissimi abundat, & sulphuris fodinis, montes habet calcis instar exustos, ideo etiam terræ motibus agitatur. Sagdanam olim uocatā existimo, in qua Miltus erat. Cardanus de Rerum uarietate lib. 1. cap. 4.

REGIO προπαικαιομένη, id est, Exusta dicta, quingētorum stad. longitudine, latitudine quadringentorum, siue ea Mysiæ, siue Mæoniæ sit, tota arboribus caret, prēter uitem, quæ καιομένον οἶνον, id est, Exustum uinum fert, ita elegans, ut nulli cedat. Summa camporum facies cinerulenta est, montana, petrosa, & nigra, tanquam ex adustione quadam. Quidam putant hoc ex crebro fulminum atq; fulgurum ictu contingere. nec dubitant, quæ de Typhone dicuntur, hoc in loco fabulari. Xanthus scribit Arimum quendam horum locorum regem fuisse. Sed nequaquam uerisimile est, tam regionem propter eiusmodi causas ex toto deflagrasse, sed potiùs propter ignem subterraneum, cuius ortus nunc defecerunt. Monstrantur tamē fossæ tres, quas Folles uocant. hæ inter se ad stadia quadraginta distant. imminent colles asperi, quos par est, ex efflatis laminis esse accumulatos. Quòd autem huiusmodi regio uites optimas naturā ferat, ex CATANIA scilicet deprehendi potest, quæ quanquam cinere operta sit, nunc tamē optimum uinum & largum gignit. Vnde quidam perurbanè atque eleganter Bacchum ignigenam dicunt, ex eiusmodi locis coniecturam capientes. Strabo lib. 13.

APVLIA æstiuo calore maximè feruet, ita ut ante finem mensis Maij pene exusta sit. Siccitati aliud malum additur, innumerabilium muscarum infestatio. Hinc prouerb. Italorum,

Chi vuol prouar l'inferno
L'estat' in Puglia, & in Apruzz' il uerno.

Flante Austro uina corrumpuntur. Inter tot mala tamē pabuli bonitas præcipua, olei & fructuū insignis copia, equorum optimorum feracissima, qui reliquos Europæ equos agilitate & longæuitate uincunt. Bernardus Saccus libro 5. cap. 5. Ticinensis historiæ.

Ob Frigus.

SCYTHARVM regio sub ipsis Vrsis Riphæisq; montibus sita est, unde Boreas spirat, solq; ipse supremo æstiuo solstitio deficiens proximè accedit, ac tum quidē exiguo tempore calefacit. Neq; uerò uenti à calidis locis spirantes ualde ad eam regionem penetrant, nisi parumper, & debiles. Verùm ab Vrsis uenti procedentes sunt illic perpetui frigidi, à niuibus, glacie, imbribusq; spirantes, nec unquam à montibus decedentes, ut propterea etiam ægrè habitari possint. Aer quinetiam totum ferè diem nubilus campos occupat. Ipsiq; in humidis locis degunt. Et ferè perpetua est ipsis hyems, æstas autem paucissimis diebus, atque illis nō ualde magna. Sunt enim planities eminentiores, & nudæ, neq; ullis montibus circumseptæ, sed ferè sub ipsis Vrsis accliues. Neque feræ nascuntur illic magnæ, sed quales sub ipsa terra occultari queant. Prohibet enim hyems & nuditas terræ, quæ & apricis & tectis caret. Temporum profectò anni mutationes neq; multæ, neq; fortes, sed similes sempes, uel parum admodum differentes: unde & formas corporum inter se similes habent. Eodem quinetiam uictu & amictu utuntur æstatis & hyemis tempore: attrahuntq; aerem aquosum & crassum, aquam insuper bibunt à niuibus & glacie resolutam, nullo etiam corporis exercitio accedente. Hipp. de Aere aquis locis.

CHORAZENA & CAMBYSENA septētrionales, & ualde niuales sunt, Caucasijs mōtib. uicinę, & Iberię & Colchidi, ubi iter agētes in summis montium cacuminibus niue obrui dicuntur. Vnde baculos habent ad eiusmodi excauatos, quos in summam niuem respirandi gratia exerunt, ut eo signo auxilium ab aduenientibus consequantur. Quapropter sæpe effossi seruantur. In niue glebas quasdā concauas congelascere prodiderunt, aquam optimam tanquā in tunica continentes. In niue animalia quædam concreari, quæ Apollonides uermes appellat, Theophanes uerò montanas teredines, atq; in illis aquam optimam contineri, & ruptis tunicis bibi. Strabo lib. 11.

In ore paludis MÆOTIDIS stāta uis est glaciei, ut quo in loco Mithridatis dux equestri pugna Barbaros acie uicerat hyeme, eodem eosdē per æstatem soluto gelu prælio nauali superarit. Strabo lib. 2.

In tēplo Aesculapij apud PANTICAPENSES Męotidis accolas Stratius sacerdos hydriā ęreā frigore disruptā posuit, nō ut anathema, sed ut ingētis hyemis ἀνάθημα. Strabo li. 2. ex Eratosthene.

In AENO dicere solebat Stratonicus menses quidē octo esse frigus, & quatuor hyemem, Ponticosq;, multos ex Ponto uenire uelut ex strage. Athen. lib. 8. cap. 7.

Ad Septentrionalem Oceanum INSVLÆ sunt, quas congelato mari quum lupi adeunt, præ maximo frigore oculos amittunt: quin & in partibus his apes quicquam moliri nequeunt. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

In MOSCHOVIA præ frigore asperrimo terra in hiatū disrumpitur. Insuper etiam aqua in aerem effusa, sputumq; ex ore proiectum, antequam terram attingat, congelatur: rami etiam fructiferarum arborum rigore hyemis aliquādo

prorsus pereunt. Homines quoq; gelu concreti mortui sub dio in uehiculis frequenter reperiuntur. Quin etiam ursi sylueſtres, fame ſtimulati, relictis ſyluis per uicinas uillas paſſim diſcurrũt, & in domos colonorum irruunt: quorum impetũ atq; uim dũ ruſtica turba fugit, frigore aſpero foris miſerè perit. Frequẽter quinetiã nimio frigori æſtus torridus ſuo tẽpore reſpõdet, ut aliquãdo ſtagna & flumina eſtu nimioq; ardore Solis prorſus exſiccentur: prata quoque & cætera frumenta ueluti flamma aliquando exurentur. Etſi hic æſtus per ſeptem dies tantùm non plures durare ſolet. Guagninus in deſcriptione Moſcouiæ.

Ob Humorem.

GETARVM qui Phaſim accolũt, regio paluſtris eſt, calida, aquoſa, & dẽſa, imbreſq; in eam decidũt omnib. tẽporibus & magni & uehementes: homines uerò ipſi uitam agunt in paludibus, domosq; ligneas & ex aruadinib. in ipſis aquis habent extructas, neq; longè uel in urbẽ, uel in emporium prodeunt, ſed nauiculis ex uno ligno fabrefactis ſurſum ac deorſum nauigant, cùm foſſas ac ductus aquarum habeant plurimos. Bibunt autem aquas calidas & ſtagnantes, quæ & à ſole ſunt putrefactæ, & ab imbrium caſu auctæ. Ipſeq; fluuius Phaſis omnium fluuiorum ſtagnantiſſimus eſt, & tardiſſimus. Fructus autem qui illic naſcuntur omnes inſalubres ſunt, cuirati, imperfectiq;, præ multitudine aquarum, neq; unquam matureſcũt. Aer deniq; denſus ab aquis elatus regionem occupat. Hip. de Aere aquis locis.

CVLTVRA. REGIO, LOCA

CVLTA.

AEGINA inſula ſuapte natura ſterilis, incolarum ſtudio fertilis reddita: quando quidẽ ſcrobibus profundiſſimis actis terram pinguem eruerũt, & hanc ſuperficiei extimæ ueluti loricam induxerũt. Nomen idẽ Myrmidonũ traxere, quòd formicarũ morem imitati uiderẽtur. Hinc fabulæ datus locus, Aeaci precibus ex formicis homines natos, inſulam peſtilentia deſolatam rurſus frequentaſſe.

INCVLTA, ASPERA.

Strabo libro Geographiæ octauo ſcribit, CORINTHIOS opibus & artibus egregijs præcelluiſſe: cæterum regionem illorum non admodum fuiſſe feracem, quòd inæqualis eſſet, & aſpera, ac petricoſa. Eamq; ob cauſam ſenarium hũc prouerbio iactatum fuiſſe,

Κόρινθος ὀφρύστιά τε καὶ κοιλάνετον, id eſt,
Alibi tumet Corinthus, aliubi caua eſt.

Meminit & Euſtathius in Bœotiam Homeri. Huiuſmodi autem terræ genus non perinde ſementi idoneum eſt, atque terra campeſtris. Braſmus in Chiliadibus.

SITVS. HVC LOCA

VLTIMA.

Veteres IBERI à Chaldæis oriundi, qui Solẽ uti deum adorabant, illũ ab illius ortu uſq; in occaſum proſequi ſtatuerunt. Ergo quum ad ultimos terræ fines illum ſecuti, ſe ultrà non poſſe progredi conſpexiſſent, ibi Soli tanquam deo aram conſtituerunt. Locus olim Aræ Solis dicebatur, promontorij locus ultimus, ubi hodie eccleſia B. Mariæ de Finibus terræ (quam Germani, qui ſacram ad D. Iacobum peregrinationem ſuſcipiunt, linguæ ignorantia den finſteren ſternen appellant, hoc eſt, ſtellam nigrã) Iam quum ad eam partem Heſperum ſtellam oriri uidiſſent, ipſum tanquam regionibus illis ſalubrem, Compotem ſtellam nominarunt. Et hinc Compoſtella urbs uicina denominationẽ traxit. Io. Gerund. lib. 1. Paralip. Hiſpaniæ. Romanos olim milites, cùm ijs in locis Solẽ occidentẽ uidiſſent, religione tactos Lethen fluuium tranſire noluiſſe, ex hiſtoria conſtat. Vide Tit. Aſtronomiæ imperitia.

INFERNALIA.

Apud Argiuos HERMIONENSES pronus ad inferos deſcenſus eſſe credebatur (proinde danace illic mortuorum ori non inſerebatur, quòd naulo nõ uiderentur egere) Sicut circa exitũ Syrtium fuit Lethes amnis, & in Epiro atq; Heraclea Pontica, Acheruſia ſpecus, quam uſq; ad inferna patére dixerunt: & cõtra Laodiceam os Pluronium, in quo omnẽ animatum moritur: & in Tænaro Laconiæ Inferni oſtia & ſpelunca, per quam Cerberum eductum, & Furiarum templum eſſe ferebatur. Alex. lib. 3. cap. 7.

FERTILITAS. HVC LOCA

FERTILIA

Hominibus, Populoſa.

INDIAM tertiam partem eſſe terrarum omnium, multitudinem populorum innumeram, probabili ratione conuinciitur. Indi enim propè gentium ſoli nunquã emigrauere ſinibus ſuis. Plinius lib. 6. cap. 17. & cap. 19. recenſet, qui reges Indorum quantas copias expediant.

Homerus nõ Troianis tẽporibus, ſed potiùs ætate ſua CRETAM ἑκατόμπολιν, id eſt, cẽtum urbibus inſtructam eſſe, inquit, è ſua perſona loquẽs. At Odyſſ. τ. urbes nonaginta refert, loquens ſub perſona eius temporis hominum. Neque enim dulcæ militia, neq; poſt Idomenei reditum ex Troia, eius inimicos decem urbes deſtruxiſſe probabile eſt, ut aliqui fabulantur. Strabo lib. 10.

SCANDIA, ſiue Scandinauia, iuxta nominis interpretationem, amœna, ſiue pulcra inſula, ultra mare Germanicum, ſiue Gothicum ſinum ſita, quam Solinus maximam omniũ inſularũ Germaniæ affirmat. Plin. lib. 3. cap. 13. clariſſimam, & ampliſſimam ob incompertam magnitudinem, alterum orbẽ exiſtimari tradit. Iordanes Gothus ob immenſam populorum, qui ex ea prodiere, illuuiem, Vaginam gentium nuncupat. Io. Magnus.

Aquis, Fluuijs, Fontibus irrigua.

Tota INDIA fluminibus irrigatur: quorum quædam in duo maxima irrumpunt, Indum, atq; Gangem: quædã proprijs oſtijs in mare emittunt, & omnia ortum habent à Caucaſo. Strabo lib. 15.

Nilus, qui mediam diuidit AEGYPTVM, ſolus inter reliqua flumina adeò æſtate creſcit, cùm decreſcant cætera, ut totã inundet Aegyptum: hyeme minuitur, cùm reliqua augeantur. Excogitata eſt in Memphi quædam incrementi menſurandi à regibus obſeruatio. Nã quibus id negotij demandatum eſt, per epiſtolas urbibus uicis q; ſignificãt, quot cubitis quótue digitis fluuius auctus ſit, & ſimul quo tempore cœperit decreſcere: hoc modo uacuus redditur à ſollicitudine populus, & annonæ prouentum præuidet. Iuſtum incrementum cubitorum eſt 16. Minores aquæ non irrigant: ampliores tardiùs recedendo accolarum remorantur commoda. In 12 cubitis famem Aegyptus ſentit: in 13. etiamnum eſurit: 14. cubita hilaritatem afferunt, 15. ſecuritatem: & quæ optima inundatio eſt ſexdecim, delicias. Diodorus lib. 1. cap. 3. & Strabo lib. 17.

Fructibus uarijs, Frugibus in genere.

Vide Tit. Aues, Feræ, Pisces, Pascua ubi, hic Fertilitatis, illic Regum, in quibus fertilitas consistit, habetur ratio.

EſtINDIA præ cæteris pulcritudine excellens, ac multis quæ illam rigent fluminibus diſtincta, biſq; fructus annuatim ferens. Adeò autem omnibus exuberat ad uictum neceſſarijs, ut ſemper affatim incolis fructus præbeat. Dicitur, nunquam in ea ſterilitatem eſſe, aut fructuũ uaſtitatem. Eſt & incredibilis elephantorum numerus, qui uirtute & robore corporis multo Libycis præſtant. Similiter auri, argenti, ferri, æris, lapidum præterea precioſorum, cæterarumq; rerũ, quæ ad delicias atque opes ſpectant, ſumma copia. Diod. lib. 2. cap. 5. Multos montes ac magnos continet, arboribus omnis generis oppletos. Campos inſuper plurimos, maximoſq;, fructibus uberes, pulcritudine egregios. Diuiſa eſt fluminum multitudine, agros plurifariam rigantium. Hanc ob rem bis in anno præbet fructus: animantia uarij generis producit præ cæteris magna, ac robuſta, partim terreſtria, partim uolantia. Elephantes inſuper plurimos maximoſq;, qui Libycos robore excellant. Vtuntur his, quos uenatione abundè capiunt, in prælijs, multumq; ad uictoriam conferunt. Homines quoq; fert proceros ac ualidos, & artificio accommodatos: ut qui aerem purum ducant, & aquam bibant ſalubrem. Terra & domeſticis fructibus opulenta eſt, & uarijs multiplicibusq; metallis fœcunda. Naſcitur in ea ingens argenti auriq; uis: non parum quoq; æris, ferriq;, & orichalci. Multa inſuper ad cultũ utilitatemq; uitæ, & belli apparatum. Præterea inter alias ſegetes fit apud Indos plurimum milij ac leguminum, agros aqua fluuiaum irrigante. Oryza quoq;, & quod appellant boſphorũ, multaq; alia ad cibum utilia. Plures inſuper fructus ad animantiũ nutrimenta. Ob hanc cauſam affirmant nunquam Indiam fame aut rerum inopia premi. Nam cùm bis annis ſingulis ſegetes ferat, hunc quidem hyeme, quo tempore alij rizum ferunt, percipiunt: alterũ æſtate, cùm oryza, ſeſamus, boſphorus, millium, ferunturſ. Quo accidit, ut præcipua ſit apud Indos ubertas: cùm & ſua ſponte naſcantur fructus, & paluſtres dulcedine præcipua radices magnã copiam uictui hominum præbeant. Omnis enim ferè campeſtris regio dulcẽ tum à fluminibus humorem ſuſcipit, tum à pluuia, quę certo anni tempore fieri æſtate conſueuit. Sunt radices quoq; paluſtres æſtu decoctæ, ſed magnarũ præcipuè arundinũ dulces. Confert etiam ad Indorum fertilitatem cõſuetudo, quæ in bellis ſetuatur. Nã apud cæteras gentes hoſtes bellorum tempore regiones ſpoliãt, uaſtantq;, neq; agros colẽ ſinunt: apud Indos uerò belli tẽpeſtate in campis opus ruſticum exercent abſq; cura agricolæ, procul ab omni diſcrimine belli. Hoſtes in prælijs mutua cæde graſſantur: agricolis nulla in re nocent, ſed intactos relinquunt, tanquã communis utilitatis miniſtros. Diod. lib. 2. cap. 10.

Eratoſthenes dicit, INDIAM æſtiuis imbribus madere. Eo tempore linũ ſeritur, & milium, & ſeſamum, oryza, & boſmorus. Hyberno autem tempore ſeritur triticum, ordeum, legumina, & aliæ fruges eſculentæ, quarum nos ignari ſumus: & ferè eadem naſcuntur in India, quæ in Aethiopia & in Aegypto. Megaſthenes Indiæ fœcunditatem ex eo maximè declarat, quòd cam bis fructum ferre dicit, & bifariam nominant: quemadmodum Eratoſthenes, qui inquit, alteram hybernam ſementem, alteram æſtiuam, quomodo & imbrem. Nullum enim annum inueniri dicit utroq; tempore ſine pluuia: quapropter contingit annum feracem eſſe, cùm ſemper terra ſit fœcunda, fructus autẽ arbor eos multos gigni, arborum radices, præſertim magnarum arundinum, & natura & decoctione dulces eſſe, aqua à ſolibus tepefacta, tã cœleſti quàm fluuiali. India Auſtralis habet cinnamomum, nardum, & alia aromata, quemadmodũ Arabia & Aethiopia, cùm his ſole perſimilis ſit, differat autem aquarum abundantia, unde aer udus eſt, & fœcundus, & ualde nutritiuus. Eodẽ modo & terra & aqua: quapropter animalia tum terreſtria, tum aquatilia, apud Indos quàm cæteros maiora ſunt: & Nilus cæteris fœcundior eſt, & magna producit, cùm alia, tum ea, quæ ancipitis ſunt uitæ. Aegyptiæ quoq; mulieres interdũ quatuor geminos pariunt. Auctor eſt Ariſtoteles, quandã ſeptem geminos peperiſſe. Et etiam Nilum fœcundiſſimum uocat, & nutritiuum, propter moderatam ſolis decoctionem, relinquentis nutrimentum & ſuperfluum euaporantis. Strabo lib. 15.

INDICI cœli alia facies, alij ſiderũ ortus: binæ meſſes in anno, binæ æſtates, media inter illas hyeme eteſiarum flatu: noſtra uerò brumali. Lenes ibi auræ, mare nauigabile, gentes & urbes innumerabiles. Plin. lib. 6. cap. 17.

IBERORVM Aſianorum terra fructum omnem etiã domeſticum affert, & ſtirpes omnes, & ea quæ ſemper uirent: & cùm ne minimam quidem culturam habeat, tamen bona omnia ſine ſatione & inarata gignit, multiſque in locis ſemel ſata bis ter que fructum affert. Ac primò quidem modios quinquagenos, idq; minimè renouata, nec ferro proſciſſa, ſed ligneo aratro. Cyro & Araxe fluminibus, atque aliis aquis irrigatur, ut ſemper herbidam faciem ſeruet. Adeſt præcipua aeris temperies, uineæ manẽt ineffoſſæ, quinquenniis putantur, in bimatu nouellæ fructũ ferunt, adultę tantum reddunt, ut pars maxima in palmitibus relinquatur. Pecora tum mitia tum agreſtia fœtus edunt pulcerrimos, homines ſunt magnitudine ac pulcritudine excellentes, ſimplices, non autem cauponarij, numi uſum maxima ex parte non habent, numerum ultra centenarium non norunt, commercia inter ſe mercibus faciunt, in cæteris quæ ad uitam pertinent inertes, exquiſitorum ponderũ ac menſurarum ignari, ciuilitatis, belli & agriculturæ prorſus imperiti. Strabo lib. 11. Ab albedine capillorum ALBANI dicti incolæ. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

THEMISCYRÆ Amazonum ad Thermodoontem fl. incolæ nunquam famem ſenſerunt. Tamtam agreſtium pomorum, & ultrò naſcentiũ copiam præter montana regio affert, uuæ, prunorum, malorum ac nucum, ut quocunq; anni tempore in ſyluas exierint, iis abundent: cùm interdum adhuc fructus in arboribus pendeant, interdum in foliis iaceant, quæ lapſa multa & alta humi effuſa ſunt. Multa eſt ferarũ omnis generis uenatio, propter alimoniæ copiam. Panities herbida, equorum & boum nutrix, panicum & milium affatim producens. Strabo lib. 12.

HYRCANIA ualde opulenta, & magna ex parte plana, præclaris urbibus adornata. Opulentiæ ſignum ducunt, quòd uitis uini metretam affert, ficus modios ſexaginta. Frumentũ ex fructu naſcitur, qui cadit ex culmo, in arboribus mellificatur, ex foliis mel fluit, quod etiam in Matiana Mediæ, & in Sacagena Armeniæ, & in Araxena fit. Nullam tamen in ea excolenda diligentiam ponunt, nec in eiuſdem nominis mari, quod & otioſum eſt, & non nauigatur. In MARGIANA uitem ſæpius inueniri aſſerunt, cuius ſtipitẽ duorum uix hominum ulnę complectantur, racemum duorum cubitorum longitudinem implere. Parem & ARIAM eſſe dicunt, uini autem etiam ubertate ſuperare. In ea & uinum ad tres hominis ætates, id eſt, nonageſimum annum perdurare, idq; in uaſis minimè picatis. BACTRIANAM Ariæ proximam rerum etiam omnium, oleo duntaxat excepto, fertilem eſſe. Strabo lib. 2. & 11.

CAMBAIÆ regnum, eſt prima Indię pars ad Solis occaſum, quæ Arachoſiæ terminis definitur. Eam fluuius Indus, unde India nomen duxit, interfluit. In eum ab Ortu & Occaſu fluuij complures illabuntur. Sinus ingens, in quem Indus influit, Canticolpus à ſcriptoribus antiquis appellatur. Regionem tanta fertilitate prędítam eſſe perhibent, ut paucis iugeribus incredibilis hominum multitudo ali atq; ſuſtentari poſſit. Fruges uarias, ſacchari magnam uim, & fructus multiplices efgundit. Pecora & armenta innumerabilia nutrit. Oſorius lib. 9. cap 20. Em.

ARABIA ob multitudinem fructuum, cæterarumq; rerum, quæ in ea naſcuntur, Felix dicta: calamo enim, & eo quem appellant ſchinum, rebusq; aliis quæ aromata dicũtur, plurimùm abundat: foliis præterea odoris ſuauiſſimi, & quod ex arboribus ſtillat gummi: myrrham etiam, & diis gratiſſimum, perq; uniuerſum orbem diffuſum thus extrema Arabiæ ferunt: coſtum inſuper, caſiam, cinnamomum, & alia eiuſmodi plura. Herbæ uerò & arbuſta odoriferà adeò illic abundant, ut quæ cæteri rarò ſuper deorum altaribus ponant, illi pro lignis in furnis comburant: hisq; quæ apud alios habẽtur rara, Arabes ſeruorum domi lectos ſternant. Cinnamomum utilitate excellens, ad hoc reſina, mirique odoris terebinthus, apud Arabes naſcuntur. Montes non ſolùm abietes ac populos proferunt, ſed cedros, & quem uocãt boraton. Plurimas uerò alias nutrit plantas, ſuauem odorem tranſeuntibus inſpirãtes. Nam ipſum terræ ſolum habet naturalem quandam exhalationem, odoratis ſuffimentis ſimilem. Hinc fit, ut quibuſdam in locis effoſſa terra, aliquæ reperiantur ſuaueolentes glebæ, quæ ueluti metalla fuſæ, lapides ingentes fiunt, ædificãdis domibus apti. In eos cùm guttæ aquę pluuiæ cadunt, ita liquefiunt ex humiditate iuncturæ lapidum, & coaleſcunt, ut unicus murus appareat. Diod. lib. 2. cap. 12.

SABÆI Arabes auro, agrorum fertilitate, mellificio beati, & ſyluis odoriferis, maximè uerò propter thura clariſſimi. Plinius lib. 6. cap. 28.

HIERICVNTIS urbis Idumeæ fertilitatem, cùm uicina regio omnis aſpera & ſaxoſa ſit, non tam ſoli fœcunditate, quàm fontis, quem Heliſæus ex amaro dulcem fecerat, irrigatione, Ioſephus lib. 5. cap. 4. belli Iud. egregiè deſcribit.

IORDANIS tota planicies in Palæſtina irrigua eſt, & Iouani pomarij ſimilis, aut Aegyptij ſoli: quam ſibi delegit Lothus, quando ab Abrahamo propter iurgia paſtorum diſceſſit. Gen. 13.

Sulcus AEGYPTI Libyæ harenas non curat, adagium eſt, de loco non admodum quidem lato, ſed fœcundo inſigniter ac fructuoſo, qui longè anteponendus uidetur deſertis incultisq; agris ac uaſtioribus. Siquidem Aegyptus magnitudine cedit uiſque Libyæ: ſed ita, ut illius tota uaſtitas ne huius quidem aſſequatur portiunculam. Non præterit profectò nos, Aegyptum dictam eſſe ueteribus publicum orbis horreum, ſolereq; deos eò animi gratia & ſalutis confugere. Scribit Cicero, Aegyptum Ptolemæo Auletæ patri Cleopatræ, à quo peſſimè ac per ſummam ignauiam regnum adminiſtrari ſolitum ſcimus, tamen quotannis duodenũm millium, & quingenũm talentorum tributum conferri aſſueuiſſe. Adagium Antiphilus in Epigrammate uſurpauit:

πουρηϊτὸς ἐστὶ δίσιον ἐρίζομεν· οὐδὲ γὰρ αὐλαὶ
αἰγυπτίης, λιβύης ψάμμα ἐπιστρωφῶσι.

id eſt, Fructibus contendimus, non ſtadijs: neque enim ſulcus Aegypti Libyæ harenas curat. Cælius libro uigeſimonono capite uigeſimoprimo.

DELTA Aegypti inſula pluribus foſſis manu factis diuiſa, agros habet fertiliſſimos Aegypti: circumdata enim Nilo, atque irrigata fluuij incremento magnam uim limi affundentis, tum cura incolarum, terram omnem quadam machina ab Archimede Syracuſio adinuenta, quam à figura cochleam dixere, irrigantium, multiplici fructu copioſa eſt. Nilus etiam leniter fluens, cùm multam uariamq; terram ſecum ferat, quibuſdam in locis humilibus paulum ſtagnans, regionem fructiferam fertilemq; efficit. Diodorus lib. 1. cap. 3.

Eximia, propemodum portentoſa, LIBYÆ agrorum feracitas, utpote qui locis quibuſdam centeſimo fœnore reddãs cultoribus meſſem. Mirum eſt quod de MAVRITANIÆ quoq; ubertate apud quoſdam reperio, excepta duntaxat parte illa, quæ deſertis contigua eſt. Vites in ea, quas duorum complexus hominum capere nõ poſſit, uuarum racemos cubitales, ſtaphylini, hippomarathri, & cardiuorũ ſcapos duodenũm cubitorũ, enormi craſſitudine. Calami Indicis ſimiles, quorũ nodi octo capiant modiolos. Aſparagos adhæc uideri haud minus notabili magnitudine. Hæc ab Heſperijs Aethiopibus Bogum regem dono uxori miſiſſe, Iphicrates prodidit. Sab. lib. 5. En. 1.

Non uidetur mihi bonitas Africæ cum bonitate Aſiæ atq; Europæ comparanda, præter unam CYNIPEM, quæ tellus fluuio cognominis eſt. Hęc optimę cuiq; telluri par eſt prouentu fructus cerealis omnino cæteræ Africæ. Etenim pullæ & uda fontib. ac ſecura ſiccitatis aeris, ac ne imbre quidẽ, qui

sic uehementior, læditur: nam in eo tractu Africæ pluit. Eò prouentibus fructuum terræ, totidem mensuræ illic, quot è Babylonica tellure percipiuntur. Bonum solum & illud est, quod Euhesperiæ colunt. nam quoties id eximiè seipsum ubertate superat, centuplum reddit. At illud Cynipum, circiter trecenta. Porrò Cyrenaica regio, quæ huius Africæ editissima est, quam pastorales incolũt, treis in se plagas continet admiratione dignas. Primam, quæ maritima est, quòd in eo iam fructus maturi metũtur, uindemiantur q; His cõpositis, in plaga quæ supra maritimam est, medios fructus legunt, quos colles appellant. Dum hi fructus adomantur, ijs qui sunt in editissima plaga coquuntur atq; maturescũt. Itaq; dum primi fructus bibuntur atq; eduntur, ultimi aduentant. Atque hunc in modum ad octo menses perceptio fructuum Cyrenæos occupat. Herod. lib. 4.

Ciuitas Africæ in medijs harenis, petentibus Syrtes Leptinq; magnã, uocatur TACAPE, felici super omne miraculum riguo solo: ternis ferè M pass. in omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spacijs dispensatus inter incolas. Palmæ ibi prægrãdi subditur olea, huic ficus, fico punica, illi uitis, sub uite seritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno, omniaq; alicna umbra aluntur. Quaterna cubita eius soli in quadratum, nec ut à porrectis metiantur digitis, sed in pugnum contractis, quaternis denarijs uenundantur. Super omnia est, biferam uitem bis anno uindemiare. Et nisi multiplici partu exinaniatur ubertas, pereunt luxuria singuli fructus. Plinius libro 18. cap. 22.

Asserunt, Ammonem Libyæ regem uxorẽ cepisse Rheam Vrani filiam, Saturni aliorumq; Titanum sororem: qui regnum perambulans, iuxta Ceraunios montes conspectam ab se uirginem forma pulcerrimam Amalthiam nomine adamauit: filiumq; ex ea genuit specie ac robore corporis insignẽ Bacchum. Amalthiam uerò propinquæ ORÆ præfecit, bouis cornu persimili: ex quo occiduum cornu sit nominata. Et quoniam ea regio esset uineis cæterisq; frugiferis arboribus refecta, à muliere autem regeretur, Amalthiæ cornu eam dixere. Propterea & posteri optimã copiosamq; fructibus regionem ab ea similitudine Amalthiæ cornu appellarunt. Diod. lib. 3.

Legimus Herculem ARTOLIS donasse copiæ cornu, propter coercitum cornu fluminis Achelois: qua re regionem illam antea sterilem, fertilissimam reddidit: cornu nimirum laborum duritiem significante, frugibus feracitatem.

CHERRONESI regio in mare declinans Theodosiam usq; tota frugifera & campestris, ubicunq; colitur, ter decuplũ legitur: centum & octoginta modiorum millia frumenti, nomine uectigalium, Mithridati Eupatori soluebãtur: quin & cum Asiaticis locis circa Syndicen attingentibus, argenti talenta circiter ducenta millia. Græci ueluti à Mæotide salsamentaria, ita frumentarios hinc commeatus accipiebant. Leuconem Cherronesi regem, ducẽtas ac decem modiorum myriadas Athenienſibus è Theodosia ferunt transmisisse: quum supra peninsulam Tauricam sint Nomades, qui equinis carnibus aluntur, & uarijs incursationibus non persoluta tributa uindicabant. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

Archilochus agrum THASI frugum uinicq; feracem, quòd confragosus & salebrosus sit, fastidiens, infamauit insulam, dixitque:

Hæc asini uelut dorsum materia
Est plena agresti. Plut. de exilio.

Strabo Geographiæ lib. 14. narrat SAMIORVM agris, quòd essent omnium rerum ampliter feraces, illud uulgò iactatum esse, quod lac etiam ferrent gallinaceum.

Homerus, Odysseæ libro nono CYCLOPVM terram describit ad hunc modum:

Κυκλώπων δ' ἐς γαῖαν ἀπηνέα καὶ ἀνομήτην,
Ἱκόμεθ', οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισι,
Οὔτε φυτεύουσι χερσὶ φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν·
Ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἄνηροτα πάντα φύονται,
Πυροὶ καὶ κριθαὶ, καὶ ἄμπελοι, οἵτε φέρουσιν
Οἶνον ἐριβότρυον, καὶ ὄμβρος ἐν αὔξει. id est,

Venimus in terram, quam magnanimi Cyclopes
Et legum expertes habitant. Hi numine freti
Diuũm, nec manibus terræ plantaria figunt,
Vomere nec segetem proscindunt: quin ea cuncta
Nulla sementе & nullo nascuntur aratu
Ordea, frumentum, plenisq; onerata racemis
Vincta, & largis hæc Iuppiter imbribus auget.

In toto orbe, & quacunque cœli conuexitas uergit, pulcerrima est omnium, rebusq; meritò principatum naturæ obtinens, ITALIA, rectrix parensq; mundi altera, uiris, feminis, ducibus, militibus, seruitijs, artium præstantia, ingeniorum claritatibus, iam situ atque salubritate cœli atq; temperie, accessu cunctarum gentium facili, litoribus portuosis, benigno uentorum afflatu: etenim contingit recurrentis positio in partem utilissimam, & inter ortus occasusque mediam: aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocẽtia, soli fertilitate, pabuli ubertate. Quicquid est, quo carere uita non debeat, nusquam est præstantius. Fruges, uinum, olea, uellera, lina, uestes, iuuenci. Nec equos quidem in trigarijs præferri ullos uernaculis animaduerto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessit. Et ijs nunc in se grauida pro omni dote uarios succos, & frugum pomorumque sapores fundit. Plin. lib. 37. cap. ult. Sed & Sabellici, Plinium imitati, præclarum est elogium lib. 1. En. 7. Est, inquit, ITALIA metallis grauida, ubiq; uitalis & perennis salubritas, eximia cœli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxij saltus, opaca nemora, munifica syluarum genera, mira frugum, uitium & olearum fertilitas. nobilia pecori uellera, opima tauris colla, perspicui & piscosi lacus, flumina fontesq; saluberrimi, portus plurimi, ipsa auidè ad mortales iuuandos in maria procurrens, & uelut gremium omnium gentium commercio pandens, ut uerè dicta sit à quibusdam terrarum omnium alumna, atq; eadem parens cœlestium prouidentia electa, quæ sparsa congregaret imperia, mollireq; efferatarum gentium ritus, discordes ad colloquia linguas, munere literarum, Latinoque sermone congregaret. Hęc ille. Italiam tetram gentes incoluisse plures quàm regionem quamuis aliam, Aelianus prodit. Cuius ratio promatur ex temperaturæ præstantia regionis uirtute, aquarum copia, & omnia ferẽdi potestate, quod πανφέρεον significanter dicitur: nec non pascua facilitate, quam ἀνόωτον appellant: adiacente porrò maris bonitate pręligni, portuum quoq; numero suppetente, hinc inde fluminum magna ui interluente. Olim certè mille centum sexaginta sex ciuitates Italiæ recensebãtur. De ea M. Terentius Varro sic: Quid in Italia utẽ sile nõ modò nõ nascitur, sed etiã nõ egregium fit? Quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? quod uinum Falerno? quod oleum Venafro? Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium uideatur? An Phrygia magis uitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quàm hæc? aut Argos, quod idẽ poeta πολύκτηνον, in qua terra iugerum unum denos & quinos denos culleos fert uini. Quot quædam in Italia regiones? annón M. Cato scribit in libro Originum sic? Ager Gallicus Romanus uocatur, qui uiritim eis Ariminum datus est ultra agrum Picentium. In eo agro aliquotfariam in singula iugera dena cullea uini fiunt. Nónne item in agro Fauentino, à quo ibi tricenariæ appellantur uites, quòd iugerum tricenas amphoras reddat? L. Martius præfectus fabrũm, in fundo suo Fauentiæ hanc multitudinem dicebat suas reddere uites. Varro lib. 1. cap. 2. de Re rustica.

Cæsar Vopiscus ædilitius, causam cùm ageret apud Censores, campos ROSEÆ Italiæ dixit esse lumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam. Varro libro 1. cap. 7. Rei rust.

CAMPANIA omnes Italiæ regiones felicitate superat. In eius circuitu iacent tumuli mirifica ubertate cõspicui, montesq; Samnitum pariter & Oscorum. Far omni oryza præstantius, paruo in tempore triticeam superat alimoniã. In nonnullis aruis bis anno zea feritur, & tertiò panicum. Aliquibus oleribus etiam quartò seminatur. Vina optima habet, Falerna, Setina, atq; Calena, cũ quibus Susentina contendunt. Laudem habet olei totus Venafranus ager, planis finitimis aruis. Strabo lib. 5. Geographiæ. Plinius item lib. 18. c. 11. Historiæ naturalis: In Cãpania tamen, inquit, laudatissimus cãpus est. Montibus subiacet nimbosis, totis quidem 40. mil. pass. planicie. Gratia terræ eius, ut protinus soli natura dicatur, puluerea summa, inferior bibula, & pumicis fistulans uice. Montium quoq; culpa in bonum cedit. Crebros enim imbres percolat atq; transmittit. Nec diluit, aut madore uoluit, propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, & concoquens, intra se uice succi continet. Seritur toto anno, panico semel, bis farre. Et tamen uere segetes quæ interquieuere fundunt rosam, odoratiorem satiua. Adeò terra non cessat parere. Vnde uulgò dictum, Plus apud Campanos unguenti, quàm apud cæteros olei fieri. Quantum autem uniuersas terras campus circumcampanus antecedit, tantum ipsam pars eius quæ LABORIÆ uocatur, quem Phlegræum Græci appellarunt. Hactenus Plinius.

In SYBARITANO agro semen cum centesimo redire solitum tradunt. In SYRIA ad Garada & in AFRICA ad Byzacium ex modio nascuntur centum. Varro lib. 1. cap. 44. de Re rustica.

Plinius libro 37. cap. ult. post Italiam primum locum felicitatis tribuit HISPANIÆ, quacunque ambitur mari, exceptis Indiæ fabulosis. Mira sunt certè, nec sine rubore referenda, quæ de feracitate insulæ Hispaniæ ab Hispanis traduntur, raphanos, lactucas, brassicas, quindecim

dierũ spacio à satu maturescere, pepones & cucurbitas sex & triginta dierum, uitem intra annum frugiferam esse factam, triticum (ne non omnia experirentur) principio Februarij humi conditum ad Idus Martias maturuisse. Sab. lib. 8. En. 10. Lusitãiæ fertilitatẽ declarat Polybius Megalopolitanus libro Historiarum trigesimoquarto, quòd ibi ob optimam aeris temperiem animalia sunt fœcunda, atq; homines: nec unquam fructus desunt in ea regione: rosæ enim albæq; liliolæ, asparagi, resq; huiusmodi nõ desunt per maius temporis spaciũ, quàm trium mensium. Athen. lib. 8. cap. 11. Exportatur è Turditania Hispania uinum, magna uis tritici, oleumq; non modò ubertate, sed etiã bonitate præcipuum. Euchitur insuper cera, mel, pix, & grãnã purpuræ, & minium. Sinopica terra nõ deterius. Ligna cumulant ibi naualia ex indigena materia. Itidem etiam sal multus effoditur, non pauca quoq; falsa sunt eodem in tractu fluenta. Non pauca etiam ad escas salsamenta conditurtur, non solùm ea ex regione, sed etiam ex alio extra Columnas litore, quæ Ponticis nequaquam inferiora dixerim. Frequens inde primùm uestis ueniebat, nunc uerò Corauorum lanæ magis laudãtur, excellentissimæ pulcritudinis, sic ut admissarij arietes talento emantur. Telarum exuperans tenuitas atq; copia, quas Saltiatæ construunt. Pecorum omnis generis abundãtia, nec minor uenationum. Perniciosarum belluarum raritas, præter quam cuniculorum. Ingentes naues onerariæ istinc Puteolos nauigant, & Ostiam Romanorum nauale permeant. Ostrea & cochylia & cetos producit mare. Habet quoq; metalla præstantissima. Strabo lib. 3. Hispania CL. amnes habet: eximiè uerò quasi paradisus domini quinq; principalibus fluminibus irrigatur, scilicet Ibero, Doria, Tago, Ana, & Bæti, montanis inter quemlibet interiectis: mediæq; ualles sui latitudinẽ deseruiunt ubertati, & humore fluminum fœcundantur, & pro magna parte riuis & fontibus irrigantur: sed & puteorũ suffragia rarò desunt. Fœcunda frugibus, amœna fructibus, deliciosa piscibus, sapida lacticinijs, clamosa uenationibus, gulosa armentis & gregibus, superbã equis, commoda mulis, priuilegiata castris, curiosa uino, deses pane, diues metallis, gloriosa seriis, dulcis mellibus, copiosa oleo, læta croco, præcellẽs ingenio, audax in prælio, agilis exercitio, fidelis dominio, facilis studio, pollens eloquio, fertilis in omnibus: nulla in fertilitate similis, nulla munitionibus comparabilis, pacẽ magnitudine æquales: in libertate pręcipua, Fidelitate preciosa, in audacia singularis. Rodericus Toletanus lib. 3. rerum Hispan. c. 20. & Rod. Santius parte 1. Hist. Hispan. cap. 4. Apud Granatam urbem Hispaniæ in quinq; & uiginti mil. lib. passuum, sex & triginta fontes oriuntur, & in agro Xerici in regione Pacis Augustæ fontes scatuiunt quingẽti supra mille. Marineus lib. 1. de reb. Hispan.

In ATHOLIA Scotiæ regione ad Lud uicum, ager adeò fertilis est, ut si diligenter elaboretur, absq; seminis iactu præstantis. ordeum proferat. H. Boethius in Scotiæ descript.

FRESIA minor Daniæ regio à Iutiæ prominentia inclinata maximos frugum prouentus beneficio Oceani inundantis assequitur. Saxo lib. 1.

Orientalis Gothiæ pars est GOTLANDIA insula, sic dicta, quasi Gothorum terra, uel bona patria. Goth quippe bonũm, siue Deum, lingua Gothica significat, & Landia, terrã. Bonus in ea populus, boni & securi in circuitũ eius portũs: bonus & electus in ea ager: bona armentã, equis, bobus, piscatione, uenatione, aquis, syluis, pascuis, pulcerrimo marmore, & omnibus rebus humano usui necessarijs. Olaus Magnus lib. 2 cap. 24.

ELANDIA, siue Oelandia, una est ex insulis Gothici maris, breuissimo maris interiectu à Gothia Meridionali diuisa, omnium insularũ pulcerrima: multis enim bonis adeò referta est, quòd spacij breuitatem (duorum dierum itinere absoluendam) soli fertilitas recompẽset. Frugibus, pascuis, pecudibus, armentis, & piscibus tantum abundat, ut proprijs commoditatibus sufficiat, & alienis: eamq; gratiam & æstimationem bones & pecora, ac butyrum ultra mare exportata habent, quasi medicinalia forent. Reges Suconum, ob insignem amœnitatẽ, & uenandi exercitium, æstatẽ hic transigẽrẽ consueuerunt. Etiam, quia uicinior maris tractu ultramarini principes commodiùs cũm eis in arduis causis expediendis ibidem congredi possunt. Olaus lib. 2. cap. 23.

Apud LITVANOS omnia eadem æstate seminata colliguntur, triturantur, trituratq; in horreis recondũtur, ita ut granum ad seminandũ depromtum, nũc in decem nũc in octo hebdomadis centuplum fructũm referat. Guagninus in descriptione Lituaniæ.

PODOLIA omnium rerum ex terra nascentium fertilissima, adeò ut colonus quodcunq; quomodocunq; in agrũ semẽ iniecerit, centuplum fructum referat. Prata quoq; mirum in modum luxuriantia, adeò ut bouis cornua uix è gramine apparẽãt: terra tamẽ dura & petrosa admodũ adeò ut bissenos boues coloni arituri aratro iungere cogantur. Mellis syluæ passim abundantissimæ: stipitibus enim cauatis ubiq; mella roscida depromuntur. Armentis gregibusq; & feris omnigenis redundans. Eam antiquitus Alani, Gothi, Getæ, Cumani, Poloucij, & Roxolani incolebant. Circassorum reliquiæ adhuc extant, ad Borysthenem fluuium. Guagninus in descriptione Poloniæ.

STERILITAS.

Cyrus, quum Persæ rerum potiti postularẽt, ut ex PERSIDE aspera regione, quam tum incolebant, transferrentur in feraciorem & commodiorem, annuit quidem, sed admonuit, ut posthac sese pararent ad seruiendum, non ad imperandum. Φιλεῖ γὰρ ἐκ τῶν μαλακῶν χωρῶν μαλακοὺς γίνεσθαι. Οὐ γὰρ τοι τῆς αὐτῆς γῆς εἶναι καρπόντε θαυμαστὸν φύειν, καὶ ἄνδρας ἀγαθοὺς τὰ πολέμια. id est: Ex mollibus enim regionib. molles homines nasci solere. Neq; enim eiusdem esse terræ, fructum egregium producere, & uiros in re bellica præstantes. Erasmus in Adagijs.

ARGVS campus, ab Artemisio in Mantinensium fines descendentibus sese offert, sterilis omnino, ut & nomen indicat, propter aquã pluuiam è uicinis montibus defluentem, quę in uicina quãdã specu demergitur. Pausanias in Arcadicis.

In THESSALIA circa Larissam emisso laeu frigidior facta ea regio est, oleæq; deserunt quæ priùs fuerant. Item uites aduri, quod non antea, Aenos sensit admoto Hebro. Et circa Philippos cultura siccata, regio mutauit cœli habitum. At in Syracusano agro, aduena cultor elapidato solo perdidit fruges luto, donec regessit lapides. Plin. lib. 17. cap. 3.

Strabo libro Geographiæ nono scribit, SCOLON uicum esse quempiam Asopiæ sub monte Citherone, sedẽ mamœnam, incultam, infrugiferam, asperam. Atque hinc uulgò prouerbium manasse,

Εἰς Σκῶλον μήτ' αὐτὸς ἴμεν, μήτ' ἄλλον ἵπεσθαι. id est,
Nec per te Scõlon ipse, nec ulli alij comes ito.

Repetit eadẽm totidem uerbis Eustathius in Bœotiam Homericam. Nam Scolon & Stephanus ponit in Bœotia. Nomen ex re uidetur inditum: σκῶλος enim Græcis spinæ genus est. Erasmus.

In Aethiopia est CONGO regnum, ubi homines comedunt non quando esuriunt, sed quando cibi suppetunt, ut canes ad hoc assuetiquæ consuetudo pro natura est. Est enim regio sterilis & omniũ inops, homines tamẽ excedũt LXXX annum, ut hæc inopia aut faciat longæuos, aut non impediat. Sunt etiam ob eandẽ causam quasi nudi: carent equis, ac iumentis etiam fermè, ideoq; honoris causã deserũt homines super corio inter duo ligna consuto. Cardanus de Rerum uarietate lib. 1. cap. 4.

In GALLIA Transalpina, intus ad Rhenũ, cùm exercitũ ducerẽ, inquit Varro li. 1. c. 7. Rei rust. aliquot regiones accessi, ubi nec uitis, nec olea, nec poma nascerẽtur: ubi agros stercorarent candida fossitia creta: ubi salẽ nec fossitiũ nec maritimum haberent, sed ex quibusdam lignis combustis, carbonibus salsis pro eo uterentur.

IVCVNDITAS. HVC LOCA

IN GENERE, Voluptuaria.

COTYS omnium regum, qui unquam regnarunt in Thracia, uoluptatibus maximè deditus, regionẽ circumiens, ubi locos arboribus densis ac irriguos fontibus comperisset, ibi conuiuabatur, & dijs sacrificabat. Athenæus lib. 12. cap. 14.

GALYPSVS Eudrææ locus, ubi thermæ sunt natiuæ, multa habet ad uoluptates ingenuas parata, multis exornatus ædificijs & diætis, commune domicilium haberur Græciæ. Ibi cùm multus uenatus est & aucupium, tum non minùs pelagus forum reddit lætum, quod locis liquidis & altis prope litus generosorum piscium uim magnam alit. Nitet præcipuè medio uere: qua tempestate frequẽtes eò se conferunt, cõuiuiaq; inter se celebrant omni affluente rerũ copia: ac ferè de literis præ otio agunt. Plut. lib. 4. Quæst. conuiualium, quarta.

IN SPECIE. LOCA QVO AD Visum.

Amœna.

CALLISTA, insula prope Peloponnesum, in qua Cadmus Agenoris F. Europam quærens, Phœnices quosdam cum Membliare cõsanguineo suo reliquit, loci pulcritudine allectos: unde & nomen obtinuit καλλίστη. Postea à Thera Autesionis F. Thera fuit appellata. Herod. lib. 4.

In Thessalia TEMPE, VM. pass. longitudine, & fermè sesquiiugeri latitudine, locus amœnissimus, ultra uisum hominis attollentibus se dextera læuaq; leniter conuexis iugis. Intus uerò luco uiridante allabitur Peneus, uiridis calculo,

amœnus circa ripas gramine, canorus auium cõcentu. Accipit amnem Euroton, nec recipit, sed olei modo supernatantem (ut dictum est Homero) breui spacio portatum abdicat: pœnales aquas dirisq; genitas, argenteis suis misceri recusans. Plin. lib. 4. cap. 8.

Proximus amœnitate fuit quondam AETNA mons Siciliæ, qui adeò floribus perpetuò uernabat, ut uenationi locus non daretur, quando quidem florum fragrantia præpediebat canes. Inde fabula emersit, Proserpinam raptam à Plutone, dum flores colligeret. Scilicet significantes per illud loci amœnitatem, & hiatum incẽdio in monte factum, quo puella absorpta est. Cardanus de Rerum uarietate lib. 1. c. 4. ex Diodoro.

De DAPHNE Sozomenus lib. 5. cap. 19. hæc refert: Daphne insignis Antiochiæ suburbium, nemore multarum cupressorum cingitur, & alijs quoq; plantis mixtim unà cum cupressis exornatur. Et tellus illa utrinq; à mõtibus bene fragrantia & uaria florũ genera sub arboribus producit. Tectum autem quoddam, imò magis umbra, loco illi undiq; imminet, propter densitatem ramorum ac foliorum: non permittens, ut solares radij terram attingant. Locus hic iucundus est, & admodũ delectabilis, copia ac uenustate undarum, temperaturaq; tempestatum, ac mitium uentorum flatibus. Fabulantur hic Gentilium eruditi, Daphnem Ladonis fluuij Arcadiæ filiam, cùm Apollinem amatorem fugeret, in arborem eiusdem nominis esse conuersam. Apollinem uerò, cùm ne sic quidẽ ab affectione amoris liberatus esset, dilectam ramusculis coronasse: & quamuis arbor esset, complexum esse: eumq; locum assidua frequentatione, haud minus quàm quicquam aliud ipsi carum, in precio habuisse. Hoc itaq; suburbiũ Daphnem, cùm tale esset, accedere, turpe iudicabatur probis hominibus. Ipse siquidem situs, & natura loci, ad ignauiam & uoluptatem inuitabat. & fabulæ hypothesis, amatoria existens, modica occasione accepta, morbum amantiũ iuuenibus alioqui corruptis duplicabat, qui fabularum prætextu grauiter incendebantur, & absq; pudore libidinosa facta aggrediebãtur, nec castitatem complecti ualentes, neq; castos eo loco uidere sustinentes. Etenim si quis sine amata in Daphne morabatur, stupidus & expers gratiæ, ac quasi scelus quoddã & abominabilis auersandusq; iudicabatur. Et aliàs is locus Ethnicis uenerabilis, ac in multo precio erat. Erat enim illic elegãs Daphnæi Apollinis imago, & templum magnificè ac preciosè elaboratum, quod Seleucum Antiochi patrem, cui cognominis est ciuitas Antiochena, extruxisse ferunt. Affirmatur autem ab illis qui ista colunt, fluere illic aquã diuinationis è fonte Castalio, qui cõsimilem & energiam & appellationem cum eo sortitus sit, qui Delphis habetur; & quòd Adriano, cùm adhuc priuatus esset, de futuris Imperij rebus eo loco fuerit prædictum. Ferunt enim eum, cùm folium daphnes fonti immersisset, hausisse futurorum scientiam, in folio literis expressam. Vbi uerò Imperium nactus esset, fontem hũc obturasse, ne alijs ex eo, quæ futura essent, præscire liceret.

Inamœna.

Strabo libro Geographiæ 9. scribit, SCOLON esse uicum quempiam Asopię sub monte Citherone, sedem inamœnã, incultam, infrugiferam, asperam. Atq; hinc uulgò prouerbium manasse,

Εἰς Σκόλον μήτ' οἴνου πίδυ, μήτ' ἄλφιτ' ἐπείδειν. id est,
Nec per te Scolon ipse, neculli alij comes ito.

Erasmus in Adagijs.

Tenebricosa.

Nona AEGYPTI plaga Tenebræ fuerunt per triduum, etiam tactiles, ut toto illo triduo neminẽ hominem homo uiderit, neq; se loco mouerit: cùm interim Israelitæ omnes lucem in suis haberent sedibus. Exodio.

De CIMMERIÆ regionis, pdigiosa obscuritate Strabo lib. Geographiæ primo, scribit in hunc modum: Καλοῦσι δὲ τὸν Κιμμερικὸν Βόσπορον οἱ ἐγγὺς κιμμερίους· ἐδόκει τοίνυν τὸν ὀνομα τῶν κιμμερίων εἶδος, οὗτος δὲ ἀγνοοῦσι οἱ κατ' αὐτὸν ἡ μικρὸν ὑπὲρ αὐτὴ μηχρὶς Ἰωνίας ἐπὶ θερμοῦ τοῦ γλυκὺ ἐν βοσφόρῳ πᾶσαν, ἐνίοτε καὶ ὑπὲρ τὸ κλίμα τῆς χώρας αὐτῶν ζοφῶδες, ἡ ὡς φησὶ,

Ἠέρι τῇ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠελίου φαίδων ἐπιλάμπεται. id est,
Αὐτὸν τὸν ὀλοὴ τέτακται. id est,

Quin Bosphorum quoq; Cimmerii cognouit, ut qui Cimmerios non ignorarit. Neq; enim, uidelicet cùm Cimmeriorum nomen cognitum habuerit, ipsos ignorauit: qui temporibus illius, uel paulò ante illius ætatem, à Bosphoro ad Ioniam usq; terram omnem percutsarint. Itaq; quonam in climate sita sit illorum regio uelutiinnuit, cùm eam caliginosam facit: & ut ipsius utar uerbis,

Vmbris ac nebulis tectam: siquidem igneus illos
Haud unquam irradiat Phœbus, nox atra sed illis
Ingruit assiduè.

Porrò locus, quem Strabo citauit, quanquã uerbis aliquot diuarians à poeta, est apud Homerum Odyss. 11.

Ἠὼ δὲ πείραθ' ἵκανε βαθυῤῥόου ὠκεανοῖο.
Ἔνθα δὲ Κιμμερίων αὐδ' εὔνομός τε πόλις τε,
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Οὔθ' ὅταν αὖ στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ' ὅτ' αὖ αὖ πάλιν ἔλθοι ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν ἐσπέρι κύκλῳ,
Ἀλλ' ἐπὶ νυξ ὀλοὴ τέτακται δειλοῖσι βροτοῖσι. id est,

Ast ille Oceani peruenit summa profundi.
Illic sunt populiq; & mœnia Cimmeriorum,
Nubibus & cæca assiduè caligine tecta.
Illos haud unquam radijs sol aspicit ardens,
Nec quando astriferum curru petit arduus axem,
Nec rursum ad terras magno deuectus olympo,
Sed nox incumbit miseris mortalibus atra.

Erasmus in Adagijs.

Stephanus tradit APHANNAS locum quempiam esse Siciliæ uehementer obscurum & ignobilẽ, unde & nomen adductum apparet. Hinc natum prouerbium, ἢ ἐς ἀφάνας, id est, Aut in Aphannis. de incertis, & quæ nusquam sunt. Zenodotus ait natum ex huiusmodi casu. Sybaritæ quondam oraculum adeuntes, orabant ut sibi uictoriã aduersus Crotoniatas concederet, idque Crotoniatis ipsis præsentibus. Quidam autẽ Crotoniatarum per iocum respondit ad hũc modum: Istam quidem consequemini in Aphannis. Sybarita credẽs id à deo responsum, admiratus est, quid sibi uellet hoc uerbi Aphannæ. Prouerbiũ ait quadrare in eos, qui se putant inuictos, & nulli tolerandos esse. Verùm Stephani magis probatur interpretamentum. Erasmus in Adagijs.

Georgi & Alani Scythæ sunt. Hinc fit ut Alania à quibusdam uocetur. Pars regni huius trium dierum circuitu tam densa obducta est caligine, ut ob tenebrosam speciem nemo locum subeat, nec cernere sit aliquid in ea densitate tenebrarum. Qui in proximo habitant, exaudiri aiunt inde uoces hominum & gallorum cantũ, hinnitum equorum, nec horum quicquam uideri, regionem ipsam ANISEN uocari. Fluit ex ea terra amnis, qui suo inuectu arguit locum non esse sine humano cultu. Haytonus, qui ad hęc usq; loca peruenisse se ait, auctor est in Georgianæ gentis monumentis proditũ, Christiani cultus manum ingentẽ in ea olim loca compulsam impia Sauorini Persarũ regis insectatione: Cæterùm quũ hostile ferrum fugientiũ ceruicibus inmineret, miraculo euenisse, ut profuga multitudo tenebris sit repentè obsepta in munitissimi uallis speciem. Sab. lib. 6. En. 10.

LAPONIBVS Sol occidit & ducit noctem unam per tres ferè menses brumæ: per quos non habent lucem, nisi qualem crepuscula, clarissima quidẽ, sed in paucissimas horas, quales q; lunares splendores faciunt. Itaq; diem, quo Sol ad hemisphærium redit, festum habẽt, & ducunt lætitiam solemni festiuitate. Zieglerus in Scondia.

Olfactum. Loca

Fragrantia.

SABÆI, gens Arabum populosissima, felicem Arabiam incolunt, eorum quæ apud nos sunt preciosissima, ferentem plurima, ac omni pecoris genere apprimè copiosam. Odoribus insuper suauibus, quos passim natura apud eos gignit, omnes fermè alias superat nationes. Nã in maritimis locis balsamũ oritur, & casia, quædamq; herba natura singulari, quę recens aspectu oculos oblectat, inueterata subitò fit debilior. Pars mediterranea sylluas continet amœnas, in quibus magnę sunt thuris ac myrrhæ arbores: palmæ insuper, arundines, ac cinnamomũ, & alia his odore similia. Neq; enim referri posset singulorũ species ac natura: adeò affluẽter, multa in eam odorifera natura exaggerauit. Diuina quædam res est, & quæ uerba superet, suauis ad nostros sensus ab eis aspirans odor. Et sanè longè quoq; à cõtinenti nauigantes hanc odorum uoluptatem percipiunt. Veris enim tepore uenti à terra perflantes, ab huiusmodi arboribus odores ad propinqua maris loca perferunt. Diodorus libro 3. cap. 3.

Refert Gregorius Agricola, MARIÆBERGI in Saxonia, dũ ex argentaria fodina diuorum Sebastiani & Fabiani coram Henrico Saxonum principe erueretur argentũ, tam fragrantem odorem eruptisse, ut priaceps exclamauerit, Calecutum adesse: est enim ea urbs Indiæ, quæ odorata omnia mittit. Cardanus de Subtilitate, libro de Mistis seu metallicis.

Fœtentia.

REGIO quæ ad locum Iudeæ Asphaltiten est, ipso fœtore diuinæ iræ in Sodomiticam gentẽ sæuientis uestigia retinet.

SECVRITAS. HVC LOCA SECVRA, TVTA

A Terræmotu.

GALLIA & AEGYPTVS terræmotibus minimè quatiuntur,

tiuntur, hæc propter calorem, illa propter frigus intensum. Nam æstate & hyeme terra rarò mouetur: uere & autumno crebriùs. Plin. lib. 2. c. 80.

A Vi externa, propter

Munitionem. Loca munita natura uel arte.

SESOSTRIS rex Aegypti, in omni ora, quę à Memphi ad mare spectat, frequentes à Nilo duxit fossas: simulq; munijt ea loca, quibus ad Aegyptum patẽre hostibus ingressus posset. Antea potior ferè Aegypti pars omnis aditu facilis, propter frequentes à fluuio ductas ab eo fossas, munitior, difficiliorque accessu postmodum facta est. Diodorus libro 1. cap. 4.

Iosephus scribit, AEGYPTVM tam munitã, & adeò fertilem, ut cunctos mortales pascere, deos ipsos excipere hospitio, & saluare posse gloriaretur: nunquam tamẽ fuisse ab omni æuo liberam, sed regum impotenti pressam tyrannide: id quod eo uidetur mirabilius, quia illi ad laudem inprimis datur, quòd sit quaq; uersus mirum in modum munita, & inaccessibilis penitus, hinc mari, illinc deserti uastitate obiecta, dextera montibus abruptissimis, sinistra palustribus aquis diffusissimis. Proinde Cæsarem uictorem aiũt Aegypti regnum Cleopatræ, fratriq; eius minori permisisse, ueritum prouinciam facere, ne quandoq; uiolentiorem præsidem nacta, nouarum rerũ esset materia. Cælius lib. 29. c. 21.

Peninsula ferè ARABIA inter duo maria, Rubrũ Persicumq; procurrens, quodam naturæ artificio ad similitudinẽ atq; magnitudinem Italię, mari circumfusa, in eandem etiã cœli partem nulla differentia spectat. Plin. lib. 6. c. 27.

AEGINA insula è mari longè omnium, quæ in Græcia sunt, aditu difficillima est. Incingitur enim undiq; asperis cautibus, ac cæcis dorsis. Eas moles contra prædonum excursiones, & omnem hostilem impetum de industria fecisse dicitur Aeacus. Pausanias in Corinth.

ITALIA inter plurima dona habet tria amplissima, quibus ad tantum maiestatis fastigiũ res Romana conscendit. Vnũ quidẽ, quòd instar insulæ tuta in circuitu maria custodiat, paucis exceptis partibus, quæ tamen inaccessis, uti muro, montibus uallatę sunt. Secundũ est maxima ex parte ipsius importuositas: & quòd sicubi portus existunt, magnitudine & excellentia mirabiles adstant, aduersus externorũ impetus cõmodi, nec minùs ad inferendas incursiones, quàm ad ipsam mercaturæ commoditatem & abundantiam. Tertium aeris uniuersi temperies, cui subiacet. Ad quam uarietatem animalia, arbores, & (ut paucis simplicter dicam) cuncta quibus utilissimus mortalibus uictus suppeditatur, plurimam diuersitatem habẽt, siue bonum, siue malum dixeris. Strabo lib. 6.

Religionem. Asyla.

Asyla loca sunt, in quibus uel deorum numine, uel hominum maiestate ab externa ui homines defenduntur, ἀπὸ τοῦ μὴ [illegible] Sacra, Asyla inter Ecclesiastica & Politica loca connumerantur. Quorum autem in uniuersum liberi quidam Caesares fuerint, ad locum Libertatis referri poterit, pro diuerso respectu [illegible] & alia loca inseruiuntur. Nam si ratio habeatur horum institutionis, Asyla aberant ab eis magis honestate, alijs utilitate. Hominum quidem [illegible] fit Humanum, miseris & diuersis [illegible] uitiis locum, [illegible] aperire: & sic ad locum Humanitatis [illegible] pertinent, uel quia sit Iustitiae, ab potentiorum insontes defendere: sic ad Iustitiae [illegible] referri possunt. Vtilitate uero mouentur, uelut Romulus, qui ut urbem redderet populosam, asylum instituit. Quod si ita ratio habeatur Vitae, quae [illegible] dicere: id [illegible] Libertatis [illegible] tinent: uel Vitae, & ad Tit. Vitae conseruatae referre debent: uel Libertati, & ad Libertatis locum spectant: uel Opibus, & ad Conseruationem opum referri possunt.

In terræ Sanctæ diuisione præcepit Dominus, ut cæteris tribus 12 Israelitarum, LEVITIS darent 48. oppida possidenda, cum suis pomœrijs, duo millia cubitorum quo'quo uersus extra muros oppidi patentibus. Ex illis autem 48 oppidis sex uoluit esse oppida perfugij, tanquam asyla: tria cis Iordanem, in terra Danitarum & Gadinorum, mediæq; tribus Manassis: tria ultra Iordanem in Chananæa, quam reliquæ tribus occupaturæ sunt. Quicunq; hominem per imprudentiam occidisset, in oppidum perfugij confugiens, si imprudenter se cædẽ commisisse poterat probare, tutus erat, non tamen egredi poterat, sed illic usq; ad mortem summi pontificis sacro oleo uncti (mysterium de Christo) manere cogebatur, tunc in patriam reuerti licebat. Quòd si extra fines asyli egressus esset, eum uindex inuentum impunè occidere poterat. Quòd si prudenter cædem fecisse conuictus esset, sub iudice pœnas morte luebat. Num. 35. Israelitæ ad eam rem consecratunt sex oppida. Videlicet cis Iordanem tria, Cedesam in Galilæa, in monte Nephthalensi: Sichomam in monte Ephraimitico, & Cariatharbam siue Hebronem in monte Iudeæ. Trans Iordanem autem Hierichuntium ad orientem assignarũt, Bosor in solitudine, in plano ex tribu Rubenẽsi, & Ramotha in Galaaditide ex tribu Gadina, & Gaulonem in Basana ex tribu Manassensi. Deut. 4. & 19. & Iosua cap. 20.

ARIMPHÆ Iuicini Scythis, haud dissimilis Hyperboreis gẽs. Sedes illis nemora, alimenta baccæ, capillus iuxtà feminis uirisq; in probro existimatur, ritus clementes. Itaq; sacros haberi narrant, inuiolatosq; esse etiam feris accolarum populis: nec ipsos modò, sed illos etiam qui ad eos perfugerint. Plinius lib. 6. cap. 13.

THYSSAGETIS Lituaniæ finitimis iustissimi mores, alimẽta baccæ, marib. nuda capita, nemora pro domibus: quum sacrosancti habeantur, iustissimum confugientibus suo iure præbent asylum. Bonfinius lib. 1. Dec. 1.

Primum Cadmus, dum THEBAS conderet, asylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine serui aut liberi, ab omni pœna tuti erant. Nonnulli à prognatis Herculis asylum Athenis primò institutum ferunt, ad quod à patribus oppressis cõfugere fas erat: Post quod in Rhetæo litore fuit Aiacis asylum, & in Sigæo Achillis. Alex. lib. 3. cap. 20.

EPHESIVM Dianæ templũ asylum erat, cuius libertatis termini sæpè mutati sunt. Alexander ad stadium extendit, Mithridates paululum plus addidit. M. Antonius etiam urbis partem comprehendit. Strabo lib. 14. Diana Ephesia debitores, qui ad templum fuum perfugissent, inuiolatos præstabat & securos à creditoribus. Plutarchus de Non fœnerando.

Est HERMIONE templum in Peloponnesso, sacrũ Cereri ac Proserpinæ, ad quod qui confugerint, tuti sunt propter loci religionem: unde prouerbium, αἰεὶ ἱκέτευον, Loco asyli. Zenodotus & Erasmus.

HEBE deæ (quam prisci Ganymedam uocarunt) Phliasij honores multos exhibent, summum uerò omnium, quòd qui supplices ad illius templum in arce Phliasiorum confugerint, cuiusuis criminis impunitatem consequuntur. Quin & qui uincti antè fuerunt, ad eas arbores, quæ in cupressetto sunt, compedes suspendunt. Dies uerò festos quotannis celebrant, quos Cissotomos, hoc est, Ederisecos appellant. Pausan. in Corinth.

Fuit in Aegypto, sicut commemorat Strabo lib. 17. & ult. Geographiæ, OSIRIS asylum, & in Syria APOLLINIS.

Fuit in TÆNARO Neptuni phanum, ad quod Cleombrotus confugit: In Thracia Dianæ templũ inter Clitorium & Cynætham: Dianæ item Leucophryenæ oppressis perfugium inuiolabile fuit. Et in Aphrodisio & Papho Veneris, apud Stratonicenses Iouis & Triuiæ templa. In Epheso Artemisium, Pergami ædes Aesculapij, in Græcia Calydoniæ Palladis templum tantæ dignationis fuẽre, ut capitalem fraudem ausi, aut pecunia iudicati, qui ad illa confugissent, noxa pecuniaque exoluerentur. In Aegypto in Osiridis asylo iuxta Saim: & in Conopo Herculis templo, ad quod serui confugientes, si initiati forent, opprimi aut ui cogi non poterant. Alex. lib. 3. cap. 20.

In SAMOTHRACIAM confugiebant olim nocentes, quos Cabirorum templi insulæ q; sanctitas inuiolatos præstabat omnes. Ibi Perseus Macedoniæ rex amisso exercitu extorris regno, sani religione patumper tutus fuit. Suidas in uerbo παμοθράκη.

Apud MOLOSSOS, CROTONIATAS & MESSENIOS, ac plerosq;, ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est: ut ITHACENSIBVS Iouis Seruatoris ara. delictis enim non uoluntarijs refugium esse aras putauẽre. Alex. lib. 3. cap. 20.

ATHENIENSIBVS Thesei sepulcrũ apud ALEXANDRINOS, statua regis Ptolemæi id iuris habuit, ut serui ad illa confugientes, nexu soluerentur. Ibid.

Cùm propter asylorum impunitates multa facinora admitterentur magna licentia, Tiberius Cæsar, ne impunita essent crimina, immunitates asylorum abrogauit, & exoletum morẽ antiquauit. Idẽ tamen Samiæ IVNONI & AESCVLAPII delubro ius ueteris immunitatis ob religionem restituit. Ibidem.

MINERVÆ Chalciœci siue Poliuchi templum, in arce Spartana, asylum fuit sacrosanctum, nec unquam, præterquam in solo Pausania rege ob proditionem attentatam, uiolatũ. Fame enim eum ibi necandum mater ipsius docuit, ne uel scelus impunitum esset, uel templum deæ uiolaretur. Pausanias in Atticis, & Diod. lib. 1. & Probus in Pausania.

PALICARVM dearum apud Siculos templũ asylum tutissimum & inuiolatissimũ, supplicibus q; quocunq; infortunio uel calamitate oppressis, uel his, qui in dominos ingratos uiolabundos q; inciderint seruis, plurimũ subsidij præbet.

Nam

Nam qui eò cõfugerint, nulli domino quacunq; conditione seu ui, alioue quouis pacto licet eos abducere: sed ibidem intactos permanere inuiolatosq; oportet, donec per certos amicos & arbitros æqui & boni persuasi, & adducti domini, tum iureiurando de conuentis adacti, & promissis seruandis per fidem eo modo firmatam admittantur. Neq; ullus adhuc memoriæ proditus inuenitur, qui eam fidem supplicibus præstitam irrumpere sit ausus. Diod. lib. 11.

CALAVRIA insula Neptuno sacra, Peloponneso uicina, asylum habẽs cum templo dei. Ad quod septem urbes conueniebant, Hermione, Epidaurus, Aegina, Athenæ, Prasium, Nauplia, Orchomenus Minyarũ, pro Nauplijs Argiui, pro Prasijs Lacedæmonij conferebant. Tantopere autem ipsius dei ueneratio ualuit apud Græcos, ut potiti etiam rerũ Macedones hoc asylum inuiolatum seruarent. Itaque Archias comitatu septus militum, Demosthenem uiolare minimè ausus est, licèt iussus foret à rege Antipatro, ut eum reliquosq; oratores similibus obnoxios accusationibus ad se perduceret. Strabo lib. 8.

Δεδλων πόλις, id est, seruorum ciuitas. De cœtu eõuictuq; hominum improborum, furacium, aut ignobilium dici potest. Est hoc nomine CIVITAS quæpiã in Libya, ut auctor est apud Suidam Ephorus in V. apud Stephanum Hecatæus. In hanc si quis seruus lapidem importasset, continuò liber fiebat, etiamsi peregrinus fuisset. Est & altera, cui nomen ἱερὸ δλων, quòd seruis dicata sit, in qua unum duntaxat ingenuum uiuere tradunt. Est rursum in Creta, χιλιόπολις χιλιαυδρος, id est, mille uiris habitata, ut auctor est Soficrates in prima narratione rerum Creticarum. Est item alia iuxta Thraciam, πονηρόπολις: id est, improborum ciuitas. In hanc Philippus collegisse dicitur, uelut in sentinam, infames ac moribus improbatis, ut sycophantas, falsos testes, præuaricatores, & id genus alios, ad numerum duũm millium, ut auctor est Theopompus, in rerum Philippicarum libro 13. Testatur & Plutarchus in commentario de Curiositate. Est & in Aegypto regio quædam δυηρόπολις appellata, teste Olympianico.

Apud Rõ. ad Comœdię ARAM (cuius meminit Hieronymus) si quis confugisset, tanquam ab Cæsaris statua reuelli eum inde nefas habebatur. Scribit Pollux, in scena aram fuisse, quæ Halicus diceretur, ante fores: & mensam item, quę bellaria, aut res aromaticas haberet, ac Theoris diceretur. Nostri produnt, in Apollinis honorem aram constitui solitam ab ijs, qui comœdiam celebrarent. Eum uerò Apollinem à Menandro Cassiũ dici. Sunt qui scribãt, in scena duas poni solitas aras, dexteram quidẽ Liberi, sinistrã eius dei honori, cuius ludi celebrarentur. Cælius lib. 6. cap. 17. Antiq Lect.

In Parthenio monte PANOS delubrum erat, & locus nomine Aula, omnibus animalibus uelut asylum: quem leones & lupi, dum feras insectantur, adire non audent, sed protinus subsistunt, & feras relinquunt. In DIANÆ Aetoliæ luco, in Venetis fabulãtur, canes dum feras insequuntur, ubi ad lucum confugerint, ab insectatione quiescere. Idem in montibus, quos Græci MÆNALOS uocant, Aristoteles prodit: ad quos ubi feræ à canibus impetũtur, tanquam in tutissimam arcem se recipiunt, ipsiq; ultra præscriptum progredi non audent. Alex. lib. 4. cap. 12.

Auctor sexto Bibliotheces Diodorus, apud AETNAM odorum fragrantia sagaces canes odoratu carere, naturam sensus florum odore superante: unde prouerb. Aetnæus uenator, de eo, cuius inanis sit uenatio. Floridæ uerò regionis eius naturæ testimonium suggerit & poetica fabella, quæ legendis ibi floribus intentam Proserpinam rapturo Pluto ni uelut ansam, occasione captata, præbuisse cecinit. Argumento suffragatur Ausonius illis uersibus, quos & subijciendos censuimus:

Qualis floricoma quondam populator in Aetna,
Virgineas inter choreas Theoida raptam
Sustulit emersus Stygijs fornacibus Orcus.

Quo nomine asyli quoq; uice cultam inuenio regionem illam, cõsensu tacito: nefas putantibus incolis, animal ullum omnino oblædi inibi, aut uiolari. Cælius libro 26. capite 20. A. L.

Romulus & Remus iactis urbis fundamentis ASYLVM aperuerunt profugis & fugitiuis, inter Arcem & Capitolium, loco Intermentio nominato: omnesq; recipiebant, neque seruum dominis, nec creditoribus nexum, nec magistratibus dedebant homicidam: uerũ inuiolatum locũ ex oraculo Apollinis præstare se, afferebant. Ita urbs est breui frequentata. Plut. in Romulo, & Liuius lib. 1. & Sab. li. 2. Enn. 2. Deũ Asylæum appellabãt. Cui diuo diuæue templũ sit pro asylo erectum, non constat: & Dionysius lib. 2. ignorare se dicit. Sunt qui Væioui tradant: celebratur tamen asyli lucus quarto Nonas Februarias. L. Viues in lib. 1. August. de ciuitate Dei, c. 34. Ouid. lib. 3. Fast.

Romulus ut saxo lucum circundedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge: tutus eris.

Vergilius quoq; lib. 8. Aeneidos ait:

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum
Rettulit.—

Apud Rom. uinctum, si DIALIS flaminis ædes introiuisset, solui necesse erat, & uincula per impluuium in tegulas subduci, atq; inde foras in usam demitti. Item, si quis ad uerberandum ducatur, & ad pedes eius supplex procubuerit, eo die uerberari piaculum est. Gell. lib. 10. cap. 15.

Lepidus & M. Antonius Triumuiri, cùm plus satis in eos qui Iulij mortis conscij fuerant, sæuijssent, & totam ferè urbem interfectorum sanguine maculassent; IVLIO demùm Cæsari sepulcrum cõstruxerunt in foro, ubi eius cadauer combustum fuerat, eosq; qui ad ipsum cõfugerent, tutos & inuiolatos esse uoluerunt. Xiphilinus in Augusto.

Qui capti bello ad Imperatorum regum q; STATVAS confugissent, uelut ad asylum, nexu soluebantur, & immunes erant: in eos enim manus iniectio non erat. Sic in Aspendo Pamphyliæ Tiberij Imp. statuæ pro asylo fuẽre. Alexan. libro 3. cap. 20.

Heliogabalus Imp. ignauissimus, pulcritudine & statura ac sacerdotio conspicuus in SOLIS templum (quem Phœnices Heliogabalum uocant) confugerat, ueluti in asylum, ne à Macrino præfecto prætorio interficeretur, dũ Antoninus Caracalla pater occideretur. At ubi Macrino cæso, à militibus Imperator est dictus, quòd Antonini Bassiani esset filius, secum è Syria deum Heliogabalum abduxit, Romæq; templum constituit, in quo priùs ædes Horci fuit. Cuspinianus.

Sacrosanctus fuit olim Christianis BAPTISTERII locus, ut testatur Euagrius lib. 2. cap. 8. de Proterio Alexandrinorum episcopo scribens: Ipsum, quò necem effugeret, ad sacrosanctissimum baptisterium se recepisse. Quo in loco & barbaris, & cunctis ferocibus hominibus reuerentia quædam incutitur.

Theophilus Imp. tantum MARIÆ, filiæ defunctæ, uxori Cæsaris Alexij, honoris detulit, ut cadauer in arca argento obducta reposuerit, & cuiuscunq; flagitij reis sepulcrum eius asylum constituerit. Cedrenus.

Bonifacius V. Pp. Heraclio imperante, instituit, ut ad TEMPLA confugientes salui essent. Volater. lib. 22. Anthrop. & Platina. & Cranzius lib. 2. Metrop.

Alaricus Gothorum rex, sub Honorio Imp. occupata Roma edixit, ne eorum corpora ignominia uel uulnere afficerent; bonaue diriperent, qui in Apostolorum TEMPLA se recepissent. Augustinus lib. 1. & 2. de Ciuitate Dei.

Henricus Imp. Barbarossæ filius, BRISACVM Austriæ oppidum, in pauperum refugium, uelut misericordiæ asylum, ædificauit. Otho Frisingensis lib. 7. cap. ult.

DONGARDVS Scotorum rex loca omnia Christo sacra, per uniuersas Scotię regiones, asyla effecit, & ad ea confugientes, seruos fugitiuos, fontes, quouis crimine reos, ne iudicium subire publica cogerentur auctoritate, dũ illic se continerent, regio uetuit edicto. H. Boethius lib. 18.

COLNAMVM asylum in Anglia abest ab Abyndonia circiter millia passuum duo: quod perfugio nõ est illis, qui contra regis maiestatem committunt. Polyd. lib. 26.

INFESTA LOCA.

Ab Igne.

Vide Vtculum, Ignes ubi.

A Ventis.

Vide Tit. Maria naufragiis obnoxia.

Apud MOTHONEM Peloponnesi urbẽ Pallados fuit templum ἀνεμώδος, Diomede simulacrum dicante: quòd ante id uiolentiores loca ea uenti insigniter oblæderent, haud tempestiuè satis perflantes: qui mox fusis deæ precibus, desierint, nullumq; deinceps calamitatis genus incolis indidem enatum: unde cognomentum Minuerua est adepta. Cælius lib. 20. cap. 24. Antiq. Lect.

Procopius libro 1. de BENEVENTO Italiæ oppido ita ait: Quondã prisci dixere Maleuentum: id nanq; oppidũ Dalmatiæ

matiæ ex aduersũ oppositum est, in continentiq; situm: in quod spiritus uiolentior quidam & acerbissimus ingruere consueuit: qui utiq; ubi flare cœperit, non foris iter agere, sed domi se quisq; conseruare laborat. Nam uentti huius ea est uiolẽtia, ut uel equitem cum equo simul arreptum, sublimem mox deferat, diuq; per aerem circumactum, & quocunq; tulerit casus proiectum interimat: unde & Maleuentum, ut in edito positum, ex eo uento toleratu difficili sortitum est nomen.

Portus est in Islandia, mari glaciali uicina, sub regno Noruegiæ, uulgò VESTRABORD, Occidentalis portus dictus, penes quem in litoralibus spacijs & campis obequitantes armati, potenti flatu Circij prosternuntur. Sunt præterea montes in HYBERNIA mediocri sublimitate in pluribus locis eminentes in quibus, si quis iter Circio flante perficere tentauerit, aut ruinam expectare cogetur, aut suffocationem. Tam noxij sunt uenti in occidentalioribus Noruegiæ ripis, ut nec arborem neq; fruticem germinare permittant. Quo fit, ut ob eorum defectum in ignibus instruendis, cibisq; coquendis, ossibus magnorum piscium utantur. In occidẽtalioribus BOTHNIÆ litoribus, rapit integra recta domorum, eaq; per immẽsa terrarũ spacia dissoluta disperget. Olaus Magnus lib. 1 cap. 10.

A Terræmotu.

Ex Tit. Terræmotus huc multa. Illic Paupertatis homini accidentis, hic Loci habetur ratio.

QVÆDAM terræ ad ingressus tremũt, sicut in Gabiensi agro, non procul urbe Roma, iugera fermè ducẽta, equitantium cursu: similiter in Reatino. Plin. lib. 2. cap. 94.

MÆANDRI loca terræmotibus obnoxia. Strabo lib. 12.

A Dæmonibus.

Malignos spiritus legimus frequentiores esse in pagis quàm in oppidis, & in desertis & aquosis locis quàm in pagis, ut in lobo est XLI capite. Quapropter maligni spiritus de nocte flammantes (stultos ignes appellant nostri) secundũ aquas spectantur plurimùm, & ad submersionem homines prouocant. Bodinus lib. 3 Dæmon. c. 6.

De Actæone uulgatum inter ORCHOMENIOS fuit, uexari agrum ab ea larua, quæ saxo eius (quod est inter Platæas & Megaras) insideret. Ea de re consulto oraculo Delphico, iussi sunt, si quas reperissent Actæonis reliquias, eas ut terra tegerent: præterea ut laruæ simulacrum ex ære factum ad saxum alligarent. Actæoni quidem quotannis parentant. Pausanias in Bœoticis. Vide Tit. A' canibus lacerati.

Est insula AEGÆ, unde deflexum est Aegei maris nomen, Neptuno sacra, in qua non licè quenquam posse consopiri, prodidit Nicocrates, ex phantasmatum dei occursaculis, subinde quietem interpellantibus. Cælius lib. 30. c. 9. A. L.

In PARNASO monte Bœotiæ Apollini consecrato, Bacchanalia alternis annis aguntur, & frequens etiam Satyrorum cœtus cernitur, & plerunque uoces propriæ exaudiuntur: itemq; cymbalorum crepitus ad aures hominum sæpe peruenit. Macrobius lib. 1. Saturn. cap 18.

MARATHONIVS campus spectris nocturnis horrẽdus. Vide Tit. Sepulcra.

Prius quàm cadauer C. Cæsaris Caligulæ sepeliretur, hortorũ LAMIANORVM custodes umbris inquietati sunt. In ea quoq; domo, in qua occubuit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam affirmarunt, donec ipsa domus incendio consumta sit. Suetonius.

CHÆRONENSE sudatorium ob interfectum Damonẽ Peripolcam spectris plenum. Vide Tit. Seueri erga pudicitiæ corruptiones.

In ea quę est circa Syrtes LIBYA, quandoq;, & maximè quieto à uentis tempore, apparent in aere diuersorum animantium formæ: quarum quædam quiescunt, quędam mouentur. Et hæc aliquando fugiunt, aliquando insequuntur: sed omnes magnitudine eximia, stuporem timoremq; inscijs præbent. Quæ homines insequuntur, comprehensum frigido circundant contactu. Diod. lib. 3 cap. 4.

Refert Augustinus, quòd uir quidam tribunitius Hesperius, in Fussalensi territorio Africę FVNDVM habuerit Zubedi appellatum, qui fuit infestatus à malignis spiritibus, ita ut animalia & seruos grauiter afflixerint. Domestica igitur hac calamitate coactus, accessit dominus sundi ad Ecclesiæ ministros, rogauitque ut aliquis ibi preces facere dignaretur. Abijt quidam eò, orauitq; ardenter & seriò, imò etiam ibi cœnam Domini distribuit: & protinus illa cacodæmonum nexatio cessauit. Sed & in cubiculo suo terram sanctam ex sepulcro Christi Hierosolymis allatam suspenderat, ne quid mali ipse pateretur. Augustinus libro 22. de Ciuitate Dei, cap. 8.

Sub Ludouico II. Imp. dęmonium MOGVNTIACAM ciuitatem per triennũ miserè afflixit. Est in Germania Galliaq; Celtica, haud procul à Bingio oppido, ubi Nauas flumen Rheno miscetur, pagus Camonti uulgò, quasi caput montium dictus. Ibi anno 858. desertor ac perfuga spiritus multa miracula edidit: circulatorias præstigias fusit, incolasq; infestauit. Primò umbra feralis à nemine quidem cõspecta, lapides in homines iactare, pulsare fores cœpit. Mox sub humana specie pestilens ac nequissimus ille genius delitescens, respõsa reddidit, furta prodidit, criminatus quoscũq; nota infamiæ aspersit, discordias, simultates excitauit. Paulatim horrea, casas omnes succẽdit atq; exussit: sed uni molestior accidit, perpetuò eius lateri quocũq; diuerteret, hærens, atq; domum comburens. Et ut uiciniam uniuersam in necem innocentis concitaret, ob scelera illius hunc locum infamem ac deuotum esse, prauus mendaciorũ faber iactabat. Coactus est homo sub dio manere, ab omnibus enim, quasi lemurib. nocturnis sacer, tecto arcebatur. Atq; ut ille confinibus satisfaceret, candens ferrum manibus portauit: ac cùm non uiolaretur, insontem se comprobauit: nihilominus tamẽ in agris frumenta eius in aceruos compositos, idem lar contaminatus ac perditus combussit: & cùm odiosus indies magis atq; magis esse pergeret: coacti pagani rem ad pontificem Moguntinum deferunt. Sacerdotes missi, agros, uillas, sacris comprecationibus ac solennibus, lustrali aqua, saleq; lustrico expiant atq; conlustrant. Prauã ac conturbata mens primò quidem renitebatur, ac lapidibus quosdam uulnerauit: uerùm diuinis carminibus incantatus, efficacibus q; supplicamentis adiuratus, tandem conticuit, nec usquam gentium apparuit. Vbi discesserunt mystæ, spiritus ater atq; pestilẽs rursus adest: Interim dum illi, inquit, caluaestri sacrificuli, nescio quid immurmurarẽt, sub lineo amiculo sacerdotis (nominatim hunc notabat) qui meo suasu filiam hospitis sui superiore nocte cõpressit, delitui. atq; hisce relatis, ingenti edito eiulatu, umbra ferialis ex illis migrauit sedibus, loca ritè lustrata reliquit, tenuesq; euanuit in auras. Sigebertus, Martinus, Chronicon Hirsaugiense, Antoninus, Auentinus lib. 4.

In Cracouiensi tractu ad LACVM quendam peramplum, infestatione dęmonum piscationibus & usibus hominũ exẽtum, & hyberna glacie concretum, uicinos cum sacerdotibus uexilla, cruces, & reliquias sacras, quibus uis dæmonũ propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia cõuenisse tradũt anno Christi MCCLXXIIX. Immisso autem reti, primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus, tres piscículos, altero nihil nisi rete cõuolutum, tertio deniq; monstrũ horrendũm caprino capite, & in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse: ac toto lacu discursans, terribilem strepitum ac sonitum edidisse: afflatosque ab eo nonnullos homines, fœda ulcera retulisse. Cromerus libro 9.

Apud AQVILONARES populos solent nocturni uiatores, gregumq; & armentorum excubiis intenti, portentis diuersi generis circumfundi mirisico cõcentu. Hunc nocturnum monstrorum ludum uocant incolæ Choream Eluarum: de quibus eam habeãt opinionem, quòd animi eorum hominum, qui se corporeis uoluptatibus dedunt, corporibus illapsi circum terram uolutentur. E quorum numero credũt eos esse, qui se adhuc nostro seculo in effigie humana accõmodare solent ministeriis hominum nocturnis horis laborando, equosq; & iumenta curando. Vestigia certè harum laruarum manè interdum in herba rosida deprehendũtur, interdum uerò ceu igne exesa conspiciũtur. Olaus Magnus lib. 3. cap. 11. Sept. gent.

In ISLANDIA insula sub polo Arctico, promontorium est ꝓ instar Aetnæ perpetuis ignibus æstuat. Ibiq; locus esse crẽditur pœnæ expiationisq; sordidarum animarũ. Illic nempe submersorum, siue alio uiolẽto casu enectorum spectra sese offerunt congressibus notorum hominum tam manifesta, ut tanquam uiuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum data dextra. Nec deprehẽditur error, priusquam disparuerint umbræ. Incolæ plurimum præsagiunt fata principum, quidũ remotius in orbe peragitur, reuelationibus apparentium spectrorum. Olaus Magnus lib. 2. c. 3.

ARX est in extremis terris Finlandiæ suppolaris, regno Suetiæ subiecta, Noua arx dicta, eò quòd miris ingenijs extructa, arte naturaq; munita sit: nam in rotundo monte collocata est, unicum habens introitum, & exitum uersus Occidentalem partem: idq; per ratem grandibus catenis ferreis alligatã, quæ forti labore singulis diebus trochlearum beneficio, ob aquarum impetum, per noctem à custodibus ad unam partem fluminis attrahitur. Hoc castrum præterlabitur uastissimus fluuius inscrutabilis profunditatis, ex Albo lacu descendens: à fundò nigri colõris efficitur, præsertim in circuitu huius arcis, ubi omnes pisces nigros habet, & generat, non tamen ingrato sapore. Tandem uerò nigrum

lacum

lacum efficit, transiens per Viburgum. Ad hunc fluuium spectra subinde apparent, & imminente morte præfecti arcis uel militis alicuius, citharœdus per hoctem in medijs undis ludens conspicitur & auditur. Olaus lib. 20. cap. 19. & 20. Gentium Septentr.

STERLINGI arx in inferiore Calidonia, mons Dolorosus olim dicta, quòd noctu illic gemitus & clamores exaudirentur. H. Boethius lib. 4. Scotorum historiæ.

DOMVM horrendis umbrarũ figuris infamem à se habitatã Romæ Alex. ab Alex. lib. 5. c. 23. narrat.

Augerius Ferrerius medicus Tholosæ elegantes AEDEIS & bono loco ad Bursam sitas minimo conduxit, anno M. D. LVIII. quia malignus spiritus inquilinos earũ infestabat. Sed cùm illud audiuisset, quod nunquam crediderat, non posse tutò adiri cellam, nec quietem interdum capi: monitus Lusitanum quendam studiosum in urbe esse, qui res occultas in ungue pueruli uidendas exhiberet, fecit ut studiosus ille sua arte uteretur. Puella uerò consulta dixit, mulierem à se uideri ornatam accuratissimè preciosissimis catenis & auro, quæ ad columnam quandã manu gestabat tædam. Itaq; Lusitanus respondit medico, ut in cella ad columnam humi curaret fodi, thesaurum ab ipso inuentum iri. Gaudens medicus fodi iussit: sed cùm thesaurum inuẽtum propè cogitaret, exsurgens turbo exstinxit lucem, & spiraculo cellæ exiens, ad 14. pedes pinnarum fregit in propinquis ædibus, quarũ pars in prothyrum corruit, pars in cellæ spiraculum, pars in mulierem ferẽtem aquam, cuius hydria effracta est. Nihil posteà à spiritu auditum unquã. Lusitanus postridie factus de re tota certior, thesaurum dixit à spiritu exportatum esse, mirari sese quòd medicũ non offenderit. Hæc die XV. Decembris anno MD LVIII gesta sunt, claro & sereno cœlo. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 3.

Petrus Mamorius in Gallia narrat Confollenti ad Viennam fluuium historiam accidisse in Caplandi cuiusdam ædibus anno MCCCC LVIII. diabolum, qui animam defunctæ se esse prædicabat, gemitibus, clamoribus & querimonijs omnia compleuisse, monentem habendas preces, peregrinationesq; obeundas, & res ueras plurimas reuelãtem: sed dicente ei quodam, Si tibi uis haberi fidẽ, dic Miserere mei Deus secundùm, &c. respondisse, Hoc à se fieri non posse. Tunc iudificãtibus ipsum ijs qui adstabant, fremebundum aufugisse. Bodinus lib. 3. Dæmon. c. 6.

Ab Hostibus.

THESSALIA regio facilis occupatu: cùm obstructo uno Peneiaueo, tota aquis submergi possit. Vide Tit. Regiones fluminibus abundantes.

In ANGLIA Daci prædones incursantes, à Bitricho rege Occidentalium Saxonum repelluntur, anno Domini 784. Sed illi cognita soli ubertate, haud multo post reuersi, cum Anglis de possessione certantes, bonam partem eius terræ occuparunt. atq; ita regnum Northumbriæ à 785. triginta & ampliùs annis, tam finitimorũ quàm Barbarorum iniurijs expositum fuit. Polydorus lib. 4. Anglicæ historiæ.

Belluarum incursu.

NORVEGIÆ litus à castro Vardhus infestum est uerno tẽpore balenis uastę magnitudinis, adeo quòd ad centũ perueniunt cubitos. Hæ tunc gregatim conueniunt ad prolificandum. Naues quæ uel in earum corpora, uel in uortices aquarum, quos hæ faciunt (instar Charybdis) agitatione sua, delatæ fuerint, periclitantur. Remedium est autẽ nauigantibus, castoreum dilutũ aqua, & in mare effusum. Hoc, tanquam aconito, petitus grex balenarum, totus repente dissipatur, & in profundum fertur. Rugiunt horrendum: spiracula duo habẽt in summa fronte, patentia ad cubiti proceritatem, hæc tecta sunt folliculo: respirantes efflant undas in modum densi nimbi. Spina dorsi reperitur cõtinens amplexu ulnas tres, internodia singula unam, longę minus cubitis LX. Zieglerus in Scondia.

A Serpentibus.

Vide Titulum, Serpentes ubi.

SALVBRITAS. LOCA

SALVBRIA.

Minerua in urbe ATHENARVM ædificãda loci salubritatẽ, aeris q; subtilitatem, fœturæ ingeniorum accommodatissimam, secutã est. A Platone in Timæo, atque in Menexeno traditur, Atticam esse ingeniorum fertilitati præcipuè accommodam. Panætius eius rationem in aeris reiecit temperaturam. Longinus ex loci qualitate putat euenire, permixta ex multis, atque occulta. Origenes, qui Timæum est interpretatus, cœlestibus adscribit aspectibus atq; influxibus: quoniam octauo de Republica Plato scribat, cœlestes quosdam circuitus esse causas fertilitatis ac sterilitatis tum corporum, tum animorum. Proculus uerò ac Porphyrius, animam mundi putant alibi alias uires imprimere, ac peculiaria quædam uelut hospitia parare: tum deos uanos ea illustrare loca. Cœlius lib. 10. cap. 20. A. L.

LOCRIS & CROTONE pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo terræmotu laboratum, annotatum est. Plin. lib. 2. c. 96. Strabo lib. Geographiæ 6. tradit, prouerb. Κρότωνος ὑγιέστερον, hinc ortum, quòd Crotoniatarum locus longè saluberrimus olim fuerit iudicatus, uel hoc argumento, quòd breui temporis spacio quàmplurimos produxerit tum athletas, tum philosophos: hoc est, corporibus pariter atque animo præstantes uiros: inter athletas præcipuum Milonem, inter philosophos Pythagoram. Idem codẽ libro tradit, Myscellum & Architam pariter Delphos adijsse, ut de urbe condenda cõsulerent oraculum: & alterutrum pollicente deo, Architam opes delegisse, Miscellum loci salubritatem: illũ itaq; Syracusas condidisse: hunc Crotonem. quarũ urbium altera cessit in prouerbium opulentiæ, altera, salubritatis. Erasmus in Chiliadibus.

TEMPSIS locus in cacumine Tolimmontis, ubi uulgò CL annis uiuunt. Plin. lib. 7. cap. 48.

AFRI ob aeris temperiem maximè salubri sunt corpore. Vide Tit. Studium conseruandæ sanitatis.

Salubritas cœli per omnẽ HISPANIAM æqualis est, nullaq; paludum graui aeris nebula inficitur, ut plures orbis regiones. Tanta deniq; (ut Straboni placuit) in ea terra aeris puritas est, ut in ea prouincia non facilè noxium animal reperiatur. Temperies item eius tam à priscis seculis est laudata, ut quidam Elysios campos non procul ab ea posuerint. Ibi enim mites Zephyri flant, ibi uita ducitur facilima. nam ad eam marinæ auræ accedunt, undiq; assiduiq; uentorum flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus, optata omnibus sanitas conciliatur. Rodericus Santius lib. 1. hist. Hispan. cap. 1.

VENETIIS ea pars urbis, quæ ad D. Nicolai phanum est, pestilentiæ minùs obnoxia est, & magis longæuos homines producit. Egnatius lib. 8. Exempl. cap. 4.

ORCADES insulæ ultra Scotiã insulanos statura proceros, & sano semper corpore pariter ac mente degentes, ualdeq; longæuos producunt, etsi piscibus ut plurimùm uictitent, terra continuò propemodũ frigore obsita. Polydorus lib. 1. & H. Boethius in Scotia.

SCOTIA olim & à pestilentia & ab omni penè febrium acutarum genere libera fuit. Posteaquam uerò omissa patrum parsimonia, in omnem ingluuiem sunt dilapsi, sese cunctorum morborum iniuriæ obnoxios fecerunt. H. Boeth. lib. 9.

MOSCHOVIÆ cœlum adeò salubre est, ut ibi ultra Tanais fontes, præsertim Septentrionem, ac etiam Oriẽtem magna ex parte uersus, nulla pestis unquam sæuierit: habent tamẽ intestinorum & capitis omnium, membrorum morbum quendam, pesti haud dissimilem, quem nos febrim calidã siue acutam appellamus. Eorum uerò idiomate hic morbus Ognyouua quasi ignitus dicitur, quòd homines uelut ignis calefacit. Guagninus in descriptione Moschouiæ.

INSALVBRIA.

Est apud Phrygiæ HIERAPOLIN terræ hiatus, ex quo sese promens spiritus lethalis, quicquid accesserit propiùs, pernecat confestim, spadonibus modò exceptis: cuius ratio aut difficilis est, aut supra hominis captum. Cœlius libro 13. cap. 29. A. L.

Hippo Reginus, de locis quæ res incidentes perdunt, sic scribit: Olympiade XXXVI in Sicilia apud PALECIOS locũ exædificatum fuisse, in quem si quis ingressus se reclinasset, mortuus fuerit: sin obambulasset, nihil mali passum. Traditur etiam apud Leucen insulam nulla uolucris superuolare posse ARAM Achillis. Multis locis uidetur uoraginum, seu quæ Charonia uocentur, esse genus: ut fossa quæ Cimbrica uocatur in Phrygia, Eudoxo teste: & fossa in Latmo. Antigonus in Mirandis nar.

Soracti oppidò Italiæ uicinus tractus spiritum uolucribus lethalem emittit. In SINVESSANO agro & Puteolano spiracula sunt mortiferum spiritum exhalantia etiam homini, quas alij Charoneas scrobes uocant. Item in Hirpinis Ansancti, ad Mephitim locus est, quem qui intrauerẽt, moriuntur. Simili modo Hierapoli in Asia, Matris tantùm magnæ sacerdoti innoxius. Plinius lib. 2. cap. 93.

In SARDINIA insula turbidus, & omnino pestilens est aer. In causa est concretus ibi sal, ac prægrauis, & uiolenter incumbens Auster. Obstant præterea prealti montes, quo minus à Septentrionibus flantes uenti, cœli & terræ uaporem æstate anni tempestiuo frigore leniant. Existimant tamen alij Corsicam insulam, quæ à Sardinia non amplius quàm decem stadia lato mari diuiditur, excelsis se undiq; montibus attollentem, Fauonio & Aquiloni obtendi, quò minus eorum in Sardiniam flatus peruadant. Serpẽtes certè neq; hominum generi infensi, neque uenenei expertes, aut lupi uspiam in ea insula gignuntur. Pausanias in Phocicis.

Clearchus Heracliensium in Ponto tyrannus, ut ciues suos blanda ratione è medio tolleret, sub Caniculã eduxit exercitum, urbẽ ASTACVM oppugnaturus. Et ciues quidẽ in planitie paludosa castrametari iussit: ipse, quasi summam oppugnationis molestiam toleraturus, cũ mercenarijs excelsa loca & umbrosa, aquis affluentia cepit, & in ijs castrametatus. Et eò usq; oppugnationem extendit, donec suos ciues perdidisset: quia æstiuo tempore palustria morbosa sunt. Postquam autem omnes perierunt, tunc cum mercenarijs etiam mouit, pestiq; causam ciuium interitus assignauit. Polyæn. lib. 2. & Sab. lib. 8. En. 4.

ACADEMIA locus insalubris à Platone ad coercendam libidinem frequentatur. Vide Tit. Medicamentis libidinem domare. Cùm quidam ex medicis Platoni consilium daret, ut relicta Academia, loco pestilentissimo, in Lyceum scholam transferret: nequaquam obtemperauit, dicẽs, se producendæ uitę causa ne in Atho quidem summitatem transmigrare uelle. Aelianus lib. 9. de Varia historia.

Stratonicus musicus SERIPHI agens, hospitem suum percontatus est, Ob quã causam illic homines iuberentur uertere solum? quum ille respondisset, flagitiosos apud Seriphios exilio mulctari. Quin tu quoq;, inquit, aliquid flagitij committis, ut ex his locorum angustijs emigres? Notas regionem esse incommodam, & oppidũ frigidum. Eras. 6. Apoph. Idem cùm in Mylasam peragrasset, multaq; templa & paucos homines reperisset, in medio foro consistens inquit, Audite templa. Athen. lib. 8. c. 7.

PELLA ciuitas lienosos multos facit. Hinc Stratonici iocus apud Athen. lib. 8. cap. 7.

CAVNVM Lyciæ urbẽ, cùm regio ualde felix sit, omnes consitentur & æstate & autumno grauem esse, propter æstus ac pomorum copiam. Itaque Stratonicus citharœdus uidens Caunios colore admodum uiridi, dixit hoc illud esse quod poeta inquit, Iliados ζ.

Οἷν περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum. Cùm uerò illum incusarẽt, quòd urbem ut morbidam carperet: Ego (inquit) eam morbidam dicere ausim, ubi mortui ambulant? Strabo lib. 14.

Sergianum, Hetruriæ oppidum, creuit ex ipsis LVNÆ antiquæ urbis ruinis, quum incolæ pestilenti eius litoris aura, quæ maximè ad Macræ ostium uergit, uehementer offensi, ædificia in editiorem locum subduxissent. Iouius lib. 1. Hist.

MAGNIFICENTIA.

Loca Magnifica ut sunt, respectu Efficientis, sub Magnificentiæ loco comprehendimus: ut uerò sunt atq; locant, huc pertinent.

De septem orbis MIRACVLIS inquit Cœlius lib. 23. c. 6. A. L. Inter septem orbis miracula connumerantur, Dianæ inprimis Ephesiæ templum: inde Mausolæum, hoc est, Mausoli sepulcrum: Colossus solis apud Rhodios: Iouis Olympici simulacrum, quod Phidias fecit ex ebore: muri Babylonis, quos excitauit regina Semiramis: Pyramides in Aegypto: Obeliscus Semiramidis Babylone CL pedum longitudine, latitudine uerò XXIIII. Ex ueteribus tamen non omnes eadem sensere: nam ex ijs, quæ recensuimus, aliquo expuncto, sunt qui Cyri regis archium substituãt, quod arte prodiga Memnon sit confabricatus, illigatis auro lapidib. scuti Cassiodorus scribit. Inueni qui urbis Romæ Capitolium hisce inseererent miraculis: cuius excellentiã mirè effert Ammianus Marcellinus, ubi ait, Serapeum Alexandriæ atrijs & columnis amplissimis, ac spirantibus signorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se uenerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum cernat ambitiosius. Erat tamẽ in Vrbe uetus Capitolium & nouum: & hoc quidem regione sexta, octaua illud. In Capitolio præterea deorum omnium simulacra celebrabantur. Sed & pensiles Babylonis hortos in hanc censuram plerq; admittunt.

LABYRINTHI fuerũt quatuor, Aegyptius in Heracleopolitę nomo, prope stagnũ Mœrin, nõ procul ab urbe Crocodilorum, ut auctor est Herodotus, qui se eum uidisse testatur. nec mirum: adhuc ætate Diodori Siculi, Plinij quoq;, extabat. describitur ab ipsis, & Strabone, ac Mela. Herodotus maiorem ait esse fama & Græcorum narrationibus. Psammetici opus fuisse Mela scribit. Plinius uarias sententias adducit. Nam alij putarũt esse Petesuci, alij Tithois, & esse qui regiam fuisse Motheridis narrent, ut Demoteles: Lycias sepulcrum Mœridis: plures Soli sacrum id extructum, quod maximè creditur. Ad exemplar huius Dædalus in Aegypto educatus Cretensem fecit, Diodoro & Plinio auctoribus, sed centesimam tantùm Aegyptij partem imitatus, & tamẽ hunc ambagiosissimum fuisse, Plinius quoq; docet, ut descriptionem eius prætereamus, apud Ouidium 8. Metam. Sed Philochorus apud Plutarchum labyrinthũm Cretæ tantùm putat fuisse carcerem, ex quo effugere non possent qui asseruarentur, cuius sententiæ uidetur esse Palæphatus. Tertius fuit Lemnius, opus Zmili & Rholi & Theodori architectorum. Plinius extare eius uestigia dicit, cùm Cretensis & Italici nulla extent. Italicus porrò fuit quartus sub urbe Clusio, quemadmodũ M. Varro dicit, Porsenæ regis Ethrusci monumentum. Viues lib. 18. de ciu. Dei, c. 13.

FELICITAS. HVC LOCA

FELICIA.

Consule locum Felicitatis.

INFELICIA. RATIONE HABITA

Ortus.

Vide Titulum, Patria obscura.

Mortis.

Locus, ubi cædes CÆSARIS dictatoris est patrata, in quo coactus fuit senatus, ubi statua erat Pompeij locata, dedicatus à Pompeio inter ornamenta, quæ theatro prætexuerat, satis ostendit, numinis cuiuspiam auctoris & trahentis illuc, negotium, factum illud fuisse. Quinetiam C. Cassius fertur, quamuis ab Epicuri doctrina non abhorreret, eam statuam ante aggressionem respiciens, tacitus Pompeium inuocasse. A percussoribus impulsus ad basim statuæ, eam largo cruore respersit. Plutarchus in Cæsare.

Hostilis irruptionis.

Epimenides Cretensis Athenas expiandæ pestilentiæ causa ueniens, ubi Ignotis dijs aras erexit, MVNYCHIÆ situm aspiciens, uaticinatus est, locum illũ grauissimarũ calamitãtum aliquando occasionem fore, quas si uel præsentes uiderent, uel futuras crederent, suis ipsi dentibus eum demolituri potiùs quàm munituri essent Atheniẽses. Plutarchus in Solone.

Chilon Lacedæmonius CYTHERAM insulam Laconiæ adiacentem, mari submersam quàm extantem, Spartanis conducibiliorẽ fore asseruit. Eam certè si Xerxes, ex Demaratĩ Spartani consilio, classe occupasset, & Lacones domestico bello ab auxilio reliquis Græcis ferendo distinuisset, facile Græciam subigere potuisset. Herod. lib. 7.

Cùm Cantuariensis pontifex D. THOMAS sede patriaq; eiectus, cum in portum locumque nondum opere munitum transmisisset, quẽ postea Calicium uocatum Philippus Comes Bononiensis, D. Ludouici regis Francorũ patruus, muniuit, murisq; cinxit: diuinitùs cecinit, illam futuram arcem atrocissimi ac funesti in aliquot ætates belli inter Gallos & Anglos. Aemilius lib. 7.

Situs, Climatis.

Diogenes, quodam ei exprobrante, Te SINOPENSES Ponto exulem esse iusserũt: At ego, inquit, illos hac damno pœna, ut in Ponto extremisq; Euxini litoribus inclusi perpetuò maneant. Diogenes mutarat patriam, sed meliùs: exulabant potiùs, qui infelici regioni erant adscripti. Laertius lib. 6. Brusonius lib. 2. cap. 29.

VOLVMINIS VIGESIMITERTII
FINIS.

THEATRI
HVMANAE
VITAE

Vol. Vigesimumquartum
Chronicum

DE
TEMPORE Humanas Actiones
& Passiones men-
surante

DVOBVS LIBRIS
differens.

NOBILI IVRECOSS.

IO. LINSMAIERO

CAROLI

Auſtriæ Archiducis Conſiliario
Fiſciq. aduocato
Methodi Apodemicæ ſuſceptori liberaliſs.

THEOD. ZVINGERVS

corollarij loco

METHODVM Chronicam

XXIV.

Theatri Volumine duobus
Libris delineatã

QVORVM

I. *De* TEMPORE, *reſpectu* NVMERANTIS *conſiderato, agit*

II. *De* TEMPORE, *habita ratione* NVMERATI, *diſſerit*

Socratica quadam ambitione
ſed grati interim animi
ſignificatione

D D Q

TOMI XXIIII. LIBB.

DISPOSITIO.

TEMPVS *numerũ eſſe motus ſecundũm prius & poſterius, Philoſophi definiunt. De eo nos, tanquã de altero Accidente cõmuniſſimo Humanæ uitæ, duob. agemus libris. Priore quidem, de* TEMPORE *conſiderato reſpectu* NVMERANTIS: *poſteriore uerò de* TEMPORE *conſiderato reſpectu* NVMERATI. *Res eadem, reſpectus diuerſus.* V.C. *Annus, cui Fertilitas: Menſis cui Felicitas accidit. & uiciſſim Fertilitas quæ in Anno, & Felicitas quæ in Menſe ſpectatur.*

LIBRI PRIMI

TITVLI.

- De Tẽpore agendũ conſiderato reſpectu Numeranti, tum
  - Principis, qui numerat. TEMPVS reſpectu PERSONAE Menſurantis, quoad
    - Subiectum *quod numerat, ſiue tempore metitur,*
      - Præterita. Præſentia. Futura.
      - Certa, Stata. Incerta.
      - Multa. Pauca. Longa. Breuia.
    - Finem. Numerat causa
      - Cognitionis, *ut nota ſibi faciat ea, quæ alioqui ignota forent. Sic Olympiadẽs inſtitutæ ad intercalationis memoriam.*
      - Actionis, *ut ipſa temporis nota monitus ad agendum patiendúmue inſurgat.*
    - Modum. Numerans numerum ſiue menſuram hanc temporis
      - Orditur *à principio certo, quam Radicem uocant.*
      - Cuſtodit
        - Nodis.
        - Clauis. Imaginibus.
        - Scriptis.
  - Inſtrumẽtalis, ſiue Inſtrumẽti per quod mẽſurat. Sic Numero ipſum Numeratum, Tempori Res ipſa quæ eſt in tẽpore accommodatur. Menſura iſta ut Motus uniuerſalis accidens eſt, ſic Inſtrumentum ad Motum particularẽ menſurandum accommodatũ. V.G. Dies motus ſolaris mẽſura tanquã accidẽs: eadẽq; ut mẽſura quarũuis actionum humanarũ, quæ eo die cõtingere poſſũt. Inſtrumenti igitur iſtius perpẽdenda eſt
    - Inſtitutio. TEMPORIS inſtitutio, conſtitutio, deductio: naturã primũ, à motu Solis tãquam regis luminarium reliquorum omnium, deinde arte & uoluntate hominum conſtans. Ergo ratio habẽda Temporis ut numerus eſt Motus Solaris
      - Singillatim, *quo ad illius*
        - Initium.
        - Deductionem.
      - Coniunctim, *ut ſeriatim ſeſe conſequuntur anni.* Huc Cyclus ſiue ſpaciũ annorum
        - Quatuor: *Olympias.*
        - Quinque: *Luſtrum.*
        - Septem.
        - Octo. Octoeteris. Nouem: Enneaterĩs.
        - Decem.
        - XV.
        - XIX. Enneadecaeterĩs.
        - XX. XXX. XL. L. LXXVI.
        - C. Seculum.
        - CCCIV. D.
        - M.
        - MM. Aeuum.
    - Alieni, *quatenus ab Occaſu in Ortũ, ad Influxuum cœleſtium uarietatẽ exprimendam, motu primi mobilis rapitur, et annuo demum ſpacio ad idem punctum Zodiaci reuertitur. Sic* ANNVS *conſiderandus*
      - Totus, *à Solis itu & reditu ad idem Signum Zodiaci. Et uel Annus*
      - Per *partes, quas Luna lunationibus duodecim interciu ſuo diſtinguit.* MENSIVM *conſideratio*
        - Simplex, *tum*
          - Explicando.
          - Conferendo.
        - Coniuncta, *ut ſeriatim ſeſe menſes conſequuntur per*
          - Triadas. *Sic in quatuor Triadas Annus diſtribuitur.*
          - Hexadas. *Sic in duo Semeſtria.*
    - Proprij, *quatenus ab Oriẽte in Occidẽtẽ, ad Lucis & Tenebrarũ perpetuã alternationem, per Diẽ naturalẽ fertur, cõſiderando*
      - Totum, *à Solis ortu ad eiuſdẽ reditũ. Sic* DIES
        - Singillatim.
        - Cõiunctim & ſeriatim ſeſe conſequẽtes per
          - Tetradas.
          - Hebdomadas.
      - Per *partes, anni partibus reſpondentes. Vnde nomẽ traxere* HORARVM. *Horæ 24. diei conſideranda*
        - Singillatim.
        - Coniũctim, *cùm aliæ ſint*
          - Illuſtres, *Diurnæ XII. in quatuor partes, trium horarum ſingulas, ſubdiuiſæ.*
          - Tenebricoſæ, *Nocturnæ totidem, in totidem partes tributæ.*
  - Vſurpatio, *Vſus Chronologicus. Vide ſignum I.*

I. De Tempore usu chronologico, ad præteritorũ memoriã conseruandam, ad præsentiũ & futurorũ actiones passiones ue obseruandas, agemus, suppositis Temporis ipsius differentiis. nimirum de VSV CHRONOLOGICO

- ANNI considerati
  - SINGILLATIM
    - Totaliter, Huc Anni insignes
      - Vitæ humanæ decursu & mutatione Clim a Clerici.
      - Abundantia, Fertilitate.
      - Fame. Pestilentia.
      - Bellis. Bonis & Malis: Felicitate & Infelicitate.
    - Secũdùm Partes suas quatuor, secundùm
      - Ver.
      - Aestatem
        - Calidam, Siccam.
        - Frigidam, Humidam.
      - Autumnum.
      - Hyemem
        - Mitem
        - Sæuam.
  - CONIVNCTIM, per quaternarios, quinarios, septenarios, denarios, centenarios, millenarios. Quo spacio metimur publicam priuatãmue
    - Felicitatem in
      - Genere. Seculum felix.
      - Specie. Seculum felix
        - Literatura.
        - Pietate, Sanctimonia.
        - Iustitia. Annonæ prouentus.
        - Salubritate.
        - Pace, Tranquillitate publica.
    - Infelicitatem in
      - Genere.
      - Specie. Seculum infelix
        - Monstris.
        - Bellis.
        - Barbarie.
- MENSIS considerati uel ut
  - Totus
    - Singulariter, respectu
      - Vtẽtis:
        - Hebræorum
          - Primus.
          - Secundus.
          - Tertius.
        - Athenienſium, primus, secundus, tertius.
        - Romanorum, primus, secundus, tertius.
      - Vsus. Menses
        - Felices.
        - Infelices.
    - Collectiuè per
      - Trimestria.
      - Semestria.
  - Partes habet quatuor:
    - Nouilunium.
    - Crescentem.
    - Plenilunium.
    - Decrescentem.
- DIEI, considerate uel ut ipsa
  - Pars est temporis maioris, Septimanæ sc. Mensis, Anni. Sic rursus perpendũtur Dies uel quatenus
    - Conueniunt ratione communi. Vide signum II.
    - Discrepant fluxu annuo, qui CCCLXV. dierum termino circumscribitur, per XII. mensium curriculum: quorum alij XXX. alij XXXI. unicus XXIIX. dieb. constat. Quæ quidem series dierum à Calendarum duodenaria repetitione Calendarij nomen apud Rom. obtinuit. DIERVM usus chronologicus secũdùm Calendarij seriem consideratorum. Quæ acciderunt die
      - Ianuarij
        - I.
        - XX.
        - XXX.
      - Februarij. Martij.
      - Aprilis. Maij.
      - Iunij. Iulij.
      - Augusti. Septembris.
      - Octobris. Nouembris.
      - Decembris.
  - Partes habet. DIERVM usus secundùm Partes suas consideratorum. Sic ea quæ acciderunt
    - Interdiu
      - Mane. Meridie.
      - Pomeridiano tempore.
      - Vespera.
    - Noctu: Vigilia
      - Prima.
      - Secunda.
      - Tertia.
      - Quarta.
- HORAE, consideratæ ut
  - Tota.
  - Partes habet.

II. DIE-

II. DIERVM Vsus Chronologicus secundùm motum in quo conueniũt, uel

- Naturalem, ut partes sunt eiusdem
  - Anni. Sic ergo obseruatur Dies annui motus Prima, Vltima: Solstitiorum, Æquinoctiorum.
  - Mensis. Sic communicant inter se Mensium dies apud
    - Hebræos.
    - Græcos.
    - Romanos
      - Calendæ. Nonæ. Idus.
      - Dies precedentes uel sequentes Calendas, Nonas, Idus.
  - Hebdomadis. Sic inter se affinitatem habent dies à Planetis denominati.
- Non naturalem, ab humanis Actionibus Passionibusue dependentẽ. Sic conueniũt dies respectu
  - Negotij & Otij in genere. Dies fasti, nefasti.
  - Religionis, apud
    - Iudæos.
    - Christianos. Vt quæ contigerunt dies
      - Natiuitatis. Paschatis. Pentecostes.
      - Corporis Christi. Crucis.
      - Laurentij. Dominici. Michaelis.
    - Ethnicos.
  - Felicitatis. Dies eadem
    - Numero
      - Simpliciter
        - Felix
          - Eidem, uel
            - Vno boni genere.
            - Pluribus.
          - Diuersis, uel
            - Vno.
            - Pluribus.
        - Infelix
          - Eidem, siue
            - Vno mali genere.
            - Diuersis malis.
          - Diuersis.
      - Mixtè, Felix & Infelix.
    - Specie, Vel
      - Simpliciter
        - Felix Eidem ob
          - Memoriam boni, quod semel contigit.
          - Vsum, Recursum Felicitatis, v.g.
            - Victoriæ.
            - Triumphi.
            - Ortus & Triũphi.
        - Infelix
          - Eidem ob
            - Memoriam eiusdem.
            - Recursum Infelicitatis diuersæ.
          - Diuersis.
      - Mixtè, Felix & infelix.

Voluminis Vigesimiquarti Liber I.

DE TEMPORE considerato respectu NVMERANTIS.

TEMPVS CONSIDERATVM RESPECTV PERSONAE NVMERANTIS. NEMPE

QVID NVMERET.

Si Aetatẽ numerantis & rei numeratæ perpẽdas, uel Præsentia numerabit, uel Præterita, uel etiã Futura. Si Cognitionẽ numerãtis. Certa uel Incerta. Si Quãtitatẽ numerati, Multa uel Pauca: si eiusdem Motum & Fluxum, uel Longum erit uel Breue tempus.

CVR NVMERET.

Olympicum certamen quarto quoq; anno celebrabant Græci Elide, exotericè quidem ut de publicis negotiis consultarẽt: acroamaticè uerò, ut memoria diei intercalaris ex quatuor quadrantibus collecti conseruaretur. Ioannes Garcæus de Tempore, canone duodecimo.

QVOMODO NVMERET,

Numerũ tanquã Mensuram

ORDIENDO. RADIX, ΕΠΟΧΗ Temporis.

HEBRÆI nunc à Mundi exordio numerare solẽt, nũc à Diluuio, qd incidit in an. ab O. C. 1600. nũc ab exitu Israelitarũ ex Aegypto, an. Mundi 2453. Diluuij uerò 797. secundùm Mercatorem. Postea à prima templi Salomonii ædificatione, an. M.2933. cœpti: quod duraui usq; ad annũ M.3362.

& captiuitas Babylonica subsecuta per an.70. Quibus exactis, soluta captiuitas A. M.3432. Inde secundo templo à Nehemia extructo A. M. 3450. ab eo interdum numerantur. Iam cùm Herodes A.M.3948. regni sui 18. nouam templi extructionem inchoarit, ab eo posteriores interdum numerare uoluerunt. Quod 88. pòst anno, Mundi 4036. euersum est. G. Mercator in Chronologia.

Quidam à Salmanassare, quem Nabonassarum Ptolemæus uocat, Assyriorum rege, decem tribuum abductore: qui in Assyria regnare cepit an. M.3220.

In sacris quinetiam anni Seleucidarum regum, ab Seleuco Nicanore (qui Babylone occupata, Asiæ diadema capiti suo imposuit, anno post Alexandrum duodecimo, Antiochiãq; condidit) ordiuntur, anno Mundi 3659. A quo an.170. Iudæi sub iugo Gentilium fuerunt. Quo excusso, & Demetrio Nicanore per Simonem Machabæũ reconciliato, Iudæi deinceps synagogis suis cõtractuũ, ac perscriptionum annum Simonis Pontificis max. ducis ac principis Iudæorum adscribere ceperunt. 1. Machab. 13. Mercator.

AEGYPTII & PERSÆ certam ἐποχὴν, seu radicẽ temporum nullam habuerunt, sed regum ætatib. tempora definiebant.

GRÆCI uel à Troiæ excidio, quod accidit an. mundi 2784. uel ab Heraclidarum descensu siue reditu in Peloponesum, quando Pelopidas expulerunt, an. mundi. 2864. Postremò ab Olympiadibus an. mundi 3187. secundùm Garcæum, at 3192. secundùm Mercatorem. Erat autem Olympias spaciũ quatuor annorum, cuius primus, secũdus, tertius, quartus annus numerabatur, quo ipso Olympiæ conueniebant ad ludos in honorem Iouis institutos spectandos, & dies intercalaris inserebatur. Incipiebat autẽ Olympias à meridie primæ diei primi mensis Græcorum, cui ferè prima Iulij congruit: uel à plenilunio, quod solstitio æstiuo proximum est. Io. Garcæus. Ait incertam planè fuisse hanc numerandi rationem Plut. testatur: quandoquidem primus eorum exscriptionem serò est adortus Eleus Hippias, nullo admodum subnixus ad fidem necessario argumento. Cælius libro 13. capite 17. Antiq. Lect.

Antiquitùs apud ATTICOS consueuerant annos ac numerũ accedentem à Dionysiis numerare. Iterabantur ea tertio quoque anno. Vnde Vergilius Trieterica uocat.

ROMANI à Roma condita, anno M.3215. post Ilium captum 432. Olymp. septima. Quidam etiam ab urbe à regibus liberata. Regnatum enim est Romæ per an. 244. Expulsi reges A.M.3459. initio 68. Olymp.

CHRISTIANI serò admodum, circa annum Christi 600. à partu Virginis ἐποχὴν sunt exorti, qui partus incidit in A.M. 3965. V.C.750. Olymp.194 an.2.

DIONYSIVS Exiguus abbas Romanus ab XI. Cal. Aprilis an. sal. 532. anno Diocletiano 248. suos Paschales siue decem nouales cyclos exorsus est: idemq; primus instituit annos à natiuitate Domini computare, cùm hactenus à Diocletiano consueuissent Christiani, tanquam à summa persecutorum crudelitate, & pop. constantia. Ex Beda de ratione temporum, & Mariano Scoto G. Mercator.

Aera ALFONSI regis Hispaniarum cepit anno Christi 1251. Cal. Iunij. Mercator.

Mahometus cùm Meccæ emporio Arabiæ regnum affectare cepisset, pulsus inde, prædonum manu collecta Meccenses aggressus, quarta tandem obsidione urbe potitus, ciues omnes, qui Iudæi maxima ex parte erant, trucidauit, & regnum constituit. Proinde SARACENI & TVRCÆ ab hac fuga Mahometi (quam sua lingua Hegiram uel Alhigeiã uocãt, id est, peregrinationem uel expeditionem) ut quæ occasionem illi dederit colligendi exercitus, & regnum occupandi, annos suos numerare consueuerunt. Incidit autem in annum Christi 593. Augustinus Curio in historia Sarracenica. At Bodinus in Methodo histor. refert ad annũ sal. D.LI. Leo Afer uno tantùm loco libri tertij Hegiram ad annos Christi accommodauit. Gerardus uerò Mercator ad ann. 621. Heraclij decimum, ex Io. Lucido.

CVSTODIENDO.

CRETENSIVM fuit, lætos dies candido notare calculo, tristes atro: sed ante illos etiam THRACVM. Sab. lib. 6. cap. 2.

ROMANI annos numerabant, primùm per lustrum, quod quinto quoq; anno claudebatur: deinde per clauos, qui idcirco Annales uocabantur. Claui enim in pariete ædis Iouis ea parte qua erat templum Mineruæ (numerorum inuentricis) in singulos annos figebãtur, ut per eos numerus annorum colligeretur. Sanè lex priscis literis ac uerbis scripta erat, ut qui Prætor maximus esset, Idibus Septembris clauum pangeret: nam quia raræ per ea tempora literæ erant, notæ numeri annorũ, claui fuêre. VOLSINII quoq; clauos numerorum indices habuêre fixos in templo Nortiæ Hetruscę deæ. Postea Consules id officiũ fecêre, & postremò solenne claui figẽdi ad Dictatores translatũ est. At more intermisso, cùm post longum tempus pestilentia laboraretur, & seniorum memoria repetitum foret, aliquãdo eum morbum sedatum fuisse, ob clauum à Dictatore fixum, eius rei causa L. Manius Dictator dictus est, qui T. Pinarium magistrũ equitum dixit. Polyd. lib. 1. cap. 19. de Rer. inuent.

Indictio tributi genus est apud Asconium & Plinium iuniorẽ, nec temporis cursum significare cepit ante Constantinum Magnum. Cepit autem anno Christi 313. ante diem VIII. Cal. Octobr. Cõstantino II. & Licinio II. Augg. Cos. idq; in fastis Græcorum scriptũ est his uerbis: ΙΝΔΙΚΤΙΟΝΩΝ ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΑΡΧΗ. quo, die Maxentius Augustus à Constãtino Magno cæsus est, & pax ecclesiæ Christianæ restituta. Enimuerò cùm parta de Maxẽtio victoria stabilem Ecclesiis pacem attulisse uideretur, gratio animo à Patribus decretum fuit in concilio Niceno, ut diplomatibus Indictiones ascriberẽtur, ut scribit Beda: propterea quòd nondum anno Christi utebantur, sed annis Imperatorum, qui quòd identidem mutarentur, planè incertã reddebant rationem temporum. Decretum est etiam, ut circulus Indictionum caperet XV. annos. Io. Bodinus Methodi histor. cap. 8.

PONTIFICES Romani ad diplomata, epistolas, libellos omnes, Imperatoris annos addiderunt. Primus Paschalis, hisce facilè præteritis, suæ potestatis numerum adscripsit. Auentinus lib. 6. Annalium Boiorum.

CAROLVS III. Imp. circa an. sal. 880. primus annos Christi seruatoris omnibus epistolis, libellis, diplomatibus addidit. Id usq; ad nostrum æuum hactenus obseruatum est. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

In Concilio Tarraconẽsi, anno Christi 1180. decretum, ut deinceps annus Dominicæ incarnationis in publicis instrumentis scriberetur, quum antea anni Francorum Regum scriberentur. Tarapha de regibus Hispan.

Apud Perpinianum oppidum, in Curia generali, 25. Decemb. 1351. fuit determinatum in Catalania, ne Calendæ à notariis in chartis scriberentur, nec ab incarnatione annus Domini, sed à natiuitate incoaretur. Tarapha de regib. Hispan.

TEMPVS CONSIDERATVM VT INSTRVMENTVM NVMERANS IN GENERE, quoad Institutionem Constitutionem, Deductionem, Conseruationem suam.

DIERVM CONSIDERATIO Singularis: Quo ad

PARTES.

Diei partes naturalis uariæ, hac serie à Io. Lalamantio proponũtur. Mediæ noctis inclinatio: Gallicinium: Conticinium: Quarta uigilia: Crepusculum matutinũ, ἕῳθρον βαθυ, Diluculum profundũ: Diluculum, αὐγή: Mane seu Aurora, diei principiũ: Dies clarus, ἥλιος αὐίχων: Meridies: Tempus occiduũ, Occasus Solis: Suprema tempestas, ἑσπέρα, Crepusculum: Vespera, ἑωὶ ἱερῆ, cũ tenebris Hespero ortur: Prima fax, πρώτη νὺξ, uel φυλακὴ, πρῶτος ὕπνος: Nox concubia, δευτέρα φυλακὴ: Nox intempesta, τρίτη φυλακὴ, Silentium noctis.

PRINCIPIVM.

ITALI & BOEMI diẽ à Solis occasu incipiũt: VMBRI & ARABES à meridie: ATHENIENSES & HEBRÆI à Solis occasu: BABYLONII ab exortu: ROMANI, AEGYPTII, GRÆCI à media nocte. Gell. li. 3. c. 2. & Plin. li. 2. c. 77.

DIERVM considerátio CONIVNCTA.

Apud Septentrionales olim quidam magica arte imbuti, THOR uidelicet & OTHINVS eius pater, diuinitatis sibi fastigium arrogarunt. Quo euenit, ut feriarum series apud Danos eorundem nominib. cẽseatur. Nam diẽ Iouis Thor, diem Mercurij Othini diem appellabant. Saxo lib. 6.

HORARVM CONSIDERATIO.

IVDÆI, ut horas noctis in partes quatuor, ita & diei similiter in quaterna spacia (quorum singula tres horas caperent) diuidebant. Et primum quidẽ spacium seu tres primæ horæ, Prima hora uocabantur, de nomine primæ horæ. reliqua tria spacia de nomine horæ ultimæ & præcedẽtis spacij denominationem accipiebãt, ut uerbi gratia, quia hora tertia Iudæorum finit primum quadrantem, secundus quadrans denominationem ab ea accipit; & Tertia hora dicitur. Tertius quadrãs hora Sexta dicitur de nomine horæ sextæ terminantis & claudentis secundum quadrantem. Quartus quadrans hora Nona dicitur, de nomine horæ nonę, in quã tertius quadrans desinit. Et de hac horarum nomenclatura & ratione mentionem habes in historia Passionis apud Euangelistas. Lalamantius medicus Heduus doctiss.

VETE-

VETERES ex arte militari noctis horas in quatuor quadrantes partiebantur: ac unicuiq; quadranti tres horas assignabant. Et primum quidem quadrantem, primam uigiliam: secundum, secundam: tertium, tertiam: & demum quartum quadrantem, quartam uigiliam uocabant: nimirum quòd oporteret eos, qui hostium metu excubabant, & uigilias agebant, tres horas totas uigilare & excubare. Et finita quidem prima uigilia, seu peruigilatis tribus horis, alij excubitores rursus in secundam uigiliã, seu in tres alias horas succedebant: & secunda finita uigilia, alij similiter in tertiam, & à tertia alij in quartam, dum illucesceret. Io. Lalamantius de Anno.

GALLIA tota horologia sua, quæ uniusmodi habet, ita dispensat, ut diei horas uigintiquatuor, in duas æquales partes partiatur, hoc est, in duodecim, quot scilicet horas horologia Gallis sonitu significant, & media nocte, & meridie: post quæ tempora hora prima auditur: prima dico à meridie, & prima à media nocte; & sic pergitur à secunda ad tertiam, dum ad duodecimam ueniatur. Secundùm quam supputandi rationem, Aequinoctio, Sol Gallis hora oritur sexta, & sexta etiam occidit. Prima ergo Iudęorum hora à sole occaso nostræ septimæ serotinæ respondet. ut hoc modo horæ Iudæorum cum nostris cõponi possint. Idem.

MENSIS CONSIDERATIO simplex

EXPLICANDO.

MENSIS *à mensurando Varrone, rectius à Græco μῆν sive Luna, cuius cursu menstruo spacio circũscribitur, sicuti Solis annuo. Est autem alius Physicus, alius Politicus. Physicus dicitur, quo Luna Signiferũ percurrẽs, quadripartita temperatis uices, quatuor anni Temporibus respondẽtes, producit. Et hic rursus uel Solaris uel Lunaris. Solaris est, quo Sol uniquoq; Zodiaci signũ percurrit, quòd sit ferè duodecima parte anni, hoc est,* XXX *D. cùm Zodiacus in* 12 *signa distributus sit, propter totidem congressus Solis & Lunæ. Tales menses habuere Aegyptii* 30. *dierum æquales, additis quinq; Epactis. Hunc rursus duum faciunt generum Astronomi, alium scilicet Medium sive Aequabilem, quando Sol æquali motu unum Zodiaci signum perficit, secundum quem motum in singulis signis nulla uarietas contingit: alium Verum sive Apparẽtem sive Inæqualem, spacia habentem inæqualia, propter solis motum in signis singulis, & motum apparentem dissimilem: unde menses æstiui hybernis longiores sunt, cùm tardius medietatem Zodiaci borealem quàm australem emetiatur. Ali Lunaris mensis dicitur, quo Luna unamquodq; signum Zodiaci percurrit, non unius generis. Alius qui dem Periodicus, sive Conuersionis & Peragrationis, quo Luna signiferum perãbulat, sive ad idẽ punctũ Zodiaci redit, à quo cepit, motu uero nec uel æquali: Medicinalis item dicitur, quod medicis maximè inseruiat: & Impressionis propriæ mensis, Astronomis: sive iam sit Medius & Aequalis, sive Verus & Apparens & Inæqualis. Alius Synodicus, quo Luna ad Solem redit, & cum illo uelutti congrediatur, & coniungitur, & consequitur: unde etiam Consecutionis mensis dictus. Qui ipse & in Medium & in Verum itidem subdiuiditur: quem Astronomi communis Impressionis mensem uocant. Alius Illuminationis sive Apparitionis, à primo conspectu nouæ Lunæ in eodem mense, usque ad conspectum alterius: quod spacium* 28. *D. uulgò comprehendi putant. Alius denique Profectionis seu Conversionis, à Ptolemæo excogitatus, ut Lunaris ratio ad cursum Solis omnino quadret. Cæterum Politicus mensis is est, quem unaquæq; gens ad negotia sua, tum sacra, tum profana, accommodatum obseruat.*

HEBRÆI ueteres, quod ex Bibliis constat, menses numero sui ordinis exprimebant, primum, octauũ, duodecimum. Post reditum è Babylone demũ, imitatione Chaldæorum, uidentur nomina certa singulis tributa retinuisse, hac quidem serie, ut primus ab æquinoctio uerno esset Nisan, siue Abib: secundus Ziu, qui & Iiar & Aegiar: tertius Siuan, qui & Thamuz: deinde Rhotem: Ab uel Au: Elul: Thysri, qui & Ethanim: Bul, qui & Marhesuãn: Chasleu uel Chisleu: Thebeth: Sebat: & duodecimus Adar uel Ader. Recentiores uerò Iudæi Thysri primum, Bul secundũ faciunt, suo deinceps religs assignato ordine. Io. Garcæus. Thysri est primus quãtum ad naturam, nempe in æquinoctio autũnali: sed Nisan prior dignitate: nam ab eo omnia Legis festa æqualibus numerantur interstitiis. Vade dies 177 inter hos menses. Is est primus Aequinoctij. Nam in diebus Nehemiæ Iudæi menses ad medium Lunæ motum diesq; festos ordinarunt, incipientes à nouilunio septimi mensis, quod autumnali æquinoctio proximũ fuit, sicut Iudæi etiam hò die numerant. Illi autem primos decem dies pœnitentiæ uocant, quibus dant eleemosynas multas, & alia bona opera faciunt, ut iram Dei placare queant. Sic cæteri menses ab hoc dignoscuntur. Masseus.

AEGYPTII mẽsibus singulis dies 30. tribuunt, & XII habẽt ordine tali: Thoth, Phaothi, Athyr, Choiac, Tybi, Mecheir, Phamenoth, Pharmuthi, Pachon, Payni, Epephi, Mesori, ex auctore Epigrammatis Græci, & Aetio Tetrabibli 3. ser. 4. c. 48. Primũm mensem Septembri respondere Theon in Arati Phænomenis putat, item Epiphanius: at Plinius lib. 27. cap. 12. Augusto comparat. Nempe cùm menses singuli 30. D. cõstent, & qui supersunt dies quinq; quotannis ad finem ultimi mensis intercalentur, fit ut primus mensis per omnẽs menses Iulianos temporis progressu uagetur, nec nisi post an. 1460. ad easdẽ Calendas Augusti reuertatur. Lalamant.

PERSÆ eandem anni rationem habent cum Aegyptiis, nominibus tantùm mensium differũt, hoc ordine. Fordimech, Ardeimech, Cardaimech, Zirmech, Mardan uel Mardari, Sarambemech, Machiramech, Ebẽmech, Ydramech, Dimech, Bechimemech, Azfirdauich. Idem.

ARABES uaga habẽt Solstitia & Aequinoctia, cũ Aegyptiis, lunarionibus XII. annum absoluunt, mensibus imparibus 30. paribus 29. dies tribuentes. Mensem autem à coniunctione Luminarium ordiuntur. Nomina & series mensium hæc est. Prius Almuharam, Saphar, Rabe primus, Rabe secundus, Gemedy primus & secundus, Rage, Sahaben, Ramaden, Sanel, Dulchida, Dulcheia. Idem.

GRÆCI mensem quemlibet in tres decadas distribuũt: quarum primam decadam μῆνὸς ἱσταμένου: secundam μῆνὸς μεσοῦντος: tertiam μῆνὸς φθίνοντος uocabant: quasi dicas, decade mensis instantis, decade mensis medij, & decade mẽsis desinentis. Deinde primæ decadis primũ diem Νεομηνίαν, secundum δεύτερον ἱστάμενον, tertium τρίτον ἱστάμενον, & sic deinceps, usq; ad δεκάτον ἱστάμενον. Rursus secundæ decadis primũ diẽ, πρώτον ἐπὶ δέκα μεσοῦντος: secundum, δεύτερον ἐπὶ δέκα μεσοῦντος, & sic deinceps, usque ad ἑκάδα seu ἑικοστόν. i. uicesimum. Tum tertiæ decadis primum diem πρώτον ἐπὶ ἑκάδι uel πρώτον μετ' ἑκάδα, id est, primam post uicesimam, secundã, tertiam supra uicesimam, &c. uocabant. Vel etiam primum diem tertiæ decadis, instituto Solonis, ut fertũ, δεκάτον φθίνοντος, secundum ὀνδέκατον φθίνοντος, &c. id est, decimam desinentis, nonam, octauam, septimam desinentis: & usque ad ultimum eodem modo imminuendo numeros. Vltimus autem dies mensis ἕνη καὶ νέα dicitur Pollucі lib. 1. c. 7. Idem.

Sotion, ut auctor est Constantinus Cæsar lib. 1. de Agricultura, cap. 13 dies illunes appellauit eos, qui sunt à uicesimo nono ad secundam nouam. Id tempus alij Coitum, ut inquit Plinius, alij Interlunium, alij silentis Lunæ appellant: Coniunctionem alij, & Nouilunium: Græci Νεομηνίαν & Σύνοδον, ut & primam Νέαν, id est, corniculatam, & falcatam, & nõdum semiplenam, sed cauam & cornutam, κοίλην. Septimam uocant Διχότομον καὶ ἡμιτομον. id est, semiplenam, dimidiatam, diuiduam, rectam, ὐθεῖαν. Vndecimam uocant Αμφίκυρτον. id est, gibbosam, gibberosam, turgidam & tumidam. Decimam quintam πανσέλληνον, id est, Plenilunium & Oppositionem uocant. A plenilunio rursum fit ἀμφίκυρτος, id est gibbosa: exin rursum Διχότομος: & tandem fit μίνυσις, dum iterum ad Σύνοδον, id est, Coniunctionem redeat. Schematismi enim, id est, conformationes seu habitus, affectiones & uisitationes Lunæ, qui sunt dum augetur, ordine immutato procedunt dum imminuitur. Omnes autem hæ Lunæ facies seu Αἰμφίσεις, Visitationes Latinis, Græci φάσεις etiam dicuntur. Lalamantius.

ATTICI menses impares habent dies 30. pares dies 29. Post annos octo intercalant menses tres, singulos tricenum dierum. Ordo illorum talis:

Hecatombæon.	*Solstitiales duo*	Posideon.
Metageitnion.		Gamelion.
Boëdromion.		Elaphebolion.
Maimacterion.	*Aequinoctiales duo*	Munychion.
Pyanepsion.		Thargelion.
Anthesterion.		Scirrhophorion.

ROMANI mensum dies in tres ordines distribuebant, in Calendas, Nonas, & Idus, à quibus nominibus dies ipsi denominationem accipiebant. Ac primus quidẽ dies cuiuslibet mensis Calendæ dicebatur: sequentes ut minimũ quatuor, ut summum sex (nam quidam menses Nonas tantùm quatuor habent: quidam sex) Nonarum nomen accipiunt: qui inde sequuntur dies, Idus uocantur, in quolibet mense octo. Reliqui in finem mensis dies numero additò Calundæ dicũtur: ut XVII: Calẽdas, hoc est, ante Calendas siue diem sequentis mensis primi. Macrob. c. 19 lib. 1. Saturn. De numero Calendarum, Nonarũ & Iduum hi uersus extant:

Sex Maius Nonas, October Iulius & Mars,
Quattuor at reliqui tenet Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes die esse Calendas.
Nomen sortiri debent à mense sequenti.
Versibus his noscas mensis cuiusq; Calendas.
Tantum, tendebat, quòd, regni, summa, regebat,
Sanctus, rex, talis, sapienter, regna, subegit.

XII. dictiones XII mensib. ordini respondent, Initiales li-

teræ quatuor significant numerũ Calendaiũ: ita quidem ut Q. in ordine alphabeti XVI, R XVII, S XIIX, T XIX Calendas denotet. Ergo Tantũm Calendas Ianuarij (quæ in Decembri sunt mense) à numero XIX ordiendas indicat. & sic de cæteris. Io. Lalamantius.

CONFERENDO, CONCILIANDO.

Vt Aimorum diuersa initia apud diuersos, ita quoque ordo mensium uariat apud eos qui Solis rationẽ habẽt, qui Lunæ, qui utriusque. Ergo cùm præcisè mẽsis mensi respondere nequeat, fit ut grauiß. auctores diuersa de iisdem sæpè pronuncient. V. G. *Plut. in uita Alexandri Hecatombæoni uel Cronio Atheniensium, Loon Macedonum componit, quem alii Boedromioni æquant. Idem in Iside Athyr Aegyptiorum Pyanepsioni Atticorum comparat, alii uerò Anthesterioni. Nos ex Diario historico Henrici Pantaleonis, Medici & Philosophi, Comitis Palatini, collegæ nostri, eudem hanc Mensium symbolen proponemus.*

ROMANORUM.	HEBRAEORUM.	ATHENIENSIUM.	MACEDONUM & Græcorũ.	CYPRIORUM.	AEGYPTIORUM.	PERSARUM.	ARABUM ET Saracenorũ.
1 *Ianuarius.*	10 *Thebet.*	8 *Gamelion.*	11 *Apellæus.*	11 *Epiphi.*	5 *Thybi.*	5 *Mandaimech.*	*Almuccram.*
2 *Februarius.*	11 *Sebebat.*	9 *Elaphebolion.*	12 *Dystrus.*	12 *Romus.*	6 *Mechir.*	6 *Sarenhemech.*	*Saphar.*
3 *Martius.*	12 *Adar.*	10 *Munychion.*	*Xanthicus.*	1 *Aphrodisius.*	7 *Phamenoth.*	7 *Mahberemech.*	*Rabe 1.*
4 *Aprilis.*	1 *Nisan.*	11 *Thargelion.*	1 *Artemisius.*	2 *Apogonicus.*	8 *Pharmuthe.*	8 *Benemech.*	*Rabe 2.*
5 *Maius.*	2 *Iar.*	12 *Scirrophorion.*	2 *Desius.*	3 *Anicetus.*	9 *Pachon.*	9 *Idramech.*	*Gemedi 1.*
6 *Iunius.*	3 *Siuan.*	1 *Hecatombæon.*	3 *Panemus.*	4 *Iuvius.*	10 *Pauni.*	10 *Dimech.*	*Gemedi 2.*
7 *Iulius.*	4 *Thamuz.*	2 *Metageitnion.*	4 *Lous uel Dorus.*	5 *Caesarius.*	11 *Epiphi.*	11 *Bynemech.*	*Rage.*
8 *Augustus.*	5 *Ab uel Ab.*	3 *Boedromion.*	*Gorpiæus.*	6 *Sebastus.*	12 *Mesori.*	12 *Agermadech.*	*Sababan.*
9 *September.*	6 *Elul.*	4 *Mamacterion.*	*Hyperberetæus.*	7 *Antoninianus.*	1 *Toth.*	1 *Phordimech.*	*Ramadan.*
10 *October.*	7 *Thisri.*	5 *Pyanepsion.*	*Dius.*	8 *Domitianus.*	2 *Phaophi.*	2 *Ardaimech.*	*Saual.*
11 *November.*	8 *Marhesuan.*	6 *Anthesterion.*	*Apellæus.*	9 *Phytyphatos.*	3 *Athyr.*	3 *Cardaimech.*	*Dulchida.*
12 *December.*	9 *Chisleu.*	7 *Posideon.*	10 *Artherius.*	10 *Artherius.*	4 *Chiac.*	4 *Zirmech.*	*Dulchria.*

MENSIVM CONSIDERATIO coniuncta per TRIADAS. TRIMESTRIA ANni tempora.

Ex Hip. 3. de Diæta, Hyems à Pleiadum occasu ad Aequinoctium uernum: Ver ab Aequinoctio ad Pleiadum ortum: Aestas à Pleiadum ortu ad Arcturi exortum: Autumnus ab Arcturi exortu ad Pleiadum occasum.

Galenus 3. Aphorismorum 14. & in 1. & 2. Epid. Hippocratis, Ver ab eo quod Hyemem sequitur æquinoctio, exordium sumere scribit. Aequinoctium autem uernum initio Artemisij assignant. Aetius serm. 3. tetrabili 1. cap. 164. mensis Martij (ut interpres habet) die 23. æquinoctium uernum esse dicit. Varro lib. Rei rust. cap. 20, diem Aquarij 23. seu si uis Februarij septimum (nam Columellæ 17. Calend. Febr. sol in Aquarium transitum facit) Veris initium esse dicit. Cui adsti pulatur & Constantinus Cæsar cap. 1. lib. 1. de Agricultura. Astronomi, alij medium Martium, alij decimum diem Martij, alij Februarij 22. diem Veris initio assignant. Columella æquinoctium Veris cõtingere scribit circa 8. Calend. April. quod est circa 25. Martij in octaua parte Arietis. Idem ibidẽ scribit, Hipparchi rationem docere Solstitia & Aequinoctia non octauis sed primis partibus signorum confici. Plinius tradit aduenas uolucres ad 6. Cal. Febr. spem Veris attulisse, & esse quosdã, qui certissimum Veris initium arbitrentur, ob infinitum animalis papilionis prouentũ. Et idẽ lib. 16. cap. 25, scribit, florem arborum esse pleni Veris indicium, & anni renascentis. Item Fauoniũ flare ab occasu æquinoctiali, & Ver inchoare: incipere autem flare circiter ferè sextum Idus Febr. ut uerum sit, quod idem Plinius dicit, dierum ipsorum, anni solisq; motus (atq; adeo Aequinoctiorum & Solstitiorum) propè inexplicabilem esse rationem. Id quanquam uerum est, conuocati tamen annis ante hæc nostra tempora mille ducentis triginta nouem in Nicena synodo Patres, qui tunc Ecclesiæ præerant ad trecentos decem & octo, Aequinoctium uernum omni studio certis diei acloco affigere lategerunt (non quòd ibi perpetuò hæsurũ putarent, aut q̃ ignorarent uoluentib. annis idipsum inde motũ iri, & retrocedendo anticipaturũ: sed q̃ ut sui temporis curam gerebant, ita eos, qui sui ipsorũ locum quasi per manus acceptum aliquot pòst annis tenerent, & ueluti hæreditario iure sibi uendicarent, suo exemplo eius etiam rei, cùm necessitas postularet, curam gesturos arbitrarentur) Hi ergo Aequinoctio uerno (id Sole Aequatorem tenente contingit) duodecimum Cal. Apr. seu Martij uicesimũ primum assignauerunt. Quod optima ratione eos fecisse iudicabis, si perpenderis quarto quoq; anno minuta 44. plus quàm oporteat in anno Rom. intercalari, cùm scilicet dies integer seu horę 24 plenæ anno Bissextili intercalantur. Et quanquã 44 minuta quarto quoq; anno superabundantia parui momenti esse uideãtur: tanti tamen momenti sunt, ut singulo quoq; centesimo tricesimo primo anno Aequinoctium in antecedentia reiiciant unius diei interuallo. Cùm ergo Nicena synodus animaduertisset tẽpore incarnationis Christi, uel, ut alij notãt circa Iulij Cæsaris tẽpora, Aequinoctiũ uernũ in diẽ Martij 25. incidere, ab illo uerò tẽpore ad sua usque an. trecẽtos uigintiquatuor effluxisse, atq; adeò Aequinoctiũ uernũ per tres ferè dies retrocessisse in antecedẽtia, & à 25 Martij in 22. eiusdẽ retrolapsum: illi & præterito iam tẽpori, & parti etiã aliquotæ futuri prospicere studẽtes, uerno Aequinoctio diem Martij uicesimãprimã assignauerũt. Iam uerò cũ à tẽpore Nicenæ synodi, Christi an. 331. celebratæ, anni ad hæc nostra tẽpora effluxerint mille ducenti trigintanouẽ (agitur quippe nunc an. MDLXX.) fit ut Aequinoctiũ uernũ pari ratione retrocesserit ab illo tẽpore ferè per 12. dierum spaciũ, ut iam in Martij nonũ retrocessisse cõperiatur. & quidẽ XXI. Martii (quo die cõstituebat Aequinoctiũ Nicena synodus) tridui interuallo distare ab eo qd̃ Plinius, & bidui ab eo quod Mõtanistæ eidẽ assignabãt. Plinius siquidem lib. 18. cap. 16. 25. Martij: Montanistæ nonum Cal. April. eidẽ assignabãt. Nos, ut cõmodiùs & faciliùs qd̃ quærimus (Lunã dico primã Verni tẽporis, atq; adeò etiam primũ & anni & mensis Hebraici diẽ) quasi digito indicemus: Aequinoctio uerno octauũ Idus Martij assignamus: non quòd ignoremus nostri temporis Astrologos scribere se illud ipsum hac nostra tempestate die Martij X. deprehendere, sed quòd ob rationes prædictas in eum ferè diem hac tempestate retrolapsum sit: & quòd nisi eo ibidem fixo collocatoque, primæ Verni temporis lunæ atque adeò primo Hebraici anni diei, certus & uerus locus assignari non possit. Nullibi ergo commodius, ut his temporibus, meo quidem iudicio, cõstitui potest. Quo posito, dico eam primam Lunam nouam, quæ prima post octauũ Idus Martij occurrat, anno Hebraico & primo diei mensis Nisan initium adferre. Io. Lalamantius Com. de Anno.

ANNI CONSIDERATIO SIMplex. Quo ad HECTADAS, SEMESTRIA.

Annus, reditus Solis in Zodiaco, motu proprio, ad idẽ punctum, secundùm γνῶσιν consideratus ab Astronomis, Astronomicus dicitur, & Naturalis, & Vertẽs, quo Sol emensus totã Zodiaci longitudinem, ad idem solstitium uel aequinoctium redit. Duplex interim: uel Medius, perpetua æqualitate cõstans, relatus aut ad puncta quatuor cardinalia media, quas τροπὰς uocant, inde Tropicus dicitur: aut ad Stellas fixas, ut ad primum Arietis cornu, & Sidereus dicitur. uel Verus sive Temporalis, quo Sol ad uerum æquinoctium sive solstitium reuertitur, cuius spacia sunt æqualiũ. At uerò consideratus annus à Politicis secundùm ἀτραξίν, Politicus dicitur, & Ciuilis, & Mundanus, secundùm utrusq; luminis motũ, ut antequàm Sol totũ Zodiacũ percurrat, periodos lunares duodecies observet. At hic rursus diuiditur in Solarem, ad Solis motum principaliter accommodatum (perpetuò constantem diebus 365. uel cum intercalari, ut Iulianus annus, uel absque) & in Lunarem, ad Lunæ motum principaliter accommodatum, constantem diebus 354. & mensibus Lunaribus synodicis XII: quorũ initia semper nouilunii, media plenilunii respõdẽt, & sunt alternis 29. & 30. dierũ. Differt proinde à Solari ferè X. dieb. qui ἐπακτοὶ dicuntur, eo quòd certis annorũ periodis super additi, Solari Lunarem æquari faciunt. Eo primi parentes sunt usi, & Iudæi usque ad Christum, Graeci, Romani & Arabes. Ex Io. Garcæo.

QUO AD INITIVM ANNI.

IVDÆORVM annus circa 26 diẽ Martij incipit, more Aegyptiorum, ad motum Lunæ. Siquidem Nouilunium Aequinoctio uerno proximum, præcedens aut sequens, primum diem anni efficiebat. Rab. Iehosuc. Sed recentes Iudæi annũ initium referunt ad Nouilunium Aequinoctio autumnali proximum, annum Iubileum respicientes. Rab. Eleazar.

Hebræos à Vere anni sui exordium facere (quod olim Romulum illorum exemplo fecisse constat) testis esse potest is locus qui habetur Deut. cap. 16. quo loco Moses Domini iussu edicit Israelitis, observent mẽsem nouarum frugum, & uerni temporis primum, ut faciant Pesah Domino Deo suo. Testis est & is locus, qui iisdem uerbis & sententia habetur apud D. Hieronymum de celebratione Paschæ, & Augustinum tomo 2. epist. 86. ad Hesychium: quibus locis scribũt illi, celebrationem Paschę in mense nouarum frugum reperiri, ꝓpter similitudinẽ sacramẽti renouandæ uitæ. Primum autem uerni temporis eum mensem esse docet August. quo Sol est in Arietis principio. Vnde fallitur Ambros. qui primum mensem nouarum frugum esse dicit eum, quo apud Aegyptios noui fructus colliguntur. Nam apud illos non semper in primo mense demetitur seges, sed ut occurrit, aliis atq; aliis mensibus. Nicephorus etiã Callistus hist. Eccl. lib. 12. cap. 32. scribit hanc rationem impulisse Montanistas, ut mensem quemlibet dierum triginta, atq; eorum principium Aequinoctium uernum facerent (Quæ dies, inquit, secundùm Rom. ritẽ nono Cal. Aprilis dicitur) quòd eo tempore duo hæc luminaria initium suum habuisse allegant, per quæ tẽpora anni significantur. Idem ferè Sozomenus habet hist. Eccl. lib. 7. cap. 18. Sed Nicephorus ibidem etiam scribit, Eusebium memoriæ tradidisse, ueteres Iudæos sacrificia Paschalia post Aequinoctium uernum celebrauisse, Sole duodecimam partem, quæ à Græcis κλῖσις, id est, Aries appellatur, Zodiaci circuli ingresso: Luna autem per diametrum Soli opposita, tum quartę decimæ diei cursum tenente. Sic apparet Hebræos & Pascha Luna decimaquarta primi mensis celebrauisse, & primum anni mensem primum uerni temporis fuisse. Io. Lalamantius.

AEGYPTII propter intercalaris diei neglectum, certum anni, quem ex 365. diebus constituebant, initium nõ habuere, usque ad Domitianum.

ASIANI ab æquinoctio autumnali auspicabantur.

ATTICI à Meridie primi diei Hecatombæonis annũ suũ auspicabantur: Hecatombæonẽ aũt à prima Luna noua, quæ proximè Solstitiũ (id olim uicesimo quinto Iunij, nostris tẽporib. circa duodecimũ eiusdẽ cõtingit) sequebatur, incoare oportebat. Platonis locus est li. 6. de Legib. Omnes (inqt) magistratus, tam annui quã longioris tẽporis, pridie calẽd. mensis illius, quo post Solstitiũ æstiuũ nouus annus incipit, in unũ templũ conueniant. & Simplicius lib. 5. Physicæ Aristotelis sic scribit: Anni initia sic facimus, uel circa Solstitiũ æstiuum, ut Athenienses: uel circa Autumnale Aequinoctium, ut terræ quæ nunc Asia dicitur incolæ: uel circa Brumam, ut Romani. Io. Lalamantius.

ROMANI & ALBANI ante Numam ab æquinoctio uerno annum ordiebantur. Pòst ex Numæ instituto à mense Ianuario auspicari ceperũt. Olim Martius numerabatur primus: à Martio Quintilẽ, sextu Sextilẽ appellãt, aliosq; conceptũ usq; ad nouissimũ, quẽ Decembrẽ nuncupãt: qui cẽsetur à Martio decimus. Hinc uisum nonnullis est existimare & dicere, non duodecim mensibus, sed decẽ cõplesse illius tẽporis Romanos annũ, ac certis mensib. dies supra triginta adiecisse. Alij Decembrẽ scribunt à Martio decimũ esse, undecimũ Ianuariũ, Februarium duodecimũ, quo utũtur in lustrationibus, ac defunctis in anni exitu parentãt: quos transpositos esse, factumq; Ianuariũ primum: quòd Cal. Ianuariis creati sint exactis regib. primi Cõsules. Causam afferũt quidã à Romulo, bellaci uiro, martisq; studio flagrante, ac stirpe habito Martis, prærogatiũ mensem fecisse eũ, à Marte qui nomẽ traxit. Numã cõtrà, qui quietus erat, ciuitatem q; ad agriculturã conuertere cupiebat, atq; à bellis abducere, Ianuario tribuisse principatũ, Ianumq; ad ingẽtes honores prouexisse, ut eum, qui politicus fuisset, agriculationisque quàm bellandi potius studiosus. Plut. in quæst. Rom.

Anni Iuliani initiũ more ROMANO pẽdet à media nocte antecedente Cal. Ian. nõ à meridie Calendarũ eiusdẽ: cuius rei rationẽ reddit Plut. problem. Rom. 82. his uerbis, An q̃ respub. ab initio militari more & instituto constituta est: in re aũt militari multa nocte utiliter occupantur? An diei ortum agendi principium esse uoluerunt, noctẽ uerò cõsilij & præparationis: oportet aũt præparatos rẽ aggredi, nõ uerò cõtrà agentẽ præparari. An quemadmodum meridies multis est finis reip. gerendæ: sic noctẽ intempestã actionũ omnino initiũ oportere esse statuerũt? cuius rei maximũ argumentũ, magistratũ Romanũ post meridiẽ fœdus facere nõ solere.

ARABES, cùm initia mensium & anni semper ad nouilunia referunt, anni principium statum non habuere.

DEDVCTIONEM ANNI.

PATRES ante diluuium Annum definiere cursu Solis ab Aequinoctio uerno, distinctum in menses XIX Lunares.

HEBRÆI annũ habuere duplicẽ, Historicum scilicet & Politicũ. Historicum quidẽ in dies festos & profestos distributũ, publicis congressib. accommodatũ, quo numerabant seriẽ annorũ, & historias notabãt. Eũ ordiebãtur à nouilunio, q̃ uerno æquinoctio propriũ erat: ab eodẽ dies XV. destinatus erat Paschati. XI. dies intercalabãt, tertio quoq; anno in unũ mẽsem cõtractos: reliquis qui supererãt ad octauũ usq; annum seruatis, quo demũ æquinoctiũ uernũ & anni initiũ ad unum diẽ reducebantur. Politicũ uerò & œconomicum post messem & uindemiam collectã incoabãt, à primo die mensis septimi Historici, & festũ Tubarũ celebrabãt primo die, XV. uerò festum Tabernaculorũ. Inseruiebat aũt annus iste decimarũ annuæ solutioni, priuatis itẽ contractib. anno itẽ sabbatino septimo, quo terra feriabatur: anno deniq; quinquagesimo, Iubileo dicto (à Iobel, siue buccina: quoniã tunc buccinæ clariùs sonabãt) ex septẽ annorũ hebdomadib. exurgente, quo omissa prorsus cultura, præcedentis anni prouentib. & sponte natis fruebantur. Io. Garcæus.

AEGYPTII, CHALDÆI, PERSÆ, ASSYRII ex Solis motu 365 dieb. annũ definierũt, omisso quadrãte qui superestẽ mensi cuilibet dies 30. tribuentes, & reliquos quinq; dies superfluos ultimo mense in fine anni addẽtes. Ob neglectum aũt diem intercalarẽ (qui 4. singulis annis ex quadrantibus residuis conflatur) initiũ anni mirè peroẽs partes errauit, ac demũ exactis 1460. annis (quorum quadrãtes præcisè 360. dies cõstituũt, qui Annus ἐμβολισμὸς, intercalaris dictus est: item κυνικὸς, Canicularis, à Cane cum die Solstitij exoriẽte) in pristinum locum restituens fuit: & tum demum æquinoctia & solstitia, anni initia, ad metas pristinas reuertebãtur. A Diocletiano tandẽ coacti Aegypti, anno intercalari uale dixere, & diem intercalarem suscipere coacti fuere. Annus hic artificib. quã politicis cõmodior propter æqualitatẽ, proinde eo Ptolemæus & Copernicus utuntur. Idem.

GRÆCI annos Lunares ab Hebræis acceptos usurpantes, nec ob defectum XI. dierum æquinoctia anticiparent, & nouiluniorũ tẽpora peroẽs anni partes (ut in anno Aegyptio) uagarentur, intercalationib. Lunares annos Solarib. adæquarũt: sedesq; æquinoctiorum & solstitiorũ iisdem mensib. licẽt non iisdem dieb. retinuerunt. Intercalatio aũt duplex fuit. Primò enim quadrantes annuos quarto quiq; anno in unum diem ἐμβόλιμον dictum cõtractos addidere, quo ipsi Olympicum certamen celebrabãt. Deinceps uerò quũ propter inæqualitatem Solaris & Lunaris anni quatuor anni tẽporum ordinẽ turbari uidẽrẽt, quoniã Lunaris annus XI. dieb. Solari minor est: dies illos undecim, anno Lunari nunc tertio, nunc secundo, in unũ integrũ mensem contractos, ἐμβόλιμον dictũ addidere: ita ut annus intercalaris, cui addebatur, XIII. mensibus seu 384. diebus constaret.

LEOSTRATVS Tenedius, intercalandi tempus in certum ad Octoeterida reduxit, ut octo annorũ Lunariũ spacio, integra Aequinoctiorũ & Solstitiorũ reductio fieret, tribus scilicet mensib. octauo anno additis, præter eum diem, quẽ cuiuis Olympiadi adiicere consueuerãt: ut priores anni singuli duodecim mensib. synodicis seu 354. dieb. posteriores tres singuli XIII. mensib. seu 384. dieb. constarẽt. Hic Cyclus maximo cum applausu receptus, quoniam duas præcisè Olympiadas

piadas contineret, & usuris (cùm centesimus mensis nouæ octoeteridi initiũ præberet) aptissimus esset, Eudoxius fuit appellatus, ab Eudoxo Gnidio. Et tamẽ cùm octoeteris ista annos nihilominus solares plus uno die & semisse superaret, Æquinoctia & Solstitia præcisè ad eosdem dies non redierunt.

METON Atheniensis circa 86. Olymp. tempore belli Peloponnesiaci, abolita octoeteride, nouemdecim annorum Solarium spacium (quo 235. Lunationes absoluuntur) intercalationi attribuit: ut præter eum diem, quem alioqui Olympiadi cuique addebant, ad 19. annos Lunares septem menses attexerent, quorum singuli triginta, septimus 29. diebus constaret. Hanc periodum siue Cyclum uocarũt συναδεκαετηρίδα, & δέκα ἐν συνεπτακαιδεκάτῃ: & annus Magnus Metonis, nũc Romanus dici cepit: eundemq; Romani in anno Iuliano aureis literis notabant, hisq; nouas Lunas signabant. Proinde mansit Aurei numeri & Cycli nouemdẽnalis siue Alexandrini usus: & quòd uerum Paschatis diem notet, Cyclus Lunaris & Paschalis dicitur. Absoluto enim 19. annorum numero, Luna semper redit ad eundem anni Solaris diem: & primus dies mensis primi in possessionem diei solstitialis restituebatur.

CALIPPVS alium Cyclum annorũ LXXVI. ex quatuor Mesonticis contexit, & periodũ Calippicã nominauit, secũdo an. Olymp. 112. Etenim an. 70. Lunarib. præter menses 28. dies quoq; nouendecim plenos inscripsit, cùm Metonis annus ad intercalares dies non satis accommodus esset.

HIPPARCHVS inde, annis post Calippum circiter 202. noui anni auctor extitit, qui quatuor Calippicis constaret, sedecim συναδεκαετηρίδας in unam contrahens. Hoc cyclo 304. ann. & adiectione mensium intercalarium 112. (quorum sedecim 29. D. reliqui diebus 30. perficerentur) æquinoctia & solstitia ad sua principia reducere uoluit, unum diem intercalarem omittendo, ut initiis mensium ritè nouilunia responderent.

ARABES siue Mahometani annũ Lunarẽ ex XII. mensibus uel diebus 354. compositum obseruant: quorum sex pleni dicuntur, 30. dieb. constantes, totidem caui, 29. diebus comprehensi: ut cùm mensis synodicus 29. D. 12. H. 44. M. constaret, dies integros anni in 12. menses partirentur: residuas horas & scrupula spacio XXX. an. in dies XI. contraherent, & quoties horæ collectæ duodenarium excedebant, toties unum diem inserebant, quem Hyperbolicum dixere. Fuere autem illis semper anni ἐμβόλιμοι 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18. 21. 24. 26. 29. Quorum quilibet 355. dies habuit, reliquis unus dies defuit. Menses uerò semper ab ipsis Nouiluniorum diebus exorsi sunt, & contenti lunari periodo, neglexerunt Solarem. Hinc spacio 33. annorum menses omnes per totum annum uagabantur, nec certi hyberni aut æstiui menses erant.

Quis modus aut quę ratio anni fuerit ante Vrbẽ conditã apud antiquissimos ITALIÆ populos, siue ij Vmbri, ut scribit Plinius, siue Hetrusci, Sabini, aut alij fuerint, diuinare nõ est facilè, cùm eius rei tractatio neq; literarũ monumentis tradita sit. Io. Lalamantius.

ROMVLVS annum ab Aequinoctio uerno incipiens, ex 304. diebus & mensibus X. (inter quos Martius primus esset) cõposuit: ut Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December 30. dierum essent: quatuor reliqui, Martius, Maius, Quintilis & October 31. Cæteùm cùm numerus iste neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conueniret, nonnunquam usueniebat, ut frigus æstiuis mensibus, econtrà calor hyemalibus proueniret. Ergo tunc tantum dierum patiebantur sine ullo mensis nomine absumi, quoad cœli habitus instanti mensi aptus rediret.

NVMA initium anni ad Brumam transtulit, & incoauit à Ianuario, attexuit Februarium. Deinde Græcos imitatus, 354. D. siue XII. M. Lunaribus annũ circumscripsit: eamq; intercalãdi rationem instituit, ut alternis annis propter Epactas 22. dies mensem intercalarem adiiceret, Mercidonium dictum, teste Plutarcho: addidit item Cyclum continentem tres octoeteridas, ut æquinoctia & solstitia ad pristinas sedes redirent: Ianuario item diem unum addidit: ita ut menses omnes impari numero constarent: sex scilicet, 29. diebus, quatuor 31. Februarius unicus pari numero, tanquam inferis sacer. Verùm quia confusa admodum hæc erat ratio, neque mensium initia nouiluniis respondebant: cura intercalandi Pontificibus demandata fuit. Quibus officantibus, C. IVLIVS Cæsar tandem anno ab V. C. 709. ante Christum 44. uel 45. annum confusionis ultimum 443. dierum fecit, hoc est, mensium XV. cum intercalario: & subinde noua ratione annum Solarem, Lunari neglecto, opera Sosigenis ex Aegyptiaco & Græco composuit: additione quinq; Epactarum Aegyptios, & intercalatione unius diei Græcos imitatus. Intercalario enim mense sublato, pro quadrante residuo anni cuiusque diem unum quarto quoque anno intercalauit post Terminalia, uel 23. diem Febr. qui quondã finis anni erat, & ibi mensis intercalari solebat. Annum proinde alterum constituit communem, D. 365. alterum ampliorem uno die, Intercalarem: qui idem, quoniam circa finem Februarij inserebatur, ita ut bis sexto Cal. Martij diceretur, Bissextilis appellatus fuit, dieb. 366. constans. Hic annus solus ad naturæ annum adaptatus, passim receptus fuit: & tamen quia modico superat ueram Astronomici anni quantitatem, etiamsi Aequinoctia & Solstitia in iisdem anni mensibus adhuc retineat, tamen diebus 14. aut 15. anticiparunt.

AVGVSTVS inde, cùm Pontifices, quib. ea cura commissa erat, dies intercalarios, qui quinto quoque anno incipiente intercalari debuerant, quarto incipiente intercalassent, adeoq; Calendariũ denuò uitiatũ esset, ut per annos 36. cũ nouem dies sufficere debuissent, duodecim essent intercalati: iussit annos 12. sine intercalatione decurrere, ut tres illi dies recompensarentur. Itaque deinceps Annus Augustanus, sicut à Iulio Iulianus, æreis tabulis incisus, propositus & obseruatus fuit. Duodecim certè mensibus ciuilib. completur, quorum alij 31. alij 30. unus 28. dies continent. Macrobius lib. 1. cap. 17. Saturn.

Cùm ANNVS, Solis δοκιμωτάτου definitus, maxima sit tẽporis mẽsura, qua mundi rerumq; omniũ durationẽ atq; seriẽ nostræ notitię subiicimus: equidẽ in uera eius metatione plurimæ gentes haud immeritò desudarunt. Quanquam enim eius magnitudo à rerum cœlestium gnaris præcisè satis definiri queat, exacta tamen & constans eius ratio dari nequit, quæ & motui Solis congruat, & ciuili simul usui seruiat. Cuius rei caussa in eo residet, quòd ciuilis annus σύμπαν requirat, quæ sine scrupulosa apprehensione, certo integrorum dierum numero claudatur, sic ut à hominum uulgo facilè percipi ac retineri possit. Anni autem naturalis tropici dimensio cùm in integros dies neutiquam cadat, sed in dierum minutissima scrupula desinat, quam ἀκριβεστέρων uulgus assequi, & anni rationem adeò exiliter ad calculos reuocare non potest: idcirco eius usurpatio ciuili societati non est idonea. Contra uerò, si ad politicum usum alias ei metas, scilicet, integris diebus determinatas, præfinias, illud incommodi emergit, ut quælibet eius metatio, ad annũ Naturalem collata, redundans aut deficiens reperiatur. Veruntamen diuersarum gentium anni ratione diligenter perpensa, apparet, omnes penè in definienda ciuilis anni magnitudine, uel scrupula diebus adhærentia rescidisse, uel annum Lunationibus accommodasse, atque ideo ciuilem annum astronomico minorem usurpasse. Qui sanè defectus, Intercalationis remediũ suasit, quò minùs neglecta ea subtilitas, & à naturæ uestigiis facta secessio, temporum successu, intolerabilem confusionem inuecheret. Intercalationem uoco, annorum aliquot ciuilium, à Solaribus periodis deficientium, complementum. Ea porrò ἐμβολὴ quò minor fuit, quò item expeditior, quò denique in annuarum periodorum defectibus farciendis ueram, hoc est, temporis cũ motu Solis ἰσάριθμον propiùs assequuta fuit, eò & melior extitit. Ex quibus apparet, nõ solùm uetustissimis Latinorum anni metationib. (quarũ prima δεκάμηνος à Romulo tradita, uix unius hominis ętatẽ tulit: altera emẽdatior à Numa mõstrata, an. pene 670. durauit) sed & aliarũ gentiũ institutis, tertiam illã anni Romani designationẽ, quæ ab auctore Iuliana appellata fuit, faciliorẽ & præstantiorem extitisse. Cuius quidẽ institutio & ratio talis fuit. C. Iul. Cæsar imperio potitus, cũ anni ciuilis rationem, ob uitiatam seculorum decursu intercalationem, ac inprimis Pontificum incuria (quorum erat eam statis temporibus præconis uoce promulgare) interruptam & depranatam, admodum impeditam reperisset, sic ut neque messium feriæ (Suetonio teste) æstati, neque uindemiarum autumno amplius competerent: Sosigenis Mathematici arte & industria adiutus, confusionis incommoda sustulit, ac nouam planè anni designationem, intercalationem, mensium distributionem, & Lunationum inuestigationem, introduxit (Dion hanc emendationem ad annum Vrbis 708. refert, qui cum anno Seruatoris 44. ἀς τὸ πρωτοκύκλωμα congruit) Confusionem dico primùm sustulit, defectum cum supplendo, quem uitiosa prioris temporis intercalatio pepererat. Annò enim correctionis inter Nouembrem & Decembrem duos menses, unum 29. alterum 30 dierum interiecit: præterea Decembri, mensem intercalarem dierum 30. Græcorum δεκαετηρίδα imitatus, subiunxit, ut annus ille mensium 15. seu 443 dierum extiterit. Id est, quod Macrobius inquit, Cæsar exordium nouæ ordinationis incoaturus, anno præcedenti omnes dies, qui confusionem facere poterant, cõsumsit. Iam quo ad circumscriptionem seu metationem anni, cùm is naturaliter Solis reditu definiatur, certum dierum numerum inquisiuit, quo iusta eius magnitudo ὡς ἐγγύτατα exprimeretur: existimans id fore simplicius & popularius, quàm præcedentium seculorum more, anni ciuilis mensis Lunę motui primùm adaptandus, ad sol[illegible] posterius reuocare. Annos itaque singulos communes diebus 365. circumscripsit, quo numero nullum uero proximiorem reperit. Quia uerò anni tropici iusta magnitudo trecentos sexaginta quinque dies senis penè horis superat: idcirco ne earum neglectu, quolibet quadriennio & tropæ & reliquæ feriæ stabiles à suis sedibus uno die retroferentur, atque adeò ne intra quater 365. annos, quo spacio 1460. æstates cõtingunt, 1461. æstates numerarẽtur: intercalationis remedio usus statuit, ut tribus quibuslibet annis succedentibus, excrescentium istarum horarum nulla ratio haberetur, sed quarto demum anno collectæ quater sex horæ, diẽ naturalem constituentes, unius diei adiectione compensarentur, eaque ciuilium annorum cum naturalibus ἰσάριθμοι fiẽt iterum obtineretur. Ei interstertioni locum fecit post Terminalia, seu ante quinque dies ultimos mensis Februarij, utpote breuissimi, ubi quarto quolibet anno fluente, ob ἐμβόλιμον diem sextus Calendarum Martij bis numerarẽtur: unde & Bissextilis nomen meruit. Anni porrò dies uniuersos in XII. menses ciuiles distribuit, quorum Febr. fecit 28. reliquos omnes uel 30. uel 31. dierum. Nec in iis attendit, ut eorum numerum Lunationes æquarent, ac proin ipsi menses Lunæ motui congruerent, hoc est, ut luminarium synodi mensium principiis affixæ essent, quemadmodum in Numæ Calendario moris fuerat: quin potiùs eis uagari permisit, ut in quoslibet mensium dies illæ incurrere possent: imò & intra 12. menses, 13. nonnunquam lunationes admittere non dubitauit: quod in qualibet Enneadecateride septies contingit. Annum autem à media nocte, ante calend. Ianuarias (cuius rei caussam Plutarchus in Roman. problematis inquirit) seu potiùs à Bruma incoauit, ut principium caperent Phœbus & annus idem. Quod etsi præcisè non sit uerum (quippe cùm brumale solstitium tum temporis Ianuarij calendas diebus septem antecederet) eos tamen Cæsar in nullo discrimine posuit, existimans tam pauculos dies euariationis parum inducere posse. Denique cùm hi menses politici, anni potiùs distinctioni & integrationi, quàm Lunę apparitionibus seruirent: idcirco ne Cæsar annum suum ea commoditate, scilicet nouilunia & cęteras Lunę φάσεις apprehendẽdi atq; notandi, destitueret: antiquam illam 19. annorum comprehensionem, quæ ab auctore annus Metonicus dicta fuit, assumsit. Meton enim Athenienſis, anno ante Christum 432. Græcis demonstrauit, singulis 19. annis exactis, omnes Lunationes in pristina loca, hoc est, eosdẽ mensiũ dies atq; horas quàm proximè restitui. Itaq; eum numerũ è ueteribus diariis modo cõuenienti suo quoq; inscribi uoluit, ut is ex ordine, sede sua primã Lunã, annumq; συναδεκαετηρίδος nota ret. Qui numerus aureis characteribus insignitus, Aureus quo que dici consueuit. Hę anni Iuliani leges fuerunt: quas Christiani postea, Romanorum ditioni subiecti, usurparunt, ac ut ipsorum religioni & dierum festorum celebrationi seruiret, pluribus inuentionibus locupletarunt. Etsi autem hæc cùm intercalandi tum Lunationes inquirendi ratio initiò optatum finem consequi uidebatur: quia tamen utraque labis expers non fuit, idcirco multorum seculorum successione, euidentes quosdam errores inuexit. Horum primus est troparum, ac per consequens reliquorum etiam Solis graduum anticipatio. Cùm enim dies intercalaris quoliber quadriennio assumtus, ex Alphonsinorum calculo, centesimam tricesimam quartam partem diei, hoc est, XI. fermè minuta temporis plus ingerat, quàm rei ueritas deposcat: iccirco singulis 134. annis ęquinoctia & solstitia in diem mensis antecedentem proximum reiecit: sic ut æquinoctium uernum, quod Cæsaris æuo uigesimum quartum circiter Martij tenuit, hodie in XI. Martij remearit. Vnde tobus huius mundi durantibus consequeretur, uernos tandem dies in Februarium & ultra, hoc est, in menses hybernos, retrolapsuros. Alterum incommodum est, Lunationum anticipatio, & ab aurei numeri sede diuulsio. Cùm enim Cæsar supposuisset, Lunationes omnes Enneadecateride confecta in sua principia reuerti: calculus docet, id non exactè, sed ὡς ἐπὶ πολύ πάντα tantùm uerum esse, ac 19. annorum Lunationes, 235. Lunæ circuitus continentes, enneadecateride minores esse, & paulò citiùs peragi, quàm ille annorum cyclus absoluatur. Continent enim 19. anni Iuliani 6939. dies, 18. hor. At uerò 235. Lunationes contingunt 6939. diebus, 16. hor. 34 min. Facta igitur subductione patet, Lunationes quidem post exactos 19. annos in eosdem dies reuerti, sed hora una, scr. 26. citiùs, quàm antè id tempus: proin cycli decemnoualis spacium sesquihoræ penè euariationem inducere: & per consequens singulis 304. annis, nouilunia omnia aurei numeri sedem horis 23. minutis 21. hoc est unum fermè diem anteuertere. Hic defectus luminarium synodos ab aurei numeri sedibus, iam inde à Iulij Cæsaris æuo, ad quintum usq; diem in anteriora transtulit, sic ut cui diei aureus numerus ei tempori congruens adscriptus esset, eo nostra ætate Luna corniculata apparerẽt, cùm tamen adhuc coitum facere deberet. Tertius error ex præcedentibus resultans; est æquinoctiorum & Lunationum mutua disiunctio: Cùm enim utrumque luminare ueterum fastorum dies paulatim anticiper, uerùm (ut modò dictum) dispari celeritate: idcirco & locus Solis uelocior re scilicet retrolapsu à Lunationibus magis magisque separatur. Quod incommodum secundùm Alphonsinos 6972. annis Iulianis, ac 313. insuper diebus, integræ Lunationis euariationem pareret. Hæc igitur incommoda, cùm Paschatis atque inde reliquorum etiam mobilium festorum celebrationem adeò turbassent, ut prisci Computi ecclesiastici canones, dies eos secundùm Nicenæ synodi decreta non amplius commonstrarent, sed nonnunquam octiduo, aliquando integro mense, aliquando & quinque hebdomadis seriùs: idcirco Gregorius XIII. pontifex contraria intercalandi uia usus, decem diebus ἐξωτερικοῖς seu exemtilibus, tropas in easdem quas Nicenæ synodi tempore tenebant sedes reuocauit, & sublato aureo numero, quò ad usum plumbeus factus fuerat; introductoque nouo Epactarum numero, Lunationes iis locis affigere & affixas detinere conatus est, ut priscæ Ecclesiæ sanctionibus satisfacerent. Et hoc Christiani Vistisij, Mathematum priùs, nũc Theologiæ in Academia nostra antecessoris CL. hypomnema, ab instituto nostro minimè alienum, & amicitiæ priuatæ & publicæ utilitatis mon. adnectere uoluimus.

ANNI CONSIDERATIO CONIVNCTA. VIDELICET TEMPus Annorum

QVATVOR. OLYMPIAS.

Ex G. Mercatoris supputatione, Olympias prima instituta & cẽlebrata fuit solstitio æstiuo, primo die Hecatõbæonis, circa an. Mundi 3192. à templo Salomonis condito 258.

DOMITIANVS agonem Ioui Capitolino post singula quadriennia celebrandum instituit, Olympiadum imitatione. Censorinus, & Suetonius. An. Christi 86.

QVINQVE. LVSTRVM.

LVSTRVM, nominatum tempus quinquennale, à luendo id id est, soluendo: quòd quinto quoque anno uectigalia per Censores locata persoluebantur. hæc Varro. Festus tradit, in tot annos prædia olim locari solita. quod Vlpian. l. 4. D. de rebus cred. significat. Hotoman. de Verbis iuris. Lustrum Seruius Tullius primus instituit, ut quinto quoque anno, censu ciuium habito, lustrum conderetur. Tunc enim urbs lustrabatur.

C. IVLIVS Cæsari Illyricum & Gallia Cisalpina in quinquennium decretæ, an. V. C. 693. Olymp. 180. an. primo. Eidem rursus in aliud quinquennũ prouinciæ prorogatæ, Crassi & Pompeii consensu.

Cn. POMPEIO Hispania prouincia in quinquennũ assignata: M. CRASSO itidem Syria. Dion lib. 39.

Ann. 438. THEODOSIVS octaua quinquennalia edidit. Rufus nona quinquennalia an. 443. Marcelli Chron.

SEPTEM.

Annus septimus, annus SABBATHI, ex institutione Mosis, quo omnis terra quiescere præcipitur. Exodi 23. & Deut. 31. & Leuit. 25. Occupata ergo per Iosuam Palæstina, & ab eodem XII. tribus Israelitarũ diuisa, Sabbathum primum actum an. mundi 2506. ab Exitu 53. Septimum, an. M. 2549. qui incidit in primum Iubilæum. Sabbathum XX. an. M. 2780. LXX. an. M. 2990. qui idem fuit Iubileus 10. CXXIII. annus Sabbathi, an. M. 3360. quo capta est urbs à Nabucodonosoro, & Captiuitas Babylonica successit. Post reditum è Babylone Sabbathum Terræ primum actum A. M. 3439. Hinc secundus Iubilæus incidit in Sabbathum 14. In 42. uerò Sabbathum Iubilæus sextus: septimus in 49. Sabbatho 81. A. M. 4000. Christus in cruce passus. Sabbathi 86. & ultimi anno tertio, Mundi 4036. Olymp. 212. anno primo, euersa est Hierosolyma. G. Mercator.

OCTO. OCTOETERIS.

OCTOETERIDA, è duabus Olympiadibus constatam, primus Leostratus Tenedius excogitauit, intercalationis caussa. Qui Cyclus Eudoxius fuit appellatus.

DECEM ANNORVM CYCLVS.

THEODOSIVS Iunior an. Sal. 410. Decemnalia: HONORIVS Romæ Vicennalia dedit. Marcell. Chron.

QVINDECIM annorum spacium.

Quemadmodum Olympiades Græcorum à 24. die Septembris, anno 4083. Capta Troia inceperunt: ita Augustus Caesar ab hoc die cepit Indictiones numerare, XV. annorum tributa significantes. Nam Romanorum subditi primo lustro quinquennali numerabant aurũ, secũdo argentũ, tertio ferrum ad arma. Constantinus Magnus Imper. primus fuit acta & tempora per Indictiones notari, Anno Christi 313. cùm antea

antea idem per annos Imperatorum, & postea sub Carolo II. Cæsare per annos Natiuitatis Christi fieret.

CONSTANTINVS Magnus Maxentium an. Christi 312. 8. Cal. Octob. uicit & occidit. Et in eius uictoriæ memoriam proxima synodo sequente Nicena, anno 20. Constantini celebrata, stabilitæ sunt Indictiones, XV annos complectentes: & primum earum initium ad huius uictoriæ diem constitutum est. Onuphrius in Fastis.

NOVEMDECIM annorum Cyclus.

ENNEADECATERIS.

Abolita octoeteride, Meton Atheniensis ENNEADECATERIDEM introduxit, sub initium belli Peloponnesiaci, siue Cyclum XIX annorum, Annũ magnum, Metonis dictum, ut præter diem intercalarem cuique Olympiadi addi solitũ, septẽ mẽses XIX annis lunaribus attexerent, ad conciliandum Solis & Lunæ cursum. Quem numerum ut ingeniosè excogitatum in anno Iuliano aureis literis notarunt. Vnde Aurei numeri & Cycli nouemdecẽnalis & Paschalis, nomẽ meruit, quoniã uerũ Paschatis ex Mosaico instituto celebrandi diẽ indicat. Itaq; Gerardus Mercator, imitatione Hebreorum, Cyclum hunc ad annum Mundi 2467. egressus ex Aegypto 14. annum, extendit: quòd licèt serò tandem à Græcis receptus sit, per illius tamen canones uetustiss. Hebræi Paschatis obseruationem tradiderint.

DIONYSIVS Exiguus abbas Romanus suos Paschales siue Decemnouales cyclos exorsus est ab XI. Cal. Aprilis an. D. 532. Diocletiani 248. Dionysiacum hunc Cyclum Beda emendauit & continuauit lib. de Ratione temporum: primusque instituit annos à Natiuitate Domini computare, cùm hactenus à Dioclctiano consueuissent. Gerardus Mercator eum ipsum usque ad proxima Passionis Christi tempora deduxit, ut cum Astronomicis obseruationibus commodiùs conferri possent, ad an. scilicet Christi 38. sed & ad nostram usque ætatem continuauit.

VIGINTI AN. CVRRICVLVM.

Vide infrà, Imperii durationis tempus, Vicennalia.

QVINQVAGINTA ANNORVM.

Iubilæus primus annus anno M.2549. ab exitu 95. ab ISRAELITIS ex Mosis instituto celebratus, idemque incidit in Sabbatum terræ septimũ. Sic decimus Iubilęus incidit in an. M. 2989. qui idem fuit terræ Sabbatum 70. Post Iubilæum 17. in Babylonem abducti. Post reditum è Babylone Iubilęus primus terræ Sabbatho septimo, quod incidit in an. M. 3481. Iubilęus septimus in Sabbathum 49. A.M.3775. Mercator. Aliter Io. Lalamantius comm. de Anno: Primus Iubilæi annus fuit primus annus ingressionis in terram Chanaan, quintus annus Iosue ducis, & annus mundi 2493. A quo usque ad prædicationem Ioannis Baptistæ & Baptisma D. Iesu Christi, uiginti nouem quinquagenarij seu Iubilæi cum annis 49. fluxerunt.

SEPTVAGINTA SEX.

Calippus Cyclum ann. LXXVI ex quatuor Metonticis contexuit, secundo an. Olymp. 112. Itaque an. 2. Olymp. 131. cepit secundus cyclus.

CENTVM. SECVLVM.

SECVLVM, *ὁρισθὲν, est spacium centum annorum (à Sene dicti) parvu & morte hominis definitum.*

AVGVSTVS anno V.C.734. Seculares ludos quintò perfecit. Dion lib. 54.

CLAVDIVS Imp. coss. suo quarto, A.V.C. 798. seculares ludos exhibuit, 63. annis à ludis Augusti intercedentibus. Plinius lib. 7. cap. 48. Tacitus lib. 11.

Annus primus Iubilæus à Bonifacio VIII. institutus & celebratus, An. 1300. Hunc ritum posteris mandauit centesimo quoque anno celebrari, antiquæ legis imitatione. Volat.

TRECENTORVM an. cyclus.

Hipparchus post Calippum annis circiter 202. sedecim nouem decemnales in unum contraxit Cyclum annorum 304.

QVINGENTORVM.

Tales in Sacris sunt 70. Hebdomades Danielis, quarum mẽminit cap. 1. suæ prophetiæ. Incepere A.M. 3313. Olymp. 81. an. 2. usque ad A.M. 4000. quo passus est Christus Dominus, in ipso terræ Sabbatho 81. tertio anno septuagesimæ hebdomadæ, secundùm Mercatorem.

MILLE ANNORVM CYCLVS.

Annus Sal. 249. millesimus fuit ab urbe condita, Aemiliano & Aquilino Coss. Itaq; Agon actus à PHILIPPO Imp. anno sexto Imperij. Cassiodorus.

MILLIA ANNORVM.

AEVVM primum, sub lege Naturę ab ipso Deo inspirata, siue mentibus inscripta. Diuiditur in

ANTEDILVVIANVM per annos 1656. quo terra tota ut hominibus frequẽtata, sic scelerib. infecta fuit. Itaq; hoc tẽpore Aegyptiorum Dynastiæ fuerint necesse est (aliquot ex XVI. illis quas Eusebius enumerat) per nouẽ an. millia, ut Plato testatur, nõ fabulosa, si lunares annos intelligamus: Atlanticũ itẽ bellũ inter multa alia extitisse probabile est: etsi huius solius, ut omnium maximi, memoria etiã post diluuium conseruata fuit.

POSTDILVVIANVM: Annus mundi 1657. primus post diluuium fuit. Et quidem

An. Mundi 1841. à Diluuio 185. Assyriorũ prima Monarchia incepit apud Babylonios. Rex primus Belus, secũdus Ninus, quẽ Nemrodũ sacra appellare uidẽtur.

An. M. 1846. à Dil. 96. Aegyptiorũ inferioris Aegypti Dynastia XVII. Pastorum, quorum primus Saltis ante quem obscura omnis historia.

An. M. 2024. Abrahamus ex Hur Chaldæorum euocatur. 24. pòst anno circumciditur. Initium nouę legis.

AEVVM secundum, sub lege scripta, à Deo tradita, diuiditur in Tempus

Ante legem datam Mosi. Ergo

A.M. 2048. à D. 392. Abrahamus circumciditur.

A.M. 2293. à D. 582. Israel in Aegyptum proficiscitur.

A.M. 2436. à D. 780. Diluuium Deucalionicum.

Post legem Mosi datã Israelitis ex Aegypto egressis, An. M. 2453. à Diluuio 798. Moses legis tabulas in monte Sina à Domino accepit anno sequente.

A.M. 2888. Israelitarum primus rex Saulus.

A.M. 2934. Templum Domini Salomon incoat.

A. M. 3124. Sardanapalus ab Arbace Medo uictus. Et sic Assyriorum Monarchia à Babyloniis ad Medos.

A. M. 3227. Decem tribus à Salmanassare abducũtur.

A. M. 3363. Captiuitas Babylonica Iudæorum. Templi destructio.

A. M. 3417. Astyage Medorum rege capto à Cyro, secunda Monarchia Persarum incepit.

A. M. 3433. Captiuitatis solutio, & Templũ secũdum ædificari cęptũ à Zorobabele, sub Cyro.

A. M. 3501. Esdras & Nehemias reuersi, sub Artoxerxe.

A. M. 3638. Dario Persarum rege uicto, Alexander Magnus Græcorum Monarchiæ tertiæ basim iecit.

A.M. 3827. Simon Machabæus iugũ Seleucidarũ gentilium excutit.

A.M. 3904. Hierosolyma capta à Cn. Pompeiõ.

A.M. 3919. C. Iul. Cęsar Dictator perpetuus. Et hic Romana Monarchia quarta incipit.

A.M. 3929. Hierosolyma ab Herode expugnata.

A.M. 3965. Iesus Christus nascitur, A.V.C. 750. Olymp. 194 an. 2.

AEVVM Tertium, sub lege Gratiæ, à Christo θεανθρώπῳ reuelata, qui XX. anno Tiberij, Mundi 4000. passus est, diuidatur in Tempus Romani imperij sub Impp.

ETHNICIS. sic

A.M. 4036. A.C. 70. Hierosolyma à Titõ euersa.

CHRISTIANIS.

A.M. 4273. A.C. 306. Constantinus Magnus in Britannia imperare cepit.

A. M. 4441. C. 475. Augustulus ultimus Occidentis Imper. abdicauit.

A. M. 4459. C. 492. Theodericus Ostrogothus Italiam occupat.

A. M. 4510. C. 553. Theia occiso à Narsete, Ostrogothorum regnum finitur.

A. M. 4534. C. 567. Longobardi Italiam inuadunt.

A. M. 4587. C. 620. Mahometi pseudoprophetæ tyrannidis initium.

A. M. 4740. C. 773. Longobardorum regnum, Desiderio rege capto, Carolus Magnus an. regni V. sustulit. Septennio pòst Imp. occidentis creatus.

A. M. 5418. C. 1452. Constantinopolis Turcorũ iugum subiit. Etsi alij seq. annũ ponunt.

A. M. 5538. C. 1572. Matutinæ Parisienses. Stella noua.

Canicula in Aegypto exoritur 18. Iulij, iuxta Censorinum cap. 17. Id cum Plinio cõuenit, qui dicit Canem oriri 24. die post solstitium, lib. 18. c. 47. Ab hoc exortu canis Heliaco seu matutino Aegyptij suum MAGNVM annum incoabant, quoties primus dies mẽsis Toth cum hoc Canis exortũ cõgruebat. Continebat ille an. cõmunes 1461. Iulianos 1460. Eber.

ANNI SINGILLATIM CONSIDERATI VSVS CHRONOLOGICVS, ET VEL

TOTIVS. ANNI INSIGNES

Sic Annus totus consideratur ut insignis est Actionibus Passionibus qualibuscunq; Hominũ ipsorũ, & uel Eorũ quæ ad hominem referuntur. Consule Titulum, Tempus consideratum respectu Numeratæ rei.

VITÆ HVMANÆ DECVRSV ET MVTATIONE.

Annus CLIMACTERICVS seu Periodicus, Criticus, Scalaris, Gradarius, Decretorius, uitæ humanę manifestam affert mutationem, per septenarios & nouenarios ueluti per scalas ascendens. Hinc ἑβδομαδικὸς 49. septenario in se recurrente, præcipuè obseruatur: & ἐνιαυσιακὸς 63. nouenario septies repetito.

FERTILITATE, ABVNDANTIA.

Plinius li. 18. cap. 31. de anni cuiusdã fertilitate sic scribit: Sed iã & Calendis Ianuarij defectu uasorum uindemiantes uidi, piscinisq; musta cõdi, aut uina effundi priora, ut dubia recì perentur. Hoc non tam sæpe prouentu nimio euenit, quàm fæuitia insidiantium caritati ciuili. Sèd æqui patris familias modus est, annõna cuiusq; anni uti. Id peræquè lucrosum.

FAME.

Consule Tit. Fames memorabiles.

PESTILENTIA.

Vide locum, Pestilentiæ memorabiles.

BELLIS.

Annus 376. Valẽte in Oriente, & Valentiniano II. cum Gratiano fratre Occidẽti imperantibus, magnarum atq; insignium calamitatum initium introduxit, quas primùm Orientale, deinde Occidentale Imperium pertulit. Hoc enim primùm Gothi atq; Alani ab Hunnis exagitati in Thraciã ac finitimas prouincias (quod millies antè, sed irrito semper conatu, tentauerant) penetrarunt: unde multæ, eæq; acerbissimæ clades, ac prope quotidianæ offensiones manarunt: ut uerè hic annus notari possit, tanquã uniuerso terrarum orbi, qui deinde barbarica rabie assiduè laceratus est, funestissimus. Sigonius libro 8. Imp. Ital.

Annus à Christo nato quadringentesimus, omnium, quos Oc cidens uidit, maximè memorandus. Extitit namq; initium irruptionum barbaricarũ: quibus indies magis fæuientib. Occidentale Imperium est usq; ad extremam internecionẽ afflictum. Neq; enim ullum siue bellicę calamitatis, siue barbaricæ feritatis, siue uęsanæ cuiusdam libidinis excogitari exemplum potuit, quod non in ipsas prouincias, ciuitates, agros, hominesq; passim cum maxima atrocitate sit editũ. Quippe Alaricus cùm per quinquennium in Epiro Imperij Orientalis prouincia unà cum Gothis, fœdis Græciæ direptionibus & malefficiis intentus sedisset, tandem animum ad inuadendum Occidentem adiecit, atq; in Dalmatiam, &, ut Iornandes scripsit, in Pannoniam transiit: easque latè populans, ducibus Honorij Imp. patientibus, percursauit. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

FELICITATE ET INFELICITATE.

An. V. C. 648. Q. Serrano & Q. Cæpione Coss. Cimbri in Italiã ingressi, A. Scaurum pręlio uicerũt: eodemq; ad III. Non. Ian. natus est M. Tul. Cicero, cuius lingua etiamnum hodie apud Barbaros de Barbaris triumphat. Gell. lib. 15. cap. 28.

SECVNDVM PARTES. V. G.

VER. SALVBRE VEL INSALVBRE.

Ex Tit. Pestilentiæ, insalubris ueris exempla quædã.

AESTAS SICCA.

Vide suprà, Annus Siccitate nobilis.

AVTVMNVS.

Anno 1435. per autumnum tantæ fuerunt tempestates, quibus nulla hominum memoria similes unquam uidit. Deiecta per nemora ingentia arborum robora, intumuere cuncta flumina, rupti sunt aggeres: infinita hominum iumentorumq; multitudo intercepta periit. Ad Albim, Visurgim, Rhenum deinde cecidere niues profundissimæ, ut per ali- [illegible] ut multi per [illegible] uiatores: dura [illegible] quadragesimam. Granz. lib. 11. Vandalliæ, cap. [illegible]

HIEMES. VEL.

Anno V. C. 558. [illegible] maximũ. Romam Anxur receperat. Durante in Parthos exercitum Cõbusset, hyems adeò sæua fuit, ut obducta glacie flumina, locum [illegible] non præberet, nisi effossa: & ambũrerentur multorum artus frigoris ui, & inter excubias quidam sint exanimati. Militis fascem lignorum gestantis manus ita præriguere, ut oneri adhærẽtes truncis brachiis recederẽt. Cæl. ex Corn. Tacito.

Sub Phoca Imp. mare frigore congelatum, pisces postea mortuos eiecit. Niceph. lib. 18. cap. 43. Blond. Dec. 1. lib. 9. Paulus Diaconus lib. 17. rerum Romanarum.

Zonaras Tomo 3. annotauit, anno Iustiniani 27. tam asperam & duram fuisse hyemem, ut uolucres & immanes bestiæ capi potuerint.

Circiter annum Domini 761. sub CONSTANTINO Copronymo, quo Turcæ ex portis Caspiis in Armeniam irrupere, Calendis Octobris factum est gelu sæuissimum, in toto orbe, præsertim in Septentrionali parte, ut pelagus Ponti usq; ad centum milliaria præ glacici rigore in lapidis duriciem fuerit uersum, habens cubitos in superficie ad profundum triginta: cunctis nimirum regionibus ab ipsa Lycia usq; ad Danubium, & per reliquas ripas, usque ad Mesembriam & Mœsiam similiter patientibus. Cumq; huiusceemodi gelu niue fuisset coopertum, super alios uiginti cubitos creuit, ita ut mare aridæ conformaretur, & pedibus calcaretur in superficie glaciei à Cazaria & Bulgaria, quin & adiacentibus insulis, tam ab hominibus quàm agrestibus & mansuefactis animantibus. Februario uerò mense aere repefacto, glacies in fragmina redacta est, quæ uenti uehementis impetu uiolenter per mare agitabantur, collibus & spaciosis insulis non dissimilia. His animantes inerant feræ, & cicures exanimatæ, adstrictæq; glacie. Eorum fragminum quædam, ui uentorum sub aquis impetu uehementi marinis impacta mœnibus, non ipsa tantùm, sed & uicinas ædes prostrauerunt. Hæc æstus ingens est sequutus, quo & perẽnes amnes siccati sunt, & fontes penitus defecerunt. Zonaras, Cedrenus, Paulus Diaconus lib. 22 Rerum Rom. Cedrenus, & Sigebertus anno 763.

Anno 764. ingens in orientis & Septentrionis partibus gelu extitit. Pontus ad centum millia passuum ita obriguit, ut glacies lapidis duriticm exæquaret: & niue ad uiginti cubitos alta superueniente, similitudinem montis referret. Eadem Februario mense secundæ indictionis in multas partes diffracta, ac secundo æstu ad mœnia Constantinopolis delata, omnibus ad portentosæ rei spectaculum accurrentibus, pauidas ac turbulentas cogitationes iniecit. Mense Martio Stellæ cœlo labentes apparuẽre, omnibus, quorum obiectæ oculis sunt, ultimum seculi finem adesse credentibus. Sigonius lib. 3. regni Ital.

Romano Lacapeno imperante grauissimum fuit frigus, adeò ut terra per dies CXX. glacie durata fuerit. Id gelu subsecuta est, quanta nunquam antea, pestis, quæ tantum fæuiit, ut uiui mortuis efferendis non sufficerent. Cedrenus.

Anno Christi 821. autumnus fuit humidissimus, adeò ut autumnalis satio iugitate pluuiarum in quibusdam locis impedita sit. Cui hyems in tantum prolixa successit, & aspera, ut maximi amnes, Rhenus, Danubius, Albis, Sequana, adeò solida glacie stringerentur, ut 30. uel eo amplius diebus plaustra huc atque illuc commeantia, uelut pontibus uincta sustinerent: cuius resolutio non modicum uillis iuxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit. Annales Francorum, anno Domini 821.

Niuem in die Mauricij cadentem, per 29. septimanas, usq; ad Pascha durasse, & iumẽta & homines extinctos esse, & lunã defecisse ad 3. nonas Martias, Annales Francorũ tradunt, & Martinus in Chronico, circa annũ X. Ludouici, Christi 825.

Hyems solito asperior & prolixior fuit, & gelu à calendis Nouembris, usque ad uernale æquinoctium durauit, anno 875. Sigebertus.

Anno 874. antequã Constantinus Scotorum rex à Danis cæderetur, concreti sunt lacus, flumina, torrentes, amnesque cuncti, à capite Nouembris ad Aprilis extrũ: quando solutta glacie simul cum niuibus ad id tempus perseuerantibus, ingens aquæ uis ita exundauit, ut planities ad radices usq; montium repleret. Qua recedente, incredibilis ranunculorum uis in agris relicta aerem infecit. H. Boeth. lib. 10.

Anno 1124. hyems solito asperior extitit, & ob niuis sæpius cadentis copiam adeò horrida & molesta, ut multorum, tenuium præsertim, liberi frigoris iniuria enecti, & pisces in multis uiuariis sint suffocati. Tanta enim spissitudo glaciei erat, ut plaustra graui pondere onusta transmittere posset. In Brabanto anguillæ innumerabiles, propter glaciem paludibus relictis, in fœnilia se abdiderunt, ubi etiam hyemis asperitate extinctæ cõputruẽre. Secuta est lues, quæ nõ modò in homines, sed etiam cætera animantia sæuiit. Magna quoq; intemperies aeris fuit in Martium mẽsem usq;, & obuarias uicissitudines niuis, pluuiæ & gelu, non parum detrimenti attulit. Nam uix Maio mense ta[illegible]dem arbores efflo-ruerunt: ægrè terra, frigore diuturno oppressa, tandem herbas uirides & gramina protulit. Imber autem singulis men-

ſibus penè deciduus, ſemina terræ commendata propemodum abſorpſit, & auari ſpem agricolæ eſt fruſtratus. Vincentius lib.26.cap.45. & Sigeberti Continuator.

Anni 1126. hyeme Padus in ITALIA ui frigoris uſq; adeò cõglaciauit, ut incitatum equorum curſum, ac grauia iumẽtorum & plauſtrorũ onera ſuſtinuerit: ac ſe uiatoribus quaſi campum ad iter ultrò citroq; faciendum ſubſtrauerit. Sigonius lib.11. regni Italici.

Anno 1202. in SCOTIA tanta tãq; diuturna fuit aſperitas hyemis, ut ante Martij dimidium nemo terram aratro proſcindere ualeret: cereuiſia congelata pondere uenderetur: nix continua multos dies caderet, eaq; maxima pecudum ſtrages fieret: terræmotus uerò quotidie ab Epiphania Domini uſq; ad Calendas Februarias factus. H. Boethius lib.13.

Anno 1323. frigore mare conſtrictum, ut pedeſtri per glaciem itinere de litore Germanico in Daniam atq; Pruſſiam mare tranſiretur, diſpoſitis per opportuna loca in glacie hoſpitiis. Cranzius lib.8. Vandaliæ, cap.7.

Frigus ingẽs anno 1363. ſic ut lacus Tigurinus præ frigore concreſceret. Vide Tit. Humanitatis hominum erga bruta.

Anno Sal. 1399. per brumam gelu terras ac maria conſtrinxit, ut ſicco ueſtigio è Lubica per mare in urbem Sundenſem, inde in Daniam peruenireturr. Qua opportunitate uſi fratres Teutonici, Maſſagetas feliciter oppugnauere, cùm lacus, & paludes, & omnia receptacula eorum glacie durata iter præberent. Vſus eſt eadem Albertus quoq; comes Holſatiæ, qui in Phriſiam Eydorenſem mouens, gladio & igne ſæuiit, coegitq; populum terræ datis ſedecim marcharum millibus totius terræ uaſtitatem redimere. Hoc tum potuit comes unus, adiutus temporum ratione. Cranzius lib. 10. Saxoniæ cap.18.

Circa annum ſal. 1432. fuit hyems adeò glacialis, ut concreto circa Venetam urbem ſtagno Clodiam uſq; pedibus iretur, & ex Meſtra oppido curru ſit ſpõſa Venetias aduecta, quod à condita urbe nunquam acciderat. Sab.lib.2.En.10.

Anno 1489. uel. 1490. tantus tamq; perpetuus niuiũ rigor fuit, ut omnia Venetæ urbis æſtuaria congelauerint: neq; pedibus modò, ſed in equis etiam homines ex agris ad extremũ urbis marginem commeatibus importandis ſine periculo uentitarint: magiſtratuſq; Meſtrinus ad Secundi fanũ, quod eſt in mediis ad urbem uadis, curru peruenerit. Quibus quidem diebus etiam in media latiſſimaq; urbis uia, per quam unam naues onerariæ magnæ permeant, conſtricto glacie mari, niueq; ſuperaddita, admiſſis per ludi ſpeciem equis, Græci haſtati equites concurrerunt. Vini, ficus, oleæ, annis aliquot, intra Alpes Atheſimq; atq; Padum flumina exuſtis ſuper terram arboribus, prouentum anguſtiorẽ habuerunt. Bembus lib.1. Ven. Hiſt. Circumuehebantur uenales aquæ, ut aſſolet, in cymbis, uerùm rigore concretæ ac ſecuribus diffractæ, ut magis oculorũ æſtimatione uenderetur quàm menſura. Paluſtres & marinæ uolucres in paludibus deprehenſæ minoraque animalia intolerandis frigoribus paſſim interiere. Sab.lib.8.En.10.

Mitis.

Ferdinandus II. Rex Neapolitanus, aduentãte Carolo VIII. Galliæ rege cum ualido exercitu, ad ſancti Germani ſaltum ſuis munitionibus ſe tenere, hoſtemq; ferocem & pugnandi auidum cunctando ludificari decreuerat, donec aut pabuli inopia, aut tædio hyemis aliqua hoſtibus ex iniquo loco dimicandi neceſſitas imponeretur. Verùm hyberni dies, perpetua aeris ſerenitate uernis æſtiuiſq; perſimiles, Gallorum ſpei tam opportunè acciderunt, ut quanquam omne fermè pabulum ab Aragoniis paulò antè eſſet corruptum, ipſi tamen ex remotioribus locis facilè pabularentur, ac omnium rerum copia floridæ hyemis beneficio plurimum abundarent. Adeò ut cuncta fecunda atq; facilia Gallis, aduerſa autem atq; aſpera Aragoniis, fatorum ui ac ſuperũm conſilio præberi uiderentur. Iouius lib.2. Hiſt.

ANNI CONIVNCTIM CONSIDERATI VSVS CHRONOLOGICVS. Quatenus Anni plures complicati metiuntur publicam priuatámue

FELICITATEM.

IN GENERE. SECVLVM FELIX.

De AVREO ſeculo pleni ſunt Poetarum libri. Ouid.1.Metam.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ uindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumq; colebat.
Pœna metuſq; aberant: nec uerba minantia fixo
Aere ligabantur: nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.
Nondum cæſa ſuis, peregrinum ut uiſeret orbem,
Montibus in liquidas pinus deſcenderat undas:
Nullaq; mortales, præter ſua littora, norant.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non enſis erat: ſine militis uſu
Mollia ſecuræ peragebant otia gentes.
Ipſa quoq; immunis, raſtroq; intacta, nec ullis
Saucia uomeribus, per ſe dabat omnia tellus:
Contentiq; cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant,
Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidiq; tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
Nec renouatus ager grauidis canebat ariſtis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq; de uiridi ſtillabant ilice mella.

EMMANVELIS I. Luſitaniæ regis temporibus inopia in exilium pulſa uidebatur: mœſtitiæ locus non erat: querimoniæ ſilebant: omnia choreis & cantibus perſonabant. Eiuſmodi ludis aula Regia frequenter oblectabatur. Nobiles adoleſcentes cum uirginibus Regiis in aula, ſine ulla libidinis ſignificatione, ſaltabant: & quamuis honeſtiſſimis amoribus indulgerent, uirginibus erat inſitum, neminem ad familiaritatẽ admittere, niſi illum, qui aliquid fortiter & animoſè bellicis in rebus effeciſſet. Pueris enim nobilibus, qui in aula Regia uerſabantur, non erat licitum pallium uirile ſumere, antequam in Africam traiicerent, & aliquod inde decus egregiũ reportarent. Oſor. l. 12. rer. Em.

IN SPECIE. SECVLVM, TEMPVS, AETAS FELIX

Liberatura.

ALEXANDRI ſeculum multis artibus & inſignibus felix ingeniis fuit proferendis. At non Alexandri hoc, ſed fortunæ fuit illorum: ut illis teſtis obtingeret & ſpectator is, qui cùm optimè exiſtimare de operis elegantia, tum maximè poſſet remunerare. Plut. orat.2. de fort. Alex.

Barbaris in Italiam irrumpentibus, ſtudia non ſolùm, quæ à Græcis accepta erant, philoſophiæ & medicinæ, ſed etiam quæ ipſi Romani tradiderant iuris ciuilis, ita abiecta atquè proſtrata fuerant, ut uix ueſtigium ullum eorum extaret. At ſub CONRADO III. Germanorum rege uniuerſæ uno quaſi impetu lacertos mouere, & in campum prodire uiſæ ſunt literæ. Siquidem in Hiſpania Sarraceni duo, Auerroes & Auicenna, ſingulari ingenio homines, philoſophiæ & medicinæ ſtudia editis in ea commentariis illuſtrarunt: & in Italia, maximeq; Bononiæ, ius utrumque lumen ingens accepit. Nam poſt Irnerium Bulgarus, Martinus, Hugo, & Iacobus, ad ius ciuile & uoce & ſcriptis interpretandum certatim ſe mirifico accenſi ſtudio contulerunt: & Gratianus monachus decretorum uolumine ex multis conciliorum, pontificum, ac piorum doctorum libris confecto iura pontificia plurimùm illuſtrauit. Theologiam uerò maximè induſtria atque opera ſua Petrus Nouarienſis, cognomento Lombardus, epiſcopus Pariſienſis prouexit, libris, qui dicuntur, Sententiarũ conſcriptis. Sigon. l.11. regni Ital.

Pietate, Sanctimonia.

Aquileienſi concilio an.381. contra Arrianos indicto, interfuere, ex Italia Valerianus Aquileienſis, Ambroſius Mediolanenſis, Euſebius Bononienſis, Limenius Vercellenſis, Sabinus Placẽtinus, Philaſter Brixianus, Baſſianus Laudẽſis, Heliodorus Altinas, Exuperãtius Derthonẽſis, Diogenes Genuenſis, & Anemnius Sirmienſis: quorum pleriq; poſt mortem in ſanctorum Confeſſorum relati numerum, adhuc magna ab his ciuitatibus religione coluntur. Tulit enim hæc ætas ingentem numerum ſanctorum apud Italos epiſcoporum: quos, ut ſcribit Ammianus, tenuitas edendi, potãdiq; parciſſimè, uilitas indumentorum, ſupercilia humum ſpectantia perpetuò, numini, uteiſq; eius cultoribus, ut puros commendauit & uerecundos. Sigon. lib.8. Imp. occid.

Iuſtitia.

☞ *Vide ſuo loco, Felices Subditi ob Principes bonos.*

Ariſtides

Ariſtides Athenienſis, ob inſignem iuſtitiæ opinionem Iuſtus cognominatus, uniuerſæ Græciæ populis cenſum deſcripſit, tanta æquitate & iuſtitia, ut GRÆCORVM felicitas ſit dictus: & quæ eum tulit, aurea ſit ætas appellata, ac ea quæ Saturno quondam rege fuerat. Sabellicus lib.4.cap.4.

Annonæ prouentu.

An.M.2230. à Diluuio 574. fertilium ſeptem annorum primus Geneſis 41.

An.M.2237. Diluuij 581. famis uniuerſalis ſeptẽnalis primus. Geneſis 41.

Olauo III. apud Danos regnante, per integrum ferè decennium fames horrenda fuit. At eo mortuo, cùm ERICVS frater ſucceſſiſſet, tanta ſucceſſit ubertas, ut ſinguli cuiuslibet annonæ modij totidem denariis permutarentur. Sed & continuis regni ipſius annis eadem ubertas permanſit. Quo euenit, ut non ſolùm ex morum, ſed etiam temporum placidiſſimo uſu, Boni cognomen acceperit. Saxo lib.12.

Salubri conſtitutione.

Vnum omnino quinquennium fuit, quo ſenator nullus ROMÆ moreretur, cùm Flaccus & Albinus cenſores luſtrum condidere uſq; ad proximos cenſores, ab anno urbis quingentesimo ſeptuageſimonono. Plin. Hiſt. nat. lib.7. cap.48.

Pace, Tranquillitate publica.

☞ *Volumine tertio, fol. 852. Seculum pace florens recenſuimus. Illic Aanicitia, hic eam comitans Felicitas perpenditur.*

D. Hieronymus in caput 2. Eſaiæ, ſic ſcribit: Veteres reuoluamus hiſtorias, & inueniemꝰ uſq; ad XXVIII annũ Cęſaris AVGVSTI, cuius XLI. anno Chriſtus natus eſt in Iudæa, in toto orbe terrarũ fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes cõtra uicinas gẽtes arſiſſe ſtudio præliãdi, ita ut cæderẽt & cæderẽtur. Orto aũt Domino Saluatore, quãdo ſub pręſide Syriæ Cyrino prima eſt in orbe terrarum facta deſcriptio, & Euangelicæ doctrinæ pax Romani imperij præparata, tunc omnia bella ceſſauerunt, & nequaquam per oppida & uicos exercebantur ad prælia, ſed ad agrorum cultus, militibus tantùm legionibuſq; Romanis contra barbaras nationes bellandi ſtudio delegato, quando impletus eſt Angelorum ille cõcentus, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ uoluntatis: &:in diebus eius orta eſt iuſtitia in multitudine pacis.

INFELICITATEM.

IN GENERE. SECVLVM, AETAS INFELIX.

De FERREI ſeculi moribus tum alij poetæ, tum Heſiodus primo Operum, & Ouid.1.Metamorph.

—— De duro eſt ultima ferro.
Protinus irrupit uenæ peioris in æuum
Omne nefas: fugẽre pudor, uerumq; fideſq;:
In quorum ſubiere locum fraudeſq; doliq;,
Inſidięq; & uis, & amor ſceleratus habendi.
Vela dabat uentis, nec adhuc benè nouerat illos
Nauita, quæq; diu ſteterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis inſultauere carinæ:
Communemq; priùs (ceu lumina ſolis & auræ)
Cautus humum longo ſignauit limite meſſor:
Nec tantùm ſegetes, alimentaq; debita diues
Poſcebatur humus: ſed itum eſt in uiſcera terræ,
Quaſq; recondiderat, Stygiiſq; admouerat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroq;,
Sanguineaq; manu crepitantia concutit arma.
Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero: fratrum quoq; gratia rara eſt:
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas, & uirgo cæde madentes
Vltima cœleſtum terras Aſtręa reliquit.

Sub imperio THEODOSII Iunioris accidit terręmotus horrendus: præterea fames, peſtes, ferarum agreſtium in homines grãſſationes, chaſmata, exuſtiones, grãdines maximę, niuium & frigoris uis, ſolis eclipſis tanta, ut ſtellæ medio etiam die conſpectæ ſint: quam decimo Honorij imperij anno accidiſſe, in Floribus ſuis ſcripſit Gigas: fulgor, in cœlo coni formam referens, mirabili planè & uario maximè per diuerſas cœli partes motu: ignes cum terræmotibus è cœlo quaſi rupto delapſi: trabium in ædibus & tectorum mirabiles & prodigioſæ rupturæ, & commiſſiones inter ſe aptæ rurſus. Nicephorus libro 13. capite 36

TEMPVS extremũ periculoſum, & Antichriſti ſeductionibus obnoxium fore, Apoſtolus 2. ad Timotheũ 3. teſtatur: Hoc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Itidem D. Petrus 2. Petri 2. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos uia ueritatis blaſphemabitur. Itẽ Iudas Apoſtolus cap. 1. Vos autem, cariſſimi, memores eſtote uerborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui dicebant uobis, quoniam in nouiſſimo tempore uenient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus.

IN SPECIE. AETAS INFELIX

Portentis, Monſtris.

Sub M. ANTONINO Pio Imp. aduerſa hæc prouenerunt: Fames ingens, Circi ruina, terręmotus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt: quæ omnia mirificè inſtauraui. Et Romæ incendium, quod trecentas quadraginta inſulas uel domos abſumſit. Et Narbonenſis ciuitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe ſorum arſit. Fuit & inundatio Tiberis. Apparuit & Stella cirinita. Natus eſt & biceps puer, & uno partu mulieris quinque pueri editi ſunt. Viſus eſt in Arabia iubatus anguis maior ſolitis, qui ſe à cauda medium comedit. Lues etiam in Arabia fuit. Hordeum in Mœſia in culminibus arborum natum eſt. Quatuor præterea Leones manſueti, ſponte ſe capiendos in Arabia præbuerunt. Capitolinus.

Anno 557. ORIENS ſæuis atque inauditis antè malis eſt diuexatus, illuuionis, peſtilentiæ, tempeſtatis, terræmotus. Nam mare limitibus naturalibus ad tria millia paſſuum Thraciam uerſus exceſſit, atque agris hominibuſque multis oppreſſis, in alueum priſtinum rediit. Sequuta eſt inde Conſtantinopoli tanta tamq; dira peſtilentiæ lues, ut mortui triduum inſepulti iacerent, non ſufficiente propter multitudinem cadauerum libitina: mox, cùm ne currus, quidẽ à Iuſtiniano Imper. curati ſatis ualerent, in litus eiecta ad ſex dies inhumata manſerunt, & fœtore intolerabili loca proxima inſecerunt. Menſibus Iulio & Auguſto illa maximè clades accepta. Quin etiam per eoſdem dies inſolitæ cœli tempeſtates atque horribiles extiterunt: erat autem continuus propè cœli fragor, & paſſim micantium fulminum ſpecies: quæ non ſolùm oculis auribuſque attonitis terrorẽ, ſed etiam ſuſpenſis animis religionem incutiebãt: quibus nonnulli etiam ſomnum capientes aduſti ſunt. Fulgura uerò, terræmotus adeò atroces & ſæui in omnibus terris ſunt conſequuti, ut meritò homines uererentur, ne uno terræ hauſtu urbes abſorberentur. Hoc terræmotu ſedato, rurſus mare ad duo millia paſſuum extra fines excurrit: alterque terræmotus, iam incunte hyeme, priorem excepit, qui multò, quàm ille, non ſolùm minacior, ſed etiam pernicioſior fuit. Præcipuè Conſtantinopoli circa mediam noctem, ciuibus alto & profundo ſomno ſopitis, repentè concuti omnium fundamenta ædificiorum cœperunt, iſq; motus uſqueadeò ſæpè cum inſigni incremento eſt repetitus, ut homines, ſomno diſcuſſo, periculi inſtantis magnitudine conſternati, altiſſimos eiulatus & flebiles comploationes ediderint, ſupplicesq; uota ad Deum effuderint: tum ſonitus quidam grauis, feruſq; ſtridor è terra erupit, qui ſæuiſſimis uentorum agminibus quaſi ſtipatus, ipſum terrorem ingeminauit: quo territi homines, mente propè attoniti, ex ædibus ſeſe in publicum effundebant, ac ſub dio notis faciendis manebant, omniaq; niuis algoriſq; incommoda ſuſtinentes, tectis ſuccedere detrectabant. Licebat autẽ cernere mulieres nobilitate & caſtitate inſignes, temerè cũ uiris alienis, omni pudoris confuſo diſcrimine, commiſceri: uiros uirtute præſtantes ab ignobilibus, dominos à ſeruis, magiſtratus à priuatis in ordinem redigi, omnib. mortem in proximo eſſe putantibus: multis in partibus ædes totæ procubuere: multis in ædibus tecta, compage ipſa ſoluta, ita diuulſa ſunt, ut cœlum aſpiceretur, ac mox ita coierunt, ut fractura non cerneretur: alibi columnæ ex ſuperiore ædificij parte ui excuſſæ ad longinquas ædes, uelut funda, emiſſę, fragore ingenti omnia contriuerunt. E plebe plurimi periere, è nobilitate ſolus Anatolius, uir conſularis, in lecto cubans, marmoris fragmento collisus eſt. Luce autẽ ſubſequente, ciues ſe inter ſe intueri, ſalutare, & complecti, perinde ac ſi deſperata ſalute iam iam eſſent mortem oppetituri. Inde per decem pòſt dies ipſo continuato tremore, reliqua ędificia aut labefactata, aut certè tentata ſunt. Quæ res homines coire coegit, & ſupplicationes Deo facere, & carmina expiatoria canere. Iuſtinianus autẽ religione perfuſus, in feſto Natalitiorum & Theophaniorum per urbẽ poſita Auguſtali corona, inceſſit, nec conuiuia ſolennia celebrauit, ſed eorum impenſas in egenos tolerandos transſudit: uulgò etiam æquitas in commerciis & iudiciis coli cœpta, & omnes turpitudinis ac flagitiorum labes reiectæ. alij, mutato uiuendi more, honoribus opibuſque relictis, uel in ſacra loca collatis, uitam ſibi ſolitariam depoſcebãt. Per noctẽ primores ciuitatis publicas uias obeuntes, mendicos,

dicos, atq; egentes, cibis oblatis, uestibusq;, leuabant. Hũc terræmotum tam insignem sequuta est altera insignior pestilentia, quæ integros quatuor menses urbem attriuit. Moriebantur pleriq; repentè, tanquam apoplexia correpti, neque ultra quintum diem superabant. morbus autem priori similis: nam febres ad bubonem intumescentem adiectæ, eum, quem inuaserant, extinguebant: nonnulli uerò nec febre occupati, nec dolore ullo uexati, dum secretè corpora curarent, & domi, & foris, ut cuiq; contingebat, cadebant: præcipuè iuuenes uis illa morbi absumebat, & mares magis, quàm feminas: nam illæ dissimili lue conficiebantur. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

Bellis.

HONORIVM Imp. non tam in aduersis rebus constantia illustrauit, quàm captæ primùm sub eo Romæ infamia deformauit. Eo regnante in Pannoniam Hunni, in Hispaniam Vandali, Alani, Sueui, & Gothi: in Galliam Alani, Burgundiones, & Gothi, certis sedibus permissis, accepti. Sigonius libro 11. Imp. occid.

SECVLVM septimum post Christum, si quod aliud, turbis & mutationibus fuit feracissimum. Nam Persæ & Arabes in Oriente Asiam & Africam crudeliter afflixerunt, & de imperio Romano multa regna amputauerunt, religionemq; Mahometi longè lateq; diffuderunt, uastatis Ecclesiis Christi, & uera doctrina & cultu Dei, iuxta Danielis uaticinium, de cornu paruulo. In Europa Hunni, Aua res, Bulgari, Gothi, Longobardi, atque etiam Romani pontifices, bonam partem de imperio præciderunt: ac si in Romani imperij diretionem coniurasse uiderentur.

Barbarie.

Ex Tit. Indoctorum regum, exempla quædam huic loco inseruient. item ex Tit. Doctorum contemtus, quando non priuatum, sed publicum reddit ur hoc malum.

MENSIVM VSVS CHRONOLOGICVS, VT CONSIDERANTVR TOTI VEL SINGILLATIM. RESPECTV GENTIS. Sic perpenditur mensis

Hebræorum

Primus.

Iosephus in lib. 1. Antiq. Iudaic. cap. 3. Moses, inquit, mensem Nisan, qui est Xanthicus, primum in suis festis ordinauit, quòd per hunc Hebræos ex Aegypto eduxisset. Eundem enim omnium quæ ad rem diuinam pertinebant exordium fecit. Et libro 2. capite sexto, de Hebræis loquens inquit: Reliquerunt autem, Aegyptum mense Xanthico, Luna decima quinta. Item lib. 3. cap. 9. Initiũ, inquit, sequentis anni, mense Xanthico Macedonum, Hebræorum Nisan, tabernaculum nouilunio dedicatum est. Et eiusdem libri capite 10. Mense Xanthico, qui nostris Nisan dicitur, & annum exorditur Luna decima quartã, Sole Arietem obtinente (quando quidem hoc mense ab Aegyptiaca seruitute liberati sumus) sacrificium, quod tunc exeũtes fecisse dicimus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege iubemur. Item lib. 11. cap. 4. Instante, inquit, deinde Azymorum festo, mense primo, qui Macedonibus Xanthicus, nobis uero Nisan dicitur, confluxit totus populus ex oppidis in urbem.

MARDOCHEVS prima die mensis Nisan, uidit somnium: Esdræ 1. D. 1. anno septimo Artoxerxis, ESDRAS Babylone egressus, primo die mensis quinti Hierosolymam uenit. 1. Esd. 7. D. 1. anno octauo Darij IVDÆI abiecerunt uxores alienigenas. 1 Esdrę 10. NEHEMIAS impetrauit à rege Artoxerxe anno regni 20. literas pro Hierosolyma instauranda. 2. Esdræ 1.

Die 10. ISRAELITÆ è Iordane ascendentes, Galgalis castrã metati sunt. Iosue 4.

Die 10. EZECHIELI secũda uisio facta de tẽpli reparatione, anno 25. trãsmigrationis Ioachin. Ezech. 40. Die 13. Amã sortem iecit de Iudæorũ gente tollẽda. Et exiit mensis duodecimus. At tertio pòst mense ipse suspensus fuit. Hester 3. anno Assueri 12. D. 14. fecerunt Iudæi Pascha transmigrationis Babylonicæ, anno sexto Darij. 1. Esd. 6. D. 22. anno regni sui 18. DARIVS de bello Occidentalibus inferendo cõsilia agitauit. Iudith. 2. Die 15. cessauit Marina. Iosue 9. D. 24. anno à reditu è Babylone 3. uidit DANIEL suam postremam uisionem. Daniel. 10.

Secundus.

Secundo mense Iiar anni secundi ab egressu, ISRAELITÆ recensiti, & XII. principes constituti in deserto Sinai. Num. 1. Eiusdem mensis 20. die eleuata est nubes de tabernaculo, & profecti sunt è Sinai deserto ad Pharan. Num. 10.

Tertij Regum seu primi Samuelis cap. 6. legimus SOLOMONEM anno regni sui 4. anno uerò CCCCLXXX egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, mense Zio, qui secundus est, domum Domino ædificare cœpisse, quod & notat Iosephus Antiq. lib. 8. cap. 2. qui mẽsem hũc Macedonibus Artemisium, Iiar uerò Hebræis, dici asserit.

Mensis 2. die 23. SIMON Machabeus arcem Hierosolymorũ recepit atque incendit. anno M. 3828. 1. Macchab. 13.

Secundo mense, anno secundo reditus è Babylone sub Cyro, ZOROBABEL cepit muros ędificare. 1. Esdrę 3. Impedito inde conatu sub Cambyse, per annos nouem, eo mortuo, sub Dario iterum reuersi, templum incoarunt. 3. Esdræ 5.

Tertius.

Tertij mensis Siuan die 23. Amane suspenso, pro IVDÆIS redimendis literæ concessę, Assueri regis anno 12. Hester 8.

Quartus.

Quarto mense Thamuz, anno secũdo Exitus, missi explorores ab ISRAELITIS in terram sanctam, nono die mensis Ab sunt reuersi. Num. 13. & Iosue 14.

Quarti mensis die 5. anno transmigrationis Ioachin quinto, EZECHIEL primas uisiones uidit. Ezech. 1. Die 9. anni 11. Sedechiæ, capta est Hierusalẽ à Nabucodonosore. Hier. 52.

Quintus.

Quinto mense Ab, MOSES legis tabulas è monte retulit primas. Exodi 32. Post alteros 40 dies mense Elul secundas. Exodi 34.

Eiusdẽ die primo, anno ab Exitu 40. AARON obiit. Num. 33.

D. 4. NEHEMIAS cepit ædificare Hierusalem. 2. Esdræ 3.

Sextus.

Die 25. completi à NEHEMIA muri Hierusalem, anno 32. Artoxerxis. Nehem. 6.

Muri Hierosolymorum compleri ab ESDRA 25. die mensis Elul. 2. Esdræ 6.

Septimus.

Iosephus Antiquitatum Iudaicarũ lib. 8. cap. 3. ex 3. Regũ 8. SALOMON rex, inquit, per literas iussit magistratus ac seniores Hebræorum totum populum Hierosolymam congregare, ad spectandum templum & transferendum illuc aram à Deo sacratã: denunciataq; omnibus profectione, septimo demum mense conuenerunt, qui nostratibus est Ethanim siue Thysri: Macedonibus Hyperberetæus: inciditq; in id tempus Scenopegia, festum apud Hebræos sanctiss. & maximum.

Die primo, anno primo soluitæ captiuitatis Babylonicæ, obtulerunt ISRAELITÆ, uondum fundato templo. 1. Esd. 3.

D. 24. anno primo à reditu è Babylone, separarunt IVDÆI à se uxores alienigenas. Nehem. 9.

Octauus.

Octauo mense Bul templum Domini absoluit Salomon, XI. regni anno, in septennium cœptum. 3. Reg. 6. Die 15. Hieroboam rex Israelitarum uitulos aureos erexit. 3. Regum 12.

Octauo mense, anno secundo Darij Medi, ZACHARIAS populum ad pœnitentiam uocauit. Zach. 1.

Nonus.

Initio factum est uerbũ Domini ad ZACHARIAM, in quarta mensis noni, qui est Chisleu. Zach. 7.

Iosephus Antiq. Iud. lib. 12. cap. 7. de profanatione templi Hierosolymitani & clade in eo facta loquens: Ea clades, inqt, accidit anno secundo post urbem captam, regni eius familiæ centesimo quadragesimo quinto, uicesima quinta eius mensis qui Chisleu nostris, Macedonibus Apellęus dicitur. Olymp. 153. Ex 1. Machab. 1. & 10.

Constituit IVDAS & fratres eius, totaq; Israelis cõcio, ut dies renouationis altaris suis temporib. agiretur singulis annis, octo dies scilicet à 25. die mensis Chisleu, magno cum gaudio & lætitia. 1. Mach. 4.

Decimus.

Decimi mensis die 10. anno nono Sedechię, obsedit NABVCODONOSOR Hierosolymam. Hieremiæ 52. & 4. Regum cap. 25.

Ducta est HESTER ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui uocatur Thebeth. Hester cap. 2.

Vndecimus.

Vndecimi mensis Schebat uel Sebath die primo, anno Exitus 40. MOSES legem populo repetiit, & obiit: Iosue principatum suscepit.

Die 24. anno secundo Darij, audiuit ZACHARIAS Angelũ intercedentem pro populo captiuo. Zach. 1.

Duodecimus.

Mortuus est MOSES ultimo anni mense, die prima mensis, qui à Macedonibus Dystrus dicitur, ab Hebræis uerò Adar, uir omnium quotquot unquam fuere prudentissimus. Iosephus lib. 4. Antiq. cap. ultimo.

Die 27. anno transmigrationis Ioachim, AMELINVS Euilmerodach eduxit Ioachimum regem è carcere, & posuit thronum eius super thronũm regum reliquorum. Hieremię 52. & 4. Regum 25.

Die 3. anno Darij 6. completum est templum à IVDÆIS. 1. Esdræ 6. & 3. Esdræ 5.

Cyrus, quem Græci ARTAXERXEN nominant, Hesteræ consuetudine delectatus & amore correptus, legitimã uxorem eam sibi adiunxit, nuptiasq; celebrauit anno regni sui septimo, mense duodecimo, qui Adar dicitur. Iosephus libro 11. Antiq. cap. 5.

Literæ signatæ sunt ipsius ASSVERI annulo, missęque per cũrsores regis ad uniuersas prouincias, ut occiderent atq; delerent omnes Iudæos à puero usq; ad senem, paruulos & mulieres uno die, hoc est tertiodecimo die mensis XII. qui uocatur Adar. Et cap. 8. ibidem, Et constituta est per omnes prouincias una ultionis dies, id est decimatertia dies mensis XII Adar. Machabæorum 1. cap. 7. Et commiserunt exercitus prælium tertia decima die mensis Adar.

Tertiadecima dies mensis Adar, uocatur uoce Syriaca Pridie Mardochæi dies. Mach. 2. cap. 15.

Atheniensium mensis

Primus.

THESEVS Athenas uenit octauo Hecatombęonis, qui priùs Cronius, id est, Saturnius dicebatur. Plut. in Theseo.

IDEM 16. die Hecatombæonis Metœcia sacrum à mutatis sedibus dictum fecit. Plut. in Theseo.

BOEOTI, quinto die eius mensis, qui ipsis Hippodromius est, Hecatombæon Athenienſibus, duas præclarissimas victorias parauerunt: unam in Leuctris: alteram ad Gerestũ. Plut. in Camillo.

Secundus.

Metageitnion, quem Panæmum Bœoti dicunt, Græcis inauspicatus fuit. Eius enim die septima pugna ab Antipatro uicti ATHENIENSES in Cranone protinus perierũt. Plut. in Camillo. Itẽ in Nicia, Fuit is dies (quo Nicias captus est) 24. Carnij mensis, quem Metageitnionem Athenienſes cognominant. Et in Poplicola scribit, Capitolium dedicatum esse, idibus Septẽbris, quas uult cum plenilunio Metageitnionis concurrere. Etsi uidetur pro Metageitnionis, Maimacterionis esse legendum. Nam Maimacterion propiùs ad Septembrem accedit. Io. Lalamantius de Annõ.

Tertius.

THESEVS mense Boedromione Amazones uicit. Vnde nomen mẽsi inditum, & sacra Boedromia instituta, à clamore sublato, cùm ad auxilia concurreretur.

Circa tempus id, quo Mysteria Athenis celebrantur, THEBÆ ab Alex. dirutæ, & Athenienſes præsidium Macedonum accepere, circiter XX. Boedromionis. Plut. in Camillo.

PERSÆ mensis Boedromionis die 6. in Marathone infeliciter pugnarunt. Et Luna tum defecit. Ibidem, & in Alex.

Parua Mysteria Anthesterione: magna Boedromione celebrantur Athenis. Plut. in Demetrio.

Quartus.

PLATÆENSES se parentaturos receperunt singulis annis Græcis illis, qui cecidissent & occubuissent in expeditione contra Persas. id quod & in hunc usque diem faciunt, die decima 6. Maimacterionis, qui Bœotis Alalcomenios dicitur. Hunc mensem nonnulli à Mæmacta, id est, Ioue, cui eò mense sacrificabatur, dictum uolunt. Plut. in Aristide.

Quintus.

THESEVS obiit die Pyanepsionis XVI. quo die austeram admodum Thesmophoriõn diem mulieres celebrantes, apud deam ieiunant. Plut. in Demosthene, & in Decem.

Sepulto patre THESEVS uotum repræsentauit Apollini septima die mensis Pyanepsionis, qua die in urbem redierat. Quòd autem coquuntur legumina, (hæc πάνσπερμα Græci dicunt, unde mensi nomen) inde sumtum ferunt, quòd reduces, ciborum quicquid erat reliquum, commiscuerunt, ac in unam ollam coniectum coxerũt, tùm simul epulati sunt. Octauo etiam die huius Pyanepsionis quotãnis Pyanepsia celebrabãtur Athenis in memoriam felicis reditus Thesei, qui interfecto Minotauro in Creta, & liberatis à difficili tributo Athenienſibus, ac secum reducens incolumes Atheniensium liberos obsides datos, tali die urbem ingressus est. Plutarchus in Theseo.

Sextus.

Thucydides lib. 2. histor. duodecimo die Anthesterionis Dionysia antiquorũ ATHENIS celebrata fuisse scribit. Et Suidas: Choes, inquit, festum erat apud Athenienſes celebratum XII Anthester. Apollodorus ait, Anthesteria generatim uocari totum festum Dionysio celebratum.

Nonus.

Aeschines in oratione κατὰ κτησιφῶντος dicit, DEMOSTHENEM tempora ciuitatis suffurantem decretum scripsisse, ut prytanes concionem conuocarent octaua incipientis Elaphebolionis mensis, cùm sacra fierent Aesculapio.

Thucydides lib. 5. hist. loquẽs de conditionibus pacis, initæ inter Athenienſes & Lacedæmonios, in annos quinquaginta, scribit, Pacem factam fuisse Lacedæmone Archonte Plistola Ephorõ, diebus 4. ante finem Artemisij, Athenis Alcæõ archonte, sexto die Elaphebolionis desinentis.

Decimus.

ATHENARVM mœnia solo exæquauit Lysander anno septimo ac septuagesimo post uictoriam GRÆCORVM Salaminiam. Addit Plutarchus in Lysandro, utrumq; cõtigisse sexta die mensis Munychionis. Io. Bodin. Methodi hist. c. 6. thod. histor. cap. 6.

Vndecimus.

Sexta Thargelionis incipientis SOCRATIS natalis, septima PLATONIS etiã natalis celebrabantur: teste Plut. in Symposiacis, & Laert. libro tertio, in Platone. Et lib. 2. in Socratis uita circa finem, scribit Socratem natum anno 4. Olympiadis 77. Thargelionis mensis sexto die: quo die lustrant, inquit, Athenienſes ciuitatem.

Plutarchus in Camillo Thargelionem mensem inter nefastos numerat & infelices Barbaris. Eo enim mense Alexander ad Granicum regis duces superauit, eiusq; mensis XXVII. Carthaginenſes à Timoleonte apud Siciliam uicti. Circa eundemq; diem Troia capta censetur, ut est ab Ephoro, Callisthene, Damaste & Plutarcho traditum. Et Dion. Halicarn. scribit Troiam captam fuisse sub finem ueris, diebus 17. ante solstitium æstiuum, XXIII. die mensis Thargelionis, ut quidem Athenienſes solent supputare.

Romanorum mensis

Primus.

Romæ comitia celebrata, Magistratus electi, & lauri frondes nouis magistratibus dati. Cal. Rom. Stipes erogabantur, dulciaria dabantur. Ouid.

Ianuarius Nuptialis Rom. & præsertim dies 22. Ludi Palatini 17. Ianuar. Romæ cœpti, in septem dies durabant. Calend. Roman.

Secundus.

FEBRVARIVM secundũ mẽsem instituisse Numã, Februoq; deo, qui lustrationum potens creditur, dicauisse, tradit Macrob. Lustrari aũt eo mense necesse erat ciuitatem: quo statuit, ut iusta diis manibus, soluerentur. Varro, Februarius, inquit, ab diis inferis appellatus, quòd tum his parentent. Ego, inquit, magis arbitror, Februarium dici à die Februato, quòd tum februatur populus, id est, à Lupercis nudis lustratur. Et idem alio loco, cùm Rex ferias menstruas Nonis Februarij dicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabinis purgamentum. Hæc ille. Cæterũ Februum deum nonnulli Plutonem uocant. Plutar. Februarius quasi lustralis dictus est. Expiationem enim Februa significant, & tunc mortuis parentant. Io. Lalamantius.

Tertius.

MARTIO mense, Quinquatria Mineruæ agebantur. Ancilia Salij circumferebant. Vectigalia locabantur.

Quartus.

APRILIS, ab Aphrodite Venere, cui hoc mẽse sacra faciebãt Romani, Aeneæ auctoris generis matre: uti à Marte Romuli patre Martius.

Quintus.

MAIVS Mercurio sacer. A matre Maia nomen, cui in multis ciuitatibus Latinis ante V. C. sacra fieri solita Festus scribit.

Calendis, Nonis, & Idibus Maij Lari deo sacra Romæ fiebãt, asello panibus coronato. Cal. Rom.

Cur Mense Maio uxores non ducunt ROMANI? An quòd inter Aprilem & Iunium medius interiectus est: quorum quũ alter Veneri, Iunoni alter dicatus sit, deabus scilicet quæ nuptiis præsunt, aut parum antè capiunt, aut parum exspectant? An quòd hoc mense maximo piaculo utuntur, effigies modò de ponte deiicientes, cùm prius homines consueuissent? unde Flaminicam Iunonis sacerdotem tristem esse eo tempore: quippę quæ eo mense nullo cultu utatur. An quòd pleriq; Latinorum hoc mense mortuis parentãt, & ob eam causam Mercurium quoque eodem mense uenerantur, qui Maiæ cognominis est? An, ut quidam dicunt, Maius à maioribus nãtu appellatus est, Iunius à Iunioribus? Nuptiis uerò accommodatior est Iunior, ut inquit Euripnam senectus Venerem uelere iubet, ipsaq; Venus senibus infensa est. Abstinent igitur Maio nuptiis, Iunium exspectãtes, qui Maium ordine excipit: Plut. in quæst. Rom. 29 & 84.

Sextus.

Iunius, Iunoni Monetæ sacer. Festus.

Octauus.

Hic Sextilis antea uocabatur, quòd sextum in anni ordinatione à Martio iusta supputatione locum tenebat. Mutato tamen postea nomine in honorem Augusti Cæsaris Imperatoris secundi AVGVSTVS dictus est, de eius nomine: & quòd Augustus eo mense primum consulatum iniisset, & tres triumphos in umbem intulisset: quòd item Aegyptus hoc mense in populi Romani potestatē ab eo redacta esset.

VSVS. MENSES

Infelices.

Vno eodemq; mense MICHAEL Græcorum, & LODOVICVS Pius Romanorum Impp. unà cum GREGORIO pōtifice maximo diem obierunt. Bonfinius lib.10. Dec.1.

CONIVNCTIM. PER TRIMESTRIA.

Cæso Oloferne, & profligatis Assyriis, Israelitæ Hierosolymis festum in conspectu sanctuarij per tres menses exegerunt, & postea in suam quisque patriam reuersi sunt. Dies ipse uictoriæ solennis apud Hebræos in numero sacrorū dierum habetur, & à IVDÆIS colitur. Iudithæ 16.

CONSTANTINVS Magnus uere natus atque mortuus: Maxentium & Licinium superauit: cōcilium Nicenū incoauit.

SEMESTRIA.

Hue ea quæ sex mensium spacio contigerunt.

MENSIVM VSVS CHRONOLOGICVS, CONSIDERATORVM SECVNDVM PARTES.

Huc obseruatio eorum quæ secundùm Mensium partes, Pleniluniis potissimum & Nouilunijs, acciderunt.

DIERVM VSVS CHRONOLOGICVS SECVNDVM MOTVM in quo conueniunt, eumq; uel

NATVRALEM. SIC CONSIDERATVR respectu

ANNI DIES

Prima. Vltima.

Ex Calendario exempla petantur eorum quæ primo ultimo'ue die anni gesta sunt.

MENSIVM

Hebræorum dies

Primus, Vltimus.

IVDÆI primum & ultimum diem cuiusque mensis celebrabant, in memoriam diuinæ gubernationis, sed non tali otio, ut in sabbato aut aliis festis.

Græcorum.

Dies quisque tertius mensis apud GRÆCOS Mineruæ sacratus. Beuth.

Dies quisq; octauus mensis apud EOSDEM Vulcano sacer.

CHALCEDONII diem uicesimum primùm cuiusque mensis funestam habuere: quòd Darij præfectus eadem ipsorū pueros castrauit & in Persidem miserit. Alex. lib.4. cap.20.

Romanorum.

Calendæ.

Calendæ primus cuiusuis mensis dies est, à uerbo Græco καλῶ, quod uoco significat, quia antiquitus primo cuiuslibet mensis die populus in Calabram curiā calabatur, h. e. uocabatur per præconem, accepturus causam feriarum à rege sacrorum, qui præter cætera etiam, quot dies à Calendis ad Nonas essent, pronunciabat: item & quid eo mense faciendum esset, quod ad religionem spectaret. Calendæ omnium mensium olim Iunoni sacratæ. Macrob. li.1. Saturn. c.15.

Nonæ.

Nonæ omnes singulorum mēsium, ROMANIS feriatæ: quia Seruius Tullius rex Nonarum die natus. Macrob.

Nonarum dies, ut & Calendarum ac Iduum, nuptiis copulandis apud ROMANOS uitabantur. Mac.1. Sat.15.

AVGVSTVS Cæsar obseruabat dies quosdam, ne aut Postridie nonas quoquam proficisceretur, nec Nonis quicquam rei seriæ incoaret: nihil in his quidem aliud deuitans, ut ad Tiberium scribit, quàm δυσφημίαν ominis. Suetonius.

Idus.

Idus cuiusq; mensis Ioui Statori sacræ. Macrobius.

Dies præcedentes uel sequentes Calendas, Nonas, Idus.

ROMANI dies postridie Cal. Non. & Idus ad peregrè proficiscendū aut signa educenda nefastos habebant. Scribit Liuius, postridie Id. Quint. quas nunc Iulias uocant, eductis tribuni militum legionibus ad Alliam amnem sunt à Gallis fusi, urbemq; amiserunt. Nam cùm diebus festis olim nihil dispensarent uel procurarent, nisi quòd diis uacarent atque Hoc agerent (ut etiam nunc proclamant sacerdotes cùm ad sacra facienda accedunt) consentaneum erat non extemplò solere à festis eos peregrè proficisci, aut aliquid agere, quòd imparati essent, sed hærebant illa die domi negotiis intenti, eaque parabant se: neque confestim festis diebus negotiosas subiiciebant, sed aliquod interstitium faciebant & interuallum negotiorum, quæ multa afferebant aspera & aduersa. Plut. in Rom. quæst.

Ante diem quartum Calendas uel Nonas, uel Idus, tanquam inominalem diem, plerq; uitant. Q. Claudius Annalium quinto, cladem illam uastissimam pugnæ Cannensis, factā refert ante diem quartum Nonas Sextilis. Macrobius libro 1. Saturn. cap.15.

HEDOMADÆ. DIES

Iouis.

Apud ROM. Ioui sacra dies, uel Horatij auctoritate in Sermonibus, ubi ad Iouem conuersa mater pueri mēses iam quinque cubantis, inquit:

Illo nempe die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit.

Veneris.

RODOLPHVS Imp. diem Veneris passioni Christi sacrum semper religiosè coluit, ut eo die nunquam cum hoste manus conseruerit. Cuspinianus.

NON NATVRALEM, AB HVMANIS Actionibus Passionibúsue dependentē.

Sic conueniunt dies respectu

NEGOTII, OTII.

De diebus festis & nefastis consule Alex. ab Alex. lib.4. ca.20.

Atri dies ROMANIS neque præliares, neq; puri, neq; comiciales erant. id est iis diebus non licebat suum repetere, aut hostem lacessere, neque diis sacrificare, neque populum cōuocare. ueruntamen licebat uim ui repellere. Quanquam in repub. non semper obseruatum. Macrobius lib.1. Sat. ca.16. Iidem Aegyptiaci. Aegyptij in singulis mensibus habebant duos tales dies: quos & ægros dicebant: nam si quis in iis ægrotare cœpisset, eum uix euasurum putabant, ob infelicem constellationem. De hisce consule Ioannem de Sacrobusto in Computo Ecclesiastico. Sed Augustinus redè Christianos monet, Aegyptiacos dies tanquam superstitiosos non obseruandos.

Pontificibus ROM. olim omnes dies atri erant, qui proximè Calendas, Nonas, & Idus sequerentur. Gell. lib.5. cap.17. Macrob.1. Satur. cap.16.

Quartum diem semper ante Idus, Calendas, & Nonas ut inominalem uitabant, quia Cannensis clades ante quartum Nonas Sextiles facta. Gell. lib.3. cap.17. Macrob.1. Sat.

Veteres ROMANI annum ita diuiserunt, ut nonis modò diebus urbanas res usurparēt, reliquis septem rura colerent. Varro lib.2. de Re rustica.

RELIGIONIS. TVM

Iudæorum.

Festo Tabernaculorum anno Seleucidarum 622. ANTIOCHVS Sedetes Hierosolymitanis obsessis dierum septem inducias dedit. Iosephus Antiq. lib.13. cap.15.

Festo Tabernaculorum anno Seleucidarum 652. ARISTOBVLVS dux Iudæorum & pontifex Antigonum fratrem interemit. Iosephus lib.13. Antiq. cap.18.

Christianorum. Quæ accidēre die

Natiuitatis.

Vide Tit. Tempus Inaugurationis.

VIGILIVS Pp. captiuus Constantinopolim uenit in Vigiliis Natiuitatis dominicæ. Sigonius lib.20. Imp. occid.

Paschatis.

Ex Inaugurationis loco huc multa.

ALARICVS Gothus Stiliconem ingenti prælio die Paschatis superauit, anno CCCCIX.

Coniuratio anno Christi MCCXXCI. sanctis dieb. in SICILIA contra Francos facta: sanctissimo omniū anni tempore scelus admissum. Dies Domino resurgenti festus, cùm ex templorum turribus campanæ sonitu consuetudine quotidiana signū ad uespertinos hymnos daretur, ater funestúsque Francis factus. Tota insula cædes inermiū, nihil timentium, incautorumq; Francorum uno temporis uestigio fœdè facta. Inde Siculus uesper prouerbio increbuit. Naues etiam occupatæ, quæ in Siciliæ portubus stabant paratę ad imperium Græcum repetendum, Palæologumq; à Pontifice maximo, agente Carolo rege, hostem iudicatum, bello persequendum. Sab. lib.7. Enn.9.

Ascensionis.

Ludouici Pij FF. post obitū patris de regno dissidere cepertū. Quare cùm uniuersum Franciē nomen breui aut in hac, aut in illa parte consisteret, anno DCCCXLI. in Ascensione summo ad Fontaneum Altissiodorensis agri uicum prælio decertatum fuit, ac tanta strage ex utraq; parte pugnatū, ut non solùm ad prolatandos, sed ne ad tuendos quidē proprios fines satis in Francis roboris relinquerctur. Victoriæ decus penes Ludouicum & Carolum mansit. Sigonius lib. 5. regni Italici.

Pentecostes.

DISCIPVLI cum Maria uirgine congregati, acceperunt Spiritum sanctum uisibili specie, atq; ceperūt Hierosolymis miranda Dei opera aliis linguis loqui. Act.2.

PAVLVS Apostolus Pentecostes festo in uincula Hierosolymis coniectus, anno Sal. LIII.

LVDOVICVS Imp. anno DCCCL. castris Beneuēto admotis, urbem in potestatem adduxit, ac Saracenos in uigiliis Pentecostes ad unum extra Vrbis mœnia cum ipsorum duce Massare iugulauit: &, ut belli materiam tolleret, ducatū Beneuentanum inter Adelgisum & Siconolfum diuisit. Adelgisus Beneuenti, Siconolfus Salerni Princeps relictus. Hæc Salernitani Principatus primordia. Sigon.5. regni Ital.

Gulielmus OTHONIS Magni F. archiepisc. Moguntinus, in patrem diras execrationes intēdit, nisi Adeleidem uxorem Lotharij Italiæ regis uiduam dimitteret, qua cum (quia cōmater esset) ius connubij per diuinas leges esse non posset. Otho ira percitus, cùm eum per annum in custodia habuisset, appetente Quadragesima liberauit. Ille egressus minari in patrem petrexit, atq; ita dixit: Vter nostrūm diuinis legibus aduersetur, clarissimè apparebit, cùm in die Pētecostes ad causam coram Deo orandam aderimus. Quibus uerbis mortis diem patri prænunciasse est uisus. Siquidem XVII pòst anno in die Pentecostes Mimilenæ, cùm esset imperatoriis insignibus redimitus, & episcoporum principumq; cateruis undiq; cinctus, repentè morte sublatus est. Ex Petro Damiani recitat Sigonius lib.7. regni Ital.

CONSTANTINOPOLIS à Mahometo II. die Pētecostes expugnata, anno MCCCCLII. Sab. lib.6. Enn.10.

Corporis Christi.

TEVTONES Belgę, Cucullati fratres, in ciuitate Stocholmia celeberrimo Sueciæ emporio, quò ob æs alienum in patria contractum fugerant, tempore regis Alberti contra Suecos seditionem maximam excitarunt, anno MCCCXXCIX. ipsa nocte festi corporis Christi. Ioannes Magnus lib.21. Gothorum historiæ.

Laurentij.

METHONEM Peloponnesi urbem Baiazethes II. Turcorū rex occupauit, die D. Laurētij festo, anno qui à Christo nato MD numeratur. Iouius in uita Baiazethis II.

Dominici.

Alfonsus Aragonum & Siciliæ rex Caietam obsidebat cū delectissima classe. Genuenses Philippi Mediolanensium ducis iussu BLASIVM Axeretum, ex scribis unum, cum paucis triremibus ad liberandos obsessos misere. Ille prelio naual Alfonsum uicit, cepit, adduxit, nonis Augusti, D. Dominico sacris, quem propterea solenni ritu in posterum colere instituerunt, anno MCCCCXXXIV. Iacobus Bracellus lib.3. & 5. belli Hispan. & Fulg. lib.1. c.4.

Bartholomæi.

[redacted]

Michaelis.

LVDOVICVS Bauarus, & FRIDERICVS Austriæ dux, pertidissidium & discordiam principūm Impp. creati, ambo octo annis inter se armis certauerunt. Omnium acerrima pugna ad Eslingam, anno MCCCXVI. in Sueuia ad flumen Neccarum est commissa. Anno VII. pòst, die Michaelis inter, Mildorff & Otingen, à meridie usq; ad uesperum incerto marte pugnarunt: Fridericum Ludouicus occidit. Dubra uius lib.20.

Ethnicorum.

De Feriis Rom. uide Alex. lib.5. cap.7.

Quo die in portum delatus est ALCIBIADES exul, Plynteria Mineruæ agebantur. Hæc sacra Praxiergidæ arcana uigesimo quinto die faciunt mensis Thargelionis, omnemq; ornatum deæ detrahunt, & simulacrum eius operiunt: unde hunc diem habet præcipuè populus Atheniēsis inter nefastos feriatum. Hoc non diu duraturæ populi uoluntatis fuit Alcibiadi, quasi nō uolens uel propitia eum exciperet Minerua, sed intecta facie auersaretur eum & reiiceret. Plutarchus in Alcibiade.

Idibus Sextilis diem festum agunt serui ac seruæ omnes apud ROM. uxores autem capita nudare & lauare consueuerūt. An propter Seruium regem, quem eo die serua natum & in lucem editum ferunt, uacationem ab opere habent serui? Capitis autē lauatio ab ancillis cœpta, propter diem festū ad liberas quoq; processit. Plut. in Quæst. Rom.

FELICITATIS ET INFELICITATIS.

De diebus felicibus multa leges apud Cælium lib.14. cap.8. Antiq. lect. Gellium lib. 5. cap.17. & Macrobium.

Dies numero eadē Felix eidē, ratione

Ortus.

Huc Dies Natalis referatur.

Victoriæ.

CYRVS Persarum rex diem, qua Scythas & Sacas clade afflixit, adeò felicem habuit, ut eam Sacam appellarit. Alexan. lib.4. cap.20.

A' GRÆCIS ad Platæas contra Mardonium pugnatum fuit, ut Atheniēses supputāt, quarto die mensis Boēdromionis: ut Bœotij, XXVII Panemi. Quo die adhuc conuentus Græcorum agitur Platæis, sacrificantēq; ob adeptam uictoriam Ioui Liberatori Platæensēs. Plut. in Aristide.

SYRACVSANI, quartam supra uigesimā mensis Maij (quē Carnium uocant) quòd Athenienses cum toto exercitu ad Asinarum flumē memorabili clade profligassent, præcipuè felicem habuerunt. Alex. lib.4. c.20.

PARTHI diem, qua Arsaces Seleucum uicit, tanquam initiū libertatis, faustum felicemq; obseruarunt. Alex. ibid.

Eduardus I. Anglorum rex Scotos rebellentes, iam sæpè uictores, die D. Magdalenæ sacra maximo prælio uicit. Quāobrem diem illum ueluti fatalem felici pugnæ ab eo tempore obseruare consueuerunt. H. Boethius lib.14.

Anno MLXX. Pisani Corsicam inuaserunt. Cuius ulciscendæ iniuriæ gratia Genuenses triremes duodecim in Arni ostia intulerūt. Eas uerò adorti PISANI, septē in festo S. Sixti ceperunt, quę mercibus onustæ in Orientem cursum intendebant. Eum diem Pisani, quòd geminam in eo uictoriam retulissent, festum esse in perpetuum uoluerūt, ac S. Sixto templum extruxerunt. Sigonius lib.9. regni Ital.

Imperij adepti.

XERXES eum diem, in quo rex dictus est, tanquam imperij natalem, singulis annis insignem celebrauit, & diademate ornatus cœnam proceribus dabat. Alex. lib.4. cap.20.

Libertatis adeptæ.

PERSÆ eam diem, qua Magi, qui regnum occuparant, interemti sunt à Septemuiris, tam solennem habuerunt, ut illam Magophoniam, hoc est, Magorum occisionem appellarint. Ea die nulli magorum extra limen prodire fas erat. Herodotus libro 3.

Plurium bonorum.

PHILIPPO Macedoni cōtigit, ut uno die (quo Attalus morte sublatus est, qui sextus fuit Hecatombæonis) Potidæam sit ipse adeptus, & Alexandrum sibi ex Olympiade natum acceperit, Illyriosq; à Parmenione suarum copiarum duce prelio fusos audierit, & in Olympiæ ipsius equus uictor extiterit. adeò fortuna illi in multis uno tempore arrisit. Sab. lib.3. Eneadis 4. His nimirum lætum, magis etiam erexere uates, qui affirmauerunt infantem, in cuius natales trigemina concurrerat uictoria, fore inuictum. Plut. in Alexandro.

Eodem die quo Acho Noruegiorum rex, Scotorum summus hostis, decessit, ALEXANDRO Scotorum regi ex Margarita filius natus est Alexander. H. Boethius lib.13.

MAXIMILIANVS Friderici III. F. ad Terbonam uno die

uiginti millia militum Francorum fudit fugauitque. Et cùm castra eius ab hoste essent capta, ea forti manu recuperauit denuò, hostemq; suis castris exuit: ac uictor eo die maxima præda abacta triumphauit, quo primo genitus Philippus sibi natus est, anno Salutis 1478. Cuspinianus.

MATTHÆVS Magnus Vicecomes XII. Cal. Febr. anno 1277. Turrianos prælio uicit: Mediolanensem principatum obtinuit: & Galeacium filium natum uidit. Iouius.

Dies numero eadem Felix diuersis.

Natus est ALEXANDER die sexto mensis Hecatombæonis, quem Loon uocant Macedones: quo die fanum Dianæ Ephesiæ conflagrauit, ut Hegesias Magnesius exclamauit. cuius adeo frigida est exclamatio, ut incendium illud ualuerit restinguere. Meritò enim arsisse ait templum, dum fuit Diana in Alexandri enixu obstetricando districta. Magi uerò, quotquot agebant Ephesi, sani inflammationem existimantes alterius esse prodigium cladis, discurrerunt, faciemque cæciderunt, clamaueruntq;, grandem pestem & perniciem Asiæ illo die editam. Plut. in Alex.

Sextam diem mensis Februarij multa bona, non solũ ATHENIENSIBVS, uerumetiam multis aliis attulisse ferunt. Ea SOCRATES in lucem prouenit, & Persæ hoc die fusi atq; fugati sunt: & Athenienses & Agroteræ trecentas capellas in sacrificiis immolant, facientes id iuxta uotum Miltiadæ. Et octauo Idus eiusdem mensis aiunt ad Plataeas prælium commissum esse, Græcosq; superiores discessisse. Neq; uerò partam ad Mycalem Græcis uictoriã alij quàm huic diei acceptam referri: siquidem eodem die uictoriam & ad Plataeas & ad Mycalem adepti sunt. Item Alexandrum Macedonem Philippi filium, multa Barbarorum millia fudisse dicunt octauo idus Februarij, cùm Dariũ caperet Alexander. Tradunt eodem etiam die Alexandrum & in uitam introisse, & è uita egressum esse. Aelianus Var. hist. lib. 2.

Ferunt natum EVRIPIDEM, die quo Xerxem Persarum regem Græcia nobili prælio uicit. Qua ex causa putant nonnulli sic nuncupatum: quoniam in Euripo depugnatum sit. Cælius lib. 24. cap. 10. Antiq. lect.

NVMA Pompilius rex Romanorum, Curibus celebri Sabinorum urbe habitans (à quibus Quirites se Romani unà cum receptis Sabinis, nominauêre) filius fuit Pomponij illustris uiri, ex quatuor fratribus minimus, diuino quodã casu eadem genitus die, qua Romulus conditerat Romã: ea est undecimo Cal. Maias. Plut. in Numa.

Dies numero eadẽ Infelix eidẽ

Vno genere mali.

Ex Calendario illustretur.

Pluribus malis.

PERSÆ ad Plataeas uicti à Græcis terra: & eodẽ die quoq; ad Mycalem mari. Herod. lib. 9. & Plut. in Aristide.

Dies numero eadem Infelix diuersis.

Eodem die ATHENIENSES ad Chæroneã à Philippo Macedone uicti, Nonis Iulij: & TARENTINI à Lucanis in Italia. Plut. in Camillo.

Dies numero eadem partim Felix, partim Infelix.

Ex loco Victoriæ & Triumphorum huc exempla. Nam qui dies uni Gloriæ, alteri est Ignominiæ.

Dies specie eadem Felix eidem ob Memoriam eiusdem.

A' uictoria IVDÆORVM aduersus Amanum auxilio Hesteris, usq; ad uictoriam aduersus Antiochũ, anni sunt CCCXLIII. & utraque uictoria obtigit III. Idus Mart. qui Hebræis Adar dicebatur, ex quo Hebræi hunc diẽ magno habent in honore. Io. Bodinus Methodi hist. c. 6.

CAROLVS V. Imp. ferream coronam, unctionemq; sacram Bononiæ à Clemente VII. susceperit, anno MDXXX. octauo Cal. Martij: paulo q; post, uidelicet sexto ante easdẽ Calendas die, qui dies Cæsareæ maiestati natalis erat, aureamitidem coronam accepit, ut Longobardorũ rex Romanorumq; Imp. haberetur ab omnibus, qui iam tũ ante decennium uel circiter fuerat Aquisgrani in Germanorum regẽ coronatus.

Dies specie eadẽ Felix eidẽ ob Recursum Felicitatis. Eodem die recurrens

Victoria.

Iulij Calẽdis Clodiã VENETI recepere, anno MCCCXXC. Item classem Turcarũ Petrus Lauretanus superauit, & iterum ad Rapalum Liguriæ Genuenses. Egnat. lib. 4. cap. 3. Platina in Vrbano VI.

Triumphus.

IANVARII VI. C. Iulius Cæsar urbem triplici triumpho ingressus, anno ab Vrbe condita 725. Vrsperg. Itidem Augustus Cæsar triumphans, Ianum clausit, anno ab Vrbe condita 751. imperij sui 41. Suet.

Cal. FEBRVARII M. Val. Coruinus Cos. de Antiatibus, Volscis, & Satricanis triumphauit, anno Vrbis 407. Pòst T. Coruncanus Cos. de Volsinensibus, anno 473. Liuius. Fab. Pictor Cos. de Salentinis & Mesapiis. 487. Q. FAB. Maximus Cos. de Liguribus 520. L. Aemilius Regillus deuicto Antiochi præfecto triumphum naualem peregit, anno à condita Vrbe 587: Liuius Decad. 4. lib. 7. L. Corn. Dolabella Procos. ex Hispania de Lusitanis. 655. Eutropius.

FEB. XIX. M. Popilius Lænas Cos. de Gallis triumphauit, anno à condita Vrbe 403. L. Ful. Curuus Cos. de Samnitibus triumphum egit, anno urbis 431. Goltz. Q. Fabius Max. Rullianus Cos. de Samnitibus & Apulis triumphat 431. Q. Fab. Maximus Gurges 2. Cos. de Samnitibus, Lucanis & Brutiis triumphum egit. V. C. 477. C. Cl. Canina 2. Cos. de Lucanis, Samnitibus, & Brutiis triumphat 480. Goltzius. L. Anicius Gallus Propr. de rege Gentio & Illyriis triumphum egit, anno Vrbis 586.

FEB. XX. L. Aemyl. Regillus Prop. de Antiocho rege Syriæ naualem triumphum egit: anno Vrbis 564. M Fuluius Nobilior Procos. de Aetolis, Ambracioti & Cephalenia 566. C. Sulpitius Gallus Cos. de Liguribus 597. Goltzius.

MARTII Calend. P. Val. Poplicola primus Consul de Veientibus & Tarquiniis triumphauit. Goltzius. L. Aemilius Mamertinus Priuernas & C. Plautius Decianus Cos. de Priuernatibus, anno Vrbis 424. L. Corn. Lentulus Cos. de Samnitibus & Lucanis, anno Vrbis 476. Q. Luctatius Cerco Cos. de Phalisci, anno 512. M. Cl. Marcellus Cos. de Gallis Insubribus, anno 537.

MARTII V. L. Papyrius Dictator de Samnitibus triumphauit, anno conditæ Vrbis 429. C. Fabricius Lucinus Cos. de Samnitibus, Lucanis, & Brutiis, anno Vrbis 471. Liuius. C. Papyrius Masò Cos. de Corsis in monte Albano 522. L. Aemilius Papus Cos. de Gallis, anno Vrbis 528. Goltzius. Cn. Manlius Volsco Procos. de Gallis Asiaticis. 566.

APRILIS Cal. Q. Martius Philippus Cos. de Hetruscis triumphauit 472. M. Val. Max. Messala de Pœnis & Hierone Siculorum rege 490. C. Sempronius Blesus Cos. de Pœnis, anno Vrbis cõditæ 500. Sp. Caruilius Max. Cos. de Sardis 519. Goltzius.

Idibus AVGVSTI L. Tarquinius de Sabinis triumphauit, anno conditæ Vrbis 174. L. Val. Poplicola Potitus Cos. de Aequis 304. M. Val. Max. Cos. de Samnitib. & Soranis 441. Q. Aemilius Barbula 2. Cos. de Hetruscis 242. Goltzius.

DECEMBRIS ultima Cn. Põpeius Magnus ex Hispania triumphauit, anno Vrbis 682. Pòst M. Aemilius Lepidus Triũuir Procos. ex Hispania 710. P. Vatinius Nepos Procos. de Illyrico 711. Goltzius.

Ortus & Triumphus.

CN. Pompeius Magnus natali suo de Oriente, Mithridate & Iudæis triumphauit, prid. Cal. Octob. Plinius lib. 7. cap. 27. & Plutarchus.

Dies specie eadem Felix diuersis.

COSMVS Medices Florentinorum dux de exulibus Florentinis uictoriã obtinuit ipsis Augusti Calendis: quo felici die AVGVSTVS Cæsar olim nutantis imperij nomen Actiaca uictoria confirmasset: cùm ipse Cosmus eundem, uti Augustus, horoscopum in genitura nactus, Capricorni sidus pro argumento in insignibus gestare consuesset. Sabellici Supplem. lib. 22.

Dies specie eadẽ Infelix eidẽ ob *Memoriam.*

CHALCEDONII cuiusq; mensis XXI diem funestã & portentosam habuêre, quòd illa Darij præfectus ipsorum pueros castrauit, & in Persidem misit. Alex. lib. 4. c. 20.

IDVS Martias, quòd illis C. Cæsar coniuratorum manibus cæsus occubuisset, placuit Parricidium uocari: ideoq; inter atros & omnino sos receptæ. Alex. lib. 4 c. 28.

ROMANI XVI. Calen. Aprilis inter tristes numerant, in quo cultores Matris deũm plangere & lamentari incipiebant. Ibidem.

Vsum siue Recursum diuerse infelicitatis.

Ad III. Non. Aug. TEMPLVM Hierosolymitanum à Nabuzardan incensum. 4. Regum 25. & iterum à Tito. Iosephus lib. 7. cap. 3.

HIEROSOLYMA ab Herode rege capta est, M. Agrippa & Canidio Gallo Cos. 185. Olympiadis anno tertio, feriis, quibus solenne fit ieiunium. [illegible]

ROMA ad XIV. Cal. Aug. à Gallis occupata, eodem post die à Nerone incensa. Plut. in Camillo, & Suetonius.

Nonis Iunij, P. Rutilius Lupus Cos. ad Theloniũ amnẽ à Marsis in prælio cesus. 663. T. Didius à Marsis uictus. 664. Liuius. M. Crassus à Parthis superatus & occisus, an. 50. ante Christum natum. Liuius, Florus, Eutrop. Orosius.

A clade Cannensi ad Varianam sub Augusto à Germanis illatam, anni sunt 224. ex integris æquè septenariis: utraq; IV. Non. Aug. Io. Bodinus Methodi hist. c. 6.

PHILIPPVS Gordiani Imp. fraude interfecerat, anno Salutis 246. 30. Ian. [illegible] septennio pòst 20. Ian. à Decio interfectus. Marianus Sco[illegible]

D. Ruffi dies, quæ in 26. Augusti incidit, BOEMIS regibus infausta. Vide Tit. Infelicitas Temporum, Cladis, Excidij.

Dies specie eadem Infelix diuersis.

Eodem die, ad IX. Cal. Febr. periere, PHILIPPVS rex Macedonię à Pausania, & C. CALIGVLA Imp. à Cassio Chęrea centurione cæsus.

Prid. Cal. Sept. duo monstra nata, CAIVS Caligula, & COMMODVS Impp. Romani.

XV. Martij, C. IVL. Cæsar à coniuratis interfectus: VALENTINIANVS III. Imp. ab Arbogaste Viennæ strãgulatus, anno 391. ATILA Hunnorum rex apoplexia obiit, an. 459.

Dies specie eadem partim Felix, partim Infelix.

Vide Tit. Mortis tempus, Qui natali suo perierunt.

XXV. Martij quidam ADAMVM protoplastũ lapsum & creãtum asserunt: eodemq; Christum opt. max. conceptum in utero Virginis matris. Aug. lib. 4. de Trin. c. 5.

ATHENIENSES ductu Themistoclis 16. Martij insignes Salaminia uictoria contra Xerxem. At LXXVII post annis eodem die ad Aegos potamos à Lysandro Lacedæmonio uicti, libertatem misere. Plut. in Lysandro.

PLATO VII. Aprilis natus, eodemq; mortuus, anno æt. 81. Plut. lib. 5. Sympos.

Regem ATTALVM conuenit inter omnes die suo natali uita excessisse. Plut. lib. 8. Conu. quæst.

L. LVCVLLVS contra Tigranem ad Tigranocertam aciẽ instruxerat. Transmissurum flumen Lucullum, quidam duces admonuerunt, cauendam illam diem, quę ex nefastis, quas atras uocant, erat una. illą enim die exercitus Cepionis fuerat à Cimbris in conflictu oppressus. Hic uerò celebrato illo [illegible] occurrit. At ego [illegible] hanc Romanis diẽ eliciam. Plut. in Lucullo, & in Apoph.

C. MARIO idem ortus & mortis dies, Idibus sc. Ianuarij. Plutarchus, Florus, & Appianus lib. j.

Cn. POMPEIVS Magnus prid. Calend. Oct. natus, de Iudæis & Mithridate triumphauit. At idem Cal. Octob. ad Pharsalum uictus à Cæsare. Plut. in Pompeio.

VENTIDIVS M. Antonij legatus cõtra Parthos, cęso Phraate & Labieno, feliciter pugnauit. Post mortem tamen illius triumphus ei decretus à senatu fuit: & eo libentius, q̃ eodem die eandem cladem Parthis intulit, quam ab iis populus Romanus Crassi temporibus accepérat. Dion, & Sabellicus lib. 9. Enneadis 10.

S. GREGORIVS Pp. Romæ electus 12. Martij, anno 591. Eodemq; die obiit, sub Phoca. 604. Palm. Platina.

Patauium à Maximiliano Imp. occupatum, receptum est à VENETIS eo ipso die, quo primò de Carrariensibus captum fuerat, anni ab Vrbe condita 982. cùm binos & quadragenos dies in Maximiliani partibus fuisset. Bembus lib. 8. Venetæ historiæ.

CAROLO V. Imp. 24. Febr. natalis, anno 1500. Eodem Franciscum I. Gallorum regem Papiæ cepit, anno 1525. & quinquennio pòst à Clemente VII. Bononiæ coronatus. Anno 1558. per legatos Electoribus Imperium resignauit. Anno 1559. exequiæ eius in comitiis Augustanis à Ferdinando fratre celebratæ.

DIERVM SECVNDVM PARTES SVAS CONsideratorum VSVS.

Exemplum diei secundùm partes suas consideratæ (secũdùm Iudæos, qui ab Occidente sole, & secundùm nos, qui à media nocte diem incipimus) ex historia Passionis Dominicæ proponatur, ex Io. Lalamãtij medici Hedui com. de Anno desumtũ. Passus est Christus opt. max. in Aequinoctio uerno. Considerandæ igitur Horæ

¶ Diei VENERIS, seu Ferię quintę, incipiendo à uespera diei Iouis, & de illa mutuando sex primas horas Nocturnas, hac serie. Horæ

Nostrates		*Iudæorũ*
VII. IIX. IX:	*Prima uigilia noctis.*	I. II. III.

IESVS recumbit cum suis discipulis: cœnã instituit: hymnũ canit: exit in montem. Matth. 26.

X. XI. XII.	*Secunda uigilia. Nox media.*	IV. V. VI.

IESVS precatus est ter. Captus. Ad Cayphã ductus.

I. II. III.	*Tertia uigilia. Nox intempesta.*	VII. IIX. IX.

IESVS corã Caypha accusatus, illusus, in prætorium ductus.

IV. V. VI.	*Quarta uigilia. Aurora.*	X. XI. XII.

IESVS traditus Pilato, accusatus à Seniorib. flagellatur. Matth. 27. Marci 15.

VII. IIX. IX.	*Prima diei hora.*	I. II. III.

IESVS exuitur, abducitur rursus in prętoriũ, pur pura induitur, coronatur, irridet, abducitur ad crucifigendum.

X. XI. XII.	*Tertia diei.*	IV. V. VI.

IESVS in Caluarię locum ducitur, crucifigitur.

I. II. III.	*Sexta diei.*	VII. IIX. IX.

IESVS in cruce. Tenebræ ortæ.

IV. V. VI.	*Nona diei.*	X. XI. XII.

IESVS exclamauit, spiritum reddidit.

¶ Diei SABBATHI seu Feriæ sextæ, à uespera in uesperam, quę Parasceue dicebatur, quoniam præparabantur omnia ad Agni comestionem in Antisabbathum.

VII. IIX. IX. X. XI. XII. *Nox media.* I. II. III. IV. V. VI.

IOSEPHVS corpus deponit, inuoluit, recõdit. Itaq; inter depositionẽ de cruce & Resurrectionem horæ intercesserunt circiter triginta tres.

I. II. III. IV. V. VI. *Sol oriẽs.* VII. IIX. IX. X. XI. XII.
VII. IIX. IX. X. XI. XII. *Meridies.* I. II. III. IV. V. VI.
I. II. III. IV. V. VI. *Sol occidẽs.* VII. IIX. IX. X. XI. XII.

¶ Diei DOMINICÆ seu SABBATHI Magni (quoniam Pascha in illum incidit) sequentis Parasceuen.

VII. IIX. IX. X. XI. XII. *Nox media.* I. II. III. IV. V. VI.
PHARISÆI Pilato concedente muniũt sepulcrũ.
I. II. III. IV. V. VI. *Sol oriens.* VII. IIX. IX. X. XI. XII.
CHRISTVS benedictus gloriosè resurgit.
VII. IIX. IX. X. XI. XII. *Meridies.* I. II. III. IV. V. VI.
I. II. III. IV. V. VI. *Sol occidẽs.* VII. IIX. IX. X. XI. XII.

¶ Diei LVNÆ, siue Primæ Feriæ Hebdomadis uel Sabbathi.

VII. IIX. IX. X. XI. XII. *Nox media.* I. II. III. IV. V. VI.
I. II. III. *Diluculum profundum.* VII. IIX. IX.
Primo die hebdomadę primę, profundo diluculo, uenerunt mulieres ad monumentũ, cùm le pri die parassent, Sabbatho magno quieuissent.
IV. V. VI. *Sol oriens.* X. XI. XII.

Eiusdem anni eodem die GRÆCI Mardonium cum CCC. Persarum millibus ad Plataeas, sed mane, & ad Mycalen Tigranem cum LX millibus, sed uespere, superarũt: utraq; etiam pugna ad Cereris templa commissa est. Herod. lib. 9.

HORARVM VSVS CHRONOLOGICVS.

Præcedentis Tituli Horæ de Christi passione & resurrectione huc quoque referri possunt.

Ne continenter orando defatigatus quandoq; concidat animi uigor, & cogitationibus diffluat atque dilabatur, rectè MAIORES nostri horas distinxerunt, alias orationi, alias lectioni. Marulus lib. 2. cap. 1. Vide Tit. Orationum, sub Tomo Religioso.

Rhodij à Solymanno Turca graniter pressi, deditionem fecêre, ipso die nato Christo sacro, anno Salutis MDXXII. Eadem penè hora, qua RHODVS dedebatur, saxum ingens è superiore limine portæ sacelli pontificij in Vaticano prodigiosè decidit, quum Hadrianus VI. pontifex uno aut altero non ampliùs passu à limine abesset, iam ingressurus, pro religione dici, ad faciendum solenne sacrum. Iouius in Hadriano, & Solymanno.

DIERVM VSVS CHRONOLOGICVS, SECVNdùm CALENDARII seriem consideratorum.

Plutarchus in Camillo meminit commentarij sui de Diebus. Eundem ex recentioribus imitati uidentur Paulus Ebernus [redacted] Michael Beutherus I.C. in suis Calendariis historicis. Quorum labores in unum collegit, auxit & ampliauit Henr. Pantaleon, Medicus, sacri Palatij comes, duodecim libris Diarij sui historici. [redacted]

IANVARII MENSIS

DIES

PRIMVS. CALENDÆ IANVARII, NOBILITATÆ

Meteoris.

Anno 1278. circum Cracouiam, nocte media, in qua initiũ noui anni est, cœlum clara & non iniucũda luce ad breue tempus resplẽduit, principis BOLESLAI Pudici mortem, quẑ re postea comprobatum est, portendens. Cromerus lib. 9.

Sacris.

CHRISTVS filius Dei, ut legem impleret, circumcisus, atq; iuxta angeli monitũ Iesus dictus fuit, anno creationis mundi 3970. Lucæ 2.

Iano ROMÆ sacra fiebant. Templa Ioui & Aesculapio in insula Tyberina dedicata. Ouid. in Fast.

Liberalitate.

Apud RD M. Cal. diem festum ac religiosum fuisse, solẽnemq; strenis dandis, Suetonius in Augusto significat.

Fide, Sacramento.

Scribit Dion lib. 57. moris fuisse inde ab Augusti temporibus, ut Cal. Ian. in acta Imperatoris iuraretur.

Inauguratione.

Cal. Ianuar. primũ anni diem factũ Plutarchus scribit in Problemat. quòd eo die primi Consules Regibus exactis creati sunt. Vnde etiam institutum constat, ut Cõsules deinceps omnes eo die magistratum inirent.

Vrbis occupatione.

FERDINANDVS Catholicus Granatam de Mauris recepit. Marineus lib. 20. rerum Hispan.

Triumphis.

C. MARIVS de Iugurtha rege Numidarum triumphauit, anno 647. V. C. Plutarchus. L. Antonius Cos. de Alpibus, anno Vrbis 712. M. Censorinus ex Macedonia 713. Goltzius.

Nuptiis.

MAGDALENA Francisci regis Galliæ F. Iacobo regi Scotiæ Parisiis desponsata, anno 1537. Sleidanus lib. 10.

Crudelitate, Supplicio.

C. MARIVS, septimũ consul creatus, ipsis Cal. Ian. Sextum Licinium de saxo deiecit: quod & illi & ciuitati uenientium malorum uisum præsagium. Plut. in Mario.

Morte.

T. LIVIVS historicus ætatis suę LXX. Paduæ moritur, anno Christi 18. Volaterranus.

OVIDIVS poeta eodem die obiit. Idem.

LVDOVICVS XII. rex Galliæ, anno Sal. 1515. Lutetiæ obiit. Paulus Iouius.

SECVNDVS. IV. NONAS.

EZECHIEL propheta prædixit calamitates & ruinam regni Aegyptiaci. Ezech. 29.

IOANNES dat testimonium Christo, anno 30. Matth. 3.

TERTIVS. III. NONAS.

Terremotus ingens per terrarũ orbem, anno 1117. Mariani Scoti appendix.

S. ANDREAS sequitur Christum. Ioan. 1.

Post Cal. Ian. die tertio, pro salute Principis uota suscipi solita, scribit Caius in l. si calatur. ff. de uerb. signific. & Plut. qui Ciceronem scribit natum esse, tertio die nonarum Ianuarij, qua die nunc magistratus uota faciunt, & sacrificant pro salute Principis.

VITELLIVS in Germania Imp. appellatus, anno Vrbis 821. Hubertus Goltzius.

Cl. GVISIVS, quasi ad Fanum Quintini recuperandum tenderet, de improuiso conuersis itineribus, Caletum uersus iter arripuit, & obseruata æstus maris reciprocatione, oppidum munitissimum, & per CC annos ab Anglis possessum, cepit, anno 1558. Sabell. Supplem. lib. 9.

M. TVL. Cicero natus, anno Vrbis 648. Gellius 15. cap. 28. Cic. 7. Epist. 5. ad Atticum.

Magnus SFORCIA, in Aterna fl. dum periclitanti armigero subuenire conatur, interiit. 1424. Collenutius.

QVARTVS. PRIDIE NONAS IAN.

IESVS uolens exire in Galilæã reperit Philippũ. Ioan. 1. Mass.

C. IVL. Cæsar cum exercitu in Græciam traiecit contra Pompeium. Cæsar lib. 3. de Bello ciuili.

QVINTVS. NONÆ IAN.

C. IVN. Brutus Cos. II. de Lucanis & Brutiis triumphauit, anno Vrbis 476. Beutherus.

CAROLVS dux Burgundiæ, Nancei in Lotharingia à [redacted] uetiis & confœderatis occisus, anno 1477. Phil. Cominæus.

SEXTVS. IIX. IDVS IAN.

MAGI oblatis muneribus infantem Iesum in Bethleem adorarunt. Matth. 2.

TRINITAS se patefecit, dum Iesus in Iordane à Ioanne baptizaretur, anno 31. Matth. 3. Georg. Cedrenus.

CHRISTVS (Epiphanio teste) hoc die primo miraculo incluruit, atque in nuptiis in Cana Galilæa aquam in uinũ conuertit. Ioan. 2.

SEPTIMVS. VII. IDVS IAN.

CHRISTVS ieiunium quadragesimale incepit, iuxta Marianum Scotum lib. 2.

Iano patri ROMÆ celebrata sacra. Cal. Rom.

Ex Senatusc. armati Coss. Lentulus & Marcellus, itemq; Pompeius contra Cæsarem, classicum belli ciuilis, anno ab Vrbe condita 705. Appianus lib. 2.

OCTAVVS. VI. IDVS IAN.

S. SEVERINVS ad Danubium Christũ prædicans, obiit. 481. Auentinus.

NONVS. V. IDVS IAN.

AGONALIA Iani sacra. Ouidius:

Quattuor adde dies dictis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce piandus erit.

Cæso ex insidiis Alexandro Medice, Florentinorũ duce, COSMVS Medices, Ioannis F. qui in prædio suo erat, properè Florentiam profectus est, spe principatus non irrita. Eo die (is fuit quinto Idus Ianuarias) in ipsius uilla Castellia suburbani tractus, mira & planè prodigiosa omnis generis florum ubertas cunctis stirpibus erupit, quum rigore pertinaci uicina prædia adhuc inhorrescere uiderentur, & uni ferè omnium (quod mirum esset) Cosmiani horti ad adulti ueris similitudinem, singulari iucunditate florescerent. Sabellici Supplem. lib. 22.

DECIMVS. IV. IDVS IANVARII.

CAROLVS V. Imp. cũ Isabella regis Portugalliæ sorore Hispali nuptias celebrauit. 1526. Munst. lib. 3. Cosmograph.

VNDECIMVS. III. IDVS IANVARII.

CHRISTVS ex Aegypto, angeli præcepto, reductus, ætatis suæ anno septimo. Mar. Scotus.

Carmentalia festa ROMÆ cœpta, die V. finiebantur.

IVTVRNÆ ædes in campo Martio dicata. Ouid.

DVODECIMVS. PRIDIE IDVS IANVARII.

CAROLVS Crassus Imp. regno Fraciæ deiectus, Carolo Simplice substituto. Anno 888. Onuph.

MAXIMILIANVS I. Imp. anno Salutis 1519. ad Vuelsam superioris Austriæ oppidum decessit. Cusp.

DECIMVSTERTIVS. IDVS IANVARII.

CHRISTVS 5. panibus & 2. piscibus 5000. hominum satiauit, iuxta Bedam.

Sp. CARVILIVS Maximus Cos. de Samnitib. triũphat. 460.

C. MARII natalis, eodemq; etiam obiit, ab exilio à Cinna reuocatus, cùm Calend. Ianuarij septimum Consul factus esset. anno Vrbis 668. Flor. & Appian. lib. 1.

TIBICINES Rom. festum diem agere multa licentia & lasciuia, muliebrique habitu per Vrbem baccheri solebant. Alexander libro 3. cap. 17.

DECIMVSQVARTVS. XIX. CAL. FEB.

HVNERICVS Vandalorum rex Arianus eodem die 4966. Christianos Catholicos trucidauit. Anno 500. Victor libro 2. Vand. persecut.

XV. DIES. XXIII. CAL. FEB.

CARMENTALIA festa Romæ à matribus familiâs celebrata. Cal. Rom.

Aedes CONCORDIÆ antiquissima, q̃ fecerat Camillus, reparata est à Liuia Augusta, quòd uetustate laberetur: de qua Ouidius primo Fastorum. Feriæ huius eodem die.

GALBA ad XIIX. Cal. Febr. ab Othone interfectus est. Plut. in Galba. Tacitus libro decimoseptimo. Suetonius.

XVI. DIES. XVII. CAL. FEB.

Porrima & Postuenta, deæ prænunciæ futurorũ, ROMÆ placatæ. Cal. Rom.

THEODOSIVS Magnus obiit, anno 402. Onoph.

XVII. DIES. XVI. CAL. FEB.

Concordiæ ædes à L. Fur. CAMILLO structa. Ouidius.

OCTAVIVS Cæsar à Senatu & pop. Rom. Imp. dictus, anno 24. ante natum Christum. Suetonius, Orosius lib. 6. c. 20. Ali qui ad 13. Ian. referunt.

ROMA ad XVI. Cal. Feb. anno 546. à Totila proditione Isauricorum militum capta. Sigonius lib. 19. Imp. occid.

THEODOSIVS senior, Mediolani moriẽs, anno Salutis 395. [redacted] Hist. trip. lib. 9. [redacted] Vrsperg. ad 16. Nouemb. 399.

XIIX. DIES. XV. CAL. FEB.

ATILIVS Calatinus ex Sicilia de Pœnis triumphauit, anno Vrbis 496. Goltzius.

S. PETRVS primò Romam ingressus, anno Domini 53. Panuinius, & Mercator.

DECIMVSNONVS. A. D. XIV. CALENDAS FEBR.

M. AEMILIVS Paulus Procoss. de Cossurẽsibus & Pœnis naualem triumphum egit, anno Vrbis conditę 499. Goltzius.

THEODOSIVS Magnus Imp. designatus, anno Domini 389. Am. Marcellinus.

VIGESIMVS. XIII. CAL. FEBR.

Ser. Ful. PETINVS Nobilior Procos. de Cossurensibus & Pœnis nauali triumphum egit, anno Vrbis 499. Golzius.

GORDIANVS Imp. nascitur. Herod. lib. 7.

THEOPHILVS Imp. à Saracenis uictus, mœrore animi moritur, anno Sal. 842. Onoph.

MARGARITA Virbostai Comitis in Cracouiẽsi regione uxor uno partu triginta sex pueros uiuos edidit. 1229. Mart. Cromerus.

CAROLVS IIX. Galliæ rex, ab Alexandro VI. põtifice Imp. Constantinopolitanus designatus. 1494. Annal. Franc.

VIGESIMVSPRIMVS. XII. CALENDAS FEBR.

MOSES diuinæ legis præcepta Israelitis denuò proponit, paulo pòst terram promissam ingressuris. Deut. 1.

MATTHÆVS Vicecomes Turrianos prælio superauit, & ducatum Mediolanensem obtinuit. 1277. & GALEACIVS F. natus est. Iouius.

VIGESIMVSSECVNDVS. XI. CALENDAS FEBR.

PERTINAX Imp. obiit. 194. Herod. Marianus Scotus lib. 2.

SELYMVS Turcorũ Imp. Tomumbeiũ & Mamalucos ingẽti prælio uicit. 1517. Iouius.

VIGESIMVSTERTIVS. X. CALENDAS FEBR.

M. ATILIVS Regulus Cos. de Salentinis triumphauit, anno ab Vrbe cõdita 485. Beutherus. Golzius ad annum & diem seq. refert.

ANTONINVS Caracalla Imp. anno Sal. 218. interfectus. Marianus Scotus lib. 2.

OTHO III. Imp. in Italia ueneno periit, anno 1000. Hermanus Contractus.

VIGESIMVSQVARTVS. IX. CALENDAS FEBR.

Ceres & Tellus Romæ placatæ, & SEMENTINÆ feriæ celebratæ. Cal. Rom.

L. IVLIVS Libo Cos. de Salentinis triumphauit, anno Vrbis 486. Liuius.

PHILIPPVS rex Macedoniæ à Pausania interfectus, anno ante Christum 334. Plutarchus.

C. CALIGVLA occiditur. Suetonius.

ADRIANI Imp. natalis. Spartianus.

VIGESIMVSQVINTVS. IIX. CALENDAS FEBR.

THESEO sacra Athenis. Plutarchus.

S. PAVLVS Damascũ tendens à Domino ad Apostolatũ uocatur, anno Sal. 34. Act. 8. Euseb. lib. 2. c. j.

SELYMVS Turca deuictis Sultanis Alcayrum ui expugnauit, anno 1517. Iouius.

VIGESIMVSSEXTVS. VII. CALENDAS FEBR.

CASTORI & Polluci Romæ templum dedicatum, anno ab Vrbe condita 270.

POLYCARPVS martyr præsul Smyrnẽsis sub M. Antonino. 150. Eusebius lib. 3.

MAXIMINVS Imp. Aquilegiæ occisus, anno Imperij 4. Sal. 240. Marianus Scotus.

VIGESIMVSSEPTIMVS. VI. CALEND. FEBR.

NERVA Imp. moritur, anno Sal. 99. Onuph.

VIGESIMVSOCTAVVS. V. CALENDAS FEBR.

EQVIRIA festa in campo Martio. Vet. Cal. Rom.

CAROLVS Magnus anno ætatis 72. Christi 815. pleuritide Aquisgrani obiit. Sigonius lib. 10. regni Ital. Cranzius lib. j. Metrop. cap. 18.

VIGESIMVSNONVS. IV. CALENDAS FEBR.

ATER dies Romanis. Macrobius.

Creatio regum apud ROM. olim hoc die. Cal. Rom.

TRIGESIMVS. III. CAL. FEB.

Pacis celebritas ROMÆ. Ouidius.

L. Corn. SYLLA Dict. ex Græcia, Asia, Põto, & rege Mithridate per biduum Romæ triumphum egit, anno Vrbis 672.

TRIGESIMVSPRIMVS. PRID. CAL. FEB.

Diis penatibus ROMÆ sacrum. Cal. Vet.

P. CLODIVS ab Aricia rediens à Milonianis interficitur, anno à condita Vrbe 701. Appianus lib. 2. Cicero in oratione pro Milone.

FEBRVARII DIES

PRIMVS. CALENDÆ FEBRVARII, INSIGNES

Martyrio.

IGNATIVS præsul Antiochenus, martyr, sub Traiano. 101. Eusebius.

Sacris.

SOSPITÆ ædes positæ proximè Matris deorum. & ASYLVM frequentabatur. Festa LVCARIA dicta ab asylo luco. Cal. Rom.

Inauguratione.

MATHIAS, Ioannis Huniadis filius, captiuus, rex Hungariæ designatus. 1459. Nauclerus.

Fœdere.

LVDOVICVS XII. Galliẽ rex, fœdus decennale cum Heluetiis iniit. 1499. Stumpfius.

Coniuratione.

CATILINARIA coniuratio hoc die exequenda, anno Vrbis 691. Salustius.

Victoria, Clade.

HENRICVS V. Imp. à Pp. Paschali III. anathemate perstrictus, ad syluam Vuelfonis in agro Mansfeldensi graui prælio à Lothario Saxoniæ duce uictus est, anno 1115. Cal. Febr. Sigebertus, Vrspergensis.

DAMIATA urbs Aegypti per Christianos Saracenis ademta. 1220. Hist. belli sacri.

Ortu, Natiuitate.

HERCVLIS natalis. Cal. Rom.

Morte.

CAROLVS Pulcer rex Galliæ ad saltum Vicenarum sine liberis moritur. 1327. Chron. Franc.

SECVNDVS. IV. NON. FEBR.

ATER dies Romanis. Gellius lib. 5.

CHRISTVS, die XL ætatis, à Simeone & Anna in templo agnoscitur. Lucæ 2. Marianus Scotus.

HYPAPANTE Domini festum celebrari cœptũ, quod nos Purificationis dicimus, anno 542. Funccius in Chron. Sed Gulielmus Durandus scribit hoc festum per Sergium pontificem institutum, anno 680.

ROMA urbs à Gothis tertiùm capta, sub Iustiniano, anno Vrbis 1295. Golzius.

TERTIVS. III. NON. FEB.

S. BASILIVS Magnus Cæsareæ in Cappadocia præsul moritur. 390. Eusebius lib. 11. c. 9.

QVARTVS. PRID. NON. FEB.

SEVERVS Augustus Eboraci in Britannia obiit. 212. Ger. Mercator. Scotus ad 29. Nouembris refert.

QVINTVS. NONÆ FEB.

IVNIVS Pera Cos. de Salentinis & Mesapils triumphauit, anno à condita Vrbe 487. Liuius.

AVGVSTVS Imp. pater patriæ dictus, anno Vrbis 726. Suet.

SEXTVS. IIX. IDVS FEB.

ATER dies Romanis. Gellius.

MANFREDVS, Friderici secundi F. Conradini fratris filij tutor, in prælio ad Beneuentum aduersus Carolum Andegauensem occubuit. 1261. Pand. Collenutius.

SEPTIMVS. VII. IDVS FEB.

C. IVL. Cæsar Dict. ouans ex Albano monte urbem inuectus. Golzius in Fastis.

OCTA-

OCTAVVS. VI. IDVS FEB.

HENRICVS quartus Imp. Rodolfum Sueuum æmulum tertio prælio superauit in finibus Turingiæ. 1080. Auentinus.

NONVS. V. IDVS FEB.

APOLLONIA uirgo & martyr Alexandriæ sub Decio. 247. Eusebius libro 3.

DECIMVS. IV. IDVS FEBR.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

SMYRNA terræmotu corruit, anno 1041. Cedrenus.

VNDECIMVS. III. IDVS FEBR.

S. CRISPINA sub Diocletiano cũ aliis decollata. 306. Aug. in 138. Psalm.

DVODECIMVS. PRIDIE IDVS FEBRVARII.

DIONYSIA in Alexandrina persecutione cum aliis decollata. 253. Eusebius lib. 6.

DECIMVSTERTIVS. IDVS FEBR.

NOE tertiò columbam emisit, quæ non rediit. Gen. 8.

VESTÆ parentabatur, & in insula Tyberina Fauno sacrificabatur. Calend.

IOVI in insula Tyberina templum positum. Liuius.

GALLI uirtute Camilli Roma exacti, quã per VII. mẽses occuparant. Plut. in Camill. Alij ad 3. Febr. referunt.

FABII trecẽti Veienti bello interemti, anno V. C. 276. Liuius lib. 2. Ouidius Fast. Sed Plutarchus in Camillo diem Solstitij ponit, ut sit 16. Iulij.

L. PAPYRIVS Cursor Cos. de Samnitib. triumphauit, anno 460. Golzius.

DECIMVSQVARTVS. XVI. CALENDAS MART.

Dies ater ROMANIS. Gellius.

S. HENRICVS Imp. Romæ coronatus. 1014. Auentinus. Sed Onuphrius ponit 25. Aprilis.

DECIMVSQVINTVS. XV. CALENDAS MART.

LVPERCALIA festa Romanorũ. Iunoni Februatę sacra fiebant. Ouidius 2. Fast.

CHRISTVS finito ieiunio XL. dierum & noctium, diabolũ in gula, uana gloria, & auaritia superauit. Matth. 4. Marianus Scotus lib. 2.

DECIMVSSEXTVS. XIV. CAL. MARTII.

CHRISTVS concionandi munus hoc die incœpit, anno 30. iuxta Marianum Scotum.

IOVINIANVS Imp. in Persia obiit. 363. Hist. trip.

DECIMVSSEPTIMVS. XIII. CALEND. MART.

PARENTALIA anniuersaria Romæ. Cal. Rom.

DECIMVSOCTAVVS. XII. CAL. MARTII.

QVIRINALIA Romæ celebrata. Festum stultorum dictum, & festa Feralia dicta. Ouidius 2. Fast.

FORNICALIA festa Fornaci deæ. Cal. Rom.

DECIMVSNONVS. XI. CALENDAS MART.

CHARISTIA festa Romæ, à cognatis in familiis celebrabãtur. Ouidius lib. 2. Fast.

VIGESIMVS. X. CALENDAS MARTII.

EZECHIEL Propheta iterum uaticinatus de calamitatibus Iudæorum. Ezech. 32.

TYRI innumerabiles martyres sub Diocletiano facti. 281. Eusebius lib. 8. cap. 7.

VIGESIMVSPRIMVS. IX. CALENDAS MART.

TERMINALIA sacra. Ouidius. Beda ad 7. Mart. refert.

VINALIA festa Romæ. Ioui uinum nouum libare mos erat. Cal. Rom.

VIGESIMVSSECVNDVS. IIX. CAL. MART.

HIEROSOLYMITANVM templum die tertio mẽsis Adar post exilium Babylonicum dedicatũ, anno creationis 3447. 1. Esdræ 3. Iosephus lib. 11. c. 4. uariat.

VIGESIMVSTERTIVS. VII. CALEND. MART.

TARQVINIVS Superbus rex Roma pulsus, anno à condita Vrbe 220. Vnde hic dies Regifugium dictus. Plut. in Bruto. Beda ad 5. Cal. Mart. refert.

VIGESIMVSQVARTVS. VI. CAL. MART. Dies Intercalaris.

C. DVILLVS Nepos Cos. primum naualem triumphũ de Siculis & classe Punica egit, Calen. intercalarib. anno Vrbis conditæ 493. Liuius.

VALENTINIANVS ab exercitu ad Niceam electus Imp. in castra uenit, uerùm hoc die insignia suscipere recusauit, & Bissextus esset. Marcellinus lib. 26.

XXIV. VI. CAL. MART.

S. MATHIAS Apostolus martyr in Iudæa sub Vespasiano, anno 74. Hieronymus.

MATHIAS Huniades rex Hungariæ, anno 1495. obiit. Sabell.

CAROLVS V. Imp. Gandaui in Flandria natus, anno 1500.

FRANCISCVS I. rex Galliæ à Carolo V. Cæsare ad Ticinũ captus. 1525. Iouius.

CAROLVS V. Boemiæ à Clemente VII. coronatus, anno Salutis 1530. Idem.

M[illegible] V. [illegible] Augustanis à Caro[illegible] Elector imperij) confirmatus. [illegible]

CAROLVS V. Electoribus Francofurti per legatos [illegible] resignauit. 1558. Ger. Mercator.

EIDEM in Augustanis comitiis à Ferdinando Imp. fratre exequiæ celebratæ. 1559. L. Surius.

VIGESIMVSQVINTVS. V. CAL. MARTII.

GETA Cæsar à fratre Antonino in matris gremio occisus, anno 213. Herodianus.

SMYRNÆ sub Maximiano & Diocletiano LXX martyres facti. 283. Isuardus.

VIGESIMVSSEXTVS. IV. CAL. MARTII.

MOSES in monte Nebo ætatis suæ CXX. obiit. Deut. 34. & R. Abraham Leuita in lib. Recept. Sed Iosephus ponit diem 1. mensis 12.

CONSTANTINI Magni Imp. natalis. Sed Eutropius ad 7. diem Augusti retulit.

VIGESIMVSEPTIMVS. III. CAL. MARTII.

EQVIRIA festa in campo Martio à Romanis celebrata. Ouidius in Fastis. Alij ad 28. Ian. referunt.

LVDI Apollinares Romæ. Cal. Rom.

VIGESIMVSOCTAVVS. PRID. CALEND. MARTII.

LVDI uotiui Romæ auctoritate collegij pontificum concepti. Cal. Rom.

TARQVINII & auxiliares Hetrusci prælio superati. Brutus & Aruns Tarquinius mutuis uulneribus concidẽre, anno Vrbis 246. Liuius.

P. SCIPIO Asiaticus de Antiocho rege triũphauit, anno Vrbis 564. Orosius lib. 4. cap. 20.

MARTII MENSIS DIES

PRIMVS. CALENDÆ MARTII

Sacrorum.

Dedicatio templi HIEROSOLYMITANI post captiuitatẽ Babylonicam. Iosephus lib. 11. c. 4. Antiq.

Iunoni Latinę ędes ROMÆ in colle Exquilino sacrata. Ouid.

MATRONALIA festa Romæ, quia raptę Sabinæ olim duas infestas acies suo interuentu diremissent, anno mundi 3215. Tum matronæ seruis cœnas apponebant. Dicebantur & festa Feminea, quia uiri dabant dona uxoribus. Cal. Rom.

Comitiorum.

Hoc die ROM. comitia auspicabantur, & uectigalia locabãt. Quando is ex Romuli instituto primus anni erat. Macrob. lib. j. Saturn. cap. 12.

Inaugurationis.

MAXIMIANVS à Diocletiano Cęsar appellatus, anno 290. Ger. Mercator.

Magistratus insignium.

Laureas uirides aridis mutabant in Consularibus fascibus, & in ædibus regis sacrorum, Flaminum Vestalium, & in Curia. Macrobius lib. j. Saturn. c. 12.

Expeditionis.

LVDOVICVS IX. Galliæ rex, instructa classe Massilia soluit cum tribus filiis, in Africam contra Saracenos traiecturus. 1270. Chron. reg. Franciæ.

Vrbium direptionis.

L. Corn. SYLLA captas Athenas à se ipsemet in commentariis ait Calendis Martiis, qui dies ferè in nouilunium Anthesterionis mensis incidit. Plutarchus in Sylla. Quo loco fortassis Thargelionis legendum est. Lalamantius.

Victoriæ.

FERDINANDVS Catholicus, Hispaniæ rex, Alfonsum Lusitaniæ regem, regni Castellæ successionem affectantem, ad amnem Durium magno pręlio uicit. Cal. Martiis anni 1476. Marineus lib. 19. rerum Hispan.

Munerum, Strenarum, Salarij.

Apud ROM. hoc die olim munera, quæ strenæ dicebãtur, mitti solita constat. Vnde illud apud Pomponium l. sed si, 31. §. si uir. ff. de donat. inter uirum & uxorem: Si uir uxori munus immodicum Calendis Martiis, aut natali die dedisset, donatio est. Tibullus lib. 3.

Martis Romani festæ uenêre Calendæ:
Exoriens nostris hic fuit annus auis.
Et uaga tunc certa discurrunt undiq; pompa,
Perq; uias urbis munera, perq; domos.

Hotomannus de Verbis iuris.

Magistris merces ROMÆ exolucbatur, quas completus annus deberi fecerat. Macrobius lib. j. Saturn. cap. 12.

Triumphi,

Multorum triumphis insignis hic dies. Vide infrà, Triumphales dies.

Ortus.

MARTIALIS poeta apud Celtiberos in Hispania natus. Inquit enim lib. 10. Epigram.

Natales mihi Martiæ Calendæ.

Mortis.

BASILIVS Imp. Orientis obiit. 886. Onuphrius.

SECVNDVS. VI. NONAS MARTII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius lib. j. Saturn.

TERTIVS. V. NON. MART.

CHRISTO paruuli oblati ut tangeret, anno 33. Matth. 19.

CAROLVS Burgũdiæ dux ingenti pręlio ad Gransen ab Helueriis uictus, omnibus thesauris amissis, anno 1476. Stumpfius libro 8.

QVARTVS. IV. NON. MART.

Ieiunium HESTER, triste festũ Iudæis. Dies 13. mẽsis 12. Adar, destinatus occisioni gentis Iudaicæ. Sed postea per Mardocheum aliis edictis impetratis eodem die Iudæi interfecerunt 75000 ethnicorum, anno Mundi 3435. Hest. 3. & 9.

IVDAS Machabæus exercitum Antiochi uicit cum duce Nicanore, anno 3797. 2. Machab. ult. Iosephus lib. 12. Antiquitatum, cap. 17.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

A. MANLIVS Torquat. Atticus Cos. II. de Falisciis triũphat, anno Vrbis 512. Golzius.

QVINTVS. III. NON. MART.

Bacchanalia IVDÆORVM. Festum Sortium. Hest. 9.

ODOACER rex Herulorum à Theoderico Gotho Rauennę occisus. 492. Cuspin.

SEXTVS. PRID. NON. MART.

THESEVS in Cretam mittitur, magna parentum mœstitia, anno Mundi 2694. Vnde Athenis quotannis pompa puellarum ad templum Apollinis Delphici ducebatur. Plutarchus in Theseo.

SEPTIMVS. NONIS MART.

IVNONALIA festa Romæ. Cal. Rom.

AEDES Væiouis sacrata ad duos lucos Asyli. Ouidius.

OCTAVVS. IIX. ID. MART.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

NONVS. VII. ID. MART.

ANCYLIA arma Romæ mota. Cal. Vet.

DECIMVS. VI. ID. MARTII.

CARTHAGINENSES nauali prælio ad Lilibæum à C. Luctatio Catulo uicti, anno Vrbis 504. Liuius. Orosius lib. 2. Eutropius 2.

T. MANLIVS Torquatus de Sardis triumphauit, anno Vrbis conditæ 518.

VNDECIMVS. V. IDVS MART.

GRÆCA sacra sub obscura luce Romæ. Cal. Rom.

L. CORN. Scipio Cos. de Pœnis, Sardinia, & Corsica triumphum egit. 494. Golzius.

DVODECIMVS. IV. IDVS MARTII.

C. FLAMINIVS & P. Furius Coss. de Gallis & Liguribus triumpharunt, anno Vrbis 530. Liuius.

DECIMVSTERTIVS. III. IDVS MARTII.

IOVI cultori sacrum Romæ. Cal. Rom.

EQVIRIA altera apud Tyberim, aut si aquis intumuisset, in monte Cœlio. Ouidius in Fastis.

MAHOMETVS Saracenorum dux & propheta obiit, anno Domini 637.

DECIMVSQVARTVS. PRIDIE ID. MARTII.

MARTYRES XLIX. Romæ sub Nerone facti, anno Domini 50. Nicephorus.

DECIMVSQVINTVS. IDVS MARTII.

ANNÆ Perennæ festum Rom. quo coniuges cum liberis in agris læti conuiuia peragebant. Ouidius lib. 3. Fast.

M. VAL. Coruus IV. Cos. de Calenis triumphum egit, anno 418. Liuius.

C. IVL. Cæsar à cõiuratis in senatu 23. uulneribus interfectus, anno 42. ante natum Christum. Sueton. in Iulio. Inde Parricidium hæc dies dicta, ideoque perpetuum iustitium Romæ. Cal. Rom.

DECIMVSSEXTVS. XVII. CAL. APRILIS.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

ROMA urbs à Gothis quartùm capta, sub Iustiniano, an. Vrbis 1300. Golzius.

DECIMVSSEPTIMVS. XVI. CALEND. APRIL.

Diẹs infelix ROMANIS, in quo cultores Matris deũm plangere incipiebant. Alex. 4. cap. 26.

LIBERALIA & Bacchanalia Romæ celebrata. Pueri ingenui uirilem togam sumebant. Varro uocat Agonia.

M. VAL. Max. Messala Cos. de Pœnis & Hierone rege Siculorum triumphauit, anno Vrbis 490. Golzius.

DECIMVSOCTAVVS. XV. CAL. APRILIS.

CREATIONIS primum diem Marianus Scotus hic statuit lib. j. capite 8.

Palatini IOVIS templum cum libris Sybillinis exustum. Calend. Rom.

DECIMVSNONVS. XIV. CALENDAS APRIL.

IOSEPHVS Iacobi F. post somnia Pharaoni explicata, in Aegypto annonæ præfectus constituitur. Gen. 41.

PHOCION Athenis ueneno necatus. Plut. in Phocione.

MINERVÆ Capitali ædes Romæ in monte Cælio dicata. Ouidius.

QVINQVATRIA priora festa Romanis, ob Mineruæ natalem. Nefas digladiari. Pueri soluebant magistris Minerualia. Ouidius in Fastis.

VIGESIMVS. XIII. CALENDAS APRILIS.

CHRISTVS passus 13. Calend. Aprilis. Epiphanius lib. 2. tom. j. hæresi 50. & 51.

P. OVIDIVS Naso secundo die ex Quinquatriis natus, Hircio & Pansa Cos. ut ipse testatur eleg. 9. lib. 4. Trist. an. 40. ante natum Christum.

VIGESIMVSPRIMVS. XII. CAL. APRILIS.

MAXIMVS Romæ occupauit Imperium, anno 456. Marianus Scotus.

GALIENVS Augustus cum fratre & filiis occisus, anno 269. Onuphrius.

VIGESIMVSSECVNDVS. XI. CALEND. APRIL.

Intercalares quinq; IVDÆORVM dies, finito 12. mẽse Adar, incipiunt.

TEMPLARIORVM ordo à Clemente V. tollitur: anno 1312. cùm durasset annos CXXCIV. Martini Poloni appendix.

VIGESIMVSTERTIVS. X. CAL. APRILIS.

CHRISTI passionem & mortem hoc die Beda posuit.

Dies ultimus ex Quinquatriis, TVBILVSTRIVM dictus. Vnde Ouidius:

Summa dies è quinque tuba lustrare canora
Admonet, & forti sacrificare deæ.

C. CORN. Scipio Procos. de Pœnis triumphauit, anno Vrbis 500. Liuius.

VIGESIMVSQVARTVS. IX. CAL. APRILIS.

SIMON puer Tridentinus à Iudæis crucifixus. 1477. Sabellicus Ennead. 10. lib. 7.

VIGESIMVSQVINTVS. IIX. CAL. APRILIS.

ADAM primus homo creatus, & secundùm alios lapsus. Augustinus lib. 4. de Trinit. c. 5.

IESVS in utero uirginis Mariæ humanam naturam assumsit. Lucæ 1. Eusebius, Augustinus, Cedrenus.

CHRISTVS secundùm Tertullianũ 15. anno Tiberij passus: uel 18. Cedrenus hoc die Resurrectionem ponit.

IO. Baptista decollatus, anno proximo ante Christi mortem. Hieronymus in Martyrologio.

S. IACOBVS frater Domini lapidatus, anno Domini 64. Marianus Scotus lib. 2.

HILARIA Matris deũm festa Rom. celebrata, quòd ab hoc

Aequinoctij die, sol diem longiorem efficeret. Macrobius lib.j.Saturnal.Mulieres Veneri sacta faciebant.Cal.Vet.

VENETIÆ ob metum Barbarorum ædificari cœptæ, anno 421. Sabellicus Enneadis 8.lib.j. At Onuphrius in anni 430. diem præcedentem refert.

VIGESIMVSSEXTVS. VII. CAL. APRILIS.

OBADIAS Propheta obiit, sub Babylonicam captiuitatem. Iosephus.

VIGESIMVSEPTIMVS. VI. CAL. APRILIS.

NOE primo die mensis tectum ab Arca abstulit. Ipse tamen adhuc per 56. dies in Arca mansit. Gen.8.

ABRAHAM Isaacum sacrificaturus,ab Angelo prohibitus, arietem offert. Rabini.

Anno 2. post exitum ex Aegypto, die primo, primi mensis, TABERNACVLVM legis erectum & dedicatum. Exod.ult.

Templũ ab EZECHIA repurgari cœptũ, anno Mundi 3226. 2. Paralipomenon 29.

ESDRA se præparat ad profectionem ex Babylone Hierosolymam uersus. 1.Esdræ 7.

CHRISTVS ultra Iordanẽm mansit cum discipulis, ubi Ioãnes priùs baptizauerat, anno ætatis 33. Ioan.11.

MEGALESIA sacra Romæ. Mater deorum undis Almonis ablutum. Cal.Rom.

L. POSTHVMIVS Megellus II. Cos. de Samnitibus & Hetruscis triumphauit, anno Vrbis 459. Liuius.

L. Corn. BALBVS ex Africa triumphauit, anno Vrbis conditę 734. Golzius.

VIGESIMVSOCTAVVS. V. CAL. APRILIS.

ISRAELITARVM luctus ob Mosen in campo Moabitarum desiit. Deut. ult.

CHRISTVM Pharisæi tentantes interrogant, Vtrum liceat qualibet de causa uxorem dimittere. Matth. 19.

Sacra IANO, Concordiæ, Saluti, Paci, & Eleusinæ Cereri. Cal.Rom.

M.ATTILIVS Regulus de Volscis & Samnitibus triumphauit. 459. Liuius.

VIGESIMVSNONVS. IV. CAL. APRILIS.

IOSVE exploratores Hiericuntem misit. Iosue 2.

CHRISTVS accedens ad Hierico cæcum in uia sedentem sanat, & apud Zachæum publicanorum principẽ pernoctat. Lucæ cap.19.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

TRIGESIMVS. III. CALENDAS APRILIS.

CHRISTVS egrediens Hierico sanat cæcum Bartimæum, & ulterius progressus aliis duobus cæcis uisum restituit. Marci 10. Matth. 20.

TRIGESIMVSPRIMVS. PRID. CALEND. APRIL.

NEHEMIAS cum literis regis Artoxerxis Hierosolymam uenit, quibus potestas dabatur ædificandi templum. 1.Esd.2.

LVNÆ sacra in monte Auentino Romæ. Ouidius.

APRILIS MENSIS

PRIMVS. CALENDÆ APRILIS, CLARAE OB

Miracula.

CHRISTVS Lazarum Bethaniæ in uitam reuocat. Ioan.5.

Festa, Sacra.

THARGELIA festa Apollini & Dianæ, & Apaturia Veneri apud Græcos. Suidas.

VERNALIA festa Veneri per mensem Aprilem sacrata Romę cum floribus & myrto: tum & Senatus legitimus.

FORTVNÆ Virili thure sacrificatum. Mulieres sertis myrteis redimitæ sanantur. Cal.Rom.

Dignitatem, Inaugurationem.

VALENS à Valentiniano fratre Constantinopoli consors imperij factus, anno 367. Diaconus.

Expeditiones.

LONGOBARDI cum rege Alboino à Narsete euocati, Italiam inuadere statuunt, anno 568. Bonfinius Decad.j. lib.7. Onuphrius in seq. diem reiicit.

Vrbem occupatam.

ROMA ab Alarico Gothorum rege capta, anno Vrbis conditæ 1164. Salutis 414. Paulus Aemilius lib.j. Sabellicus Ennea dis 7. lib.9. At Sigonius lib.10. Imp.occid. anno 410. habet Hector Boethius lib.7. anno 412.

Triumphos.

Triumphis insignis. Vide infrà, Triumphales dies.

Incendia.

Mons AETNA in Sicilia ignis copiam euomens uicina loca funditus deleuit. 1536. Lycosthenes.

Mortem.

TACITVS Imp. obiit, anno 277. Onuphrius.

SECVNDVS. IV. NONAS APRILIS.

BALDVINVS II. rex Hierosolymis coronatus, anno 1118. Gulielmus Tyrius.

TERTIVS. III. NON. APRIL.

Repurgato templo ab Ezechia, IVDÆI porticũ ingressi, templum expiauerunt diebus octo. 2.Paralip.29.

QVARTVS. PRIDIE NONAS APRILIS.

AGRIPPA Menenius Lanatus Cos. de Sabinis triumphauit, anno Vrbis 250. Liuius.

QVINTVS. NON. APRIL.

MARIA soror Mosis & Aaronis apud Kades defuncta. Numeri cap.20.

ISRAELITICVS populus duce Iosua transiuit per Iordanẽ è regione Hierico. Iosue 3. & 4.

EZECHIEL uidit Ecclesiæ Dei mysteria sub figura ciuitatis. Ezechiel 30.

CHRISTVS die Palmarum Hierosolymam ingreditur. Matthæi cap.21.

MEGALESIA Romæ celebrata. Ouidius lib.4. Fast. Liuius refert ad Prid.Id.April.Dec.3. lib.9.

SEXTVS. IIX. ID. APRIL.

Circũcisio ISRAELITARVM in campis Hiericuntinis, quæ per XL annos intermissa fuerat. Iosue 5.

ATHENIENSES ciuitatem lustrabant. Plutarchus.

SOCRATES philosophus natus.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

Aedes FORTVNÆ Publicæ in Quirinali colle dicata. Varro.

SEPTIMVS. VII. IDVS APRIL.

APOLLINIS natalis. Plutarchus.

CARNIA & THARGELIA festa Cyrenæorũ & Atheniensium Apollini celebrata. Plutarchus.

GRÆCI superarunt Persas ad Artemisium. Plutarchus. [redacted]

PLATONIS & CARNEADÆ philosophorum natalis. 88. Olympiadi, anno, creationis Mundi 3537. Plutarchus lib.8. Sympos. Eutropius lib.j.

PLATO obiit, anno ætatis 81. Vnde Magi ei Athenis hoc die immolauerunt, quia perfectissimum numerum nouies nouenum annorum absoluisset. Beutherus.

CASTORIS & POLLVCIS natalis Romæ celebrata VII. die Thargelionis.

OCTAVVS. VI. IDVS APRIL.

Assueri régis edicta XIII. die primi mensis in 127. prouincias perscripta, de interficiendis IVDÆIS omnibus, qui dies Iudæis luctuosus. Hester 3.

LVDI Romæ celebrati ob Iubam regem à Cesare deuictum, anno 45. ante natum Christum. Suetonius, Florus.

NONVS. V. IDVS APRIL.

CEREALIA festa, & LVDI Circenses Romæ. Ouidius.

DECIMVS. IV. IDVS APRIL.

Patrum quidam ADÆ creationem, & salutationem Angelicã hoc die ponunt. Augustinus, Cedrenus.

MOSES Israelitas ex Aegypto eduxit. Exod. 13. Num. 33. Iosephus 2. cap. 13. Antiq.

IOSVE urbem Hierico incipit circumire per VI. dies, & septimo septies. 2494. Iosue 6.

CHRISTVS sese subduxit Hierosolymis à parentibus. Lucæ capite secundo.

IDEM hoc die cruci affixus. Matth. 27. secundùm Massæum & Astronomos, 15. luna 1. mensis.

VNDECIMVS. III. ID. APRIL.

EZECHIÆ iussu per XVI. dies templo repurgato, sacrificia restaurata fuerunt. 2. Paralip. 29.

MILO damnatus ob Clodij cædem, inualida Ciceronis defensione, anno 51. ante natum Christum. Appianus lib.2.

DVODECIMVS. PRIDIE IDVS APRILIS.

Ludi Cereales per IIX. dies ROMÆ. Cal.Rom.

DECIMVSTERTIVS. IDVS APRILIS.

DIES Azymorum, & IV. Egressionis ex Aegypto. Pharao cũ exercitu populum eodem die assequitur. Verũ angeli præsidio arcetur. Exod.14. Num.33.

FIDENÆ à Romulo captæ, & in coloniam redactæ. Plut.

C.AVR. Cotta Cos. de Pœnis & Siculis triumphum egit, anno Vrbis 501.

Pessi-

Pessinuntia dea seu Magna mater à P. CORN. Scipione Romam illata. Liuius.

DECIMVSQVARTVS. XIIX. CALEND. MAII.

Azymorum dies VI. quo ISRAELITÆ per mare Rubrum incesserãt. Orto die Pharao fugientes insequutus, aquis recurrentibus obruitur. Moses cũ populo Deo gratias agunt. Exod.14. & 15.

CHRISTVS à parentibus in Templo disputans inuẽtus. Lucæ cap. 2.

HIEROSOLYMA ab exercitu Titi obsideri cœpta, anno Salutis 72. Iosephus lib.6.cap.4. Egesippus lib.5.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

Cn.POMPEIVS magnus Hierosolymam occupans, in Sancta sanctorum ingreditur. [redacted]

DECIMVSQVINTVS. XVII. CALEND. MAII.

Azymorum VII. dies. ISRAELITÆ à mari Rubro ducũtur in desertum Sin, ubi per triduum errant in locis aridis. Exodi capite decimoquinto.

FORDICIDIA festa Romæ, à Numa instituta, cùm lues necaret pecudes. Mactabatur tum Forda, hoc est, bos grauida pro incolumitate armentorum. Ouidius in Fast.

DECIMVSSEXTVS. XVI. CALENDAS MAII.

ISRAELITIS tubis clangentibus muri Hiericuntis corruerunt. Iosue 6.

Nouus Codex à IVSTINIANO Imp. editus, anno 529. Ant. Contius lib.j.

DECIMVSSEPTIMVS. XV. CALEND. MAII.

Vincite festum à IVDÆIS celebratur: cõuiuantes absumunt reliquias præteriti festi Paschatis. Sic uocant hoc festum ex uerbis Psalm.118. Eberus.

DECIMVSOCTAVVS. XIV. CAL. MAII.

EQVIRIA in circo Maximo Romæ celebrata, & uulpiũ combustio facta. Hinc ludi Circenses dicti. Cal.Rom.

HIEROSOLYMA diebus Paschæ à Tito capta & deleta, anno Christi 73. Iosephus, Scotus lib.2.

DECIMVSNONVS. XIII. CALENDAS MAII.

In deserto Mara, amaras aquas MOSES dulces fecit. Exodi capite decimoquinto.

Angelus Domini reuelauit DANIELI res magni momenti de Antiocho, Antichristo, & postremis temporibus, die 24. mensis 1. anno Mundi 3455. Dan.10. & 11.

CHRISTVS octauo die post resurrectionem iterum apparet congregatis Apostolis, præsente etiam Thoma. Ioannis capite uigesimo.

Dies AEGYPTIACVS. Cal.Rom.

OTHO Cæsar ad Bebriacũ à Vitellio superatus, seipsum pugione confodit, anno 68. Suetonius.

VIGESIMVS. XII. CALENDAS MAII.

QVIRINALIA, Agonia, seu Agonalia altera festa Rom. Vulpes tum cum stipulis ardentibus cursitabant. Cal. Rom.

VIGESIMVSPRIMVS. XI. CALEND. MAII.

Olympiad.6. anno 3. ROMA condita Eutropio. At Plut. in Romulo 12. Cal.Maij.

PALILIA festa etiam ante cõditam urbem Romæ à pastoribus celebrata, qui colebant deam Palem. Oues lustrabantur crepusculo, ouilia frondibus decorabantur, atque flammas transilire mos erat.

PHILIPPVS Imp. Romæ ludos seculares celebrauit, milesimo anno Vrbis completo. Beutherus.

CONSTANTINOPOLIS, noua Roma à Constantino Magno dedicata, anno Sal.332.

VIGESIMVSSECVNDVS. X. CALEND. MAII.

HIEROSOLYMA à Titi militibus oppugnari cœpta, annõ 72. Iosephus.

HONORIVS Imp. moritur anno Salutis 424. Marianus Scotus. Panuinius ad XV. Augusti prioris anni refert.

TEMPLARIORVM ordo penitus extirpatus, & eorum Magister Luteriæ exustus, anno 1311. Annal. Franc.

VIGESIMVSTERTIVS. IX. CAL. MAII.

VINALIA priora, Ioui & Veneri à Rom. degustandis uinis instituta. Ouidius lib.4. Fast. & Plinius lib.18. c.29.

MAHOMETI Saracenorũ pseudoprophetæ natalis die Veneris, anno 593. Gælius in Saracen. hist.

VIGESIMVSQVARTVS. IIX. CALEND. MAII.

TROIA à Græcis capta, atque Priamus ad aram occisus, anno creationis Mundi 2783. Plutarchus in Camillo. Alij aliã diem statuunt.

LVSTRIA festa Romæ Marti peracta, in quibus tubæ, aquilæ, & alia arma lustrabantur. Cal. uet. Rom.

CARTHAGINENSES in Sicilia à Timoleonte Corintho ingenti prælio uicti. Plutarchus.

ALBERTVS Cæsar à Ioanne fratris filio ad Russam fl. Heluetiorum occisus. 1308. Cuspinianus.

VIGESIMVSQVINTVS. VII. CALEND. MAII.

ROBIGALIA Romæ à Numa instituta. Plinius libro decimooctauo, capite 29.

THEODOSIVS Iunior Imp. obiit, anno Domini 451. Marianus Scotus.

VIGESIMVSSEXTVS. VI. CALEND. MAII.

IAIR uel ZIVS secundus mensis Iudæorum incipit.

MOSES & Aaron Dei iussu numerant populum in deserto. Numeri cap.j.

ZOROBABEL noui Templi fundamenta posuit, altero anno reditus in Nouilunio secundi mensis. 3. Esdræ 5.

Litania maior in Ecclesia à S. GREGORIO tempore pestis instituta. 594. Gul. Durandus.

VIGESIMVSSEPTIMVS. V. CALEND. MAII.

LATINÆ feriæ in Monte sacro. Liuius.

Italici à Friderico I. Imp. deficientes, MEDIOLANENSES ab eo euersos in ueterem patriam quamuis desertam atq; deletam restituerunt, ante V. Cal. Maij. Sigonius lib.14. regni Italici.

VIGESIMVSOCTAVVS. IV. CALEND. MAII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

LVDI Antij Romæ usque ad 14. diem Maij. Cal. Rom.

FLORALIA Romæ ex libris Sibyllinis, ut omnia bene deflo resserent, anno Vrbis 516. Plin. lib.18. c.29.

DECIMVSNONVS. III. CALENDAS MAII.

VESTÆ Palatinæ sacrum Romæ celebratum. Ouid. in Fastis.

DECIVS Imp. à Gothis cum filio cæsus, anno Domini 254. Marianus Scotus.

TRIGESIMVS. PRID. CALEND. MAII.

LVCANVS poeta Pisonianæ cõiurationis crimine in balneo medico uenas præbuit secandas, prid. Cal. Maij, Attico Vestino, & Nerua Syllano Coss. Gyraldus.

Litania minor sub Zenone in Gallia instituta per MAMERCVM Episcopum Viennensem, anno 464. Gul. Durandus.

MAII MENSIS

DIES

PRIMVS. CALENDÆ MAII,

CELEBRES

Sacris.

Aedes MAIÆ dedicata sub nomine Bonæ deæ. Flamen Vulcanalis sacrum faciebat Opi, suemq; prægnantem mactabat Maiæ & Mercurio. Macrobius lib. j. Saturn. 12.

LARES & Præstites à Romanis colebantur. Ouid. in Fastis.

Victoria, Clade.

Circa Cal. Maij anno Domini 324. Licinius à CONSTANTINO Magno uictus, abdicauit. Onuphrius.

Triumphis.

P.VAL. Poplicola de Veientibus & Sabinis triumphauit, anno à condita Vrbe 278. Liuius.

Q.PVBL. Philo primus Procos. de Samnitibus Palæpolitanis triumphauit. 427.

Incendiis.

Cùm Philippus Imp. Seculares ludos ingenti pompâ ob annum Vrbis 1000 celebraret, ppter lychnos nocturnos magna pars VRBIS incendio consumta, an. Domini 250. [redacted]

BASILEA minor ferè tota incendio absumta. 1354. Stumpfius libro 12.

Morte.

BELA III. rex Hungariæ, anno regni 23. moritur. 1199. Bonfinius Dec.2. lib.7.

SECVNDVS. VI. NONAS MAII.

Ater dies, atq; ROMANIS ominosum nubere. Cal. Rom.

M.Cl. MARCELLVS Cos. de Comẽsibus & Insubrib. triumphat, anno ab Vrbe cõdita 557. Golzius.

TER-

TERTIVS. V. NON. MAII.

TERRÆMOTVS horrẽdus meridiano tempore in Polonia exortus.1200.Cromerus lib.7.

MAHOMETVS II.Turcorum rex, cùm annis unum & XXX sæuissimè regnasset, ab expugnatione Rhodiorum turpiter discedens, Nicomediæ colico dolore mortuus est, anno ætatis 58.Salutis 1481.

QVARTVS. IV. NON. MAII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

LVDI maximi per sex dies Romæ celebrati.Cal.Rom.

A.MANLIVS Torquatus Atticus Cos. II.de Phalisci triumphauit, anno Vrbis 512. Liuius.

QVINTVS. III. NON. MAII.

NOE die X. mẽsis II. in extructam Arcam intra septem dies uictũm necessarium familiæ & animalibus importauit, & introduxit ex omnibus speciebus animantium immundorum singula paria, mundorum septena. Gen.6.& 7.

S.AVGVSTINVS per Ambrosium conuersus, anno Domini 377.Vincentius.

CAROLVS Magnus Desiderium regem Longobardorũ acie superauit, & cepit. Sic Longobardorum regnum in Italia Francis cessit, anno 206.postquam occuparant: Salutis 773. Onuphrius.

SEXTVS. PRID. NON. MAII.

C.MARTIVS Rutilus Dictator de Tuscis triumphũ egit, anno Vrbis 397.Liuius.

ROMA à Caroli V. Cæsaris militibus capta & direpta, anno 1527. Paul. Iouius.

SEPTIMVS. NON. MAII.

Q.FABI Vibulanus III. Cos. de Aequis triumphauit, anno Vrbis 294. Liuius.

C.SVLPITIVS Bæticus Dictator de Gallis triumphat, anno Vrbis 395. Golzius.

OCTAVVS. IIX. ID. MAII.

Ater dies ROMANIS. Gellius lib.5.

NONVS. VII. ID. MAII.

Lemuria nocturna sacra tribus noctibus alternis ROMÆ celebrata, ad fugandos ex domibus Lemures & terriculamenta nocturna. Tum etiam nubere malum credebatur. Ouid. lib.5. Fast.

DECIMVS. VI. IDVS MAII.

ISRAEL die XXX post egressum ex Aegypto peruenit in terram Sin, Deus misit magnam uim coturnicum intra castra. Exodi cap.16.

TIBERIVS Cæsar de Illyriis, Pannonijs, Dalmatis & Germanis triumphat, anno Vrbis 764.sub Augusto.

VNDECIMVS. V. IDVS MAII.

MANNA mane primo Israelitis de cœlo in folia arborũ demissa, quo Deus eos per XL annos in deserto aluit. Exodi capite decimosexto.

LEMVRIA II. Romæ. Tũ iuuenes armabantur. Cal.Rom.

DVODECIMVS. IV. IDVS MAII.

NOE in Arcam ingressus cum uxore, filiis, & coniugibus. Genesis cap.7.

ATHENIS dies celebris ob Mantineæam uictoriam. Plut.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

Marti Vltori (Ouidius Bifultorem uocat) ROMÆ ludi celebrati. Cal.Rom.

L. CORN. Maluginensis Cos. de Volscis & Antiatibus triumphauit, anno Vrbis 294. Liuius.

DECIMVS TERTIVS. III. IDVS MAII.

LEMVRIA postrema Romæ. Ouidius.

DECIMVS QVARTVS. PRIDIE ID. MAII.

ANTONINVS Caracalla à patre Seuero Imperator dictus. 199. Onuphrius.

DECIMVS QVINTVS. IDVS MAII.

Anno secũdo post exitum ex Aegypto, nube eleuata à Tabernaculo signum profectionis accepit MOSES, die XX. mensis secundi. Num.10.

Mercurij natalis. Hinc ei ædes ad Circum maximum ROMÆ [redacted] erantq; tum Mercatorum feriæ. Liuius, Varro.

IOVI Feretrio Romæ sacrum. Cal.Vet. [redacted]

ARGIVORVM scirpea simulacra de ponte Sublicio quotannis Romæ in Tyberim proiecta. Senatus legitimus Romæ. Cal.Rom.

Religionis formula INTERIM Germanis à Carolo V. exhibita, anno 1548.Sleidanus 20.

DECIMVS SEXTVS. XVII. CAL. MAII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

VALENTINIANVS Iunior ipsa die Pentecostes elatus, cũ præcedẽti die in palatio strangulatus fuisset, qui erat secundùm Aegyptios mensis Pathon dies 21. Græcorũ Artemisij 23. Romanorum 17. Cal.Iun. Epiphanius de Ponderibus & Mensuris.

DECIMVS SEPTIMVS. XVI. CALEND. IVN.

ISRAELITÆ murmurant contra Mosen. Ideo Deus fulmine postremam partem castrorum accendit. Num.11.

DECIMVS OCTAVVS. XV. CAL. IVNII.

TROIA à Græcis capta & incensa, secundùm Halicarnasseũ, nimirum die 17.ante Solstitiũ æstiuũ. Glareanus in Chron.

SIMON Asmonæus, arcem Hierosolymitanã, fame expugnatam, solenni ritu expiauit. I. Machab.13.

T.MANLIVS Imperiosus Torquatus III.Cos.de Latinis, Cãpanis, [redacted] & Antiatibus triumphat, an. Vrbis 413. Liuius.

GALLI ad Caranagium Venetos acie uincũt, & Lombardiã occupant.1509. Tilius.

DECIMVS NONVS. XIV. CAL. IVN.

Ventus uehemens coturnices transmarinas ISRAELITIS attulit. Num.11.

MAHOMETES II.Turcarum Imp. Chalcidem cœpit, anno 1470.Beutherus.

VIGESIMVS. XIII. CALENDAS IVNII.

MARIA cũ Aaron contra Mosen murmurans, lepra pcutitur.

AGONALIA festa Romæ. Cal.Rom.

NICENVM concilium à Constantino Magno incoatum, an. Christi 325.Constantini 20.Socrates lib.j. c.13.

MAXIMILIANVS I.Cæsar ad Bononiam Iulij II. Põtificis exercitum ingenti prælio superauit.1511.Hist.Fronsp.

VIGESIMVS PRIMVS. XII. CAL. IVNII.

Iesus CHRISTVS filius Dei die XL. post resurrectionẽ ascendit ad cœlos. Marci ult. & Act. j.

AEGYPTIACVS dies.

Vulcano TVBILVSTRIA Romæ celebrata. Cal. Rom.

VIGESIMVS SECVNDVS. XI. CALEND. IVN.

NOE 27.die secundi mensis ex Arca egreditur, sacrificiũ Deo offert, arcum cœlestem signum accipit. Gen.9.

ROMÆ lustratio segetum, Fortunæq; Publicæ templum dicatum. Cal.Rom.

CONSTANTINVS Magnus moritur Nicomediæ, anno Imperij 31.ætatis 66. Salutis 342. Cuspin. Sed Onuphrius ponit 337.annum.

VIGESIMVS TERTIVS. X. CAL. IVNII.

TROIÆ excidium 17. die ante Solstitium æstiuum hĩc ponit, à Dionysio Halicarnasseo. Plut.& Glareaneus.

VIGESIMVS QVARTVS. IX. CAL. IVNII.

OTHO III.Imp.Romæ à Gregorio V.Pont.solenniter coronatus, anno 1000.Auentinus.

VIGESIMVS QVINTVS. IIX. CAL. IVNII.

SER.Tullus rex de Hetruscis Romę triumphauit, anno Vrbis 186. Liuius.

FORTVNÆ sacrum Romæ. Cal.Rom.

VIGESIMVS SEXTVS. VII. CAL. IVNII.

STVAN tertius mensis Iudæorum incipit. Masseus.

EZECHIEL iterum prædicit calamitates Aegyptiacas. Ezechiel cap.34.

REGIFVGIVM alterum Romæ. Cal.Rom.

GERMANICVS Drusi filius triumphauit de Cheruscis, Cattis, Angriuariis, anno Domini 17. Tacitus lib.2.

LOTHARIVS Cæsar à fratribus in Gallia ingenti prælio uictus, occisis C millibus hominum. Tumq; Carolinorũ gloria concidit, [redacted] Aliqui ad 1. Maij referunt.

VIGESIMVS SEPTIMVS. VI. CAL. IVNII.

MOSES sanctificans populum, iussit Israelitas adesse, ut Legem Domini audiant. Exod.19.

Solennitas ROMÆ Honori, Opi, & Virtuti. Cal.Rom.

FORTVNÆ Publicæ templum dicatum: Ouid. in Fastis.

VIGESIMVS OCTAVVS. V. CAL. IVNII.

TITVS Romanorum Imper. obiit, anno Sal.83. Methodius, & Scotus. Sed Suetonius ad 13. Septemb. retulit.

GERMANVS, Parisiensis episcopus, supra lectulum suum inscripserat, v.Cal.Iun. Nemo inscriptionis causam nosse potuit, donec eodẽ, qui notatus fuerat, die ipsum uita defungi contigit. Marulus lib.5.c.10.

VIGE-

VIGESIMVS NONVS. IV. CAL. IVNII.

MOSES à Deo de monte Sinai descendit, populum Israel sanctificaturus. Exodi 19. Nicolaus Lyra.

CONSTANTINOPOLIS à Mahometo II. post longã obsidionem, tertio impetu, die Pentecostes expugnata. 1452. Blondus, & Masseus, & Sabellicus lib.6.Enn.10.

TRIGESIMVS. III. CAL. IVN.

ISRAELITÆ ad montem Sinai tonitrua & fulgura audiuerunt, & Deum descendentem uiderunt. Exod.19.

Ex castris ISRAELITARVM ad Harã exploratores ad Chanaan electi. Num.13.

TRIGESIMVS PRIMVS. PRID. CALEND. IVNII.

DAMIATA urbs Aegypti à Christianis occupata.1249. Belli sacri contin.lib.4. c.5.

BERNÆ Heluetiorum IIII. Dominicani exusti, anno 1509. Stumpfius lib.8.

IOANNA puella Lotharingica, Gallorum uindex, Rothomagi ab Anglis uiua exuritur.1431. Annal. Aquit.

IVNII MENSIS

PRIMVS. CALENDÆ IVNII, RESpectu

Sacrorum.

Hecatombæa festa Apollini ATHENIS. Beutherus.

IVNIVS Brutus, pulso Tarquinio rege, sacrum Carnæ deæ in Cœlio monte uoti reus fecit. Macrobius.

MARTI sacrum extra Portam Capenam. Tempestati quoq; Romæ delubrum positum.

FABARIÆ Calendę Romanorum, quo die Carnę deæ sacra faciebant, & recentes fabas comedebant cum farre, ne uiscera eo anno læderentur: tum pinguia larda gustabãt. Macrobius lib.j. Saturn.12. Ouidius lib.6. Fast.

IVN[redacted]edes dedicata. Festus.

Inaugurationis.

LVDOVICVS IIII. Cæsar Mediolani ferreo diademate rex Lombardiæ cinctus.1327. Iouius.

Expeditionis.

MOSES ex deserto Pharan mittit XII. Viros exploratores in terram Chanaan. Num.13.

Vrbis occupatæ.

ACCON à Saracenis in Syria tandem expugnatur, 30000 Christianorum trucidatis.1291. Nauclerus uol.2. gen.19.

Triumphi.

C.MARIVS Rutilius Cos. de Priuernatibus triumphauit, anno Vrbis 396. Golzius.

Q.Cæcilius METELLVS Creticus de Creta insula triumphũ egit.691. Liuius.

Ortus.

GETA Cæsar Mediolani natus. 211. Spart. Alij rectiùs ad 27. Maij referunt.

Mortis.

Didius IVLIANVS Imp.occisus.194. Onuphrius.

SECVNDVS. IV. NON. IVNII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

ROMA ab Hẽrico IV.Imp.occupata, fugato Gregorio VII. pontifice, anno 1083. Vrsperg.

ALFONSO Aragonum & Siciliæ rege Neapolim obsidẽte, uates quidam circa Cal.Iun. cum urbe potiturum prędixit, sed non multo pòst anceps futurum prælium, in quo dux [redacted]

TERTIVS. III. NON. IVN.

SENATVS legitimus Romæ. Cal.Rom.

M.FABIVS Ambustus III.Cos. de Tiburtibus triumphauit, anno urbis 399. Golzius.

ANTIOCHIA Syriæ à Godofredo & Christianis expugnata, anno 1098. Tyrius lib.6.c.23.

QVARTVS. PRID. NON. IVN.

HERCVLI ædes in Circo posita. Cal.Rom.

Appio Claudio pacem cum Pyrrho dissuadente, BELLONÆ sacra decreta, & templum dicatum. Liuius, & Ouidius.

QVINTVS. NONÆ IVNII.

Templũ FIDEI Romæ positũ, cui tum sacra fiebant. Cal.Vet.

LACEDÆMONII ingenti prælio ad Leuctra à Thebanis uicti, anno mundi 3577. Plut. in Agesilao, Diodorus Sic, lib.6.

SEXTVS. IIX. IDVS IVN.

Cùm MOSES per VII. dies in monte Sinai nube circũdatus Dei gloriam uidisset, ascendit in montem à Domino uocatus, fuitq; ibi per dies XL. Exod.24.

PHILIPPVS Macedoniæ rex Potidæam cœpit, Illyrios prælio uicit, & in equestri certamine Olympico uictor declaratus. Plutarchus.

ALEXANDER Magnus Philippo regi natus, anno mundi 3610. Plutarchus. Aliqui ad VI. Aprilis referunt.

DIANÆ templum eodem anno & die cõflagrauit. Sacerdotes discurrentes clamarunt, eo die magnum Asiæ malũ natum, anno 354. ante Christum. Eusebius.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

IVLIANVS Apostata Imp. in expeditione Persica periit, anno 366. Nauclerus lib.2. Gener. 13. Alij 26. Iunij anni præcedentis ponunt.

SEPTIMVS. VII. IDVS IVN.

TROIA hoc die à Græcis capta, iuxta Glareani supputationẽ in l.j. Dionys. Halicarnassei.

Vestæ templum ROMÆ apertum. Cal.Rom.

LVDI piscatorij iuxta Campum Martium in Tyberi celebrati. Ouidius lib.6. Fast.

Punico bello MENTI delubrum uotum & positũ. Ouidius.

OCTAVVS. VI. ID. IVNII.

Thesea ATHENIS celebrata. Theseus interfectis latronibus Athenas primò ingreditur, patrem Aegea salutaturus, quẽ hactenus ignorauerat, anno mundi 2730. Plut. in Theseo.

Ara IOVI Pistori Romæ posita. Cal.Rom.

D.IVNIVS Brutus Galecos in Hispania acie uicit, anno Vrbis 613. Ouidius.

NONVS. V. ID. IVNII.

VESTALIA Romæ celebrata: quo die asini coronati & onusti panibus circunducebantur per Vrbem, atq; quiescebant molæ, & pistorum furni. Ouid.6. Fast.

QVINQVATRIA minora. Fortunæ sacrum. Ouidius.

SER.Tullius rex Romanorum à L.Tarquinio genero occisus, anno Vrbis 218.

DECIMVS. IV. ID. IVNII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

LIVIA Concordiæ ædem posuit. Liuius.

T.DIDIVS Procos. ex Hispania de Celtiberis triumphum egit, anno Vrbis 660. Liuius.

NERO Imp. seipsum interfecit, anno Sal.69. Onuphrius. Scotus 26. Nouemb. statuit.

FRIDERICVS Barbarossa in Armenia rapidi fluuij uorticibus absumitur, anno Sal.1190. Cuspinianus.

VNDECIMVS. III. ID. IVNII.

VALENS Imp. magno exercitu Constantinopolim egressus Gothis occursurus. Diaconus lib.12.

DVODECIMVS. PRID. IDVS IVN.

CRONIA Athenis celebrata. Demosth. contra Timocrat.

P.CRASSVS Procos. de Lusitanis Romæ triumphũ egit, anno Vrbis 660. Golzius.

RVTILIVS Consul Rom. à Marsis occisus, anno 664. Florus lib.73. Aliqui ad IX. Iunij referunt.

DECIMVS TERTIVS. ID. IVN.

QVINQVATRIA minora festa Romæ celebrata. Tibicines feriati per urbem uagabantur, & ad ædem Mineruæ conueniebant. Ouidius in Fastis.

MVSARVM natalis. Cal.Rom.

IOVI inuicto Romæ ædes dicata.

DECIMVS QVARTVS. XIIX. CALEND. IVLII.

XERXES Persarum rex ad Thermopylas circa Solstitium æstiuum, cũ Olympia instaret, à Græcis uictus. Mel.2. Chron.

Athenis BVPHONIA. Plutarchus.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

DECIMVS QVINTVS. XVII. CAL. IVLII.

Ex æde VESTÆ [redacted] in Tyberim delata, & templum clausum [redacted] in Fastis.

NICENVM Concilium sub Constantino contra Arium cœptum.324. Masseus.

XVI. DIES. XVI. CAL. IVLII.

METOICIA festa Athenis celebrata in memoriam Thesei, ciues Atticos per agrum sparsos in unã urbẽ coegit, quam Athenas dixit. Plut. in Theseo.

PERSARVM classis ad Artemisium à Græcis uicta. [redacted] Alij ad VII. Aprilis retulerunt.

XVII. DIES. XV. CAL. IVLII.

Assueri regis edicto IVDÆIS fit potestas omnes inimicos interficiendi, Esterę cap.8.

POSTHVMIVS Volscos & Aequos prælio superauit, anno Vrbis 200. Liuius.

CAROLVS Burgũdię dux ad oppidum Murten ab Heluetiis uictus, anno Christi 1476. Phil. Comineus, Stumpfius.

XIIX. DIES. XIV. CALEND. IVLII.

HAMMONIS natalis. Beutherus.

ANNÆ Perennæ sacrum Romanis. Cal. Rom.

DECIMVS NONVS. XIII. CALENDAS IVLII.

PALLADI sacrum Romæ in colle Auentino. Ouidius.

VIGESIMVS. XII. CALENDAS IVLII.

Die XL pluuię cessarunt DILVVII, omnibus animalibus extra Arcam extinctis, anno mundi 1657. Gen. 7.

SVMMANO Romæ templum positum ad Circum maximũ, exterrita urbe bello contra Pyrrhum. Cal. Rom.

VIGESIMVS PRIMVS. XI. CALENDAS IVL.

HERCVLI sacrum Romæ. Cal. Rom.

Cn. FVL. Centimalus Procos. ex Illyriis naualem triumphum egit. 525. Golzius.

VIGESIMVS SECVNDVS. X. CALENDAS IVL.

Fides Catholica contra Arium in NICENA synodo cõfirmata. 324. Scotus.

PHILIPPVS Imp. ab Othone comite Vvitelspachio occiditur, anno Sal. 1208. Cuspinianus.

VIGESIMVS TERTIVS. IX. CAL. IVLII.

HANNIBAL ad Thrasimenum lacum Romanos superauit. Vnde hic dies ater deinceps habitus, anno ab Vrbe cõdita 537. Liuius lib. 2.

EDVARDVS Anglus nauali prælio Gallos ad Clusium deuicit, anno 1340. Io. Tilius.

VIGESIMVS QVARTVS. IIX. CALENDAS IVL.

Sacra FORTIS Fortunæ Romæ. Naues coronatæ per Tyberim agitabant conuiuia. Cal. Rom.

HASDRVBAL Carthaginensis à Romanis cæsus, anno Vrbis conditæ 537. Liuius lib. 2.

VIGESIMVS QVINTVS. VII. CALENDAS IVL.

THAMVZ quartus mensis Iudæorum incipit.

HENRICVS IV. Imp. ad oppidum Saxoniæ Merseburgum Rodolphum æmulum uicit. 1080. Cuspin.

VIGESIMVS SEXTVS. VI. CALENDAS IVLII.

REGIFVGII sacrum Romæ ob exactos reges Tarquinios. Cal. Rom.

IVLIANVS apostata ingenti prælio à Persis superatus & occisus, ætatis 32. Salutis 365. Hist. trip. Marcell. Nauclerus ponit VI. Iunij.

VIGESIMVS SEPTIMVS. V. CALEND. IVL.

IOVI Statori templum à Romulo conditum. Cal. Vet.

IOVINIANVS Imp. ab exercitu in Persia electus. 365. Historia tripartita.

VIGESIMVS OCTAVVS. IV. CAL. IVLII.

Ieiunium IVDÆORVM ob Hierosolymam à Chaldæis obsessam. 4. Reg. ult.

ALEXANDER Magnus Babylone moritur, anno ætatis 32. ante natum Christum 323. Plutarchus. Aliqui ad XXIIX. Martij referunt.

DIOGENES Cynicus obiit. Suidas. Laertius.

HIPPARCHVS Atheniensium tyrãnus interfectus. Thucyd.

PANATHENÆA magna Athenis. Procl.

Sacrum FAVNO Romæ. Cal. Rom.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

ALEXANDER Mammeæ die natali à militibus suis Moguntiæ occisus, anno Salutis 238. [redacted] Scotus ad 17. Decemb. refert, anni 236.

VIGESIMVS NONVS. III. CALENDAS IVLII.

NABVCODONOSORIS exercitus Hierosolymam obuallat. 4. Reg. ult. Iosephus lib. 10.

EZECHIEL anno 5. trãsmigrationis Ioachimi, in terra Chal- [redacted] ad fluuium Chobar uisiones uidit, anno creationis mundi 3369. [redacted]

QVIRINI templum Romæ in colle Quirinali positum. Calend. Rom.

PETRVS & PAVLVS Apostoli Romæ sub Nerone martyres facti, anno Domini 68. Onuphrius. Eorundem corpora per Cornelium episcopum è Catacumbis translata, anno Domini 252. Beda.

TYRVS urbs Syriæ maritima à Christianis expugnata. 1124. Tyrus 12. cap. 14.

TRIGESIMVS. PRID. CAL. IVL.

HERCVLIS & Musarum festum Romæ. Cal. Rom.

Q. MARTIVS Tremulus Cos. de Anagninis Hernicis triumphauit, anno à condita Vrbe 447. Golzius.

STATILIVS Taurus Procos. ex Africa triumphauit, sub Octauio Cæsare, anno Vrbis 719. Golzius.

IVLII MENSIS DIES

PRIMVS. CALENDÆ IVLII.

Calendæ Quintiles, siue Iulię, conductionibus prædiorum solennes fuerunt. Martialis 12. Epigram.

O Iuliarum dedecus Calendarum.
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas uidi,
Quas non retentas pensione pro bina
Portabat uxor. ——

Sueton. in Tranquil. Senatori latum clauum ademit, quem cognouisset sub Cal. Iulij demigrasse in hortos, quò uillus post diem ædes in urbe conduceret. Hotom. de Verb. iuris.

Senatus legitimus, & auspicatus dies ROMANIS. Alex. lib. 4. capite 20.

C. SVLPITIVS Longus Cos. tertium de Samnitibus triũphauit, anno Vrbis 439. Golzius.

Carnæ deæ à BRVTO sacra instituta pulte fabacea. Cal. Vet.

SECVNDVS. VI. NON. IVL.

Dies ater ROMANIS. Gellius lib. 5. cap. 17.

ADOLPHVS Cęsar ab Alberto Austriaco circa Vormaciam prælio occisus. 1298. Cuspinianus. Onuphrius ad XIIII. Iulij refert.

TERTIVS. V. NON. IVL.

HIEROSOLYMA decima die quarti mensis à Babyloniis occupata, rex Sedechias ex fuga retractus, Hieremias è carcere liberatus. 4. Regum ult. Hierem. 39. Iosephus 10. cap. 11.

QVARTVS. IV. NON. IVL.

M. LICINIVS Crassus Procos. ex Thracia & Getis triumphauit sub Augusto, anno Vrbis 725. Golzius.

HENRICVS III. Imp. Hungaros ad Scaurinum ingenti prelio uicit, & Petrum regem restituit. 1044. [redacted]

QVINTVS. III. NON. IVL.

LVDI Apollinares à P. Licinio Varo per octo dies instituti, perpetuò Romæ celebrari cœperunt, secũdo bello Punico, cùm antea incerti fuissent. Liuius Dec. 3. lib. 5. & 7.

S. HENRICVS Imp. Hungaros ingẽti prælio superauit. 1044. Hermannus Contractus.

NICÆA à Christianis occupata, anno 1097. Paulus Aemilius in Philippo 1.

SEXTVS. PRID. NON. IVL.

CAPITOLIVM Romæ conflagrauit, anno Vrbis 771. Plut. in Sylla. Tacitus lib. 19.

S. PAVLVS uinctus nauigio Puteolos delatus, Romam ingreditur, anno Domini 58. Onuphrius.

SEPTIMVS. NONÆ IVL.

ATHENIENSES ad Chæroneam ingenti prælio à Philippo Macedone uicti. In Italia eodem die inter Lucanos & Tarentinos prælio commisso, Archidamus Lacedæmoniorũ rex pro Tarentinis pugnans cæsus est. Post Alexandri mortem ad Cranonem ab Antipatro Athenienses uicti. Plutarchus in Camillo.

ROMVLVS discerptus à suis Senatoribus, anno regni 39. & creati mundi 3249. Plutarchus. Nonæ Iulij Caprotinæ dictæ, quia ad Capreæ paludem extra urbem sacrificabatur. Dionysius Halicarnasseus.

ANCILLARVM festum Romæ. Mulieres sacrificabant Iunoni ob singulare meritum Ancillarum in Rempublicam. Plutarchus in Romulo. Macrobius lib. j. Saturn. [redacted]

OCTAVVS. IIX. IDVS IVL.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

Romani postridie Non. Iulias re bene gesta, cùm pridie à Tuscis in fugam uersi essent (unde POPVLIFVGIA dicitur) post victoriam certis sacrificiis uitulationem fecerunt. Sic enim uocant sacra Vitulæ, id est, victoriæ deæ, sic dictæ, q̃ lætitiæ præsit. Vnde uerbum Vitulare, Græcis ἰυμαίζειν, hoc est, uoce lætari.

NONVS. VII. IDVS IVL.

Terræmotus ingens per uniuersam SYRIAM & Arabiã, multas urbes perdidit. 553. G. Cedrenus.

HELVETII ad oppidum Sempach Austriacos ingenti prelio superarũt, in quo Leopoldus Archidux cecidit, anno 1386. Stumpfius.

DECIMVS. V. IDVS IVL.

ISRAELITÆ conflarunt uitulum, an. mundi 2454. Exod. 32.

MESSIS festum Romæ celebratum. Cal. Rom.

L. ÆMYLIVS Barbula Procos. de Tarentinis, Samnitibus, & Salentinis triumphum egit. 473. Golzius.

VN-

VNDECIMVS. V. IDVS IVLII.

MOSES fregit tabulas digito Dei exaratas. Tria millia à Leuitis occisa. Exod. 32.

Duodecim exploratores reuersi ISRAELITAS terruerunt, commemorata Chananæorum potentia. Deut. 14.

NABVCODONOSOR Assyriorum rex Hierosolymam obsidere cepit. 4. Regum ult.

DVODECIMVS. IV. IDVS IVLII.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

C. IVL. Cæsar nascitur, anno centesimo ante Christum. Macrobius 1. Sat. 12. & Festus Pompeius.

DECIMVS TERTIVS. III. IDVS IVLII.

MOSES orat pro populo idololatrico, & iterum in montem ascendit. Exod. 32.

DECIMVS QVARTVS. PRID. IDVS IVLII.

FORTVNÆ Muliebri hic dies dicatus. Cal. Rom.

OTHO II. Imperator in Calabria à Saracenis uictus, à Piratis capitur, anno 981. Blond. Dec. 2. lib. 3.

DECIMVS QVINTVS. IDVS IVLII.

ADONIA festa Athenis.

CASTORIS & Pollucis sacrum Romæ.

EQVITES Rom. ex Q. Fabij Maximi instituto transuecti. Liuius Decad. 1. lib. 9.

ROMANI Tarquinium Romam redire conantem uicẽre: & diem victoriæ Idus Iul. Tyndaridis consecrauẽre. Plutarchus in Coriolano.

HIEROSOLYMA à Godofredo & Christianis anno tertio Syriacæ expeditionis expugnata, hora 9. dei, anno salutis 1099. Tyrius lib. 8. cap. ult.

PTOLEMAIS à Christianis ui recepta. 1193. Funccij Chron.

DECIMVS SEXTVS. XVII. CAL. AVGVSTI.

Ater dies ROMANIS. Cal. Rom.

FABII trecenti ad Cremeram cæsi occubuẽre, anno 464. ante Christum. Gell. 17. Macrob. 1. Sat. 16. Plut. in Camillo. Ouidius ad 13. Februarij refert.

ROMANI ad Alliã ingẽti prælio à Gallis superati, anno 376. ante Christum. Vnde hæc dies Alliensis infausta Romanis dicta: atque semper postridie Nonarum, Iduum & Calendarum atri dies Romanis. Liuius Dec. 1. Plut. in Moral. Tacitus lib. 18. Gel. lib. 5.

DECIMVS SEPTIMVS. XVI. CAL. AVGVSTI.

SENATVS legitimus Romæ. Cal. Rom.

C. DOMITIVS Caluinus Procos. ex Hispania trinmphauit, anno à condita Vrbe 717. Goltz.

DECIMVS OCTAVVS. XV. CAL. AVGVSTI.

VITELLIVS Pontifex Romæ sacra peregit ob Fabiorum cladem, anno à condita Vrbe 276. Liuius. Vitellius pontificatum maximum apud ROM. amisit, quòd ad XV. Calend. Sextiles, cæremoniis publicis sacram diem, concilium edixisset. Alex. ab Alex.

DECIMVS NONVS. XIV. CAL. AVGVSTI.

Romæ LVDI uotiui celebrati. Cal. Rom.

ROMA tertio die post Alliensem pugnam à Gallis occupata, & per septem menses retenta. Plut. in Camillo.

ROMA à Nerone incensa per sex dies atsit, anno Christi 37. Suet. in Nerone Tacitus lib. 15.

VIGESIMVS. XIII. CAL. AVG.

C. IVL. Cæsar in Pharsalicis campis Pompeium Magnum superauit, anno Vrbis conditæ 705. Sueton.

COMMODVS Imp. strangulatus, anno salutis 193. Mat. Scot. Alij referunt ad 30. Decemb.

VIGESIMVS PRIMVS. XII. CAL. AVGVSTI.

C. CALIGVLA Imp. in palatio occiditur, anno Imperij V. salutis 44. Cassiod. Method. Sed Suetonius diem 24. Ianuarij anno 4. Imperij posuit.

VIGESIMVS SECVNDVS. XI. CAL. AVG.

LVDI Neptuno Romæ dicati. Cal. Rom.

MARIA Magdalena in Massilia obiit sub Tito, anno Christi 82. Ianuensis.

IVDÆI omnes in Gallia capti, bonis eorum confiscatis. 1309. Mart. Poloni appendix.

VIGESIMVS TERTIVS. X. CAL. AVGVSTI.

MVLIERES prægnantes Romæ Opigenæ cereas imagines offerebant, auxilium in partu deprecantes. Cal. Rom.

VIGESIMVS QVARTVS. IX. CAL. AVGVSTI.

PHOEBO mel nouum, uinum, & farina Romæ oblata. Cal. Romanum.

CANICVLÆ canes rutilæ sacrificabantur. Festus.

VIGESIMVS QVINTVS. IIX. CAL. AVGVSTI.

AARON, filio Eleazaro sacerdote constituto, moritur, anno exitus de Aegypto 40, & ætatis 123. Num. 20. & 33.

ATHENIENSES à Lacedæmoniis & Syracusanis ad Asinarum fluuium in Sicilia uicti, anno Mundi 3600. Vnde hic dies Syracusanis festus. Plut. in Nicia.

S. IACOBVS Maior Apostolus sub Herode Agrippa martyr factus. An. 36. Act. 12.

VIGESIMVS SEXTVS. VII. CAL. AVGVSTI.

ROMVLVS apud paludem Capreæ fulmine ictus nusquam comparuit, anno regni 39. Eutrop. lib. 1. Alij ad 7. diem huius mensis referunt.

LVDI uotiui Romæ celebrati. Cal. Rom.

VIGESIMVS SEPTIMVS. VI. CAL. AVGVSTI.

NEHEMIAS collapsos muros Hierosolymis reædificare cœpit, quos quinquagesimo die absoluit. 2. Esd. 6.

CONSTANTINVS Magnus in Britannia Imp. designatus, an. 311. Vrsperg.

VIGESIMVS OCTAVVS. V. CAL. AVGVSTI.

Faustus dies ROMANIS. CERERI lacte, uino & melle sacrificabatur. Cal. Rom.

VIGESIMVS NONVS. IV. CAL. AVG.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

BASILIVS Græcorum Imp. Bulgaris prælio uictis, quindecim millibus oculos erui iussit. 980. Georg. Cedr.

TRIGESIMVS. III. CAL. AVG.

C. IVNIVS Bubulcus Dictator de Aequis triumphat, anno Vrbis 451. Golz.

C. MARIVS Cimbros ad Alpium radices superauit, anno ab Vrbe condita 652. Plut. Oros. lib. 5.

TRIGESIMVS PRIMVS. PRID. CAL. AVGVSTI.

NABVZARDAN die 7. mensis quinti à Nabucodonosore rege Babyloniorum in Iudæam remissus, templum Hierosolymitanum & urbem totam incendit, anno mundi 3347. 4. Regum 25. Hierem. 52.

AVGVSTI MENSIS

PRIMVS. CALENDÆ AVGVSTI.

BOEDROMIA sacra Athenis.

SPEI ad Olitorium forum sacrum Romæ. Cal. Rom.

MARTI templum apud Romanos sacratum. Liuius.

ROMVLVS de Camerinis triu[redacted] anno conditæ Vrbis 16. Goltz.

Q. FABIVS Maximus Gurges Procos. de Samnitibus triumphat, anno Vrbis 462. Liuius.

SECVNDVS. IV. NON. AVG.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

ROMANI [redacted] Cimnas cæsi, anno Vrbis 538. Liuius, Macrob. 1. Sat. 16. Gell. 5. cap. 17.

QVINTILIVS Varus cum tribus legionibus in saltu Teutoburgensi ab Ariminio Cheruscorum principe sub Augusto cæsus. Auentinus.

Feriæ ROMÆ ob subactam à Cæsare citeriorem Hispaniam. Suetonius.

TERTIVS. III. NON. AVG.

EZECHIEL Propheta prædicit Hierosolymam incendio perituram. Ezech. 1.

NABVZARDAN templum Salomonis in cineres redegit. 4. Reg. 25. Hier. 52.

Templum secundum à TITI militibus incensum. Ioseph. li. 7. cap. 3. Iudæi recentes hoc die ieiunium strictissimè seruant, incedentes nudis pedibus, & humi sedentes legunt tristes Biblicas historias, atq; ter threnos Hieremiæ. Ebesus.

MARDONIVS à Græcis ad Plataeas uictus. Plutarchus in Camillo, & Aristide. Platęenses eo die semper postea Ioui Liberatori sacrificarunt.

PERSICA classis ad Mycalem promontorium Asiæ in Caria uicta, anno Mundi 3488. Herod. lib. 9. Plut.

IACOBVS II. Scotorum rex, arcem Roxburgensem obsidẽs tormento ictus interiit. 1461. Chron. Scot.

QVARTVS. PRID. NON. AVG.

VICTORIÆ festum Romæ. Cal. Rom.

CICERO in exilium iectus. Cic. 4. Epist. 1. ad Atticum.

QVINTVS. NONIS AVGVSTI.

SALVTI in colle Quirinali sacra facta. Cal.Rom.

C.IVNIVS Brutus III. Cos. de Samnitibus triumphauit, anno Vrbis 442. Goltz.

ALFONSVS Aragonum & Siciliæ rex Caietam obsidens, à Genuensium duce Blasio Axereto captus, & Genuam ductus, die D.Dominico sacra: quam iccirco solenni ritu in posterum colere instituêre. Anno 1434. Iacobus Bracellus lib. 3. & 5. belli Hispan. & Pand. Collenutius.

SEXTVS. IIX. IDVS AVGVSTI.

ESDRAS ab exilio Babylonico Hierosolymam reuertitur. 1. Esdræ 7.

MILCIADES & CALLIMACHVS Athenienſium duces, Hippiam Pisistrati filium, ad Marathonem superarunt, anno Mundi 3411. Plutarchus in Camillo. Iust. libro 2. Alij ad 3. Octobris referunt.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

OCTAVIVS Imp. de Pannonijs, Dalmatis, Iapidibus & Gallis triumphauit, anno conditæ Vrbis 724. Goltz.

C.ALBIVS Carrinas eodem anno & die de Gallis & Sueuis triumphat. Goltz.

MAHOMETES II. Turcarum Imp. ad Belgradum à Huniade prælio superatur, & castris exuitur. anno 1456. Bonfinius Decadis 3. libro 8.

SEPTIMVS. VII. IDVS AVG.

AVGVSTVS Actiacum triumphum egit, anno à condita Vrbe 724. Goltz.

CONSTANTINI Magni Imperatoris natalis. Eutropius libro 10. Aliqui ad 26. Februarij referunt.

OCTAVVS. VI. IDVS AVG.

BABYLONICA captiuitas Iudæis mitigari cœpta. Ioseph.

SOLIS Indigetis festum in colle Quirinali. Cal.Rom.

Q.FABIVS Maximus Allobrogicus ingentes copias Allobrogum & Aruernorum proſtrauit. Plinius lib. 7.

AVGVSTVS de Cleopatra regina Aegypti triumphauit, anno 724. Goltz.

LVDI uotiui ab Imperatoribus tantùm obseruati, & ab anno Imperij computati. nam annorum Imperij numerus respondebat totidem dierum ludis, impensarũ ratione. Cal.Rom.

NONVS. V. IDVS AVG.

TRAIANVS Augustus Adrianum adoptauit, & biduo pòst obiit. 118. Onuphrius.

VALENS Imp. à Gothis in prælio cæsus, 378. Diaconus lib. 12. Marianus ad 15. Septembris retulit.

DECIMVS. IV. IDVS AVG.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

BELLONÆ sacerdotes humeros & brachia Romæ uulnerantes, cruore expiabant crimina, & pro uulneribus stipem recipiebant. Cal.Rom.

S.LAVRENTIVS, martyrio functus. 267. Sab.

OTHO Imp. ad Augustam Vindelicorum Vngaros ingenti prælio uicit. 955. [redacted]

VNDECIMVS. III. IDVS AVG.

TRAIANVS Imperator obiit. 116. Ger. Merc. Aliqui ad 7. Martij, alij ad 29. huius mensis referunt.

LVDOVICVS Imperator per triduum cum Hungaris pugnans, tandem hoc die in Bauaria uincitur, flore Germanicæ nobilitatis amissa. 907. [redacted]

DVODECIMVS. PRID. IDVS AVG.

CHARISTERIA festa Athenis pro libertate celebrata. Plut.

ASCALON urbs Syriæ à Christianis capta, anno 1154. Tyr. 18. capite 30.

DECIMVS TERTIVS. IDVS AVG.

SERVORVM feriæ Romæ. quia Seruius Tullus rex ex ancilla hoc die natus, ædem in Auentino Dianæ sacrarit. Plut.

IVSTINIANVS Magnus Imp. obiit, anno salutis 565. Onuphrius. Scotus ad 22. Septemb. anni præcedentis ponit.

DECIMVS QVARTVS. XIX. CAL. SEPTEMBRIS.

PERSÆ Artabazum secuti à Græcis profligati. Inde semper hoc die Ioui Liberatori sacrificatum. Plut.

ATHENIENSES Chabria duce, nauali prælio uictores. Plutarchus in Camillo.

ATER dies ROMANIS. Macrobius.

Romani Ioui LIBERATORI uictimas cædebãt. Cal.Rom.

DECIMVS QVINTVS. XIIX. CAL. SEPTEMBRIS.

MARIA Deipara uirgo ad cælos migrauit, anno Christi 47. Onophrius.

HOSPITALARII equites S. Ioannis Rhodum insulam Turcis eripuêre. 1309. Chron. Fran.

DECIMVS SEXTVS. XVII. CAL. SEPT.

NEPTVNO equestres ludi à Romulo instituti. Cal.Rom.

DECIMVS SEPTIMVS. XVI. CAL. SEPT.

IANO ad theatrum Marcelli sacrum. Cal.Rom.

TIBERINALIA festa Romæ. Nouid.

PORTVMNALIA sacra ad pontem Aemylium. Cal. Vet.

DECIMVS OCTAVVS. XV. CAL. SEPT.

CONSVALIA Romæ celebrata in honorem Neptuni, ludique equestres habiti, quia Romulus Sabinas uirgines prætextu ludorum Conso faciendorum Romam pellectas rapuisset. Plutarchus in Romulo, & Numa. Alij ad Martium, aliqui ad Iulium referunt.

DECIMVS NONVS. XIV. CAL. SEPTEMBRIS.

FLAMEN dialis Romæ uindemiam auspicatur. Plin. 18. c. 29.

VINALIA rustica, siue secunda. Eo die uinum in urbem primum deferebant. Is erat Ioui sacer, quòd Latini cum Mezẽtio bellum gesserant, & Ioui ob liberationem uinum dedicarant. Calend.

AVGVSTVS Imp. obiit, anno imperij 56. salutis 16. ætatis ipsius 76. Eodem etiam die olim primum consulatũ inierat.

PROBI Imperatoris natalis. Orosius.

ALARICVS cum suis copiis primò Italiam ingressus, 401. Cuspinianus in Consulibus.

VIGESIMVS. XIII. CAL. SEPT.

MYSTERIA magna Athenis celebrata, quibus extra urbem Bacchus mysticus efferebatur. Plutarchus in Camillo.

ATHENÆ ab Antipatro captæ, & præsidium Macedonicum impositum, anno 3633. Plutarchus in Demosth. & Camillo.

THEBÆ Bœotiæ ab Alexandro Magno deletæ, circa festum Mysteriorum, anno creationis 3628. Plutarchus in Alex. Iustinus libro 11.

VINALIA leniendis tempestatibus Romæ peracta, & Ioui agna mactata. Cal.Rom.

VIGESIMVS PRIMVS. XII. CAL. SEPT.

VINALIA rustica, iuxta Varronem.

HOLITORVM dies feriatus Romæ. Cal.Rom.

VENERI ædes dedicata, & horti tutelæ Veneris assignati. Calend.

M. FVL. Nobilior Procos. de Liguribus & Eleatibus magna pompa triumphauit, anno conditæ urbis 595. Goltz.

BELGRADVM Christiani orbis propugnaculum, ad confluentem Saui Danubiique situm, turpissimè est amissum, anno 1521. Dubrauius libro 33.

VIGESIMVS SECVNDVS. XI. CAL. SEPTEMBRIS.

VENATRICIA festa Dianæ ob uenationes Romæ sacrata. Cal.Rom.

VIGESIMVS TERTIVS. X. CAL. SEPT.

VVLCANALIA festa Romæ. Ludi Vulcano fiebant in uico Flaminio. Cal.

L.PAPYRIVS Cursor Cos. III. de Samnitibus celebrẽ triumphum egit, anno ab Vrbe condita 434. Golz.

ODOACER Herulus, Augustulum ultimum Imperatorem Occidentis abdicare coegit, & ipse primus rex Barbarorũ in Italia creatus. 476. Onuphrius.

RODOLPHVS I. Cæsar, Orthocarum regem Boemiæ ad Niderburg in Austria, superauit & interfecit, anno 1278. Munst.

VIGESIMVS QVARTVS. IX. CAL. SEPTEMBRIS.

ELVL. sextus mensis Iudæorum incipit. Masseus.

HAGGÆVS propheta hortatur Salathielem ducem ad Templi Hierosolymitani reædificationem.

Cœna PONTIFICVM Romæ. Cal.Rom.

Carthaginensibus inauspicata dies ob aliquot clades. Plutar.

ROMA à Gothis primò capta, anno Christi 409. Diac. lib. 13.

VIGESIMVS QVINTVS. IIX. CAL. SEPTEMBRIS.

AMBARVALE sacrum Romæ, Opi Consiuæ in Capitolio. Cal.Rom.

GRATIANVS Imp. Maximi dolo apud Lugdunum occisus, anno 383. Marcell. Scotus in Chronicis 21. Septembris anni insequentis posuit.

VIGESIMVS SEXTVS. VII. CAL. SEPTEMBRIS.

ALEXANDER Magnus Darium ultimo prælio ad Arbela uicit, & monarchiam Persarum ad Græcos transtulit, anno 329. ante Christũ. Iust. Diodorus. Aliqui ad 25. Sept. referũt.

M.HORATIVS Barbatus Cos. de Sabinis triumphauit, anno Vrbis Romæ 304. Golz.

PHALLAGOGIA festa Romæ. Matronæ Phallum ad ædem Veneris extra portam Collinam deferebant. Cal.Rom.

VIGESIMVS SEPTIMVS. VI. CAL. SEPTEMBRIS.

VVLTVRNALIA festa Romæ. Cal.Rom.

MAXI-

MAXIMVS tyrannus cum filio Victore à Theodosio uictus & occisus, anno Christi 388. Paul. Diac.

VIGESIMVS OCTAVVS. V. CAL. SEPTEMB.

SOLI & Lunæ sacra Romæ facta. Cal.Rom.

EZECHIEL spiritu Domini raptus, scelera Iudæorum agnoscit. Ezechielis 8.

S.AVGVSTINVS Episcopus Hipponensis moritur, anno officij 40. ætatis 76. salutis 438. Mar. Scot.

AVGVSTVLVS Imperium Odoacro resignauit. Et sic defecit Imperium Occidentis, anno à Iulio Cæsare 522. salutis 476. Onuphrius.

VIGESIMVS NONVS. IV. CAL. SEPTEMB.

Ater dies ROMANIS. Macrob.

VVLCANALIA festa Romæ. Festus.

TRAIANVS Imper. apud Seleuciam obiit, anno salutis 116. Mar. Scot. lib. 2. Mercator refert ad 11. diem Augusti. Masseus ad 17. Martij anni 119.

LVDOVICVS rex Vngariæ ad Mugaciacum à Solymanno Turcarum Imper. uictus, Buda per deditionem occupata. 1526. P. Iouius.

TRIGESIMVS. III. CAL. SEPT.

MVNDO Cereris patri festum Romæ celebratum. Cal. Rom.

TRIGESIMVS PRIMVS. PRID. CAL. SEPTEMBRIS.

C.CALIGVLA natus, anno Christi 40. Sueton. Oros. 7. cap. 5.

COMMODVS Imp. nascitur. Herod.

SEPTEMBRIS MENSIS DIES

PRIMVS. CAL. SEPT.

MEDITRINALIA festa, & Senatus legitimus Romę. Varro.

STILICHO uir clarissimus ob affectati regni suspicionem Rauennæ à militibus iussu Honorij Imp. generi interfectus est, anno 408. Sigonius lib. 10. Imp. occid.

SECVNDVS. IV. NON. SEPT.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

AVGVSTVS Cęsar, M. Antonium Triumuirum & Cleopatrã ad Actium nauali pręlio superauit, anno 28. ante Christum. Suet. Dion, anno Vrbis 722.

THEODERICVS rex Gothorum in Italia obiit. 526. Onuph.

RODERICVS rex Gothorum in Hispania cum Saracenis per septem dies pugnans tandem cadit, anno 714. Cælius lib. 1. Saracenicæ hist.

TERTIVS. III. NON. SEPT.

L.AEMYLIVS Paulus Cos. Perseum regem uicit, anno ab Vrbe condita 586. Liuius, Plut. in Aemyl.

C.SOSIVS Nepos Procos. ex Iudæa sub Octauiano Cæsare triumphauit, anno Vrbis 719. Goltz. in Fastis.

QVARTVS. PRID. NON. SEPT.

Q.FABIVS Maximus Rullianus Cos. de Samnitibus, Hetruscis, & Gallis triumphauit, anno Vrbis Romæ 458. Goltz.

SOLYMANNVS Turcarum Imp. in expeditione Vngarica ad urbem Quinq; ecclesiarum obiit, anno salutis 1566. Alij 9. Sept. ponunt.

QVINTVS. NONÆ SEPT.

M.GEGANIVS Macerinus Cos. de Volscis triumphauit, anno Vrbis 310. Goltz.

M.FABIVS Ambustus Cos. ouans de Hernicis triumphat 393. Liuius.

L.AEMYLIVS Paulus Cos. II. Persea Macedonum regem cũ tribus filiis Romæ in triumpho duxit. 587. Liuius.

SEXTVS. IIX. IDVS SEPTEMB.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

EREBO ariete & oue nigra Romæ sacrificatum. Cal.Rom.

Terræmotus per totum orbem extitit, & dimidium CYZICI corruit. 545. Cedr. in Iustiniano.

SEPTIMVS. VII. IDVS SEPTEMB.

L.Cæcilius METELLVS Procos. de Pœnis triumphauit, anno Vrbis 502.

ZYGETHVM Christianorum in Vngaria propugnaculum à Turcis occupatum, Nicolao comite Seriniio cæso. 1566.

OCTAVVS. VI. IDVS SEPTEMB.

MARIA uirgo Deipara, in lucem ędita, anno 27. Augusti Imp. Onuph. Pan.

HIEROSOLYMA V. mense obsidionis à Tito direpta atq; incensa, anno Christi 73. Iosephus.

NONVS. V. IDVS SEPTEMB.

AVRELIANI Cæsaris natalis. Cal.Rom. Vopiscus.

HONORIVS Imp. natus. Hist. Trip. lib. 9.

DECIMVS. IV. IDVS SEPTEMB.

IVDÆORVM amicitia cum Romanis firmata die 18. mensis Elul. 1. Mach. 14.

Ater dies ROMANIS. Gellius.

VNDECIMVS. III. IDVS SEPT.

FELIX cum sorore Regula ex D. Mauritij Thebani societate ob Christianæ fidei confessionem à Diocletiani præfectis Tiguri decollati. 281. Hermannus Contr.

DVODECIMVS. PRID. IDVS SEPT.

LVDI magni Romæ ad quatriduum celebrati. Cal.Rom.

CONSTANTINOPOLIS à Græcis recepta per Michaelẽ Palæologum. 1261. Ger. Mercator.

DECIMVS TERTIVS. IDVS SEPT.

CAPITOLIVM à Tarquinio Prisco incoatũ, à Superbo extructum: tertio anno post eius eiectionem ab Horatio consule Ioui dedicatum. Plut. in Poplicola.

PRÆTOR Romæ clauum figebat in Iouis templo, notam annorum. Cassiodorus.

L.QVINTIVS Cincinnatus Dictator de Aequis triumphat. 295. à condita Vrbe.

M.AEMYLIVS Mamercinus de Fidenatibus triumphum egit, anno Vrbis 116. Goltz.

TITVS Imp. febri correptus obiit, anno salutis 83. Suet. Aliqui ad 28. Maij referunt.

DECIMVS QVARTVS. XIIX. CAL. OCTOBRIS.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

HERACLIVS Imp. crucem à Cosroe Persarum rege receptã Hierosolymam infert.

CORNELIVS præsul Romanus anno tertio Decij martyrizatus. 254. Mar. Scot. Alij ad 5. Maij referunt.

CYPRIANVS episcopus Carthaginensis martyr factus. 263. Abbas Vrsperg.

DECIMVS QVINTVS. XVII. CAL. OCTOB.

IVVENTÆ & Summani festum Romæ. Cal.Rom.

LVDI magni quatuór dierum huc referuntur ab Asconio Pediano.

VALENS Imp. cum exercitu à Gothis in Thracia deletus. 378. Mar. Scot. Diaconus lib. 12. ad 9. Augusti refert.

DECIMVS SEXTVS. XVI. CAL. OCTOBRIS.

PLATÆENSES quotannis sacra iis faciebant, qui contrà Persas fortiter præliãntes duce Pausania occubuerant. Plutarchus in Aristide.

AVGVSTVS Imp. Atellæ in Campania moritur, anno salutis 16. Mar. Scot. lib. 2. Alij ad 19. Aug. referunt.

DECIMVS SEPTIMVS. XV. CAL. OCTOBRIS.

IVDÆI absolutis mœnibus Hierosolymorum per Nehemiã festum egerunt anno 20. regni Artoxerxis, post restaurationem templi 71. post solutam captiuitatem à primo anno Cyri 92. ante Christum 444. Neh. 6.

VALENTINIANVS Imper. apoplexia interiit, anno salutis 374. Mar. Scot. 2. Alij ad 17. Nouẽbris anni sequẽtis referũt.

THEODOSIVS Pius Imp. Mediolani moritur, anno salutis 398. [redacted] Sed Tripartita historia 17. Ianuarij anni 395. & Vrspergensis 16. Nouemb. 399. ponunt.

DECIMVS OCTAVVS. XIV. CAL. OCTOBRIS.

IVDÆI templi Hierosolymitani restaurationem aggrediuntur. Haggæi 2.

LVDI triumphales Romæ. Cal.Rom.

DOMITIANVS Imperator cõfoditur, anno salutis 97. Suet. Cusp. Mar. Scotus ad 29. Octob. refert.

DECIMVS NONVS. XIII. CAL. OCTOBRIS.

AEGYPTII sacra faciebant Thot numini, ob nouas fruges. Plutarchus in Osiride.

CIRCENSES ludi Romæ instituti in Antonini Pij natalem. Herodianus.

VIGESIMVS. XII. CAL. OCTOB.

LVDI triumphales Augusto per 4. dies decreti. Cal.Rom.

TIBERIVS Imp. ueneno sublatus, anno salutis 39. Cassiodorus, Mar. Scot.

VIGESIMVS PRIMVS. XI. CAL. OCT.

RO. [redacted] Olympiadis secundæ. Plutarchus.

Thebęę legionis MILITVM decim⁹ quisq; cũ duce suo Mauricio & Exuperio peremtus est Octoduri. Sigon. lib. 1. Imp. occid. Sigebertus in seq diem refert.

GRATIANVS Imp. Lugduni interfectus. 384. Mar. Scot. Sed Marcellinus 25. Augusti anni præcedentis posuit.

AETIVS dux de Imperio Romano optimè meritus à Valentiniano Imp. occisus, anno 454. Masseus.

VIGESIMVS SECVNDVS. X. CAL. OCT.

M.VAL. Corius Cos. 3. de Samnitibus triumphauit, anno Vrbis 410. Goltz.

VERGILIVS Maro Brũdusij moritur, ante Christũ 16. Volat.

VIGESI-

VIGESIMVS TERTIVS. IX. CAL. OCTOBRIS.

THYSRI septimus mensis Iudæorum.

TVBARVM festum, siue Clãgoris, olim à Iudeis celebratum: quo dicunt commonefieri populum de liberatione Isaac ab immolatione. Leuit. 23.

ESDRA librum Legis in lucem reuocauit. Nehem. 8.

ZOROBABEL cum populo altare ædificat, & holocausta offert, antequam templum restauratum esset. 1. Esd. 3.

Cursus EQVORVM in sempiternũ Romę instituti. Cal. Rom.

AVGVSTVS Romæ natus, anno 61. ante Christum. Sueton.

S. IOANNES Baptista uox clamans in deserto prædicationem de Christo incipit. Ioan. 1.

VIGESIMVS QVARTVS. IIX. CAL. OCTOBRIS.

IVDÆI ad Esdram congregati ut Legem audirent, inuenêre hoc die festum Tabernaculorum celebrandum. 2. Esd. 8.

A. CORN. Cossus Aruina Cos. de Samnitibus triumphauit, anno Vrbis 410. Goltz.

MAXENTIVS Cæsar à Constantino Imp. uictus, anno 312.

VIGESIMVS QVINTVS. VII. CAL. OCTOBRIS.

GODOLIAS præfectus Iudæorum, quem Nabuzardan constituerat, per insidias ab Ismaele interfectus. Hæc cædes occasionem præbuit nouæ migrationi in Aegyptum, quam tamen Hieremias dissuasit. Vnde hic Iudæorum ieiunium. 4. Reg. ult. Hierem. 41. & 42.

DARIVS Persarum rex, ab Alexandro Magno ad Arbela uictus, & à suis occisus, anno 1. Olympiad. 112. Diodor. Aliqui ad 26. Augusti referunt.

SATVRNO & MAMÆ humanis uictimis Herculis monitu sacrificatum Cal. Rom.

P. SEMPRONIVS de Aequis triumphauit. 449. Goltz.

M. FVLVIVS Petinus Cos. de Samnitibus triumphat, anno Vrbis 454.

M. VAL. Messala Coruinus Procos. ex Gallia, anno à condita Vrbe 725. Goltz.

VIGESIMVS SEXTVS. VI. CAL. OCTOBRIS.

Octoginta VIRI sacrificia Domino oblaturi prope cadauer Godoliæ ab Ismaele interfecti. Ierem. 41.

VESPASIANVS Imp. profluuio uentris moritur, anno salutis 81. Mar. Scotus libro 2. Suetonius cum aliis ad 24. Iunij retulerunt.

VIGESIMVS SEPTIMVS. V. CAL. OCTOBRIS.

D. IVNIVS Pera Cos. de Sassinatibus triumphauit, anno Vrbis 487. Golz.

VIGESIMVS OCTAVVS. IV. CAL. OCTOBRIS.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

L. Fur. CAMILLVS de Tiburtibus triumphat, anno Vrbis 415. Goltz.

BAIAZETHES I. Turcarum Imperat. ad Nicopolim uictor. 1395. Cuspin.

VIGESIMVS NONVS. III. CAL. OCTOBRIS.

LVDI fatales Romæ, & Epulum Mineruæ. Cal. Vet.

C. MÆNIVS Cos. de Antiatibus, Lauiniis & Veliternis triumphauit per biduum, anno à condita Vrbe 415. Goltz.

TRIGESIMVS. PRID. CAL. OCTOB.

Dedicatio templi SALOMONIS per dies quatuordecim. 3. Regum 2.

Cn. POMPEIVS Magnus natus, anno Vrbis 648. & ante Christum 103. Plin. 37. cap. 2. Plut.

IDEM A. V. C. 691. triumphum Romæ per biduum de Oriente, Mithridate, & Iudæis peregit, & populo integras arbusculas balsami ostendit. Plin. 7. cap. 27. & Plut.

S. HIERONYMVS Bethlehemæ moritur, ætatis 91. salut. 442. Volat. 16. Se[redacted]

OCTOBRIS MENSIS DIES

PRIMVS. CALENDÆ

FESTVM Propitiationis Iudæorum, in quo nullum opus faciendum, sed ieiunandum usque ad uesperam. Leu. 16. & 23.

LIBERI Patris festum Romæ. Cal. Vet.

Cn. POMPEIVS uictus ad Pharsalum à Cæsare, cum paucis in Aegyptum fugit. Plut. in Pomp.

ALBOINVS rex I. Longobardorum insidiis Rosemundæ uxoris occisus. 571. Onuph.

SECVNDVS. VI. NON. OCTOB.

ATER dies ROMANIS. Gellius.

Expiationis festum quotannis IVDÆIS celebratum, quo uno eo Deus mandauit ieiunium seruari. Leuit. 23.

IESVS baptizatus à Ioanne. Matth. 3. Masseus.

TERTIVS. V. NON. OCTOB.

PERSÆ à Græcis ad Marathonem uicti. Herodot. Sed Plutarchus ad 6. diem Augusti retulisse uidetur.

IESVS in desertum abiit, per 40. dies ieiunaturus. Matth. 4.

HIEROSOLYMA, anno Sal. 1187. obsidionis die decimaquarta, anno octuagesimonono q̃ de barbaris olim recepta fuerat, capto rege Guidone iam priùs à Barbaris, Tripolitani comitis Raymundi proditione victori Saladino Aegyptio dedita est, ut ciuibus incolumibus uel abire uel manere liceret. Latinis ad habitandum urbs negata: Syris, Græcis, Armenis, Iacobitis, Georgianis & Nestorianis stationes designatæ. Tyrius.

QVARTVS. IIII. NON. OCTOB.

Ater dies ROMANIS. Macrob.

LEMVRALIA festa Romæ. Cal.

MVNDO Cereris patri sacrificatum. Cal. Vet.

AQVILIVS Florus Procos. de Pœnis triumphat 495. ab Vrbe condita. Goltz.

C. LVCTATIVS Catulus Procos. de Pœnis ex Sicilia nauali triumphum egit, anno Vrbis 512. Goltz.

QVINTVS. III. NON. OCTOB.

LVDI Alemannici Romæ per sex dies. Ara tum deorum Inferorum placandis manibus adibatur in Circo maximo. Calend. Rom.

M. FVLVIVS Curuus Petunus Cos. de Sãnitibus triumphat, anno Vrbis 448. Goltz.

M. FABIVS Pictor Cos. de Sassinatibus triumphauit. 487. Liu.

C. SVLPITIVS Paterculus Cos. de Pœnis & Sardis triumphum egit, anno à condita Vrbe 495. Goltz.

SEXTVS. PRID. NON. OCTOB.

Q. VAL. Falto Propr. ex Sicilia nauali triumphum egit, anno ab Vrbe condita 512. Goltz.

L. LVCVLLVS Tigranem regem ad Tigrano certam uicit. Plutarchus in Lucullo.

CIMBRI C. Manlium & Q. Seruilium Cæpionem Proconsules Romanorum binis castris exuerunt. Vnde hic dies ater dictus, anno conditæ Vrbis 650. Flor. Eutrop. lib. 5.

SEPTIMVS. NON. OCTOB.

SALOMONIS templum dedicatum. 3. Reg. 8.

HANNIBAL primò Italiam cum ingenti exercitu ingressus, anno urbis 537. Mel. in Chron.

OCTAVVS. IIX. IDVS OCT.

Festa PYANEPSIA Athenis quotannis celebratà in memoriam felicis reditus Thesei. Plut. in Thes.

Eodem die OSCHOPHORIA Apollini peracta, ubi pueri ramum oleæ onustum uuis, ficis, & aliis fructibus gestantes, circumibant ad ianuas diuitum, petentes munuscula carmine lepido. Herodot. in uita Homeri. Plut.

NONVS. VII. IDVS OCT.

ARCA Noachi quieuit in montibus Ararat, & ibi immota stetit ad LXXIV diem usq; , antequàm altiorum montium cacumina apparerent. Gen. 8.

DECIMVS. VI. IDVS OCT.

EVDOXIA Arcadij Imp. uxor Constantinopoli decessit, anno 404. Masseus. Aliqui ad 4. Octob. referunt.

VNDECIMVS. V. IDVS OCT.

NICÆA urbs Bithyniæ terræmotu euersa 371. Hist. trip. lib. 7.

LVDOVICVS Bauarus Imp. iuxta Monachum in syluis de equo ruens expirauit, anno salutis 1347. Cusp.

DVODECIMVS. IV. IDVS OCT.

AVGVSTALES ludi Romæ. Cal. Rom.

C. NORBANVS Flaccus Procos. ex Hispania triumphat, anno Vrbis 719. Goltz.

L. SEMPRONIVS Atratinus Procos. ex Africa triumphum egit. A. V. C. 732.

DECIMVS TERTIVS. III. IDVS OCTOBRIS.

SALOMONIS templi dedicatio die 14. finita. 3. Reg. 8.

TABERNACVLORVM septimus dies, & festum sub Esdra finitum, anno Mundi 3408. 2. Esdræ 8.

FESTVM Salicis siue Palmarum Iudæis, ubi exponebant libros quinq; Mosis. Leuit. 23.

LVDI Ioui Liberatori, p aliquot dies Romę habiti. Cal. Rom.

Q. FABIVS Maximus Cos. ex Hispania triumphat, anno à cõdita Vrbe 708.

CLAVDIVS Cæsar ab Agrippina coniuge, ueneno necatur. Nero Imp. à militibus salutatur. Suetonius.

DECI-

DECIMVS QVARTVS. PRID. IDVS OCTOBRIS.

Octauus dies TABERNACVLORVM, quod erat festũ Retẽtionis seu collectæ, quia populus ad colligendã pecuniã ꝓ sacrificiis retinebatur. Post huius meridiem Iudæi ex tabernaculis exeuntes redibãt in suas domos. Leuit. 23.

HAGGEVS uaticinatur de Christi aduentu, anno creationis 3490.

DECIMVS QVINTVS. IDVS OCTOB.

Lætitia legis, qua IVDÆI exultant, quòd finitur lectio in Synagogis quinq; librorum Mosis, & denuò incoatur primus liber. Vnde ea nocte singuli accendunt suos cereos. Eberus.

MERCATORES Mercurio sacra faciebant. Equus October nomine in Campo Martio immolabatur, cuius os panibus redimibant, sacrificiumq; istud Marti ob frugum euentum statuebant. Cal. Rom.

ROMVLVS de Veientibus & Fidenatibus triũphauit, anno Vrbis 21. Goltz.

L. PAPYRIVS Cursor Dict. II. de Samnitib. triũphauit 444.

Q. PEDIVS Nepos Procos. ex Hispania triumphauit. Goltz.

P. VERG. Maro Mantuæ natus, anno Vrbis 684. Volat.

DECIMVS SEXTVS. XVII. CAL. NOVEMBRIS.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

IVDÆI celebrant conuiuia, & reliquias festi præteriti consumunt, atq; hanc diẽ ex psalm. 118. Vincite festũ dicũt. Eberus.

IVDÆI ab exilio Babylonico reuersi, nouũ fœdus cum Deo fecerunt, iuramento & literis sigillis confirmatum. Nehemiæ, cap. 9. 10.

DECIMVS SEPTIMVS. XVI. CAL. NOVEMBRIS.

HONORIVS Occidentis Imp. electus. 394. Onuph. Pan. Sed Cuspinianus ad 10. Ianuarij anni præcedentis refert.

DECIMVS OCTAVVS. XV. CAL. NOVEMBRIS.

BASILEA cum finitimis arcibus terræmotu corruit, anno 1356. Stumpfius.

DECIMVS NONVS. XIV. CAL. NOVEMBRIS.

ARCA Noe in montibus Armeniæ quiescit. Gen. 8.

MYSTERIA minora Athenis peracta. Plin. Galen.

LVDI Solis Romæ per quatriduum. Cal. Vet.

VIGESIMVS. XIII. CAL. NOVEMB.

AEGYPTIACVS dies & ater. Cal. Rom.

Arcium & ciuitatum magnus numerus in regno GRANATÆ terra absorptus, anno 1523 Lycosth. in Prodig.

VIGESIMVS PRIMVS. XII. CAL. NOVEMB.

PALMARVM grande festum Iudæis celebratum, quo Letaniam canunt. A[redacted]

LACEDÆMONII canem Marti immolabant. Cal.

VIGESIMVS SECVNDVS. XI. CAL. NOVEMB.

PALLADIS sacra Pamboeotia Græcorum.

VIGESIMVS TERTIVS. X. CAL. NOVEMB.

BVL siue Maresuan octauus mensis Iudæorum incipit. Mass.

ZACHARIAS propheta post reditum ex captiuitate Babylonica minatur præsentem Dei iram. Zach. 1.

LIBERO patri sacra Romæ facta. Cal. Rom.

VIGESIMVS QVARTVS. IX. CAL. NOVEMB.

DOMITIANVS Imp. natus, anno Christi 60. Vnde hunc mensem à se Domitianum nominari uoluit. Suetonius, Macrobius 1. cap. 12.

VIGESIMVS QVINTVS. IIX. CAL. NOVEMB.

LACEDÆMONII quartarios uini offerebant Apollini. Beutherus.

VIGESIMVS SEXTVS. VII. CAL. NOVEMB.

C. ASINIVS Pollio Procos. ex Partineis triumphauit, anno Vrbis 713. Goltz.

CONRADINVS Siciliæ rex, Sueuorũ familiæ dux ultimus, & FRIDERICVS Austriæ dux, in foro Neapolitano decollati, anno 1269. Collenutius.

VIGESIMVS SEPTIMVS. VI. CAL. NOVEMB.

ALBERTVS II. Cæsar dysenteria obiit. 1439. Bonf. Dec. 3. l. 4.

MOGVNTIA ciuitas ab Adolpho Nassouiensi episcopo proditione expugnatur. 1462. Stumpfius.

ERASMVS Roterodamus natus, anno Christi 1465.

VIGESIMVS OCTAVVS. V. CAL. NOVEMB.

ISIACA festa Romæ per quatriduum. Cal. Rom.

VIGESIMVS NONVS. IV. CAL. NOV.

VERTVMNI feriæ, & epulum Mineruæ celebratũ. Cal. Rom.

P. SVLPITIVS Sanerrio Coss. de Samnitibus triumphauit. 449. Goltz.

DOMITIANVS Imp. occisus, anno Christi 100. Mar. Scot. Alij ad 18. Septẽbris referunt, & tribus annis iuniorẽ faciũt.

TRIGESIMVS. III. CAL. NOV.

LVDI uotiui Romæ. Cal. Vet.

CHRISTIANORVM sedecim millia à Sapore rege Persãrum ob Christianæ fidei confessionem sublati. 347. Soz. l. 2.

TRIGESIMVS PRIMVS. PRID. CAL. NOVEMB.

C. PONTINIVS Nepos Procos. de Allobrogibus ex Gallia triumphauit, anno à condita Vrbe 699. Goltz.

AVGVSTVLVS ultimus Imp. Occidẽtis creatus. 475. Onuph.

NOVEMBRIS MENSIS DIES

PRIMVS. CALENDÆ.

FVL. Flacc. Cos. de Vulsiniẽsib. triũphauit, an. Vrbis 489. Golz.

L. SYLLA bello ciuili Pontium Telesinum ingenti prælio superauit, anno à cõdita Vrbe 666. Plut. in Sylla. Eutrop.

SECVNDVS. IV. NON. NOV.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

TERNOVENA festa Romæ celebrata. Cal. Rom.

PLINIVS Secundus Nouocomensis, flagrante Vesuuio monte, ad explorandas propius causas, fauillarum ui extinguitur, anno 112. Eusebius.

PROBVS Augustus occisus, anno urbis Romæ 1033. Goltz.

TERTIVS. III. NON. NOV.

Festa HILARIA Romæ. Cal. Rom.

CONSTANTIVS II. Imp. ad radices Tauri mõtis moritur, 361. Onuphrius.

QVARTVS. PRID. NON. NOV.

CONSTANTINOPOLI seditio inter Orthodoxos & Passianos excitata ob hymnum Trinitatis, anno 512. Marcell.

QVINTVS. NONÆ NOVEMB.

SICYONII celebrabant festum Soteria in honorem Arati, quo die patriam à seruitute Macedonum uindicauerat. Plutarchus in Arato.

NEPTVNO gratiarum actio habita à nautis. Cal. Rom.

SEXTVS. IIX. IDVS NOVEMB.

Ater dies ROMANIS. Macrobius.

HIEROBOAM rex Israel erexit duos uitulos aureos, atque hunc diem quotannis celebrari mandauit, anno Mundi 2975. 3. Regum 12.

SEPTIMVS. VII. IDVS NOVEMB.

Dies infaustus ROMÆ. Parentationes inferorum. Cal. Rom.

Saxũ ingens duorũ centenariorũ cum dimidio prope ENSISHEIM Alsatiæ oppidũ de cœlo cecidit. 1503. Paral. Visper.

OCTAVVS. VI. IDVS NOVEMB.

CHRISTVS 30. anno ætatis in Iordane baptizatus est ante sextum Id. Nou. qui est secundùm Aegyptios Athyr mensis 12. Græcorum Dij octauus, Macedonum Apellæi 16. Cappadocum Aratata 15. Atheniensium Metagcitnionis 7. Hebræorum Marhesuan 7. Epiphanius lib. 1. contra hæreses, tomo primo, hæresi 51.

Aegyptiacus & ater dies ROMANIS. Ara deorum inferorũ in Circo maximo tertiò adibatur. Cal. Rom.

Natalis NERVÆ, TRAJANI, & CONSTANTII Imperatorum. Sueton. Orosius.

NONVS. V. IDVS NOVEMB.

LVDI uotiui Romæ. Cal. Rom.

ROMANVS Argyropylus Imperator Orientis electus, anno 1030. Cedrenus.

DECIMVS. IV. IDVS NOVEMB.

PITHOEGIA festa Græcis. tum referabant uini dolia. Plut.

HYSTERIA festa Romanis. Cal. Roman.

VARNENSIS memorabilis clades circa mare Euxinum, an. 1444. Blond. Sabell. Bonfin. Dec 3. lib. 6.

VNDECIMVS. III. IDVS NOV.

Maria clausa ROMANIS usq; ad sextum Idus Martias. Calend. Roman.

IESVS tentatur à Diabolo in deserto post ieiunium. Matth. 5.

DVODECIMVS. PRID. IDVS NOV.

CHOES festum apud Græcos. Plut.

SENATVS legitimus Romæ. Ludi per dies quinq; celebrati. Cal. Rom.

M. AQVILIVS Procos. ex Asia triumphauit, anno Vrbis 927. Goltz.

DECIMVS TERTIVS. IDVS NOV.

Minerual ATHENIS soluebatur præceptoribus. Athenęus.

IOVIS epulum Romæ. Cal. Rom.

Q. FABIVS Maximus Rutilianus Procos. de Hetruscis triumphat, anno Vrbis 444.

C. FVL. Maximus Centumalus Cos. de Sãnitibus & Hetruscis triumphum egit, anno à condita Vrbe 455. Golz.

C. IVLIVS.

C.IVLIVS Cæsar uicto Pompeio Dictator creatus.Suet.
OCTAVIANVS Cæsar ouans ex Sicilia Vrbem ingressus. 717.Goltz.

DECIMVSQVARTVS. XIIX. CAL. DECEMB.

Ater dies ROMANIS.Macrob.lib.1.Saturn.
S.CLEMENS Episcopus Romanus anno tertio Traiani martyr factus.Plat.

DECIMVSQVINTVS. XVII. CAL. DECEMB.

VALERIANVS Imp. dictus,anno à cõdita urbe 1020. Golz.

DECIMVSSEXTVS. XVI. CAL. DECEMB.

TIBERIVS Cæsar natus anno 39.ante Christum.Suet.
THEODOSIVS Imp.senior obiit 309. Vrspergensis ponit 17.Septemb.anni 398.at Tripart.hist.17.Ianuarij 395.

DECIMVSSEPTIMVS. XV. CAL. DECEMB.

VESPASIANVS Imperator natus anno Christi 11. Suet.
TITVS Vespasiani filius post subactam Iudæam in Syriæ oppido Beryto patris sui natalem celebrauit, atq; in ludorum spectaculis aliquot Iudæorum millia bestiis lacerãdos obiecit,anno Christi 73.Iosephus de bello Iud.

DECIMVSOCTAVVS. XIV. CAL. DECEMB.

M.ANTONINVS anno Imperij 19.salutis 189. moritur. Marianus Scotus.

DECIMVSNONVS. XIII. CAL. DECEMB.

Cœna PONTIFICVM in honorem Cybeles matris deûm Romæ.Cal.Rom.

VIGESIMVS. XII. CAL. DECEMB.

BALDVINVS v.Balduini IV.nepos,anno 5. ætatis rex Hierosolymitanus consecratur, ablata regni administratione Guidoni Lusignano. 1183.Hinc plurimæ turbæ subsecutę,& Hierosolyma quarto anno amissa.Gul.Tyrius.

VIGESIMVSPRIMVS. XI. CAL. DECEMB.

LVDI Liberalici in honorem Nympharũ & Heroum instituti.Cal.Rom.
INSTITVTIONES Iustinianei iuris editæ anno 534. Ant. Contius lib.1.

VIGESIMVSSECVNDVS. X. CAL. DECEMBRIS.

CASLEV nonus mensis Iudæorum incipit.Masseus.
PLVTONI & Proserpinæ sacrificabatur ROMÆ uiuo homine.Cal.Rom.
M.VAL. Coruinus IIII. Dictator II. de Marsis & Hetruscis triumphum egit,anno Vrbis 452. Goltz.

VIGESIMVSTERTIVS. IX. CAL. DECEMB.

VALENTINIANVS iunior quadrimus patri in imperio successit,anno Christi 378.Orosius.

VIGESIMVSQVARTVS. IIX. CAL. DECEMBRIS.

Aegyptiacus dies ROMANIS.Cal.Rom.
HELIOGABALVS Imper. Romæ militari tumultu occisus. 223.Mar.Scotus.

VIGESIMVSQVINTVS. VII. CAL. DECEMBRIS.

ZACHARIAS propheta Iudæis uerum ieiunium prædicat, anno Mundi 3502. Zach.7.
LVDI Sarmatici Romæ per dies septem.Cal.Rom.
CATHARINA uirgo martyr Alexandriæ 205.Bapt.Mant.

VIGESIMVSSEXTVS. VI. CAL. DECEMBRIS.

Ser.TVLLIVS Romanorum rex de Hetruscis triumphum egit,anno à condita Vrbe 182.Goltz.
NERO Imp.seipsum interfecit,anno salutis 72.Scot. Onuphrius 10.Iunij ponit.

VIGESIMVSSEPTIMVS. V. CAL. DECEMBRIS.

Inferiæ fiebant, Gallis & Græcis in foro Boario defossis ROMÆ.Plutarchus.
TRIVMVIRI creati ad pacandam Rempublicam, M. Aemilius Lepidus,M.Antonius, & Cæsar Octauius, anno Vrbis 710. Goltz.
P.VENTIDIVS Nepos Procos. ex Tauro monte & Parthis triumphauit,anno Vrbis 715.Goltz.
HORATIVS Flaccus obiit.Volat.
SEVERVS Imp.Eboraci in Britannia mortuus, anno salutis 212.Scotus lib.2.Mercator ad 4.Februarij refert.

VIGESIMVSOCTAVVS. IV. CAL. DECEMBRIS.

Ater dies ROMANIS.Gellius.
Semideis & Heroibus honores ROMÆ habiti.Cal.Vet.
L.Aemylius PAVLVS Procos. ex Macedonia de rege Perseo per triduum Romæ triumphum egit,anno Vrbis 586.Golz.

VIGESIMVSNONVS. III. CAL. DECEMB.

ANTIOCHIA terræmotu ferè deleta,anno 531.Georg.Cedr.
LOTHARIVS Imper.moritur, ex Italia uictor reuertus.1137. Mar.Scot.append.Sed Onuphrius ad 3. Decembris sequentis anni retulit.
CAROLVS IV.Imp.Pragæ moritur.1378.Io.Auent. Mercator ad 24.Feb.retulit anni prioris.

TRIGESIMVS. PRID. CAL. DECEMB.

S.ANDREAS Apostolus in Achaia passus.59.Niceph.
BERENGARIVS Imp.Veronæ occisus 923.Onuph.

DECEMBRIS MENSIS DIES

PRIMVS. CALENDÆ DEC.

Cn.OCTAVIVS Propr. de Perseo rege Macedonum nauali triumphum egit.
FORTVNÆ Muliebri festum institutũ, ob bellum sublatum, anno à condita Vrbe 586.Liu.Dec.5.lib.5.Oros.4.
BELISARIVS Vandalos deuicit,anno Christi 535.Vrsperg.

SECVNDVS. IV. NON. DECEMB.

Ater dies ROMANIS.Macrobius.
A.PROBVS Imp.occisus anno Christi 282.Onuph.Marianus Scotus ad 21.diem Aprilis retulit.

TERTIVS. III. NON. DECEMB.

SENATVS legitimus Romæ.Cal.Rom.
C.MARIVS procos. de Liguribus triumphum egit, anno à condita Vrbe 636.Goltz.

QVARTVS. PRID. NON. DECEMB.

S.BARBARA uirgo & martyr Nicomediæ.283.Isuard.

QVINTVS. NONÆ DECEMB.

FAVNI festa anniuersaria peruigilio Romæ celebrata,Faunalia dicta.Cal.Rom.
FRANCISCVS II.rex Galliæ obiit.1560.Aemylij cont.

SEXTVS. IIX. IDVS DECEMB.

ANTIOCHVS Epiphanes idolum Iouis Olympij super altare Dei in templo collocauit.1.Mach.1.
Ater dies ROMANIS.Macrobius 1.Saturn.
GENIO Fausto libabant Græci.Plut.

SEPTIMVS. VII. IDVS DEC.

AGATHON martyr Alexandriæ.249. Hieronymus.
ALBERTVS Austrię dux,consilio Sigismundi soceri moriens rex Vngariæ designatus.1437.Bonf.Dec.3.lib.3.

OCTAVVS. VI. IDVS DEC.

L. Aur. ORESTES Procos.ex Sardinia triumphauit,anno Vrbis 631.Goltz.
HORATII Flacci Poetæ natalis.Volat.lib.17.

NONVS. V. IDVS DEC.

Puellæ,Nuptæ,& Viduæ ROMÆ, Iunoni offerebant donaria. Cal.Rom.
HELVETIORVM primum fœdus per Vranienses, Suitẽses, & Vnderuualdenses cœptum. 1315. Hel.chron.

DECIMVS. IV. IDVS DEC.

ATER dies ROMANIS.Macrobius.

VNDECIMVS. III. IDVS DEC.

ESDRAS conuentu Hierosolymis celebrato, edixit, ut Iudæi, qui post reditum ex Babylone alienigenas mulieres sibi matrimonio iunxerant, eas cum liberis ex eis susceptis dimitterent.1.Esdræ 9.
HALCYONIA festa per dies 13.Romæ.Cal.Rom.
SEPTIMONTIA festa Romæ.Cal.

DVODECIMVS. PRID. IDVS DEC.

INDI duodecimo die Decembris unà cum rege ad flumen egrediuntur,ut equos & nigros tauros diis immolẽt. Quo facto, multò feliciores se futuros in posterum arbitrantur. Alex.lib.4.cap.20.
HERACLITVS Imp. Cosroem Persarum regem superauit, anno 627.Annal.Constant.

DECIMVSTERTIVS. IDVS DEC.

Cursus equorum ROMÆ facti. Equus uictor dexterioris bigæ Martí deo immolabatur.Cal.Rom.
SENATVS legitimus Romæ.Cal.Rom.
C.FABRICIVS Lucinus Cos.II. de Lucanis, Brutiis, Tarẽtinis & Samnitibus triumphauit,anno Vrbis 445.Goltz.
Q.PEDIVS Procos.ex Hispania triumphauit, anno 708. sub Cæsare Iulio. Goltz.

DECIMVSQVARTVS. XIX. CAL. IAN.

Dies Aegyptiacus ROMANIS.

IEIVNIA

IEIVNIA quatuor temporum per Calixtum pontificem instituta,anno Christi.215.

DECIMVSQVINTVS. XIIX. CALEND. IAN.

HIEROSOLYMITANI secundi templi fundamenta iacta, anno secundo Darij, ante natum Christum 519. Aggæi 2.& Iosephus.
NERO Imp.natus,anno Christi 37.Suet.
PALLADIVS Scotorum Apostolus moritur, anno 434. Bal. centur.14.

DECIMVSSEXTVS. XVII. CALEND. IAN.

ANTIOCHVS Epiphanes Aegypto Romanorum iussu excedens, Hierosolymitanum templum prophanauit, urbem diripuit,anno ante Christum 167.Ioseph.12.cap.6.Antiq.
ENCÆNIA uel Renoualia festa per octiduum à Iuda Machabæo primò instituta, repurgato Templo, quinquennio postquàm ab Antiocho prophanatum fuerat. Iosephus. 1.Machabæorum 4.
PANDECTÆ Iuris Iustiniani iussu editæ,an.534.Ant.Cont.

DECIMVSSEPTIMVS. XVI. IDVS DECEMB.

SATVRNALIA incipiunt Romæ per tres dies. Calen. Rom.

DECIMVSOCTAVVS. XV. CALEND. IAN.

IVDÆI alienigenas uxores post captiuitatem Babylonicam dimittunt,iuxta Masseum.
AESCVLAPII festum Athenis.Beuth.
Secundus dies SATVRNALIORVM à Cæsare adiectus. Macrobius.
Arcadicum munus Romæ.Cal.Rom.

DECIMVSNONVS. XIV. CALEND. IAN.

SATVRNALIORVM tertius dies, Opalia dictus, quo solo olim Saturnalia celebrare Romani consueuerant. Macrob. 1.Saturn.cap.10.

VIGESIMVS. XIII. CAL. IAN.

HIEROSOLYMITANI secundi templi fundamenta altius iacta.Agg.2.
EPICVRI natalis.Calend.Rom.
NINIVE urbs à Heraclio Imperatore occupata. an.628. Annal.Constant.

VIGESIMVSPRIMVS. XII. CALEND. IAN.

S.THOMAS Apostolus in India martyr.63.Euseb.
ANGERONALIA sacra Romæ celebrata,Angeronæ deę silentij.Macrob.1.Saturn.cap.10.Solinus.
HERCVLI & Cereri sue prægnante,panibus, & mulso sacrificabatur.Cal.Rom.

VIGESIMVSSECVNDVS. XI. CAL. IAN.

TEBETH decimus mensis Iudæorum incipit.Masseus.
NOE liberatur à Diluuio, cùm Arca in montibus Armeniæ per 74 dies constitisset,anno Mundi 1657.Gen.8.
COMPITALIA festa.Ludi Laribus Romæ instituti. Cal.Vet. Macrobius ad 9.Ianuarij refert.
SIGILLARIA incipiunt, per dies septem. Macrob. Saturn. libro 1.capite 11.
IVSTINIANVS Imp. decessit anno imperij 38. Salutis 594. Mar.Scot Sed Onuphrius ad 13.Augusti anni seq.ponit.
SMALCALDICVM fœdus à Germanis principibus in conuentu Smalcaldico ceptum. 1530.Sleid.

VIGESIMVSTERTIVS. X. CAL. IANVARII.

IVDAS Machabæus muros Hierosolymis ædificauit, anno Mundi 3799.1.Mach.4.
ROMVLI conceptus.Plutarchus.
IOVIS feriæ Romæ celebratæ. Laurentinalia, ab Acca Laurentia uxore Faustuli.Macrob.
M.FVL. Nobilior Procos. de Aetolis & Cephalenia Romæ triumphauit,anno Vrbis 564.Liu.Dec.4.lib.9.
COMMODVS Imp.de Marcomannis,Quadis,Sueuis & Sarmatis triumphat,anno conditæ Vrbis 929. Goltz.

VIGESIMVSQVARTVS. IX. CAL. IANVARII.

SATVRNALIORVM octauus additus, & dies Iuuenalis dictus.Suetonius.

VIGESIMVSQVINTVS. IIX. CAL. IANVARII.

THESEO sacra facta.Cal. Rom.
IESVS CHRISTVS saluator mundi de Maria uirgine natus, anno creationis 3970.Luc.2.
AVGVSTVS eodem die & anno edicto uetuit se Dominum appellari.Orosius.
EDESSA urbs Syriæ à Saracenis expugnata, omnibus Christianis occisis aut captis.1145.Con.abb.Vrsperg.
An.962.8.Cal.Ian.OTHO I.Imp. coronatus Romæ à Ioanne XII.Pp. & sic Italiæ regnum & Romanum imperium cum reliquo Occidentis imperio reuinctum, hactenus à morte Caroli Magni sæpe diuisum ac laceratum.Onuphrius.

VIGESIMVSSEXTVS. VII. CAL. IANVARII.

STEPHANVS Protomartyr.an.34.Act.7.
FRIDERICVS II.Imp.natus.1194. Bonfin.Dec.2.lib.9.

VIGESIMVSSEPTIMVS. VI. CAL. IANVARII.

PHOEBO per triduum Romæ sacrificatum.Cal.Rom.
C.POMPEIVS Sextus Cos. de Asculanis Picentibus triumphauit,anno conditæ Vrbis 664.Goltz.
IOANNES Euãgelista Ephesi placidè moritur, annis ferè 30. post excidium Hierosolymitanum,æt.89.Sal.101.Volat.

VIGESIMVSOCTAVVS. V. CAL. IANVARII.

Templum D.Sophiæ Constantinopoli,à IVSTINIANO cõstructum. 537.Cusp.in Consul.

VIGESIMVSNONVS. IV. CAL. IANVARII.

Ater dies ROMANIS.Macrob.
L.MVNATIVS Plancus Procos.ex Gallia triumphauit, anno ab Vrbe condita 710.Goltz.
IVS ciuile editum Iustiniani Imp.iussu.535.Ant.Cont.lib.1.

TRIGESIMVS. III. CAL. SEPT. IANVARII.

Q.CÆCILIVS Metellus Procoss.ex Hispania triumphat.anno Vrbis 682.Goltz.
TITVS Vespasianus Imp.natus est insigni anno Caiana nece. Suetonius.
COMMODVS Imp.strãgulatus. 193. Herodianus. Scotusad 20.Iulij refert.

TRIGESIMVSPRIMVS. PRID. CAL. IANVARII.

NABVCODONOSOR 10. die Decimi mensis Hierosolymam obsidere cepit per 18.menses.Ideo Iudæi hoc die ieiunium celebrant.4.Reg.25 Hier.39.Iosephus lib.10.cap.10.
EZECHIEL per parabolam de olla ænea uaticinatur. Ezechielis 24.capite.
Magistratus ROMANVS sacramento obstrictus.Cal.Rom.
Q. FABIVS Max.in consulatu Romæ obiit.Plin.7.cap.53.
[redacted]

LIBRI SECVNDI TITVLORVM DISPOSITIO.

- LIBRO Secundo, ipse Numerus Numerato, hoc est, Rei ipsum Tempus accõmodatur, ut Oritur, ut Interit, ut Fit, ut Est. TEMPVS consideratum respectu NVMERATAE rei, quæ accommodatur HOMINI vel
  - IMMEDIATE, quo ad ipsum
    - Vitam. Vt
      - Oritur: vel
        - Simpliciter.
        - Comparatè.
      - Viuit. Aetatis decursus.
      - Moritur, vel
        - Simpliciter.
        - Comparatè. Putà
          - Die
            - Natali.
            - Victoriæ.
          - Anno
            - Iubilæi.
            - Climacterico.
    - Actiões. Tempus
      - Legislationis.
      - Anni emendationis.
      - Census acti. Fœderum.
      - Conuentuũ, tum
        - Religiosorum. Puta
          - Conciliorum.
          - Festorum.
        - Comitiorum.
        - Forensium, Nundinarum.
      - Coloniarum ductarum.
      - Bellorum, Pugnæ
        - Simpliciter.
        - Comparatè.
      - Victoriæ. Triumphi.
      - Magistratus
        - Susceptí.
        - Depositi.
    - Passiones. Tempus
      - Inaugurationis.
      - Proscriptionis, Exilij.
      - Dispersionis. Translationis, Abductionis.
      - Famis. Pestis.
      - Pacis, Tranquillitatis.
      - Cladis bellicæ.
      - Seruitutis publicæ.
  - MEDIATE. Tempus eorum quæ accidunt
    - Mundo.
    - Sideribus. Vt sunt
      - Eclipses.
      - Pallor.
    - Meteoris.
    - Regionibus, Terris.
    - Regnis, Reipublicis. v. g.
      - Ortus. Restitutio.
      - Inuasio, Occupatio.
      - Destructio, Interitus.
    - Magistratibus. Vt puta
      - Institutio.
      - Mutatio.
    - Vrbibus, quatenus
      - Conduntur.
      - Occupantur.
      - Euertuntur.
    - Templis:
      - Ortus.
      - Direptio, Interitus.

Volu-

Voluminis Vigesimiquarti Liber II.

DE TEMPORE considerato respectu NVMERATI.

TEMPVS CONSIDERATVM RESPECTV NVMERATAE REI, IPSI HOMINI IMMEDIATE ACCOMMODATAE. HUC TEMPVS

VITAE HVMANAE. Quo ad ORTVM. NATIVITATIS TEMPVS CONSIDERATVM

Simpliciter.

M. Varro apud Gellium, Homines, inquit, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis 24 nati sunt, una die nati dicuntur. Quibus uerbis ita uidetur dierum obseruationem diuisisse, ut qui post Solem occasum ante mediã noctem natus sit, is ei dies naturalis sit, à quo die ea nox ceperit. Contrà uerò qui in sex horis posterioribus nascatur, eo die uideri natum qui post eam noctem diluxerit. Io. Lalamantius. Com. de Anno.

De Intercalatione seu Bissexto Celsus Iureconsultus lib. 28. Digestorum l. 98. in hæc uerba: Quum Bissextus Calendis est, nihil refert, priore an posteriore die quis natus sit: & deinceps sexto Calendas eius natalis dies est. nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatum non est sexto Calendas natus, cùm Bissextus Calend. est, priorem diem natalem habet. hoc est, Quoties Bissextus est (is autem quarto quoque anno in sextum Calendas Martias incidit, & is dies Calendæ Intercalares dicitur) duo dies pro uno occurrunt, prior ac posterior intercalarius. Etsi autem duo dies esse uidentur, unius tamen loco habentur, & in unum coincidunt: ita ut posterior solùm momentum temporis occupet, & cum priore ita confundatur, ut non absurdè si quis, uerbi gratia, posteriore natus sit, is & sexto Calendas Martias & priore die natus esse dicatur. ut in summa nihil referat utro quis natus sit, priore an posteriore: cùm utrouis natus, priorem semper natalem habeat. Certè uterq; dies in Ephemeridibus eadem Alphabethi litera notatur, nempe F. quæ anno Bissextili in iisdem geminari solet, eoq; tum bis sexto Calendas Martias (unde & Bissexto nomen) dicere compellimur, utriq; diei eandem appellationem tribuentes: ut iis argumentis, id biduum pro uno eodemq; die haberi constet, ac, neq; posteriorem computari. Idem.

Anno mundi 130. natus Adamo filius SETHVS, uixit an. 912. Geneseos 5. secundùm G. Mercatoris supputationem.
Anno 235. natus Setho ENOS, uixit 905. Genes. 5.
Anno 325. CAINAM natus Enos, uixit an. 910.
Anno 395. MALALEEL filius Cainam, uixit an. 895. Genes. 5.
Anno 460. IARED filius Malaleel, uixit an. 962.
Anno 624. ENOCH Iaredi F. uixit an. 365. Genes. 5.
Anno 686. MATHVSALEM Enochi F. uixit an. 969. Genes. 5.
Anno 873. LAMECH Mathusalæ F. uixit an. 777. Genes. 5.
Anno 1056. NOE filius Lamechi, uixit an. 950. Genes. 5. & 9.
Anno 1556. IAPHET Noaho natus. Gen. 5.
Anno 1558. SEMVS Noahi F. uixit an. 600. Gen. 11.
Anno 1560. CHAMVS Noahi F.
An. secundo à Diluuio natus est Semo ARPHAXAD. uixit annis 438.
Anno 37. à Diluuio natus est Arphaxado SALAH F. uixit an. 433. Geneseos 11.
An. 67. à Diluuio, natus est Salæ HEBER, uixit an. 464. Gen. 11.
An. D. 101. Hebro natus est F. PHALEG, id est, Diuisio. uixit an. 239. Genes. 11. Diuisio terræ tunc facta, ob turrim Babylonis & ciuitatem Babel.
An. D. 132. Phalego natus est REV. uixit an. 239. Gen. 11.
An. Dil. 164. Reo natus est SARVG. uixit an. 230. Gen. 11.
An. D. 194. Sarago natus NACHOR. uixit an. 148. Gen. 11.
An. D. 223. Nachori natus THARE. uixit an. 205. Gen. 11.
An. D. 293. Thari natus ABRAHAMVS, uixit an. 175. Gen. 11.
An. à Diluuio 370. ISMAEL Abrahamo natus, uixit 137. ISAAC Diluuio an. 398. uixit 180. IACOBVS & ESAVS Isaaco nati A. D. 293. quorum ille uixit an. 147. Gen. 25. & 47. IOSEPHVS Iacobo nascitur an. 544. uixit an. 110. ARON an. 714. uixit 123. MOSES 718. uixit 120. IOSVE 734. uixit 110. CALEB 759.
CHRISTVS natus 3. Ianuarij secundùm Rom. secundùm Aegyptios Tybi 11. secundùm Hebræos Tebeth 13. secundùm Athenienses Mæmacterionis sexta. Epiphanius lib. 1. contra hæreses, tomo primo, hæresi 51.
PLATO natus an. M. 3539. Olymp. 87. an. 3. Athen. lib. 5. cap. 12.
ALEXANDER Magnus natus A. M. 3612. Olymp. 105. an. 4. Plutarchus.
ROMVLVS & REMVS nati A. M. 3198. Olymp. 2. anno 2. Dion. Halic.
M. Tul. CICERO natus 3. Non. Ian. A. V. C. 646. Gellius libro 15. capite 28.
OCTAVIVS Augustus natus 9. Cal. Octob. ante Solis exortum. An. V. C. 689. Suetonius.
VESPASIANVS Imp. natus 15. Cal. Decemb. an. V. C. 760. Suetonius.
TITVS Vespasianus an. V. C. 791. Christi 40. natus est. Sueton.
CONSTANTINVS Magnus in Britannia natus an. Christi 271. Eutropius.
MAHOMETVS natus die 12. mensis Saaben, an. D. 567. Chronicon Saracenorum. Ex G. Mercatoris Chronologia.

Comparatè cum aliis.

PINDARVS, Apollinaribus gẽitus, multos & elegãtes hymnos Apollini exhibuit. CARNEADES & PLATO uterq; Apollinis solẽni natus: unus Thargeliis Athenis, alter quo die Cyrenæi Carnea celebrant. Plut. lib. 8. Con. quæst.
De EVRIPIDIS ortu & interitu proditum est: natum fuisse, quo die nauali prælio dimicauerunt cum Medo Græci: extinctum eodem, quo Dionysius maior Siciliæ tyrannus in lucem prodiit: simul fortuna, ut Timæus ait, efficiorem ærumnarum tragicarum educente, & histrionem introducente. Plut. lib. 8. Conu. quæst.
C. Mario, Cn. Carbone III. Coss. ad V. Calendas Iunias, M. CÆCILIVS Ruffus, & C. LICINIVS Caluus, cadẽ die geniti suntioratores quidem ambo, sed tamen dispari euentu. Plinius lib. 7. cap. 49.
ATILA Hunnorum rex eo die natus, quo C. IVLIVS Cæsar & Idibus Martiis (quibus ille in curia XXIII uulneribus confossus) ex apoplexia mortuus. Nic. Olahus cap. 16. in eius uita, & Sabell. lib. 1. En. 8.

MORTEM. TEMPVS MORTIS CONSIDERATVM

Simpliciter.

SEMVS mortuus anno ætatis 600. à Diluuio 502.
An. post Diluuium 350. obiit Noachus, 950. annorum. Gen. 9.
Anno mundi 3494. ab Exitu 40. obiit AARON mense quinto: MOSES uerò mense decimo. Num. 33. Iosue 5.
IESVS CHRISTVS benedictus, crucifixus an. M. 4000. Olymp. 202. an. 4.
ALEXANDER Magnus obiit an. 1. Olymp. 114. Ptol. lib. 3. cap. 8. ad 4. Cal. Quint. Plut. in Alex.

An.Seleucidarum 177. mense Sabat XI. SIMON Machabæus à Ptolemæo Abobi F.genero suo occisus est.1.Machab.6.
ROMVLVS è medio sublatus.A.V.C.37.Mundi 3253.
M.CATO Censorius obiit sub initium belli tertij Punici, cuius ipse auctor atq; suasor fuerat,an.ætatis 85.V.C.605. Plinius lib.29.cap.1.
AVGVSTVS Imp. obiit 14. Cal. Sept. an. V.C. 765. ætatis 76. Suetonius.
VESPASIANVS mortuus an.æt.69.8.Cal.Iulij.Suetonius.
CONSTANTINVS Magnus obiit,an. Christi 337.11. Cal.Iun.
GREGORIVS Magnus Pp.obiit anno D.604.4.Idus Martij.
MAHVMETVS obiit an.D.631. Cedrenus.
CAROLVS Magnus obiit 5.Cal.Feb.an.814.Onuphrius.
RODVLPHVS I.Imp. obiit anno 1291.17. Cal.Aug. Onuphr.

Comparatè.

ALEXANDRI regis & DIOGENIS Cynici obitus, in eundem incurrit diem.Plut.lib.8. Con.quæst.
Annus 741. trium clarissimorum principum morte fuit insignis, Leonis III.Imperatoris,Caroli Martelli Franciæ proregis, Gregorij q; III.pontificis.Sigonius lib.3.regni Italici.

ACTIONVM HVMANARVM.

Tempus

LEGISLATIONIS.

An.392.ABRAHAMO mãdatum de circumcisione. Circumcisus ipse & Ismael.Gen.17.
An.V.C.300. Lex XII.tabularum scripta à DECEMVIRIS. Gellius lib.19.cap.1.
HVGO abbas Carthusianorũ ordinẽ fundauit.an.1107.Naucl.

CALENDARII EMENDATI.

C. IVL. Cæsar tertio suo consulatu, confecto bello Africano, annum emendauit:an. V.C.706.Qui annus confusionis ultimus.in 443. dies protẽsus fuit, cùm 78. dies intercalarẽtur.

CENSVS ACTI.

An.37. ab Actiaca pugna cẽsus est descriptus ab AVGVSTO secundus per Syriam & Iudæam,à Cyrenio cẽsore,an. Mundi 3975.V.C.758.Iosephus lib.18.Antiq.cap.3.

FOEDERIS INITI.

An.Seleucidarum 172. die 18. mensis Elul, amicitia IVDÆORVM cum Romanis firmata est.1.Machab.14.

CONCILIORVM.

Concilium primum APOSTOLORVM Hierosolymis celebratum,an.Christi.49.
Concilium NICENVM anno Sal.325 Mundi 4291. à Constantino Magno inceatum,paulominus trib,annis duraui.Eusebius,Socrates,Nicephorus lib.8.cap.26.
SEXTA synodus uniuersalis 150. Episcopis Constantinopoli cepta, contra eos qui unam voluntatem & operationem in Christo statuerunt: ubi Macarius præsul Antiochenus officio motus.646.Mar.Scot.
An. 1413. 6. Id. Decemb. incoatum concilium CONSTANTIENSE.Finitum an.1418.12.Cal.Maij.
An.1431 14.Cal.Aug.concilium Basiliense incoatum. & 1442.17. Cal.Iulij finitum.
An.1545.5.Id. Iunij, cepit concilium TRIDENTINVM. 6 eq. anno interruptum,& Lutherus obiit.Sleid.lib.16. Tertio anno rursus continuatum, Cal. Sept. & præced. die Solis edi psis uisa.Sleid.lib.22.

FESTORVM.

PASCHA & Azymorum primus dies apud Iudæos, liber à operibus seruilibus,quo omne fermentum ex domibus tollebatur, & uespere celebrabatur Phase Domini in memoriam liberationis, qua erant Iudæi illa nocte seruati, cùm Angelus omnia primogenita in Aegypto occidisset, præteriens domos Israelitarũ inscriptas sanguine mactati agni. Fuit primum Pascha celebratum in Aegypto anno mundi 2453. Exodi 12.
ISRAELITÆ altero anno egressionis ex Aegypto Pascha secundum in deserto celebrarũt ad montem Sinai. Num.9.
Cùm Manna defecisset Israelitis, quo per 40. annos in deserto erant nutriti, populus 39.annorum interuallo celebrauit Pascha in castris ad Hiericho, panibus azymis ex frugibus terræ Chanaan primùm usus.an.M.2494.Iosue 5.
EZECHIAS rex celebrauit Pascha, multis annis omissum.2. Paralip.30.
An.M.3326.IOSIAS rex Pascha celebrauit, quale nunquam fuit in Israel à tempore Samuelis.3.Esd.1.& 4.Reg.23.
IVDÆI absoluto & consecrato templo,post Babylonicam captiuitatem,ritu antiquo Pascha celebrarunt.

NVNDINARVM.

Scribit Columella, manifestum esse, nundinarum conuentus propterea usurpatos ROMAE non nisi tantùm octo dieb, res urbanæ agerentur, reliquis administraretur rusticæ. Illis enim temporibus, inquit, Proceres ciuitatis in agris morabantur, & cùm consilium publicum desiderabatur, à uillis in Senatum accersebantur. Nundinæ primùm à pop.Rom. institutæ sunt,inquit Rutilius, ut octo quidem diebus rustici opus facerent:nono autem die,intermisso rure,ad mercatum legesq; accipiendas Romam uenirent. Hæc Macrob. lib.Saturnal.1.cap.16. Columella autem de re Rust.1. Nundinarum,inquit,conuentus manifestum est propterea usurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. illis enim tẽporibus proceres ciuitatis in agris morabantur: & cùm consilium publicum desiderabatur, à uillis accessebantur in Senatũ:ex quo qui eos euocabant, Viatores nominati sunt. Hotomannus de Verbis iuris.
VENETIARVM solennes nundinæ & maris desponsatio, die ascensionis Domini, & durant diebus 11.
CERCIACENSES nundinæ celebertimæ, bis in anno, octauo die post Pentecosten, & Cal.Sept.in quibus illud singulare, quòd præfectus Helueticorum in chorea scortorum publicorum publicè restim ductat, ut ita loquar, & ei meretrici, quæ scitissimè saltauit, cœnam dat cũ honorario. An ob memoriã pij officij,quod scortum Alberto II. Imp. qui prope Vindonissam ex insidiis à Rodolfo nepote cæsus est, præstitit (quãdoquidẽ in illius gremio eo loci, ubi pòst ara maxima in cœnobio Konigfeldense posita fuit,expirauit) ab Elizabetha Hungariæ regina ad honorandos patris manes panegyris ista uenerea institutà?

COLONIÆ DVCTÆ.

Emigratio IONICA facta an. M. 2964. post captam Troiam 180.Eusebius.

BELLORVM.

Anno M.3380.Olymp.48.an.1.ASTYAGES Medorum,& Halyattes Lydorum reges inter se bella gessere.Eusebius.
Bellum PELOPONNESIACVM,quod XXX annis duraui,incepit an.primi Olymp.87.Thucydides lib.1.
Bellum sacrum PHOCENSE nouennale cepit. anno 1. Olymp.106.Diodorus.
Post Alexandri Magni mortem, ingens dissidium DVCIBVS ad se quam quisq; partem regni Græci poterat rapiẽtibus, per annos multos.A.M.3644.Olymp.114.an 1.
Bellum PVNICVM I.A.V.C.480. cepit.Liuius Dec.4.Inde ad secundum finitum sunt anni 63.

PVGNÆ CONSIDERATÆ

Simpliciter.

ACTIACA pugna Olymp.187.an.primo,ab V.C.720.4.Non. Sept.Dion,& Iosephus lib.15.Antiq.cap.6.& Tacitus.

Comparatè cum alio.

Anno 3.Olymp.110.eodem die & hora PHILIPPVS Macedoniæ rex Græcos ad Cheroneam uicit, & LVCANI cum Tarentinis in Italia pugnarũt, ubi Archidamus rex Spartanus pro Tarentinis stans interfectus est.

VICTORIÆ.

An.M.3417.Olymp.57.an.1.ASTYAGES Medus à CYRO captus,Nabonidus item rex Babyloniẽ occisus.Septimo pòst anno CROESVM quoq; Lydorum regem cepit.
Sexto die Boedromionis victoriam Marathonicam ciuitas ATHENIENSIVM celebrat. Sexto die eiusdem mẽsis propter Chabriæ ad Naxum victoriam uini congiarium dabatur.Duodecimo recuperatæ libertatis causa ad gratias diis habendas sacrificabant. illo enim die ciues ex Phila domum redierant. Tertio die uictoria ad Platæas potiti sunt. Sextum decimum Munychionis Dianę sacrauerunt:quo die uincentibus apud Salamina Græcis dea pleno orbe illuxit. Duodecimum Scirrhophorionis solenniorem fecit acies Mantiniaca: quo reliquis sociis profligatis, & terga dantibus,soli pulso, quod ipsis oppositum fuit, cornu, trophæũ de uincentibus statuerunt hostibus. Plut.de gloria Athen.
Platæense prælium & victoria Græcorum de Persis 14.Boëdromionis Atticorum,26. Panemi Bœotorũ, anno M.3490.Olymp,75.an.2. Eodem die uespere ad Mycalẽ pugna nauali uicti Persæ.Herodotus.
Phruræa siue Phruræa festus dies apud IVDÆOS, quo Iudæi in toto Persarum imperio inimicos suos sunt ulti, Estheræ reginæ & Mardochæi ductu.Hist.Esther,& Ioseph.lib.11.c.6.
Diem XIII.mensis Adar IVDÆI festũ agunt,quo Iudas Machabæus cũ mille militibus Nicanorẽ Demetrij ducẽ cũ nouem millibus ad internecionem cæsidit.1.Mach,7.
Diem XXIII.secundi mensis,SIMON Iudæorũ dux & pontifex,quo præsidium Macedonicum ex arce, quam per 30 & ampliùs annos iam inde ab Antiocho Epiphane occupauerant, eiecit,& in eam cum palmarum ramis, citharis & carminibus intrauit, quotannis cum lætitia agendum sanxit.1.Machabæorum 13.
Alexandrini IVDÆI diem illem festum agunt,quo à Physcone elephantis obiecti Iudæi, incolumes euasere. Iosephus lib.2.contra Appionem.

TRIVMPHI.

HERACLIVS Imp. recepta cruce à Cosroe Persarum rege, habitu imperatorio,crucem baiulans,ad urbis portam peruenit, sed in uestigio consistens, pedem nusquam mouere potuit.Ergo admonitus à Patriarcha, ut uili habitu, nudisque pedibus gestari à se crucem meminisset eius Seruatoris,qui nudus pro nostra omnium salute cruci affixus esset: statim nudis pedibus crucem ipsa in ueteri sua statione reposuit. Huius facti memoria solenniter quarta decima Septembris celebratur.Egnatius libro primo, capite sexto. & Bonfinius libro octauo,Decad.1.

MAGISTRATVS. V.C.

Suscepti.

AVGVSTVS consulatũ iniit 10.Cal.Octob. ab V.C.709.Diõ.

LVDI EXHIBITI.

Seculares ludi habiti ab AVGVSTO, quintò, anno V.C. 735 Dion.
CLAVDIVS Imp.quarto suo cos.ludos seculares exhibuit, inter quos & ab Augusto factos intercessere anni 63. An. V.C.399.Christi 48.Plin.lib.7.cap.48.Tacitus lib.11.
IMPP. Germani, ut ludendo quoque seria agerent, non minus censuræ morum politicæ, quàm militaris fortitudinis specimini accõmodatos ludos introduxere,quos mutuata fortasse uoce à prisco puerorũ lusu, Troia dicto, Torneamẽta quasi Troiamenta dixere. Editus de iis est liber nostrate lingua singularis, ex quo H. Pantaleon in Diarium suum hæcce retulit.
Torneamentum primum & ludi equestres,instituto HENRICI I. Imp.à Germanica nobilitate magna pompa Magdeburgi celebrati an.938.septima Ian.
II.à Conrado duce Franconiæ Rotenburgi ad Tuberum die Lunę post festum Simonis & Iudæ ceptum.an.942.
III.Constantiæ à Ludouico duce Alemanniæ,an.948.
IV. Mersburgi à Ridaco Marchione Misniæ celebratum, anno Christi 969.
QVINTVM Brunsuicæ à Ludolpho Marchione Saxoniæ, anno 996.
SEXTVM Treuiris ad Mosellam à Conrado II. Imp. die Lunæ post Purificationis Mariæ festum,anno Christi 1019.
VII.Halæ in Saxonia à Henrico 3.Imperatore,an.1042.
VIII. Augustæ Vindelicorum, auctore Hermanno duce Sueuiæ, anno 1080.
IX.Gotingæ in Saxonia à Lutholpho duce Saxoniæ,an.1119.
X.Guelfo Bauariæ dux Tiguri celebrauit. an.1165. Stumpfius.
XI.Coloniæ à Florẽtino comite Holãdiæ & Selãdiæ,an.1179.
XII.Norimbergæ ab Henrico VI.Imp.an.1198.
XIII.Vormaciæ à Philippo Cæsare celebratum,an.1209.
XIV.Vuirtzburgi à Franconię nobilitate,an.1235.
XV.Ratisbonæ à Bauarica nobilitate,an.1284.
XVI.Schuinfurti in Franconia,an.1296.
XVII.Rauenspurgi à Sueuica nobilitate,an.1311.
XIIX.Ingelhemij à Rhenensis tractus nobilibus celebratum, an.1337.
XX.Eslingæ in Sueuia,an.1374.
XXI.Schafhusiæ,an.1392.
XXII.Ratisbonæ,an.1396.
XXIII.Darmstati ad Rhenum,an.1405.
XXIV.Helprunni ad Nicrum,anno Christi 1408.
XXV.Ratisbonæ à Bauarica nobilitate,an.1412.
XXVI.Darmstati ad Rhenum.
XXVII.Norimbergæ, à Franconiæ nobilitate, pacato bello Brandenburgico,anno 1451.
XXIIX.Virceburgi,an.1479.
XXIX.Moguntiæ,anno 1480.
XXX.Heidelbergæ,an.1480.
XXXI.Studgardiæ Eberhardus Comes Virtenbergicus, anno 1484.
XXXII.Ingolstadij, an.1484.
XXXIII. Onoltzbachij Brandenburgensis ditionis, an. 1485. die Lunæ post Ascensionem.
XXXIV.Bambergæ,an.1486.
XXXV.Ratisbonæ à Bauarica nobilitate,an.1487.
XXXVI.& ultimum Vormatiæ,an.1487.

DONORVM, STRENARVM.

Apud ROM.Cal.Ian.strenas mittebant. Sic Suetonius de Augusto:Calen.Ian.strenam in Capitolio etiam absenti mittebant.Et in Tiberio:Item strenarum commercium prohibuit edicto, ne ultra Calen. Ian. exerceretur. Consueuerat quadruplam strenam, & de manu reddere:sed offensus interpellari se toto mense ab iis,qui potestatem sui die festo non habuissent,ultrà non reddidit.Item: Nullus à pœna hominum cessauit dies,ne religiosus quidem ac saeer:animaduersum in quosdam incunte anno nouo.Zonaras lib.2. Primo anni die accedentes ad Augustum munera illi afferebant,alij maiora, alij minora: ipse autem uicissim illis aut tantundem, aut etiam amplius dabat: neque solùm Senatoribus,sed etiam aliis.Suetonius.

PEREGRIGRINATIONIS OBITÆ.

An.diluuium 345.& à M.C.2001. egressus est ABRAHAMVS cum Lotho & Thare patre ex Vr Chaldæorum.Gen.11.
IDEM an.367.ex Haran in Chanaan profectus.Gen.12.

PASSIONES HVMANAE.

Tempus

INAVGVRATIONIS FACTÆ

Natiuitatis festo.

CAROLVS Magnus Romæ à Leone Papa coronatus, anno regni Francici 33.Salutis 801.Cusp.
CAROLVS II. Romæ à Ioanne Imp. IIX. coronatus.876. Onuphrius.
OTHO Magnus à Ioanne XII.Romæ Imperator coronatus 962.Onuph.
OTHO II.Romæ à Ioanne XIII.968.Onuph.
HENRICVS III.à Clemente magna pompa Imperator consecratus. 1047.Chron.Erem.
CONSTANTINVS XII. Ducas Orientis Imp. coronatus. 1060.Onoph.
GVLIELMVS Nothus in Angliæ regem Londini coronatus. 1066.Lil.
Polonorum DVX tributarius Cæsaris,regium nomen usurpare cepit,& à XV.Episcopis cõsecratus fuit.1077.Lambertus.
BALDVINVS III.Fulconis filius,rex Hierosolymitanus consecratus.1141.Tyrius.

Epiphaniæ festo.

CAROLVS Magnus Augustus dictus à Leone III. Pp. ad 8. Cal.Ian.an.800.Onuphrius.
Epiphaniæ festo PHILIPPVS Pulcer Francorum rex coronatus,an.1286.Masseus.
MICHAEL Palęologus Imp.Oriẽtis coronatus.1258.Onuph.

Paschatis festo.

Die Paschæ an.D.781. PIPINVS Caroli Magni F. consecratus est rex Italiæ, LVDOVICVS Pipinus Aquitaniæ. Onuph. Item LOTHARIVS Imp.Romæ coronatus,an. 823. nonis Aprilis.Rursus LVDOVICVS Lotharij F.rex Italiæ Romæ coronatus,an.844. Onuphrius. Item HNERICVS I. an. 1014. Item CONRADVS an.1027. Item HENRICVS II. an.1030. Aquisgrani. Item HENRICVS III. an.1084.Romæ.Auentinus.
CAROLVS IV.Romæ Imp.coronatus.1353.

Ascensionis festo.

Die Ascensionis Domini RICARDVS Anglorum rex in regem Rom.coronatus Aquisgrani an.1258.8.Id.Ian.Onuph.

Pentecostes festo.

LVDOVICVS II.Imp.die Pentecostes Romæ coronatus ab Hadriano II.Pp. an. D. 870. Aimoinus. Ita quoq; OTHO III.Imp.an.996.Onuph. Itẽ CONRADVS II.an.1092.Aquisgrani. Item LVDOVICVS Bauarus Romæ coronatus,an.1328.Onuphrius.

PROSCRIPTIONIS, EXILII.

Anno à Diluuio 102. occupati fuere impij in ædificanda turri Babel.Quod institutum cùm Deus diuisione linguarum pessum dedisset,Hebro tunc natus filius PHALEG fuit appellatus,eo quòd in eius diebus diuisa sit terra.Gen.10.

TRANSLATIONIS.

ISRAELITÆ ex Aegypto migrarunt A.M.2454. Diluuij 798. cùm anno 583.IACOBVS cum familia in Aegyptum descẽdisset.Gen.47.Exodi 12.
ISRAELITARVM decem tribus à Salmanassare abductæ in Assyriam.an.M.3228.Olymp.9.an.4.ab V.C.15.
An.M.3362. Templi primi 428.IVDÆI & Beniamitæ Babylonem abducti à Nabucodonosore.4.Regum 25.

FAMIS.

Vide Tit.Fames memorabiles. Illic Fortuitum malum, hic eiusdem Tempus notatur.

PESTIS.

Ex Tit.Pestilentia huc Chronica.

Pestis CONSTANTINOPOLI sæuiit, ut uiui sepellendis non sufficerent,an.560.Cedrenus.

PACIS, TRANQVILLITATIS.

ANTIOCHVS Epiphanes an.Seleucidarũ 148.Xandici mensis die 15.literis ad Lysiam datis concessit Iudæis libertatem religionis.2.Machab.11.
Mortuus est MAXIMILIANVS I.Imp.A.D.1519. Ian.12. cùm in uniuersa Germania,Francia,Italia,Hungaria, & penè toto Christiano orbe pax esset.Sola Austria ciuilibus seditionibus æstuabat.Cuspinianus.

CLADIS BELLICÆ.

Ex Tit. Clades memorabiles,huc Temporis ratio.

Arca Domini à PHILISTÆIS capta, an.exitus 396.1.Reg.6.

QVINTILIVS Varus cum tribus Legionibus à Germanis cæsus, an. v. C. 760. Dion.

SERVITVTIS PVBLICÆ.

ISRAELITÆ seruierunt regi Mesopotamiæ Chusanrasethaim annis octo, usque ad Othonielem. Anno ab Exitu 49. Iudicum 3. Iterum regi Moabitarum Eglon annis 18. anno Exitus 79. Iud. 3. Iterum regi Chananæorum Iabin an. 20. anno Exitus 157. Iud. 4. Iterum Madianitis, annis septem, anno ab Exitu 210. Iud. 6. Liberati à Gedeone. Iterũ Philistæis an. 18. anno ab Exitu 287. G. Mercator.

TEMPVS CONSIDERATVM RESPECTV NVMERATAE REI, QVAE IPSI HOMINI MEDIATE ACCOMMODATVR. HVC TEMPVS

MVNDI. QVO AD CREATIONEM.

CREATIONIS prima dies in Nouilunio uernali extitit, cũ Lux creata, & Angeli. Gen. 1. Rabi Iehosue. At recentiores Iudæi creationem referunt ad Autumnum, quia tum annus Iubileus incipiat.

SIDERVM. APPARITIO.

ECLIPSIVM.

Harum Catalogum ex G. Mercatoris Chronographia accuratissima mutuati sumus.

Anno mundi 3196. cùm ILIA per uim comprimeretur, Sol deliquium passus est. Dion Halic. primo anno secũdæ Olymp.

An. M. 3247. & duobus sequentibus: tres factæ sunt Lunæ eclipses. MERODACH rex Babyloniorũ, Assyriorum quoq; monarcha factus.

An. M. 3385. Olymp. 49. an. 1. eclipsis Solis maxima, prædicta à Thalete Milesio, belli quod fuit inter Medos atq; Lydos sexto. Etsi Plin. anno antè factam putat. In Astyage Medo, per Cyrum post an. XXX. capto, defecit regnum ASSYRIORVM, successit Persarum.

An. M. 3445. Olymp. 64. an. 2. defecit in Babylone Luna. Cambyse mortuo SMERDES magus Persarum regnũ occupauit.

An. M. 3467. Darij 20. mensis Epiphi die 29. Lunæ eclipsis Babylone obseruata. DARII expeditio contra occidentales.

An. M. 3477. Eclipsis Lunæ, post Marathoniam cladem.

An. M. 3537. Olymp. 87. an. 2. Solis eclipsis facta, primo anno belli Peloponnesiaci. Thucydides. Sub anni septimi finem rursus Solis eclipsis, & terræmotus. Fœdus in L. annũ: sed non diu durauit.

An. M. 3586. Olymp. 99. an. 1. eclipsis Lunæ prima Babylone obseruata mense Posideone: altera mẽse Scirrhophorione: tertia anno seq. mense Posideone, qua luna tota defecit, sub Artoxerxe Mnemone.

An. M. 3638. Olymp. 112. an. 2. eclipsis Lunæ mense Thargelione, à qua Calippus suas periodos 76. annorum incoat. Secunda pòst nocte uictus Darius ab Alexandro ad Arbela. Plutarchus.

Phlegon Olympiadum scriptor ait: Quarto anno 202. Olympiadis, qui fuit principatus Tiberij XVIII. magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem uersus, ut stellæ cœlo uisæ sint, terræq; motus in Bithynia, Nicenæ urbis multas ædes subuertit. L. Viues in lib. 18. Augustini de Ciuitate Dei, cap. 54.

An. M. 3768. Olymp. 144. an. 4. eclipsis Lunæ Alexandriæ obseruata mense Messore, altera mense Mechir: tertia anno seq. defecit tota. Philippus Macedoniæ rex à Flaminio uictus. Ptolemæus lib. 4. cap. 11.

An. M. 3775. Olymp. 146. an. 4. Luna interdiu cœlo sereno obscurata, Iudis Apollinaribus. Liuius Dec. 4. Altera Solis eodem anno. Bellum Rom. contra Antiochum.

An. M. 3794. eclipsis Lunæ obseruata Alexandriæ Olymp. 151. an. 2. Cepit bellum contra Perseum. Quinquennio pòst altera in Macedonia. Captus Perseus. Liuius Dec. 5.

An. 3826. Olymp. 159. an. 3. Lunæ eclipsis. Reconciliatus Simon Iudæorum dux Demetrio Nicanori regi: & iugum Gentium sublatum. 1. Machab. 3.

An. 3923. ab V. C. 708. Idib. Martiis Sol obscuratus, occiso Cæsare. Virg. lib. 1. Georg. & Seruius.

An. 4013. eclipsis Solis, die natali Claudij Cæsaris, Cal. Augusti. Dion, & Suetonius.

An. Christi 60. eclipsis Solis pridie Cal. Martij. Plinius lib. 2. capite 70. & Tacitus.

An. Sal. 348. 18. Cal. Ian. Solis defectio magna, sub Constantio. Iterum an. 360. ab Aurora usq; ad meridiem, intermicantib. iugiter stellis. Ammianus.

Eclipsis Solis maxima, 9. Sept. an. D. 787. Celebratũ Nicenum concilium secundum. Onuphrius, & Cedrenus.

An. Sal. 805. ter Luna obscurata est, & Sol semel. Aimoinus, Regino. Septennio pòst obiit Carolus Magnus.

An. ultimo Constantini, F. Leonis IV. Sol per 19. dies obscuratus est, nullos emittens radios: tantæ autẽ fuerunt tenebræ, ut naues quoq; à cursu suo aberrauerint. Cedren. in Leone.

An. Sal. 840. 3. Non. Maij facta est Solis eclipsis maxima. Post tres menses obiit LVDOVICVS Pius Imp. Onuph.

An. 878. 16. Octob. Lunæ eclipsis magna, & 4. Cal. Non. Solis itidem magna. Anno seq. obiit CAROLVS Crassus Imp. Marianus, Regino.

An. 907. Lunæ defectus maximus, 13. mensib. ante mortem Leonis Imp. Constantinopolitani. Cedrenus.

An. D. 1093. Cal. Octob. eclipsis Solis à prima usq; ad sextam. Meyerus. An. 1095. duæ eclipses Lunæ. Sigebertus. Bello sacro Antiochia occupata: cæsa Saracenorum centum millia. Hierosolyma recepta.

A. D. 1181. 3. Id. Iulij, eclipsis Solis. Obiit Alexander III. Pp. & Ludouicus Crassus Iunior rex Francorum. Sigebertus. Tilius.

A. D. 1187. Solis eclipsis adeò magna, ut stellæ per diẽ uisæ sint tãquam in nocte, prid. Non. Sept. Mense pòst Balduinus rex Hierosolymorum à Saladino captus, Hierosolyma amissa.

CAROLVS III. Hungariæ regno potitus, in Alba regali legitimè coronatus est: eodemq; die Nonis Decembris, anni 1387. tantus Solis defectus apparuit, ut nunquam nostro seculo maior extiterit: quod ad breue tempus regnaturum esse portendit. Nam Idibus Februariis proximè insequutis, in arce Budensi confossus est. Bonfinius lib. 9. Decad. 2.

An. 1415. 7. Iunij, horrenda Solis eclipsis, quo tempore Constantiense concilium celebrabatum. Leouitius.

Itẽ an. 1433. altera, secundo an. concilij Basiliensis, 17. Iun. Idem.

An. 1530. 29. Martij eclipsis Solis tetra. Indictus Augustam conuẽtus: Protestantium confessio Carolo V. Cæsari exhibita. Sleidanus lib. 7.

An. 1560. 21. Aug. eclipsis Solis 5. Decẽb. Obiit FRANCISCVS II. Francorum rex. Successit Carolus IX. An. seq. 15. Iul. Luna tota defecit. Tilemanus Stella. Io. Stadius. Proinde scito quidem sed & ominoso symbolo deinceps Carolus usus esse uidetur, Inter duas eclipses exorior.

PALLORIS.

An. 1547. 22. Aprilis, per quatriduum Sol sereno cœlo tristis & obscurus apparuit per totam Germaniã. 24. Aprilis Io. Fridericus Saxoniæ dux à Carolo V. Imp. captus. Sleid. lib. 19.

METEORORVM.

Anno 1306. 14. Cal. Martij, in Italia crux in luna, apparuit: postera q; die tres soles conspecti fuẽre in medio trium orbium, qui iridis speciem præbebant. Horum tertius imperfectus, altero cornu occidentem, aquilonem altero spectabat. HVGVTIO Fagiolanus, Pisanarum copiarum ductor, Maio proximo Pisarum Lucæque imperium inuasit. Sabell. lib. 1. cap. 4. & Egnat. lib. 1. cap. 3.

Tempestas horrenda per GERMANIAM, ut Iudiciũ uniuersale multis instare uideretur. 1551. 13. Ian. Lycosth. in Prod.

Dirus Cometa in cœlo ferè per tres menses ardere uisus, atq; multorũ principum mors secuta, an. 1556. Sab. Suppl. lib. 29.

REGIONVM, TERRARVM. Quo tempore laboratum sit

AESTV.

Cùm Aquisgrani anno Sal. 1022. Synodus celebraretur, tanta siccitas & aeris intẽperies exorta est, ut multi nimio ardore extinguerentur, nec pauca animalia interirent. Arcæ & columnæ marmoreæ tanto manarũt sudore, ut aqua eas perfusas quis crederet. Sigebertus.

An. Sal. 1113. mense Iunio, tãta æstus uehemẽtia fuit, ut siligines & arbores adustæ, à spẽ sui fructus mentitæ sint. Aliquæ etiam syluæ ita exaruẽre, ut natiuo calore inflammarentur. Postea grauissimis & diuturnis morbis homines sunt conflictati, in primis autem uentris profluuio & peste nocentissima. Vincentius.

Auentinus inquit, annum æræ nostræ 1135. feruentissimũ fuisse, amnes siccatos esse, syluas cum montib. arsisse, fomitem, & quicquid alendo igni aptũ est, in terrã congestũ mox ignẽ concepisse, lib. 6. Annal. Boiorum. Eiusdem siccitatis, ut & Rhenus sine ullo periculo ubiuis locorum trãsiri potuerit, meminit Chronicon Coloniense: sed ad annum 1130. refert Sigeberti Continuator. Vincentius, Io. de Oppido, Martinus Polonus biennio pòst asserunt tantam fuisse siccitatẽ, ut maior hominũ memoria non fuerit. Etenim in multis regionibus flumina, quæ naues ferebãt, ita fuisse exiccata, ut pedibus transiri possent. Fontes quoq; & puteos per Galliã planè

planè exiccatos, & plurimos aquæ penuria interiisse.

Anno 1473. POLONIA æstu quoq; & ardore uexata est, usq; adeò, ut aluei fluminum plerorumq; arescerẽt, Vistula etiã apud Toruniam esset uadabilis: syluæ saltusq; radicitùs arderent: segetes, uernæ præsertim, squallerent: pecudes & iumenta oblitis limo cum herba uorato intestinis interirent: incendia quoq; urbium, oppidorum & uillarum crebra extitere. Cromerus lib. 28.

INCENDIO.

Incendium Phaethontis circa an. M. 2436. Diluuij 780. ponit Mercator.

FRIGORE.

Anno 994. hyems sæuissima ab initio Nouembris ad Maium usque, rarissimis diebus æstiuis interiectis, durauit, frigidis pestiferisq; simul flantibus uentis. Circa finem uerò Iulij, in tantam duriciem præ glaciei rigore stagna ac flumina sunt concreta, ut pisces in iis extinguerentur, & aqua ad usus humanos nõ suppeteret. Arbores, fruges ac pascua quasi igni subiecto exaruerunt penitùs. Deniq; fames & pestilentia atrox tam in homines, quàm omnis generis animalia, immanissimè sæuiit, ut multæ domus suis habitatoribus destitue rentur. Porrò sequenti anno nouum accessit malum, superiorib. adhuc durantibus, Slauorũ nimirũ hostiles in orientales Saxones incursiones ac uastationes: ut in Quedlinburgensi annotatur historia. Saxoniæ Chron. annũ habet 991.

PLVVIA, DILVVIO.

Anno 1656. Diluuium Noachi, anno ætatis eius 600. contigit. Et quidem mensis

Secundi Elul die X. ingreditur arcam cũ animãtibus. Gen. 7. Die 17. initium diluuij.

Tertij die 27. finis pluuiæ, post D. 40.

Septimi die 17. ceperunt minui aquæ post dies 150. Die 27. requieuit arca super montes Armeniæ. Gen. 8.

Decimi die primo apparuerunt cacumina mõtium. Gen. 8.

XI. die 12. cùm trãsissent dies 40. emisit Noë coruum, qui reuersus est. Gen. 8. Die 19. emisit columbam, quæ reuersa est. Gen. 8. Die 26. emisit columbam iterum, quẽ frondem oliuæ reportauit. Gen. 8.

XII. Thamuz die 3. rursus emissa columba non est reuersa.

An. 1657. Mundi, qui primus est à Diluuio, Mensis

Primi die prima exiccata est superficies terrẽ. Gen. 8.

Secundi die 27. arefacta terra, exiit Noë ex arca.

Diluuium in Achaia accidit tempore regis OGYGIS an. M. 2190. Oros. lib. 1. cap. 2.

Diluuium, DEVCALIONE regnãte in Thessalia, an. M. 2436. Diluuij 780.

Diluuium particulare in BRABANTIA, Holandia, & Selandia multa millia hominum absumsit, mense Nouembri, an. 1530. Hist. Fronsp.

SICCITATE.

An. 1159. quo Fridericus I. Imp. Mediolanum subegit, siccitatẽ insignis fuit. Nam cùm à Cal. Maiis usq; ad exitũ sequentis Aprilis cœlestes aquę nullę fuisset, putei ipsi uix media hyeme aliquid humoris suppeditarunt. Sigonius l. 12. regni Ital.

Anno 1439. in ITALIA ab exitu Iunij usq; ad VII. Idus Decẽbres nullus ne minimus quidem imber terras perfudit, torrentes & fontes exaruẽre, neq; tamen agrorum sterilitas ulla ob id secuta est. Bracellus lib. 1. belli Hispanici.

GRANDINE.

An. 1395. mẽse Augusto, circa Assumtionẽ diuę Mariæ, in Saxonia cecidit grãdo, humanæ faciei præferens imaginẽ: quod prodigij habuere loco homines superstitiosi. Discreuere in glacie faciem uiri ac mulieris: barbata uirorũ, feminarũ uerò crispantibus inuoluta peplis imago, in grandine cernebatur. Fidem fecere uiri probati, qui manibus tenuere mirãtes. Cranzius lib. 9. Vandal. cap 32.

ANNONÆ TVM Fertilitate.

L. Opimio cõsule, cùm C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interẽtus est, ea cœli rẽperies fulsit, quam cõsturam uocant, solis opere, natali Vrbis DCXXXIV. Itaq; fuit omnium uini generum summa bonitas. durantque adhuc uina CC. ferè annis, iam in speciem redacta mellis asperi. Plinius lib. 14. cap. 4.

In Italia anno Vrbis 702. Cn. Pompeio Magno III. solo consule, tantus fuit olei prouentus, ut prouinciis quoq; miserint. Plin. lib. 15 cap. 1. & Plut. in Pompeio.

Quo anno Mater deũm è Pessinunte Romam aducta est, maiores æstate, quàm antecedentibus annis decem facta est annona. Cùm L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modius, uini congius, fici sicæ pondo XXX, ólei pondo X, carnis pondo XII. ueniere. Plinius lib. 18. cap. 3. ex Varrone.

Eo anno, quo Atila Hunnorum rex Aureliam obsedit, tãta frumenti copia exuberauit, ut nõ solùm periculo hostili, sed fame urbẽ mirè Deus liberasse uideretur. Bonfin. lib. 4. Dec. 1.

Annus Sal. 568. quo Lõgobardi ITALIAM inuaserũt, insigni rerum quas terra fert omnium ubertate lætissimus fuit, ipsa ueluti natura opes suas ad nouos excipiẽdos hospites pandente: Sigonius lib. 1. regni Italici.

Circa annum Christi 663. ignis maximo omnium terrore dies decem in cœlo emicuit: incubuẽre mox imbres usq; adeò sæui, & ita horrenda frequentiaq; fulmina, ut homines iuxtà ac pecora de cœlo tacta caderent. Eo anno tanta legumi nũ copia successit, ut legi omnino nequiuerint: quæ autem neglecta fuerant, ultrò renata ad maturitatem peruenẽre. Bonfinius lib. 8. Decadis 1.

Sub Leone Isauro in Campania frumentum cõbũstum, & hordeum & legumina quasi pluuia de cœlo ceciderunt, anno Leonis quinto, Domini uerò 722. Sigebertus. Secuta est Saxonum ad fidem Christi conuersio, & magna omnium frugum ubertas. Schafnaburgensis in Chronico, & Antonius Titulo decimotertio, capite 1.

Anno 1069. & sequẽti, syluestrium arborum sterilitas durauit: sed uinearum tanta fertilitas fuit, ut pręmultitudine uindemia uix colligi posset. Schafnaburgensis.

Sub Friderico Barbarossa Imp. tanta fuit annonæ copia in Germania, ut uino calx in murorum usum restingueretur. Stumpfius.

Anno 1334. in Polonia, uicesimatertia die Aprilis, ingens nix decidit. quæ cùm quinque dies durasset, præter omnium expectationem singularem fertilitatem agris attulit. Cromerus libro 12.

Anno Christi 1353. cùm Martius, Aprilis & Maius ultra medium uerno ac penè æstiuo calore ad calamos & aristas segetes perduxissent, coorto derepẽtè acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terram operuit in Polonia, & in sextum usque diem durauit. Qua soluta postea, cùm corruptas esse segetes omnes existimarent, tanta præter spem ubertas frugum, quanta uix unquam aliàs fuit. Cromerus lib. 12.

An. D. 1484. tanta uini copia passim fuit, ut mustum doliis permutaretur, multi etiam illud noctu Tiguri effunderent, alij loco aquæ in faciendo cæmento uterentur. Stumpfius. Idipsum nostra quoq; ætate an. 1584. accidit.

Anno 1540. annus fertilis. æstu insignis, ut etiamnum hodie Aestatis feruentis nomine appelletur. Præcesserant aũt cometæ duo terribiles, alter 38, alter 39. anno. Stumpfius.

Sterilitate. Fame.

Ex seq. Annis, Frigore, Aestu, Pluuia nobilibus.

Anno Diluuij 434. Fames uniuersalis super terram. Abrahamus cum familia in Aegyptum descendit.

FAMES magna prædicta ab Agabo, Act. 11. cepit, anno 4. Claudij Imp. Christi 44. ab V. C. 795.

REGNORVM, REIPVBLICÆ Ortu.

ASSYRIORVM regnum à Belo cepit, an. M. 1841. post Diluuium 185. Durauit an. 1300. usq; ad exitum Sardanapali, qui ab Arbace Medo uictus est, an. M. 3144. Deinceps Assyriorum regnum ab Arbace.

TROIANORVM regnum à Dardano cepit. A. Dil. 483.

ISRAELITARVM regnum à Saulo cepit. an. Exitus 436.

ARGIVORVM Inachus primus rex. an. Dil. 479. Eusebio.

SICYONIORVM regnũ inter Græca uetustiss. cepit. an. M. 1902. Diluuij 246. Durauit an. 862. uel 972. Defecit in Zeusippo anno M. 2832.

ATHENIENSIVM regnũ Cecrops auspicatur. an. Dil. 749.

FRANCORVM regnum Pharamundus an. D. 419.

LONGOBARDI Italiam occupauere an. D. 568. 4. Non. Aprilis. eamq; annis 206. sub 24. regibus tenuere totum, præter Vrbem. Onuphrius.

A. D. 1200. TARTARORVM dominiũ cepit. Mart. Polonus.

Restitutione.

ARTOXERXES Persarum rex Artabanum Parthorũ regem obtruncauit, & regnum Persis restituit. anno mundi 4192. Christi 227. Agathius lib. 4.

Inuasione, Occupatione.

Anno M. 3349. dum Cyaxares Medorum rex Ninum urbem Assyriorum obsidet, SCYTHÆ superuenientes Asiæ imperio potiti sunt annis 28. Herod.

Regnum de Iuda ad alienigenam Herodem Ascalonitam trãslatum an. M. 3928. ab V. C. 713. Olymp. 184. an. 4. Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 23.

Anno Sal. 261. Galieno imperante, XXX. tyranni diuersis locis & regionibus emerserunt, an. V. C. 1012. per annos ferè 12. Ab Aureliano uix tandem domiti. Onuphrius.

Anno 406. tertia BARBARORVM in Occidentem est facta irrupssio: qua Gallia primùm, deinde Hispania, postremò Africa occupatę, atq; omni genere calamitatis afflictę sunt. Godigisilus rex Vandalorum, qui in Scythia ad Mæotidem erant, exemplo Radagaisi adductus, ubi Italiã hostium plenam,

nam.atq; Honorium in Radagaisum auersum sensit,& ipse sibi Galliam inuadendam constituit, ratus, haudquaquam eandem in prouinciis fortunam fore,quæ lõgè à regio abessent auxilio, atq; in Italia,ducẽte Alarico,fuisset,quæ propter Imperatoris præsentiam uinci non potuisset. Itaq; ex Scythia cum Vandalis & Alanis egressus, simul Quados ex Sarmatia, Vandalos ex Pannonia olim ibi à Constantino locatos assumsit: inde trans Danubium sese continens, ex Sarmatia in Germaniam iniit, eamque peragrans, populos eius siue metu direptionis perculsos, siue spe prædæ illectos,secum adduxit, Marcomannos,Herulos, Turcilingos, Sueuos, Alemanos, Saxones, & Burgundiones: ac citato agmine, nemine resistẽte, recto itinere usq; ad Rhenum processit. Ibi uerò Franci deniq; occurrerunt, ac transitum impedire conati sunt, siue, ut fœdus proximè cum Stilichone ictum seruarent, siue ne tantum hostium in prouinciã eam admitterent, cui ipsi iampridem inhiantibus animis immi-nerent. Verùm à Vandalis multitudine superantibus pulsi, haud magno momento cesserunt. Ita Vandali sine impedimento prid. Cal. Ian. teste Prospero, traiecto Rheno, in Galliam penetrarunt: atq; anno seq. proximas Rheno prouincias Germaniam primam, & Belgicam secundam ingressi, latè uictoriam exercuerũt. Nam Magunciacum, multis hominum millibus in ecclesia trucidatis, euersum est. Vangiones diu obsessi in ditionem adducti. Rhemi, Ambiani, Atrebates, Morini, Tornacum, Nemetes, Argentoratumq; direpta sunt. Sigonius lib. 10. Imp. Ital. ex Iornande.

PERSARVM regnum Saraceni occuparunt auxiliarij, cæso eorum rege Mahumeto per Mucaletum, qui rex Persiæ declaratus, & Sultanus appellatus, anno Sal. 870. Cedrenus.

HELVETII (Sigismundi Cæsaris permissu, Concilij Cõstantiensis iussu) Austriacos inuaserunt, atq; comitatum Badensem cum Ergouia occupauerunt. 1415. mense Aprili. Stumpfius lib. 13.

Destructione, Interitu.

Regnum IVDÆORVM à Saule ad ultimum Sedechiam floruit, annis 505.

Annos 520. ASSYRII tenuerunt Asiam: postea Medi eam occuparunt, illis excussis.

Annos 490. regnum ATHENIENSIVM durauit, à Cecrope ad Codrum.

Totidem annos LACEDÆMONVM Respub. durauit à Lycurgo, qui eam formam reipub. primus constituit, & Spartanas tulit leges, ad Alexandri ætatem, sub quo concidit.

PERSICA Monarchia, quæ constituta est à Cyro capta Babylone, durauit annis 208.

GRÆCA, quæ cœpit cùm Alexander uicit ultimum Darium, durauit annis 283. Ita hæ duæ Monarchiæ annos 491. complecuerunt.

Annos 430. Aeneæ posteritas dominata est ALBÆ, quibus exactis, condita est & creuit Roma.

Αειραχοτία, q̃ post exactos reges Brutus instituit ROMÆ, in qua Consules Rempub. administrarunt, durauit an. 460.

C. IVL. Cæsaris Monarchia, quam sibi confirmauit oppressa republica, & consulari potestate, durauit annos 502. Hinc capta est & horribiliter uastata Italia, à Genserico Vandalorum rege: mox sequuti sunt Gothi, qui Italiam ab imperio Romano auulsam & occupatam duriter afflixerunt.

AVGVSTVLVS ab Odoacro Herculorũ rege coactus abdicauit, anno Christi 476. X. Cal. Sept. ODOACRVM Theodericus Ostrogothus, anno Domini 493. III. Non. Martij interfecit. Onuphrius.

CONSTANTINVS Magnus sedem Imperij Constantinopolim transtulit, relicta Italia, annis elapsis 489. Hinc Carolus Magnus uictis & domitis Longobardis, Imperium occidentale in libertatem asseruit, & instauratum Romam, anno Domini 805.

MAGISTRATVVM

Mutatione.

Primus annus post exactos reges ROMÆ quinq; consules habuit. Nam primus consul L. Brutus cũ L. Tarquinio Collatino creatus, eundem propter affinitatem regiam magistratu depulit, P. Val. Poplicola suffecto: ipse contra reges pugnans occubuit. Successor datus Lucretius, antequam magistratu abiret, morbo periit. D. August. de Ciuit. Dei lib. 3. cap. 16.

VRBIVM

Ortu.

RHODVS à Telchinibus condita, anno Diluuij 601.

SPARTA à Sparto Phoronei F. anno à Diluuio 613.

MEMPHIS, anno à Diluuio 703.

DARDANIA, quæ pòst Troia, à Dardano ædificata, anno 2484. ab Exitu 30. Eusebius.

EPHYRA, pòst Corinthus, anno Mundi 2552. ab Exitu 98. à Sisypho condita: inde ampliata & firmata ab Alethe, anno ab Exitu 417.

CARTHAGO à Didone, anno Mundi 3078. Templi 144. Iosephus. At ex Dion. Halic. circa an. Mundi 3155. primũ condita uidetur.

ROMA condita, anno M. 3216. Olymp. 6. anno 4. post Ilium euersum anno 432.

ALEXANDRIA condita, an. M. 3641. Olymp. 113. an. 1. Liuius.

CONSTANTINOPOLIS à Constantino Magno dedicata, anno Sal. 332. XI. Cal. Maij. Zonaras.

VENETIÆ condi cœptæ, 9. Cal. April. anno Domini 430.

Oppressione, Direptione.

Consule Tomum Fortunium, de Vrbium expugnatione, fol. 805. quatenus tempus expressum habent.

HIEROSOLYMA ab Antiocho capta, an. Seleucidarũ 145. Olymp. 153. die 15. mẽsis Chisleu, quem Apellæum dicũt Macedones. Iosephus lib. 12. c. 6. Antiq. Die 25. aram abominando idolo profanauit. 1. Mach. 1. Bella Machabæorum contra Antiochum. Eandem cepit Herodes rex Olymp. 185. anno 3. (qui idem Sabbatinus erat Iudæis. Iosephus lib. 14. cap. 26.) mensis quarti die 17. qui dies erat Ieiunij legalis, ob factas in Sina tabulas instituti. Inde capta à Vespasiano Azymorum festo, an. Sal. 69. Eusebius. Rursus à Saracenis post biẽnalem obsidionem capta & uastata, an. D. 638. Sigebertus.

Mense 6. Anthesterione, anno 28. belli Peloponesiaci, Olymp. 94. an. j. Lysander ATHENAS cepit. Xenophon. Earundẽ muri diruti à Lysandro 16. Munychionis, an. 4. Olymp. 93. Plutarchus, & Diodorus.

CARTHAGO à Genserico Vandalo capta, an. D. 439. 14. Cal. Nouembr. Prosper.

ROMA à Gothis capta, 9. Cal. Sept. anno Sal. 410. Onuphrius. Iterum à Genserico Vandalo, anno D. 455. Prid. Id. Iunij.

RAVENNA à Longobardis capta, & Exarchatus græcus ex Italia sublatus, anno D. 751.

Anno D. 1204. capta à LATINIS Constantinopolis, 12. April. Nicetas.

Interitu, Euersione.

TROIÆ excidiũ anno ab Exitu 330. octaua deficientis Thargelionis. Dion. Halicarn. lib. j. Plut. in Vitis D. 23. Thargelionis. Plin. lib. 18. c. 28. ad 8. Cal. Quint.

THEBÆ euersæ ab Alexandro Magno, anno secũdo Olymp. 111. Plut. in Camillo.

CARTHAGO euersa, cùm stetisset annos 667. an. 2. Olymp. 158. ab V. C. 606. Velleius.

CORINTHVS deleta à L. Mummio Achaico post an. 952. sui ortus. Velleius.

TEMPLORVM

Ortu.

Templum Domini cœptum à Salomone, anno 480. Exitus. 3. Reg. 6. Destructum à Nabucodonosore, post annos 422.

Post captiuitatem Babylonicam, anno M. 3446. à Nehemia secundum Templum fundatum est, in mense Zio: & in anno XI. mense Bul (ipse mensis octauus) perfecta est domus Domini in omni opere suo. 3. Reg. 6. Stetit usq; ad Christũ annos 500.

Templum Herodes extruere cœpit, an. M. 3948. Olymp. 190. an. 1. regni sui 18. & octauo anno perfecit. Iosephus l. 15. Antiq. cap. 14.

Profanatione, Expiatione.

Templum HIEROSOLYMITANVM die 25. mẽsis Chisleu ab Antiocho rege profanatũ, an. Seleucidarũ 145. sed quinquennio pòst die eodem à Iuda Machabæo repurgatum. 1. Machab. 1. & 4.

Templa CHRISTIANORVM in diebus Paschatis à Diocletiano subuersa. 305. Scotus lib. 2.

Interitu.

Templum DELPHICVM exustũ, anno 1. Olymp. 58. Pausan.

VOLVMINIS VIGESIMIQVARTI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vigesimum-quintum

DE VITA Hominis SOLITARIA.

LIBRO VNICO differens.

ENANTIA ENANTIΩN
ΑΚΗ

Theatri proinde Humani

Vol. XXV

Vitæ mortalium Solitariæ
Promtuarium

ΦΙΛΟΤΕΧΝΩ ΚΑΙ ΦΙΛΑΝ-
ΘΡΩΠΩ Medico

GEORG. KELLERO
Tigurino

Optimorum ſtud. in Pariſienſe
& Patauina ſchola
paraſtatæ

THEOD. ZVINGERVS
Baſilienſis

MON. ET PIGNVS
AMORIS

VOLVMINIS XXV.

TITVLORVM DISPOSITIO.

HOMO mundi uinculum, inter Creatorem & Creaturas medius, naturæ utriuſque, immortalis atque mortalis, particeps, utriuſque etiam cõuerſatione fruitur, illius tanquam ſeruus, huius tanquam dominus. Serui felicitas in cognitione atque fruitione bonorum herilium, Veri ſcilicet atque Boni, repoſita eſt. Domini felicitas in Cognitione atque fruitione ſeruilium bonorum, Vtilitate & Voluptate circumſcripta. Natura igitur ſua ſociale animal eſt homo, & conuerſationis amans, tum immortalis (quam cum immortalibus in Vita futura aliquando poſſidebit) tum mortalis, qua in Vita præſente fruitur: & uel cum creaturis ſui generis, cum Hominibus ſcilicet, in ſocietate Oeconomica atque Politica (ſiue prophana illa, ſiue ſacra & religioſa) uel cum creaturis diuerſi generis, purè ſcilicet immortalibus Intelligentiis, aut purè mortalibus Brutis. Eò reſpiciens δυαμόνιος Ariſtoteles, Hominem ſolitarium & μονώτλω uel Deum uel Belluam eſſe pronunciauit, hoc eſt, uel diuinæ uel belluinæ naturæ participem: quarum utrauis inductus, quantum ſeſe à conuerſatione ſui generis abduceret, tantum ſeſe conuerſationi diuerſi generis creaturarum addiceret: & uel Spirituum, cùm bonorum (ut Prophetæ & Eremitæ pij) tum malorum (ut Magi) uel Brutorum. Ex fine igitur Solitaria uita diſtinguenda, & in ſuos diducenda erit Titulos. Nam uel immortalis uitæ in hac etiam mortali uita delicias per contẽplationis aſſiduitatem ſectantes: uel mortalis uitæ commoda uenantes, incommodáue declinantes, ut hominum conuerſationem fugiunt, ſic ſolitudinem colunt, & in ea uel Intelligentiarũ uel Belluarũ conſortio ad ſcopũ ſcilicet quem collineant accommodatiore, perfruuntur. Duo proinde ſumma Solitariæ uitæ genera ſtatuemus: Religioſum alterũ, quod uel inſtituto uel prætextu religioſo nititur: alterum Prophanum, à religione ſeiunctum. Titulos utriuſque ſubnectemus.

- VITAE *solitariæ institutum uel*
  - Religiosum. EREMITICAE *uitæ religionis nomine*
    - Susceptio:
      - Qui. *Eremitæ facti ex*
        - Regibus. Cardinalibus.
        - Episcopis. Monachis.
        - Literatis. Theologis. Medicis.
        - Nobilibus.
        - Mercatoribus. Latronibus.
      - Qua *occasione*:
        - Persecutionis.
        - Indignationis.
        - Voti. Concionis.
      - Cur. *Causa*
        - Pœnitentiæ.
        - Castitatis.
        - Securitatis.
    - Professio:
      - Qui:
        - Viri: *apud*
          - Iudæos.
          - Christianos.
          - Mahumetanos.
        - Mulieres.
      - Quomodo.
      - Vbi.
    - Depositio. *Eremiticæ uitæ Mutatio. Ex Eremitis*
      - Pontifices. Episcopi.
      - Doctores.
      - Milites.
  - Profanum. SOLITARIA VITA *profana considerata respectu*
    - Finis. *Sic solitudinem sectantur alij studio*
      - Cognitionis. Vt
        - Magi.
        - Philosophi.
      - Practico.
    - Occasionis. *Qui in solitudinem sese abdidere ob*
      - Morbum.
      - Imprecationem.
      - Cladem *bellicam*.
      - Mortem *liberorum*.

Voluminis Vigesimiquinti Liber Vnicus

DE VITA SOLITARIA.

VITA SOLITARIA RELIGIOSA. EIVS

SVSCEPTIO.

QVI. PVTA

Reges.

IOSAPHAT Indiæ rex, Auenir regis filius, Barlaam eremitæ suasu fidem amplexus Christi, postquam omnes, qui suæ ditionis erant, baptismatis gratia renouandos curasset, ædificatis uicatim ecclesiis, deposuit regnum: nihilque secum ferens, nisi mundanæ gloriæ contemtorem animum, secessit in solitudinem: iunctusque ipsi Barlaam, uitam traduxit in eremo, quæ dicitur terræ Senair. Io. Damascenus, & Marulus lib.1 capite 1.

MICHAEL Curopalates Constantinopolitanus Imp. in bellis semper victor, semel à Bulgaris superatus, præ pudore imperium deposuit: & quod uitæ superfuit, religiosè in solitudine transegit. Fulg. & Egnat. lib.4 cap.5.

SALOMON Hungarorum rex à patruelibus suis, Ladislao & Geysa Ducibus, quibus iniustas struxerat insidias, regno pulsus, Chutesci Chunorum principis auxiliis instructus, bis magna cum strage ab Hungaris repulsus est. Istrum glacie concretum sicco pede transiens, in proxima sylua socios curare corpora iussit. Ipse posito scuto, tanquam naturæ necessitati satisfacturus, seorsim abiens, eremum incoluit, hominum congressum uitauit, semel tantùm Colomanno regnante in Hungaria uisus, nusquam amplius apparuit. Tandem in Istriæ syluis corpore solutus, Polę sepultus dicitur. Bonfinius lib.4 Decadis 2.

IVDOCVS Vinnoci frater, mortuo patre Iudicail, spreto regno, cum quibusdam Romam peregrinantibus, sumto baculo & tabula abiit, & clerici officio inter ipsos functus est. Postquam autem in pagum Pontiuum post annos undecim delati sunt, hospitiũ ab Haimone duce impetrarũt: factusq; est Iudocus presbyter, & Haimonis filiũ de sacro fonte leuauit. Post annos septem abdicãs se ministerio, secessit cum discipulo Mirmaro in eremum: & in loco qui dicitur Brãhic, cellulam extruxit, uacans assiduis precibus. Mẽdicis eò uenientibus, omnes suos commeatus distribuit. Murmuran te autẽ eius famulo, quatuor naues onustæ cibo & potu ad eius cellulam sine remige uenerunt. Vexatus à diabolo mutauit locum, & alium elegit Rumachum nomine. Eduxit uiuos latices ex arido solo, baculo terrã percutiens, cùm Haimo in uenatione sitiret. Romam abiit Sanctorum reliquiis secum abductis, cæcam puellam illuminauit: & ad suum sacellum delatus, in pago Pontiuo obiit, anno Domini 653. iuxta Sigebertum. Petrus de Natalibus lib.1.cap.65. & Vincentius lib.24. cap.105. & 106.

SVATACOPIVS Morauorum rex Arnulfo Imperatori tributum pendere recusans, acie victus, mutato habitu fugiens, in monte Sambri tribus eremitis sese cõiunxit. Moriens tandem quis esset confessus est: & à filio Volegradum relatus. Aeneas Syluius in hist. Bohemica.

Cardinales.

PETRVS Damianus, qui cardinalatus honore insignis, Hostiensis episcopatus titulũ gerebat, pontifice Gregorio VII. cardinalatus dignitari, atq; eius pompæ, longè maiori animo, quàm pleriq; eam parare nitantur, renunciauit, atq; in eremũ se transtulit: sapienter intuitus, quot labores purpura tegat: contraq; quantum quietis atq; bonæ spei eremus polliceatur. Fulgosus lib.4. cap.1. & Platina.

Monachi prius.

HILARIÓN. Vide Tit. Fugere conuersationem.

ONOPHRIVS monachus, cùm Hermopoli in monasterio sese aliquandiu exercuisset, quasi è ludo ad certamen progredi cupiens, ad quandam uastissimã eremum solus abiit, & in ea annos 60. hominibus prorsus incognitus permansit. Consumtis autem quæ secum tulerat indumentis, superiorem corporis partem barba & capillis, inferiorem, ubi plus pudoris inest, arborum foliis uirgultisq; contexerat. Annos XXX. non alio pabulo usus est, quàm quod arbores herbæq; sylucstres dabant. Totidem pane se & aquà frigida sustentauit. Hunc tandem humaniorem victum sibi ab angelo, à quo etiam eucharistiam Dominico quoq; die accipere solitus erat, suppeditatum ferunt. Paphnutius abbas, qui uitam eius Græco sermone scriptam edidit, dum desertum peragraret, eodem die quo in eum incidit, cum uiuo colloquius est, defunctum sepeliuit. Marul. lib.1. cap. 10. & Sab. lib.2. cap.2. & Volat. lib 17.

VENERIVS Othonis III. & Gregorij I. tempore ex cœnobio S. Benedicti apud Tybur, ubi degebat, iniussu abbatis in solitudinem proximam, in insulam Palmariam perrexit. Castigatus deinde à S. Romualdo abbate, missionem impetrauit, inuentus in horrido & alto saxo mortuus in genu cernuus. Volaterranus lib.20. Anthrop.

CALVPPA uel CALVPPANES in monasterio Meletensi, in finibus Aruerni monachus fuit. Deinde ab Auito episcopo diaconus ordinatus est. Dono sanandi diuinitùs ornatus fuit: nam multos infirmos curauit. A' cibo & potu adeò abstinebat, ut operas impositas imbecillitate impeditus facere nequiret. Eam uerò ob rem à præposito malè acceptus, monasterium deseruit, & in eremum secessit, & in excisa rupe cellam sibi fabricauit. Diabolus ei interdum serpentis, interdum uerò draconum forma apparuit, & molestiam exhibuit. Cui aliquando respondisse fertur: Tu ne es ille, qui primos parentes paradiso exturbasti, & fratris dextram parricidio cruentasti? Apage te, nihil enim commercij tibi cum Christi seruis & fidelibus. Dæmones fœtore totum locum repleuerunt, ac cuanuerunt. Anno 50. mortuus est. Turonensis in Vitis patrum, cap.11. & lib.5. cap.9.

D. Brigida Romæ degens, habuit confessorem religiosum nomine ALFONSVM: qui posteà eremiticam uitam eligens, multa scripsit ex his, quæ ex ore eius accepit. Cranzius lib. 9. Metrop. cap 48.

MAINRADVS Berchtholdi Comitis Sulgoniensis ad Danubium F. ex uoto matris primùm monasterium Diuitis Augiæ ingressus, mox in Eremo Heluetiorum solitariã uitam sanctissimam egit sub Lodouico Pio Imp. A' duobus latronibus A.D. 863. interfectus, & in diuite Augia sepultus est. Desertam eius cellam sexaginta annis pòst Eberhardus Decanus Argentinensis & Gregorius filius Anglorum regis inhabitare ceperunt: donec ab Othone I. monasterium illic ædificatum est. Stumpfius, & Bruschius. Sigebertus anno octingentesimo quinquagesimo sexto.

Theologi.

BRVNO Calonia Agrippina oriundus, literarum gratia Luteciam, studiorum nomine tum celeberrimam, se contulit. Ibi canonicus factus, inter professores locum tenuit. Præceptoris autem sui, cui defuncto iam exequiæ parabantur, uoce (qua capite è pheretro exerto, se damnatum querebatur) motus, in eremum quandam, sex aliis eum comitantibus, egressus, uitam egit duram. A' loco quem incolebant, Carthusanorum ordini nomen inditũ est. Post annum sextum, per Vrbanum discipulum suum, qui iam Romanæ præerat ecclesiæ, reuocatus, suam ei in Ecclesiæ negotiis præstitit aliquandiu operam. Verùm sacræ curiæ laborum pertæsus, ad locum pristinum, reiecto simul Risensi archiepiscopatu, quem accipere iubebatur, rediit. Ranulphus libro septimo, cap.4. in Polychrõnico.

Nobiles.

STEPHANVS præpotenti familia apud Aruernos patre Stephano natus, Milone Beneuentano antistite à primis annis usus est præceptore. Ex ephebis egressus, peregrinationibus fuit occupatus. Tandem prope Lemouicas Aquitaniæ in densissimo nemore, inter spineta, cũ uno atq; altero socio, sedes fixit. Defunctum discipuli in eremo, in Grandi monte sepelierunt: unde nouæ postea Grandimontensium religionis nomen inditum fuit, ut suo loco diximus. Vide Tit. Monachorum ordines.

Mercatores.

APOLLONIVS quidam tota uita sua mercaturam exercuerat, literarum prorsus rudis: senex autẽ in Scethim abiit, ac monachorum medicum communem egit, diebus singulis ad decumbentes accedens, illisq; medicamenta & necessaria alia, quæ propriis pecuniis sibi comparauerat, exhibens. Sozomenus lib.6. cap.29.

Latrones.

BANONEM in Gallia, ex prædone monachum factum accepimus: & qui in syluis uiatores despoliare solitus fuerat, postea in monasterio cella inclusum uixisse, manus ac pedes uinculis ferreis onerasse, hordeaceum panem cinere mixtũ esitasse, carne uinoq; abstinuisse: cilicium pro strato, lapidẽ pro puluillo habuisse: sæpe dum laudes Deo diceret, eundem lapidem humero sublatũ tenuisse. Catalogo tandem sanctorum adscriptus. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib.2. cap.12. & Fulgosus lib.6. cap.9.

MOSES Maurus latrocinijs Aegyptum infestauerat: sed Anachoretarum inibi uitam contemplatus, Isidori Abbatis in Scethi apud Thebaidem factus est discipulus. Quinq; & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit, sex annos cella inclusus permansit: ad multam noctem stans orabat, pane tantùm & aqua sustentabatur. Noctu peragrabat solitariorum tuguria, hydriasq; eorum aqua replebat, ut procul hausturum petentibus laborem leuaret: peracto officio tacitus recubitum. Presbyter factus monachorum, moritur anno ætatis 75. præstantissimis discipulis post se relictis. Sozom. lib. 6. cap.29. & Marulus lib.4. cap.10. & lib.2. cap.12.

QVA OCCASIONE. V. G.

Persecutionis.

PAVLVS Thebeus primus eremita apud inferiorem Thebaida, cùm Decij & Valeriani persecutionem fugeret (metuẽs ne à sororio proderetur) sedecim annorum adolescens solus deserta petiit. Et inuenta in montis radicibus saxea spelunca, quam iuxta molliter fluẽs riuulus terram irrigabat, & effusis desuper ramorum umbraculis palma solis arcebat ardores, captus amœnitate loci, ubi latẽre cõcupierat, habitare cœpit. In tantum, ut cùm centum & tredecim uixisset annos, nusquam inde discesserit, hominem nunquam uiderit: præterquam die uitæ supremo Antonium lãm nonagenatium diuinitus monitum, à quo & humatus fuit. Palmæ primò fructibus nutritus est, deinde per annos 60. dimidiati panis fragmentum singulis diebus comedit, corruo ministrante. Neq; aliud quàm aquam bibit. Indumento de palmarum foliis contexto nuditatem operuit.

Imperatore Decio Christianos religionis gratiã diuexante, septem PVERI Ephesi ex iisdem patentibus nati, cùm palàm Christum profiterentur, timore persequutionis exanimati urbe secesserant, ac sese in speluncam proximi montis abdiderant. Cuius aditum industrij persequutores extrinsecus ita obsepserunt, ut euadẽdi etiam enixè molientibus facultatem eriperent. Pueri ut se clausos uallatosq; senserunt, in mœrorem conuersi, repentè somno acriore oppressi sunt, atque ita usque ad annum salutis 446. sopiti manserunt. Vide Tit. Fugere conuersationem.

ARSENIVS diaconus Romanæ ecclesiæ à Zonara dicitur, cuius disciplinæ Theodosius duos filios Impp. Honorium & Arcadium commisit, non ut Imperatores, sed ut uulgares, ut plagis etiam coercerentur. Aliquãdo cùm Arsenium stantem, filios sedentes Imperator uidisset, grauissimè eam rem tulit. Fortè plagas Arcadio Arsenius infixerat: Arcadius eùm occidere cogitabat, subornato percussore. Arsenius re cognita clàm in solitudinem Scethim confugit. Quem cùm illic solitatiam uitam sanctè profiteri Arcadius audiuisset, delicti ueniam petiit, & multos libros muneri misit. Vixit in ea eremo Arsenius, aliorum monachorum præceptor. Nicephorus lib.12. cap.23. Alij tamen senatorij ordinis sub Honorio fuisse aiunt, cumq; Deum rogasset qua potissimùm ratione saluari posset: responsum accepisse, uti consortia hominum, præcipuè secularium, declinaret. Factus uerò monachus, inter precãdum rursus uocem audiuit dicentis:

centis: Arseni, fuge, tace, quiesce. ut scilicet deuitaret fuga frequentiam, taciturnitate iactantiam, quiete fluxarum atque fragilium rerum sollicitudinem. Proinde secedens in partes Syriæ, eo loci qui Troen dicitur, sedit solitarius annos 40. Deinde in deserto uastiore ultra Babylonem, Memphin uersus, annos decem. Postea ad Canopum Alexãdriæ annos tres. Rursum in Troe annos duos. Sicq; peracto uitæ cursu nonagenarius terram reliquit, & ad Dominũ migrauit, bonis cœlestibus semper fruiturus. Marul. lib. 9. cap. 1. & Volat. lib. 13. cap 4. Anthrop.

Indignationis.

PAVVS Simplex, discipulus Antonij Magni illius, eremum ea occasione secutus est, quòd uxorem cum adultero deprehendisset. Ab Antonio institutus, deinde seorsum habitans, miraculis claruit, magistro non inferior. Sozomenus li. 1. c. 13. Marul. l. 4. scribit eum ad interrogationem, Esset ne Christus prior prophetis? per triennium nemini quicquã esse locutũ: offensum scilicet otiosa & insulsa quæstione.

Voti.

MICHAEL ex Polensi Venetorum urbe oriundus, homo idiota, monasticam uitam amplexurus, à Deo petiit, ut ferreus quo cinctus erat circulus rumperetur, ubi ad locũ suæ saluti congruum ueniret. Cuius uoti etiam compos factus est. Eo enim die, quo eremum petierat, inter preces lacrymasq; largas, statim circulus ferreus fractus est. Petrus Damianus in uita Dominici, ad Alexandrum.

Concionis.

ANTONIVS, Aegyptius eremita, parentibus defunctis, annum ipse agens circiter uicesimum, cum sorore admodum paruula orbus relictus est: ac primùm tum sororis, tum domus curam suscepit. Deinde cùm in ea ecclesia concionantem fortè audisset recitare dictum Euangelicum, Si uis perfectus esse, uade ac uende omnia tua quæ habes, ac da pauperibus, & ueni ac sequaris me: ad se dictum illud accommodauit, atq; quæ habuit hæreditate uendidit, sorori parua parte reseruata. Meminit eius Aug. l. 8. Cõfessionũ, ca. 12.

CVR. CAVSA

Pœnitentiæ.

Anno Anastasij 14. GENEBAVDVS uxore deserta cœlebs uiuebat. Factus episcopus, uxorem ad se uenientem, ut in pietate instituereturr, frequenter admisit. Tandem blandis colloquiis uictus, cum ea rem habet: quæ grauida ex eo facta, parit filium, quem Latronem appellat. Illa rursus ut antea ædes ipsius frequentante, concipit, & parit filiam, quã Vulpeculam nominat. Ad se igitur reuersus, multis lacrymis uocato Remigio totũ hoc negotiũ patefacit: & prope desperans, à Remigio consolationibus erigitur. Per septenniũ inclusus, uixit in angusta cellula, Remigio interim ipsius ecclesiam procurante. Septimo demùm anno apparet ei angelus Domini, & iubet ipsum egredi è cella. Respondet ille: Sibi non esse integrum ut exeat: apud Remigium enim claues seruari. Angelus uicissim: Vt cognoscas me à Deo ad te missum esse, ecce saluis signis omnibus ostium tibi patebit apertum, sicut & cœlum tibi apertum est. Genebaudus rursus ad angelum dicit, sese egredi nolle, nisi ipso Remigio ueniente, à quo inclusus esset. Itaque angelus Remigio hęc omnia commemorans efficit, ut Genebaudus ex illo carcere liberatus, in episcopatum restituatur. Hincmarus in Vita Remigij. Refert & Sigebertus hanc apparitionem.

SALOMON Vngarorum rex. Vide suprà, Reges eremitæ.

Castitatis seruandæ.

MALCHVS ex uico Maronia Antiochiæ propinquo oriundus, nuptias fugiens, in solitudinem Chalcidensium uenit, & cùm monachis uixit sub Valentiniano Imp. & Gratiano. Mortuo tandem patre, ad suos redire uolens, à Saracenis capitur, & pascendis ouibus præficitur. Cùm autem domino suo liberaliter seruiuisset, seruam Christianam matrimonio sibi iungere coactus, mortem sibi ipsi conscriuisset, nisi ab illa uoto communi castitatis suscepto seruatus fuisset. Postea subreptis duobus hircis eximiis, ex pellibus utres cõfecere, & fluuium tranauere. Insequente domino, in specũ leænæ confugere: quæ & Malchum cum serua seruauit, & dominum occidit. Inde ad monachos, à quibus abierat, reuersus, reliquum cum illis uitę spacium exegit, coniuge uirginibus sacris adscripta. D. Hieronymus in eius uita, ex ipsiusmet ore.

Seruitutis.

Vide suprà, Occasione Persecutionis.

PROFESSIO.

QVI. EREMITÆ, ANACHORETÆ.

Viri. Et ij uel

Iudæi.

HELIAS propheta, prope Iordanem, ad torrentem Cathit, solitarius uixit integro triennio, panem cum carne à coruis allatum comedens. 3. Regum 17.

HELISÆVS discipulus Heliæ exemplum imitatus, in monte Carmeli cum prophetis habitauit.

BANVS quidã in Iudæa solitarius uiuebat, sub Claudio principe, arborum ramis pro uestitu, fructibus pro alimento usus, crebrisq; nocte ac die lauacris frigidis ad arcendam libidinem sese immergens. Cuius contubernio per tres annos Iosephus ille, q Antiquitates Iudaicas scripsit, usus est.

Ab Occidente Iudeæ, litora ESSENI fugitant, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla femina, omni uenere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur, largè frequentãtibus, quos uita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum uitæ pœnitentia est. Plin. lib. 5. cap. 7.

Christiani.

Exempla pleraq; ex Historia Ecclesiastica seculari desumsimus.

IOANNES Baptista Christi præcursor, in eremo uixit, melle & locustis uescens, zona pellicea cinctus, ueste ex camelorum pilis contexta. Tandem ipso Tubarum festo uocationi suæ initium dedit, anno 15. Tiberij, in Berhabara trans Iordanem primùm (quo in loco olim Israelitæ duce Iosua Iordanem siccis pedibus transgressi erãt) mox etiam in Ennon iuxta Salim pœnitentiam annuncians, & Euangelij symbolo, sacrosancto scilicet baptismate, auditores regenerans. Chrysostomus monachorum omnium statuit principem Ioannem Baptistam, homilia prima in Euangelium Marci.

PAVLVS Thebæus. Vide suprà, Persecutionis occasione.

ANTONIVS Aegyptius, nobilibus ortus parentibus & Christianis, Scripturas memoriter tenebat. Literas nec scisse eũ, nec curasse, Sozomenus scribit, libro 1. capite 13. ac mentem bonam, ut literis antiquiorem, illis prætulisse. Ad philosophum quendam, mirantem quòd absq; libris esset, dixisse Socrates refert lib. 4. cap. 25. Liber meus, ô philosophe, natura est rerum conditarum, quæ mihi præsto est, quotiescũque sermones Dei legere uoluero.

Monasticam uitam primus in Aegypto sectari cœpit, nõ procul à uilla sua, omnibus uirtutibus clarissimus, celebris & medendi dono, & prophetiis. Sæpe eum de rebus magnis Constantinus consuluit: sæpe etiam ad componendas controuersias urbes petiit. Contra hæreticos Arianos & Meletianos acriter disputauit pro Athanasio. Cùm 35 annorum esset, eremum adiit, multas dæmonum insidias, insuper & uerbera passus. Sozomenus retulit lib. 6. cap. 5. quòd mulos in templo per uisionem conspexerit sacram mensam subuertere, cætera uerò quæ in templo essent fœdissimè commaculare ac disiicere. Ex qua paulo pòst futuram ecclesiæ uastationem per Arianos fratribus prædixit: quæ & biennio pòst atrox secuta est. In eremo cùm per annos latuisset uiginti, ad annum usque ętatis quinquagesimumquintum, in publicum tandem prodiit, ac familiaritatem cum monachis aliis coluit. Alexandriæ tempore persecutionis, quam ibi Maximinus exercuit, frequens fuit: ubi, qui ad supplicia & mortem ducerentur Christianis semper adfuit: adeò ut monachis omnibus ciuitate præfectus interdiceret. Post Petri martyrium in monasteriũ suum regressus est: sed ex quo paulo pòst in aliam eremum se contulit, ubi ad montẽ sublimẽ habitaculum suum constituit. Erat illi cibus panis solus, & sal, potus aqua: prandij tempus solis occasus, cùm tamẽ sæpiùs biduum aut dies plures ieiunus maneret. Vigilabat noctes integras, precationi uacans usq; ad lucẽ. Si somnum gustaret, dormiebat paululum inclinatus: cubabat autẽ humi, nec unctiones, nec balnea curans. Nudatum proprium corpus nunquam aspexit. Iniuria affectis, ut patronus fideliter adfuit, eiusq; rei gratia in urbes sæpe commeabat. Intercessit pro multis apud principes ac magistratus, omnibusq; officiosum se ac placidũ exhibuit. Similia de eo retulit in Hilarionis uita Hieronymus, & Ephrem in Sermone de Moderatione risus, ubi uestimentum eius interius fuisse refert cilicium, exterius uerò animalis pellem. Victum sibi quæsiuit labore manuum: mercędem uerò operis sui, panis precio excepto, egentibus largiebatur. Quiescere quando uolebat, iunco cõtexto incubuit. Hinc cùm iã 20 peregisset annos, ui eductus, & abbas ordinatus, obstructis monasterij foribus manere cœpit, ita ut mutasse latebrã uideretur, non deseruisse. Cùm aũt multi uariis morbis laborantes eò uentitarent, & sani reuerterentur, crescereteq; indies confluentiũ numerus, gloriam fugiens, procul in ulterius desertũ solus abiit, iam nonagenarius, & in loco ab angelo sibi mõstrato cõsedit. Paulum Thebæum tumulauit, sementem fecit, & olusculą coluit, fratrum labori parcens, ne sibi necessaria deferendo fatigarentur, triduii iter absentęs. Anno æ-

CV. euocari se à Deo sentiẽs, grauissima cõcione fratres hortatus est, ut à Meletianis schismaticis, & Arianis diligenter sibi cauerẽt; & à discipulis petiit, ut cadauer suũ sepelirẽt, nec in lectulis reseruarent, quod cũ funeribus martyrum & sanctorum Aegyptij facere consueuerant. Obiit anno Salutis trecẽtesimo sexagesimoprimo De eius habitaculo Hieronymus in Hilarionis abbatis uita sic scribit: Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit: quarum alias arenæ ebibũt, aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt. Super quem ex utraq; ripa palmæ innumerabiles multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. De Hilarione deinde loquens, cùm post obitum Antonij discipulos eius uisendi gratia adisset: Videres, inquit, senem huc atq; illuc cum discipulis beati Antonij Isaaco & Pelusiano discurrere. Hic, aiebant, psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat: has uites, hęc arbuscula ipse plantauit: illam areolam manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est: istum farculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit. Iacebat in strato eius Hilarion, & quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homò dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis uertice, quasi per cochleam ascendẽtibus, & arduo ualde, duæ eiusdem mensuræ cellulæ uisebantur, in quibus, uenientiũ frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, morabatur. Verùm hæ in uiuo excisæ saxo, ostia tantùm addita habebant.

HILARION in uico Thabatha, uicino Gazæ Palæstinorum, parentibus natus ethnicis, Alexandriæ studiis operã dans, Antonij fama excitus, cùm XV annorum esset, ad eremum est profectus. Vt autem eum uidit, repentè mutato habitu non antè discessit, quàm uitæ eius ordinem morumq; præstantiam edidicisset. Deinde frequentiam uentitantium nõ ferens, cùm quibusdam monachis ad patriã rediit: & postquam defunctis parentibus omnem hæreditatẽ partim fratribus, partim pauperibus distribuisset, solitudinem quæ in VII. milliario à Maionia Gazę emporio per litus euntibus in Aegyptum ad læuam flectitur, ingressus est, sacco tantũ membra coopertus, & pelliceum habẽs empeditem, quem beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumq; rusticum. Vasta & terribili eremo fruebatur: nunquam in eodem loco mansitans, ne latronum patẽret iniuriæ. A' XVI usq; ad XX suæ ætatis annum æstus & pluuias iunco & carice texto tugurriolo declinauit. A' XX usq; ad XXXI cellula usus dicitur, cuius latitudo pedum quatuor erat, altitudo quinque, longitudo paululo protensior quàm eius corpusculũ patiebatur, ut sicut Hieronymus ait, sepulcrũ potius quàm domum crederes. Miraculis plurimis claruit: quorum aliquot Sozomenus lib. 5. cap. 10. & 15. plura uerò in eius uita Hieronymus retulit: ut dono medicandi, sanandi à dæmonibus obsessos, auertendi imminentia pericula & calamitates, & prophetæ. Vigesimoprimo anno usq; ad XXVII tribus annis dimidium lentis sentarium madefactũ aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum cum sale & aqua. Porrò à XXVII usque ad XXX, herbis agrestibus, & uirgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A trigesimo autẽ primo usq; XXXV, sex uncias panis hordeacei, & coctum modicè olus, absq; oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligine oculos suos & totum corpus impeugine & punicea quadam scabiedine contrahi, ad superiorem uictum adiecit oleum: & usq; ad LXIII. uitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorũ, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cùm se uideret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à LXIIII. anno usq; ad XXC pane abstinuit, incredibili feruore mentis, eo tempore, quo cæteri solent remissius uiuere. Fiebant autẽ ei de farina & comminuto olere sorbitiuuculæ, cibo & potu uix quinq; uncias appendentibus. Sicq; complens ordinem uitæ, nunquã ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in grauissima ualetudine soluit ieiunũ. A precando & psallendo si quando uacaret, aut humum fodiebat, aut fiscellas exiunco contexebat, quòd audiebat, exercitia hæc & disciplinã esse Aegyptiorum. Lectus ei ad mortẽ usq; nuda fuit terra, & stratum interdum iunceum. Illusiones diaboli multiplices frequenter expertus est, maximè orans & ieiunans: ut nudas mulieres, instructam mensam dapibus, gladiatorum spectacula, aliasq; eius generis prestigias, corporis etiam pulsationem. Tandem ad Paphum Cypri, in secretiore loco obiit octogenarius. Reliquias inde clàm in Palæstinam transportauit Hesychius discipulus. Sozomenus, & Hieronym.

IVLIANVS Saba circa Edessam Syriæ sub Constantio uixit, miraculis clarus, expellẽdo dęmones, & sola oratione morbos curando. Iuliano apostata Ecclesiam Dei persequente, orationi intentus, paulo pòst consedit: & causam rogatus, aprum Dei uineam uastantem pœnas dedisse cõdignas respondit. Euentus ostendit, ea hora interfectum fuisse Iulianum apostatam Imp. Orthodoxis contra Arianos maximè fauit. Theodoretus lib. 3. cap. 24. Sozomenus lib. 3. cap. 14. cum ieiunio ita maceratum scribit, ut ossa pelle obducta tantùm uiderentur.

ANVB sub Decio confessor, precando adeò potens, ut quicquid à Deo peteret, consequeretur. Sozomenus lib. 3. c. 14.

MACEDONIVS in montib. Antiochiæ uicinis eremita fuit literarum penitus ignarus. Cùm autem Theodosius Imp. tributum extraordinarium Antiochenis imperasset, illi iraconciti, statuam æream Placillæ reginæ demoliti fuerant. Itaque Theodosius & libertatem ciuitati eripuit, & cædes magnas cogitabat, missis eò qui id exequerentur prefectis. Macedonius fama rei excitus, in media urbe præfectos ab equis descendere iussit, & Imp. suo nunciare, Meminisset se hominem esse, & à Dei opt. max. mutu pendere, eius benignitatem imitaretur: neq; propter æream statuã, Dei imaginem hominem crudelissimè interfici curaret: maximè cũ statuæ multæ pro una reponi possent, at ne pilum quidem Imp. interfecto homine restituere posset. Præfecti Theodosio rem indicant. Ille Macedonio paruit, & Antiochenis pepercit. Theodoretus lib. 5. c. 20.

HELIAS in Apeliote, in finib. ciuitatis Athineos (quæ quondam Thebaidis metropolis fuit) annos LXX in uastissima solitudine perduraiit. Erat desertum horroris plenũ, semita quæ ad ipsum ducebat, angusta scrupeaq;, & inuentu etiam difficilis. Antrum quoq; quod inhabitabat, tertũ atq; horrens, ac statim propius accedentib. nescio quid terroris incutiens. Hunc se ibi uidisse D. Hieronymus testatur, iam C & X annorum senem. Ferebatur autem interdum etiã futura prædicere, euentu haud incerto, ut super eo quoq; Heliæ prophetæ spiritum requieuisse dicerent: cuius & nomẽ sortitus fuerat, & secutus propositũ, Deo in solitudine seruiendo. Marul. lib. j. c. 9. Ruffinus lib. 2. c. 8.

MACARIVS Aegyptius monachus sub Constantio & Valente, à Lucio episcopo Alexãdrino Ariano nequissimo in exilium pulsus, tantæ grauitatis, ut etiamnũ puer à monachis παιδαγωγέων diceretur. Vixit annis XC, in solitudine LX. exegit. Exercitia multa asperiora sustinuit, de quib. ad Euagrium discipulum suũ, cùm ad eum is in æstu feruẽti uenisset, & aquæ hausũ ad sitim sedandã petiisset, ipse uerò sufficere sibi umbram responderet, dixit, se annis totis XX nec pane, nec aqua, nec somno ad satietatẽ usq; usum esse. Nã panẽ, inquit, meũ comedi in pondere, & aquã bibi in mensura: & corpus meũ parietib applicando, somni nonnunq; quàm minimũ mihi surripui. Socrates lib. 4. c. 23. Alter MACARIVS Alexandrinus fuit, eiusdẽ professionis, claritatis & fortunæ, dissimilis morũ suauitate. Secuti sunt illos clarissimi monachi, ISIDORVS, HERACLIDES, PAMBVS: relegati primùm in insulam intra paludes Nili sitam, ex qua dæmonas oẽs & idola miraculis suis expulerunt. Id ægrè ferens Lucius episcopus, & gloriæ illorum inuidens, in eremum ex insula eos reuocauit. In precando posterior iste Macarius adeò fuit assiduus, ut pilos genubus innasci prohibuerit, reliquo corpore pilosò existente. Sozomenus lib. 3. cap. 14. Ruffinus lib. 2. c. 4. Socrates lib. 4. c. 23. Est & tertius Macarius, qui cùm puer oues pasceret iuxta lacum Maria, ioco interfecit unum ex sodalibus, & metu pœnæ in solitudinem profugit, & in ea mansit per XXIIX. annos, beatã eam calamitatem uocans, quæ ad hanc uitam sese compulisset. Sozomenus lib. 6. c. 29.

IOANNES celeberrimus inter Aegypti monachos, à iuuentute in solitudinibus uersatus, literarum rudis, sed memoria tenacissima præditus, cui uictus herbę ac radices, potus aqua quocunq; in loco inuenta esset. Excelluit duobus potissimum maximis donis, medendi nimirum morbis incurabilibus, & prædicendi futura. Quam de eo famam audiens Theodosius Imp. ad repressionem Eugenij tyranni profecturus, de belli euentu quæri ex eo curauit: anno Domini CCCXCVI, iuxta Prosperum. Qui & victoriam certam de Eugenio, & mortem eius in Italia paulo pòst, prædixit. Sozomenus lib. 6. cap. 28. Theodoretus lib. 5. cap. 24. Habitauit in ea Thebaidis eremo, quæ adiacet oppido Lyco. Spelunca eius in prærupti montis uertice, ascensu difficili, adituq; obstructo erat, ita ut nemo ad eum ingressus sit à XL usq; ad XC ætatis suæ annũ. Per fenestrã aduenientib. præcepta salutis dabat, eisq; extrinsecus, ubi commodè requiescerent, hospitiolũ fecerat. Ipse intus, solus morabatur, finẽ expectãs uitæ, ut uitã, quæ finẽ non habet, incoaret. Cũ primùm ad eremũ secessisset, tribus continuis annis sub cuiusdam saxi rupe stans semper orauit, nunquã resedit: tantum somni cœpit, quantũ rectus capere potuit: cibũ quoq; non aliũ gustauit, q̃ Dominicis duntaxat diebus eucharistiæ sacramentũ à sacerdote delatũ. De pedib. q̃ tamdiu immobilibus, fluxisse saniem aiunt: angelũ autem Domini ulcera

eius tactu curasse, labia sapientiæ spiritalis fonte perfudisse: & ut deinceps cæteros fratres per cremum uisitando instituere ac docere pergeret, simul iussisse. Marulus.

EVAGRIVS presbyter, qui sacras literas à Gregorio Nazianzeno didicit, eiusq; Constantinopoli diaconus fuit, annis XIV. mansit in solitudine, contentus pane & oleo. Si quando uenereis titillaretur aculeis, demergebat se in puteum, ut aquæ frigiditas libidinis feruorem cõpesceret. Macariis fuit familiaris. Multa scripsit, quæ hæretica esse Hieronymus ait. Cùm ad episcopatum obeundũ aliquando eum Theophilus Alexandrinus impelleret, per fugam elapsus est: quod & ante eum Ammonius fecerat. Cui cùm Euagrius obiecisset, reum scilicet esse corã Deo, quòd ut ne episcopus crearetur aurem sibi amputasset, respondisse ei Ammonius fertur: An non putas pœnas te daturum Euagri, quòd linguã tu tibi propter philautiam, collato tibi à Deo docendi dono non utens, abscideris? Socrates lib. 4. cap. 23. Sozomenus lib. 6. cap. 30.

Ipse aliquando uastæ solitudinis, nunc paradisi incola HIERONYMVS, dum Heliodorum inuitat, sic illam laudibus effert dicens: O desertũ Christi uernans. O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis construitur. O eremus, familiarius Deo gaudens. Quid agis frater in sæculo, qui maior es mundo? quàm diu te tectorum umbræ premunt? quàm diu fumosarum urbiũ carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet sarçina corporis abiecta ad purum ætheris uolare fulgorem. Paupertatem times? sed beatos pauperes Christus appellat. Labore terreris? nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Supra nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squallida capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi uastitas terret? sed tu paradisum mente obambula. Quotiescunq; illuc mente conscenderis, toties in eremo nõ eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non habet necesse iterum lauare. Et breuiter, ad cuncta audias Apostolum respondentem: Non sunt condignæ passiones huius seculi ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es, frater, si & hic uis gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Beatus feruus, quẽ Dominus inuenerit uigilantem. Ipse itaq; Hieronymus in illa, in qua hæc scripsit, eremo, in illa inquam (ut ipse ait) uasta solitudine, quæ solis exusta ardoribus horridum monachis præstabat habitaculum, annos quatuor moratus est, scorpionum tantùm & ferarum socius, sacco uestitus, humi cubans, aquam frigidam bibens, & cibis crudis utens, coctumq; comedere luxuriæ deputans, carnis lasciuientis pugnas hebdomadarum interdum inedia uincens. Et tamen inter has tantas corporis fatigationes, adeò spiritu exultabat, ut diceret: Oppidum mihi carcer, solitudo paradisus est. Post hæc cùm ad Bethleemam accessisset, & constructo monasterio cum fratribus habitaret, flens fateri solebat, se iam non esse eum qui fuerat: adeò in solitudine sibi meliùs fuisse existimauit. Post labores, inquit, & lacrymas, & cœlo inhærentes oculos, nonnunquam mihi uidebar agminibus interesse angelorum: & lætus gaudens q; cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Marulus lib. j. cap. 10. & Sabel. lib. 21. cap. 2. Sed præstat ipsummet audire ex epistola ad Eustochium de Custod. uirg. O quoties ego ipse in eremo cõstitutus, & in illa uasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis? Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebãt sacco membra deformia, & squalida cutis situ Aethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymę, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo uix ossa hærentia allidebam. De cibis uerò & potu taceo, cùm etiam languentes aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bullicbant. Itaq; omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non depudesco infidelitatis meæ, quin potius plango me non esse quod fuerim. Memini me clamantẽ, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse uerberibus, quàm rediret domino increpante tranquillitas. Ipsam quoq; cellulam meam, quasi cogitationũ meatũ conscium, pertimescebam: & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concauæ uallium, asperæ montium, rupium præruptæ cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, ut ipse mihi testis est dominus, post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam uidebar mihi interesse agminibus angelorum, & lætus gaudens q; cantabam: Post te in odore unguentorum tuorum curremus.

MOSES Saracenus, sub Valentis imperio, in finibus Palæstinæ & Alexandriæ oberrabat. Eo tempore Mauuia regina Saracenorum post mariti mortem rupto cum Romanis fœdere, plurima damna illis intulit: nec priùs pacem se admissuram minata est, nisi Moses monachus gentis suæ Episcopus daretur. Quæsitus ergo Moses, & Alexandriam deductus, à Lucio episcopo Ariano nequissimo manus sibi imponi noluit, sed ab episcòpis orthodoxis exulibus qui in montana confugerant. Ab iis ergo episcopus factus, Christi fidem apud Saracenos felicissimè propagauit. Theodoretus lib. 4. c. 23. Sozomenus lib. 6. c. 38.

PIOR monachus in eremo Scethica Aegypti, adolescens paternas ædes ad monastices professionem egressus, uouit se ad suos nunquam rediturum. Post annos L. à sorore sua uidendi eius cupida solicitatus, iussus etiam à monachorum præsidibus, ad eam uenit quidem, sed astans ad fores, cùm se paululum spectandum sorori exhibuisset, & oratiunculã recitasset, in solitudinem rediit. Sozomenus lib. 6. c. 29. De hoc Socrates lib. 4. cap. 23. Pior, inquit, in eremo Scethica XXX annis solitariam egit uitam, sub Hilarione. Comedẽs deambulabat, ne quam in cibo uoluptatem persentiseret. Sororem morbo laborantem clausis adiit oculis.

PAVLVM Aegyptium monachum in Pherma Scethidis monte habitasse, Sozomenus tradidit: præfectum contubernio quingentorum fratrum: nihil operis præter preces facientem, neq; quicquam ab aliquo, nisi quantum in uictũ diurnum suppeteret accipientem. Sustinuisse autem quasi pro dimenso suo exercitium, per dies singulos CCC precationes: quarum ut numerum obseruaret, in ore uoluerit totidem lapillos, quorum singulos ad precationes singulas deposuerit. Sozomenus lib. 6. c. 29.

Monasticen professus est STEPHANVS religiosissimè circa Mareoten, non procul à Marmarica, per annos LX. Fuit familiaris Antonio magno: placido in colloquiis, & prudẽs, qui ægritudines quascunq; animorũ oratione leuare posset. Incurabili laborans morbo, dum corrupta membra medicis secanda præbet, palmarum folia manibus cõtexebat: admonens obiter astates, ne dolorem aliquem ex suis cruciatibus perciperent, sed cogitarent, omnia quę Dei uoluntate gererentur, bonum aliquando exitum habitura. Nam & hoc sibi constare, profuturam sibi eiusmodi dolorum experientiam: ac satius esse in hac, quàm futura uita, peccatorum admissorum pœnas luere. Idem.

SIMEON Susotionis F. ex uico Sisan otiundus, annum tantùm cum fratribus in monasterio Antiochiæ conuersatus, in desertum abiit, annos tres in spelunca clausus permansit. Sed hoc ei commune cum multis: illud autem propriũ & peculiare, quòd deinde super columnis dicitur habitasse: quarum altissimam cubitorum XXX fuisse ferunt. In una eũ perstitisse annos IV, in alia XII, in alia rursum XII, in alia iterum IV, & in illa postremò quæ procerissima erat, usq; ad obitum uitæ XVI. Eas pro pulpitis habuisse, satis probabiliter uideri potest: quando quidem multi ex gentibus rei nouitate exciti ad uidendum illum confluebant, & ab idolis ad Christum prædicationibus ipsius conuertebantur. Instituum illud cùm esset non tantũ insolens, sed & sine reliquorum consilio aut approbatione susceptum, miserũt monachi communi consensu quosdam, qui ipsius consilium exquirerent, mandarentq; ipsorum uerbis ut descenderet, hac addita exploratione: Quòd si ad obsequendum ipsorum monitis futurus esset promptus & facilis, relinquerent ipsum suo sibi arbitrio: hauddubiè enim ipsius consilium esse ex Deo. Sin uerò difficilem & pertinacem se esset exhibiturus, detrurbarent illum ui & uiolentia: Legati ergo cùm ad ipsum uenissent, & uix suorum mandata exposuissent, iam sublato altero pede ad descendendum erãt paratissimus. Quod illi ubi senserũt, arbitrati sunt eius obediendi promtissimum animũ satis posse esse indicio, à Deo esse ipsius inuentum. Quare ipsi gratulati, & bene precati, cursum quẽ cœperat feliciter ut persequeret hortati sunt. Vixit in columnis minoribus annos VII. Deinde uerò in columna XL cubitorũ XXX annos uitam egit, & hinc Stelites dictus est. Cùm Imp. Theodosius posterior aliquando imperasset Antiochenis, ut synagogas ademtas Iudæis restituerent: ille missis ad Imperatorem literis, acriter ipsum obiurgauit, ut sua mandata non retractaret solùm, & Christianis Antiochiæ quæ ipsis uiderentur hac in re permitteret: sed etiam ipsum præfectum, cuius impulsu ea res instituta fuerat, dignitate priuaret. Post mortem corpus perlatum est Antiochiam sub Leone Imp. magna pompa: exercituum quoq; duce cum parte copiarum eam deductionem prosequente, ne qui ex uicinis urbibus cadauer ipsum, quod certatim

certatim cupiebant, auferrent. Euagrius lib. 5. cap. 13. & Nicephorus lib. 14. cap. 51. & Theodorus Lector lib. 1. Collectanorum. Marulus lib. 1. cap. 9. Habuit discipulum DANIELEM, qui ex ipsius schola egressus, magistrumq; imitatus, ipse quoque hoc nouum monastices institutum coluit. Nicephorus lib. 15. cap. 22.

ALYPIVS Cionita miraculosam uitam in columna egit per annos septuaginta: habuitq; sibi adiunctas tres classes canentium, duas monachorum, & unam mulierum, quæ perpetuos hymnos ad cœlum miserunt. Proposuit idem suis monialibus hanc legem, ut nunquam oculis masculorum aspicerentur. Eam illæ adeò sanctè obseruarunt, ut etiam in mortis periculo constitutæ, noluerint à parentibus uisitari. Metaphrastes in uita Alypij.

SABAS octauo ætatis anno monasteriũ ingressus est in Cappadocia. Inde anno 18. Hierosolymam peregrinatus, cũ Euthymio celebri monacho Palæstino se coniunxit. Post eius obitum solitudinem Palæstinæ petiit, sanationum & miraculorum donis clarus. Anno ætatis 70. reconciliauit Imp. Anastasium Eliæ episcopo Hierosolymitano. Synodũ Chalcedonensem contra Imp. Anastasium acriter defendit. Obiit anno ætatis 94. Iustiniani Imp. 4. Simeon Metaphrastes. Annum agens nonagesimum, ab Aeliensi episcopo legatus Constantinopolim ad Iustinianum missus est, ut Iudęorum immanem crudelitatem, Iuliano duce horribiliter in miseros Christianos grassantium, auerteret & reprimeret. Sylua num sectatorem Iuliani, igni concremandum prænunciauit. Arsenio calumniis suis & conflictis mẽdaciis plurimùm Palæstinis apud Iustinianum incommodante, rursus deprecator & orator ad eum missus est. Celeberrima & splendidissima pompa, urbi Constantinopolitanæ appropinquãs, ab Imperator est exceptus. Addit Nicephorus lib. 17. cap. 24. Iustinianum, ubi procul adiuenientem agnouerit, pulcerrimam coronam capiti eius imminentem conspexisse: quod ipsum & Anastasius olim, cùm ad ipsum ueniret, uiderit.

CHÆREMON, NESTEROS, IOSEPHVS, tres anachoretæ fuerunt solitudinis Aegypti ad mare, homines eruditi: ueluti doctissimę ipsorum de rebus grauibus in pietatis doctrina disputationes ostendunt, quas sub ipsorum nominibus recitat Cassianus in Collationibus.

MARCVM, quem Eremitam pleriq; dicunt, Nicephorus lib. 14. cap. 53 inter illos numerat, qui Theodosij Imper. temporibus præclari in ascetica extitère, & quorum doctrina factis quoq; consona fuit, quidq; in utraq; philosophia usi fuerũt præceptore Chrysostomo: quorum etiam in poesi nõ parua fuerit gloria. Capite sequenti, in monastica eum prius uersatũ ait: quo indicare uelle uidetur, relicto statu monastico recessus eremi ingressum: quod eo tempore fuit usitatum ualde. Videtur tamen circa Constantinopolim alicubi etiam ipse egisse, ut & Nilus eius condiscipulus. Multa post se eum reliquisse scripta, idem meminit.

PAPHNVTIVS, Scythiotici deserti pater, & reliquorum eremitarum pastor, primùm in schola cœnobij ab adolescentia institutus, relicto isto uitæ genere, in solitudinem secessit, in qua ad extremam usq; ætatem perduraui: atq; hinc inditum cognomen Bubali, propterea quòd perraro cæteris in solitudine fratribus sui uidendi copiam fecerit, præter quàm cùm pro more ad res diuinas congredi fuit necesse. Ex quo tamen congressu nunquam tantum sibi temperauit, etiam nonagenarius, ut uacuus ad cellam suam reuerteretur, quin urnulam aquæ, cuius per totam hebdomadã usum haberet, suis humeris secum portaret. Cassianus Collationis 3. cap. 1.

SERAPION unus ex antiquissimis deserti Scythiæ eremitis, errore Anthropomorphitarum ita desipiebat quadam non malitia, sed simplicitate, ut neq; à Paphnutio illo suo pastore in rectam uiam reduci posset: & quia antiquitate professionis istius solitariæ cæteros anteibat, & præterea etiam pietate præstabat, multis eius obfuit auctoritas, ut eundem errorem etiam ipsi pertinacius retinerent. Cùm autem aliquando quendam Photinum diaconum ex Cappadociæ partibus illò inuisendi istius loci eremitas studio profectũ, disputantem audiuisset, ualde grauiter & doctè ex sacris Scripturis & totius Orientalis ecclesiæ consensu, de imagine illa Dei & similitudine, ad quam Geneseos 1. homo conditus scribitur: motus eius assertionibus, reliquit suam de corporali Dei forma opinionem phantasticam, & acquieuit in sententia Photini, qua ille docebat incomprehensibilem diuinæ maiestatis & immensam sublimitatem, nulla humanæ formæ atq; corporeæ compositione & similitudine circumscribi posse, ut quæ sit natura incorporea, incomposita & simplex. Verùm cùm paulo pòst in gratiarum actionem exurrexisset, sensit inter precandum ex corde suo elabi atq; euanescere eam quam oraturus Anthropomorphi imaginem sibi proponere consueuerat. Consternatus igitur mente, prorupit in amarissimos fletus: insuper & humi procidens, hanc maximo eiulatu lamentabilem edidit uocem: Heu me miserum, tulerũt à me Deum meum, & quẽ nunc tenеam non habeo, uel quem adorem aut interpellẽ iam nescio. Cassianus cap. 3. Collationis 10. De hoc ipso Serapione narrat etiam Isaac, & ipse unus ex ista eremitarum congregatione, quòd fuerit uir simplicissimus, qui de substantia & natura diuinitatis nunquam penitus fuerit eruditus, sed & rusticitatis uitio & antiqui erroris consuetudine deceptus sit.

HOR abbas, cùm solitudines incoleret, herbis, radicibus & aqua contentus, multos uixit annos. Tria præstitit admiratione digna: nunquàm mentitus est, nunquàm citra necessitatẽ locutus, nemini unquam maledixit. Niceph. lib. 11. c. 34.

THEONEM intra suam cellulam clausum habitasse apud Thebaida, non procul ab urbe, atq; etiam porrectæ dexterstra manus tactu infirmos curasse: sed tamen noctibus ad eremum progredi solitum, tradunt. Marul. lib. 1. cap. 9.

ELPIDIVS Cappadox interrogatus à Ioanne anachoreta, quid tota uita egisset memorabile? Annis quadraginta, inquit, nunquam sol uidit me comedentem. Tum Ioannes: Nec me, ait, irascentem. Volat. lib. 21.

SISINNIVS monachus, discipulus Elpidij, sepulcro se inclusit, in quo pane & aqua uixit contentus, ad mortem usque.

ZOSIMAS Sindenus Phœnix in regione Palæstinæ LIII. annos absoluit in eremo, contentus cibo tenuissimo. Mariam Aegyptiacam, quæ iam 40 annis in deserto uixerat, orantem à solo subleuari uidit, & flumina siccis transire pedibus, eamq; mortuam tumulauit. Arcesilao uito nobili familiaris, oculum uxoris eius excussum curauit oratione. Leonem, qui ei asinum interfecerat, coegit onus Cęsaream portare. Futurorum quinetiam prouidus, pręsentiũ gnarus, quamuis procul abesset Antiochia, tamen terræmotũ Antiochiæ, qui septimo anno Iustini senioris accidit, sciuit, ac in ipso momento sensit. Subitò enim consternatus, gemebundus, tantumq; lacrymarum fundens, ut ipsam terram rigaret, arculam thuris poposcit: ac toto illo tempore, quo Antiochia terræmotibus concutiebatur, sacrificans in terram sese proiecit, precibusq; Deum placauit. Euagr. li. 4. c. 7.

EVVHYMIVM Niceph. lib. 16. cap. 33. eremi habitatorẽ fuisse affirmat, uirum præclarũ & excellentem, dignum cuius certamina & labores peculiari libro decantentur: sociũ Theoctisti, Theodosij & Sabbę, cum quib. contra calũniatores & obtrectatores Chalcedonensis concilij, Xenæam uidelicet & similes, utilem Ecclesiæ & strenuam nauauerit operam.

SIMEONES in Emesa monachus, summus mundi contemtor, uirtutibus excellentissimus, uaticinio clarissimus, Mauricio imperium prædixit. Cùm terræmotus, qui Phœnicem maritimam concussit, instaret, plures columnas in foro flagellans, inquiebat: State, saltandum uobis est. Quæ flagellatæ non erant, paulo pòst terræmotu corruerunt, reliquis saluis. Dæmones fugauit, omnem morbum curauit. Nemini, quo modo Deum coleret, indicabat. Accusatus de stupro ancillæ sui familiaris, suspicionem auxit ancillæ confessio, eiusq; uox, quòd se hominẽ esse & carnis flammas sentire fateretur. Abiit postea in desertum, & cùm tempus pariendi instaret, parere illa non potuit. Cùm autem Simeon, qui dedita opera redierat, pro ea orare iuberetur: dixit eã non pariturum, nisi priùs uerum patrem ostendisset. Quod cùm illa fecisset, mox peperit, & Simeones suspicione liberatus est. Euagrius lib. 6. c. 24. Puerperæ cibum & potum ieiunanti attulit. Rami ex arboribus, quæ in eo monte nascebantur, suppeditabant ei cibum & potum. Interdum tamen in tabernis, quolibet genere cibi, iuxta doctrinam Pauli, sine discrimine uescebatur.

THOMAS in Cœlesyria simile uitæ genus cum Simeone exercuit, & Antiochiam uenit, ut annuum subsidium monasterio suo acciperet: ex ea enim ecclesia ordinatus fuerat. Anastasio episcopo Antiocheno sæpe molestus fuit: à quo cùm alapam accepisset, prædixit illi & sibi mortem: quã etiã in suburbio Daphne paulo pòst obiit. Euagrius li. 4. c. 35.

MARINVS, uel Martinus (quem Gregorius in Massico Campaniæ monte uitam duxisse tradit) tanti solitudinem fecit, ut ne quando ulla uel rerum difficultate, uel dæmonũ molestia superatus inde recederet, ad ferream catenam, quam saxo affixerat, uix solubili compede ipse se alligauerit. Attamen beatus Benedictus abbas ubi id resciuit, uolens, ut iugis in deserto cõmoratio constantiæ potius uiri quàm ferreis nexibus adscribi posset, protinus nuncium ad eum misit, inquiens: Si seruus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. Quamobrem ille uincula quidem deposuit: sed tamen speluncam ingressus, aditu obstruso habita re cœpit. Deinde etiam discipulos aliquot secum coniunxit: multisq; præterea miraculis nobilitatus est, atq; inter sanctos habitus. Matul. lib. j. c. 9. ex Mariano Scoto.

MENÆ Samnitum prouinciæ solitario paucula apum aluearia uictum frugalem suppeditabant. Eò accedens quidam Longo-

Longobardus latro, frustraq; ne aliena raperet monitus, sacrilegas apibus intulit manus. Continuò autem raptor à sathana uexari cepit. Indoluit Mennas inimici casum, ita ut in posterum neq; apes habere uellet. Proximi uici beneficio sustentatus est, in diem panem afferentibus, quos ille præceptis imbuebat salutis. Sæpè sylueſtres urſos ferula, qua gradus ambulãdo firmabat, à suis alueariis dicitur abegisse. Obsessos à dæmone liberauit, & omnia secreta nouit, tempore Iustini iunioris. Gregorius lib.3. Dialog. ca.26.

Iustiniani tempore fuerunt multi uiri miraculis insignes. Inter hos BARSANVPHIVS, Aegyptius, prope oppidũ Gazam, in phrontisterio quodam uixit uitam durissimam. Existimabatur autem se continere in domuncula, licèt spacio quinquaginta annorum aut ultrà nec uisus, nec rebus terrenis usus sit. Cui opinioni cùm Eusto chius episcopus Hierosolymitanus fidem non haberet, sed habitationem perfoderet, ut ubi se contineret uideret, ignis prosiliens omnes ferè absumsit. Euagrius lib.4. cap.33.

In finibus Biturigum EVSICHIVS eremita, Childeberto rege 50. aureos offerente respondit: Dato eos pauperibus, ego illis non indigeo. Turonensis cap.82.

LEONARDVS eremita uixit in pago Cenomanensi: & præter alia miracula quæ fecit, duobus cæcis uisum restituit. Construxit ibidem monasterium. Lotharius rex, apud quẽ falsò delatus fuerat, eum eiicere constituerat: sed regis famuli Leonardi oratione territi, re infecta abierunt. Vincentius libro 21. cap.82.

HOSPITIVS apud Niceam Galliæ turri inclusus, ac ferreis cathenis uinctus, miraculis & prophetiis clarus, Longobardorum irruptionem in Gallias prædixit. Longobardi cùm Niceam quoque uenissent, & ascensa turre eum uinctum offendissent, causam quærentes: cùm ille se propter homicidium captum assereret, unus stricto gladio eum decollare uolebat. Manus obriguit. Territus ille miraculo, crucisq; signo sanatus ab Hospitio, Christianus factus est. Infirmum curauit in nomine Iesu Christi redemtoris, cæco uisum restituit, dæmonia tria ex muliere eiecit, puellam obsessam à diabolo liberauit, sibiipsi tempus mortis prædixit. Turonensis lib.6. cap.6. & 7. & 97. quædam miracula ab eius reliquiis facta commemorat.

FIACRIVS Eugenij IV. Scotorum regis F. Ferquhardi successoris frater, humili assumta ueste, quò minus cognosceretur, è patria clam profectus, in Gallia solitarium quærẽs locum, à sancto Pharaone Meldensium episcopo, agello, in quo nunc religiosè colitur, est donatus. Constans ea in regione est fama, nefas esse feminam sanctissimi uiri sacellum ingredi: & quæ id aliquando attentauerint, aut oculis priuatas, aut actas in amentiam. Vna aliquando ex temeritate ingressa sacellum eius, statim de mentis sanitate est deturbata. Vnde tale distichon compositum fuit,

Femina quæ læsit blasphemo murmure sanctum,
Fecit quòd sancti non intret femina templum.

Is cùm à proceribus ad regnum Scotiæ (in custodiam conjecto Ferquhardo rege ob tyrannidem) posceretur: de legatorum aduentu certior factus diuinitus, à Deo petiit, ne sibi solitariæ uitæ fructus eriperetur. Exaudiuit omnipotens deprecantem, effecitque ut aduentantibus legatis, lepra infectus appareret. Nuncij itaquè ad Fiacrium uenientes, conspectum uirum fœdissimo morbi genere, ut apparebat, laborantem, frigidè rogarunt, cuperetne redire in patriam: se à Scotorum primoribus ad hoc missos, ut ipsi obtemperantes in iis quæ cuperet ad omnia affluenter ministrarent impensas. Ad ea Fiacrius, magistratum omnem non aliter quàm tetram pestem auersatus, Cernitis (inquit) opinor ut ultrò in priuatam abiens uitam, solitarius agere potius quàm in hominũ frequentia delegerim: tametsi plaga quam in me cernitis, uitæ potiùs emendatio atq; ad humilitatem incitamentum uidetur æstimanda, quàm aliquis naturæ error. Satis mihi esse cognoscite, cellam, uestem, olera, his manibus præparata. His enim contentus, nihil est humani fastigij, utut res meæ sese habent, quod præ illis cõcupiscam. Ite ergo, & germanis nostræque gentis maioribus renunciate, ut Deum inprimis reuerentes, religionis obseruationi incumbant: rectumq; colentes, uirtute se muniant & pietate: quas nulla hostium uis unquam expugnabit. Me impensis, uti cernitis, non indigere: eoque Dei benignitate deuenisse, ut meo niuendi generi priuata uita magis quàm publica deinceps contineat. H. Boethius libro 9. & Guagninus lib.9. hist. Francorum.

BASOLVS Lemouix, diuini uerbi studio, patriam deserens comite angelo, ad Remensem ciuitatem peruenit, & ab Egidio episcopo honorificè exceptus est. Huius fauore aliquandiu in cœnobio ad radices montis Remorum sito uitam egit. Et deinde in excelso nemorosi montis uertice cellam & oratorium ædificauit, in qua quadraginta annos se continuit. Cùm aquæ penuria laboraret, preces ad Deum fudit, quibus impetrauit fontis scaturiginem, qui copiosam aquam postea ei suppeditauit. Vincentius lib.21. cap. 116 & Sigebertus, anno Christi 567.

EPARCHIVS patriã Petragoricensis, Encolesmæ sibi cellulam extruxit. Furem suspensum de patibulo liberauit. Si pecunia ei dabatur, eam pauperibus distribuebat, aut captiuos redimebat. Pro captiuis apud magistratum intercedebat. Quadragesimo quarto anno suæ inclusionis febre correptus, obiit. Turonensis lib.6. cap.8.

IOANNES eremita in Sicilia, animam Dagoberti regis uidit à dæmonibus deportari, & à Dionysio, Mauricio & Martino liberatam in cœlum ferri. Sigebertus in Chronico, anno 645. Aimoinus lib.4. cap.34.

BAVDOLINVS iuxta Tanarum fl. Italiæ in loco cui Forum nomen est, eremita, miraculis & sanctitate clarus, futura sæpe prædixit, & absentia tanquam præsentia nũciauit. Cùm Luitprandus rex Longobardorũ pro filio suo in uenatione uulnerato apud eum intercederet: respondit, mortuum esse filium, neque se pro eo orare posse. Diaconus libro 6. cap.18. de Longobardis.

BVRCARDVS Anglus, patria Dorcestrius, ordine clericus, pertæsus hominum, in eremum abiit. Nactus est instituti socium Fremundum, Algari Occidentalium Anglorum ducis filium: qui neglecto regno, cum ipso in eremum abiit: cuius uitam Burcardus latinè conscripsit libro 1. Claruit senex anno Domini 870. sub Ethelredo Anglorum rege, Danis Britanniam uastantibus.

Narrat Petrus Damianus capite secundo de quodam EREMITA montis Thabor, qui cùm stimulos libidinis persentisceret, irritatus à quadam formosa iuuencula Saracenica, quæ latibula quæritans, ad eius speluncam uenerat, ingressus est uastum nemus, ut labore, fame atque siti æstum libidinosum restingueret. Ibi quendam canicie grauem apparuisse illi, atque ceruicem eius tam fortiter percussisse, ut carnis strumam euomeret, & postea cibum potumque dedisse. Tandem hoc consilij ab eodem accepisse, ut quoties ardorem libidinis persentisceret, secundum Heliam in uocaret, intercessorem apud Deum.

HENRICVS eremita in ualle sancti Nicolai prope Antiochiam in monte Nigro tugurium sibi fabricatus est. Nemini penitùs quicquam est locutus: sed nutibus tantùm quid uellet significauit. Nihil occisum edit, nec oua quidem: lacte tamen usus est recenti. Caput illorum & impexum fuit, pedes nudi, cruraque, sæpe etiam totum corpus. Gerardus à Nazareth cap.37.

BERNARDVS solitarius Nazarethæ, solebat tantùm tribus in hebdomade diebus cibum capere, à uino & carnibus in uniuersũm abstinens, tenuiter uestiri, manè & uesperi psalmos & preculas recitare, de die montes asperos & inuios perlustrare, ubi latibulum aptum reperiret. Is aliquãdo crines capitis atq; barbæ ambussit, uestes abiecit in eremum, & occursum penitùs refugit humanum, donec tandẽ post dies XV frigore & inedia compulsus, hominum quæreret domicilia. Gerardus c.7.

Anno Domini DCCXIV. Mauris Hispaniam uastantibus, cũ nonnulli regni Castellæ nobiles ad Asturiæ & Cantabriæ montes se contulissent, Aragoniæ quoq; plures equites ad Pyrenæos montes confugerunt. Ibi IOANNES quidam in quadam spelunca coniuncta rupi, quæ Penna dicebatur, ædiculam sibi uelut eremum construxerat, & sancto Ioanni Baptistæ dedicauerat, ibiq; solus uiuẽs, uitam finiuerat. Ad eam ædiculam in montibus abditam Cæsaraugustanus eques, Votus nomine, ceruũ insequens, peruenit, & arbustis ense præcisis ingressus, corpus Eremitæ, quod insepultum apud altare iacebat, aspexit: simul quoq; literas in altari ferreo stilo sculptas legit in hanc sententiam: Ego Ioannes huius ædiculæ conditor & primus habitator, uelut in eremo Deo seruire cupiens, hanc ecclesiolam paruum q; sacellum erexi, sanctoq; Io. Baptistæ consecraui: in qua uixi diutius, & nunc mortuus in Domino requiesco. Votus ergo Deo gratias agens, Eremitę corpus humo cooperuit, & bona sua uendidit omnia, eorumq; precium Christianis pauperibus erogauit: idem frater eius Felix fecit: & ad ædiculam sese contulerunt. Horum postea consiliis Christiani animati, anno Domini DCCXXX. Garsiam Ximenium de genere Gothorum sibi ducem contra Mauros elegerũt, à quo reges Aragoniæ descendẽre. Marineus libro octauũ, rerum Hispaniæ.

HELIAS Iudimagister in Gallia Narbonensi, Hierosolymam petiit sub Fulcone rege, ut ibi loca natiuitatis, passionis & resurrectionis Domini lustraret. In itinere ad Eremitarum monasterium diuertens, presbyteri ordinem suscepit. Mox in uasta quadam spelunca prope Hierosolymam unà cum suis se abdidit. Vbi cùm aliquandiu delituisset, monachorum, qui uallem Iosaphat incolebant, continuis precibus, & hortatu patriarchæ Hierosolymitani, istorum se congregationi

[illegible] adiuuit. Istinc [illegible] auo catus, abbas constituetus est m[illegible] non procul à Tiberiade. Inde rursus exemtus à Fulconis regis cõtiuge, Hierosolymam petit: ubi cùm annos paucos delituisset, ad priorem sedem hortatu Nazareni archiepiscopi reuertitur. Ab eo tempore quo primũ factus est eremita, carne, uino, ouis & caseo penitus abstinuit. Quotidie, exceptis Dominicis & festis diebus, iciunauit. Legumina semicruda sine pane sumsit. Piscibus uerò usus est. Vestitus sordidus. Lectioni assiduè intentus. Inter suos se neq; abbatem, neq; priorem nominari passus est. In Galliis adhuc degens, Hispaniam ingredi statuit, ut Saracenis ibidem fidem Christianam prædicaret. Suis auctor fuit, ut secum Ascalonem iter facerent, & sese captiuos statuerent, ut totidem numero Christianos captiuitate liberarent. Sed sociorum dehortantium consiliis acquieuit. Pecuniam oblatam respuit. Seipsum solitus est flagellare, ut profusis lacrymis diu lugeret, si quando hallucinaretur etiam in re uilissima. Vigiliis nocturnis tantopere sese afflixit, ut ad mensam sedens obdormisceret sæpe, & panis buccella ori ingesta rursus excideret. Habitum & mores monachorum Cistercienſium unicè adamauit, ita ut suorum unũ mitteret Hierosolyma in Gallias, pro adducendo eius ordinis monacho, ex quo omnia quæ ad eam sectam pertinerent, addiscere posset. Eamq; etiam ob causam suis in Tiberiadis cœnobio monachis hortator fuit, ut tali cuculło uterentur. Quod tamen illis persuadere non potuit, quia locus ille ad Iordanem supra modum calidus eiusmodi habitum respuit. De ambitione solitus est dicere, omnia uitia diuino auxilio superari posse, unicum hoc illis sese insinuare, qui sanctius præ aliis uiuere studerent, & ita quidem ut uix deprehendi posset. Egenis liberaliter dedit, ita ut sinistra manus nesciret quid faceret dextra. Anno 1140. obiit, hęc secum subinde meditans: Terribilis Deus in cõsiliis super filios hominum. Item: Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Gerardus à Nazareth in uita eius.

Ioanni, Anglorum regi, à pontifice Innocẽtio sacris interdictũ fuerat, & subditi omnes ab illius obedientia absoluti, anno 1212. Philippus Gallorum rex magnam classem ad inuadendum Angliæ regnum pontificis instinctu comparauerat. Eremita quidam PETRVS, Eboracẽsis, qui aut diuino afflatu instigatus, quemadmodum uulgi opinio ferebat, aut magicis artib. eruditus, consueuerat prædicere futura: dũ Ioannes aduersis afflictabatur rebus, circa Calendas Ianuarias, prędixit fore, ut ille ad diem, qui ascensioni Christi sacer est, de regno eiiceretur, nec recusaturum se ultrò mortem subire, si uaticinatio careret euentu. In custodiam coniectus, cũ aduenisset dies dictus, à Ioãne crudeliter cum filio, licèt innocente, laqueo suspensus fuit. Polyd. lib.15.

Magnum quondam in campis, quos Hungari à cancrorum nomine Racos appellant, nemus fuisse aiunt, ab uno tantùm eremita habitatum, cui VACIO nomen erat. Hic humanæ uitæ miseriam abominatus, in solitudinem se receperat. Geisa uictoria contra Salomonem potitus, locatam ibi cum basilica ciuitatẽ ab eo Vaciam nominauit. Bonfinius lib.3. Decadis 2.

NICOLAVS eremita Vnderualdensis, uxore relicta, ex qua mares quinq;, filias totidem susceperat, in solitudinẽ se contulit, & in ea unum & uiginti annos absq; cibo & potu uixit, angelo quàm homini similior. Vitæ sanctimonia insignis, de reconditis sacrorum mysteriis multùm disputabat, cùm tamen nullum unquam ea in re studium posuisset, & planè illiteratus esset. Lætus semper conspiciebatur, ad pœnitentiam omnes Helvetios, ad concordiam inprimis, deinde ad ἀδιαφορίαν, utq; externorum principum fœdera uitarent, hortabatur. Die festo suos in templo Saxlensi conueniebat, eosq; non modò uoce, sed & exemplo ad pietatem accendebat. Inter preces quotidianas hac formula ceu epiphonemate solebat uti, Herr nim mich mir vnd gib mich dir. Illud quoque liberè profitebatur, lõgè gratius sibi fuisse, q; diuino auxilio carissimã uxorem relinquere, quàm quòd cibo & potu omni abstinere potuerit. Oculi eius grato quodam, eodemq; terribili splendore fulgebant. Arteriæ & uenæ iugulares inter loquendum ita intumescebant, ut spiritu non sanguine repletæ uiderentur. Anno tandem 1502 uir sanctissimi exempli placidissimè expirauit. Cuius monitis utinam Helvetij parerent, uitæq; sanctimoniam æmularentur. Eius uitam ALIVS quidam imitaturus, consilium à Nicolao adhuc uiuente petiit, quánam ratione etiam ipse eas abstinentiæ dotes assequi posset. Cæterùm Nicolaus hominem seriò admonuit, non humano, sed diuino instituto hęc fieri: neque Dei dona omnibus ex æquo distribui. Hortari igitur, ut sorte sua contentus, suæ professioni incumberet, non stulta æmulatione talentum suum defoderet. Is uerò consilio pij uiri spreto, eremiticam uitam nihilominus sequebatur. Tandem cùm in uinaria uasa, quibus more Helvetico uinum honorarium peregrinis conferri solet, impurissimus homo uentrem exoneraſſet, in uincula coniectus, bonisq; multatus, ad secularem uitam rediit. Stumpsius.

Mahumetani.

TECHELLES, Harduellis discipulus, post præceptoris mortem in Antitauro monte eremiticam uitam secutus, tanquã deus à pastoribus cultus, Ismaeli Sophó ad Persarum regnum adiumento fuit maximo, circa an: Sal. 1498. Iouius.

Mulieres.

MARIA Magdalena omnia peccata sibi dimissa esse, iampridem audierat: optimam partem quæ non auferretur ab ea; Domino attestante, se elegisse cognouerat: resurgentẽ Dominum prima uidere meruerat, pro amore illius omnia cõtemserat: Deniq; apud Massiliam Galliæ urbẽ inanium deorum simulacra, Christi prædicatione iam prostrauerat, salutiferæq; crucis uexillum erexerat: necdum tamen se fecisse satis putauit, donec solitudinis angustiis carnem suam aliquando delicti ream nõ macerasset, afflixisset q;. Annos itaque triginta nulli hominum uisa, nulli cognita uixit in deserto, non humano cibo, sed angelicis formentis assiduè sustentata. Die uerò obitus sui imminente, sacrã communionem de manu Maximini episcopi accepit. Marulus lib.1. capite nono, & Sab. lib.2. cap.2.

MARIA Aegyptiaca, in Aegypto parentibus Christianis nata, æstu libidinum concita, Alexandriam ueluti ad mẽtatũ iuerat: & cùm corpus suum uulgaret, uiuens mortua erat. Cùm Alexandria Hierosolymam uenisset (sub Valentiniano & Valente Impp.) non potuit templum Dei ingredi, uique inuisibili inhibita substitit in limine. Miratur, stupet, erubescit; & pedem inuita refert. Vbi recognouit sacro aditu se indignam, quòd prophanis uitæ obscenitatibus esset polluta, nequiter actæ ætatis pœnitudine grauiter angi animo cepit, & lacrymas effudit, decernens ibi turpitudini finem imponere, ubi Dei erga se indignationem ceperat experiri. Rursumque tentato ingressu, liberè absque impedimento introiuit. Mox ante crucem Domini suppliciter prostrata, tamdiu flere non destitit, donec audiuit, si saluti suæ consultum uellet, Iordanem transiret. Transmisso ergo Iordane, desertum penetrauit, iam aliam uitam, alios mores sequens, quàm quos ad eam usque diem non deseruerat. Iam primùm caput illud, quod sæpe margaritis & auro ornauerat, cœli obiecit inuriæ, nullu tecto contenta: crines, quos frequenter calamistro intortos crispauerat, cùm desecuisset, pedibus conculcandos proiecit. Faciem quam pluries cerussa & purpurisso fucauerat, lacrymis rigauit, & solis excoxit ardoribus. Pectus quod fasciolis papillarum tumorem cohibentibus astringere consueuerat, pugnis diuerberauit. Totum denique corpus, quod priùs omni uoluptatum genere diffluxerat, extenuauit ieiuniis, uexauit uigiliis, fatigauit laboribus, sollicitauit assiduitate orationum, deuenustauit nuditate, oppressit inopia. Sic penitùs immutatam post quadragesimum conuersionis suæ annum Zosimas abbas (dum fortè per desertum illud solus incederet) uidit, deprehenditque orantem procul à terra subleuari, trans flumen euntem super aquas siccis uestigiis ambulare. Marul. lib.1. cap.9. & Sabell. lib.2. cap.2.

SARA mulier, imperante Theodosio seniore, durauit ad ripam cuiusdam fluminis, annos LX.

SYLVIA uirgo, filia Ruffini, præfecti Alexandriæ, annos LX. absoluit in solitudine, quo tempore nullam corporis partem lauit, præter digitos. Non in lecto iacuit, sed humi tantùm. Rauisius.

QVOMODO. VBI.

Ex præcedentibus exempla accommodentur.

DEPOSITIO, MVTATIO.

Ex Eremitis facti

PONTIFICES.

CELESTINVS III. ex eremita Pontifex factus, austeritatem uitæ nõ mutauit. Cæterùm cùm experientia rerũ careret, parum utilis Reipub. iudicatus est, ceptumque est de cessione tractare. Quod cùm Carolus rex Neapolitanus audisset, Pontificem amantissimum Neapolim duxit, multisque modis conatus est animum eius à cessione auertere, adeò ut solenni pompa per archiepiscopum ducta, clerus & populus benedictionem à Pontifice petierit, illique se commendarit, rogando, ne bene gubernatam ecclesiam suo regimine destitueret. Quibus Pontifex benedictione data, responderi iussit, Futurum in rem, quod Deus pro salute populi disponere dignaretur. Benedictus autem Cardinalis Caietanus, iuris scientia peritissimus, multis canonibus ostendit Pontifici, quòd grauiter peccaret, si se insufficientem cernens ad obeundum pontificatum, non alteri cederet: constitutionemq; promulgari obtinuit, per quam declaratum est, licere Pontifici Romano dignitatem dimittere. & paulo

paulo post sexto mense sui pontificatus Celestinus papatu se abdicauit, Cardinalibusq; alterius subrogandi arbitrium permisit. Electus est autem Benedictus ipse Caietanus, Bonifacius VIII. appellatus. Qui accipiēs Petrum Moroneum ad eremum anhelantem Neapoli clandestinè recessisse, illum ex uia retractum, in custodia iussit haberi, ueritus ne populi eum sequerentur: & Romam petens in arce Campanię Fumonis deductum arcta custodia conclusit, in qua periit non sine infamia Bonifacij. Blondus lib. 9. Dec. 2.

EPISCOPI.

Ex Tit. Episcoporum hic quædam.

ARCHERIVS quidam, qui ad annos triginta septem in Anachoretarum ordine uixerat, in Panephisum raptus est ab ecclesia ad episcopatum. Cassianus in Collationibus.

DOCTORES.

APOLLONIVS ab anno 15 usq; ad 40. in solitudine Thebaidis uersatus, tandem ad homines rediit: philosophiam docuit, & miraculis clarus fuit per orationes. Sozomenus libro tertio, capite decimoquinto.

NEOTVS Adulphus cùm in Glasconiensi cœnobio Angliæ aliquandiu monachũ egisset, [illegible] cũ præceptore suo & libris in Cornubię solitudinem recessit, ibiq; ad septennium sacris literis operam nauauit: atq; inde reuersus, passim doctrinam Euangelij populo prædicauit. Carus fuit Alfredo Anglorum regi: eiq; hortator & auctor, ut Oxoniensem scholam institueret, anno Domini 873. proposita mercede omnibus, qui illic bonas artes profiterentur. Mortuus est anno Domini 883. & sepultus Einesburniæ. Balæus Centuria secunda, cap. 23.

PATROCLVS Bituricensis, ex ouium pastore studia sectari cepit. Inde ab Arcadio Bituricense episcopo diaconus factus, miraculis clarere cepit. Abiit postea in eremum, iuxta uicum Nereensem scholam aperuit, in qua pueros erudiendos suscepit. Gregorius lib. 5. cap. 10.

MILITES.

PETRVS Ambianensis eremita, auctor expeditionis Hierosolymitanæ. Vide Tit. Expeditores sacræ Christianorum.

VITA SOLITARIA PROFANA, CONSIDERATA RESPECTV

FINIS. SIC SOLITVDINEM sectantur studio

COGNITIONIS

Magi.

Consule Magorum titulum.

Tatia Tatij filia, qui Romuli fuit collega in regno, postquam in NVMÆ Pōpilij matrimonio tredecim annos fuisset, decessit. Hinc Numa relicta urbana uita plerunq; rusticari & errare solus uoluit, egitq; in lucis deorum sacrisq; pratis ac solitudinibus. Vnde potissimùm nata est hæc fama, nullo Numam illum mœrore aut perturbatione mentis in secessu uiuere, sed sublimioris gustu contubernij, & cœlestibus nuptiis potitum, ex deæ Aegeriæ ipsius amore flagrantis congressu atque consuetudine uitam beatam esse adeptum, & rerum diuinarum scientiam hausisse. Plut. in Numa.

Philosophi.

Ex Philosophorum loco hic quædam.

PYTHAGORAS anno integro in subterraneo quodam specu latuit. Vt hominibus aliquando prodesset, ab hominum commercio tantisper abstinere, deorumque colloquio frui uoluit. Laert. lib. 6.

TIMON Nicæus gaudebat hortorum secessibus ac solitudine. Vnde Hieronymus Peripateticus de illo dixisse fertur: Quemadmodum apud Scythas, & qui fugiunt, & qui insequuntur, torquent sagittas: itidem inter philosophos, alios persequendo discipulos capere, alios fugiendo. Sequitur fama fugientem: & ob idipsum auidiùs expetitur, qui celebritatem uitat. Laert. lib. 9. cap. 12.

ACTIONIS.

Ex Tit. Legislatorum prudentum, exempla eorum, qui ad conciliandum legibus sui auctoritatem deorum sese colloquio in solitudine dignatos fuisse simularunt.

OCCASIONIS. SIC IN SOlitudinem sese abdunt ob

MORBVM.

Quod Melancholicorum proprium est. Horum exempla ex Tit. Melancholiæ petantur.

IMPRECATIONEM.

TIMOLEON Corinthius, cùm fratrem Timophanem tyrannidem affectantem occidi curasset, eiusque rei nomine à matre diris deuoueretur, oppressus dolore, instituit se conficere inedia. Sed impeditus ab amicis, priuatus in solitudine degere maluit, & uiginti propè annis urbe abstinuit, mœrensque & uagans in prædiis maximè solis egit. Plut. in Timoleonte, & Diod. lib. 16.

CLADEM BELLICAM.

M. ANTONIVS post cladem Actiacam in Aegyptum uectus, relicta urbe & amicorum consuetudine, domicilium sibi in mari ad Pharum extruxit, proiecto in altum aggere, idque Timonium uocauit, atque ibi extorris ab hominibus egit. Vitam ferebat se imitari & æmulari Timonis: quòd res suæ eodem loco essent. Quippe uiolatum se ab amicis suis, atq; ingratitudinem eorum expertum: ideo omnibus diffidere, & ab omnibus abhorrere hominibus. Plut. in Antonio.

MORTEM LIBERORVM.

BELLEROPHON à Iobate rege Lyciæ in regni consortium ob fortia facta receptus, ex filia eius tres liberos suscepit, Hippolochũ & Isandrum, qui in bello contra Solymos periit, & Laodomiam, quæ ex Ioue Sarpedona suscepit, & pestilētia periit. Ob hanc calamitatē in melancholiam incidit, & cùm sese diis omnibus inuisum putaret, cuius filiũ Mars, filiam Diana interfecisset, in solitudinem sese abdidit, teste Homero Iliad. z.

ἀλλ' ὅτε δὴ κατὰ πάντα θεῶν ἀπήχθετο θυμῷ
ἤτοι ὁ κατ' Αἴολιον οἶος ἀλᾶτο,
ὃν θυμὸν κατέδων, πατὸν ἀνθρώπων ἀλεείνων.

METVM.

ANDRODVS seruus fugitiuus heri iram in solitudinem declinans, Leonis medicus simul & alumnus factus est. Vide Tit. A brutis seruati.

VOLVMINIS VIGESIMIQVINTI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vigesimum-sextum

VITAM Hominis ACADEMICAM

LIBRO VNICO persequens.

Eleganti Aſclepiadæ

PAVLO HESSO Sileſio

THEOD. ZVINGERVS Heluetius

XXVI THEATRI VOL. Academicum

periucunda Scholaſticæ uitæ Antenoreis Athenis per ſexennium conſtanter exactæ recordatione

D.

VOLVMINIS XXVI.

TITVLORVM DISPOSITIO.

- De ACADEMICA uita agendum
  - Vniuerſim, quatenus generalia capita, in quib. Academiæ cõmuni ratione conueniunt, perpenduntur: Videlicet
    - Materia, ſiue Subiecti: Locus ſcilicet cum ſuo locato. Conſiderãtur proinde
      - Totum, quod Academiam & Vniuerſitatem & Gymnaſium uocant literarium. Gymnaſiorum alia
        - Publica, principali auctoritate inſtituta: ſiue ius teſtimoniorum
          - Habeant. quas uulgò Vniuerſitates uocant.
          - Non habeãt. quæ Particularia appellantur.
        - Priuata. Academiæ inter priuatos inſtitutæ.
      - Partes, hoc eſt,
        - Perſonæ Academicæ, quæ inter ſe conuerſantur,
          - Per ſe quidem Doctrinæ cauſa
            - Doctores.
            - Diſcipuli:
              - Tirones.
              - Medij.
              - Prouecti, ut ipſi etiam docere poſſint. Titulis inſigniti.
          - Per accidens uerò Conuerſationis cauſa
            - Politicæ. Vt
              - Rectores.
              - Conſiliarij.
              - Iudices.
            - Oeconomicæ. Vt
              - Hoſpites.
              - Oeconomi.
        - Res in quibus cõmunicant. Nimirum
          - Priuilegia in
            - Genere.
            - Specie: ſiue ſint
              - Ornamenta.
              - Emolumenta.
          - Loca. Auditoria, Gymnaſia in ſpecie dicta.
    - Forma ſiue Conſtitutio ipſa, qua inter ſe deuinciuntur atq; continentur. In Actionibus & Paſsionibus Academicis, Lex uti regula præſcribens: Officium id quod præſcribitur. Ratione ergo habita
      - Perſonarum quæ agere paſsiue debent, Rerum aliæ ſunt
        - Primariæ, quatenus
          - Agunt, Præſunt, tum
            - Docendo.
            - Regendo.
          - Patiuntur, Subſunt, quia
            - Docentur.
            - Reguntur.
        - Secundariæ, quæ miniſtrant: & uel ad uſum
          - Didaſcalicum.
          - Politicum.
          - Oeconomicum.
      - Rerum, quæ aguntur atque fiunt, in
        - Genere, occurrit Scholæ
          - Inſtitutio
            - A quibus.
            - Quomodo.
            - Cur.
          - Diſsipatio.
          - Reſtitutio.
        - Specie. Sic Actus alij
          - Didaſcalici. v.g.
            - Lectiones.
            - Diſputationes.
            - Declamationes.
            - Examina.
            - Teſtimonia.
          - Politici. Puta
            - Suſceptio. Dimiſsio.
            - Electio.
            - Iuriſdictio.
          - Oeconomici.
            - Collectio neceſſariorum.
            - Diſtributio munerum.
  - Singillatim, quatenus in ſingulis Academiis prædictorum capitum ſingula examinari poſſunt.

Voluminis Vigesimisexti
Liber Vnicus
De Vita ACADEMICA.

ACADEMIÀ MATERIALITER CONSIDERATA.

De Academiis peculiarem commentarium edidit Iacobus Middendorpius, in argumento à paucis uel nullis tractato & ingeniosus & laboriosus, è quo nos etiam huc non pauca transtulimus.

VT TOTVM. SIC ACADEMIÆ dantur PVBLICÆ. HVC

Insulæ Academiis claræ.

A Fynnano Scotorum regè introducti primũ Durcerglij, Druydæ Latinis dicti, philosophiæ græcæ periti, sacrorum præsides & interpretes. Data iis MONA insula (quæ Britanniã & Hiberniam eminus: Brigantiam uerò, cui & continenti tum pene iuncta, cominus respiciebat: nunc autem magno maris tractu quatuor supra XX millibus passuum ab illis disiuncta) ut illic loco sacrato, & Druydum omnium sede primaria, sacer magistratus consideret: reliqui per regiones dispersi sacris operarentur ministeriis: certo uerò anni tempore Monam cuncti conuenirent, summi magistratus arbitrio: ut si quid forsitan minus ritè administratum foret, communi consilio repararetur. Profecerunt subinde in naturalium rerum studiis & in morali disciplina mirificè, ut ad se priuata simul publicaq; iudicia pertraxerint. Interdicebant sacris, qui eorum non stetisset decreto. Is porrò in numero sceleratorum habebatur: omnes cõgressum illius fugere, neque ius petenti reddere. Habebãt & Druydes militiæ uacationem, omniumq; rerum immunitatem. Hector Boethius lib.2. ex Plinio, Tacito, Strabone, Cæsare, q Druydum religionem in Britannia ortam (Albionem totam, Romanorum scriptorum more, Britanniæ nomine nuncupantes) inde in Galliam propagatam restantur.

IAPONIA Indiæ insula habet præclaras aliquot Gentilium Philosophorum Academias. Quarum celeberrima perhibetur Banduensis. Primum ab hoc locum Meacensis obtinet, collegiis præcipuis quinque: & sacrificulorum, quos Bonzios, & monachorum, quos Leguixil uocant, & monacharum cœnobiis plurimis insignis. Præter hanc sunt claræ admodum, Caiana, Negruensis, Hoiama, & Frenoiamæ, omnes non procul à Meaco sitæ: quarum singulæ ter mille, & quingentis, & eo ampliùs, auditoribus frequentantur. Io. Metellus.

Vrbes Academiis nobiles

Indiæ.

Vrbs Indiæ GOA, uariis hominum generibus abundat. Amplissimum hic collegium Societas Iesu, Ioannis III. Lusitaniæ regis beneficio egregiè locupletatũ, possidet. in quo, ultra sexcentos diuersissimarum gentium pueros ad pietatem & literas diligenter informari proditur: nimirum Brachmanas, Persas, Arabes, Aethiopes, Cafres, Canarios, Guzarates, Dacamios, Malauares, Bengalanos, Canaræos, Peguos, Patanes, Chingalas, Iauenses, Malaios, Mananca-bos, Macazaios, Maluccos, Sionios, Mauros, Sinas, cæterosque id genus. Et ex hac demum schola, quæ Theologiæ bonarumque literarum studiis floret, in omnes Orientis prouincias, domum quisque suam, mittuntur. Adeò ut hoc Collegium, totius in India Christianæ religionis & Reipublicæ seminarium non immeritò dici possit. Ioannes Metellus in epistola.

Asiæ.

Ad DABIRITEM urbem Phœniciæ, publicum olim gymnasium fuit, quod omnium Academiarum primum extitisse probat Annius in Xenophontem. & propterea scriptura Ciuitatem literarum uocat, Iosue cap 15. Middendorpius.

Inter Laodicem atq; CARVRAM Syriæ templum est mensis Cari appellatum, in maxima ueneratione. Maxima medicorum schola ibi à Zeuxide constructa est sub Augusto, & postea ab Alexandro Philalethe: quemadmodum superiore tempore Erasistratiorum schola SMYRNÆ ab Icesio. Strabo libro duodecimo.

BERYTHVS siue Barutus Phœniciæ urbs, optimarum artiũ studio præ cæteris olim florentissima fuit. Imperator in §. hæc autem tria, proœmio ff. pulcherrimam ciuitatem, & legum nutricem meritò appellari fatetur: & Azo C. de stud. lib. urb. Rom. & Constãt. confirmat. Imperatores eã iccirco Metropolitani dignitate exornarunt, & Ius ciuile Romanũ illic publicè doceri uoluere: auctore Bartholo, ut suprà.

Aegypti.

MEMPHIS non solùm propter religionem, cultumq; deorum, & Regum sepulturam celebris, uerumetiam sapientiæ studio florentissima olim urbs fuit. Nam Abraham patriarcha è Mesopotamia in Aegyptum profectus hic habitasse, & uariarum artium doctrinam importasse creditur. Quas eorum Vates (sic enim professores appellabanturr) tam superstitiosè colebant, ut ex rerum naturalium obseruatione & astrorum cursu etiam futura prædicerent, sicut ex Commentariis D. Hieronymi in 19. caput Esaiæ, & 30. Ezechielis non obscurè colligitur. Middendorpius.

HELIOPOLI præter amplissimas domos, in quibus sacerdotes, philosophiæ & astronomiæ dediti uersabantur, Philosophorum quoq; Græcorum habitationes se uidisse scribit Strabo.

Habuit ALEXANDRIA olim omniũ liberalium disciplinarum scholas, teste Strabone lib.14. Vnde arbitror natum, ut per exochen Alexandria nuncuparetur πόλις, id est ciuitas, sicuti Asty dicebantur Athenæ peculiari ratione. quando & inibi bibliothecæ post alia fuerunt mirabiles, ac loculi monumentorum uetterum, septingenta ferè continentes uoluminum millia. Propterea scienter Apuleius eruditos appellat Aegyptios: quin & ab Macrobio dicitur mater artium Aegyptus. Huic scholæ propagationem Philosophiæ bis debet Græcia: semel post Alexandri Magni obitum, cùm propter successorum eius bella intestina ex tota Græcia literæ exularent, sola Alexandria portum quietũ Musis præbuit. Iterum sub Ptolemæo, Cacergete ab Alexandrinis dicto, qui septimus rex fuit: cuius crudelitate optimi quiq; partim cæsi, partim in exilium acti, insulas & urbes Græcas studiis suis, in quibus excellebant, repleuere. Athenæus libro 4. cap. 24.

Christiani statim post tempora Apostolorum scholas suas habuerunt ALEXANDRIÆ, quibus præfuit Pantenus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, uiri non in sacris tantùm, sed & prophanis scientiis doctissimi: quos Catechistas uocabant, à præcipua & maximè necessaria parte institutionis. Basilius eam officinam pulcerrimam uniuersę doctrinæ appellat. Ex qua prodierunt Eusebius Emisenus, Basilius, eiusq; frater Cæsarius.

CANOPI in Aegypto publicam scholam artis magicæ fuisse, & celebriorem Alexãdrina, usq; ad Theophilum episcopum Alexandrinum, qui id simulacrum destruxit, Ruffinus lib.2. cap.26. indicat.

Græciæ.

Quidam Græcorum ATHENAS dixerunt Græciæ museum, ἴπαιδ@ μυσεῖον. Pindarus culmen firmamentumque, ἐρεισμα. Thucydides ἴπαιδ@ ἑλλάδα, Græciæ Græciam. Pythius Vestam Græcorum, & Prytaneum. Cælius lib.18. cap. 25. Antiq. lectionum.

Chalcis Eubœæ metropolis est, hinc ERETRIA, ciuitates pacis belliquè artibus celebres, philosophantibus amœnum tranquillumq; suppeditabant diuersorium. Erectionum philosophorum schola, Menedemo instituto Erectiæ conditæ, & prius etiam Aristotelis secta, qui Chalcide uersatus est, ad obitum usq; Strabo lib. 10.

Gymnasium [illegible] propter incredibilem loci opportunitatem, & auctoritatem musis celeberrimum fuit.

BYZANTINA siue Constantinopolitana schola post Christum aliquit Basilium Magnum Iulianum etiam apostatam illic erudiit. Mardanius eunuchus. In ea deniquè schola octauo seculo post Christum erat œcumenicus doctor, & duodecim habebat collegas, quibus publicus uictus habatur. Erudiebãt illi discipulos in sacris simul & philosophicis studiis, & Imperatores ex iis uiros ad Remp. seligebant. Sub Iustiniano, Theodosio, Leonibus. Zonaras Tom.3.

ANTIOCHENÆ scholæ meminit Eusebius libro 7. cap.29. cui Malchionem (qui Paulum Samosatenum hæreticũ confutauit) præfuisse, & in ea Græcas literas, pfessum esse scribit.

LAODICEÆ Epiphanius sophista præfuit, quam frequentauit Apollinarius.

NICOMEDIENSIS Lactantio clara fuit, qui rhetoricam ibi docuit. Sub Constantio Libanius sophista, Constantinopoli eiectus, eò quoque uenit.

CÆSARIENSEM scholam Cappadocum, Iulianus & Gallus fratres martyres frequentarunt: item Basilius Magnus, & Nazianzenus.

Africæ.

CARTHAGO opulentissima ciuitas, Romani imperij æmula, artium liberalium scholas, philosophorum officinas, linguarum deniq; & morum gymnasia habuit, ut inquit Salueianus lib.7. de Iudicio & prouidentia Dei.

MAROCCVS urbs Mauritaniæ maxima ad mare Atlanticũ, Mahumetana academia nobilissima fuit, quã Ioannes Leo lib.2. cap.45. Aphricæ eleganter describit. Ex ea certè doctissimi Arabes, quorum etiamnum laboribus fruimur, Auerroes, Rasis, Albumazar prodiêre, aliiq; innumeri.

Italiæ.

CATANENSIS schola celebris in Sicilia, in qua Stesichorus ingenij cultum cœpit.

Græcia capta ferum uictorem cepit, inquit Horatius. Ergo & ROMÆ, Athenarum æmulatione, studia florere cepêre, sub Impp. potissimùm.

Neapolitanis olim Sirenes imperasse dicuntur, & in uicino monte sepulta Parthenope Sirenum una, monti & urbi nomen dedit. Post montem protenditur in meridiem promõtorium, quod à deliciis fortitum nomen est Pausilypum: è regione uerò alterum existit promontorium, lapides olim Sirenum appellati. De quorum cantu peruulgatæ fabulæ ad eloquentiæ & literarum studia accommodari posse uidentur, quòd in ea LOCA ob amœnitatem & disciplinarum studia Sirenes reginæ peregrinos attraxerint, ad quas etiam Homericus ille Vlysses peruenit, qui à Calypso Astronomiam, ab Aeolo Physiologiam, à Circe Magiam hausisse perhibetur. Itaq; recessus ille Parthenopæus musis iam olim consecratus fuit: maximè cùm etiam Zeno & Parmenides summi philosophi satis propinquis è locis oriũdi fuerint. Pontanus lib.6. belli Neapol.

BONONIENSIS academia à Theodosio Iuniore instituta traditur à quibusdam. Extat adhuc publico loco priuilegij formula à Theodosio concessi, quod tamen stylus ipse indicare uidetur adulterinum esse, & ab iis cõfictum, qui hac ratione translatæ Patauium Academiæ à Friderico II. Imp. auctoritatem eleuare conabãtur. Vtut sit, illud satis cõstat, Fridericum uictis Bononiensibus, quoniam Celestino IV. Pontifici fauerent, Academiæ iura Bononia Patauiũ trãstulisse. Cuspinianus, Platina, Sabellicus. Eundem pari ratione VERONENSES eodem priuasse priuilegio, & Patauinis donasse, scribit Cuspinianus.

PATAVII non alio iure quàm inueterata consuetudine docendarum legum gymnasium haberi cõstat, BONONIÆ ex priuilegio Lotharij Imp. teste Bartolo in proœm. Digestorum. Bolognius ex priuilegio Theodosij iunioris, qd lapidi incisum illic spectatur. Id priuilegium uerò Theodosij non esse, Alciatus putat tit. de Agric. & cens. in tres posteriores lib. Cod. Anton. Vacca in Digestorum proœmium.

Laurentius Medices, Petri F. Reipub. Florentinæ princeps, liberalium artium instaurandarũ curam suscepit, PISIS, opportuna maximè ciuitate, quò plures suo beneficio cõprehenderet, gymnasio instituto, ac claris hominibus sapientię studio, amplis præmiis excitatis, qui iuris ciuilis prudentiam, & philosophiam, ac cæteras liberales artes profiterentur. Brutus lib. 8. Flor. hist. Itaque nobilissimi quondam urbem ad solatium ueteris amissæ libertatis nouo decore ac externæ iuuentutis frequentia recreauit. Iouius lib. j. in Leone X.

Hispaniæ.

A SALMANTICA omnes ferè Hispanię urbes & populi tanquam à domina leges, institutiones, & iura petunt. Hinc ad curiam regiam consiliarij, iureconsulti, theologi, medici, & cuiuscunq; scientiæ doctores & magistri proficiscuntur, ex collegio præsertim quod Iacobus Agnatus Hispalensis archiepiscopus condidit, & censu magno dotauit: & altero, quod Alfonsus Fonsecus archiepiscopus Toletanus ædificauit. Ad hoc gymnasium non Hispani solùm, sed aliarum quoq; nationum literis operam daturi conueniunt. In qua nostris temporibus corum, qui literis operam dabant, millia septem recensita fuere. Marineus lib.2. rerum Hispan.

Inualescente Mahometis secta, Saraceni è Syriã, Aegypto, Arabiaq; Africam tanta ui inuaserunt, ut pulsis Christianis, inuectaq; & latè propagata superstitione, in Hispaniam usq; uictores transcenderint, & cum Afri, Numidæ, Mauri, & denique omnes Pœnorum gentes noua sacra facilè susceperint, in Illiberi Bæticæ regia urbe, quam Granatã nostri uocant, posita est Maurorum sedes, & CORDVBÆ gymnasium cum celebri bibliotheca institutum, ubi Arabicarum literarum professores, iuuentutem docendo, excipiendoq; intermorientes apud Græcos optimarum scientiarum atq; artium disciplinas, cum insigni ingeniorum gloria floruerunt. Iouius lib.33.

Alcala Definari, à flumine Finari, quod Tago absorbetur, ubi artium floridum gymnasium, & hoc COMPLVTVM esse, ab Ptolemæo demonstratum oppidum, Hispani pro certo habent, sicq; illud in publicis adpellant rationibus. Marius Aretius in Hispaniæ chorog.

Galliæ.

MASSILIA Phocensium colonia, cum morum probitate eruditionem quoq; è Græcia secum in Galliam attulit, ita ut ciuitas illa & philosophiæ & sanctissimorum morum Academia fuerit habita, non Gallis modò, sed & Romanis ipsis, teste Strabone lib.4. Scribit Corn. Tacitus, Massiliam Agricolæ socero fuisse sedem ac magistram studiorum, ciuitatem Græca comitate, & prouinciali parsimonia mixtam ac bene compositam. Nobilissimus quisq; ex Romanis pro Attica peregrinatione, eò ad ingenij cultum proficiscebatur. Galli, gens alioqui barbara, pronis animis ad Massiliensium imitationem se tandem cõposuerũt. Cælius lib.16. c.8.

LVGDVNI ad confluentem Araris & Rhodani olim Sapientiæ schola fuit instituta à Græcis, qui eò exules confugerãt, quam recordatione patriæ suæ nouas Athenas appellarũt. Nomen adhuc retinet, & mutilato uocabulo; Enai pro Athenę appellatur. C. Iul. Cęsar eo loci aram extruxit, ad quã Græcæ simul & Latinæ facundiæ certamina quotannis fierent: ita quidem ut uictor amplissimis cohonestaretur muneribus, uictus uel lingua sua accusationis formulam deleret, uel in uicino Arari ter demergeretur, uirgisue cæderetur. Vnde Iuuenalis:

Palleat ut nudis qui pressit calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Antonius Pinetus in descriptione Vrbium.

PARISIENSIS à Carolo Magno instituta, à Ludouico Pio restituta. Vide suprà, Iastitutio, Restitutio.

Clemens V. Lemouix, Bertrãdus Burdegalensis episcopus antea dictus, is qui Roma Auenionem pontificiam sedẽ transtulit, AVRELIANENSEM scholam sub Philippo Pulcro rege instituit, anno D. 1312. Aemilius lib. 8.

CADVRCENSIS Academia à Ioanne XXII. patria Cadurco instituta. Gul. Benedictus in rep. c. Raynutius.

Poloniæ, Boemiæ.

Anno 1361. Cazimirus II. Polonorum rex missis Aiinionẽ ad Vrbanũ V. oratoribus impetrauit, ut in Russia cathedra metropolitica, CRACOVIÆ uerò siue adeò Cazimiriæ noua [illegible] Cazimiri mor[illegible] Iagelloni manerer. Cromerus l.12.

Carolus [illegible] Germanos amplexi, à Wenceslao rege ignominiosè imperatum, ut Pragense gymnasiũ ritu Parisiensis gaudere [illegible] Germanos [illegible] abstulit. Germanos [illegible] supra duo millia LIPSIAE Misniæ urbẽ petiere; & Academiam illic [illegible] princeps est habitus Ioannes Hus, [illegible] Germaniæ.

CAROLVS Magnus cùm uictis Saxonibus primam ecclesiã [illegible] Hunnos ab Irene regina & Nicephoro patricio, qui tum O-

rientis imperium occupabat, missos audiuit, etsi neminem Græcæ linguæ peritum apud se haberet. Admonitus ea re Carolus, dedit priuilegium nouæ ecclesiæ, ut utriusque ibi linguæ scholæ haberentur, præsentq; doctores uiri insignes. Cranzius lib.j.Metrop. c.2.

Anno MCCCCXIX. ROSTOCHIENSE gymnasium per Martinum V. summũ pontificem concessum. Principes Magnopolitani Ioannes & Albertus, ecclesias permisere magistris distribuendas: senatus urbis constituit annua stipedia legentibus: multi ex uicinis contulere nõ pauca, in dotem eiusdem. Sed ea non diu permansit ordinatio, surgente nouo tumultu in urbe. Cranzius lib.10. Vandal. cap.30. & lib. 11. Saxoniæ, cap. 3.

Anno MCCCXCII. publica academia firmata est ERFORDIÆ, urbe Turingiæ præcipua, & per IX. Bonifacium priuilegio theologicæ facultatis exornata: quum prius ea caruisset, ne hæresum pullularet uenena. Cranzius lib.9. Vandal. cap.28. & lib.10. Saxoniæ, cap.15.

Vratislaus dux Pomeraniæ, scholam publicam ædificauit GRIFSVALDENSEM, an. Domini MCCCCLVI. Munsterus in Cosmographia. Aliter Cranzius lib.12. Vandaliæ, cap.38. inquit: Circa an. Domini MCCCCLX. in oppido Grifsualdensi, ducatus Volgastensis (quem alij dixere Bardensem) proconsul quidam ueteri familia ortus, legum doctor, præter multa alia ei oppido commoda comparata, publicum quoq; gymnasiũ ibi constitui curauit, & de stipẽdiis prouidit doctoribus. Virtutis inuidia à duobus sicariis in foro sedens interfectus est.

Albertus dux Austriæ VIENNÆ Austriæ Academiã instituit, anno Domini MCCCLXI. Gassar. in Epit. Chron.

Sub Henrico I. Imp. LOVANIENSE gymnasium in Brabantia fundatum est, anno D.926. à Ioanne duce Brabantię.

Memorabile est quod historiæ referũt de episcopis LEODIENSIBVS: quos aiunt σμικῶς, hoc est, loca uenerabilia, & scholas, ad studia & bonas artes liberalissimè fouisse, idq; ex patrimonio diui Lamberti.

Dietherus Mogũtinus archiepiscopus, scholã MOGVNTIÆ extruxit. Hedio in Chron. Germ.

Eberhardus primus dux Vvittenbergensis, TVBINGÆ scholam publicam, anno D. MCCCCLXXVII condidit, ac stipendiis necessariis dotauit. Idem.

Rupertus Ruffus comes Palatinus Rheni, & dux Bauarię, sub Ludouico Bauaro Imp. cõstruxit scholam HEIDELBERGÆ, eamq; honestis sumtibus dotauit. Ibidem, & Cuspin.

Albertus Ernesti F. dux Austriæ FRIBVRGI Brisgoiæ Academiam constituit, anno D. MCCCCL. Stumpfius.

BASILIENSIS Academia iisdem legib. à Pio II. Pont. max. quibus Bononiensis, instituta anno D. MCCCCLX. Nam cùm Basiliensis concilij occasione primùm inclarescere, & ad futuros honores gradum facere cepisset, tum etiã summam ciuium nostrorum toto decennio, & inprimis quum pestilentia laboraret, humanitatem expertus esset, gratitudinem suam hac ratione æternam extare uoluit, liberali simul manu collegij D. Petro cõsecrati reditus annuos Theologis, Iurecõsultis, Medicis, pro ea qua tum fungebatur auctoritate concedens, episcopo Basiliensi Cancellarij Academici dignitatẽ tribuens. Itaq; & à gratissimo pontifice suæ pietatis munus, & à uiro doctiss. ingeniorumq; æstimatore acerrimo uirtutis exercendæ palæstram Basiliensis ciuitas obtinuit.

Ioachimus Marchio Brandenburgensis publicam scholã condidit FRANCOFVRTI ad Viadrum, anno D. MDVI. Sebastianus Munsterus in Cosmograph.

Philippus Hassiæ Landgrauius MARPVRGENSEM Academiam instituit, anno D. MDXXVI. Stumpfius.

Britanniæ.

Sigebertus Orientalium Anglorũ rex quintus, Christianũ dogma complexus, hortãte Felice episcopo, natione Burgundo, scholas passim in suo regno posuit, & inprimis CANTABRIGIÆ anno DCXXX. floruitq; deinde gymnasiũ bonarum omnium disciplinarum perpetuò. Quamobrem Anglia ꝓ postea claros semp doctrina uiros tulerit, haud dubiè Sigeberto cũprimis acceptũ referre debet. Polyd. l.4.

LINDIFARNENSIS insula circa Angliæ & Scotiæ limites ab Osualdo Northumbrorum rege Aidano episcopo Scoto concessa est, in qua & scholam & ecclesiam episcopalem erigeret, anno Domini DCXL. Idem.

Alfredus Anglorũ rex Neoto monasticę professionis uiro sanctissimo hortante, OXONII gymnasium instituit, anno D. 895. proposita mercede omnib. qui publicè bonas artes profiterentur, quò multi doctrina clari confluxerũt, docẽdi gratia. Polyd. lib.5. Huius precib. Martinus II. omnes Anglos a Roma scholas omni tributo relaxauit. Ranulfus lib.6.c.5.

ABERDONENSIS Academia in Marria regione Scotiæ à Gul. Elphinstoun episcopo instituta. H. Boeth. in Scotia.

Anno MCCCCXI. felici auspicatu cœptũ est celebratissimũ literarũ gymnasiũ S. ANDREÆ in Scotia. Postea Iacobus I. rex in Scotiã ex Anglicana custodia reuersus, doctissimos quosq; ad se ex omnib. regionib. euocauit. Conuenere tredecim doctores Theologi, octo Decretorũ, ac multi alij doctissimi uiri, infinitusq; auditorum numerus. Illos omnes magistratib. aut sacerdotiis donauit. H. Boeth. lib.16.

Turnbul Episcopus Glasguensis gymnasium generale haud incelebre in Scotia in GLASGVENSI ciuitate instituit, anno D. MCCCCLIV. H. Boethius lib.18.

Monasteria.

In Monasteriis olim Scholæ erant, non sacrarum tantũ literarum, uerumetiam profanarum. In Britannia, tempore Constantini, prope urbem Legionum, quæ nũc Cæstria dicitur, nobilissimum fuit BANNOCHORENSE collegium, qd plus quàm duo millia Christianæ religionis studiosorũ alebat. Per CCCL annos floruit in Anglia. Verùm illud postea Congellus Bannochorẽsis ciuis, uir doctrina clarus, in monasterium Apostolici ordinis mutauit: & circa annum Christi DXXX, primus eius Abbas factus est. Ex quo cœnobio deinde tota Europa monasteriis repleta est. Baleus narrat Centuria 13. scriptorum Britãnicorum, Gregorium Magnũ gymnasia Britannorum transtulisse ad monasteria, ad hæresin Pelagianorum, quæ in scholis tradebatur, extirpandam.

Maildulfus Scotus philosophus, MALMESBVRIENSE cœnobium anno D. DCXXCV. fecit, in quo scholã tam Græcæ quàm Latinæ linguæ aperuit, & artes prælegit. Baleus Centuria 14. cap. 26.

Rabanus in FVLDENSI cœnobio, nõ solũ sacras literas docuit monachos, sed etiam artes. Trithemius de Hirsaugiensi cœnobio.

THOLEGIENSE cœnobium sub ueteri Schaumburgo, Lotharingiæ ducum castro, an. D. 627. conditum, ut esset schola & Ecclesia Theologorum. Bruschius de Monasteriis.

ARX Altendorffensium principum, in domum Dei conuersa, pietatis & literarum gymnasium esse cœpit circiter annum Domini DCCC. Bruschius de monasterio Vinearum.

PRIVATÆ ACADEMIÆ.

Felix armis, felicior literis Italia. Literis enim de toto orbe etiamnũ triumphat: armis ut olim triũphauit, sic post abiectis Barbarorum, & quorum no nomina quidem ueteres norant, procellis obruta, prædæ fuit & ludibrio. Atque ut ea quæ ad publicam literarum gloriam pertinent, prætercam, cùm ex Academiis illorum clarissimis ætate nostra omnis generis disciplinarum antistites per totum orbem Christianum prodierint: de priuatis saltẽ Academiis, quæ inter uiros genere & ingenio nobiles in singulis ferè urbibus honestiss. fallendæ temporis ratione excogitantur & exercentur, pauca quædam ex Minoi Celsi Senensis Academici Intronati hypomnemate ad Fr. Bettii Rom. trãsmisso afferemus. Erit fortasse, qui racemationis huius nostræ exẽplo inuitatus, uindemiam ipsam uniuersim aggredietur, & quæ singulis in urbibus Academiis priuatæ nobiles extiterint, persequatur.

Senis

Senis Hetruscorum.

Anno 1525. sex uiri nobiles Senenses, ut linguæ Hetruscæ, Latinęq; Græcæ exercitia, ad poesim & eloquentiam facientia, promouerent, societatem iniuere, legendo, interpretando, scribendo, disputando: cui INTRONATORVM nomen fecere. Princeps creabatur bimestri quolibet, Archintronatus dictus: Cõsiliarij duo illi aderant, cum Censore & Cancellario. Censor errores uel uoce uel scripto admissos reprehendebat: scripta omnia ab Academicis oblata Academiæ suo tempore exhibenda custodiebat, eaq; successori tradebat. Cancellarius sessiones Academicas singulas annotabat: lectionum & scriptorum auctores & argumenta, disputationum præsides & antagonistas, consultationes item in album referebat. Consultare uerò non nisi XII. ad minimũ præsentibus licebat. Princeps cuicunq; uideretur Academico in proximũ dominicum (nam hic dies status erat) legendi munus demandabat: ille die postero Viatori Academię institutum suum atque horam indicabat: Viator Academicorum singulis denunciabat. Exoteris etiam qui buslibet patebat aditus. Si quis Academiæ nomen dare uellet, à duobus Academicis examinatus, recipiebatur, Academicis inde ornamentis à Promotore suo, corona scilicet hederacea, anulo, libroq;, clauso & aperto, donabatur, in consessum recipiebatur: sed ante quadrimestre ius legendi scribendiue publicè non habebat. Calendis Maij natalis erat Academiæ festus (quam Efflorescentiam Zuchæ appellabant) eoq; ipso die quatuor censores legebantur, qui superioris anni scripta omnia à Censore accepta proponerent, censerentq;: quæ probarentur, Cancellario in Volumen Academicum referenda darent: quæ displicerent, auctoribus suis redderent. Leges & decreta scripto breui cõprehensa erant: in cuius prima facie tres gnomæ spectabantur, Neminem lædere, Omnibus prodesse, & Mundum non curare, hoc est, & publica officia & priuatas curas fugere, otiumq; literarium sectari. Cognomina Academicis singulis imponebantur, eorum quę uel quo ad animum uel quo ad corpus illis inerant malorum notæ, V. G. Duri, Vigilantis, Diserti, Maniaci, Sicci. Symbolum Academiæ erat uas salinarium, è cucurbita emedullata à Tuscis parari solitum, duobus superne pistillis inumbrantibus, cum hac gnome, Meliora latent. scilicet ut salis, uilissimi quidem uerũm utilissimi suauissimiq; condimenti, receptaculum est cucurbita, dum illud pistillo gemino tunditur: sic Intronatorũ (hoc est, Stupidorum & Fatuorum, Hetrusca lingua, & per parodiam quandam ueluti Intus natorum) societas Socratica quadã ironia ab omni fastu externo aliena, intus in suis uisceribus Actionis & Contemplationis iugi exercitio comparatam doctrinam ad usum uitæ quotidianæ contineret. Præter multa linguæ Hetruscæ exercitia fabulas elegantissimas edidere, Ingannatorum, Amoris constantis, Alexandrum, & similes. Academicos habuit nobilissimos, omni laude doctrinæ clariss. sed & principes uiros, Marchionem Vastium, Florentinum, Bisignanum, Melphitanum, Salernitanum, Paulum Iordanum Vrsinum, Ludouicum Toletanum, Chiapponem Vitellium. Oppressa inde Senensi libertate, Academica exercitia aliquandiu iacuere. Restituta tamen pòst, ipso Florentino principe spectante, Hortensium fabulam edidit. Restitutione Intronatorum excitati quidã alij nobiles, iisdem legibus & exercitiis Academiam nouã instituẽre. Symbolum illis erat Cribrum, quod lingua sua Hetrusci Vagliuni uocant. Itaque nomen sibiipsis imposuẽre, TRAVAGLIATORVM, quasi per Cribrũ actorum, cum hoc dicterio, Donec impurum.

Eodem tempore Ephebi quidam honesta æmulatione accensi, ACCENSORVM nomen sumsere, in lectionibus & scriptionibus assidui. Insigne habebant Pinum igne subiecto ardentẽ, & fumigantem, cum dicterio, Hinc odor & fructus. Annis aliquot post exortum Intronatorum, Senenses quidam CORTESIORVM Academiam instituẽre, imitatione Intronatorum. Etsi citò desiit. Alteram DESIOSI condidere, sex iuuenes patricij, XX. annis minores, eo cõsilio, ut iugi exercitio dignos sese præstarent, qui suo tempore ab Intronatis reciperentur. Et quidem cùm præclara specimina publicis comœdiis edidissent, cum laude fuere recepti, ita quidem, uti cognomina, quæ ipsi sibiipsis blandientes imposuerant, V. G. Astuti, Ingeniosi, Sublimis, in contrarium uerterẽtur, Stupidi puta, Lunatici, Fumosi. Symbolum habebant, Vitem in Myrto arbore assurgentem, cum hoc uersu, Questo mi scorge, oue'l desio mi tira. desiderium & conatum suum emergendi ad altiora, Amorum suorum fauore (quandoquidem sacra est Veneri myrtus) foueri significantes.

Bononiæ.

Celsus Sozinus Senensis Iurecoss. Bononiæ circa an. sal. 1554. Cal. Maij Academiam SITIENTVM instituit, sed quę à Intronatis reconsultis potiùs quàm ab Oratoribus aut Poetis excoleretur. Princeps erat ipse Celsus, idemq; iudex disputationũ omnium. Duos habebat Consiliarios, & Quæstorem: Ministros præterea Academica ornamenta conferentes, pileum scilicet, librum apertum & clausum, & anulum Academica nota insignem. Disputationes singulis dominicis diebus habebantur, lectiones uerò intermediis diebus festis. Cuius ex prouectis sors prima exiisset, primus, cuius secunda secũdus ordine erat. Exoterico nulli absq; Principis & Gymnasiæ scitu interesse licebat. Themata tria proponebantur. Argumenta totidem singulis obiici poterant à prouectis, itẽ à tyronibus. Principis nutu uel interlocutione certamen finiebatur. Si quæ scripta uel repetitiones proponerentur, siquidem ab Academicis approbarentur, in codicem Academicum referebantur. Ex hac Academia tanquam ex equo Troiano clariss. Iurecoss. Itali, Germani, Galli, Hispani prodiere. Insigne habebant Heliconem montem arboribus consitum, Castalio fonte irrigatum, cum hoc dicto, NON diu sitient sitientes.

Patauij.

Nostro tempore, circa an. Sal. 1556. Patauini nobiles Academiam CONSTANTVM magno animo & felice successu instituẽre, in philosophia Naturali atque Morum, in Oratoria, & Poesi, in lingua Hetrusca, Latina atque Græca. Exercitia Disputationum & Declamationum frequentia: Musicæ item tum uocalis tum instrumentariæ, cui Franciscus Portinarus præerat. Ea tunc temporis mea fuit oscitantia, ut solum Academiæ nomen retinerem: quæ illius œconomia, quæ politia, quæ didascalia esset, nec curarem nec inuestigarem. Excitentur alij, ut peregrinationis suæ fructum percipiant ampliorem.

VT PARTES HABET. SIC occurrunt

PERSONÆ DIDASCALICÆ. PVTA

In Genere. Studiosi, Studiis dediti.

Ex loco Doctorum hominum hue quædam.

BABYLONII & Assyrij bonas artes statim à diluuio coleri ceperunt, non minus quàm Aegyptij. Nam propter planiciem regionum quas incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens atq; apertum intuerentur, traiectiones motusq; stellarum obseruare potuerunt. Cicero.

Vopiscus AEGYPTIOS scribit esse uersificatores, epigrammatarios, & ad cantilenas publicas propensos. Aegyptiorum porrò arcanam sapientiam abundè restari uidetur suscepta illuc excellentium uirorum peregrinatio, ut in illorum literis uerè literatis interioribusq; mysteria pernoscerent. Cælius lib. 16. cap. 3 A.L.

HELIOPOLITANI ciues omnium Aegyptiorum doctissimi & habebantur uulgò, & erant quoq;, ut auctor est Herodotus. Fuerunt enim aut ipsi Iudæi, qui cum Onia sacerdote ad Ptolemæum Epiphanem confugerant: aut ipsorum successores & discipuli, ut ex D. Hieronymo scribit Vincentius lib. 6. Speculi cap. 54.

Dauidici regni tempore IONES ex Atticâ in Asiam migrasse traduntur, Androcli ductu, qui fuit Codri filius. Ephesum (ut Pherecydes prodidit) condiderũt: multas deinde alij atque alij ciuitates: ibique Ionum regio ab initio constituta. Quo contigit, ut & terra ipsa sit postea Ionia dicta. cuius extrema ora ob peninsulas multifariam occurrantes mille & DCC. ambitu stadiorum patet. In hoc breui terræ ambitu philosophiæ incunabula & ortus extitere. Inde sublimia hominum ingenia, cœlum & omnia naturæ opera scrutari ausa. Sabell. lib. 9. Enn. 1.

Gymnasia TVRCI habent, in quibus leges ciuiles à Regibus editæ pro regno conseruando docent: in quibus qui proficiunt, honorantur, & ad iudicandum ac populum gubernandum eliguntur. Insigniores Muderis, minores Minesthum uulgò dicuntur, minus uerò docti Taursman, quibus sufficit, u[illegible]inum sciant, & ceremonias, quæ ad orationem & cult[illegible]is pertinent, benè intelligant: exemti à seruitute, & liberi ab onetibus communis populi. Iudices enim, Registrarij & Iurisconsulti, qui Caliphę dicuntur, aliis sunt pro necessitate prouisi stipendiis. Nullam tamen liberalem artem addiscunt. Ab omnibus honestis disciplinis & scientiis sunt ita alieni, ut nec nomina noscant, nec mysteria ac sacramenta ceremoniasque legis suæ aliqua ratione confirmare possint, innixi solis consuetudinibus. Cuspinianus.

SINARVM in Oriente populi literis operam dant: qui in illis maximos progressus habent, maximis honoribus afficiuntur. In studiis, genere antiquo sermonis utuntur, imperitis ignoto: quemadmodum apud nos, qui artium maxima

rũ disciplinis ſtudent, linguam Græcam aut Latinam per diſcũt. Qui iuri ciuili ſtudẽt, in magno honore ſunt. Oſor. l. 11.

Doctores.

Ex Tit. Philoſophorum huc pleraq; Item ex Tit. Præceptorum publicorum.

TERTVLLIANVS in Carthaginenſi academia floruit. CYPRIANVS, qui philoſophia & eloquentia tãtum reliquos martyres anteit, auctore Nazianzeno, quantum bruta à ratione præditis ſuperantur, antequàm Chriſtianam religionem profiteretur, Rhetoricam ibi docuit: teſte Hieronymo in caput 3 Ionæ prophetæ, & Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum. Beatus AVGVSTINVS ubi bonarum artium fundamenta utcunq; iecerat, Carthaginem à patre ſtudiorum cauſa miſſus eſt, ſicut ipſe fatetur lib. 2. Confeſſionum cap. 3. Sed cùm petulantiam ſtudioſorum Carthaginenſiũ tolerare non poſſet (erant enim immodeſti in prælectionibus, & iniurij in ſuos præceptores) Romam profectus eſt, ut cap. 8. lib. 5. Confeſſionum uidere licet.

Laertius lib. 4. ſcribit, quod cum multi Athenienſes Rhodi eloquentiæ operam darent, BION Boryſthenites philoſophiam docere cœperit, & cauſante quodam, cur id ſolus faceret? Frumenta, inquit, attuli, hordeum uendo. Auctoritatem quoq; ſibi ex auditorum frequentia paraturus, ſæpè nautis Rhodienſibus perſuaſit, ut ſumta ueſte, ſeſe in gymnaſium ſequerentur. Middendorpius de Acad.

DOROTHEVS & ANATOLIVS præfectus prætorij ſub Conſtantio (quorum opera Imperator in emendando Codice uſus eſt) Barutenſes legum doctores fuêre. Anatolij meminit Eunapius in uita Proæreſij. GREGORIVS etiam Ponticus Neocæſarienſis Iuriſprudentiam ibi profeſſus eſt. APOLLINARIS uerò ſenior, Grammaticam docuit, & Apollinarem filium hæreſiarcham, Rhetoricæ profeſſorem reliquit. SEVERVS quoque ἀκέφαλος Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus, & TRIPHYLLIVS epiſcopus Lederenſis. Middendorpius.

HYPATIA Alexandrina, Theonis geometræ (quem ingenio ſuperabat) filia, uxor Iſidori philoſophi, uixit imperante Arcadio. Scripſit commentarium in Diophantem, aſtronomicum Canonem, in Conica Apollonij. Profeſſa eſt Alexandriæ uaria diſciplinarum genera magno & frequenti auditorio, conuolantibuſq; turmatim & undecunq; diſcipulis.

IOANNES Mailroſius, CLAVDIVS Clemens, Scoti, & Fl. ALBINVS Anglus, cum RABANO Pariſios profecti, Caroli Magni auſpiciis Academiam illic erexerunt: Ioannes Ticinum miſſus, illic quoq; Gymnaſium inſtituit, & tãdem Auguſtini Benedictinorum cœnobio præficitur. Scripſit plurima. Clemens publicè Lutetiæ Sacras literas, & philoſophiam docuit. Scripſit non pauca. Antiſiodorenſis epiſcopus poſtea factus eſt. Albinus Caroli Magni præceptor, cùm prius in ſchola Cantabrigienſi poſt Bedam docuiſſet.

Diſcipuli, Auditores Academici.

Conſule locum Diſciplinæ.

Tantum TARSENSIBVS ſtudium circa philoſophiam fuit, & alias diſciplinas encyclias, ut Athenas & Alexandriam ſuperarint. Hoc uno plurimum excellebant, quòd indigenę ferè tantum ibi diſcebant (peregrini pauci) neq; tamen domi manebant, ſed foris perficiebantur, & perfecti libenter foris manebant. Cæteris uerò ciuitatibus omnibus contrarium euenit, excepta Alexandria. Nam multi in eas proficiſcuntur, & libenter immorantur. Indigenas non multos ad modum uideas non extrà diſcendi ſtudio proficiſci: nec ibi circa hoc ſtudere. ALEXANDRINIS utrunque contigit: nam & multos peregrinos ſuſcipiunt, & ex ſuis emittunt non paucos. Alexandria omnium liberalium artium ſcholas habet, & ante alias populoſa eſt, & multum poteſt, & metropoleos ſermonem tetinet. Strabo lib. 14.

ATHENIENSES Scholares per iocum à comicis produci ſolitos ex Hor. lib. 2. Epiſt. 2. liquet:

> Ingenium ſibi quod uacuas deſumſit Athenas,
> Et ſtudiis annos ſeptem dedit, inſenuitq;
> Libris & curis, ſtatua taciturniùs exit
> Plerunq;, & riſu populum quatit.

ROMANI ſingulis quibuſq; annis ſex Patriciorum filios ad Hetruſcos ſacrorum peritos mittebant, qui imbuti diſciplina in patriam redeuntes, diis ritè ſacra exhiberent. Cic. lib. de Diuinatione: & Val. Max. lib. 1. cap. 1.

DIONYSIVS Areopagita Heliopoli ſtudiis operam dabat, quando propter mortem Saluatoris noſtri ſol obſcuratus, & tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſum orbem terrarum, quod ipſe refert in epiſtola 7. ad Polycarpũ. Middẽdorpius.

Herodes Iudæorum rex filios ſuos ALEXANDRVM & ARISTOBVLVM Romam miſit, ut liberalibus diſciplinis inſtruerentur. Ioſephus lib. 15. & 16.

CN. POMPEIVS Magnus ex Aſia reuerſus, omnes bonarũ artium profeſſores audiuit, ſingulis auri talentum obtulit. Sab. Enneade 6. Pompeius narrare ſolebat, ut refert Cicero lib. 2. Tuſculanarum quæſtionum, ſe Poſſidonium Stoicum Rhodi grauiter ægrotantem iuiſiſſe. TIBERIVS Cæſar Rhodi ſalubritate delectatus, circa ſcholas & auditoria, profeſſorum tam aſſiduus fuit, ut à pleriſque propterea reprehenderetur, auctore Suetonio.

Carthagini SEVERVS Imperator literis operam dedit, ſic ut decimo octauo ætatis anno publicè declamaret. Romam ſtudiorum cauſa profectus, in ipſo limine ſcholæ omen imperij accepit. Vide Tit. Omina imperij.

Mortuo Mieſcone II. Polonorum principe, quidam ad CASIMIRVM filium eius ſceptra deferenda uolebant. Cæteri timentes, ne mores paternos peruerſos ſequeretur, repugnabant. Regina uidens ſe à Polonis ſpretam, ad fratrem Cæſarem in Saxoniam accepto Caſimiro filio, coronaque regni & ingentibus theſauris regalibus ſublatis, profecta, filium Caſimirum ſtudendi gratia Pariſios miſit. Tãdem in monaſterium Cluniacẽſe ingreſſus, ſacris initiatus eſt. Guagninus de Regibus Poloniæ.

HENRICVS Friderici Boemorum regis patruelis, ab ineunte pueritia bonis literis deditus, confirmata dein ætate, in Galliam ad Pariſienſe gymnaſium, maximè tunc inter alia celebre, ſe contulit, ibiq; pluribus annis uerſatus in patriam rediens, ſuffragio regis XIII. pontifex Pragenſis declaratus eſt, & poſt mortem Conradi ad principatum quoque Boemiæ omnium ordinum conſenſu euectus. Dubr. lib. 14.

VALDEMARVS, Abelis primùm ducis Sleſuicenſis, deinde Daniæ regis filius, quum de Pariſienſi gymnaſio patriam repeteret, ab archiepiſcopo Colonienſe, neſcio quid in coronam Daniæ referente, detentus eſt pro captiuo: nec abire potuit, priuſquam Ioannes Holſatiæ Comes auiculus ſex argenti marcarum millia pro redemtione numeraret. Crãzius lib. 4. Saxoniæ, cap. 23.

Circiter annum Chriſti 1473. ſic floruit Leodienſis ſchola, ut tum ibi bonis literis inuigilarẽt nouem REGVM filij, uigintiquatuor filij DVCVM, nouendecim filij Comitum: exceptis Baronum, Nobilium, & aliorum filiis, quorum immenſus fuit numerus. Hedio in Chron. Germ.

IOANNES & GERARDVS, Holſatiæ comites, Adolfi, qui Minoritanam religionem ſuſceperat, filij, Pariſiis literis operam dedere. Cranzius lib. 8. Saxoniæ, cap. 13.

Titulis inſigniti.

Ammianus Marcellinus auctor eſt, MEDICIS ad commendandam artis auctoritatem ſuffeciſſe, ſi dicerent, ſe Alexandriæ eruditos: tanta erat loci dignitas, & æſtimatio. Atteſtatur Galenus, qui medicinæ cauſ. & addiſcendæ & exercendæ per annos aliquot ibi hæſit.

ALBERTINVS Muſſatus Patauinus lauream poeticam Patauij accepit. FR. Petrarcha anno Salutis 1342. ipſo Paſchatis die Romæ. Item AENEAS Syluius à Friderico III. Imper. CONR. Celtes à Maximiliano I. Imp. Vide Volumine X. folio 1171.

SIGISMVNDVS ab Herberſtein, liber Baro, uariis legationibus ad Turcarum Imp. ad Moſcouitas, ad Tartaros, cũ laude perfunctus, is qui Moſcorum hiſtoriam Latinè ſcripſit, tabellis ſunctionum ſuarum ſeriem, ſucceſſum, habitum depingi curauerat. Quas cùm ſenex clariſſimus Ioanni Baſilio Heroldo monſtraret, ea quæ omnium prima erat, quando in Viennenſi Academia Baccalarij titulũ ſuſcepit, p̃ cæteris plurimi fecit: quòd ingenij uiribus tanquam caſtrenſe bonum conciliata foret, cùm reliquæ, uel generis ſplendori uel principali gratiæ debitæ, huic uelut baſi inniterentur: adeoq; uti Themiſtocles de die feſto & profeſto dicebat, Niſi profeſtus fuiſſet, feſtus non eſſet: ſic ipſe, Niſi literarum cultu præſtitiſſem aliis, ne dignitate quidem, niſi præter meritum, excelluiſſem.

PERSONÆ POLITICÆ. PVTA

Rectores, Gymnaſiarchæ.

ALBERTVS Saxoniæ dux, Patauinæ Academiæ rector, unà cum Pagano Turriano epiſcopo Patauino poeticam lauream Albertino Muſſato Patauino, Patauij contulit. Bern. Scardeonus in hiſt. Pat.

GEORGIVS ab Andlau, nobilis genere, eruditione nobilior, Rector Academiæ Baſilienſis, à Pio II. Pp. anno Salutis 1463. inſtitutæ.

Conſiliarij.

Iudices.

Tabellarij.

PER-

PERSONÆ OECONOMICÆ. V. C.

Hoſpites ſtudioſorum.

Famuli.

RES ACADEMICÆ. VIDELICET

Priuilegia in genere.

Fuit RHODVS propter bonarum artiũ ſtudia à Rom. Impp. multis priuilegiis exornata, quorum pars maxima in templo Liberi patris, & in Gymnaſio poſita fuit. Strabo lib. 14.

PARISIENSEM ſcholam Carolus Magnus tanta prouentuum & poſſeſſionum amplitudine locupletauit, quãtam uix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ inde poſtea natæ ſunt, Academiæ poſſent æquare. Curio l. 2. Chronologiæ.

Ornamenta Academica.

De Dignitatibus literariis, quas Gradus uocant, Volumine tertiò fol. 1008. egimus, inter Forma uita, in genere.

Emolumenta Academica.

LOCA. GYMNASIA IN SPECIE, AVDITORIA.

In publicis Gymnaſiis olim cùm pueri & adoleſcentes nudi exercerentur, roboris & ſanitatis ergò, à Gymnaſtis & Pædotribis: Philoſophi quoq;, tanquam animorum medici, eò commigrare ceperunt. Athenis proinde tria Gymnaſia extra urbem fuere: duo Liberorum, ACADEMIA & LYCEVM: tertium CYNOSARGES, ut corporis primùm, ita poſt quoq; animorũ exercitiis attribũta. Nã ut STOAM h. e. porticum Piſianacteam (quæ pòſt propter Polygnoti & Myconis picturas ποικίλη dicta eſt, teſte Suida, & excellẽter ſtoa, in qua Zeno Cittiæus ſectæ Stoicæ dedit initium) taceam: in Academia, ab Academo heroe denominata (quã Hipparchus tyrãnus, muro circundedit: unde prouerbiũ, τὸ ἱππάρχου τεῖχιον, de magnifico ædificio. Gyraldus in 3. dial. primi tomi Hiſt. poet. & Cic. in epiſt. ad Sulpitium totius orbis nobiliſſimum gymnaſiũ appellauit) non in Exedris tãtùm, ſed & in Xyſtis & Platanetis Plato docebat. Vnde illud, Atq; inter ſyluas Academi quærere uerũ. In Cynoſarge, ab Hercule ſpurio condito, in quo ſoli ſpurij exercebãtur. Antiſthenes Cynicus philoſophabatur. Vnde ſortè nomen Cynicæ ſectæ. Laert lib. 6. In Lyceo (à Piſiſtrato uel Pericle condito, in quo exercebantur & luſtrabantur in bellũ ituri: nomẽ à Lycio Pandionis F. traxit, unde primùm Apollo Lycius dictus eſt, ſecundùm Pauſaniam in Atticis) Ariſtoteles docebat: primùm, cùm paucos haberet diſcipulos, περιπατῶν more ſuo, tum in Xyſtis, tum in Viis, tum etiam in ipſis Porticibus: poſtquam uerò multos cepit habere, ſedẽs docebat in Exedris. Hincq; adeò Peripatetici nomen obtinuit, quòd non in Exedras ſeſe ingeſſiſſet, more Sophiſtarum, neq; à loco auctoritatem eſſet emendicatus: ſed in Deambulationibus & Viis primùm philoſophari cepiſſet: confluentibus inde ex ipſis Exedris compluribus diſcipulis, ab iis in Exedrã honoriſicè reductus eſſet, ita ut qui cum paucis deambulando prius philoſophabatur, nunc multos ſedens doceret. περίπατος autẽ intelligit Laertius cum gymnaſij partem, quæ deambulationi inſeruiebat: cuiuſmodi erãt Viæ, ſed inprimis Xyſta, tum nuda, tum arboribus conſita (quas etiam περιδρόμιδες Græci uocant) poſt quæ contulit ſe in Exedras, tempore præſertim nubilo. CAVPONI gymnaſij meminit Philoſtratus in uita Herodis Attici: PRYTANEI & TEMPE Spartianus in Seuero: LACIDII, ubi Lacides philoſophabatur, Laertius lib. 4. Præcipua igitur fuêre tria, unde tres quoq; philoſophorum ſectæ, Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum. Cynici, quia errones, in Cynoſarges non remanſere.

Corinthiorum CRANIVM non minùs celebre gymnaſium, quàm Atheniense Lyceum, indicat Lucianus in dialogis mortuorum, quando introducit Diogenem, qui Menippo per Pollucem renunciare iubet, ut philoſophos in Cranio ridere quidem deſinat, ſed potius hortetur eos & moneat, à nugis, crocodilis, & cornutis ſyllogiſmis abſtinere Laert. lib. 6. in uita Diogenis teſtatur, ante Corinthum fuiſſe Cranium, in quo Cynici philoſopharentur. Dionyſius Syracuſanorum tyrannus exul Corinthi bonas artes profeſſus eſt, ut Cicero lib. 3. Tuſcul. quæſt. Val. Max. lib. 6.

Philippus rex cùm filium ſuum Alexandrum Ariſtotelis diſciplinæ commiſiſſet, ſcholam eis deſtinauit, NYMPHÆVM apud Miezam, ubi hodie etiamnum ſedilia Ariſtotelis ſaxea, & ambulationes opacæ demonſtrantur. Plut. in Alex.

Egnatius in Spartiani Adriano ſcholas Alexandrinas haſce recenſet, MVSÆVM, SERAPIVM, & ISEVM, à Muſis, Serapi & Iſide denominatas. In Muſæo ſacerdotes præfecti & bonarum artium ſtudioſi iuuenes, ad neceſſarios Reipub. uſus liberaliter alebantur, ut Strabo & Volaterranus teſtantur: & Timon Phliaſius philoſophos ridere ſolebat, quòd tanquam aues precioſiſſimæ in Muſarum calatho (ſic enim uocabat Muſæum) nutrierentur, ut ſcribit Athenæus libro 1. cap. 17. Serapium pulcerrimum gymnaſium, porticus habebat ſtadio maiores, ac forũ iudiciale, & lucos. Strabo li. 17.

Anno ſalutis 1253. Robertus Comes Druydum, frater D. Ludouici regis, Lutetiæ, fundauit collegium SORBONÆ. Chronicon Francorum.

Ioanna Nauarræ regina, Philippi Pulcri regis uxor, Muſæum, quod NAVARRÆ dicitur, Pariſiis extruxit, locupletauitq;, ad ſcholaſticorum tenuitatem ſuſtentandam. Aemil. lib. 8.

In Louaniẽſi gymnaſio ſunt quatuor collegia, diſciplinarum omnium referta doctoribus, Lilium ſcilicet, Falconium, Caſtrenſe, & Portium: in queis, uetere inſtituto, honeſtis atque ingenuis, quos egeſtas preſſerit, in aliquot annos, ad capiendum ingenij cultum, alimenta publicè præbentur. Iouius in Hadriano VI.

ACADEMIA FORMALITER CONSIDERATA,

RESPECTV ſcilicet

PERSONARVM. NIMIRVM

DOCTORVM. DE ILLORVM

Officio.

Modo docendi.

ANDALVSIÆ philoſophorũ in Hiſpania Auerroes libro Collectaneorum, de Diuiſione operis agens, meminit, eorumq; curioſitatem in diſtinctione operum Ariſt. per capita atq; textus ſugillat.

Priuilegiis.

Profeſſores BERYTHENSES, ut rectiùs iuuẽtutem erudire poſſent, à tutela & cura excuſabãtur. gloſſ. §. fin. l. ſed & reprobari. ff. de excuſat. tut.

DISCIPVLORVM, AVDITORVM.

De Priuilegiis.

Modo Diſcipulorum.

Dioclẽtianus & Maximinus in quibuſ priuilegiis ſcholã BERYTHENSEM auxerẽt, ut is, qui ætate uel profectione ſe excuſaret, id dare eſt, ubi tale reſcriptũ exat ad ſtudioſos Berythenſes: Cùm uos conſimilibus liberalibus ſtudiis operã, maximè circa Iuris profeſſionem, conſtitutos in ciuitate Berytorum, prouinciæ Phœnicis: prouidentes utilitati publicæ, & ſpei ueſtræ, decernimus, ut ſinguli uſque ad XXV. annum ætatis ſuæ non auocentur.

Certaminibus.

Sub Chriſtophoro Caſtellione, Baldi antagoniſta, Papiæ factiones STVDIOSORVM Iuris, pro doctorum ſuorum celebritate contendentium, cepiſſe, Portius teſtatur. Inſtit. de ſuſpect. tut. §. ſuſpectus.

RERVM IN GENERE. HVC Academiarum, Scholarum, Gymnaſiorum

INSTITVTIO. NEMPE

Qui Inſtituerint.

NINIAS Aſſyriorum rex, Semiramidis filius, templa deorum ornauit, & eruditorum hominum ſcholas liberaliter auxit, atq; noua quędam gymnaſia introduxit, ut auctor eſt Beroſus. Middendorpius.

PSAMMETICHVS Aegyptiorum rex pueros Aegyptios curauit lingua Græca imbuẽdos. A quibus linguam Græcam edoctis oriundi fuerunt, qui poſtea in Aegypto fuêre interpretes. Herod. lib. 2.

M. ANTONINVS Romanorum Imp. poſtquam Athenas uenit, initiatuſq; fuit, cùm alios honores tribuit Athenienſibus, tum in urbe eorum doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos conſtituit, ad omnium gentium utilitatem. Xiphilinus in Antonino.

In Gallia

In Gallia, rhetore publico apud Cliuienses extincto, CONSTANTIVS Cæsar, ciuitatis eius ornandæ & iuuentutis excolendæ gratia, Eumenium rhetorem, qui sibi magister memoriæ fuerat, illi præesse auditorio iussit, ac salariũ sexcẽtorum millium numũm ei attribuit. Is onere suscepto, ut gratiam à Cliuiensibus suis iniret, præsidem Gallię adiit, atque oratione habita postulauit, ut scholas Menianas, quę erant inter Mineruæ & Apollinis templa constructæ, reficeret, atq; ad id opus pecuniam sibi à principibus in epistola constitutam adhiberet. Sigonius lib.1. occid. Imp.

CAROLVS Magnus Imp. Parisiensem scholam instituisse dicitur, anno 791. hac occasione. Ex Scotia in Galliam delati sunt Claudius, Ioannes, Rabanus & Alcuinus, siue Albuinus, omnes olim Bedæ discipuli: qui se nihil aliud præter bonas artes & sapientiam è patria exportasse profitebantur, eamque uenalem se habere. Res ad Carolum defertur. Iussu eius uocantur: eidemque profitentur liberè, gratis etiam se edocturos, si modò eis locus & alimenta præstentur. Accepit rex conditionem, eosque apud se retinuit. Hinc Parisiense gymnasium initium sumsit. Tum uerò non multo pòst Ioannes Mailrosius cognomine, Ticinum in monasterium D. Augustini ad erudiendos monachos missus: Claudius (cui nomen Clemens) Britannus genere, Parisiis manere iussus, Alcuini (qui postea Caroli Magni amicus & magister fuit) collega fuit. Rabanus Maurus Fuldensis, sextus Moguntinorum pontifex creatus est. Carolus itaq; Parisiensem scholam primus instituit, & in ea Aristotelem doceri uoluit: item Ticini in Italia, & Osnaburgi ac Reginoburgi in Germania. Polydorus lib. 4. & Auentinus libro 3. & Cranzius in Metropoli lib.1. cap.2. Hen. Erfordensis cap. 69. Vincentius lib.23. cap.173. & Gyraldus dialogo 5. histor. poet. Academiam ab Athenis Romam, inde per Carolum Magnum Parisios translatam scribit Vuernerus in Fasciculo, anno 791. iuxta Palmerium. Et sic tribus aut quatuor seculis extinctum literariæ sapientiæ lumen, in mundo rursus accensum est.

ETHELVOLFVS Anglorum rex anno 847. fertur instaurasse Romæ scholam quandam primò ab Offa Merciorum rege conditam, & paulò antè eius aduentum in Vrbem, incẽdio ferè consumtam. Ipsam autem scholam, ubi Romæ Angli duntaxat mouebãt, bonisq; artibus operam dabant, eo loci fuisse putãt, quo postea hospitalis domꝰ diuo Thomæ dedicata posita est, ad quam Angli homines receptum habent. Polyd. lib.5.

FRIDERICVS II. Imp. instituit Academiam Neapolitanam cum multis priuilegiis, coq; adsciuit omnium disciplinarũ doctores. Collenutius lib.4.

Bartholomæus de Saliceto, Bononiensis, I.C. auctor fuit ALBERTO Estensi Ferrariæ marchioni, ut à Bonifacio pont. priuilegium Academiæ Ferrariæ constituendæ impetraret. Moritur Bononiæ senex, ad S. Dominicum sepultus.

ALFONSVS IX. Hispaniæ rex, sapientes è Galliis & Italia cõuocauit, ut sapientiæ disciplina à regno suo nunquam abesset, & magistros omnium facultatum Palentiæ congregauit, quibus & magna stipendia est largitus, ut omni studere cupienti quasi manna aliquando in os influeret sapientia cuiuslibet facultatis. Rodericus Toletanus libro 7. rerum Hispan. cap.34.

Quomodo.

Quæ in condendis scholis sint obseruanda, Lud. Viues libro 2. de Trad. disciplinis accuratè docet.

Cur.

Q. SERTORIVS in Osca urbe liberalium artium Gymnasiũ aperuit, & ibi DC procerum filios suis sumtibus aluit: tum ut Hispanorum animi literatura mollirentur, tum ut hisce ueluti obsidibus parentes in officio & fide continerẽt. Plut.

DISSIPATIO.

EDESSENA, schola Persica aliàs, à Zenone Imperatore funditùs euersa, propter Nestorij hæresim, quam docebant. Theodorus Lector lib 2.

SACRA schola erat Constãtinopoli prope Palatiũ, in qua uetere instituto magister unus doctrinæ magnitudine clarus cum discipulis duodecim, ingenio studioq; præstantibus, uersabatur. Hi postquam omne dicendi artificium attigissent, magna cura ecclesiasticam rerum diuinarum scientiam pertractabant: neque sine eorum consilio publicè agi quidquam ne Imperatori quidem permittebatur. Hos Leo III. Imp. cùm ad se uocatos sæpè in suam adducere sententiam, sed frustrà, tentasset, in Auditorio inclusos ipsos cum libris, qui magni precij erant, & sacra omni comburi supellectile iussit. Sigonius lib.3. regni Ital.

BONONIENSIA & VERONENSIA priuilegia Friderici II. Imp. ob rebellionem in Patauinam scholam transtulit. Cuspinianus, & Platina, & Sabel.

Academia BONONIENSIS ab Iareslao Polono transmuta ta ob cædem studiosi. Vide Tit. Mortis illatæ ultio.

PRAGENSEM Academicam Germani à Boemis Hussitis uexati deseruere, & Lipsiam migrauere uno die supra bis mille. Aeneas Syl. cap 35. hist. Boem.

ROSTOCHIENSIS Academia à principibus Magnopolensibus instituta, in ipsis suis incunabulis grauiss. passa est calamitatem. Nam cùm seditione orta proconsules cum Senatoribus ex urbe eiicerentur, ciuitati sacris interdictum fuit à concilio Constantiensi & Basiliensi. Ea censura moti Academici omnes Gripesualdiam excessere. Cæterùm dum reditum miserè expetunt, iis conditionibus redire permissi, uti annuis salariis suis, quæ à Senatu conferebantur, prouentibus item Ecclesiarum, quos principes contulerãt, in CC annos renunciarent: iis exactis, tum demum census pristinos reciperent. Cranzius libro 11. Metropol. cap 22. & lib.11. Vandaliæ, cap.32.

RESTITVTIO.

Cùm ex terræmotu Colossus, mœnia, & gymnasium RHODIORVM cum bibliotheca corruissent, eo tempore, quo Antiochus rex aduersus Ptolemæum regem Aegypti bella gerebat, ipsi tantum gratia sua apud reges ualuere, ut maxima ab ipsis munera consequerentur, auri & argenti multa talentorum millia, preciosissimos lapides, & optima ligna, quibus & urbem, & gymnasium multò splendidius instaurarunt. Polybius lib. 5.

Sub D. LVDOVICO Francorum rege Lutetiæ florebant liberalia studia: iuuentutis concursus undiq; illuc fiebat. Scholastici suorum nonnullos à ciuibus pullatos conquesti, alij in alia cæterarum urbium Musæa concessere. Anglus rex Henricus III. proposita ingentium premiorum, honorum, uacationum, emolumentorum spe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo, exiliumque literis indictum Lutetiæ uidebatur. Rex non minùs decoris liberales artes, humaniora studia, sacram disciplinam, cultum ingenuorum Francis, quàm arma afferre prædicans, egregiamque consociationem fore bellicarum rerum gloria cum diuinarum humanarumque rerum cognitione doctrinaque coniuncta: Regiæ urbis ciues ad officium colendosque doctores discipulosque reuocauit. Suus ingenuis artibus honor habitus. Aemilius lib.7.

Ticinensem scholam, Parisiensis sororem, GALEACIVS II. Vicecomes, Caroli IV. Imp. auctoritate, restituit, teste Iouio in uita Galeacij, & Io. Galeacius F. auxit. Vide Tit. Docti in precio habiti.

VLADISLAVS Boemiæ & Hungariæ rex, conatus est gymnasium Pragense in antiquam dignationem restituere, conductis ex Italia claris doctrina & eloquẽtia professoribus, nullo non propositum regium mirificè laudante, extra senem quendam Corandam, cum paucis magistellis gymnasium occupantibus, qui metuentes ne bolus eis è faucibus eriperetur, clamare apud suos ceperunt: Actum est de religione uestra, Pragenses, ni uigilauerit is, conatumque per hæc regis irritum fecerunt. Dubrauius lib.32.

RERVM IN SPECIE. SIC CONSIDERANTVR ACTVS Academici

THEORICI. VT SVNT

Lectiones publicæ.

FRIDERICI II. Imp. Germani studio atq; cura factum est, ut Aristotelis opera, quæ apud Saracenos latebant, in orbẽ Latinũ postliminio reuersa sint, & priùs ex Arabica lingua summum philosophum balbutientem Occidentales homines audierint, quàm sua lingua fluentẽ uiderint. libros certè eius ab eodem Bononiensi Academiæ missos, & ad philosophandum seriò oblatos fuisse, Pandulfus Collenutius testatur.

Disputationes.

Theologi Parisienses, qui primum totius Europæ locum in Theologia scholastica sibi uendicant, duo habent præcipuè collegia, Sorbonam & Nauarram, coq; confluere solent ex omnibus propè gẽtibus, doctrinæ percipiendæ causa. Candidati huius professionis, qui uulgò dicuntur BACCALARII, per totã ætatem multis exercẽtur disputationibus, & per horas duodecim argumẽtis omniũ ut respondeant oportet. Hic mirę sunt digladiationes, & de reb. subtilibus magnis agitur clamoribus, & certamẽ ferè finitur auditorum strepitu, cùm ex disputatoribus alter uel ineptè uel prolixè nimium agit: foris per cãcellos auscultant theologi doctores, qui Magistri nostri dicuntur. Sleidanus lib.3.

POLITICI. VT SVNT.

Iurisdictio



Magistratuum electio.

Hæc ipsa ut inter iuuenes genio & ingenio florentes necessaria admodum est, ita uaria admodũ apud diuersos: alibi Democratica, alibi Aristocratica alibi Monarchica. Dignitum ad funtem intendisse sit satis.

Iudicia.

Lutetiæ Prætor duos studiosos insolenter agentes ceperat, & patibulo affixerat. At SCHOLARES seditione mota eò rem deduxere, ut illos in ipsa cruce in faciem osculari, & de cruce depositorum funus honorificum ducere cogeretur. circa an. Sal.

HEIDELBERGENSIS Academia ius summum uitæ necisque in oẽs sibi subiectos habet, quod ne Principis quidem auctoritate infringi ualeat. Magnum hoc, adeoque rarum, & nè Parisiensi quidem Scholæ à Carolo Magno & sequentibus Franciæ regibus concessum.

OECONOMICI. V. C.

Hospitij ius.

Inter PATAVINÆ scholæ priuilegia uetera etiam illud fuit, ut ne quisquam opificum eorum qui cum strepitu artem suam exercent, cuiusmodi sunt fabri omnis generis, ferrarij simul & lignarij, prope Collegia & Auditoria habitare possent, quod Vniuersitati studiosorum datum uidetur: at priuatim singulis, quòd si quis studiosorum habitationis secutus oportunitatem, eo uiciniæ commigraret, ubi similis opifex habitaret, hic ipse uel loco cedere, uel à strepitu omni, exceptis iis horis, quibus studiosus abesset, abstinere coge-
retur.

VOLVMINIS VIGESIMISEXTI FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vigesimum-septimum

VITAM Hominis RELIGIOSAM

QVINQVE LIBRIS exponens.

ΥΓΙΕΙΑ.

IO. VILLENBRO-
chio Dantiſcano
Ferdinandi illuſtriſs. Auſtriæ
Archiducis
illuſtri, pio, felicique
Archiatro
Symmyſtæ olim in Acad.
Patauina ſuo
THEOD. ZVINGERVS
Voluminis
XXVII. quinque Libros
QVORVM

I. *De Vita religioſa* NATVRALI *diſſerit*
II. *De* IVDÆORVM *religione*
III. *De religioſa ſocietate* CHRISTIANORVM
IV. *De* ETHNICORVM *uita religioſa*
V. *De religione* MAHVMETANORVM *agit*

D D Q.

Cuius editio cùm in Aſclepiadea FILI eiuſdem nominis & ominis Athenis Heluetis ritè celebrata inciderit MYSTERIA & uet. familiaritatis mem. refricabit, & recentis ΣΥΝΤΕΚΝΙΑC inauguralem congratulationem illuſtrabit.

TOMI XXVII. LIBB.
DISPOSITIO.

DE Religione uera, quæ unica eſt, ſub Iuſtitia religioſa egimus: de falſa, quæ bellua multorum eſt capitum, ſub loco Superſtitionis & Impietatis. At hoc Tomo de Religione agitur, qualiſcuriq; ea ſit, tanquam de ſocietatis humanæ uinculo arctiſſimo: unde etiam nomẽ traxiſſe uidetur, à religando ſcilicet, & deuinciendo, dicta. Nam cùm in Oeconomicam ſocietatem cauſa priuatæ, in Politicam cauſa publicæ neceſſitatis homines coeant, quarum utraq; ad hominẽ per ſe refertur: in Religioſam certè non niſi cauſa Numinis conueniunt, ut ad auctorem ſcilicet ſuum omnia referantur. Funiculus triplex difficilè rũpitur, inquit ille: & triplici hocce uinculo ceu tricipiti anchora ſocietas humana firmatur atq; ſuſtentatur. Suppoſitis ergo fontib. generalib. ſingillatim religionis quo ad baſim ſuã Veræ primùm, Iudaicæ & Chriſtianæ, deinde Falſæ, Mahumetanorũ & Ethnicorum exempla afferamus, nulla diſtinctione ueri uel falſi, boni uel mali, ſed recenſione tantùm eorum, quæ de ſingulis in unaquaq; Religione ſeu Doctrinæ ſeu Praxeos capitibus placuerunt uel diſplicuerunt, iiſdem uel diuerſis: ne in Chriſtiana quidem religione Hæreticorum dogmata, licèt dogmatis Orthodoxorum penitùs contraria, omiſſuri: nec pia tantùm, ſed & impia & ſuperſtitioſa ſub idem caput relaturi: quorum diiudicatio ad Philoſophiã Diuinam & ad Iuſtitiam pertineat religioſam.

RELIGIONIS *fundamentũ, ſi Efficiẽtem ſpectes, uel internũ eſt, Natura ſcilicet: uel externũ, Deus, Dæmõ, Homo, ſi Inſtrumentũ, uel Ratio, uel Lege declarata Auctoritas. ſi Materiã ſubiectã, uel Creator Deus, uel Creaturæ, & hæ corporeæ incorporeæúe. Religioſæ ſocietatis uinculum uel*

- Φύσις, *hoc eſt, Natura, ſiue Ratio humana, ſecundũ quam homo, niſi peccaſſet, uicturus erat. Lex* NATVRAE *non extrinſecus data, ſed mentibus digito Dei inſcripta.* LIBER I. *De* RELIGIONE *Naturali.*
- Νόμος, *Lex data & promulgata auctoritate*
  - Diuina, *atque uera, per*
    - Moſen, *ſecundũ Iuſtitiam diuinã.* LEX SCRIPTA. *De* RELIGIONE *Moſaica* IVDAEORVM. *LIB.* II.
    - Chriſtum *Opt. Max. ſecundùm Miſericordiam diuinam.* LEX GRATIAE. *De* RELIGIONE *Chriſtianorum.* LIB. III.
  - Diabolica, *duũ generũ, reſpectu ſu iecti. Nã uel cultũ docet*
    - Dæmonum, *Deorum multorum, uanorũ, fictorum. Sic Ethnici multitudine Deorũ incredibiliter decepti. Nam ut Dei unius ueri cultum ab Abelo illuſtratum unus Iudæorũ populus retinuit: ita reliqui populi omnes, ciuitatis impiorum à Caino primũ fundatæ ciues, cùm numero uincerent, ἐθνῶν appellationem meruere, adeoq; deorũ quoq; ἔθνεα loco unius ueri Dei coluere. De* RELIGIONE *Ethnicorum.* LIB. IV.
    - Dei *unius ueri, ſed peruerſo dogmate. Sic Mahometus ad alliciendos omnium religionum homines ex tribus præcipuis religionum ſpeciebus legem ſuam conſarcinauit. De* RELIGIONE MAHVMETANA. *LIB.* V.

Voluminis Vigesimiseptimi

Liber I.

De RELIGIONE Naturali.

METHODI necessitate adducti, locum hunc proponere uoluimus, ab ijs qui sacris uersati sunt excolenaum. Nobis in hoc Jnani (sic enim Aeuum hocce primum traditione domus Heliæ appellatur) nihil aliud quàm Jnane historicũ occurrit, si ea quæ D. Augustinus diuinis illis de Ciuitate dei libris de ortu, ciuitatis piorum & impiorũ, tam inde à duob. primis fratribus Abelo atque Caino deducit, excipias. Abrahamum certè ex patre quãtumuis idololatra natũ nõ tam Reuelatione quàm Ratione ad unius Dei cognitionem peruenisse, plerique Theologorum cõstanter asseuerant. Quod rudimentum diuinæ cognitionis cùm is ipse sanctitate & innocentia uitæ aluisset, & Deum ex suis creaturis cognitum tanquam Deum glorificasset: ab eo ipso, qui omnem hominem in hunc mundum uenientem illustrat, quiq; secundùm Petri illud, omnem hominem se timentem & iustitiã operãtem acceptat, dignus fuit iudicatus, cuius tenebricosa Ratio diuinæ Reuelationis radio illustraretur. Eum certè Aegyptijs unius Dei cultũ tradidisse Cedrenus auctor est: adeoq; ut post Reuelationem pater omniũ credentium secundùm Fidem factus est, sic ante Reuelationem pater omnium de Deo sincerè philosophantium haberi potuit. Jobum quoque de terra Hus Hebræorum quidam in eorum numero ponunt, qui cùm ortu Gentiles essent, Rationis tamen perspicacia ad ueri Dei cognitionem peruenerunt. De quibus omnibus sic statuit uir opt. & doctiß. Io. Ludouicus Viues, Valentinus patria: in lib. 18. de Ciuitate dei, c. 47. Qui ex gentibus naturam sequebantur ducem, non prauis iudicijs opinionibusq; inquinatam & corruptam, tam grati esse Deo poterant, quàm qui legem Mosaicam seruauerunt. Quod enim hi consequebantur per legem, illi consequuti poterãt sine lege: & qui tales fuêre sine lege, eôdẽ quo Iudæi peruenissent, quum eôdem contenderent: nec inter eos aliud discrimen fuit, quàm est, ceu quis uiator mandatam gerat chartæ itineris rationem, ac ueluti formã, alter memoriæ fidat, aut iudicio. Idem etiã nostro tempore cõtinget ei, qui quum nihil de Christo audierit in remotißimis Oceani terris natus, duo illa maxima seruarit mandata, in quîs Veritas ipsa legem totam prophetasq; cõstitutos affirmauit, de Deo & Proximo diligendis: huic sua conscientia est lex, & iuxta Psalmistam, memor est in nocte nominis Domini, & custodit legem eius. Hæc ille. Nos uerò, qui extra Christum & Ecclesiam nullam salutem esse certò scimus, hos ipsos Misericordis & Miseratoris domini gratiæ relinquimus.

LIBRI SECVNDI

TITVLORVM

DISPOSITIO.





Voluminis Vigesimiseptimi Liber II.

De Religiosa Iudæorum societate.

IVDÆORVM RELIGIOSA SOCIETAS GENERATIM CONSIDERATA.

INSTITVTIO.

Ex Iustitiæ religiosæ loco illustretur.

EXERCITATIO VEL RECTA.

Non hic Praxeos tantùm, sed Theoriæ quoq; integritatem consideramus.

PERVERSA. HÆRETICI.

Huius sunt loci qui hæresin spectant. At qui docent, sequentur.

SAMARITANI hæretici apud Iudæos, ex gente Cuthæorum ex Assyria eò traducta. Ex lib. 4. Reg. cap. 16.

EVERSIO.

ISRAELITIS in Mediam abductis, Salmanasser Assyriorum rex etiam sacerdotes eripuit, & Samariam in patriam transmisit, ut illic Cuthæos (quos in Samariam transtulerat, & propter peregrina sacra à leonibus infestari audiuerat) in regione Israelitica instituerent. Sic igitur & regnũ & religionẽ simul amiserunt. 4. Reg. 17. & Iosephus lib. 9. Antiq. c. 15.

IVDÆORVM SOCIETAS RELIGIOSA CONSIDERATA respectu PERSONARVM. Huc

PROPHETÆ IVDÆORVM

VERI.

De his Volumine Quinto, sub Diuinationis loco egimus.

FALSI.

Consule locum Pseudoprophetarum.

DOCTORES IVDÆORVM

VERI.

MOSES & AARON Dei iussu diriguntur, ut populus de Pharaonis iugo ereptus, ab Aegypti finibus educatur, sacrificium offerat in deserto, & sic terrã ingrediatur promissionis. Doctoris igitur partes erunt, peccatores ad pœnitentiã compellere, de diaboli seruitute in libertatem gratiæ uindicare, & de terrenis seculãribusq; negotijs ad cœlestiũ meditationem iugiter excitare. Vt quàm beatitudinem animo contemplati fuerint, pietatis iustitiæq; operibus parare sibi nitantur. Marul. lib. 3. cap. 4.

Præter legem Mosaicam pauca, ac ferè nulla Hebræis fuerunt uolumina. Eius uerò sacratiorem interpretationem, quam Cabalam dixerunt, Mosi cœlitùs reuelatam, non per literarum monumenta, sed alter alteri non minus quadraginta annis nato, quasi hæreditario successionis ordine reuelabãt. Sed postquam Iudæi à captiuitate Babylonica per Cyrum uindicati sunt, instaurato sub Zorobabele templo, ad legem quoq; restituendam animum adiecerunt. Cui negotio tum ESDRAS, singulari eruditione & pietate sacerdos, præfectus est: qui permissu Xerxis Hierosolymam reuersus, nõ solùm populi curam habuit, ut in lege erudiretur, à mane usq; ad meridiem, & in festo Scenopegiæ per singulos dies quater prælegendo (id quod ex 2. Esdræ 8. constat) sed etiam posteritatis rationem habens, sacra diuinæ legis uoluminà expoliuit, in cumq; ordinem digessit, quo tandem sub Philadelpho à 70 interpretibus in Græcã linguam trãslata sunt. Sed cùm Esdras uideret, Iudæos exilio fugaq; assidua fluctuare, & cædibus affligi: ueritus quoq; secretiorem diuinæ legis interpretationem interituram, cuius arcana saltem in memoria seniorũ erant recondita: idcirco SEPTVAGINTA uiros sapientia & legis eruditione de gente Israelitica præstantiores, conuocauit, ut unusquisq; quæ de legis mysterijs memoria teneret, palàm referret: quæ adhibitis notarijs, fideli calamo excepta, Esdras in 70 uoluminà digessit, quam Cabalam dixerunt: quæ ineffabilem de diuinitate & angelicis intelligentijs sapientiam, & de rebus naturalibus exactam traditionem cõtinebat. Quam postea iũniores, præter attem reuelationis literarum, mille magicæ artis, quam in Aegypto didicerant, deliramentis & goetiæ uanitatibus, conspurcarunt. Michael Neander in Erõtematis linguæ sanctæ.

ESAIAS propheta cùm se ab angelo carbõnis de altari sumti tactu purgatũ animaduertisset, & Dominus diceret, Quẽ mittam, & quis ibit nobis? ultrò se obtulit, dicens: Ecce ego sum, mitte me. cùm se à delictorũ inquinatione prorsus expiatum agnouisset. Carere enim debet omni uitio, qui aliorum prauitatem paratus est corrigere: ut auditores nõ tam uerbis ad emendationem uitæ prouocet, quàm exemplo. Labia enim iusti (ut in Prouerb. dicitur) erudiũt plurimos. Vnde alibi ad eũdem dicitur, Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion: ut scilicet culmen sanctitatis piè uiuendo incendat, qui prædicationis munus assũmit. Exalta in fortitudine uocẽ tuam, qui euangelizas Hierusalem: nempe ut & qui propè sunt, & qui longè, audiant. Exalta, & noli timere: ne timẽdo illis adulari incipias, quos debes increpare: & sublato cauterio, dum lædere cutẽ formidas, latẽs sub ea malũ suppurare permittas. Ideo namq; præceptum est, Non coquas hœdum in lacte matris suæ: id est, Peccantibus ne blandiaris. Rursum dicitur illi: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Proinde qui in Ecclesia clamant apertè, perseueranter, audãter, suo funguntur officio: ita tamẽ malefacta omnium detestando, ut semper ueniæ spem proponant pœnitentibus: Quia Deus clemẽs & misericors est, patiẽs, & multæ miserationis, & ignoscẽs super malitia. Marulus libro 3. capite quarto.

HIEREMIAS immaturam ætatem excusans, clamat: A, a, à, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Noli, inquit Dominus, dicere, Quia puer sum: quòniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & uniuersa quæcunq; mandauero tibi, loquẽris. Ne timeas à facie eorũ, quia ego tecum sum, ut eruam te. Deniq; Misit, inquit, Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit: Ecce dedi uerba mea in ore tuo, ecce cõstituì te hodie super gentes, & super regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Ibidem.

EZECHIELI Dominus liberè uaticinandi præstitit audaciã, dicens: Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neq; sermones eorũ metuas. Et rursum: Verba eorũ ne timeas, & uultus eorũ ne formides. Adhæc datur illi pro cibo uolumẽ, intus & foris scriptum. Etenim prædicator & exteriorẽ Scripturæ historiam in exemplum auditorũ proferre debet: & interiorẽ mysticumq; sensum, qui sub ea latet, cùm res postulauerit, non tacere. Cuius quidem disciplinæ scientiam si assecutus fuerit, & ipse dicere cum Ezechiele poterit: Comedi illud, & factũ est in ore meo sicut mel dulce. Vel cum Dauid: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Ibidem.

FALSI.

Consule locum Hæreticorum.

SACERDOTES IVDÆORUM. Horum

OFFICIVM.

Moses Israelitarum dux summus quia populum ductaret, ne rei diuinæ cultus omitteretur, mysticam uirgam & tabernaculi, quod Deo optimo maximo sacrificauit, AARONI curam attribuit, ut in desertis, & deuijs terris suus numini honor redderetur, nullum ratus (ut credere est) hominum cœtum sine religione esse oportere, ac nisi Deus præsens sit uolens; humanis intersit rebus, ludibrium esse quicquid homo cogitet, non cõsilium. Sab. lib. 4. cap. 1.

QVALITAS.

SACERDOS mancus altare non ascendit apud Mosem, sacrorum causa: alitur tamen templi oblationibus.

VESTITVS.

Si quis uestes & ornamẽta AARONIS pontificis & filiorũm eius sacerdotum in Exodo consideret, inueniet in eis creaturarum omnium typum: & hoc quidem quantum ad allegoriam pertinet. Quantum uerò ad tropologicum sensum, uirtutum cunctarũ imaginem. Et si anagogen contemplari uoluerit, figuram Christi: In fronte nomen Dei ineffabile sculptum in auro rutilat, quia caput Christus Deus est, & caput ecclesiæ Christus. Oleo sanctificationis cõsecrantur, ut eundem significent, de quo & prædictum est: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Quòd si tanta pontifici & sacerdotibus Dei tribuuntur, ut mundum totum, uirtutesq; omnes contineant, & simul mundi uirtutumq; Dominum nobis exhibeant: quis non eos ante cunctos mortales, qui in terra sunt, ponendos arbitretur? quis uel sola officij auctoritate non omnibus magis reuerendos existimet? Soli pontifici Sanctasanctorum ingredi licet: solis sacerdotibus in altari Deo ministrare: solis panes propositionis sumere, & pro populo supplicare. Cedat omnis terrena potestas: nihil in sacerdotis potestate conspicimus, quod non cœlo dignum sit. Marulus libro 3. cap. 5. Polyd. lib. 4. cap. 5. de Rerum inuent.

PRIVILEGIA.

Apud Israelitas, dum adhuc Silunte templum esset, pontifices hoc ius habebant in populum, ut quocunq; sacrificium faciente, dũ caro coquebatur, ueniret puer PONTIFICIS, fuscinam tridentem ferẽs, qua in lebetem aut ahenum immissa, quicquid extrahebat fuscina, id sibi pontifex uendicabat. Etiam ante incensum suffitu adipem, ueniebat pontificis puer, & immolatori iubebat, ut carnem daret assandam pontifici: pontificem enim ab eo non esse coctam, sed crudam carnẽ sumturum. Filij igitur Eli pontificis duo nequissimi, Phinees & Hophnis, hac libertate abutebantur, & rapiebant etiam nolentibus per uim: præter stupra, quę inferebant mulieribus illuc ueniẽtibus. Ob quæ scelera grauì clade à Palæstinis affecti sunt Israelitæ, & arca domini ab ijsdem capta, Phinees & Hophnis in acie cæsi. 1. Regum 2.

Israelitarum SACERDOTES funeribus contaminari non licebat, ne regum quidem suorum & principum, nisi consanguinitate proximi essent, aut certè uirgo quædam innupta proxima. Leuitici 21.

SVCCESSIO.

Hebræi tradunt, MELCHISIDECVM regem Salem, fuisse Semum Noachi F. omnesque adeo primogenitos ex stirpe Noachi sacerdotes fuisse, & Deo uictimas immolasse, usq; ad sacerdotium Aaron: & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo Iacobo uendiderit. D. Hieron. ad Euagrium.

PONTIFICES SVMMI IVdæorum. Horum

SVCCESSIO.

Aaroni eiusq; posteris summus pontificatus apud Israelitas diuino concessus oraculo. Ab Aarone usque ad Phanasum, quem Iudaici belli tẽpore seditiosi creârunt, 83 numero fuere pontifices. Horum XIII per continuatas successiones duorum Aaronis filiorum Eleazari & Phinees, sub optimatibus deinde Iudicibus, mox & Regibus per DCXII annos ad Solomonẽ usq; hoc honore sunt potiti. A' Solomone autem, qui templum ædificauit, usq; ad Iosedecum, qui capta urbe à Nabucodonosoro Babylonẽ abductus est, per annos 466. M.VI.D.X. pontifices fuere XVIII. Post 70 annos Babylonicæ captiuitatis Iesus Iosedeci F. cum posteris suis, XV uniuersi, statum Reip. popularem per annos CCCCXIII usq; ad Antiochum Eupatora rexerunt. Eupator Acimum ex Aaronis quidem progenie, sed nõ ex eadem familia natum, pontificem constituit, occiso Menelao. Eo mortuo, per septennium sine pontifice mansit ciuitas. Interea cùm Assamonæorũ familiæ principatus cõtigisset, pontificatus quoq; eisdem honoris ergò delatus fuit. Eundẽ igitur nouem ordine obtinuerunt, usq; ad Aristobulum Hyrcani nepotem. Quo in piscina Hierichuntia suffocato, sub Herodis Magni principatu, usq; ad Hierosolymæ direptionem per annos CVII. pontifices fuere numero XXVIII. Iosephus lib. 20. cap. 8. Antiquitatum.

AARON Mosis frater, ciusq; filij Nadabus, Abius, Eleazar, & Ithamar, ex omnib. Israelitis à Domino selecti, qui sacerdotio fungerentur. Aaroni tanquã summo pontifici peculiarem habitum constituit, monile, ephodum, præextam, tunicam circumtextam, infulam & cinctum. Exodi 28.

ELEAZAR filius Aaronis successit, anno Mosis 39. Numerorum 20. Obijt anno Iosue 28.

HELI summus sacerdos, & iudex Israelitarum 17. regnauit annis 40.

ELEAZAR F. Aminadabi, Heli casu peremto, ab Israelitis electus, cùm Philistæi arcam Domini, quam sex mensibus captam detinuerant, in domo Aminadabi in Gabaa reposuissent, in qua 20 annis permansit.

ACHIAS Achitobi F. pontifex Silunte, ephodum gestauit, quo tempore Ionathan Sauli F. præsidium Palæstinorum, solo armigero comitante, superauit. 1. Regum 14.

ACHIMELECHVS Nobæ ephodũ gestabat. Ob susceptum Dauidem, à Saulo cum familia & posteritate Heli sacerdotis, & urbe deletus. Solus Abiathar filius cũ ephodo ad Dauidem Ceilam euasit. 1. Regum 21.

ABIATHAR Achimelechi F. Dauidis exulis comes, anno Sauli 6. Hunc Dauid rex pontificem cum Sadoco esse uoluit. At mortuo Dauide cundẽ Salomo rex pontificatu priuauit, quia defectionis Adoniæ particeps fuerat. Et sic à familia Eli ab Ithamaro translatum est sacerdotium ad familiam Phineis Aaronis filij. 3. Regum. 2.

SADOCVS de familia Phinees, anno Salomonis 2. cùm iam pridem Dauid uictis Philistæis, statim sub regni initia, arcã Hierosolymam reduxisset. Hic primus pontifex templi fuit à Salomone extructi. Vide Iosephum lib. 10. c. 10. Antiquit.

AHIMAS eius F. anno Roboami 12.

IOAHAS, anno Iosaphat regis 7.

IEHOIARIB, anno Iehoram regis 6.

IEHOIAPHAT, anno Ochoziæ regis 1.

IEHOIADA & PHADAIA summi sacerdotes, anno Athaliæ 7. & ult. Iehoiadę F. fuit Zacharias propheta. Ioam puerum in regnum restituit, occisa Athalia, & in omni pietate erudijt. Post 27 annos eo mortuo, Ioas in idololatriam lapsus, Zachariam lapidari iussit. 4. Regum 11. & seq.

ZEDAKIA, anno Amaziæ 4.

AZARIA, anno Oziæ siue Azarię regis 43. qui regem in templo sufficientem corripuit. 2. Paralip. 26.

VRIAS, anno Achas regis idololatræ 7. impij regis idololatriam adiuuit, neq; contradixit. 4. Regum 16.

NERIIA, anno Ezechiæ regis optimi 8.

HOSCHÆIA, anno Manassis regis 19.

HELCIAS, qui librum legis in templo repertum Iosiæ regi misit. 4. Regum 22.

AZARIA, anno Iehoiakim 8.

IOSEDECVS successit, qui cum Sedecia rege, incensa urbe Babylonem abductus, per 70 annos.

IEHOSVA Iosedeki F. post reditum ex captiuitate Babylonica, duce Zorobabel, anno primo. Gerardus Mercator in numeris annorum multum uariat.

IOACHIM F. Iehosua, anno post liberationẽ è Babylone 39.

ELIASIB patri in sacerdotio successit, anno post liberationem circiter 73.

IVDAS siue IOIADA Eliasibi patri in sacerdotio successit, anno post liberationem 113.

IOANNES siue IOATHAN siue Iohanã, Iudæ F. frater Iesu, anno post liberationẽ 131. Hic Iesum fratrẽ in templo Hierosolymis interfecit.

IADDVS siue Iaddua, Ioannis F. frater Manassis, anno post lib. 184. Hic Alexandro Magno obuius uenit.

ONIAS Iaddi F. anno post liberationem 225. post mortẽ Alexandri Magni 3.

SIMON F. Oniæ, Iustus appellatus propter pietatem, & Priscus, an. liberationis 243. per annos 28.

ELEAZARVS Simonis frater suscepit templi ministerium, Onia Simonis F. etiamnum infante, anno liberationis 274. Sub quo 70 Interpretes ad Ptolemæum Philadelphũ missi.

MANASSES Eleazari patruus, anno liberationis 296. uel ut alij, 308.

ONIAS, F. Simonis Iusti, anno liberationis 333. pusillanimis & auarus.

SIMON, Oniæ F. anno 362.

ONIAS, Simonis F. anno 364. cum quo Arius rex Lacedęmoniorum fœdus inijt. Ab Andronico miserè interfectus.

IESVS, qui & Iason, Oniæ frater, anno 371.

ONIAS, fratrũ minimus, qui & Menelaus, ab Antiocho Epiphane sacerdotiũ fratri Iasoni ereptum obtinuit, anno 372. sed factione populi pulsus ad Antiochum confugit, & ad Græcorum religionem defecit. Mox restitutus, anno 10 ab Eupatore interfectus est.

ALCIMVS à Lysia Antiochi duce summus sacerdos constituitur, cùm de genere sacerdotum non esset, anno 384.

IVDAS Machabæus dux simul & pontifex primus, anno 388.

IONATHAS frater Iudæ Machabæi, ab Alexandro Epiphane rege Syriæ pontifex creatus, quadriennio post mortem Iudæi, cùm uacasset interim sacerdotiũ. Anno quarto pontificatus à Tryphone per dolum necatus. 1. Machab. 10.

SIMON Ionathanis frater, dux & pontifex annis octo, à Ptolemæo socero in conuiuio occisus.

IOANNES, q & Hyrcanus, Simoni patri successit. Sedit an. 31.

ARISTOBVLVS Hyrcani F. à Iuda Machabæo V. Iudæorum dux & sacerdos, post Babylonicam captiuitatem primus diadema sumsit.

HYRCANVS Aristobuli regis F. matre Alexandra regnum mortuo patre gubernante, ipse per nouem annos sacerdotio præfuit. Matri mortuæ in regno etiã successit. Post menses tres ab Aristobulo fratre pulsus, & Cn. Pompeij ope restitutus, 40 annis regnum cum pontificatu administrauit. Dein iterum ab Antigono Aristobuli F. pulsus, & mutilato corpore captiuus apud Parthos per quinquennium uixit, cùm regis & pontificis loco à Iudæis Babylone coleretur. At postquàm Herodem generum regnum occupasse audiuit, ab eo literis inuitatus, in Iudæam reuersus, & aliquandiu honorificè tractatus, tandẽ à genero falsis criminibus confictis interfectus est, cùm annum octogesimum excessisset. Iosephus lib. 15. cap. 9.

ANANELVS ab Herode Iudæorum rege pontifex constitutus, coq; mox priuatus, in locũ eius Aristobulum Alexandri F. (qui & Ionathas) suffecit. Sed non multo pòst, Aristobulo ab Herode interfecto, Ananelus restitutus est.

IESVS Sabetis uel Phabetis F. anno Herodis 8.

Herodes anno 14. deposito Iesu SIMONEM Boethi Alexandrini F. pontificem fecit, eius filia in uxorem ducta, & ex ea filium suscepit Herodem.

Herodes anno 37. & ultimo regni Simonem socerum sacerdotio priuauit, propter filiæ ueneficiũ, & MATHIAM Theophili F. pontificẽ designauit, cùm anno antè Iesus Christus seruator noster natus esset. Iosephus lib. 17. c. 6. Antiquitatũ.

IOAZARVS uxoris Herodis frater, in locum Mathiæ suffectus, de seditione suspecti. Archelaus eo deiecto subfituit IESVM Siæ F. Iosephus lib. 17. cap. 15. Quo in exilium relegato, Cyrenius Iudeæ prefectus ANNANVM Sethi F. summum pontificẽ designauit, anno post Christum natum 12. Eo postea deposito, Val. Gracchus uel Gratus præfectus ISMAELEM Iabi F. suffecit, anno post Christum 17. Tertio pòst annõ ELEAZARVS, Annani F. pontifex designatus, deiecto Ismaele. Anno pòst SIMON Camithi F. eoq; deiecto IOSEPHVS, qui & Cayphas, anno natiuitatis Christi 22. Olympiade 200.

IONATHAS Annani F. sacerdos à L. Vitellio Syriæ præfecto constitutus, deiecto Caypha, anno Christi 39.

THEOPHILVS Ionathæ fratri deiecto substituitur à Vitellio Syriæ præside.

SIMON, cognomine Canthara, Boethi F. ab Agrippa rege Theophilo sufficitur, anno 44.

Deiecto Simone, Agrippa Ionathæ sacerdotium reddere uoluit, tanquam digniori. At Ionathas MATHIÆ fratri suo, utputa meliori & sanctiori uiro, id ab Agrippa impetrauit. anno Christi 45.

Mathia deposito, substituitur ELIONEVS Githæi F. ab Agrippa rege, anno 46.

SIMON Canthara iterum. Eo deiecto substituitur ab Herode de rege Chalcidis Agrippæ fratre (qui ius eligendi pontifices à Claudio Cæsare impetrauit) IOSEPHVS Canei uel Camydæ F.

Iosepho deiecto, Herodes substituit ANANIAM Nebedæi F. ob seditionem sub Cumano ortam: quia miles Romanus Iudæis genitalia ostenderat, uinctus Romam mittitur. IONATHAS à Felice Syriæ præside ob libertatem reprehendendi per insidiatores interemtus. ISMAEL Phabei F. ab Agrippa rege Agrippæ F. creatus. Is cùm legatus ad Neronem missus, obsidis loco detentus fuisset, Agrippa IOSEPHO, Cabi dicto, Simonis quondã pont. F. pontificatum detulit. Mox eo deiecto, ANNANVM Anani F. substituit. Cui, ob interfectum D. Iacobum, tertio mense dignitatem abrogauit, & IESVM Damnei F. elegit. Quem rursus, iussu Agrippę, IESVS Gamalielis F. expulit. Eidem successit MATHIAS Theophili F. sub quo Iudaicum bellum cepit. Cui seditiosi PHANASVM suffecerunt. Tandem cùm Zelotæ (sic sese homines seditiosi appellabant) templum occupassent, & optimum quemq; interfecissent, pontifices non amplius successione familiarum creabant, sed forte. Itaq; una sacrarum tribuum, quæ Eniachin appellabatur, accita, sors cecidit in PHANEM Samuelis F. rusticũ ex uico Aphthasi, etiam quid pontificatus esset nescientem. Eum ab aratro ui abstractum, tanquam in scena pontificalibus ornauerunt insignibus. Iosephus lib. 4. cap. 3. belli Iud.

VESTITVS.

HYRCANVS pontifex Iudæorum, eius nominis primus, extructa prope templum turri, degebat in ea maiorem temporis partem: & quoniam stolam sactam pontificiam habebat in sua custodia, qua nemo præter illum utebatur, receptuus priuatum habitum, eo loci illã deponebat. Idem mos fuit etiam successoribus ipsorũ posteris. Herodes autem regnum adeptus, turrim hãc oportuno loco sitam magno sumtu exędificatam denominauit ab amico Antonio, & stolam, ita ut ibi reperta est, detinuit: ratus eo magis obnoxium se habituum populum. Idem fecit Archelaus filius eius, & successor: cuius regno in prouinciam mutato, Romani simul & pontificiæ stolæ possessionem nacti sunt, in cella ad hoc ipsum structa repositæ, & obsignatæ sigillo pontificum arcq; custodum sacri ærarij, præfecto castelli accendente ibi lucernam quotidie. Hanc septimo ante festum die præfectus exhibebat pontifici: qua purificata indutus sacrorum tempore, sequenti die rursum eam reponebat in cellam, ubi antea condita fuerat. Id fiebat singulis annis ter ieiunij tempore. Vitellius autem Syriæ præfes Hierosolymam ueniens, in sacerdotum potestatem eam stolam tradidit, ut in templo posthac seruaretur. Iosephus. libro 18. cap. 6. Antiq.

MVLIERES IVDAEOrum. Puta

PVERPERÆ.

Mulier cùm masculũ pepererit, immunda est dies septem: cùm feminã, quatuordecim. purificationis quoq; dies hic sexagesimussextus, illic trigesimustertius præscribitur: nec antè puerperę ingredi sanctuarium licet, quàm purificata fuerit.

SPONSÆ.

ADVLTERÆ.

ORDINI CERTO ADSTRICTI. SECTÆ Iudæorum.

Sub Machabæis tres Iudæorum sectæ sunt ortæ, quæ de rebus humanis inter se dissentiebant: una PHARISÆORVM dicta, altera SADVCÆORVM, tertia ESSENORVM. Horum Pharisæi, quædam, at non omnia fato tribuunt, quædam uerò in sua potestate esse aiunt, ut uel fiant uel non fiant. Esseni uerò omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere. At Saduceæi fatum omnino negant, & è rebus tollunt, dicẽtes nihil fataliter euenire hominibus: & omnia in nostra ipsorũ potestate esse, ut tam felicitatis nobis ipsi autores simus, quàm infortunij, si deteriora consilia secuti fuerimus. Iosephus lib. 2. cap. 7. belli Iudaici. & lib. 13. cap. 9. Antiq.

PHARISÆORVM septem fuisse genera in Thalmud Iudęorum scribitur. Sichimita, qui sectam hãc ob carnale aliquod commodum suscepisset, uti Sichimitæ olim circumcisionẽ ob nuptias Dinæ Iacobi filię impetrandas. Impingẽs, quòd pedibus subinde in lapides impingeret. Sanguinẽ fundens, qui caput crebrò parietibus aut columnis illideret, donec multo manaret sanguine. Mortariarius, quoniam calyptra caput opertus esset, ex qua, uelut ex profundo mortario prospiceret, prorsum tantum & deorsum, non sursum neq; ad latera. Quid debeo facere & faciam illud, qui inanis gloriæ causa his uerbis utebatur, qualis fuit qui Christo respõderat: Hæc omnia seruaui à iuuentute meã, quid adhuc mihi deest? Ex amore is dicitur, qui amore præmij sectam eã profitetur. Ex timore, qui metu iræ Dei huic sectæ nomen dedit. And. Osiander in cap. 15. Harmoniæ Euang. Multas constitutionum à maioribus per manus acceptas Pharisæi tradiderunt populo, quæ non sunt scriptæ in lege Mosaica: & ideo Saducæi his autoritatem abrogant, dicentes oportere eas tantum seruari, quæ scripto continentur. Atq; hinc magna inter utrosq; exorta est controuersia, dum ditiones stant à Saducæorum partibus, Pharisæi cæteræ multitudinis nituntur fauoribus. Iosephus lib. 13. cap. 18. Antiq.

ESSAEI, Iudæi ascetæ, id est, in studio pietatis sese exercẽtes, à pharisæis & scribis è diametro differentes: posteri Ionadabi filij Rechabi, iusti illius: contemplationi plerunq; addicti. unde etiam dicti sunt Essæi, id est cõtemplatores. Suidas. De ijs Iosephus lib 18. cap 2. Antiq. Philo de Essenis, ut Eusebius lib. 8. Euangel. præpar. repetit, ita scribit: Palæstinam maxima gens Iudæorum habitat, inter quos, qui dicuntur Essæi, comperiuntur plures numero, ut opinor, quã quatuor millia: Essæi dicti, quasi sanctí Græcè, quoniam Dei cultores præcipuè sunt, non animalia sacrificantes, sed mentes suas uirtute munitas offerendas Deo putantes. Nemo inter eos puer, nemo adolescens, propter instabilitatem ætatis, sed uiri omnes, aut senes sunt. In ciuitatibus nõ habitant, existimantes ut contagionem aeris corpõribus, sic conuersationem uulgi animo nocere. Horum alij agros colunt, alij pacificas artes ad utilitatem suam & proximorum exercent, nec aurum nec argentum reponunt, nec ingentes agros laudant, sed tantum colunt, quantum necessitati possit sufficere. Ii enim ex omnibus penè hominibus, sõli pecuniam & fundos negligentes, uirtute ditissimi putantur: facilitatem uiuendi & paucorum indigẽtiam, rectè magnas esse diuitias iudicantes. Nemo eorum tela, ensés, galeas, scuta, cæteraq; belli instrumẽta facitat: sed nec eas artes exercent, quibus facilè omnes in improbitatẽ labuntur. Nulla mercatura, nullus cauponatus, nulla eis cognoscitur nauigatio, omnes rapinæ occasiões depellũt. Nemo seruus apud eos, sed quũ uniuersi liberi sint, alteri alteris seruiunt: Omnes enim, aiunt, quasi mater eadẽ natura genuit: quare quamuis non uocemur, sumus tamen re ipsa fratres. Illam philosophiæ partem solummodo approbant, qua de Deo & de creatione omnium scrutamur: morali maximè inuigilant, ad quam absolutè consequẽdam paternis legibus adiuuantur, quas rectè intelligere nemo sine diuino auxilio potest. Has semper quidem, sed maximè septimis quisque diebus docentur: dedicata enim septima dies deputatur, in qua cæteris omnibus neglectis, ad sacra loca cõcurrentes, quæ synagogę appellantur, ordine sub senioribus iuniores considere solent, legunturq; Scripturæ diligenter, & exponuntur à peritissimis. Discunt igitur piè, sanctè, iustęq; uiuere, triplici regula utentes, amore Dei ardentissimo, uirtutis cultu diligentissimo, charitate proximi feruentissima. Quòd summè Deum diligant, multa nobis argumento sunt, castitas perpetua, iurisiurandi nulla mentio, mendacij odium, & præcipuè quòd bonorum omnium, nullius mali causam Deum opinantur. Quòd uirtuti studeant, patet, quia pecuniam negligunt, gloriam spernunt, uoluptatem oderunt. Charitatis autem argumenta sunt; benuolentia, societas, æqualitas: nullus enim domum habitat quæ omnium communis non sit, unum ærarium, unus sumtus omnibus est. Præterea uestis communiter omnibus proposita, communis cibus & potus, communis mensa, omnis denique uita communis est. Hæc Philo. De iisdem tanquam Anachoretis Plinius libro 5. cap. 7.

THERAPEVTAI, cultores seu curatores, inquit Philo, apud Iudæos dicuntur homines utriusq; sexus, qui contemplationi rerum diuinarum dediti, uirtutem colunt: siue quòd eorum animos, qui se ad ipsos conferunt, medicorum instar, à uitiis perturbationum liberent atq; sanent: siue propter purum & sincerum numinis cultum & religionem. Hi cùm primùm ad philosophiam se contulerint, à cognatis & re sua familiari recedunt. Deinde omnibus uitæ curis repudiatis, atq; urbibus relictis, aut in desertis agris, aut hortis, aut montibus degunt: & quia dissimilium commercia & inutilia & noxia esse norunt, uitam propheticam æmulantur atque exercent. In unoquoque cœtu est ædes sacra, quam σεμνεῖον uocant, & monasterium: in qua soli sanctę uitæ mysteria peragunt, nemine quicquam afferente, non potum, non cibum, nec aliud quicquam eorum quæ corporis necessitatibus seruiunt: sed leges & oracula uatum, & hymnos, cæteraq; quibus scientia & pietas augentur & perficiuntur. Ac paucis ut absoluam, cibum aut potum nemo eorum gustauerit ante solis occasum. Nam philosophiam quidem luce dignam iudicant: tenebris, corporis necessitates. Enarrant autem sacra oracula, arcanis sensibus per allegorias eruendis. Omnem enim legem illi censent animanti similem

milem esse: cuius corpus sit, ipsa scriptura & uerba: anima uerò, sensus obscurus sub uerbis delitescens. Eadem multiercum quoq; ratio est, quæ θεραπευτρίδες appellantur, quasi cultrices uel curatrices dicas. Suidas.

NAZARÆI apud Israelitas dicebantur, quasi separati, qui sese Domino uoto deuouissent. Illi toto deuotionis tempore à uino & temeto abstinebant, ab aceto pariter, ab uuis tam passis quàm recentibus. Comam quoque alebant, funeri nulli in ererant. Completo deuotionis tempore, deuotum suum caput, præmissis libationibus & sacrificijs, in ostio oracularis tabernaculi radebant, & cæsariem igni uictimæ pro salute supposito inijciebant. Tunc tandem uoto soluti erant, & cum cæteris uersari poterant. Numeri 6.

IVDAEORVM RELIGIOSA SOCIETAS CONSIderata quo ad MATERIAM Cultus. Sic Colitur

DEVS.

Ex Iustitia religiosa illustretur.

HOMINES.

Hucomnia ea, quæ ad cultum Hominum religionis ergo pertinent, secundum διαιρεσιν simul & διόρθωσιν religiosam, aut etiam superstitiosam.

TEMPORA. FESTORVM cultus apud Iudæos

IN GENERE.

Moses, teste Iosepho lib. Antiq 3. & Orig. super Numeros, statuit, ut inter dies, VII quisque dies obseruaretur SABBATHVM: & inter menses, VII quisq; mensis sabbathum esset mensium, in quo agerentur solennia sacra quæ dicerentur sabbatha sabbathorũ: (unde Neomenia Tubarũ primus dies mensis septimi, luna noua apparente) item inter annos, VII quisq; annus: & in eo si quando Cananæam Iudæi recepissent (quam tandem Dauid & Salomon reges assequuti sunt) terra uacaret, id est, non araretur: & quæ sua sponte ferret, L quoq; anno tribulibus esset & extraneis communia.

ISRAELITÆ ex Domini instituto mense uerno festum Paschæ celebrabant, in quo qua nullo fermento per septem dies utebantur, festum Azymorum fuit appellatum, in memoriam trepidæ emigrationis ex Aegypto. Deinde septima septimana à messis principio Septimanalia agebant, & Domino donaria offerebãt. Tertio post areæ & torcularis fructum perceptum festũ Vmbraculorum agebant septẽ diebus. Et in his tribus festis omnes Israelitæ coram Domino apparebant, & donaria offerebant, pro suarum quisq; facultatum ratione. Deuteron. 16.

IN SPECIE. Sic colebatur

Septimus annus.

Festum annum septimum esse, Dominus præcepit Israelitis, ut sex annis fructus ex agris perciperent, septimo terram non colerent, sed sexti anni ubertate fruerentur. Atq; ubi annorum sabbatha septem numero confecissent, hoc est, annos septies septem, qui anni efficiuntur nouem & quadraginta, tum mensis septimi die septima, quæ dies esset propitiatoria, annum quinquagesimum in omnibus finibus edito tubæ clangore consecrarent, libertatemq; omnibus incolis ediderent, ut suam quisq; in possessionem atq; gentilitatem reuediret. Eo anno, iubile haberent, sementem ne facerent, neu sua sponte restibilia demeterent, neu uindemiam facerent. Leuitici 25.

Quinquagesimus annus, Iubileus.

Apud HEBRÆOS ex Mosis instituto, quæ tellus sua sponte ferret, quinquagesimo anno tribulibus & extraneis communia erant. Hunc Hebræi annum Iobeleum dixere, qui quinquagenarius dici potest. id enim Iobel Hebraice uaret, ut Eusebius scribit. Hoc annorum spacio uidentur mihi Hebræi à Protoplasto tẽpora dimẽsi: ut Græci postea Olympiadibus, Romani Lustris. Quinquagesimo igitur quoque anno debitæ relaxabãtur pecuniæ, & Mosis instituto libertate donabãtur serui, prædia quæ uilius uænissent antiquis possessoribus redhibebantur. Sab. lib. 3 En. 1. Reddit Eusebius ex Philone, agrorum uacationis rationem, in 8. Euangelicæ præparat.

Septimanalia.

SEPTIMANALIA solennia sacra septimorum. Sicut enim inter dies septimus quisq; festus agebatur sabbathum, ita inter menses, septimus quisq; mẽsis sabbathum erat, & uocabantur ea sacra, Sabbatha sabbathorum, quibus donaria Domino offerebant. Polyd. lib. 5.

Festum Indesinens.

Secundùm Iosephum & Origenẽ super Numeros, PRIMVS dies solennis Dei erat, qui, appellabatur INDESINENS: de ijs enim mandabatur, quæ sine ulla prorsus interruptione, matutinis & uespertinis sacrificijs offerebantur: quia iustus debet semper diem festum agere, id est, orare. Polyd. lib. 5. cap. 7. de Inuent.

Septima dies, Sabbathum.

Sabbathi origo ex eo cœpit, quod dicitur, Benedixit Dominus diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauit ab omni opere suo. Genesis secundo. Præceptum de obseruatione Sabbathi frequenter in lege repetitur, ut homo id diligenter obseruet, & ut ueram requiem adipisci laboret. Exodi 31. Leuit. 19. 24. & 26. Item in præceptis Decalogi, solius mandati de obseruatione Sabbathi ratio redditur. Exodi 20.

Pascha.

PASCHÆ institutionem in Aegypto factam à Mose, pete ex cap. 12. & 13. Exodi. Namq; Dominus eum diem, quo à iugo Pharaonis liberati fuerũt, memoriæ mandari præcepit, utq; in eius rei signum abstinerent quotannis septem diebus à fermento, & panibus azymis uterentur: quinetiam ut Domino in posterum omnia primogenita sacra essent, siue offerrentur, siue redimerentur. Exodi 13. Itaque mense primo Nisan, Græcis Xanthico (unde principium sumebat annus) sub plenilunij diem, id est, circiter XIIII diem lunæ, sole in Arietem trãseunte quia ijs diebus ex Aegypto egredi contigisset, mysticum agnum occidebant, ac Pascha dicebatur, id est transitus. Aliud autem solenne Paschæ, aliud Azymorum erat: & licèt coniuncta uiderentur Azymis Paschæ solennia sacra, principium tamen Azymorum tantùm ad finẽ Paschæ coniungebatur: & Pascha ille solus dies appellabatur, in quo agnus occidebatur: reliqui Azymorum dies uocabantur, & id solenne septem diebus celebrabatur. Leuit. cap. 23 Sed & Pascha nono Maij ijs institutũ, qui iusto tempore die 14. primi mensis non fuerant mundi, uel profectio ne necessaria impediti, ut cum alijs non potuerint Pascha comedere. Num. 9.

Spicarum Manipuli.

Manipuli spicarum festum IVDÆIS proximo die post Sabbathum sanctum. Tum ferebant manipulum nouarum spicarum ad sacerdotem, is leuabat coram Domino, ut acceptabile esset. Leuit. 23.

IVDÆI conuiuia cum suis studiosis celebrant die 13. Maij, quem 33. numerant à manipulo oblato, quòd aliquãdo pestis, quæ horribiliter grassata triginta millia studiosorũ extinxerat, tum remiserit. Eberus.

Hebdomadum, Pentecostes festum.

Post septem hebdomadas Paschæ, PENTECOSTES festum die septimo mensis tertij Siuan. Sunt enim 50. dies à Manipulo Spicarum oblato postridie Paschatis. Eo die Israelitis Lex de cœlo in monte Sinai data. Exodi 20. & 21. Leuit. 16. Id tempus Asarca, id est, Quinquagesimam uocabant, item festum Hebdomadum: tum panes frumentatos offerebãt.

Ieiunij festum.

In QVARTO mense IEIVNIVM fractarũ tabularum Legis obseruatum est. Exodi 32. 33 Io. Garcæus.

Ieiunij desolationis.

In QVINTO mense IEIVNIVM Desolationis accidit, sub Nebucadnezare primùm, & post annis 680 sub Vespasiano, quãdo politia, annis 1582 conseruata, prorsus conceidit. Io. Garcæus.

Tubarum festum.

In SEPTIMO mense, qui Thysri dicitur, primo die diuino mãdato Iudæi celebrabant festũ TVBARVM, quod Hebræi uocant memoriam clangoris, qua populum de liberatione Isaac ab immolatione commonefieri dicunt. Leuitici 23. A Iudæis recentibus uocatur & celebratur hìc dies initium noui anni: qui & primos huius mensis dies decem, uocant decem dies pœnitentiæ, quibus dant eleemosynas multas. Decima dies huius mensis fuit quotannis explationis celebritas, cùm Deus populo Iudaico uituli idolatriam ignouit: & hoc unico die ieiunium mandato Dei strictissimè seruant. Leuitici 23. Io. Garcæus.

Tabernaculorum festum.

Post areæ & torculatis fructum perceptum, die XV. septimi mensis, circa VII. Octob. tabernacula fiebant: quæ dies Græcè SCENOPEGIA dicebatur, quia in umbraculis ex persea, palma, myrto & salicibus confectis essent escas septem diebus, ob id quòd eorum maiores ex Aegypto remigrantes domum, tabernaculis usi essent. Leuitici 25. & Exodi 23. Decima uerò die solennè erat Repropitiationis: in hac sola die pontifex induebatur omnibus pontificalibus indumentis, & tunc ingrediebatur Sancta sanctorum. Origenes super Leuiticum 13.

ESDRAS & Nehemias, per VII dies tãta celebritate hoc festũ peregerũt, ut nunquam antea à diebus Iosue, filij Nun. 2. Esdræ 8.

Encæniorum festum.

In noni mensis diem XXV. circa XV. Decembris incidit festũ Encæniorum, quæ fuit festiuitas octo dierum. Ipsum nomen Renoualia, renouationem seu dedicationem significat, quę fit absoluto nouo opere. Existimant autem alij, hoc festum initium sumsisse à Iuda Macchabæorum, qui templo recuperato, dedicationem eo die maxima lætitia fecit, sacrificio diuinitus instituto, quinquennio postquam id eodem die mensis Cisleu ab Antiocho Epiphane profanatum fuerat. Ac deinceps communibus suffragiis statuit, ut eo die quotannis recordatio istius dedicationis & mirandæ recuperationis templi peragereturr. 1. Macchabæorum 4. Alij festum antiquius esse asserunt, nempe quod à reditu ex Babylone, templi fundamentis iactis, celebratum sit. Zach. 2. Io. Garcæus de Tempore.

Ieiunij festum.

Nabucodonosor urbem Hierosolymorum obsidere cepit, anno creationis 3347. decimi mensis die X. 4. Regũ ult. & Iosephus. Vnde Iudæi ob uarias calamitates huius diei totas sequentes tres septimanas Ieiuhium seruant, à uino & cãrnibus abstinentes, usque ad 9. diem mensis Ab. Illud interuallum dicunt, Intra terminos. Eberus.

Conuiuiorum festum.

In VNDECIMO mense, die decimaquinta, Iudæi celebrant conuiuia, quòd tunc noua pars anni incipiat, & arboribus succus redeat.

Dedicationis Templi.

DVODECIMO mẽse, tertio die Adar, templum de integro extructum, post exilium Babylonicum, magna celebritate sacrificiorum & lætitia populi dedicatum est, annis 515. ante natum Christum. 1. Esd. 6.

Ieiunij.

Die XIII. mensis Adar, Iudæi celebrant triste festum, quòd Ieiunium Esther nuncupatur, qui dies destinatus erat occisiõni gentis Iudaicæ. Esther 3. & 9.

Sortium.

Die XIV. mensis XII. circa 5. & 6. Martij, Iudæorũ Bacchanalia, festum Sortium dictum, à Mardocheo institutum. Quo die Iudæi extra Susa habitantes à cæde destiterunt, & sese epulis dediderunt, læti ob insperatam conuersionem periculi in summam trãquillitatem. Hisce diebus legunt in synagogis historiam Esther, & quoties mentio fit Amani, pũgnis & malleis scamna pulsant. Esther 9.

LOCA. V. G. CVLTVS

TEMPLI, TABERNACVLI.

Ex Iustitiæ religiosæ & Superstitionis titulis illustretur.

ARÆ.

LIBRI SACRI.

Iam IVDÆI recentiores libris sacris reuerentiã exhibent, ut iis uel insidere tantùm piaculare putent.

EPHODVM.

De hoc sub Diuinationis loco.

IMAGINES, SIMVLACRA Iudæorum

NVLLA.

MOSES auctore Iosepho in 1. contra Appionem, & lib. 17. Antiq. suis legibus prohibuit omnino simulacrum fieri, aut in templo poni. Ex quò quùm Caius Imp. Petronium legatum in Syriam misisset, eique mandasset, ut omni ope modisque omnibus cuiare, suum simulacrum in templo Hierosolymis erigendùm, Iudæi ne patrias leges frangerent, adeò resistere cœperunt, ut iamiam ad arma uentum esset, nisi ut idem testis est lib. 18. Antiq. Agrippa Iudæorum rex à Caio impetrasset, ne huiusmodi statua in templo poneretur. Polydorus de Inuent.

IVDAS Sariphæi filius & MATTHIAS Margalothi, doctissimi erant Iudæorum, & interpretes patriæ legis præstantissimi, ob id, cari populo, quòd iuuentutem disciplinis instruerent. totis enim diebus eis dabant operam quotquot cupiebant in uirtute proficere. Hi postquam cognouerunt morbum Herodis regis esse incurabilem, concitauerunt iuuentutem, ut sublatis operibus quæ rex præter patriam consuetudinem fecerat, propugnatores pietatis se ostendertẽ, debitum inde expectantes præmium. Nam hanc esse regi causam cùm calamitatum domesticarum, tum postremò præsentis morbi, uidelicet quòd contentis legibus multa nouare ausus sit. Inter cætera supra maiorem portam templi dedicauerat aquilam auream magni pondẽris, cùm tãmen lex uetẽt imãgines statuere, aut consecrare animantium effigies. Quamobrem doctores hi auctores erant suis discipulis, ut aquilam illam detraherent. Etsi enim res uidebatur non carere periculo, tamen etiam iucundæ uitæ præponendum esse honestum obitũ, si contemnatur propter tuendas leges patrias: quandoquidem sempiterna fama nullo seculo passura sit gloriam eorum intermori, & alioquin ignauos iuxtà ac fortes eundem manere interitum. Itaq; clarò meridie ascendẽtes detractam aquilam conciderunt securibus, inspectante congregata in templum multitudine. Dux regius, maiorem aliquam conspirationem metuens, occurrit, eò cum ualida suorum manu cohibiturus demolitores aquilæ. Facilè reliquis disiectis, circiter XL iuuenes resistere ausos comprehendit, eumq; his auctores facinoris Iudam & Matthiam turpe putantes cedere: omnesq; ad regem perduxit. Quo rogãte quo freti ausi sint sacratam imãginem demere, aiunt se & deliberasse id multo antea, & deliberatum exsecutos, ut fortes uiros decuit. Ab Herode igitur uiui sunt exusti. Iosephus lib. 17. cap. 8.

Pilatus Iudeæ præses à Cæsarea Hierosolyma traducto in hyberna militè, signa cum effigie Cæsaris in urbem intulit ad legis Iudæorum contumeliam, qua cautum est, ne habeant huiusmodi effigies. & ideo qui ante hunc fuere præsides, cũ signis aliter insignitis solebant urbem ingredi. Primus Pilatus ignaris omnibus noctu illatas effigies Hierosolymis statuit. Quod ubi cognitum est IVDÆIS, magno agmine pẽtierunt Cæsareã, ibiq; per multos dies supplices orauerunt præsidem, ut trãsferret illas imagines aliò. Pilato uerò pernegante se facturum, quod coniunctũ esset cum iniuria Cæsaris, cùm Iudæi precari non desinerent, sexto pòst die iussis clàm in armis esse militibus, sedit pro tribunali in stadio, captata loci oportunitate, quòd aptissimus esset insidiis. Ibi compellatus iterum de eodem negotio, signum dat militibus ut eos circumueniant, mortem minitans, nisi quamprimum quiescerent, & suam quisq; domum discederent. At illi procidentes humi, & exertos præbentes iugulos, manifestè præ se ferebant, uita sibi cariorem esse obseruationem legis patriæ. Tum Pilatus admiratus tam constans legum studium, continuò reportauit eas imagines Cæsaream Hierosolymis. Deinde aquæductum struere aggressus est ex sacro ærario, inducturus aquas Hierosolyma à ducentesimo stadio. Id ægerrimè tulit populus, & congregati per cœtus numerosos usq; ad multa hominum millia, uociferationibus conabantur eum deterrere à proposito: nonnulli uerò, ita ut fit apud inconditam multitudinem, etiam conuitiis lacessebant præsidem. At ille milites sub populari habitu clàm armatos fustibus iussit reliquam multitudinem corona cingere: & quàmprimum uulgus cepit iacere conuitia, dedit illis signum ex composito. Illi suprà quàm mandatum erat usi sunt fustibus, tumultuatores & quietos cẽdentes nullo discrimine. Ibi tam inclementer accepti inermes ab instructis, pars occisi sunt, pars discesserunt saucij: atq; hoc modo cõpressa est seditio. Iosephus lib. 18. cap. 4.

ALIQVA.

ISRAELITÆ in deserto Sina uitulum aureum, ex monilibus & inauribus suis, Aaronẽ conflare coẽgerunt. Vide locum Idololatrarum.

MOSES Dei iussu in deserto Serpentem æneum erexit: quem qui intuerentur, à moisu serpentium uenenatorum uel tuti essent, uel liberarentur.

HIEROBOAMVS defectione facta à Roboamo Iudæorum rege, uti religionis schismate decem tribus planè à Iudæis abalienaret, uitulos aureos in Bethel & Dan erexit, eosque octauo mense dedicauit. 3. Regum 12.

VNGVENTA.

Vnguentum unctorium sacrũ, ex Dei instituto, apud ISRAELITAS, quo tabernaculũ oraculare, arca oraculi mẽsa, candelabrũ, ara suffitoria & uictimaria, labrũ sacerdotes ungẽbantur, in profanos usus conuertere non licebat, neq; illud imitari, pœna capitali. Fiebat aũt ex myrrha, cinnamomo, calamo aromatico, iride & oleo. Sic neq; suffimen ex stacte, croco, galbano odorato & thure ad alios usus, quàm ut in tabernaculo adderetur, licebat conuertere. Exodi 30.

DONARIA.

SACERDOTES Iudæorum, uolentes populum frequenter offerre, permittebant, ut ea, quæ offerri poterant, uenderentur in templo. Hac etiam de causa dicebatur aurum templi sanctius esse templo: & donum quod erat super altare, maioris esse reuerentiæ, quàm ipsum altare. Matth. 23.

REDITVS SACRI.

Δεκάδω, hoc est, decimam partem omnium frugum, Leuiticæ tribui populus ISRAELITICVS ex lege debebat. Rursum ex ipsis decimis, Leuitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimas dabat sacerdotibus: & hæc est quę appellatur δευτερodεκάδη. Erāt quoq; & aliæ decimæ, quas unusquisq; de populo in suis horreis separabat, ut comederet eas cùm iret ad templū in urbe Hierusalem, & in uestibulo tēpli, & sacerdotes ac Leuitas inuitaret ad conuiuia. Erant aūt & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebāt: quæ Græco sermone appellantur πλουσιοδεκάδες. At uerò primitiua quæ de frugibus offerebant, non erāt speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionemq; accepimus Hebræorum, nō lege præceptā, sed magistrorū arbitrio mitam: qui plurimum, quadragesimam partem dabat sacerdotibus: qui minimum, sexagesimā: inter quadragesimā & sexagesimā licebat offerri quod cunq; uoluissent. Hieronymus lib. 14. in Ezechielis cap. 45. In libello ad Fabiolam de cibis & primitiis sacerdotum, rem hanc luculentiùs explicans, dicit: Primitiæ ciborum & omnium frugum atq; pomorum offerūtur antistiti, ut habens uictum atq; uestitum, absq; ullo impedimēto securus & liber seruiat Domino. Primogenita mundorū animaliū accipiunt sacerdotes, & redimūtur mundorum precia, hominū quoq; primi natus redimūtur. Et quia conditio humana nascēdi est cōmunis, preciū aequaliter offertur, sic moderatū & leue, ut nec diues intumescat, nec tenuis prægrauetur. Aditui & ianitores accipiunt decimas, & rursum decimas decimarū offerūt sacerdotibus, tanto illis minores, quanto ipsi maiores populo. Quod primitiarū suo quisq; arbitratu, sicut Hieron. ait, plus minúsue dabat, illud tamē ter quotānis facere debebat. Primùm enim circa Pascha, quum fruges maturescere inciperent, ut est in Leuit. c. 2. Si aūt obtuleris munus primitiarū frugum tuarū Domino, de spicis adhuc uirentibus, torrebis eas igni, & cōfringēs in morē farris, offeres primitias tuas Domino. Deinde ad festū diem Pentecostes, panes ex nouis frugib. confectos. Postremò circa festū diem Tabernaculorum, fruges ipsas iam collectas offerebant. Polyd. lib. 6. c. ult. de Rerum inuent. Cur primogenita offerētur Deo, causa ponitur Numerorū c. 3. ubi legimus: Locuutus est Dominus ad Mosem dicens, Ego tuli Leuitas è filiis Israel pro omni primogenito, qui aperuit uuluā in filiis Israel, eruntq; Leuitæ mei. meū est enim omne primogenitū. Et, Percussi primogenita in terra Aegypti, sanctificaui mihi quicquid primū nascitur in Israel ab homine usq; ad pecus. De interitu primogenitorum Aegypti mentio fit Exodi cap. 12. Sanè singuli primogeniti undecim tribuum, quando primi qui nascebantur in tribu Leuitica ad templi ministerium applicabantur, de sacerdotibus redimebantur quinis siclis. Polyd. de Inuent. rerum.

IVDÆORVM RELIGIO CONSIDERATA RESPECTV INSTRVMENTI, QVOD VEL

IN HOMINE INEST.

Vt sunt

ORATIONES, PRECES Iudæorum.

Moses præcipit ISRAELITIS, ut traiecto Iordane Simeonij, Leuitæ, Iudæi, Issachariani, Iosephei & Beniamitæ in monte Garizimo ad benè precandum populo starent: at Rubenitæ, Gadini, Aseriani, Zabulonij, Danij & Nephthalenses, in monte Ebale ad imprecationem. Tum Leuitæ clara uoce pronunciabant: Execrabilis esto homo, qui simulacrum fecerit, qui parentibus maledixerit, qui alterius terminum summouerit, qui cæcum à uia auerterit, qui iudicium peruerterit, qui suæ nouercæ concubuerit, patrisue sui gremium detexerit, qui cum bestia rem habuerit, qui cum sorore uel socru incestum commiserit, qui alterum occultè cæciderit, qui donū acceperit, ut homini per iniuriam uitam eripiat, denique qui legis dicta nec præstitisset nec fecisset. Et uniuersus populus ad singula respondebat, Amen. Deuteronomij cap. 27. Has benedictiones & imprecationes Iosua paulo post reipsa præstitit. Consule octauum caput Iosuæ.

VOTA IVDÆORVM.

MOSES Israelitis præcipit: Si uotum Deo tuo nuncupaueris, nolito committere ut non reddas. id enim exiget à te Deus tuus. itaq; culpam commiseris, cùm si à uouendo abstinuisses, non fueris futurus in uitio. Deuteron. 23.

Quæ nam uota ISRAELITARVM rata, quę irrita esse deberent, pete ex libro Numerorum. Si filia uouisset, patre non contradicente, uoto tenebatur: sin contradixisset, soluebatur. Si uxor, marito tacente uel approbante, tenebatur: sin repugnaret maritus, liberabatur. Sin maritus tacuisset primùm, postea uerò dissoluisset, mulieris culpam sustinere cogebatur. Numeri capite 30.

Votorum redemtio apud EOSDEM qualis à Domino instituta fuerit, pete ex Leuit. cap. 27.

CONCILIA ET SYNODI RELIGIOSÆ Iudæorum.

IVDÆI Esdræ opera, Xerxe rege permittente, in patriam reuersi, dum diuinum cultum, longa in aliena terra mora, in peregrinos mores dilapsum, reformare nituntur, multis ex alia gente (id quod ipsorum lege ne fieret cauebatur) uxores duxisse inuentis, omnes, ad eas coniugio, etsi iam liberos nepotesque susceperant, pellendas conueneruntpluris in eo religionem, quàm alia quæ in uita cara esse debent facientes. Fulgosus libro 1. cap. 1.

PEREGRINATIONES.

Dei iussu IVDÆI quotānis tria festa Hierosolymis celebrare cogebantur, nempe Pascha, Pentecostē, & Scenopegia. Itaque passim ex tota Iudæa cō conueniebant, ij etiam qui inter Gentes uiuebant. Io. Garcæus. Ad ea parentes quoque Messiæ cum puero ascenderunt Hierosolymam: ipse quinetiam Iesus in festo Pentecostes illic se manifestare, in festo Paschæ ibi crucifigi uoluit.

Sacerdotes Bethel, imò fanatici Bethauē, temporibus Paschæ, & Pentecostes, & Scenopegiæ, quando per Sichem, quę hodie Neapolis appellatur, eundum erat Hierosolymam, ubi solùm licebat uictimas immolare, ponebāt in itinere latrones, qui insidiarētur PEREGRINANTIBVS, ut potiùs uitulos aureos in Dan & in Bethauen, quàm in Hierosolymis in templo adorarent Deum. Hieronymus lib. 2. in Oseæ c. 7.

OPVM COMMVNIO INTER Iudæos.

ESSENI Iudæi diuitiarum contemtores sunt, rerumq; apud eos communicatio admirationi habetur, neq; inuenias alteri alterum opulentia præstare: legemq; sibi dixerūt, ut qui disciplinam suam sectari uelint, bona contubernio publicent. Ita enim fore, ne uel paupertatis humilitas, uel diuitiarum dignitas appareret, sed permixtis facultatibus, uelut inter fratres, unum sit omnium patrimonium. Iosephus libro 2. cap. 7. belli Iud.

CONIVGIVM IVDÆORVM.

MATRIMONIO copulatos, quoties coierint, aqua lauari lex iubet, & usque ad uesperum immundos esse denunciat.

EXTRA HOMINEM.

Tituli ex Christianæ religionis Tabula describuntur, suis exemplis ab eo, qui hæc ex professo tractare uolet, illustrandi.

IVDÆORVM RELIGIO CONSIDERATA RESPECTV FORMAE siue MODI. Huc referuntur alia tanquam

PRIMARIA. CVIVSMODI sunt

SACRIFICIA CONSIDERATA respectu

Materiæ.

Omnibus sacrificiis ISRAELITARVM farina mundissima ex præscripto legis adiiciebatur: adhibebatur & oleū, quod sacris infundebatur. Agnus manè & uesperi immolabatur: sabbathis geminatæ hostiæ ad aras admouebantur.

Diabolum à sale abhorrere, ratione optima nititur: quia sal æternitatis est & immortalitatis signum, neque putredine neq; corruptione infestatur unquam, sed ipse à corruptione atq; putredine omnia uindicat. Diabolus uerò nihil procurat aliud quàm rerum creatarum corruptionem & dissolutionem, ut generationem Deus. Quamobrem salem mensæ loci sancti, omnibusque uniuersè sacrificiis apponi lex Dei imperat: quod mādatum ab Hebręis Plato uidetur accepisse, cùm salem à diis affirmat diligi. Contrà uerò sacrificiis uinum aut mel lex Dei uetat adhiberi, quod faciebant Ethnici: inuens Deum sine adulatione attentè, prudenter & sobriè accedendum esse. Aequalem [illegible]

Personarum. Huc illi

Qui sacra offerunt.

Duobus ab initio sacrorū generibus HEBRÆI usi sunt, quorum unum Holocaustum dixerunt, quando primores gentis siue bouem, siue agnum, siue aliquod aliud animal, modò anniculum masculumq; fuisset, immolabant: tum sacerdotes uictimali cruore oram altaris perfundebant, inde hostiam membratim dissectam super aram cremabant. Alterum genus Plebeium, & pro gratiarum actione fiebat, in quo animalia maiora anniculis offerebant, cruoreq; super aram diffuso, renes, adipem, omenta imponebant flammis: pectora & crura dextera sacerdotibus dabantur: quæ super erant, intra biduum illi edebant qui sacrificium fecissent. Inopes columbas aut duas turtures offerebant, quarum altera in holocaustum abibat, alteram sacerdotes sortiebātur. Polyd. lib. 5. cap. 7. de Inuent.

Pro quibus offeruntur.

Iudæi pro ROMANIS principibus subinde sacrificia faciebant, ex cōmuni impensa quotidie: cumq; nullas alias hostias ex communi ne pro filiis quidem peragerent, solis Imperatoribus hunc honorē exhibebant, quem alioqui hominum nulli persoluerent. Iosephus lib. 2. contra Appionem.

Qui sacris intereſſe poſſint.

PVERPERAM, quæ marem sit enixa, 40: quæ feminam, 80 diebus à sacris Moses arcet.

Finis, Cur. Sacra Iudæorum

Impetratoria.

Sacrificia ISRAELITARVM pro salute qualia fuerint, pete ex cap. 3. & 7. Leuitici.

Expiatoria.

Peccata sic expiabant. Qui imprudens deliquisset, agnam aut hœdum anniculum offerebat: qui occulti criminis conscius, ariete eum expiari oportebat. Principiò mensis, duo boues cum uno ariete, hœdo uno, & septem anniculis agnis, piaculi nomine mactabantur. Septimo ineunte mense, taurum, arietem, & septenas agnas cum uno hœdo immolabant. Alij ciebantur bini hœdi: horum unus extra fines missus multitudinem expiabat, alter in suburbanis cum totis uelleribus cremabatur: pontifex taurum in id sacrum, & arietem in holocaustum dabat, &c. quæ ipse Iosephus latè prosequitur. Polyd. lib. 5. cap. 7. de Rerum inuent.

SACRAMENTA. VT EST Circumcisio.

ABRAHAM credidit Deo, & ex eius iussu XCIX natus annos, se & Ismaelem filium ex Agar ancilla susceptum, 13 agentem annos, & omnes uernas suos circumcidit, quò deinceps secundùm præceptum Domini, præputium carnis sobolis ex se futuræ circumcideretur. Cuius rei D. Cyprianus rationem reddens, ita scribit: Quum iam fidei tempora appropinquarent, imperata est circumcisio, & pars illa corporis, in qua est uoluptatum seminarium, & libidinis officina, iussa etiam in paruulis amputari, ut proprij primitias sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent. Postea uerò sub Mose præceptum durum de circumcisione tradidit Dominus Israelitis per Mosen, inquiens: Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Siquidem id accidere non poterat culpa pueri, sed parentis: quare admodum graue uidebatur, ut negligētia patris deberet malo esse filio. Quapropter putant illam pœnam indictam esse patri, quum subiiceretur, Delebitur anima illa. At contrà plures ad filium referendum ducunt, quò uiolatio præscripti maioris sit timori, quando innocēs ob alterius culpam plectitur. Verùm D. Ambrosius neutram opinionem satis probat, qui masculi nomine mētem significari autumat, quòd ut sexu potior ille est, ita eius mētis uigor sit ualidior. Ergo ait, hæc ratio est, quòd omnis mens, quę non fuerit circumcisa à superfluis corporalibus, & purgata solenni munere, ut exuat se passionibus & uitiis, interibit. Non caro, inquit, interibit, non homo, sed anima illa peribit: quia potuit salua fieri, si habuisset purgationem. Polydorus lib. 4. cap. 3. de Rerum inuent. Fiebat autem circumcisio ad hūc modum: Præputium præputabatur machæra petrina. Atque Deus ita fieri iussit, Iosue dicens, Fac tibi cultros lapideos, & circuncide secundò filios Israel. Atque hoc fuit circuncisionis initium, quandoquidem non modò ante Abraham, sed nec prior Mose, de uitæ institutis inter gentes sanxit quisquam. Testis est Iosephus aduersus Appionem. Et propterea D. Ioannes Chrysost. homil. 52. in Matth. ait circuncisionem omnium aliorum mandatorum longè antiquissimam esse.

SECVNDARIA. VIDELICET

CIBVS.

Moses in lege sacra: Si filia sacerdotis, inquit, cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non uescetur. Sin autem uidua uel repudiata & absque liberis reuersa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueuerat, alcetur cibis patris sui. Marulus lib. 4. cap. 7.

CVLTVS CORPORIS.

HEMEROBAPTISTÆ apud Iudæos uocati sunt, qui seipsos & sua uestimenta quotidie abluebant. Crinitus.

VESTITVS.

ISRAELITÆ ex Domini præcepto in limbis suorum uestimentorum fimbrias faciebant, & fimbriis uittas hyacinthinas addebant, quas subinde intuentes, Domini præceptorum recordarentur. Numeri 15.

LIBRI TERTII

TITVLI.

- De religiosa societate CHRISTIANORVM agẽdum in
  - Genere, quo ad Religionis
    - Κτῆσιν. Quæ spectatur ψ
      - Λήψεα. Huc Inuentio, Institutio, Communicatio, Propagatio Christianismi considerando
        - Qui.
        - Quomodo. Putà
          - Doctrina. Cæremoniis. Exemplis.
          - Principatu, Episcopatibus.
          - Monasteriis. Armis. Suppliciis.
        - Cur.
      - Φυλακῆς. Religionis
        - Conseruatio.
        - Correctio, Mutatio.
    - Χρῆσιν. RELIGIONIS exercitium:
      - Qui.
      - Quomodo:
        - Rectè.
        - Peruersè, Hæretici.
  - Species, ratione habita
    - Rerum, hoc est, ipsius Religionis, siue Cultus religiosi. Vide signum A.
    - Personarum, quæ in societatem religiosam coeunt, & propterea Religiosæ appellantur, & Cultores religionis. Personarum aliæ considerantur in Societate
      - Præsunt aliis in
        - Communi omnibus, quatenus
          - Genere. CLERICI, in genere.
          - Specie, ut
            - Theoricè
              - Docẽdo, Instruendo, in
                - Scholis, DOCTORES in specie dicti.
                - Cõcione. ECCLESIASTAE propriè.
              - Propugnando, Impugnando.
            - Practicè quo ad
              - Sacra. quæ Λειτουργία est Ecclesiastica. Huc
                - SACERDOTES, Diaconi Leuitæ, Presbyteri. Horum perpendatur
                - Potestas, Officium.
                - Cultus corporis.
                - Modestia. Coniugia.
                - Priuilegia. Electio.
                - Depositio. Successio.
                - Exorcistæ.
              - Imperium. Quæ Politia est Ecclesiastica, & Hierarchia. Horum alij summi, medij, infimi. Putà
                - Pontifices. Horum
                - Officium.
                - Successio:
                - Qui, quo tempore, quamdiu.
                - Quales. v. c.
                - Sãctitate celebres.
                - Miraculis clari.
                - Orthodoxi.
                - Martyres.
                - Potestas.
                - Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ.
                - Legati. Iudices.
              - Fortunas. Quæ Oeconomia est Ecclesiastica. Huc Præfecti
                - Thesauris sacris.
                - Eleemosynis.
          - Subsunt, quatenus Discunt, Reguntur, tum
            - Viri.
            - Mulieres.
        - Peculiari aliquibus certo uoto adstrictis: & uel
          - Monastico, cõtra hostes spirituales. MONACHATVS Christiani
            - Institutio, in Genere, in Specie.
            - Exercitatio: tum
              - Virorum. Monachatus
                - Susceptio. Nempe
                - Qui. Monachi facti ex
                - Episcopis. Regibus, Principibus.
                - Ducibus bellicis. Præfectis. Medicis.
                - Sponsis, Maritis. Seruis.
                - Latronibus. Exulibus. Morituris.
                - Quomodo. Monachi facti
                - Sponte.
                - Ab alio
                - Inducti.
                - Persuasi.
                - Cur. Monachi facti causa
                - Pœnitentiæ. Valetudinis. Voti.
                - Meriti. Securitatis. Desperatiõis.
                - Ineptiæ. Amissionis liberorum.
                - Professio.
                - Depositio, Dereliction. Exuto monachatu facti
                - Eremitæ.
                - Episcopi.
                - Seculares.
              - Mulierũ. MONACHARVM perpẽdatur ordinis
                - Susceptio:
                - Quæ. v. g.
                - Virgines. Maritatæ. Sponsæ.
                - Viduæ. Reginæ.
                - Nobiles. Meretrices.
                - Quomodo
                - Per se, Sponte.
                - Ab alio
                - Persuasæ.
                - Coactæ.
                - Vbi. Inter
                - Viros.
                - Mulieres.
                - Cur. Causa
                - Pœnitentiæ. Castitatis seruãdæ.
                - Repudij. Amissionis liberorũ.
                - Professio. Depositio.
          - Militari contra hostes carnales. MILITVM sacrorum
            - Institutio.
            - Exercitatio.

A. Cul.

- Materiæ, siue Obiecti quod colitur. CVLTVS Christianorum respectu MATERIAE, siue obiecti. Sic colitur
  - Primariò & per se Numen. Videlicet
    - Deus.
    - Intelligentiæ.
    - Diui, siue Homines deificati, quo ad
      - Animas.
      - Corpora sancta, quatenus
        - Acquisita
          - Miraculo. Precibus.
          - Dono. Prẽcio.
          - Raptu.
        - Inuenta casu.
        - Eleuata, Exornatà.
        - Occultata. Translatà. Cultà.
  - Secundariò, quicqd non per se, sed propter Deũ diuósue cõlitur: siue illud sit
    - Animatum
      - Rationale. Homiõ
        - Viuus.
        - Mortuus.
      - Irrationale.
    - Inanimatum, uidelicet
      - Loca. Putà
        - Templa
          - Extructa, considerata secundùm
            - Materiam.
            - Locum.
          - Consecratà. Exornatà.
          - Culta. Expiatà.
        - Monasteria. Cœmeteria.
      - Tẽpora. Temporum sacrorũ institutio, obseruatio, cũ sideratorũ respectu
        - Temporis maioris, cui insunt:
          - Anni. Sic colitur Annus
            - Septimus.
            - Quinquagesimus
              - Seculi.
              - Aetatis.
          - Mensis. Hebdomadæ.
        - Memoriæ
          - Christi in
            - Genere.
            - Specie. Cultus
              - Natiuitatis. Paschatis.
              - Corporis Christi.
              - Crucis.
          - Sanctorum,
            - Omnium.
            - Quorundam.
            - Martyrum. Defunctorum.
          - B. Virginis. Io. Baptistæ.
          - D. Petri. Marinæ.
          - Dominici. Francisci.
        - Actionis. Tempus
          - Dedicationis.
          - Restitutionis.
      - Libri sacri. Scripturæ sacræ cultus: quo ad
        - Linguam.
        - Vsum.
      - Imagines. Simulacrorum
        - Cultus, quò ad
          - Acquisitionem.
          - Dedicationem.
          - Venerationem, Adorationem.
        - Neglectus.
      - Ignis.
      - Reliquiæ, Monimenta sacra
        - Christi opt. max.
        - Sanctorum hominum.
        - Sacrorum.
      - Arma sacra. Vt
        - Aqua. Cerei, Candelæ.
        - Oleum. Spongia.
        - Organa. Campanæ.
      - Vasa sacra. Vt Aræ, Vrnæ.
      - Donaria sacra considerata secundùm
        - Λοῦτρον.
        - φυλακτὸν.
        - δόσιν.
      - Reditus sacri. Vectigalia
        - Rata. Instituta, Concessa, Datà.
        - Controuersa.
- Instrumenti. Vide sig. B b.
- Formæ siue Modi quo colitur. Vide signum C c.

A. Cultus Christianorum cõsiderantur partim respectu

- In Homine, tãquam Actiones et Passiones quædam religiosæ, cultui diuino ministrantes. Referuntur autem uel ad illius
  - Animũ, Vt sunt
    - Suspiria.
    - Fletus.
    - Vota: perpendendo
      - Quibus fiant: nempe
        - Deo.
        - Diuis.
      - Quid noueatur. v. g.
        - Nudipedalia.
        - Templa.
        - Equum.
    - Orationes. Harum
      - Institutio.
      - Obseruatio.
      - Fructus. Neglectus.
    - Lectiones. Recitationes. Disputationes.
    - Silentium. Concilia.
  - Corpus. Sic colitur Deus per
    - Alimentorum
      - Vsum, ratione habita
        - Delectus.
        - Temporis.
      - Abstinentiam, & Ieiunium, respectu
        - Temporis.
        - Finis.
        - Ciborum
          - Quantitatis.
          - Qualitatis.
        - Sacrorum.
    - Somnum. Vigilias.
    - Exercitationem, ut per
      - Peregrinationes sacras. Perpendendum
        - Qui peregrinentur:
          - Reges.
          - Monachi.
          - Mulieres.
        - Quò.
        - Quomodo:
          - Nudis pedibus.
          - Precibus, Donariis.
          - Habitu noxij. Armis.
        - Cur. Causa
          - Orationis.
          - Expiationis.
        - Quo fructu. Ex peregrinatione
          - Regnum.
          - Dignitas equestris.
          - Mors. Impietas.
      - Quietem.
    - Stationem. Cubatum.
    - Vestitum, quo ad
      - Delectum.
      - Contemtum.
    - Carceres, Vincula.
    - Sepulturam, secundùm
      - Habitum.
      - Modum.
      - Locum. Tempus.
  - Fortunas Sic colitur Deus quo ad
    - Diuitiarum
      - Contemtum.
      - Abiectionem.
    - Honorum
      - Contemtum.
      - Depositionem.
    - Ignominiæ tolerantiam.
    - Amicitiã
      - Sacram. Ordines sacri.
      - Politicam.
      - Oeconomicam. Quo ad Coniugij
        - Cultum:
          - Inter quos.
          - Quomodo.
          - Quoties.
        - Neglectum.

Extra Homines, tanquam Adiuncta quædam. Huc obiectum secundarium referri posset: quatenus per illud Deus colitur: de quo in præced. ut ipsummet coli uidetur. Sic v. g. Scriptura sacra per se colitur, dum legitur, explicatur, propter auctorem Deum, à quo profecta est.

Bb. Instrumentũ per quod Deus colitur, huius est loci: quatenus uerò ipsum quoq; colitur, inter Materiales locos refertur. Instrumentum eò instructi instrumẽtiũ est. Sic Manus, sic Malleus: illa internum & inhærens: hic ëxternum & circumsistens. Ergo etiam hoc loco INSTRVMENTA cultus diuini alia considerantur

Cc. Forma Deiũ colendi alia

- Deus ab Homine id quod est
  - Primaria, quãdo Cultus ipsi met Deo uel Diuis applicatur. CVLTVS Dei primarius, & immediatus, quãdo scilicet uel
    - Dignum accipit: Cultum scilicet
      - Internum per
        - Fidem, Credulitatem.
        - Amorem. Spem. Timorem.
        - Humilitatem.
      - Externum oris & operis. Cuius generis est
        - Laus, Gratiarum actio.
        - Honor, Veneratio.
        - Sacrificii. Sic Missæ, ut sacrificiũ esse dicitur, perpendantur
          - Generatim
            - Caulæ: Videlicet
              - Forma,
                - Materia.
                - Coniunctim.
                - Diuisim. Vt sunt
                - Præfationes, Introitus.
                - Euangelium, Epistola, Symbolum.
                - Psalmi. Preces. Allocutiones.
                - Oblationes. Cõsecratio. Canõ.
                - Pacis osculum. Benedictio.
              - Efficiens. Huc
                - Personæ, nẽpe
                - Sacrifici
                - Qui. v. g.
                - Pontifices.
                - Reges.
                - Quales
                - Casti.
                - Initiati.
                - Diligentes.
                - Diaconi, Ministri.
                - Spectatores: quo ad
                - Numerum.
                - Gestus, Morei.
                - Locum.
                - Vasa.
              - Finis. Missa pro
                - Martyribus.
                - Mortuis.
            - Accidentia. Videlicet
              - Tempus. Locus. Linguã.
              - Cultus. Vsus, Accommodatio.
              - Conuiuium. Miracula.
          - Speciatim, Differentiæ uariæ.
        - Pompæ. Ludi. Obedientia.
    - Indignum nõ accipit. Cuius sunt generis, Deum non
      - Tentare.
      - Accusare.
    - Precatur. Exquirit per Oracula.
    - Bonum
      - Cœnã Dõmini, Synaxis. Perpendendæ
        - Res, Quid sumatur:
          - Per se, Species à Christo institutæ.
          - Per accidens. Succedaneæ.
        - Personæ, tum
          - Accipientis:
            - Qualis
              - Puberes.
              - Initiati, Expiati.
              - Increduli. Dæmoniaci.
            - Quoties.
            - Quando. In
              - Inauguratione.
              - Morbo.
              - Somno. Morte.
            - Quomodo.
          - Dantis. Vt est
            - Angelus.
            - Sacerdos.
      - Sacramenta. Huius sunt loci
        - Baptismus. Consideratio
          - Caularum.
            - Materiæ quæ adhibetur.
            - Formæ siue Modi
              - Generatim.
              - Speciatim:
                - Ante baptismum.
                - In baptismo
                - Habitus.
                - Tinctura. Allocutio.
                - Nominis impositio.
                - Post:
                - Cura corporis.
                - Dona.
            - Efficiens, tum
              - Primary:
                - Agentis, qui Baptizat.
                - Patiẽtis, qui Baptizatur:
                - Quis, Quales. Puta
                - Infantes.
                - Adulti.
                - Aegrotãtes.
                - Mortui.
                - Quoties.
              - Secundarij; Adstantium.
            - Finis. Cur.
          - Accidentium. Videlicet
            - Temporis.
            - Loci.
        - Confirmatio. Pœnitentia. Ordo sacerdotij. Coniugium. Inunctio.
        - Signa quælibet alia sacra.
      - Obtinet per
    - Homo à Deo
      - Malum deprecatur.
  - Secundaria, quando Cultus non Deo, sed Homini propter Deum applicatur. Vide signum Dd.

- Dd. Sic religiosa Exercitatio duplex. Vel quatenus homo exercet
  - Seipsum, quo ad
    - Animum
      - Theoricè
        - Meditando.
        - Recitando.
        - Interpretando.
      - Practicè
        - Confitendo
          - Deo.
          - Hominibus.
        - Lugendo.
        - Pœnitendo. POENITENTIA *considerata respectu*
          - Personarum. *Qui pœnitentiũ agunt uel*
            - Per *se*.
            - Per *alios*.
          - Culpę. Ob
            - Officij *usurpationem*.
            - Templum *uiolatum*.
            - Cædem.
          - Modi:
            - Supplicando.
            - Conuersationem *fugiendo*.
            - Corpus *excruciando*.
    - Corpus,
      - Cibo. Somno. Venere.
      - Vestitu. Cubatu. Flagellis.
      - Peregrinationibus. Morte.
    - Fortunas,
      - Paupertatem
        - Fugiendo.
        - Sectando.
      - Probra
        - Non *declinando*.
        - Perferendo.
  - Alios, *quoad*
    - Animum,
      - Theoricè: *quatenus*
        - Erudit *alium*
          - Prophetia.
          - Concionibus.
        - Disputat *contra alterum*.
        - Corrigit. Confutat.
      - Practicè: *sic*
        - Condolet. Consolatur. Amat. Odit.
        - Intercedit, *Orat*.
        - Pœnitet *pro alio*.
    - Corpus: *quatenus*
      - Alit. Vendit.
      - Peregrinationis, *uel Orationis, uel Vigiliarum, uel Ieiunij labore subleuat*.
      - Sepelit.
    - Fortunas: *res spectu*
      - Operum, *Necessaria subministrat aliis*.
      - Honorum, *uel*
        - Honorat
          - Viuos.
          - Mortuos.
        - Ignominia *notat*.
      - Impe rij. Sic
        - Arrogat *sibi imperium in alios*.
        - Exercet *imperium, Imperat, Mandat aliis*.
        - Coercet, *castigat*. CORRECTIO, *Castigatio aliorum, ratione habita*
          - Gulpæ. Ob
            - Personæ.
            - Hæresin. Magiam.
            - Apostasiam. Sacrilegium.
            - Perfidiam *quamcunq*.
          - Modi. Videlicet
            - Interdicto, *Excommunicatione*.
            - Inquisitione.
            - Iudicio.
          - Instrumenti:
            - Igne. Bestiis.
            - Laqueo.
            - Exilio.
        - Soluit, *Liberat alios*.
        - Obedit *aliis*.
        - Imperium *detrectat*.
      - Amici tiæ, *uel*
        - Conciliat *alios inter se*.
        - Defendit, *Protegit alios*
          - Armis.
          - Scriptis.
        - Persequi tur *alios*
          - Iudicio.
          - Armis. *Huc Expeditiones bellicæ Christianorum contra*
            - Turcas.
            - Ethnicos.
            - Christianos.

Voluminis Vigesimiseptimi Liber III.

DE RELIGIOSA CHRISTIANORVM societate.

CHRISTIANORVM RELIGIOSAE SOCIETATIS ΚΤΗΣΙΣ.

INSTITVTIO. INVENTIO.

QVI.

Ex Iustitiæ religiosæ locis illustrari potest.

QVOMODO. PVTA

Doctrina.

Vide Iustitiam religiosam.

Anglia omnium ferè totius Europei ORBIS Latini monasteriorum & cœnobiorum parens & altrix appellari potest. Ex ea enim prodiere, qui uel nouos instituerunt, uel ueteres uiuendi ritus instauraunt. Polyd. in Hist. Anglorum.

Ceremoniis.

[redacted]

Exemplis.

Quòd Iudæi per omnes ferè terras gẽtesq; dispersi sunt, unius ueri Dei prouidentia est in CHRISTIANÆ religionis propagationem: ut quòd deorum falsorum usquequaque simulacra, aræ, luci, templa euertuntur, & sacrificia prohibẽtur, de codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tanto antè prophetatum: ne fortè, cùm legeretur in nostris, à nobis putaretur esse confictum. D. August. lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 34.

Episcopatuum fundatione.

CAROLVS Magnus uictos Saxones ea lege seruauit, ut Christi fidem cum religione susciperent. Igitur in loco Osnaburga, habitatoribus satis frequẽte, quum uicinam Vedekindi ducis arcem iam captam imposito firmasset præsidio, ecclesiam exædificauit primam in prouincia episcopalem, eique præfecit Vihonem, primum eius loci pontificem. Deinde in Orientali Saxonia extruxit in loco Salingstede insignem ecclesiam, & in honorẽ diui Stephani iussit consecrari: preposuitq; primum ei episcopum Hildegrinum. Sed hic episcopatus posteriorib. seculis de hoc loco, quem tum Salingstede, nunc uocant Osteruyck, in Halberstadium est translatus. Tertiam deinde episcopalem ecclesiã rex erexit in mediterraneis Saxoniæ, nũc Vestphaliæ, in Miminigrode, qui postea ab insigni ibi fundato monasterio dominarum nomen accepit, ut urbs tota Monasterium usque hodie dicatur: locumq; iussit consecrari in honorem diui Pauli, præposuitq; loco pontificem sanctum uirum Ludgerum Phrisium, fratrẽ Hildegrini Halberstadensis pontificis In orientali Saxonia, ultra Visurgum, quartum iussit rex esse episcopatũ in loco Konende, illo tẽpore satis celebri, atq; habitatorib. frequenti. Sed commodiorẽ deinde conspicati locum, in Verdã (oppidũ tunc quàm nunc celebrius) transtulerunt: ibiq; consecratus est iussu regis episcopus Suibertus, Abbas Anglus. Bremensis quoq; ecclesia, an. 788. sumsit exordium, auctore Carolo, preposito illi Villehado Anglo. Padeburnensis uerò episcopum ab eodem Carolo accepit Haimarũ an. 795. Cranzius lib. 1. Metrop. cap 37. Posteaquam uerò Vedekindus Saxoniæ dux ad fidẽ Christi peruenit, permisit Imperatori ad fluuium Veseram (ueteres dixere Visurgum) arcem suam, ut in eo firmaret episcopo locum (capax enim amborũ erat) cumq; episcopo diceret, Tua atq; mea erit cõmunis iure arx ista, factũ est ut inde Saxonũ lingua Myndyn fuerit dicta. Cranzius lib. 2. Saxoniæ, cap. 16. Addidittandẽ Ludouicus Pius Aulicensem, qui pòst Hildesheimẽsis dictus est. Hamburgensem ecclesiã Metropolitanã constituere in animo habebat Carolus Magnus. Verũ id demũ Ludouicus Pius eius F. præstitit. Nã cùm Ansgarius Daniã diuini uerbi illustrasset prædicatione, assumtũ de Corbeiensi cœnobio ad ripã Viseræ, Mogũtiæ an. 833. fecit archiepiscopũ Hamburgensem consecrari, subiiciens eius ditioni omnia Aquilonis regna, & quicquid ultra Albeã in Boream est situ populorum, Vandalos, Danos, Sueones, Noricos, & quicquid gentiũ est ex illo latere mũdi, usq; in regionẽ nouissimã à mortalib. habitatam. Nicolaus tandẽ Pp. Hamburgensem & Bremensem episcopatus copulari, & deinceps pro uno sanxit haberi: & tã ipsum Ansgariũ archiepiscopum, quàm eius successores, legatos & uicarios apostolicæ sedis constituit in omnibus gentib. Danorũ, Suconũ atq; Slauorum, hoc est Vandalorum: quòd & antea Gregorius IV. papa concesserat. Cranzius lib. 1. Metrop. cap. 32.

ERICVS II. Danorum rex, Hierosolymitana peregrinationẽ suscepta, ne Dani sub externo pontifice sacrorum munera celebrarent, missis ad curiã legatis, archiepiscopatus insigne expetendum curauit. Legatus ergo pontificius, cùm celeberrimis Danorũ urbibus inspectis non minorẽ personarum quàm ciuitatũ respectum egisset, Lundiæ ob egregios Asceri mores, tum q; ad eam è finitimis regionibus terra mariq; transitus abunde pateret, hunc honorẽ deferendũ existimauit. Nec solùm eam Hamburgensi archiepiscopo, cui hactenus paruerat, exemit, sed etiam Sueciæ, Noruagiq; que religionis titulo magistram effecit. Saxo lib. 12.

Noruagia cùm ab initio suscepti Christianismi pontifices suos ab Hãburgensibus episcopis (legatione perpetua in Aquilonis regna fungentib.) accepisset: an Sal. 1054. NICOLAVS (qui postea factus est Adrianus quartus) Romanæ ecclesiæ Cardinalis, Britannicũ mare permensus, Noruagiã, in ecclesiasticis reb. tum Lundunensi archiepiscopo parentẽ, archiepiscopatus titulo insigniuit, Trondennis constituens totius regni metropolitanũ: qui nũc mutato urbis nomine Nidrosiensis appellatur. Idem in Suecia peragere cupiens, nõ potuit, Suecis atq; Gothis de primatu inter se cõtendentibus, quũ neq; de loco neq; de persona conuenirent inter eos. Danorũ interim offensam beneficij delinimẽto sedauit: & ereptæ Noruagiæ dãna, Suetici primatus munere pensaturus, futurũ Suetici sacerdotij insigne apud Eschyllũ Lundensem archiepiscopum deposuit, dandũ ei, in quẽ concors Suconũ Gothorumq; suffragiũ conuenisset. Statuitq;, ut quicunque Suconum creandi essent pontifices, pallio à curia dato, per Lundẽsem insignirẽtur antistitem, eamq; sedẽ perpetuo uenerarẽtur obsequio. Hoc priuilegium cùm Eugenio successisset confirmauit. Cranzius libro 5. Noruegiæ, capite 7. ex Saxonis libro 14.

ADALDAGVS, Hamburgensis archiepiscopus, quũ rex Otho I. Danorũ regẽ ad Christianismũ coegisset, tres episcopatus in Iutia constituit: Slesuico Haraldum præfecit, Ripæ Liafdagum, Reinbrandum Arusiæ: iisq; cõmendauit ecclesias, quæ erant in Fionia, Selandia, Scania, & in Sueonia: nã ibi necdum fuere episcopales ecclesiæ. Vandaliã quoq, suis & Christianis legibus rex Otho parére coẽgit: quocirca in urbe Aldenborg episcopalẽ iussit ecclesiã consecrari. Præfecit aũt illi primum episcopũ præstantem uirũ, Marcõnem, deditq; limitẽ ditionis à Slesuici terminis per omnẽ regionem Obotritorum, usq; ad Panim fluuiũ. Tum primũ Hamburgensis metropolis cepit habere suffraganeos: quæ hactenus sola in latissimis regnis, religioni diuinæ præsidebat sine adiutorio. Cranzius lib. 3. Metropol. cap. 26.

An. Sal. 1163. Geroldus Aldenburgensis episcopus, uidens Lubicam nouam ciuitatem reddi populosam, & opibus crescere, Aldenburgum uerò in medio Vandalorum nationis prauæ constitutum, assiduè periclitari: ab Henrico Leone Saxonum duce sedis suæ translationem impetrauit, quum id quoq; duci ex sua dignitate uideretur. Ergo designauit locum in quo ædificaretur oratorium, in titulum matricularis ecclesiæ, & areę claustrales erigerẽtur. Et statuerunt illic præbendas duodecim clericorum canonicè uiuentium: ut tertia decima esset præpositi. Dedit ẽpiscopus in stipẽdia fra-

fratrum decimas quasdam, & redditus Vandalicos, quantũ satis esset [illegible] gnauit quoq; Adolphus Holsatiæ comes uil las op[illegible] ope Lubicam, quas statim dux obtulit in usus fratru[illegible] teloneo cuiq; fratrum marcas duas Lubicensis monetæ, insuper alia, quæ priuilegiis ecclesiæ sunt inscripta. Cranzius lib.4. Vandaliæ, cap.37.

MAGDEBVRGENSI urbi, à se in primordiis regni sui fundatæ, Imperator Otho Magnus post annos XXX. eum addidit honorẽ, ut metropolitica esset dignitate: sed diu caruit territorio: de quo regi cum Bernardo Halberstadensi episcopo grandis erat controuersia, ꝓ ille ecclesiæ suæ iura minui non pateretur. Illo autem mortuo, de Vallersleue tulit episcopalem sedem, quam inibi pater eius collocarat, & transtulit Magdeburgum: additoq; honore ex sententia summi pontificis, fecit archiepiscopalem, ut esset omnibus Vandalicis ecclesiis metropolis & caput: subiecitq; illi ecclesias Mersburgensem, Misnensem, Citzensem, Hauelbergensem & Brandeburgensem, quæ hodie quoq; parent: dedicariq; illam iussit in honorem D. Mauricij. Nam eius tutelaris sancti monasterium in expeditione bellica læsisse uidebatur. Huic metropoli præfecit Albertum summæ sanctitatis patrem. Cranzius lib.3. Metrop. cap.28.

Ante MALCOLMVM III. regem quatuor Scotiæ episcopi erãt, sancti Andreæ & Murthlacensis, etiam tum florentes: duo alij, Candidæ casæ & Glasguensis, qui iam tum collapsi à temporibus Kentigerni Ninianique regum penè interierant: eos primùm restituit, delectis ex omni Scotia uirtute eruditioneque præstantibus uiris: duosque illis alios adiecit, Morauiensem & Cathenensem. H. Boethius lib.12.

DAVID I. Scotorum rex, quatuor nouos constituit episcopos, Rossensem, Brechmensem, Dounkeldensem, & Dounblacensem, amplissimisq; redituibus locupletauit. Quintum ex Murthlacensi fecit Abberdonensem. Boethius lib. 2.

Scotiæ episcoporum primus erat Eboracẽsis Archiepiscopus Anglus. At cùm ab inimicæ gẽtis præsule, per tumultus præsertim bellorum ius petere graue esset, an. Sal. 1471. IACOBVS III. Scotorũ rex impetrauit, uti S. Andreæ episcopus deinceps Archiepiscopus esset, eique XII reliqui Scotiæ episcopi subiicerẽtur: etsi Scotiæ præsules ualdè resistẽrẽt. & regi undecim marcarum millia pollicerentur. Appendix Historiæ Scotorum.

CAROLVS IV. Imp. ad cumulandam Ecclesiasticam Pragæ dignitatem, Episcopum Pragensem Ernestum, in contumeliam metropolitani Mogũtini, qui Carolo aduersas partes fouerat, Archiepiscopũ à Clemente Romano Pontifice creari curauit. Dubrauius lib.22.

Monasteriorum extructione.

LVDOVICVS Pius Imp. suscepta cura regni, primam sacræ religionis curam suscepit: translato ex Francia monachorũ collegio, de Corbeia ad ripam Sommæ fluminis sumto, ad ripam Visurgi (aliàs Viseræ) in Saxonia, nouam Corbeiam exædificauit, illic boni profectus optima iaciens fundamenta. Fuit in ea translatione diuus Ansgarius, iuuenis etiamnum, gentium Aquilonarium pòst factus apostolus, & inde archiepiscopus Hamburgensis. Cranz. lib.1. Metrop. c.19.

PRIBISLAVS primus ciuitatem cum Christianismo in terra Obotritorum & Bissinorũ firmauit. Monasteriũ Dobran fundauit: cum Hẽrico Leone Saxonum duce in terram Sanctam est peregrinatus. Quum autem ex ea reuerteretur, reb. excessit humanis, anno Christi 1179. Eo mortuo, qui ex proceribus fidem Christi nomine tenus coluerãt, monasterium ferro ac flammis inuasere: rati religionem nouam facilè eneri, si caput religionis (quod ibi esse interpretabãtur) subuertereretur. Niclotus, Rostokij & orientalis citra Panim prouinciæ dominus, collectis armis occurrit grassatoribus. Sed multitudine hostium agmen eius interceptum, & pene ad internecionem cæsum, uix ipso dilabente principe. Bureuinus Pribislai F. magnificè restauraui monasterium, locupletauitq; datis prædiis pluribus. Euersores autem, non tam armis quàm prudentia & ratione mansuefecit, ut ex animo fidem amplecterentur. Cranzius lib.6. Vandaliæ, c.24.

Armis.

An. 1095 in terrã Sanctã sacra expeditione suscepta MILITES quidam sacri per Boëmiã iter faciẽtes, Iudæos ad baptismũ uel inuitos cogebãt, & pertinaciùs resistentes interficiebãt: Aberat tunc contra Polonos BRETISLAVS II. rex. Sed reuersus, cùm Iudæi ad uomitum denuo reuerterentur, bona illorum in fiscum insuper redegit. Dubrauius lib.9.

MEYNARDVS de Zegeberg, sacerdos, ordine regularis, Liuoniam cum mercatoribus Lubicensibus adiit, paulo ante MCC. à Christo annum. Casam extruxit, in qua mansit cum famulo: linguã gẽtis magno labore perdidicit, & paulatim instruxit diuina religione quos potuit: basilicam erexit: inde etiã, quia à Lituanis fiebant incursiones, præsidiũ firmaueret: in loco, quẽ hodie uocant Kerkholm, arx præcipua ordinis, ad ripã Dunæ fluminis, duobus millib. supra Rigam metropolim. Consecratus inde ab archiepiscopo Bremensi in eam prouinciam Liuoniensis episcopus idem Meynardus, rem auxit ecclesiasticam. Ei Bertoldus Cistercienſium bbas, successit, & reb. intentus augendis, in procurrentes fidei hostes unà cũ peregrinis, qui deuotionis gratia ad militiã conuenerant, pugnaturus, equo infrẽni prouectus in medios barbaros, confoditur. Interim multi se spontaneos in sacrã aduersus Christi hostes militiam deuouerunt: nouoq; religionis habitu adinuento, se Gladiferos fratres appellauere. Albertus tertius Liuoniensis episcopus, Bremensis canonicus, perfecit diligentia singulari, ut summus pontifex plenariã militiam sacrã Liuoniæ indulgeret. Proinde duces, comites, pontifices, milites, mercatores, omnis generis in sacram se accinxere peregrinationem. Qui annum militassent, eo elapso redibant in sua, nouis aliis subeuntibus. Itaq; per annos triginta rem Christianam adauxit. Primus cinxit muro Rigã ciuitatem, & ecclesiam ibi erexit. Fratres aũt Gladiferi, qui [illegible] duos habuerãt, magistros, ꝓpter hostiũ indomitã pe[illegible]iã fratrib. ordinis Teutonicorũ, iam in Prussia commorantibus, euocatis, sese illis subdideré. Cranzius lib.6. Vandaliæ, cap.11.

In Teutonicorum ordinem, titulo beatæ Mariæ, in ipsa expeditione principũ, sub Imperatore Friderico I. terrã sanctã magnis agminib. petentiũ, ceptũ, multi se cõtulere militares uiri, fortiter in terra sancta pugnantes: obtinuitq; Fridericus II. ab Honorio summo pontifice eum ordinẽ cõfirmari: deditq; fratrib. per Germaniã disseminatis Prussiã prouinciam gladio ad Christiana sacra cõ[illegible]ellendã: ut nihilominus memorati fratres suũ haberent agmen in terra Sancta, quoties opus uideretur. Huius ordinis magister sub Friderico nauigabat Ptolemaidẽ, classe Bri[illegible]dusij coacta: sed per inducias Damiatæ constitutas, quũ int[illegible]ceptus esset rex Francie cum [illegible] fratres Teutonici [illegible] intenderunt: & felici auspicio terram omnẽ sibi parẽre, populumq; factũ subire baptismũ coegerunt. Aucta est ibi res Christiana, & usq; ad Liuoniam propagata. Cranzius lib. 7. Vandaliæ, cap.26. & 27.

GODESCALCVS presbyter Germanus sub Hẽrico III. qui bello Turcico impeditus erat, XV. millibus militum Iudęos in Germania habitantes ad fidem coẽgit, recusantes interfecit. Stumpfius.

Diu quidẽ in Hispania disceptatũ in Regio Senatu fuisse audimus, nũ Iudi bello, an sola diu[illegible] uerbi Christiani promulgatione, prædicationéue, ad nostra sacra & ritus traducẽdi forẽt. Obtinuisse, reclamantib. tamẽ multis, aliquot Dominicanorũ sententiã: qui beneuolẽtia potius, & persuasione, quàm ferro, ad Christianã religionẽ conuertendos esse, putarent. Cùm igitur ex iis quidã sese inermes in Floridã hoc nomine contulissent, statim à Barbaris fuisse trucidatos, sul titiæq; suæ pœnas dedisse. Atabalibæ porrò, Peruanorũ regi, nostræ religionis capita fuisse proposita referũt, quę ea intelligeret, atq; reciperet. Audisse: exhibitum ei Breuiariũ, quod appellant, à Christiano sacerdote, in eo, quæ dicerentur, contineri, & fusius explicari. Vbi aliquamdiu Breuiarij paginas euoluisset, Nihil ab eo libro sibi narrari, uel exponi, respondisse: & librũ in terram, tanquam ridiculum, proiecisse. Voces illico militũ Hispanorum in cœlum eiaculatas: quibus opprobrio Deum adfici, diuinum eius uerbũ cõculcari, exclamarent: & hoc prætextu captum, & regno fuisse spoliatum. Necessariò igitur usus alteram sententiam, nimirum ui armisq; Indos ad Christianam fidem esse deducendos compellendosq;, comprobauit. Io. Metellus.

Suppliciis.

EMICHO quidam ad Rhenum comes, pietatis zelo non exiguam Iudæorum multitudinem ad Rhenum, Mœnum & Danubium, fidem Christi amplecti detrectantium, trucidauit. Hedio in Chronico. EBERHARDVS Treuirorum episcopus, pertinaces urbe eiecit. Catalogus Treuirensium, Seculo XI. post Christum.

ALBERTVS Austriæ dux antequã Romanum suscepisset imperiũ, in Iudæos desæuiens, eos omnes in sua ditione occidi iussit, qui nollent ad Christũ conuerti. Multi præ metu baptisma suscepẽre. Ex quibus unum Fridericus antequam imperaret, in cubiculum suum uocatum, quasi fratrem dilexit. Is post aliquot annos ad Iudaicam fidem sese reuersum affirmabat. Fridericus suadens ne uiam uitæ desereret, cùm nil proficeret, Theologos Viennẽses accersit, qui iuuenem instruant: addit preces, addit lacrymas, promittit, minatur. Postremò cùm nil proficeret, iuuenem iudicibus tradidit. Ille ad supplicium ductus, nullis cõstrictus uinculis (sic enim petierat) ut pyram ardentem uidit, Hebraicum cantiẽ incipiẽs, in medias flammas intrepidus se coniecit, atq; ibi cantans exustus est. Aeneas Syl. lib.3. Com. in Alfonsum.

CHRISTIANAE RELIGIONIS ΦΥΛΑΚΗ. HVC PERTINET

CONFESSIO. FACTA

SANGVINE, Mortes.

Sic Martyres κατ' ἐξοχὴν dicti, de quibus sub Fortitudine tolerante.

ABSQVE SANGVINE.

Hue ii qui eximie Confessores uulgò appellantur, uotò saltem ad Martyrii palmam aspirantes, ut Origenes olim.

MVTATIO RELIGIONIS QVALISCVNQVE.



CHRISTIANAE RELIGIONIS XPHCIC. HVC RELIGIOSI

POPVLI.

Ante Christum agnitum nulla gens pertinacior errorũ quàm NORVAGIORVM: post susceptam Christi fidem, nulla constantior. Ferunt olim è terra sua qualibet de causa peregrinatos, quum primùm redissent, terramq; attigissent, pronos cadere in terram, & facto signo crucis, eam exosculari solitos: O, inquiunt, terra Christiana ante oẽs. Adeo generis sui cultum extollebãt, cęterorum contemnebãt. Cranzius lib.6. Noruegiæ, cap 11.

PONTIFICES.

PIVS II. Pont. Max. ritus sacrorum & ceremonias ita ubiq; tenuit, ut ad Sublacum cœnobitas, cœnam eodem apparatu, quo illis, ministrari sibi biduo iusserit: quod & Capreolæ in Hetruria fecit, & ad cœnobium D. Benedicti in Mantuano, & in Florentino ad Carthusiam, cùm ibi substitisset. Campanus in eius uita.

REGES.

Sub loco Iustitiæ religiosę plura exempla inuenies.

CAROLVS Magnus incredibili studio diuinum in ecclesia procurauit officium. Eius hortatu per omnes penè prouincias depositum est Ambrosianum officium, & Gregorianũ susceptum. Patrum sermones, sanctorum uitas iussit ex fide transcribi. Martyrologium in ecclesiis maioribus & cõuentualibus p singulos dies recitari uoluit. Ecclesiam mane & uesperi, nisi magnæ causę intercederent, item nocturnis horis, & sacrificij tempore, quoad ualetudo pèrmitteret, impigrè frequentauit: curauitq; magnopere, ut omnia compositè fierent: ędituos crebrirrimè commonens, ne quid indecens aut sordidũ uel inferri uel in tẽplis permanere sineret. Cranzius lib.1. Metrop. c.18.

IDEM quoque toto regni sui tempore nihil duxit antiquius, quàm ut urbs Roma sua opera suoq; labore ueteri pollaret auctoritate, & ecclesia sancti Petri non solùm per illum tuta & defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus ecclesijs esset ornata ac ditata. Eginhardus in uita eius.

FRIDERICVS Barbarossa Imp. omnem horam, qua coram Deo psallebatur, comperẽti uenerabatur silentio, nec ullus interim eũ audebat de quouis sollicitare negotio. Peractis uotis, & post Missarum solennia, diuinis consignatus reliquijs, negotijs uacabat. Radeuicus lib.4. cap. ult.

FERDINANDVS rex Asturum & Castellæ ad sancti Facundi monasterium ueniens, quasi unus è monachis & diuinis officijs insistebat, & cibarijs regularibus utebatur. Cũ porrectum uas uitreum de manu Abbatis ad mẽsam uenale sedens excepisset, illudq; fractum ẽsset, pro negligentia pœnitens, uas aureum gemmis ornatũ curauit afferri, & Abbati pro uitreo obtulit. Rodericus Toletanus lib.6. rerũ Hisp. c.

VENCESLAVS, Vratislai F. Boemorum princeps, ab omni ambitione inuictus, demissius penè princeps q̃ priuatus agebat, aliquantoq; diligẽtius obseruabat, ne quid de instituto prioris uitę apud aulam Ludmillam transactæ intermitteret. Nam & noctibus intẽtius quàm prius ad psallendos psalmos, laudesq; Deo dicendas utebatur, & dies per plura pietatis officia transigebat, crebrius in funus prodeũdo, languentes inuisendo, laceros nudosq; conuestiendo, pauperes alimentis sustentando. Instituerat præterea sibi inediæ ac uigiliæ quoddam quasi cum auia certamen, experiri satagens, ipse an illa sæpius ieiunaret, pernigilaretq;. Cùm sacerdotibus assiduè uersabatur, & sacris ministrabat, noctu plerunq; uel media hyeme loca sacra uigiliarũ nudis pedibus adibat. Dubrauius lib.5.

EMMANVEL Lusitaniæ rex Ecclesiæ sanctionibus alacritate singulari parebat, mores & ritus ab Ecclesia cõstitutos summa sanctitate & cæremonia tuebatur. Tẽpore, quo memoria suppliciorum, quæ Christus pro nobis in cruce pertulit, ritu solenni cõsecratur, à templo minimè discedebat: & tribus diebus, quibus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum erat in sepulcri quadam similitudine conditum, ut nobis memoriam nostræ salutis repræsentaret, neq; uestes exuebat, nec ab eo loco, nisi ad aliquod breue tempus abscedebat: & cùm somnus illum complectebatur, ibi sine ullo uitæ delicatioris instrumento paululum accubabat. Multas sanctorum hominum religiones instauraut, fluxos mores ad pristinam redegit, Ecclesiam Romanam reddidit. Aedes sacras quam plurimas ueteres sumptuosissimis extruxit, uel collapsas refecit. Odio acerbo Mahumetis sectam persequebatur, & ea de causa tanto studio Christianis in Africa & Asia comparabat, ut quantum in illo esset, memoriam erroris pestiferi deleret. Osorius lib. 12. Rerum Em.

VLADISLAVS Hungariæ & Boemiæ rex ex Hungaria in Boemiam rediens, cùm Pragam uenisset, in arce nullum prius, quàm templi Diui Venceslai tectũ subiit, gratias Deo agens, tanquã salutis suæ prosperitatisq; auctori. Multam inde uestem sacram preciosamq;, multa tapetia picta, uim præterea magnam auri & argenti templo dedicauit, accitis aurificibus, qui diuorum reliquias, ac præcipuè sanctorum patronorum capita, thecis uilioribus inuoluta, cælato argento includerent, desiperq; inaurarẽt. Et ut cultus quoq; diuinus in templo adaugeretur, Chorales instituit, qui in conuentu coronaq; canentium, hymnos Deo tum die tum nocte psallerent: atq; utroq; tempore, dũ per otium licuit, libenter illis interfuit, ut religionem sanctis uocibus pasceret, spem erigeret, fiduciam in Deo figeret, simulq; oraret pro rerũ quiete: quam tantum dilexit, ut quantumuis bello felix esset, tamẽ quoties uel cubitum iret, uel è lecto surgeret, nulla eius uox alia audiretur, nisi, Da pacem Domine in diebus nostris. Osorius lib. 12.

DE GENERE HORVM

DE OFFICIIS.

CAIVS Pp. sub Diocletiano instituit ordinationes, Ostiarii, Lectorem, Exorcistam, Acolythum, Subdiaconũ, Diaconũ, Presbyterum, Episcopum, an. 294. Volater. lib. 22. & Platina.

An. Domini 838. iuxta Sigebertum, AQVISGRANI synodus celebrata iussu Ludouici Imperatoris, & in ea regoli ad quales episcopi & presbyteri esse debeant, qui illis sint ecclesiæ, quæ illos tenere & habere oporteat, quæ episcoporũ & abbatum in gubernatione suorum adhibere debeant, quæ ad Imperatoris officium pertineant in iuuanda gubernatione ecclesiæ, & recte administranda Republica.

In synodo Aquisgranensi anno 836. celebrata, cui præsedit Gregorius 4. iuxta Mutium libro 10. & Nauclerum generatione 29. constitutum, ut nullus episcopi & cleri cuiuslibet gradus pretiosas & exquisitas uestes, uel ueste ex multis diuersi coloris, aut bracteatas, ne ue in digitis gemmas, nisi dũ pontificalia officia peragunt, nulla calceis aut ocipidis aurum & argentum ferat. Et ut ne ad sacros ordines accedat prohibetur, nisi ad communem & clericorum iudicentem.

DE CONVERSATIONE.

SYMMACHVS Pp. Theodorico regnante, constituit, ne quis Clericus cum muliere, nisi sanguine coniuncta, habitaret. Anno 492. Volat. lib. 22.

DE PRIVILEGIA.

CAIVS Pp. sub Diocletiano anno 292. instituit, ne clericus ad iudicium profanum accersiri posset. Volat. lib. 22.

ALEXANDER Pp. instituit, ne clericus ullus ad secularis iudicij tribunal euocetur. Gratianus.

CONVALLVS Scotorum rex edixit, ut qui sacerdotem manu percussisset, eadẽ ei manus acuto ferro adimeretur: qui occidisset sacerdotẽ, publicatis fortunis, cremaretur uiuus. Item ut decimas omnium terra nascentium cuncti in sacerdotum horreo deferrent: utq; qui sacris sacerdotum auctoritate fuisset prohibitus, hominum prohiberetur congressibus: salutaretur à nemine: petentiq; ius negaretur: nec ulla illius testimonio esset fides: publicis q; consilijs ac concionibus arceretur. Cuiq; pastoriis intempestiui qui præesset uicinæ prædium assignauit, in quo & commentationi indulgeret, & usibus aliorum parcerẽt. Boethius lib. 9.

CAROLVS IV. Imp. Rodolpho cancellario Verdensi episcopo adiuuante, pro libertate ecclesiastica, contra dominos temporales, multa statuta edidit, ne ecclesiasticis personis [illegible] Metrop. c. 33.

DE POSSESSIONES.

VRBANVS Pp. Romanus statuit ut prælia essent, inter milites communia, fructus quoq; uinitim distribuerentur. Platina.

INNOCENTIVS II. Pp. instituit, ne quis in prædijs, aliquotalibus, hereditatem sibi constituere posset. Anno salutis 1138. Volat. lib. 22.

DE ELECTIONE.

ZOSIMVS Papa & mox Bonifacius uetuere, ne seruiti in clerum reciperentur, quod huiusmodi uiros liberos & integros esse oporteret. ANASTASIVS I. ne peregrini, maximè autem transmarini, in clerum reciperentur, nisi quinque Episcoporum præ se ferrẽt chirographa. Hoc factum aiunt propter Manichæos, qui tũ in Africa magno in precio erãt, & ad corrũpendam fidẽ de suis quoquouersum mittebant. [redacted]

GELASIVS Pp. Theodorico regnante, constituit, ut clerorum ordinationes quater in anno tantùm fierent, diecq; sabbati. Volat. lib. 22.

DOCTORES RELIGIONIS. ET ILLI QVIDEM VEL

SCHOLASTICI.

Horum exempla aliquot Volumine quinto, sub Titulo Theologorum, attulimus.

POPVLARES. CONCIONATORES, Ecclesiastæ.

IOANNIS Baptistæ uox, clamantis in deserto, pulcrè nobis modum formamq; prædicandi uidetur insinuasse. Vitia primùm omnium acriter increpanda, maximeq; eorum quos in ijs obstinatiores cernimus, docuit, pharisæis insultans ac dicens: Genimina uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere à uentura ira? Remedium deinde, ne desperent, continuò ingerendum ostendit, dum subiungens ait: Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Postremò proponendum iustis præmium, impijs pœnam, dicens: Cõgregabit triticum in horreum, paleas autẽ comburet igni inextinguibili. His etiam qui talia docent, neminem timendũ declarauit, corripiendo Herodem regem, uincula, carcerem: necẽ perferre satiùs sibi existimans, quàm illicitum illius cõiugium adulatione obtegere, & præceptorum Dei immemorem se præbere. Marulus lib. 3. cap. 4.

Post Ioannem cœpit IESVS facere & docere: cœpit prædicare, ipse ólim prædicatus, semperq; prædicandus, mũdi Saluator ac Dominus. Lex enim & prophetæ ũsq; ad Ioannẽ, exinde Euangelium Christi. Et hactenus quidẽ terrenorum præmium bonorũ, nunc iam cœlestis regni æterna promittitur pœnitentibus beatitudo. Pœnitentiã, inquit, agite: appropinquabit enim regnum Dei. Nec certè priùs Iesus prædicare cœpisse dicitur, quàm tẽtatus famẽ uicisset in deserto, auariciam in monte, uanam gloriã in templo. Qua in re ostendere uoluit, qualẽ priùs esse oporteat, qui diuini uerbi passim disseminandi curam aggredi decernit. Hinc sam aliquatum nationũ saluti cõsulens, DISCIPVLOS adfciscit sibi, ut habeat quos discedens doctrinæ suæ per orbẽ propagandæ relinquat magistros: utq; is qui docet, alijs etiam docendi disciplinam impendere discat. Circuit totam Galilæã, ut doctoribus post se futuris, urbes, castella, uicos peragrandi solicitudinẽ insinuet. Docet in synagogis, ut & illi ibi magis uerba facere studeãt, ubi plurib. prodesse possint. [redacted] dotes, ut eum in [illegible] ut meminerint, perfectioribus excellentiora uitæ præcepta dari oportere, imbecillioribus leuiora, lac paruulis, solidũ iam adultis cibum. Ibidẽ. Eos quoq; se adhuc uiuo ad euangelizandum emittit. Matth. 9. Marci 3. Lucæ 6.

Docẽdi munus Apostoli sententia interdictũ feminis est: Mulieres, inquit, in ecclesijs taceant. nõ enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: sicut & lex dicit. Si quid autem uolũt discere, domi uiros suos interrogent. Turpe est enim mulieribus [illegible] Magdalenæ prædicatione [illegible] sororis eius, Rhodani accolæ. Deinde solas apostolatus fungi officio, [illegible] id de illo uelo cuius ueste [illegible] [illegible] prædicandum [illegible] sacrificiorum [illegible] Spiritus [illegible] IVVENALIS [illegible] Pauli [illegible] illo se contulerunt [illegible] Scoti ad Christum conuersi, MONACHORVM quorundã ductu & adhortatione, qui quòd seduliò prædicationi uacarent, essentq; frequentes in oratione, ab incolis cultores Dei sunt appellati. Inualuit id nomẽ apud uulgus Intantũ, ut sacerdotes omnes, ad nostra penè tempora, uulgò Culdei, id est, cultores Dei sine discrimine uocẽtur. Pontificem inter se communi suffragio deligebant, penes quẽ diuinarum rerum esset potestas. Is multos deinceps annos Scotorum episcopus est appellatus. H. Boethius lib. 6.

PALLADIVS primus Scotorum episcopus à Celestino Pp. missus ad Pelagianam hæresim auertendam cùm priùs ex sacerdotibus & Chaldeis põtifices deligerẽtur. Scotorum inde Apostolus dictus, Forduni in Mernia mortuus, illic cõlitur. H. Boethius lib. 7.

NINIANVS episcopus sanctitate & miraculis clarissimus, Casæ Candidæ pontificalis in Galdia sedis primus institutor, ædem ibi condidit diuo Martino suo aunuculo sacrã, Scotorum, Pictorum, Britonumq; doctor & pædonomus non uulgãtus, & eo nomine omnibus qui Albionem incolunt uel hac nostra ætate in multa ueneratione habitus. H. Boethius ibidem.

VNNI archiepiscopus Hamburgensis, sacra legatione in Daniam suscepta, in qua Gormo Christianis infestissimus regnabat, filium eius Haraldum sua lucratus est prædicatione, adiuuante matre Tira Anglã, femina Christianissima. Ordinatis igitur in Danorum regno per singulas ecclesias episcopis, atq; sacerdotibus, multitudinem credentium Haraldo regis filio Dei sanctus ad tutelam commendauit: cui ius etiam fultus adiutorio, noui itineris consortem habuit, qui regio nomine illi adesset. Omnes Danorum insulas penetrauit, euangelizans regnum Dei gentibus & fidelibus, quos inibi de ueteri memoria reperit, aut captiuos inuenit, eos in Christo confortans. Deinde uestigia secutus magni Ansgarij, per mare Balthicum Bircam peruenit, caput Suetici regni, quò iam per annos LXX. nemo doctorum post Ansgarium ausus erat penetrare, præter solum Rembertum. Est autem mediterranea ciuitas, nõ longè ab Vpsala, quæ nunc metropolis est regni, tum erat idolorum cultu famosissima. Factum est sanctí patris infatigabili instantia, ut populi, quorum patres à beato Ansgario & Remberto fidem acceperant, sed ipsi temporum malignitate ad paganismum relapsi fuerant, tunc demum ad Christum reuerterentur. Perfecto autem legationis suæ ministerio, quũ tandem rebus ad bonum modum compositis redire disponeret, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Discipuli, solum caput Bremam reportantes, in ecclesia sancti Petri, ad altare condiderunt, anno DCCCCXXXVI. quum in pontificatu egisset annos sexdecim: Exemplar omnium pontificum, usque adeò pro salute credentium omnium solicitus, ut etiã, quæ omnibus solet esse cãrissima, uitam impenderet. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 6.

Sub Bretislao Boemorũ principe floruit D. PROCOPIVS, Patria [illegible] Boemia, & parẽtes item Boemi erant, à prima statim pu[illegible] [illegible] aliq. in Boemia [illegible] [illegible] sio applaudentes [illegible] ro adiungeretur, mutuir sed autem ut sodalitio Breuiorũ, quàm

Minorum pater FRANCISCVS, illud executurus, Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: sic hominibus prædicauit, ut mundũ repleret monasteriis: sic auibus, ut ad audiendum dociles intentæq; silentium tenerent, ac se manu ab eo contrectari non formidarent. Illos ut piè religioseq; uiuerent hortatus est: has tantùm ut creatorem suum laudarent, cuius beneficio pennas haberent ad uolatum, uocem ad cantum, fructus terræ absq; omni uel serendi uel metendi labore ad alimentum, uitæq; sustentationem. Apud castellum Gallinarium prædicans, hirundinibus multiplici garritu obstrepentibus silentiũ imperauit: nullaq; deinde, quamdiu ipse uerba fecit, ne minimum quidem tonum aut susurrum edidit. Idem.

ANTONIVS Hispanus, Prædicatorũ ordinis, sanctitate percelebris, quum apud forum Iulij moram traheret, prædicare uerbum Dei iussus, imperitiam excusabat, nunquam antea eiusmodi declamationibus usus. Verũtamen iussioni maiorum obtemperans, talem fecit sermonem, qualis exercitatissimo tribui potuisset. Marulus. Idem Patauio à Tisone Campi S. Petri domino euocatus ad concionandum, in ædibus secularibus commorari noluit, sed cubiculum supra patula nuce oppido propinqua sibi construi curauit, è quo tanquam è suggestu populis cõcionabatur. Morbo ibi correptus, Patauium deportatus obiit, anno MCCXXXI. Bernardinus Scardeonus lib. 3. classe 13. Pat. hist.

Scoti ad Christum conuersi, MONACHORVM quorundã ductu & adhortatione, qui quòd seduliò prædicationi uacarent, essentq; frequentes in oratione, ab incolis cultores Dei sunt appellati. Inualuit id nomẽ apud uulgus Intantũ, ut sacerdotes omnes, ad nostra penè tempora, uulgò Culdei, id est, cultores Dei sine discrimine uocẽtur. Pontificem inter se communi suffragio deligebant, penes quẽ diuinarum rerum esset potestas. Is multos deinceps annos Scotorum episcopus est appellatus. H. Boethius lib. 6.

PALLADIVS primus Scotorum episcopus à Celestino Pp. missus ad Pelagianam hæresim auertendam cùm priùs ex sacerdotibus & Chaldeis põtifices deligerẽtur. Scotorum inde Apostolus dictus, Forduni in Mernia mortuus, illic cõlitur. H. Boethius lib. 7.

NINIANVS episcopus sanctitate & miraculis clarissimus, Casæ Candidæ pontificalis in Galdia sedis primus institutor, ædem ibi condidit diuo Martino suo aunuculo sacrã, Scotorum, Pictorum, Britonumq; doctor & pædonomus non uulgãtus, & eo nomine omnibus qui Albionem incolunt uel hac nostra ætate in multa ueneratione habitus. H. Boethius ibidem.

VNNI archiepiscopus Hamburgensis, sacra legatione in Daniam suscepta, in qua Gormo Christianis infestissimus regnabat, filium eius Haraldum sua lucratus est prædicatione, adiuuante matre Tira Anglã, femina Christianissima. Ordinatis igitur in Danorum regno per singulas ecclesias episcopis, atq; sacerdotibus, multitudinem credentium Haraldo regis filio Dei sanctus ad tutelam commendauit: cui ius etiam fultus adiutorio, noui itineris consortem habuit, qui regio nomine illi adesset. Omnes Danorum insulas penetrauit, euangelizans regnum Dei gentibus & fidelibus, quos inibi de ueteri memoria reperit, aut captiuos inuenit, eos in Christo confortans. Deinde uestigia secutus magni Ansgarij, per mare Balthicum Bircam peruenit, caput Suetici regni, quò iam per annos LXX. nemo doctorum post Ansgarium ausus erat penetrare, præter solum Rembertum. Est autem mediterranea ciuitas, nõ longè ab Vpsala, quæ nunc metropolis est regni, tum erat idolorum cultu famosissima. Factum est sanctí patris infatigabili instantia, ut populi, quorum patres à beato Ansgario & Remberto fidem acceperant, sed ipsi temporum malignitate ad paganismum relapsi fuerant, tunc demum ad Christum reuerterentur. Perfecto autem legationis suæ ministerio, quũ tandem rebus ad bonum modum compositis redire disponeret, apud Bircam ægritudine correptus, ibidem fessi corporis tabernaculum deposuit. Discipuli, solum caput Bremam reportantes, in ecclesia sancti Petri, ad altare condiderunt, anno DCCCCXXXVI. quum in pontificatu egisset annos sexdecim: Exemplar omnium pontificum, usque adeò pro salute credentium omnium solicitus, ut etiã, quæ omnibus solet esse cãrissima, uitam impenderet. Cranzius lib. 3. Metrop. c. 6.

Sub Bretislao Boemorũ principe floruit D. PROCOPIVS, Patria [illegible] Boemia, & parẽtes item Boemi erant, à prima statim pu[illegible] [illegible] aliq. in Boemia [illegible] [illegible] sio applaudentes [illegible] ro adiungeretur, mutuir sed autem ut sodalitio Breuiorũ, quàm

quàm collegam in collegio Vicegradēsi agere. Captus deinde amore uitæ solitariæ, Breunouiæ relicta, speluncam quandam Safauæ flumini incumbentem, laruisq; & lemuribus infamem, sibi inhabitandam delegit. Eam sicut atq; subiit, continuò omnes illæ terribiles uisu formæ dilapsæ sunt, haud secus ac dilabi solent tenebræ luce immensa: unaque etiam metus est exemtus accolis, qui adire specum metuebant. Igitur cognoscens Procopius frustra secretum à se, fugamq; hominum quæri, occultandi sui finē fecit, ac paulò post suæ [illegible] assectatores in contubernium contrahēs, sacra cum illis, & munus uigiliarum, precumq; & ieiuniorum obiuit. Non solùm superstes, uerùm etiam in sepulcro dormiens multa & præclara ædidit miracula. Bretislaus eo loci, in quo iacebat, memorię eius templū excitauit, addiditq; illi sodales ecclesiasticos. Dubrauius lib. 7.

Religionis

ADELBERTVS secundus Pragensis episcopus, Roma, quò sponte exulare [illegible] uiserat, euocatus à Boleslao II. principe, cùm populo obiecta [illegible] centiram uitiorum minus gratus esset, ne bello intestino occasionem daret, in Poloniam abiit, christianismo nuper initiatam, & Gnesnæ præsulem dedit Gaudentium fratrem. Hinc ad Prutenos ueniens, cùm populum penitus rudem & indocilem esse uideret, nouos sibi in grege armentorum & pecudum quæsiuit auditores. Atq; res tum dictu mira contigit, ut starent arrectis auribus boues, equi, asini, capræ, sues, & quasi bene per Adalbertū dicta sentirent, intelligerentq;, nutu illa capitum approbarent. Pruteni brutis illis magis bruti, ad summam per hæc crudelitatem efferati, Fischusij in Prussia, anno Salutis humanæ DCCCCXXCIIX. aliis DCCCCXCVII. sanctū uirum septem spiculis confoderunt, caput mortui amputarunt. Boleslaus Poloniæ princeps, ex sorore Boleslai Boemiæ principis prognatus, cùm precibus non posset, precio à truci gente corpus redemit, illudq; Gnesnæ sepulturæ tradidit, adeò non uulgaribus clarum miraculis, ut Otho tertius, qui eodem tempore Imperio præfuit, uoti reus factus ob recuperatam ualetudinem, quam Adalberto acceptam retulit, Gnesnam ad sepulcrum eius adierit. Atq; inde passim apud cæteros quoque Germanos, Adalbertus inter diuos haberi cœpit. Idem lib. 6.

ADELVARDVS ab Adelberto Hamburgense metropolitano missus in Sueoniam, multum Domino populum acquisiuit, ex iis terræ finibus, in quibus nullus antea prædicator uisus erat uel auditus. Cranzius lib. 4. Metrop. c. 33.

IOANNES Scotus, Magnopolensis episcopus, apud principem Vandalorum Godscalcum commoratus, multa millia baptizauit. Post cæso Godscalco ab impiis, pro confessione Christi in Mekelnburg fustibus cæsus, deinde per singulas Vandalorum ciuitates ad ludibrium ductus, quum à Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus & pedibus, in plateam prouoluitur. Caput desectum barbari contis perfigentes, in titulum uictoriæ deo suo Radegast immolauerunt, anno Domini MLX. Cranzius lib. 4. Metrop. c. 43.

GODSCALCVS rex Megalopyrgensium & Herulorum, sæpe zelo pietatis in templis concionatus est suis subditis, & uitam pro religione Christiana fudit, dum pugnaret contra Vandalos idololatras. Munsterus in Cosmographia.

ARNVLFVS Brixiensis, Christianæ religionis prædicator egregius, improborū insidiis Romæ necatus est, quòd acerbè nimiùm in eorum lasciuiam & libidinem inueheretur, quodq; eorum pompam, & in comparandis diuitiis nimiū studium improbaret, paupertatem Christi & integerrimam uitam ad imitationem omnibus proponēs. Hunc multi ex nobilitate Romana tanquam uerum Christi discipulum & prophetam sequebantur, hunc laudibus ad cœlum tollebant. Hinc odium, hinc iræ in perniciem bene sentientis usque ad necem excitatæ. Fugitne hic sanctissimus uir presbyter, an monachus, an eremita, haud satis constat. Sunt q scribant Honorio II. pontifici id admodū displicuisse, non tamen tanti facinoris auctores unquam inuentos. Platina.

Tempore Friderici II. Imp. BERCHTOLDVS Franciscanus Ratisbonensis, clarus integritate uitæ, atq; Christianæ eloquentiæ orator insignis fuit: sexaginta amplius millia hominum eius conciones frequentasse literis prodiuit. Ratisbonæ mortuus & sepultus est. Auentinus libro 7. annalium Boiorum.

OTHO Bambergensis episcopus à Boleslao Polonorum duce euocatus (qui Pomeranos gentem Vandalicam subiegerat) anno MCXXIV. eos in Christiana religione studiuit. Cranzius lib. 5. Saxoniæ, cap. ult.

BERNARDINVS Senensis, postquam Italiam omnē Christi nomen prædicando peragrasset, in Marsorum urbe Aquila uitæ cursum peregit, eo in loco sepultus claret miraculis. Fuit huic clara inter Senenses origo. Apud quos natus, & educatus, cùm adolesset, iuri pontificio operā dedit. Sed parentibus mortuis distributa inter pauperes substantia, D. Francisci religionem ingressus, traditam sibi regulam exactissimè obseruauit: declinansq; maiores conuentus, eorum ductor ac magister effectus est, qui fratres Obseruantes appellantur. Maximum autem ei studium in edocendis populis fuit: cùm esset facundia & doctrina insigni. Vrbinatium, Ferrariensium, Senensium pontificatum respuit, toti Italiæ debitam linguam certo alicui loco addicere nolens. Idem cap. 64.

Ioannes Capistranus, ordinis Minoritarum, Bernardinianus qui primus reformationem ordinis ouauit in Italia, discipulus, uenit Magdeburgum. Ipsius adspectus mouebat adstantes, ipse dicentis apparatus (licèt sola Latina lingua uteretur) in populo energiam habuit mirabilem, cùm post illum unus ex fratribus interpretaretur populo, per duas horas, quæ ille tribus antè enunciasset. Commouit usque adeò populum, ut omnia uana ludorum genera, scacos, aleas, quicquid id generis est, conferrent in forum, feminæ armillas & redimicula, uno igne, inspectante populo, concremarent. Cranzius lib. 11. Metrop. cap. 39. & lib. 11. Saxoniæ, cap. 35.

IOANNES Capistranus à Nicolao V. P. M. Boemis confirmandis destinatus. Summa homini dicendi facultas, incredibilis memoria, uitæ sanctitas rara, mirumque studium in uitiis insectandis, & corrigendis erroribus. Ille [illegible] in Morauiā diuertit, manstitq; Olomucij apud sodales suos haud paruo tempore, docēs populum tanta celebritate frequentem, ut illum uel capacissimum templum non caperet, ut necesse habuerit in foro sermocinari, duobus semper assistentibus interpretibus, altero Boemo, altero Germano, quæ, quæ Latinè diceret, uernacula lingua pronunciarēt. Dicebat autem contra Rokyczanum, communionem utriusque speciei, quod ad idiotas attinet; non esse ex uoluntate præcepti Euangelici: nec licere cuiquam ritum sibi [illegible] cum bona ratione introductū ausu temerario mutare. Venceslaus à Boscowicze, inter proceres Morauiæ magnæ auctoritatis, uale Hussitis dicte, ad Romanos cū duobus subditorum millibus reuertit. Rokyczanus Hussitarum antesignanus ad disputationem eum prouocauit, definitis [illegible] quibusdam locis, sibi ualde idoneis. Contrà Capistranus Olomucium illum aut Brunnam inuitauit, tanquam [illegible] ciuitates utriq; accommodatissimas. Itaq; iter in Boemiam tetendit. Rokyczanus ad calumnias conuersus, professionem

ATHLETAE, RELIGIONIS PROPAGATORES. IMPVGNATORES. CERTAMINA DE Religione.

SVCCESSIO, ORDO.

QVI, QVO TEMPORE, QVANDO FVERINT.

Onuphrii Panuinii accuratam supputationem sequemur. Sedis uacantis tempora singillatim ex Creationis & Sessionis numeris colligi possunt.

Creatio. A. S.		Sessio. A.	M.	D.
44	S. SIMON PETRVS Cephas Ioannis F. Bethsaidensis, Galilæus, princeps Apostolorum, sub Nerone cruci affixus. Sedit	24	5	12
57	S. LINVS Herculani F. Volaterranus, Petri discipulus, & coadiutor cum Cleto. A' Nerone cæsus. Sedit absente ferè Petro	11	3	12
68	S. CLEMENS Faustini F. Romanus, in Ponto exul, martyr.	9	4	26
77	S. CLETVS Aemiliani F. Romanus, martyr.	26	10	15
84	S. ANACLETVS Antiochi F. Atheniensis, martyr.	12	2	10
96	S. EVARISTVS, Iudæ F. Bethleemites, Græcus, martyr.	13	3	0
109	S. ALEXANDER, Alexandri F. Romanus, martyr.	7	5	19
117	XYSTVS I. Pastoris F. Romanus, martyr. Sedit	9	10	19
127	S. TELESPHORVS, Anachoretæ F. Græcus, martyr.	10	8	28
138	S. HYGINVS, Philosophi F. Athenienses, Græcus.	4	0	0
142	S. PIVS I. Ruffini F. Aquileiensis.	11	5	27
154	S. ANICETVS, Ioannis F. de uico Hunisia, Syrus, martyr.	9	8	24
163	S. CONCORDIVS Soter, Cõcordij F. Fundanus, Latinus.	7	11	18
171	HABVNDIVS Eleutherus, Habundij F. Neapolitanus, Græcus.	15	0	15
186	S. VICTOR, Felicis F. Africi, martyr.	12	1	28
198	S. HABVNDIVS Zepherinus, Habundij F. Romanus.	20	0	17
218	S. DOMITIVS Callistus, Domitij F. Romanus, de uico Rauennatũ, martyr.	5	1	13
223	S. VRBANVS, Pontiani F. Romanus, martyr.	7	7	5
231	S. CALPHVRNIVS Pontianus, Calphurnij F. Romanus, exul in Sardinia.	5	5	2
236	S. ANTERVS, Romuli F. Græcus, martyr.	0	1	14
	S. FABIVS Fabianus, Fabij F. Romanus, martyr.	14	0	11
250	S. CORNELIVS Castini F. Romanus martyr. Schisma I. à Nouato excitatũ, & creatus NOVATIANVS Romanus, antipapa: sed ecclesia pulsus ob hæresim Nouatianam.	2	2	3
253	S. LVCIVS Porphyrij F. Roman. martyr.	1	3	13

A. S.		A.	M.	D.
[illegible]	S. IVLIVS Stephanus, [illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]

A. S.		A.	M.	D.
	F. episcopus Eysterensis.	2	3	16
1057	STEPHANVS X. dictus IX. Lotharingus Gallus, Friderici Gozelonis ducis Lotharingiæ F. Abbas Cassinensis, Card.	0	7	28
1058	BENEDICTVS IX. dictus X. Romanus, Ioannes Mincius, ex Comitib. Tusculanis, Guidonis F. episcopus Veliternus. Schisma XIX. coactus abdicauit.	0	9	20
1059	NICOLAVS II. Allobrox, Gerardus Burgundio, episcopus Florentinus.	2	5	25
1061	ALEXANDER II. Mediolanēsis, Anselmus de Badagio, Anselmi F. Canonicus Lateranensis. Schisma XX. Antipapa HONORIVS II. Parmēsis, Cadolus Pallauicinus, episcop. Parmensis, post quinquennium in concilio Mantuano deiectus. Sedit Alexander	11	6	22
1073	GREGORIVS VII. Saonensis, Tuscus, Hildebrandus, Bonicij F. monachus Cluniacensis. Schisma XXI. p. annos XL.	12	1	3
1080	CLEMENS III. Parmēsis, Gilbertus Corrigia, archiepiscopus Rauēnas, creatus ab Imp. Henrico IV. contra Gregorium.	21	0	0
1086	VICTOR III. Beneuentanus, Desiderius abbas Cassinensis, archipresbyter Card. [illegible]	[illegible]		
1088	VRBANVS II. Gallus, Odo ex oppido Castalionis diœcesis Remensis, monachus Cluniacensis, episcopus Ostiensis Card. cōtra Clementē III.	11	4	18
1099	PASCHALIS II. Bleranus, Tuscus, Raynerius Crescentij F. monachus Cluniacensis, presbyter Cardin. In Schismate creatus.	18	5	9
1101	ALBERTVS Attellanus post Clementem III. contra Paschalem II. coactus abdicauit, & in monasteriū relegatus est.	0	4	0
1102	THEODERICVS Romanus, post Albertum contra Paschalē II. coactus abdicauit, & in monasteriū relegatus est.	0	3	15
1102	SYLVESTER III. Romanus, Maginulfus monachus Farfensis in schismate creatus. Quo mortuo præsens schisma finitum est.	0	0	0
1118	GELASIVS II. Caietanus, Ioannes, Crescentij F. monachus Cassinas, Diaconus Card. Schisma [illegible] Antipapa Gregorius VIII. Hispanus, Mauricius Burdinus archiepiscop. Bracharensis per annos tres. Coactus abdicauit, & in monasterio Canensi relegatus est. Gelasius sedit	1	0	5
1119	CALLISTVS II. Burgundus, Guido, Guilielmi Burgundiæ comitis F. archiepiscopus Viennensis.	5	10	13
1142	HONORIVS II. Bononiensis, Lambertus de Fagnano, episcopus Ostiēsis Card. Schisma XXIII. Antipapa CELESTINVS II. Rom. Theobaldus Buccapecus presbyter Card. sedit diem unum, & eodem die abdicauit. Honorius uerò	5	2	3
1130	INNOCENTIVS II. Romanus, Gregorius de Papaueris, Ioannis F. Diaconus Card. Schisma XXIV. Antipapa AN[illegible] Rom. Pe[illegible] Card. [illegible] IV. Rom. [illegible] Card. Anacletō [illegible] abdicauit. Innocentius sedit	13	7	8
1143	CELESTINVS II. Tiferna, Thuscus, Guido de Castello, presbyter Card.	0	5	13
1144	LVCIVS II. Bononiensis, Gerardus Cacianimicus Alberti F. presbyter Card.	0	11	4
1145	EVGENIVS III. Pisanus, Petrus Bernardus monachus Cisterciensis.	8	4	12

A. S.		A.	M.	D.
1153	ANASTASIVS IV. Romanus. Contradus de Suburra, Benedicti F. episcopus Card. Latinus.	1	4	24
1154	HADRIANVS IV. Anglus, Nicolaus de Maluiesbiria oppido S. Albani, episcopus Card. Albanus.	4	8	26
1159	ALEXANDER III. Senensis, Rolandus Bandinellus Raynutij F. presbyter Card. Schisma XXV.	21	11	23
	VICTOR IV. Romanus Octauianus, presbyter Card. contra Alexandrū.	4	7	[illegible]
1164	PASCHALIS III. Cremensis, Guido presbyter Card. creatus post Victorem contra Alexandrum.	5	[illegible]	
1169	CALLISTVS III. Hungarus, Ioānes monachus Prumiēsis, episcopus Tusculanus Card. cōtra Alexandrum, Venetiis abdicauit, & factus est archiepiscopus Beneuentanus.	7	3	[illegible]
1181	LVCIVS III. Lucensis, Thuscus, Hubaldus Allucingolus, Bonagiuniæ F. episcopus Card. Ostiensis.	4	2	[illegible]
1185	VRBANVS III. Mediolanēs. Lambertus Dibellus, Ioannis F. archiepiscopus Mediolanensis.	1	[illegible]	
1187	GREGORIVS VIII. Beneuentanus, Albertus presbyter Card.	[illegible]		
1188	CLEMENS III. Roman. Paulus scholaris, Ioannis F. archiepiscopus Prenestinus.	3	[illegible]	
1191	CELESTINVS III. Rom[illegible], Hyacinthus Bobo Petri F. [illegible] Card. [illegible]	[illegible]		
1198	INNOCENTIVS III. Rom. Lothar[illegible] Trasimundi F. Anagninus ex comitibus Signiæ, diaconus Card.	[illegible]		
1216	HONORIVS III. Romanus, Cecius Haymerici F. presbyter Card.	10	18	0
1227	GREGORIVS IX. Romanus, Hugolinus Anagninus, ex comitib. Signiæ episcopus Card. Ostiensis.	14	5	0
1241	CELESTINVS IIII. Mediolanēsis, Gaufredus Castilionensis episcop. Card. Sabinus. Vacat sedes A. I. M. 8. D. 15.	0	0	17
1243	INNOCENTIVS IV. Genuensis, Sinibaldus de Fliſco, Othoboni F. presbyter Card.	11	5	14
1254	ALEXANDER IV. Romanus, Reinoldus, Philippi F. Anagninus ex comitibus Signiæ, episcopus Cardin. Ostiensis.	6	5	5
1261	VRBANVS IV. Treccnsis Gallus, Iacobus, Pantaleo, Patriarcha Hierosolymitanus.	3	1	4
1265	CLEMENS IV. Narbonensis Gallus, Guido Grossus de uilla S. Aegidij, episcopus Card. Sabinus.	3	9	25
1271	GREGORIVS X. Placentinus, Theobaldus Vicecomes, archidiaconus Leodiensis.	4	4	10
1276	INNOCENTIVS V. Burgundus, Petrus Tarentasiensis Dominicanus, episcopus Card. Ostiensis.	0	5	1
	HADRIANVS V. Genuēsis, Othobonus de Fliſco, Diaconus Card.	0	1	7
1276	IOANNES XX. dictus XXI. Lusitanus, Ioan. Petrus Iuliani episcopus Card. Tusculanus.	0	8	8
1277	NICOLAVS III. Romanus, Io. Caietanus Vrsinus, diaconus Card.	2	8	29
1281	MARTINVS II. dictus IV. Turonen. Gallus, Simon de Bria presbyt. Cardinalis.	4	1[illegible]	[illegible]
1285	HONORIVS III. Romanus, Iacobo Sabellus, Lucæ F. diaconus Card.	2	0	2
1288	NICOLAVS IV. Asculanus Picenus, Hieronymus, Dominicanus, episcopus Card. Prænestinus.	4	1	14
1294	S. CELESTINVS V. Esernienſis, Petrus de Murone monachus Celestinus, spōte abdicauit, & biēnio post in custodia obiit.	0	5	7
1294	BONIFACIVS IX. Anagninus, Benedictus Caietanus, Lauſredi F.			

A. S.		A.	M.	D.
	presbyter Card.	8	9	18
1303	BENEDICTVS IX. dictus XI. Tarusinus, Nicolaus Bocasinus Dominicanus, episcopus Card. Ostiensis.	0	8	16
1305	CLEMENS V. Vasco, Raymūdus del Hoth, Bertrandi F. archiepiscopus Burdegalensis.	8	10	16
	Hoc Pontifice, & iis qui ei successerūt, in Galliis cōmorātibus Romana curia Italia abfuit annis LXXII.			
1316	IOANNES XXI. dict. XXII. Cadurcensis Gallus, Iacobus de Ossa, Amaldi filius, episcopus Card. Portuensis. Schisma XXVI.	18	3	28
1327	NICOLAVS V. Reatinus, Petrus Reinalucij, de Corbario, Minorita, Antipapa creatus à Ludouico Bauaro Imp. coactus abdicauit Auinione.	3	3	14
1334	BENEDICTVS X. dictus XII. Tolosanus, Iacobus Fornenius monach. Cistercienſis, presbyter Card.	7	4	6
1342	CLEMENS VI. Lemouicēsis Gallus, Petrus Rogerij de Malmonte, monachus presbyter Card.	10	7	0
1352	INNOCENTIVS VI. Lemouicēsis, Gallus, Stephanus Alberti, episcop. Card. Ostiensis.	9	8	26
1362	VRBANVS V. Lemouicensis, Gallus, Gulielmus de Grisaco, abbas S. Victoris Massiliæ.	8	2	23
[illegible]	GREGORIVS XI. Lemouicen. Gallus, Petrus comes bellifortis, diaco[illegible]	[illegible]		
[illegible]	[illegible] Iohannes Pregnanus, archi[illegible] Batētis. Schisma XXVII. omnium gratissimum.	11	6	7
1378	CLEMENS VII. Robertus ex comitibus Gebēnensibus, presbyter Card. cōtra Vrbanū VI. creat. Auinione.	15	11	28
1389	BONIFACIVS IX. Neapolitan. Petrus Tomacellus, presbyter Card. cōtra Clementem VII.	14	11	0
1394	BENEDICTVS XI. dictus XIII. Petrus de Luna, Tarraconensis, diaconus Card. contra Bonifacii IX. Bis Pōtificatu priuatus, in cōcilio Pisano & Cōstantiensi. Obiit Panischolæ in Aragonia, octuagenario maior, quū usq; ad obitū nomen & insignia Pontificatus retinuisset.	3		
1404	INNOCENTIVS VII. Sulmonensis, Cosmus Meliorat. presbyter Card.	2	0	21
1406	GREGORIVS XII. Venetus, Angelus Corrarius, patriarcha Constantinopolitanus, presbyter Card. Pontificatus ei abrogatus est in concilio Pisano. Spōte per procuratorem abdicauit in concilio Constantiensi. Obiit Cardinalis, & perpetuus Piceni legatus.			
1409	ALEXANDER V. Cretensis, Petrus Philargi, Minorita, presbyter Card.	0	10	8
1410	IOANNES XXII. dictus XXIII. Neapolitanus, Balthasar Cossa, diaconus Card. abdicauit in concilio Cōstantiensi. Obiit Florentiæ episcopus Card. Tusculanus. Vacat sedes A. 2. M. 5. D. 10.	5	0	15
1417	MARTINVS III. dictus V. Romanus, Otho Columna, Agapeti F. Diaconus Card.	13	3	10
1424	CLEMENS VIII. Hispanus, Egidius Munionis, Canonicus Barchinonensis, contra Martinum post Benedictum 13. creatus, coactus abdicauit, factusq; episcopus Maioricensis.	4		
1431	EVGENIVS IIII. Venetus, Gabriel Condulmerius, presbyter Card.	15	11	21
1439	FELIX IIII. dictus V. Allobrox, Amadeus, Sabaudiæ dux, decanus militum Iesu, creatus contra Eugenium Basileæ, abdicauit factus episcopus Card. Sabinus.	9	5	
1447	NICOLAVS V. Lunensis, Thomas Lucanus de Sergiona, Bartholomei F. presbyter Card.	8	0	19
1455	CALLISTVS III. Valentinus, Alfonsus Borgia, presbyter Card.	3	4	0
1458	PIVS II. Senēsis, Æneas Syluius Picolomineus, Syluij F. presbyter Card.	5	11	27
1464	PAVLVS II. Venetus, Petrus Barbus, Nicolai F. presbyter Card.	6	10	26
1471	XYSTVS IIII. Sauonensis, Ligur, Frāciscus Ruuereus, Leonardi F. Minorita, presbyter Card.	13	0	4
1484	INNOCENTIVS VIII. Genuensis, Ioan. Baptista Cibo, Aaronis F. presbyter Card.	7	10	27
1492	ALEXANDER VI. Valentinus, Hispanus, Rodericus Borgia, Luitfredi F. episcopus Card. Portuensis.	11	0	8
1503	PIVS III. Senensis, Franciscus Picolomineus, diaconus Card.	0	0	26
1503	IVLIVS II. Sauonensis, Ligur, Iulianus Ruuereus, Raphaelis F. episcopus Cardinalis Ostiensis.	10	3	21
1513	LEO X. Florētinus, Ioannes Medices, Laurentij F. diaconus Card.	8	8	20
1522	HADRIANVS VI. Florentij F. Traiectensis, Belga, presbyter Card.	1	8	6
1523	CLEMENS VII. Florentinus, Iulius Medices, Iuliani F. presbyter Card.	10	10	7
1534	PAVLVS III. Romanus, Alexander [illegible]	[illegible]		
1549	IVLIVS III. Archiep. [illegible] ria de Monte, Vincentij F. episcopus Card. Prænestinus.	5	1	16
1555	MARCELLVS II. Politianensis, Thuscus, Marcellus Ceruinus, Ricardi F. presbyter Card.	0	0	21
1555	PAVLVS IIII. Neapolitanus, Io. Petrus Carafa, Alfonsi F. episcopus Card. Ostiensis.	4	2	27
1560	PIVS IIII. Mediolanēsis, Io. Angelus Medices, Bernardini F. presb. Card.			
1566	PIVS V.			
1572	GREGORIVS XIII.			
1584	XYSTVS V.			

QVALES FVERINT.

Methodi ergò pauca capita perstringamus, ex aliis atque aliis locis locupletanda.

Sanctitate celebres Pontifices.

VRBANVS episcopus Rom. anno Christi 227. sanctitate uitæ & doctrina multos ethnicos conuertit.

SER[illegible] [illegible]ntifex, uir sanctissimus, & in omni u[illegible] [illegible]uit.

BENEDICTVS III. inuitus à clero & populo eligitur pontifex, anno Domini 857. iuxta Marianum Scotum: aut 854. iuxta Sigebertum. Ab initio etiā cum lacrymis testatus est, se indignum esse tanto honore, ut Massæus & Luitprandus indicant. Aegrotos inuisit, pauperes aluit, calamitosos consolatus est, uiduas & pupillos defendit.

Miraculis clari.

Consule, Miraculorum locum.

SYLVESTER episcopus Rom. anno Christi 316. Constantini quinto, uel (iuxta Bedam) 16. docendi munere fideliter functus est, miraculis simul & ore multos conuertens. Sedit annis 24. uel (ut alij) 19. Morte obiit placida.

LEO IIII. uel V. Rom. Pontifex anno Christi 847. creatus, oratione sua basiliscum ex cauernis, ad basilicam Lucæ expulit: & incendio, Saxonū & Longobardorum domos depascenti, Crucis signo meram prefixit, quam transgredi nequiuit: & Saracenorum naues, excitata precibus tempestate, in mari submersit.

[illegible]

IVLIVS I. episcopus Rom[illegible] [illegible] defensor, atq; Athanasij com[illegible] & Eusebianos.

DAMASVS sub Valentiniano anno Christi 369. uir doctus, & Nicenæ fidei propugnator maximus, Athanasij & Petri Alexandrinorum episcoporum proscriptorū patronus. Romæ in synodo condemnauit Auxentium Mediolanensem episcopum Arianum: item Apollinarij hæresim.

Martyres.

Vide Titulum Martyr[illegible]

MARCELLINVS anno Christi 297. Diocletiani 10. cùm in persecutione idolis granum thuris immolasset, à synodo Sinuessana damnatus est. Itaque culpam agnoscens, Diocletianum [illegible] reprehendit, & supplicio affectus est.

MARCELLVS, anno Diocletiani 20. cùm Maxentio iubente idolis sacrificare nollet, fustibus cęsus, & urbe eiectus, clàm rediit: & in Lucinæ uiduæ domo ecclesiam occultam tenuit. At Maxentius re comperta, domum Lucinæ in iumentorum stabulum conuertit: eiq; præficit Marcellum, qui tandem pædore & fœtore expirauit, anno Christi 308.

CARDINALES.

Summa dominici gregis pascendi cura PRESBYTERIS olim incumbebat. Et ne ea administratio in promiscuo esset, Euaristus pōtifex primus omnium titulos ipsis diuisit presbyteris, septemq; diaconos constituit. Deinde anno Salutis CCLXVII. Dionysius tam urbis Romæ quàm aliarum gētium templa, cœmiteria & parochias diuisit, episcopis diœceses distribuit, mandauitq; ut suis quisq; finibus contentus esset. Nec ita multò post Marcellus titulos urbis ab Euaristo primùm presbyteris datos numero limitauit, detreto statuens quinq; & uiginti ac quasi diœceses esse, ad baptizandum eos, qui ex gentibus externis in Christianorum cœtum quotidie uenirent, & sepeliendum mortuos. Hi ab initio CARDINALES dicti fuere, excellentioris epitheti gratia, perinde ac solanum, fauonium, austrum, & septentrionem uentos cardinales, id est, primatios appellamus, ueluti altissimæ partes cœli uocitantur cardines, quòd circa illos mundus circumferatur, & ad similitudinem eorum nun cupentur cardines, circa quos ualuæ uoluuntur. Non fuit item aliquandiu deinde aliud esse cardinalem, nisi ante alios habere curam animarum. Id quod ex D. Gregorij epistolis colligere licet, in quibus episcopum alium uisitantem, alium cardinalem facit, quòd hic apud suum gregem semper resideret, ille uerò hinc inde uagans ecclesias uisitaret. [redacted] ita quod principio prouisum oneri fuit, summo tandem honori esse cœpit: paulatimq; inter contentiones Imperatorum, ac populi Rom. de pontifice creando sæpius ortas, prærogatiuam iusq; ipsius pontificis eligendi consecuti sunt: adeò ut Innocentius quartus, circa annum salutis MCCXLIIII. publico decreto sanxerit, ut equo deinceps insidentes rubro uterentur galero, quò maior adhuc ordini accresceret maiestas: argumento tamen manifesto, oportere eius ordinis antistites, semper esse paratos, pro religionis defensione sanguinem effundere. Dedit postea Paulus II. uestem coccineam cucullo insignem, hoc est, lacernam (ita ueteres appellasse iudicamus) ut hęc etiam cùm rubenti petaso ordinis insignia forent, quæ pictores deinde etiam D. Hieronymo impartiti sunt, quia dicitur Romanus fuisse presbyter. Is autem ordo ex triplici initiatorum genere constat: sunt enim aut episcopi, & ij quidem numero sex, Ostiensis, Sabinensis, Portuensis, Tusculanus, Prænestinus, & Albanensis: aut presbyteri, aut diaconi; neutrorum tamen certo præscripto numero. Polydorus lib. 4. cap. 9. de Rerum inuent.

INNOCENTIVS IIII. ut Cardinales pileo roseo uterentur & equo ueherentur instituit. Anno 1244. Volat. lib. 22.

PETRVS Damianus Cassinensis monachus, à Stephano IX. Cardinalis Hostiensis creatus, & à Benedicto X. cuius electionē improbarat, deiectus, è carcere liberatus, eremitā erat.

IOANNES Ferdinandi regis Neapolitani F. puer adhuc Tarentinæ ecclesiæ præfectus à Sixto IIII. eius liberalitate obtinuit, ut etiam ante promulgationem habitu cardinalitio uteretur: id quod nulli antè uel pòst concessum est. Gerardus Bertus lib. 4. de Vitis Pontificum.

[redacted]

ARCHIEPISCOPI, METROPOLITANI, EPISCOPI. HORVM

INSTITVTIO.

Vide suprà Tit. Religionis institutio per Episcopatum.

VRBANVS II. Henrico tertio imperāte, primus pallium Mediolanensi Archiepiscopo tradidit, post cum Toletano, quē & primatē regni Hispaniæ fecit. Anno MLXXXVII. Volaterranus libro 22.

POTESTAS, PRIVILEGIA.

Vti EPISCOPI urbibus, ita ARCHIEPISCOPI prouinciis præfecti fuere olim. Primates & Patriarchæ dicti, hoc est, Patrum principes, quatuor principio fuere, Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & postea etiam translata Byzantium imperij sede, addit[illegible] Constantinopolitanus. Verùm postea [illegible] plures creati sunt, usuque uenit, ut huiusmodi o[illegible] aliquid dignitatis ac maiestatis accesserit. Et quoniam hisce pontificibus sedes in iis præsertim locis, qui insigniores essent, datæ sunt, idcirco & METROPOLITANOS uocarunt, quòd unusquisque in ea præsit urbe, quę eiusdem prouinciæ metropolis, id est, mater ac caput est. Primates tamen ac Patriarchæ antecellunt auctoritate Archiepiscopis Metropolitanis. Hos Clemens primus pallio, cuius usum intro duxit ipse primus, ornauit: uoluitq; ut eis crux præferretur. quibus nunc potissimùm insignibus, ab reliquis episcopis distinguuntur. Marcus tamen pontifex instituit, ut episcopus Ostiensis, quòd ab eo Romanus consecraretur, pallio quoq; uteretur. Est autem pallium uestis summa lanea & candida, à qua utrinq; pendent duæ fasciæ, & ad humeros circulus ductus, ac quatuor purpureis crucibus insignita est. Polyd. lib. 4. cap. 12. de Rerum inuent.

DAMASVS papa decreuit, ne quid contra Episcopos præsumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi, id est regionum & uillarum [illegible] episcopi. Sigebertus in Chron.

[redacted]

Anno [illegible] opo, decretum Constantino politani Concilij confirmatum est, ut sedes CONSTANTINOPOLITANA proximum locum post Romanam tēneret. Sigonius lib. 13 Imp. occid.

Nouella constitutione C. Constantinopolitanus patriarcha coæquatur Romano episcopo, & constitutione 123. clerici cuiuslibet prouinciæ suo Patriarchæ sine ulteriore prouocatione obedire iubentur.

In COMPENDIENSI synodo à Carolo Magno celebrata, Turpinus Remensis episcopus cum aliis nouem episcopis ac presbyteris statuit, ut omnes episcopi præsulesque Hispani & Galiciani, præsidem ecclesiæ D. Iacobi pro suo primate agnoscant. Vincent. lib. 24. cap. 17. ex Turpino.

Carolus Magnus ex Hispaniis reuersus, Parisiis in synodo ordinauit, ut omnes reges Franciæ, & episcopi, præsentes & futuri, episcopo PARISIENSI subsint & pareant, nec sine eius consensu reges coronentur, aut episcopi ordinentur. Deinde sanxit, ut cuiusque domus domini annuatim de ea quatuor numos per totam Galliā D. Dionysij templo soluant. Vincentius lib. 24. cap. 22. ex Turpino.

Ab Othone I. Imp. in Italia, post Pontificem trium antistitum summa fuit auctoritas, AQVILEIENSIS, RAVENNATIS, & MEDIOLANENSIS. Verùm imperij ac regni Italici sede post remotos Exarchos de Rauenna sublata, ac Mediolanum traducta, quantum de Rauennate auctoritatis detractum est, tantum Mediolanensi adiunctum. Huius autem species erat magna, sed potentia maior. Maiestatem autem asserebant homines uariæ dignitatis ei assistentes: nempe suffraganei duodeuiginti, archipresbyteri duo, primicerij totidem, præpositus, archidiaconus, duo & uiginti Cardinales ordinarij, duodecim canonici, Decumani uocati, secundicerius, clauicularij quatuor, ternarij decem, notarij quatuor, totidem magistri literarum, octo pueri, totidemq; uiri, ac feminæ senes, quam D. Ambrosij scholam uocabant, & ceiniliarcha cum custodibus sexdecim. Animos uerò faciebat, quòd cùm archiepiscopus à regibus ipsis institueretur, ac reges ipse contrà consecraret, atq; ad accipiendum imperiū præpararet, maximis ab iis erat priuilegiis decoratus. Itaq; sæpe se à pontificis obedientia subtraxit, cùm plurimis episcopis, capitaneis, & ualuasoribus imperaret, ac regum studia coronæ delatæ beneficio deuincta teneret. Quā uerò in urbe Mediolani auctoritate archiepiscopus erat, eadē fermè in sua quisq; ciuitate episcopus utebatur, eū & ab rege ipso cōstituti, & amplissimis pterea beneficiis ac regalibus essent ornati. Sigon. lib. 7. regni Ital.

Gregorius III. BONIFACIVM archimysten Germaniæ declarauit: Auentinus libro 3. Annalium. Et quia per eum Pipinum unxit regem Francorum Vormaciæ, ideo Bonifaciū ut Moguntinum archiepiscopum, secundum à pōtifice Romano censeri, indicat Hartmannus ætate 6. Et Balæus asserit, Bonifacium testari, se à papa secundum esse, Cent. 2. capite 13. Marianus Scotus.

Sub Constantino I. Pōtifice declaratum est, TICINENSEM episcopum Romanæ sedi tantùm, non etiam Mediolanensi archiepiscopo obtemperare debere. Ea enim de re magna & diuturna inter utrumque antistitem contentio fuerat. Platina.

[redacted]

. . . . . Danorum rex, cùm à rudi populo parum iustam pontificibus uenerationem haberi conspiceret, ipsis primum inter proceres locum perinde ac Ducibus assignauit, auctoritatem honore concilians. Literatorum item cōtrouersias, uulgaris fori cōditione exemtas, ad eiusdem prōfessionis iudicium relegauit. Iisdem religionis reos, pecuniaria multa puniendos permisit: omniumque eorum, quæ aduersum diuina committerentur, arbitrium tradidit. [redacted] libro 11.

[redacted] episcopum suum colle[illegible] consistere [illegible] præfectum accipere cogunturā rege Danorum. Cranzius in Noruegiæ præfatione.

COMITATVS.

LVCIVS Pp. instituit, ut Diaconi duo, Presbyteri tres, semper Episcopū comitarētur, ueluti uitæ testes. An. 254. Sigebert.

ELECTIO.

[redacted]

ANACLETVS instituit, ut Episcopus à tribus ordinaretur Episcopis: Sacerdos tantùm ab uno, cui subesset. Gratianus lib. 66. cap. porro. Anno CII.

ANTHERVS Pp. statuit, utilitatis aut necessitatis gratia Episcopos, cōsentiente Pōtifice, ad alios prēsulatus posse trāsferri. Anno CCXXXIX. Sigebertus.

SIMPLICIVS instituit, ne quis inuitus episcopus eligeretur. Et ne quis clericus possessionem sacerdotij ab homine extra sacra acciperet. Anno 470. Volat. lib. 22.

BONIFACIVS in concilio 62. episcoporū decreuit sub anathemate, ut nullus uiuētē episcopo ciuitatis suæ, de altero eligendo audeat loqui, aut partes sibi facere: sed tertio die depositionis eius, fiat licenter à clero & populo electio sacerdotis. Sigebertus in Chron. Anno 607.

DEIECTIO.

STEPHANVS Pontifex, anno 768. tam in Gallia quàm in Italia Episcoporum synodum Romæ congregauit, in qua omnia à Constantino ordinata reordinauit, præter Baptismū & Chrisma. decernētē synodo, ut episcopi ab illo consecrati, ad gradum quem ante hanc conseruationem habebant redirent: & si digni iudicarentur, iterum electi, iterum consecrarentur. Presbyteri uerò ac diaconi ab illo consecrati, similiter ad priorem gradum redirent: & ipsi si digni essent, iterum quidem consecrarentur, sed ad altiorem gradum uel ordinem nunquam ascenderent. Laici ab illo in diaconos uel presbyteros ordinati, omnino degradarētur, sed in religioso habitu perseuerarent. Sigebertus.

STEPHANVS Pp. an. Sal. 768. constituit, ut in omni die Dominico ad missam Gloria in excelsis Deo cantetur. Sigeb.

ENVMERATIO, SVCCESSIO.

QVI.

[redacted]

EVODIVS primus Antiochiæ episcopus, anno Christi 45. Claudij 3.

ANIANVS D. Marco in Alexandriæ episcopatu successit, anno Neronis 8. Christi 64. Præfuit annis 22. Anno Domitiani 4. mortuus.

ABILIVS Aniano successit. Præfuit annis 13. Christi 100. sub Nerua moritur.

IGNATIVS, Polycarpi & Papiæ coætaneus, Theophorus quoq; dictus. Sub Traiano Antiochenæ ecclesiæ præfuit. Discipulus fuit Ioannis apostoli. Christi causa decem militibus traditus, Romam ducitur, ut bestiis obiiciatur, cùm Antiochiæ præfuisset annis 9. A' leonibus deuoratus est, cùm diceret, Frumentum Christi bestiarum dentibus molar, ut Dei panis inueniar. Anno Christi CXI.

THEOPHILVS, Antiochenæ præfuit ecclesiæ, sextus ab Apostolis: multa scripsit cōtra Marcionem & Hermogenem. Anno Christi 171.

SERAPIO, octauus Antiochiæ episcopus, multa scripsit, quorū auctoritas apud catholicos magna fuit. An. Domini 214. suffectus ei est Asclepiades. Præfuit annis uiginti duobus.

POLYCARPVS D. Ioannis apostoli discipulus, Smyrnensis ecclesiæ pastor à Ioanne constitutus, 2. uel 3. anno Traiani, Christi 102. Romam quoq; sub Aniceto pont. profectus est, fortasse dissidij de Paschate componendi gratia. Sub M. Antonino Vero Smyrnæ 86. annorum combustus est, suis etiam auditoribus [illegible] congerentibus, cùm circiter 70 annos in Euangelico ministerio fuisset.

PHOCAS sub Traiano passus est, cùm Nepruno sacrificare nollet: Sinopensis in Ponto episcopus.

APOLLINARIS episcopus Hierapoli Asiæ, librum Apologiæ pro fide Christiana Imperatori L. Antonino Vero exhibuit. Scripsit cōtra Mōtanistas. Fuit tamē ex hæresi Chiliastarū.

DIONYSIVS Corinthiorum episcopus, sub Vero & Commodo, anno Christi 174. omnibus donis Spiritus S. instructus fuit. Scripsit epistolas plurimas, quas Eusebius Catholicas uocare audet.

ELEVTHERIVS Rom. matre Anthia ortus, quam D. Paulus conuertisse dicitur, 20. anno ætatis Illyrici episcopus constituitur: Passus tandem unà cum matre sub Hadriano.

PHOTINVS Lugdunensis ecclesiæ episcopus, ante Irenæum, quem sub se habuit presbyterum. Nonagenarius ad martyrium abreptus, pugnis cæsus in carcere post biduum moritur, cùm summa constantia Christum confessus esset.

IRENAVS Asianus, discipulus Polycarpi, in Galliam perueniens, Lugduni presbyter, mox Photino in episcopatu successit. Ad Asianos tollendarum hæresum gratia Montani, Alcibiadis & Theodoti, ab ecclesiis Galliarum missus fuit. Scripsit multa, Græcè an Latinè, incert[illegible] [redacted] martyrium passus est sub Seuero, cū[illegible] anno M. Antonini ad episcopatum uenerit, circa annum Domini 176.

ALEXANDER, Pantæni Alexandrini discipulus, Hierosolymam nocturna uisione ne iubetur. Hierosolymitani uoce incerta moniti, ei obuiam prodeunt, & omnium uotis (Narcisso episcopo ita petente) coepiscopum illi addunt, anno 1. Ant. Caracallæ, Christi 206. Mox post Narcissum (qui 116 annos uixit) solus eam ecclesiam rexit, episcopus ordine 35. summa constantia in duabus grauissimis persecutionibus sub Seuero & Decio. Tandem Cæsaream ductus, in carcere obiit, anno Christi 254.

BABYLAS, XII. Antiochenorum episcopus, magnus & admirabilis uir, Decium Imp. qui hostes suos cōtra datum iusiurandum crudeliter mactarat, obsidē etiam regio puero interfecto, ad Antiochenum Christianorum templum properantem repulit. Indignatus Imp. Babylam comprehendi & morte afficiūt iussit. Corpus eius cum ferreis compedibus in capsa repositum. quod Gallus Imp. in Daphnen suburbium Antiochenum, in templum Apollinis transtulit: ex quo tempore dæmon nullum responsum reddidit. Post 60. annos cùm Iulianus Imp. [illegible] responsi nihil dari posse. Coram ergo Galileis, sic est Christianis præcepit Iulianus, ut Babylæ corpus auferent. Illi frequentes conuenēre, & capsam ad ciuitatem pertraxēre, subinde illud in itinere accinētes: Confundātur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris. Socrates lib. 5. cap. 20. & Theodoretus lib. 3. cap. 10. & 11.

METHODIVS primùm Olympi in Lycia, deinde Tyri episcopus: multa scripsit etiam contra Origenem: tandem tamen [redacted] martyrio functus est in Chalcede Græ-

MACARIVS, Hierosolymæ episcopus post Theumonem, anno Christi 318. Constantini 7. uir multis ornatus uirtutibus [illegible] Domini mira[illegible] Constantini. Se[illegible]ilii. Hieronymus eum be[illegible]

MAXIMVS confessor tuo Maximino, dextro orbatus oculo, & læuo poplite uulneratus, ad metalla damnatus fuit. Præfecerat eũ postea Diospolitanæ ecclesiæ Macarius. Sed cùm non multo ante obitum Macarij Hierosolymam uenisset, à populo retentus est, ut in episcopatu post Macarium succederet, quia orthodoxus esset. Mortuus Hierosolymis anno Christi 351. Constantij 11.

EVSTATHIVS, Sida Pamphiliæ urbe oriundus: fuit primùm episcopus Berrhœæ Syriæ: à quo loco à Nicæna synodo Antiochiam in locũ episcopi Philogonij nuper demortui, inuitus & repugnans fuit constitutus. Arianis maximè infestus. Itaq; uiuente adhuc Constantino, falsis calumniis exulatum in Illyricam quandam urbem missus est. Iterum relegatus sub Constantio. Iterum sub Valente Byzam Thraciæ urbem missus est, alij Traianopolim, alij Philippos Macedoniæ, ibiq; diem suum obiisse. Scripsit multa, potissimùm contra Arianos.

MELETIVS primùm Sebastiæ Armeniorum ab Arianis constituius est episcopus, deinde Berrhœæ Syriæ. Tandem sub Constantio à synodo Antiochena Arianorum, Antiochiæ episcopus constituitur. Verùm cùm se orthodoxum esse, tribus erectis digitis, & duobus reductis significasset, in exilium ab Imp. missus est. A' Iuliano postea reuocatur, & ecclesiæ præest usq; ad Valentem, qui eum in Armeniam (quę ei patria fuit) relegat, quòd Arianis assentiri nollet. Reuocatus demum à Gratiano. Synodo deinde Constantinopolitana à Theodosio indicta, Imp. illic Meletium agnouit, nemine indicãte, & complexus est: quòd multo antè per somnium uidisset sibi à Meletio paludamentum imperatorium iniici, & coronam capiti imponi. Moritur Constantinopoli, cùm annis 25. Antiochiæ præfuisset. Funus eius ab amicis Antiochiam relatum. Mortui effigiem passim in parietibus tabulis depingi, atq; in anulis exculpi curauerunt: tantum eius apud bonos omnes relictum fuit desiderium.

IACOBVS Nisibenus episcopus sub Constantino (Antiochia autem Mygdoniæ, à Syris Nisibis uocatur) præstans miraculis, & mortuos resuscitandi: cùm Sapor Persarũ rex Nisibin obsideret, precibus à Deo impetrauit, ut multitudine crabronum & culicum, hostium elephanti impetiti, totum exercitum in fugam uerterent. Interfuit synodo Nicenæ. Gennadius eum sapientem cognominatum asserit, & inter claros confessores sub Maximino recenset.

EVSEBIVS Samosatenus episcopus orthodoxus, sub Constantino. In synodo quadam Antiochena, cùm Meletius episcopus Antiochenus ab Arianis electus, quia orthodoxus esse deprehenderetur, depositus esset: & Constantius Arianus Imp. eh Eusebio, qui subscriptiones Arianorum habe[illegible] tellet: Eusebius commune depositum [illegible] dixit. cumq; dextræ amputationem [illegible] teras Imp. eliminaretur, iis resignatis, ambas protulit. Quã fortitudinem Imp. admiratus, nihil postea contra illum amplius tentauit. A' Valẽte postea senex in Thraciam exul missus est. Noctu abiit, ne Samosateni ciues eum retraherent. Rediit sub Gratiano. Exul autem militari habitu circumiit Syriam, Phœniciam & Palæstinam, ecclesias confirmans, & episcopos constituens. Tandem cùm Dolicham Syriæ oppidum Arianis refertissimũ profectus esset, ut ibi Marẽ episcopum ordinaret: ingredienti ei oppidũ, mulier Arriana tegulã in caput deiecit, ex quo uulnere postea obiit, cùm 40. annos in episcopatu honestissimè cõsumsisset. Moriẽs iureiurando assistẽtes obstrinxit, ne necem suam ulciscerentur.

AMPHILOCHIVS episcopus Iconij, quod metropolis fuit Lycaoniæ, familiarissimus Basilio & Nazianzeno: propugnator fidei Nicenæ maximus: cum Theodosio Imp. congressus, petiit ab eo, ut Arianos ex urbib. curaret eiici. Quod cùm Theodosius renueret, egregio quodam commento id impetrauit. Theodoretus lib. 5. cap. 11.

PELAGIVS, Laodiceæ in [illegible] episcopus, uxore ducta adolescens, prima nuptiarũ [illegible] perfectionem castitatis in thalamo [illegible] synodo Antiochenę, & illic fidei Nicenæ subscripsit.

ANTIOCHVS nepos [illegible] Eusebij Samosateni episcopi, eiusq; ecclesiæ minister, & comes etiam exilij in Armenia. Cùm rediissent, tandem Eusebio mortuo successit: cumque manus ei omnes episcopi in synodo imposuissent, manum Iouiani Pergensis episcopi respuit, quoniam Iouianus aliquando Ananus fuisset.

THEOTIMVS Scytha, primũ philosophus, deinde Scytharũ episcopus, eruditione, diligentia & [illegible]

PETRVS Alexandrinus diaconus, Athanasij indiuiduus comes. Athanasius cum moriturus sibi in episcopatu Alexan[illegible] Imperatore Iuliano [illegible] Petrus, Romam [illegible] pellit, & Petrum restituit. Post [illegible] fuit [illegible] hæreticis [illegible]

ALEXANDER Alexandrinus [illegible] anno Christi [illegible] fuit Nicenę synodi. Multa scripsit. Obijt [illegible] riens successorem elegit Athanasium [illegible] fortuna uiciniatus est. Arrius [illegible] fugeris, uerùm non effugiet. Sokrates [illegible]

ATHANASIVS Alexandrinus [illegible] Christi contra Arianos athleta.

THEOPHILVS Alexandrinus [illegible] dro, uir eruditus, & in idolis destruendis [illegible] Imp. ualde strenuus fuit. [illegible] placabilis. Origenis libros damnauit, [illegible] uixerat. Hieronymo familiaris fuit. Mortuus est lethargo, post obitum Arcadij Imp. à Christo nato 414. imperij Honorij & Theodosij anno quarto.

PAPHNVTIVS feminæ cuiusdã, quæ confessione celebris erat, filius fuit, & à pueris ἀσκητήριον monachorum coluit: unde & Anachoreta dictus. Liberaliter educatus, castitate & miraculis clarus, ciuitatis euiusdam in Thebaide episcopus: sub Maximino oculo priuatus dextro, & sinistro poplite adusto in metalla damnatus est, cum Maximo Hierosolymitano episcopo. Inde Constantino Magno ita cu[illegible] ut Imp. ipse [illegible] osculatur. [illegible] inde Tyria contra Athanasium ferre sententiam noluit, sed Maximum manu apprehensum, è concilio malignantium Arianorum eduxit.

SPYRIDON, seu Spyridion Cyprius, agricola fuit, multis miraculis & uitæ sanctitate clarus, quamuis illiteratus, Trimithuntis Cypri episcopus factus est. ex pastore, sub Constantino Magno. Synodo Nicenæ interfuit: & ibi philosophum quendam garrulum non longis logomachiis, sed rebus ipsis confutauit & convertit, cùm fidem Christi [illegible] uiteri [illegible] MEL[illegible] monachus & cuiusdam [illegible] [illegible] nihil eo silente [illegible] offendissent lychnos præparat [illegible] cum lauare [illegible] fastus, ut id [illegible] nihil [illegible] quamuis orationem [illegible] Sozomenus lib. 6. cap. 21.

ALEXANDER episcopus Constantinopolitanus [illegible] Martino Magno, cuius precibus Arius [illegible] episcopatus obstinatus annos 98. sub Constantio iuniore. Successorem legit Paulum.

PAVLVS Thessalonicensis diaconus, Alexandro episcopo Constantinopolitano substitutus, quia orthodoxus erat, à Constantio Ariano Imp. depositus, eique substitutus Eusebius Nicomediensis. Quo mortuo, rediit Paulus. At Ariani in alia ecclesia Macedonium eligunt. Quæ res plurimarum cædium causa fuit. Expulsus denuò Paulus, Romam ad Iulium profugit: quo tempore & Athanasius Iulij literis instructus, Constantinopolim rediit. Sed denuò expulsus à Philippo præfecto Constantij, clàm in patriam Thessalonicam relegatur. Interea Constans literis Constantium monet, nisi expulsos orthodoxos restituat, omnia à se hostilia expectet. Restituitur Athanasius item & Paulus, per synodum Sardicensem: & Paulo Macedonius cedit. Quarto pòst anno, mortuo Constante, Constantius eum ferro uinctum in Syngra Mesopotamiæ oppidum deferri curauit: inde in Emesam, inde in Cucusum Cappadociæ, circa deserta Tauri: ubi immissis carnificibus Eusebianis, laqueo strangulatus est, & Ancyræ sepultus. Cuius reliquias Theodosius Cõstantinopolim deferri curauit.

NECTARIVS Tarsensis ex Cilicia, senatorij ordinis, Constantinopolim incerta de causa profectus, cùm illic Synodus esset sub Theodosio, & de episcopo Constantinopolitano eligendo ageretur: & paulo pòst domum reuersurus, Diodorum Tarsensem episcopum, qui in Synodo erat, adiret, haberet ne quod domum nunciare uellet? Diodorus uerendam cauiciem, grauitatem uultus, morum placiditatem miratus, diuino motu statim afficitur: Quid si Nectarius episcopus fiat? rem cum Meletio Antiocheno episcopo communicat. Ille ridens, in ultima tandem charta candidatorum Nectarium ignorantem subnectit. Theodosius

dosius Imper. perlecto catalogo, Nectarium episcopum ordinandum pronunciat. Mirantur omnes: & quòd catechumenus tantùm esset, reiiciunt. Perstat in proposito Imp. & sacris initiatum communi synodi sententia episcopum Constantinopolitanum creat. Verùm quia in politica tantùm uita uersatus erat, ecclesiasticæ gubernationis rationẽ à Cyriaco Adanorum episcopo didicit. Synodum priùs solui passus non est, quàm Nicenę fidei omnes subscripsissent. Decessit tertio Arcadij anno, Christi 401.

OSIVS Cordubensis, episcopus inter præcipuos fuit confessores sub Maximino & Diocletiano: stigmatibus & notis insignis, propter quas Constantino Magno carissimus fuit. Orthodoxus semper, & Athanasij acerrimus defensor: denique uerè ὁσιος. Tandem tamen in synodo Syrmiensi, centenario maior, ab Arianis uerberibus adactus est, ut Athanasium condemnaret. Moriens tamen hæresim Arianam apertè damnauit.

ALEXANDER episcopus Antiochenus, post Porphyriũ nebulonem, optimus, eruditione & multis præclaris donis instructus: pacis ita studiosus, ut cùm ob Chrysostomi condemnationem ecclesias scissas esse uideret, primus Ioannes Chrysostomi episcopi Constantinopolitani nomen in Ecclesiasticum album retulerit, eiusq; industria Romana ecclesia Antiochenæ communionem receperit.

MARTYRIVS, successor Maximi in episcopatu Antiocheno, cùm Constantinopoli abesset, uenit Antiochiã Petrus Gnaphæus presbyter Chalcedonensis, cum Zenone Imperatoris Leonis affine & legato: cumq; ei placeret episcopatus, cœpit noua quædam dogmata spargere, & Deum passum esse affirmare, & hymno Trisagio, Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus, &c. adiecit clausulam, Qui crucifixus es [illegible] nobis: quasi trinitas, p nobis passa esset. Reuersus Mar[illegible] omnia turbarum plena reperisset, episcopatu se se abdicauit uolens. Niceph. lib. 15. cap. 28.

MARYTHAS Mesopotamiæ episcopus, legatus Rom. post Arcadij obitum ad regem Persarum Isdigerdem missus, regem ipsum cephalæa incurabili laborantem, precibus ad Deum restituit, eiusq; filium dæmoniacum liberauit: & sic Christi fidem amplissimè dilatauit.

ACACIVS Amydenus episcopus, in eo bello, quod Theodosius Iunior ob patrocinium Christianorum contra Persas suscepit, insigni sua liberalitate erga hostes celebris fuit. Captiuerãt à Romanis circiter septem Persarum millia. Quos cùm regi Persarum reddere nollent, fame cepertunt periclitari. Ibi tum Acacius conuocato ecclesiastico collegio omnes eò duxit, ut uasa & donaria ecclesiæ pretiosissima uenderent, & eo precio captiuos redimerent: cosq; cibo refectos, & uiatico insuper donatos, ad regem remisit. Qui tanta Acacij pietate motus, à Theodosio impetrauit, ut Acacium coràm uidere, eiusque colloquio frui posset. Socrates libro 6 capite 21.

THALASSIVS præfectus Illyriæ, cùm Philino Cæsariensiũ episcopo mortuo, Cæsarienses Constantinopolim uenissent, ut nouus episcopus eligeretur, & senatores omnes ad Proclum episcopum Constantinopolitanum salutatum uenissent, inter quos & Thalassius erat: Proclus inexpectatò in Thalassium manus iniicit, eumq; episcopum Cæsariensem creat, quamuis inuitum, etiam Theodosio Imp. qui eũ in Orientem cum exercitu amandaturus fuerat, repugnante. Sed Procli iudicium uicit. Itaq; ecclesiam suam probè rexit nisi quòd in Ephesina quoq; prædatoria Synodo pro Eutyche sententiam tulit, & multos orthodoxos damnauit. In Chalcedonensi postea concilio resipuit.

EVNOMIVS, Theodosiopolis in Armenia episcopus fuit. Cùm autem duce Gororane Persæ eam ciuitatem obsiderent, quidam regulus ad mœnia accedens, ne templis quidem se parsurum dixit, & multa alia uerba impia sparsit. Tunc episcopus tormentum in eum dirigi iussit, in Dei, quẽ blasphemarat, nomine. Quo ita regulus comminutus fuit, ut Persæ præ terrore obsidionem soluerint.

CYRVS præfectus urbanus, Constantinopolis muros terræmotu collapsos restituit. Ea re cùm mirificè delectaretur ciues, in hippodromo aliquando coram Imp. Theodosio hanc emiserant uocem: Constantinus condidit, Cyrus restauruit. Imp. metuens ne Cyrus res nouas moliretur, cum sub prætextu, quòd Græcæ superstitioni faueret, dignitate & bonis priuauit. Ego animum despondẽs, primùm sacerdos, deinde Smyrnæorum episcopus constitutus.

SYNESIVS Cyrenæus illustri familia natus, ethnicus, ab iuente ætate uenationi & philosophiæ operam dedit. A' Theophilo Alexandrino baptizatus est. Floruit sub Theodosio Iuniore. Ptolemæenses siue Dalmatæ eum ad episcopatum uocarunt. [illegible]

[illegible] Contra Eunomianos & Arianos acriter pugnauit. Scripsit etiam quædam. Hoc ei uitij datum, quòd posi[illegible] magis ad ludum quàm ad sacerdotium natus uideretur. Hymnos decem in S. S. Triada conscripsit tanta carminis maiestate, ut enthusiasmum quendam præ se ferre uideantur.

EVGENIVS Carthaginensis episcopus fuit creatus omnium consensu, sub Hunerico rege Vandalorum, ad preces Zenonis Imper. cùm ex Genserici edicto ecclesia episcopis caruisset ad annos 24. Vir fuit summa pietate, orthodoxus, concionandi dono insignis, ita ut etiam Arianis Vandalis admirationi esset. Sanationum quoque donum habuit. Celebrata sub eo synodus Carthaginensis, & ipse Cyrolam episcopum Arianum deuicit. Sed inuidia regis in eremum Tripolitanæ prouinciæ exulatum missus, illic ab Antonio Ariano episcopo miserè tractatus fuit. Tandem cùm in fide perseueraret, rex eum ad Albigensem Galliarum urbem misit: neque occidere uoluit, ne eum ut martyrem colerent orthodoxi.

EVODIVS Augustini popularis, patre Ethnico milite, prior Augustino conuersus est in Italia, & Augustino se coniunxit. Vzali, quæ colonia Vticæ uicina est, episcopus fuit, in disputando & quæstiones subtiles inueniendo mirè acutus, ut ex multis Augustini locis colligi po[illegible] quodam Carthaginensis synodi decreto legationem cum quodam Theodosio ad Imperatorem contra Donatistas obiens, cæsus est ab hæreticis & paganis, cum suo collega.

POSSIDIVS, seu Possidonius, episcopus in Chalama urbe Africæ, Augustini discipulus, à Crispino presbytero Donatista grauiter pulsatus est, dum iter faceret. Verùm cùm episcopus Donatista in Crispinum non animadueterret, & ob id multæ nomine decem auri libras pendere cogeretur: intercessit Possidius pro episcopo, & re ipsa ostendit, nolle se hostium uindictam, sed eorum conuersionem. Augustinus contra Cresconium lib. 3. cap. 46.

ATTICVS Sebastiæ Armeniorum ortus, episcopus Constantinopolitanus post Arsacium, ingenio elegantì, eloquens & promtus atque assiduus in docendo. Scripsit quædam: quodque mirum est. contra Nestorium scripsit, qui tamen nondum uenenum suum spargere cœperat, spiritu uidelicet admonitus, ut futuro errori resisteret. Certaminis contra Chrysostomum auctor fuisse perhibetur. Eundem tamẽ mortuum, concordiæ causa, in episcoporum catalogum retulit, eiusq; in publicis precibus meminit. Erga pauperes munificus fuit. Vitæ suæ finem præuidit. Moritur XI. Octobris anno Christi 428. consulatu Theodosij XI. & Valentiniani primo, cùm Ecclesiæ præfuisset annis 21.

EVPHEMIVS Alexandrinus, episcopus Constantinopolitanus factus, Anastasium Diaconum Magum & Manichæum ad imperium admittere noluit: nisi iureiurando & scripto affirmaret, sese nihil noui in Ecclesiam introducturum, sed Chalcedonensis synodi decreta seruaturum. Imperio potitus Anastasius, scriptũ reperit. Quod quia Euphemius reddere nolebat, in exilium ab impio Imperatore eiicitur.

PAVLINVS Senator olim, natione Gallus, nobilibus & locupletibus parentibus natus, studiis profanis deditus, baptizatus à Delphino Burdegalæ episcopo: præceptore usus est D. Ambrosio Mediolanensi, suasu Hieronymi & Augustini. Ambrosius eum presbyterum fecit; ut ubicunq; esset, Ambrosij presbyter diceretur. Ad Barcinonam à Lampio quodam, ita efflagitante plebe, episcopus factus est. Sed postea Nolæ in Campania episcopatum suscepit, imperante Marciano, cùm occiso Valentiniano Eudoxia in ultionem mariti Gensericum Vandalum in Italiam euocasset. Scripsit multa carmine & prosa. Multis captiuis abductis, omnes suas opes in liberationẽ eorum impendit: cumque nihil præterea haberet, pro uiduæ unico filio uoluntariam seruitutem subiit, ut ille liberari posset. Itaque conditione à Barbaro rege accepta, obtorem egit. Vandalos multos Arianos conuertit: denique tantum potuit auctoritate & prædictionibus suis, ut eum rex cum suis ciuibus omnibus frumento donatum in patriam incolumem remitteret. Obiit pleuritide, X. Calendas Iulij. Cùm moreretur, cubiculum ingenti motu concussum est, rẽliqua domo immota permanente.

EPIPHANIVS Ticin[illegible] parentibus. Nato cunæ superno lumine fulgere sunt uisæ. Indolis optimæ, adeò ut octauo ætatis anno à Crispino episcopo lector creatur. Moriens Crispinus cum suis commendatitaq; etiam nolens anno ætatis 28. episcopus Ticinensis creatur, cùm in oriente Leo, in occidẽte Seuerus imperarent. Miraculis in expellendis dæmonibus & uitæ sanctitate claruit. Bis sub eo Ticinũ captũ, semel ab Odoacro rege Herulorum, deinde à Theodorico Gothorum rege. Tãtà tamen fuit auctoritate etiã apud Barbaros milites Theodorici, ut eius iussis obedientes & Ticinio abeuntes, non sine la-

sine lacrymis ei ualedicerent. [illegible] principes missus, ac semper bene confecta rediit. Ticinum urbem ab ho[illegible] extremò legatione ad Theodoricum altera domum rediens, in itinere catarrho obiit, 30 episcopatus sui anno, sub initium ferè Anastasij Imp. in Oriente.

ZENOBIVS parentibus ethnicis Florentiæ natus, à Theodoro episcopo cõuertitur, & archidiaconus creatur. Inde mortuo Theodoro, episcopus constituitur. Claruit miraculis sanationum. Cognatos suos ad Christum conuertit. Familiaris fuit D. Ambrosio Mediolanensi. Obiit nonagenarius, anno Christi 424. 25 Maij, sub Innocentio pontifice.

PETRONIVS ex stirpe Constantini, monachus primò ordine Basilij: inde clericus factus, & in Theodosij palatio cunctis præfectus: tandem in Italiam uenit ad Arianas hæreses extirpandas, & à Cælestino pontifice in somnis monito Bononiæ episcopus, quamuis inuitus, constituitur. Claruit miraculis, & quædam etiam scripsit. Obiit Theodosio & Valentiniano imperantibus, anno Christi 385.

VIGILIVS Tridentinus episcopus post Asterium anno ætatis 20. constitutus, Romanus patria, & Athenis educatus. Tridentinos omnes conuertit, & miraculis etiam claruit. Multa scripsit, Cõtra hæreticos scriptis pugnauit acerrimè. [redacted] Cum fratribus Claudiano & Maiorino, & quodam presbytero Claudino in locum quendam suæ iurisdictionis, Radennam dictum, in Alpibus profectus, qui solus adhuc Ethnicismum defendebat: cùm Saturni idolũ euertisset, à rusticis saxis obruitur, solis sociis incolumibus elapsis, ætatis anno 40, ad 6. Calend. Iulij. Corpus eius ad ecclesiam delatum: & cùm Geruasij & Protasij templum priùs diceretur, porrò Vigilij dici cœpit. Claruit circa annũ Christi 500. Quo tempore Anastasius imperabat, Gelasius Romanam ecclesiam regebat.

EVCHERIVS Lugdunensis, senatorio genere ortus, ad flumen Druentium in spelunca habitauit, sub Valentiniano secundo. Defuncto episcopo Lugdunensi, diuinitùs indicio facto per puerum, à clero populoq; Lugdunensi ad episcopatum inuitus protrahitur, effiacta speluncæ ianua. Eruditus uir fuit, & facundus mirum in modum, ut scripta eius testantur. Petronio Bononiensi episcopo cœtaneus fuit, & Saluiano.

CLAVDIANVS Mamertus episcopus Viennensis, uir in omni literarum genere uersatissimus, & summus salua religione philosophus: de animæ statu tres scripsit libros. Cùm terribilibus portentis Vienna totaq; Gallia uexaretur, sadhæc etiam ædes publica ex improuiso ardere cœpisset, aliis aliò ad sua diffugientibus, solus ante aras immobilis constitit, & precum feruore atq; lacrymarum fonte incendium restinxit. Ex huius liberationis occasione instituit ceu gratiarum loco annuam celebrandarum litaniarum siue rogationum festiuitatem triduo, quod inter Dominicæ ascensionis & Dominicum interiectum est. Claruit sub Theodosio iuniore. Quinto Idus Maij obdormiuit.

SEVERVS Indus natione, Christi causa peregrinatus, Viennam uenit: & miraculis clarus, templum centum idolorum ante urbem destruxit, & in D. Stephani ædem transtulit. Factus inde Viennensis ecclesiæ episcopus.

LVPVS septimo anno uxorem uolentem deseruit, & Lirinensem monasterium ingressus, ex eo aliquandiu post ad ecclesiæ Trecassinæ episcopatum uocatus est. Vir fuit magnus, etiam miraculis clarus. Cùm Attila Galliam uastaret, & urbi quoque Trecensi immineret, Lupus ei obuiam iuit habitu pontificali, & Attilam quis nam esset interrogat? Illo respondente, Dei se esse flagellum: iussit ei aperiri portas urbis, hac salutatione, Fauste ingrediatur Dei flagellum. Attila ingressus cum suis copiis, cæcitate percussus pertransiit tantùm, ciuitate relicta incolumi. Obiit anno Christi 480. Zenonis quinto. Cum Germano Antisiodorensi episcopo in Britanniam, contra Pelagianos profectus est.

SIDONIVS Lugdunensis patria, illustri familia natus, in omni literarum genere excellens, in Rom. principum aulis uersatus est, Maximi Auiti Imp. filiam duxit in uxorem: quo à Maioriano interfecto, Auernorum episcopus constitutus est, quamuis inuitus, ætate satis grandi. Scripta eius extant, poetica præsertim. Contra Gothos Arianos acriter pugnauit. [redacted] Moriturus, Aprunculum sibi iussit substitui. Calend. Septembris, primi Iustini temporibus.

MARTINVS Sabariæ Pannoniorum oppido oriundus, Ticini tamen à parentibus gentilibus nutritus, patre Tribuno: decimo ætatis anno sponte sua ad ecclesiam transiit, & catechumenus factus est. Anno ætatis 15. sub Constantino & Iuliano à patre inuitus ad militiam ductus est: & in eo per triennium uixit, antequam baptizaretur. Cùm apud Vangionum urbem Iulianus prælio certaturus esset, Martinus armis pugnare detrectauit, solo crucis signo se munire uolens. Eam rem indignè ferens Iulianus, carceri est inclusit, & in crastinum inermem hostibus obiicere cogitabat. Sed precibus Martini pax facta est. Ex militia dimissus, ad Hilarium Pictauiensem episcopum proficiscitur. Redit inde ad suos, & parentes conuertit. Tandem ad Hilarii reuersus, arte à Turonensibus inductus, eorum ecclesiæ episcopus, quamuis inuitus, constituitur. Miraculis sanandi & prophetiæ dono fuit clarus. Contra Arianos pugnauit in Illyrico, ubi à sacerdotibus cæsus, & urbe eiectus est. Item Mediolani ab Auxentio episcopo plurimis eandem ob causam affectus iniuriis. Febre obiit ætatis 81. episcopatus sui 36. Christi 406. aut 410. tertio Idus Nouembris.

D. REMIGIVS Gallorum apostolus, Remensis fuit, ex castro Landuno. Ortum eius præuidit Montanus quidam monachus, qui cùm pro pace ecclesiæ contra Gothos Arianos Deum deprecaretur, nasciturum quendam Remigium audiuit, qui Gallos ab istis calamitatibus liberaturus esset: in peccatis quidem conceptum, sed in utero matris sanctificatum, ut Ioannem Baptistam. Natus est anno 449. Theodosij iunioris 22. Mortuo Bennadio episcopo Remensium, ipse anno ætatis 22 ad episcopatum cogitur. Eruditus fuit, & eloquens ualde, miraculis & prophetiæ dono clarus. Regem Clodoueum primus conuertit, & de eius exercitu tria millia baptizauit. Arianam impietatem strenuè confutauit. Scripsit etiam commentarios in uetus & nouum Testamentum. Obiit anno ætatis 96. Idibus Ianuarij, cùm episcopatum gessisset annis 74. & amplius, anno Christi 500. uel 490. alias 545.

GERMANVS ciuis & episcopus Antisiodorensis, Romam studiorum gratia profectus, legibus operam dedit, & causas in foro egit. Inde præfectus agri Antisiodorensis factus. Cùm templum aliquando ingrederetur, Amator episcopus ex improuiso cum sacerdotibus eum circumstans, manus ei imponit, & episcopum creat etiam repugnantem. Mortuo Amatore, ne diuinæ reluctaretur electioni, episcopatũ suscipit, in quo contra hæreticos acriter pugnauit: ita ut bis in Britanniam cum Lupo Trecassino episcopo contra Pelagianos missus fuerit. Ex Britannia rediens, Rauennæ obiit, anno Domini 450. sui episcopatus 30.

PATRICIVS Brito genere, secundus Hybernię episcopus, patre Calpurnio, presbytero, matre Conche, D. Martini sorore: primùm Succhat dictus, inde Magonius à Germano Altisiodorensi episcopo: tandem Romæ propter ingenuos mores Patricij cognomen tulit. Post Palladium ad Scotos archiepiscopus mittitur à Cęlestino pontifice, anno Christi 432. Miraculis & doctrina totam insulam conuertit, & Pelagianum errorem extirpauit. Eius precibus, datum aiunt, quòd nullum animal uenenatũ in insula reperiatur. Obiit anno Christi 492. ætatis suæ 122. cùm præfuisset annos 60.

ANASTASIVS episcopus Antiochenus fuit. Cùm Iustinianus Imp. eorum hæresim amplecteretur, qui opinabantur Christum non mortalem carnem assumsisse, sed eam posteaquam assumta esset, immortalem extitisse, & omnes sacerdotes huic opinioni subscribere uellet: omnes ore uno sunt professi, se Anastasium Antiochenum sequi. Quem cùm Imp. in suas partes traducere uellet, acriter ille restitit, & suos subinde monuit: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Iustinus tandem eum in exilium eiecit, propter ærarij ecclesiastici pecuniam ab eo in pauperum usus consumtam. Post 23 annos mortuo Gregorio episcopatui suo restitutus est.

FVLGENTIVS Afer, patre Fulgentio senatore Carthaginensi ortus: primùm monachus, postea Ruspensis ecclesiæ episcopus factus est. Plurima scripsit. Acriter contra Arianos pugnauit. A' Thrasimundo Vandalorum rege Ariano cum 220 episcopis in Sardiniam relegatus, rediit. Iterum deinde expulsus, eo quòd contra Pintam Arianum scripserat, & iterum reuocatus, obiit anno ætatis 65. episcopatus 25. sub Anastasio Imper.

MACEDONIVS episcopus Constantinopolitanus, sub Anastasio Imp. in locum Euphemij substituitur: uir sanctus & orthodoxus, & Chalcedonensis synodi contra Imp. Manichæum assertor, populoq; carus. Accusatus de stupro, subductis in iudicio uestibus, se uitiliibus carere ostendit. Tandem tamen iniustè ab Imp. Euchaitem exulatum mittitur: & quia propter Hunnorum irruptionem per Caspias portas Gangram se contulerat, Anastasius missis percussoribus, eum trucidari curauit, anno Christi 517. Anastasij 24. & post mortem cuidam insomnis apparens, Anastasium ad Dei tribunal uocauit.

MARCELLINVS episcopus Anconitanus podagricus, oborto incendio quod nulla aquæ uis restingui poterat, ipse se [illegible] eius [illegible] flamma [illegible] HERCVLANVS [illegible] nutritor,

nutritor, episcopus Perusinus factus. Cum Totilæ exercitus post septennem obsidionem Perusium expugnasset, ex regis mandato ciues omnes necãtur: Herculanus capite truncatus, deinde excoriatus, tandem è muro præcipitatur.

VENANTIVS Honorius Clementianus Fortunatus, nõ procul Tarusio natus, & Rauennæ educatus, amore Martini (à quo in somnis oculorum dolore liberatus erat) Turonũ profectus, inde Pictauium: primùm presbyter, deinde episcopus factus est Pictauiensis, & Gallos ad mitiorem uitæ cultum traduxit Scripsit multa uersu & prosa. Claruit anno Christi 376, sub Iustino Iuniore.

ALCIMVS Auitus Viennensis, inter Christianos poetas non postremus: monachus primùm in cœnobio Sanctorum Petri & Pauli Viennæ Galliæ: patre mortuo, ad episcopatum Viennensem euectus est. Scripsit heroico carmine. Gundebaldum Burgundionum regẽ in Arianam hæresim lapsum, magno cum labore ecclesię catholicæ restituit. Deinde eius hortatu contra Arianos Dialogis aliquot certauit. Claruit [illegible] Scripturarum [illegible]

GRA[illegible] ætatis à præceptore [illegible] Nicetio episcopo Lugdunense in la[illegible] Iuniori anno factus est monacho 15 ecclesiæ Turonensis episcopus. Miraculis [illegible] quandam Chilpericum regem re[illegible] nem personarum in [illegible]

GE[illegible] Augusto dunensis, abbas primùm, deinde epi[illegible] religionis Francos accẽ[illegible] sumsit, & exemplo oues suas pascẽs. Cùm ægro [illegible] parere opposito sculpij iussit hęc uerba: Quinto Calendis Maij sesto Iunij) quo die obiit, octogenarius. Sepultus Parisijs apud S. Germanum de praro. Huic Chilpericus rex, alioqui impius, honorificum erexit epitaphium.

AMANDVS in cella S. Martini per 15 annos moratus est. Inde Traiectensis episcopus creatus, in Vasconiam pro infidelibus conuertendis migrauit: tãta auctoritatis, ut Dagobertus rex à nemine alio quàm ab Amando filium suum baptizari uellet: quamuis eum propter liberam reprehensionem priùs in exilium eiecisset.

IOANNES Cyprius episcopus, à beneficentia in pauperes Eleemosynarius dictus est. Exules reuocauit, captiuos redemit, bona ecclesię auxit, ex libatum acetrinũ custodiuit. Metaphrastes eum sæpe ecclesiam bonis omnibus exuisse, neq; tamen inde damnum ullum sensisse scribit.

CYRIACVS Mauricio Imp. carus, episcopus Constantinopolitanus, Phocam parricidam ui compulsus inaugurauit, cùm prius tamen ad orthodoxæ fidei professionem, & promissionem de non turbanda ecclesia eum adegisset. Postea cùm Phocas Constantinam cum tribus filiabus ex ecclesia abripere conaretur, ei restitit, & iuramentum ab eo accepit de illarum incolumitate.

IOANNES episcopus Bergomensis tãta doctrina fuit & sanctitate, ut Iuniperius etiã rex Longobardorũ illi assurgeret.

GREGORIVS In Sicilia, in uico qui Prætorius dicitur, prope Agrigentum natus, ex baptismate susceptus est à Potamione episcopo Agrigentino. Octauo ætatis anno apud Damianum grammaticum cœpit cognoscere literas: & intra quatuor annos tantum profecit, ut in clericum reciperetur. Inde ad terram Sanctam profectus, Hierosolymis à Macario episcopo factus est diaconus. Postea Antiochiam petijt, mox Constantinopolim: tandem Romam, ubi à pontifice in episcopum Agrigentinũ est electus. Metaphrastes.

IOANNES Traiectensis episcopus sub Clothario factus, Agnus uocabatur: & agricola erat, literarum penitùs expers. Quidam diuinitùs moniti, eum ad episcopatum uocant. Ille recusare, quòd uxorẽ haberet, quòd indoctus esset: deniq; quod nõ minùs ad tantum munus ineptus esset, quàm baculus quem manu gestabat, ad germinandum. Dictu mirum, baculus illicò germinare cepit. Quo quidẽ prodigio motus, diuinæ uocationi parum: & à Clothario rege confirmatus, pro Agno Ioannes dictus est, & doctrinam simul cum reliquis uirtutibus Ecclesiasticis diuinitùs hausit. Herigerius abbas cap. 31

LEODEGARIVS Pictauiensis, iuniori Clothario à consilijs fuit. Postea Augustodunẽsi ecclesiæ præficitur. Verùm cùm mores aulicorum grauiter increparet, eum frater Garino in uincula conijcitur. Et Garinus quidem lapidibus obruitur. Leodegarius uerò in flumine quodã super acutissimos silices ambulare coactus, Deum semper laudauit. Abscissa lingua uocem nihilominus retinuit: Tandem capite plexus est. Auctor cædis à dæmone correptus, seipsum in ignem coniecit.

AVDOMARVS Tarnariensis episcopus in Gallia, Tarnarienses & Morinos post Fusciani & Victoris martyria ad idololatriam relapsos, reuocauit in uiam, & monasterium Sitthim extruxit. Cæcus episcoporũ precibus uisum recuperauerat. Sed cæcitatẽ plus quàm uisum sibi profuturam scens; petijt à Deo denuò orbari oculis: & impetrauit. Carnis stimulos sentiẽs, inter acutissimas uepres sese uolutauit.

ELIGIVS Lemouicensis, aurifaber primò, inde episcopus Nouiomagensis, pietate & miraculis claruit. Obijt annũ ætatis 70, Christi 665.

ARNVLPHVS proauus Caroli Magni, dux Lotharingiæ, relicta uxore & liberis, in eremum se contulit. Mox ad terram Sanctam peregrinatus est. Reuersus, ut Metensium episcopum eligitur. Miraculis claruit. Repetijt tandem solitudinẽ, & [illegible] anno 640.

AIDANVS Scotus, [illegible] Lindisfarnensis episcopus apud Northanymbros.

ANASTASIVS Laodiceæ episcopus metropolitanus, cùm sacra faciens more solito exclamaret, Plebs tua & ecclesia tua supplicat tibi: Salimus Arabum dux ad seditionẽ cum populum cohortari existimans, eum in carcerem coniecit. Sed ab eo tamen denuò placatus fuit, Constantini Copronymi anno 20.

SALVIVS Albinensis episcopus, Chilperico Francorum regi in errorem Arij prolapso sese oppositit: & charitam in qua Rex scripserat, Trinitatem non in personarum distinctione, sed Deum nominandam, cùm sibi prælegeretur, discerpsit. Tandem in carcere cum discipulo suo Valentiniano interfectus est.

BONIFACIVS Moguntinensis episcopus, Germanorũ apostolus.

VILIBALDVS Bonifacij auunculus Aichstadiensis episcopus, Eifordiæ & in Hassia Christum docuit.

METHODIVS ob imaginum patrocinium, à Michaele Balbo Imp. in carcerem coniectus, & à Theophilo Imp. paulo post in Panormum Antigoni insulam relegatus, & inter duos latrones conclusus, quorum altero mortuo & putrescente, fœtore propemodum enectus, à Theodora pulso Syngelo cõstituitur patriarcha. Aduersarij eius subornauerant mulierculam, quæ affirmabat, se ab ipso stupratã esse. Ipse uerò calumniam istam refutabat, ostensis genitalibus, quæ planè erant exiccata, & ad ueneris actus inepta. Interrogatus autem Vnde illud mali esset? respondit se Romę aliquando libidinis æstu pereitsi, rogasse Petrum & Paulum, ut sibi opem ferrent. Quare in somnis illos sibi apparuisse, & Petrum cõtactu suo omnem uim libidinis sibi ademisse. Zonaras tomo 3.

PHOTIVS uir insignis, primarius à secretis, & ab eruditione celeberrimus, sed adulter & neophytus, de foro ac seculari militia & habitu à Palatinis ædibus eductus, & subitò tonsus, patriarcha Constantinopoleos designatur à Barda & Michaele Balbo Impp. Basilium, qui Michaelẽ adoptiuum suum patrem interfecerat, ab aditu Ecclesiæ & commu[illegible] prohibuit. [illegible] in Synodo sub Adriano pontifice exulatus est, ac missi legati Constantinopoli in Synodo Photium declarauerũt excommunicatum. Postea tamẽ Basilius Imp Ignatio è uinis sublato, Photium restituit in pristinam sedem. Iterum cùm expulit Leo philosophus Imp. ac in monasterium Armenianorum relegauit, in quo obijt. Zonaras in uita Leonis.

METHODIVS ab Vrolpho Morauis Iuliomontanis, Venedorum populo, episcopus & doctor constitutus fuit Ludouico Pio. Eum ad Polonos quoq; fidem Christi propagasse, Cromerus lib. 3. annotat. [redacted]

CYRILLVS unà cum Methodio fratre doctrinam Euangelij prædicauit Slauis, seu Polonis. Cromerus lib 3. de rebus Polonorum. [redacted] tempore Nicolai pon[illegible] Romam uenit, eoq; corpus Clementis attulit: & diem isthic obiens, in ecclesia Clementis sepultus est. Eum signa edidisse, scribit Ranulphus lib. 5. cap. 32. in Polychronico. Antoninus tit. 16. cap. 1. §. 9.

HINCMARVS sub Carolo Magno, monachus Parisiensis ad S. Dionysium, eruditione & facundia clarus, Remensis archiepiscopus, circiter annum Domini 834, sub Lothario

carnes gustaturum. Iis enim, dicebat, præsertim assis, & nares & mentem auocari à sacris: nec ea deuotione Missarum solennia, ut fieri debebat, peragi posse: ut Ranulphus lib.7. Polychronici testatur. Hunc Lanfrancus episcopus Cantuariensis in Londinensi Synodo, ob literarum inscitiam sede remouendum censuerat. At Vulstanus se insignia episcopatus ei, cuius beneficio accepisset, redditurum respondens, profectus est ad sepulcrum Edouardi regis: & exuto insigni uestitu, baculum pastoralem tam altè monumento lapideo infixit, ut nulla inde ui extrahi posset. Quo miraculo rex Gulielmus Conquæstor & Lanfrancus territi, ut suo liberè deinceps fungeretur honore, obnixè rogarunt. Polydorus lib.9. Obijt anno Domini 1095, uel circiter: & propter miracula, in Sanctorum numerum relatus est.

OTHO Frisingensis episcopus Lutetiæ philosophiæ atque Theologiæ cognitionem imbibit. Hinc eorum monachorum, quorũ antea exiterat discipulus, præceptor & abbas constitutus est Morimundi, Cistercienſium ordinis. Circiter annum uerò 1140 per Conradum Imp. fratrẽ uterinum, Frisingensis designatur episcopus: quem etiam in Asiaticam expeditionem secutus est. Historiam ab exordio mũdi usq; ad sua tempora in octo libros digessit. In Dialectica & philosophia nonnulla edidit; primusq; rationem disputandi Aristotelicam Bauaros docuit. Obijt Morimundi anno 1159. Sylueius & Auentinus lib.6.

OTHO comes Andecensis, Cancellarius Henrici IIII. Imp. ab illo Bambergensis episcopatus inuestituram per baculum & anulum uel inuitus accepit, mox à Paschali II. Anagniæ hæreseos huius ueniam impetrauit. In uictu frugalissimus, erga pauperes beneficentissimus. Miraculis donoq; sanationis claruit. Pomeranos ad fidem conuertit. Humilis cognomen meruit ob humilitatem. Præfuit annis 37. Obiit anno Sal. 1139. Chron. Bamberg. Liber hist. Pomeranicæ.

D. THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, in adolescentia petulans miles fuit: hinc regis Henrici cancellarius, & tandem archiepiscopus, Angliæ primas, & Apostolicus legatus, in pauperes benignus, regi imperitos sacerdotes ad dignitates promouenti restitit. Itaq; in exilium eijcitur. Miraculis claruit. Interfectus tandem à quatuor sicarijs inscio rege, cui tamen ob eam cædẽ sacris interdictũ fuit. Auctor uitæ & Polydorus.

MALAGHIAS Hybernus, archiepisc. Hyberniæ anno 1128. pauperes aluit, mortuos sepeliuit, in docendo assiduus, à paganismo multos cõuertit, miraculis claruit. Romam peregrinatus, in Claraualle obijt. D. Bernardus funebri oratione eum cohonestauit.

HENRICVS Lubecensis episcopus, cùm Henricum Leonem Brunsuicensem ducem in terrã Sanctam comitaretur, Constantinopoli coram Imp. & suo duce Græcos de processione Spiritus sancti confutauit, & uictoriam reportauit. Concionator fuit uehemens. Cranzius lib.5. cap.41. Vandaliæ.

EDMVNDVS Cantuariensis antistes, Othonis legati Rom. frequentes exactiones, in gratiam Innocentij IIII. contra Fridericum Imp. factas, quibus sacerdotes diuexabantur, liberè reprehendit, ac non multo pòst statuens exilij libertatem anteponere domesticæ seruituti, in Gallias ad Pontiniacum cœnobium monachorum Cistercienſis ordinis, & Altisiodorensis diœceseos, perrexit, illic sponte exulaturus, diui Thomæ Cantuariensis secutus institutum, qui ad id loci innocentiæ asylum confugerat. Vt uiuens sanctimonia, ita mortuus miraculis claruit: & ab Innocentio IV. in diuorum numerum relatus est. Polyd. lib.16.

SACERDOTES, DIACONI, LEVITAE, PRESBYTERI CHRISTIANORVM. EORVM

OFFICIVM, POTESTAS.

Sacerdotibus à CHRISTO Seruatore ligandi soluẽdiq; potestas tribuitur, eis prædicationis officium gubernandæq; ecclesiæ regimen committitur, & ut credentes expiationis lauacro, cæterisq; diuini instituti sacramentis, ad cœlestem beatitudinem adipiscendam idoneos reddant, mandatur. Ipsi sunt sal terræ, ipsi lux mundi, ipsi ciuitas supra montem ædificata: ipsi lucerna super candelabrum posita, & lucens omnibus qui in domo Dei sunt: ipsi ab Apostolo dicuntur genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Deniq; stellarum angelorumq; uocabula in Apocalypsi promerentur. Et in Psalmo audiunt: Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Marul. lib.3. cap.5.

BONIFACIVS Põtifex cõstituit, ut monachi in officio sacerdotalis gradus utantur potestate ligandi atq; absoluendi. Anno domini 618. Sigebertus in Chron.

Ad SCETHLANDICARVM insularum, quæ ab Orcadibus CM tractu distant, incolas semel quotannis ex Orcadibus, cuius diœceseos sunt, sacerdos accedẽs, sacra uniuersa administrat, ac eo anno natos infantes baptizat: quem post aliquot dies decimis piscium (eorum enim solus prouentus illis est) donatum ad sua remittunt. H. Boethius in Scotiæ descriptione.

TITVLI.

EVARISTVS Pp. anno 110. titulos urbis presbyteris diuisit. Volat. lib.22.

STVDIA.

CELESTINVS Campanus, mandauit ut omnes sacerdotes noscerent sacros Canones. Anno 424. Volat. lib.22.

CVLTVS.

ANICETVS I. nemoribus petulantium quorundam labefactaretur Ecclesia, instituit, ne clericus ullo modo comam nutriret, secundùm Apostoli præceptum. Platina.

STEPHANVS I. pontifex sub Galieno instituit, ne sacerdotes & leuitæ uestibus sacris alibi quàm in Ecclesia & peragendis sacris reuerentur. Qui secus faceret, pœnam Balthasar regis Babylonis subirent, qui uasa sacra prophanis manibus attigerat. Platina.

MODESTIA VITAE.

SOZIMVS Papa bibere in publico clericis uetuit: in cellis fidelium id fieri posse non negauit. Platina.

[redacted]

CONVGIA.

PRIVILEGIA.

Tantum apud ANGLOS ordini tribuitur, ut sacerdoti uita maiestate dãnato, alijs uẽ sontibus, qui reliquis initiati sint ordinibus, uita concedatur: id quod etiam fit, quia longa iam consuetudine, episcopi in eiusmodi maleficijs, caulæ cognitionem non habent, ex quo eis minus licet tales ita damnatos desecrare, aliter enim morte non sunt afficiendi. Quinetiam qui legere sciunt, cuiusuis rei capitalis, præter maiestatis crimen, damnati, eodem loco habentur: quòd per id ordinis affines censeantur, atq; ita salui in custodiam detrudãtur. Iis ut si casu euaserint, ne spes ulla uitæ amplius sit, in palma manus sinistræ sub pollice inuritur homicidis M litera, quia Anglicè murdre homicidium dicitur, furibus uerò T, quòd fur theft ht uocatur: qui sic stigmatiæ effecti, si in peccato rursus inuenti fuerint, tum mortis illico dant pœnas. Cuius instituti auctor fuit rex Henricus VIII. eo consilio, quod anno regni secundo habuit. Polyd. lib.26. Anglicis.

GREGORIVS Scotorum rex sanxit, ut sacerdotes à tributo & regijs exactionibus, militiaq; deinceps essent immunes, ad prophana non traherentur iudicia, non nisi sanctis coram episcopis dicerent causas. H. Boethius lib.10.

ELECTIO.

DIGAMVS ne ad officium sacerdotis admitteretur, Syricius Pontifex Rom. decreuit, ac si iã admissus esset, ut ab eo pelleretur: quòd Apost. illud antea prohibuisset, qui ad Timotheum scribens, uoluit episcopum unius uxoris esse uirum. Eademq; ratione Moses iussisse uidetur, ut pontifex uirginem tantùm duceret uxorem, quò ab eo digamiam excluderet. quæ iam inde ab initio apud priscos quoq; impedimento esse cõsueuerat sacerdotiũ petere uolentibus: quod testatur Seruius, enarrans illud 4. Aeneidos,

Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

ubi ait, Culpæ, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nuptæ. Polyd. lib.4. c.8. de Rerum inuent.

BONIFACIVS Pp. Honorio imperãte, instituit ne minor annis triginta presbyter ordinaretur. Volat. lib.22.

ANASTASIVS I. Pontifex mancos procul à sacerdotio abesse uoluit, imitatione Mosaica. Polydorus lib.4. cap.8. de Rerum inuent.

In NICENO cõcilio decretũ est, ne, qui se impatientia libidinis castrarent, in clerum amplius reciperentur. Platina.

[redacted]

Cæcilianus Cyprianus [illegible] ante [illegible] conuertere [illegible] Cæcilianus [illegible] postea nominatus) [illegible] bonus [illegible] presbyter, tandem episcopus Carthaginensis [illegible]

Isidorus [illegible] Indo presbyter ecclesiastes [illegible] pauperum [illegible] negotiorum curam gessit, mentibus & crudis [illegible]

Theophilo, Alexandrino episcopo primum datur: deinde uero (quia nobilis matrona Alexandrina ei mille aureos in usum pauperum erogarat, clam episcopo, ne Theophilus eam pecuniam in lapidibus emendis & templis construendis impenderet) hominem iussit [illegible] accipiat, [illegible] eximere, exinde expuerit, ad fratres [illegible] secundum [illegible] cum [illegible] tione [illegible] uiderint. Vixit [illegible]

FLO[illegible] monachus & presbyter, [illegible] perseuator & solos Benedicti erat. Nam primum cum [illegible] medio tollere conatus est, [illegible] uenenum [illegible] dictum, quem corruis, qui à Benedicto arcebatur, abduxit. Deinde cum hac spe frustratus esset, alia uia rem aggressus est. Septē puellas nudas misit in horto cœnobij ludere & cantare, [illegible] monachis [illegible] Benedictus [illegible] intelligens [illegible] dictus, locū mutauit, & paucos fratres secum abduxit. Florentius uerò lætus propter abitum Benedicti, statim à porticu in qua ambulabat, oppressus est: ut refert Vincentius libro 2. cap 36. & Leo Hostiensis lib. 1. cap 1.

PETRVS Edessenus presbyter, tēporibus Leonis Imp. in concionando omnes sui temporis uicit. Syriace multa scripsit: sicuti & SAMVEL, eiusdem ecclesiæ presbyter.

DEOGRATIAS presbyter. Augustino familiaris, & Quodulultdei successor, longo post eius mortem tempore, interpellante Imp. Valentiniano, ecclesiæ uasa pro redemtione captiuorum, qui iam ad litus Africanum abducti erant, impendit, propter quam pietatem multa à Barbaris perferre fuit coactus. Tandem cùm triennium Ecclesiæ præfuisset, Deus eum eripuit.

SEDVLIVS Scotus natione, magnas peregrinationes uirtutis ergò suscepit, post mortem Hildeberti Scotorum archiepiscopi præceptoris. Valentiniano & Theodosio Impp. uenit in Italiam, & Romæ docere cœpit philosophiam. Qua relicta (ut alij uolunt) episcopus factus est. Scripsit carmine & prosa.

AMANTIVS presbyter Tudertinæ Ecclesiæ in Thuscia, miraculis Apostolorū more impositione manuum ægrotos sanauit, phreneticos ad sanitatē reduxit, serpentes signo crucis enecauit. Greg. lib. 3 Dialogorum, cap. 35.

SEVERVS Sulpitius Posthumianus Britannus fuit, scriptor elegantissimus, & presbyter Aquitanicus. Monachus fuit, cùm prius uxorem in Britannia habuisset. Chiliastarum errorem habuit. A' Pelagianis quoq; senex fuit deceptus, & propterea à quæritatis fuc[illegible]

RV[illegible] detur fuisse, quòd cum libros [illegible] set, [illegible] ma[illegible]

IOA[illegible] litanus, monachus & eremita. Studio monastices & de[illegible] ceptor. Obijt Theodosio & Va[illegible]

LV[illegible] ntre, uotis su[illegible]

Bon[illegible] Italiam ex Alpibus [illegible] Erat is alba indutus ueste, ut colore sincero ca[illegible] crucem, deplorabat [illegible] dantibus Bonifacius Rom. Pontifex [illegible] uictum, Viterbij opprimendū curauit. Atq; ita omnis [illegible] pedem referentib. Fuit is [illegible]

De ROMANIS monachis D. Augustinus sic scribit: Romæ plura cognoui sanctorū diuersoria, in quibus singuli grauitate atque prudentia & diuina scientia præpollentes cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana caritate, sanctitate & libertate uiuentibus. Nemini onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli apostoli auctoritate, manibus suis se sustentant. Ieiunia etiā prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaq; usitatissimum: sed cōmunum triduum, uel amplius, sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in uiris tantùm, sed etiam in feminis: quibus item multis uiduis & uirginibus simul habitantibus, & lana ac tela uictum quæritantibus, præsunt singulæ grauissimæ probatissimæq;, nō tantùm in instituendis componendisq; moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ. Atq; inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest: nulli quod recusat imponitur: nec ideo contemnitur à cæteris, quòd in eis imitandis se fateatur inualidā. Meminerunt enim, quāto opere Scripturis omnibus commendata sit caritas: meminerunt, Omnia munda mundis: &, Nō quod intrat in os uestrum, uos coinquinat, sed quod exit. Itaq; non reijciendis generibus ciborum, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis illarum industria.

MVLIERES CHRISTIANAE

Hæc omnia ea quæ ex religionis uel præscripto uel consu[illegible] pia, superstitiosa, impiaue. De Habitu Iustitia iudicet religiosa.

SOTER. Pp. prohibuit sexum femineum à ministerio sacro[illegible] neq; thura. Nam ubi [illegible] præsumunt feminæ: pro [illegible]

BO[illegible] mitibus arcentur. Osorius lib. 9. [illegible]

LINUS [illegible] templū ingrederetur. Volat. lib. [illegible] Anno Christi. LXXI. [illegible]

Apu[illegible] quæ magnis diebus [illegible]

CONSIDERA[illegible] INSTI[illegible] MONASTICE

IN SPECIE.

ANACHORETÆ à secessu sic [illegible] Ai, primi omnium syluas & solitudines inhabitarūt, omne hominum commercium fugientes. Posteriores [illegible] Monachi dicti sunt. [illegible]

De M[illegible] Regulares [illegible] & eorum qui ab eremo nomen ferunt, ambigium. Canonici perpaucis affirmant Augustinum, ut primùm Hipponensis est episcopus factus, redegisse suos statim canonicos ad eam uiuendi regulam, quam inter se in præsentia seruant. Quinetiam iactitant illud Apostolorum fuisse institutum, id quod Thomas Aquinas in suo opere, secunda secundæ quæst. 88. comprobat: quia illi, ut ait, post ascensum Christi in cœlum, in monte Sion, de genere uitæ deliberantes, communia inter se omnia, actiia uota coram Deo statuēre. Ita si Thomæ testimonium amplectimur, non tam ab Augustino est ordo institutus, quàm renouatus. Amictus est linea tunica tantùm uestis cuiuscunq; superaddita. Horum cœnobia fuere olim in Europa ad 4555, in Italia 700. At Augustiniani Eremitani se priores institutos asseuerant ab ipso diuo Augustino, quum ille eatenus fuerit in eremo, ut quidam ferūnt, quoad Manichæis in terra Africa sæuientibus, Hipponensi diœcesi est præfectus. Alij aliam ferunt huiusce collegij originem: multi enim, ut aiunt, mortales Augustini adhuc uiui sanctitatem singularemque doctri-

[illegible] omnibus negectis [illegible] omnium conciliare, unde est Eremitarum [illegible] Epiphanius [illegible] est mendicantium. Polyd. lib. 7. cap. 3. & Vol. lib. 21. Anthropologiæ.

BASILIUS [illegible] uiedi formam primum [illegible] Volat. lib. 21. Anthrop. in note [illegible]

BENEDICTUS [illegible] & nos sic perire uolumus? Profecto no est locus [illegible] & duobus idiotis petijt eremum [illegible] siæ nomen est impetrarunt: ut Schedelius & Volaterranus lib. [illegible] celebriori uitæ [illegible] Cassinum in ea regione [illegible] & ad [illegible] cuculio. Carnibus nunquam [illegible] aqua seruium agunt, in cubiculis, quæ [illegible] excepto præfecto [illegible] tinus lib. 5. & Aemil. lib. 5. Eum qui [illegible] tur Ranulphus [illegible] scriptum & in [illegible] Benedicti abbatis [illegible] xit pie operantium [illegible] xit, & perspectorum [illegible] cto, quum indubitata quædam circa iacentis corpus [illegible] lib. 21. & Cranzius lib. 8. Metrop. [illegible]

Basilius [illegible] aut certè non [illegible] tis [illegible] secutus ad eum [illegible] dulum Apennini iuga [illegible] bus innumeri mortales candido amictu [illegible] culo Romoaldi [illegible] quibus [illegible] imaginis, quum [illegible] lo [illegible] petuum [illegible] cum aliis congregantur, sed ubi [illegible] nem [illegible] lib. & cæteris [illegible]

BONOS nomines Anglia genuit. Siquidem Ricardus Cornubiæ comes, qui fuit Henrici III regis frater, quum circiter annum salutis MCCLVII. ab Electoribus Imperij cooptatus Romanorum Rex, in Germania moraretur, eius interim filius nomine Edmundus in patriam rediens nonnihil sanguinis Seruatoris illinc secum tulit, cõditoq; cœnobio, parum supra Berchanstedium pagũ, qui ab urbe Londino distat millia passuum quinq; & uiginti, eo loci id nostræ salutis monimentum collocauit, introduxitq; nouę religionis uiros, quos Bonos appellauit homines. Ii diui Augustini ordinem profitetur, uestitumq; cæruleum induunt, forma pene similem atq; Eremitani utuntur: qui uerò præest, Rector nuncupatur. Polyd. lib 7. cap. 4.

CANONICVS ordo. Vide Augustinianos.

Circa annũ Domini 1084, Parisijs Theologorum quidã suum obiit diem, qui inter solennes exequias, quæ ei tum in templo de more fiebant, in pheretro se erigẽs, tristi querela ex-

[illegible] ominus sum. Ad hanc [illegible] omnes qui aderant consternati [illegible] & duobus idiotis petijt eremum [illegible] siæ nomen est impetrarunt: ut Schedelius & Volaterranus lib. [illegible] tinus lib. 5. & Aemil. lib. 5. Eum qui [illegible] tur Ranulphus [illegible] scriptum & in [illegible] Benedicti abbatis [illegible] xit pie operantium [illegible] xit, & perspectorum [illegible] cto, quum indubitata quædam circa iacentis corpus [illegible] lib. 21. & Cranzius lib. 8. Metrop. [illegible]

Basilius [illegible] aut certè non [illegible] tis [illegible] secutus ad eum [illegible] dulum Apennini iuga [illegible] bus innumeri mortales candido amictu [illegible] culo Romoaldi [illegible] quibus [illegible] imaginis, quum [illegible] lo [illegible] petuum [illegible] cum aliis congregantur, sed ubi [illegible] nem [illegible] lib. & cæteris [illegible]

CARMELITÆ [illegible] tie est, quod & nomẽ ipsum arguit. Est Carmelus [illegible] in Syria nobilis. Id credo secuti Anachoretarum [illegible] numero locũ tenuere, quidem [illegible] stitis opera [illegible] tè agitare [illegible] tendo humiliter, sub uno aliquo agere cœperunt. Fuit forte

iuxta fontem, qui Heliæ dictus est, uetustius Deiparæ phanum in eo monte, hic prima cœnobii ratio illis inita: suntq; fortassis inde Cãrmelitanæ uirginis fratres nuncupati. Incidit primã hæc institutio in Alexandri tertij tempora. Verũ quia neq; uitæ instituto, neq; cultu, neque cæremonia ulla nitebatur nouus ille cœtus, abortus quidam, non res legitima institura uisa est à principio. Veram itaq; originem arbitrati sunt quidam, quę anno pòst circiter quinquagesimo secuta est Innocentij tertij pontificatu. Albertus Hierosolymitanus antistes, apostolicæ sedis legatus, his in eremo agentibus certam obseruationis dedit formam, ex Basilii instituto quædam mutuatus. Attributum est pallium uestis coloris albo & canusino, id est rutilo, circulatum, quali dicitur Helias propheta olim usus. Creuit familia hæc breui, latęq; in multas diffusa est regiones, eratq; ubiq; gratus propheticus pallij habitus. Cæterùm quò magis luxuriosa erant incrementa, eò plus inuidiæ apud multos nouæ religioni conflabatur, estq; ob id multifariam oppugnata. Honorius tertius pallij formam ademit, uelut religioni parum conuenientem: pro circulato & uersicolore album est illis datũ, ita ut sub eo canusinati essent. Sic uterq; color retentus, & Virginis familia dicta. Hæc altera Mendicantium [illegible] Sab. lib. 5. En. 9 & Platina. & Polyd. lib 7.

CISTERCIENSES, anno 1098. (ut ait Vincentius) à quodã Stephano Hardingo Anglo prouenere, qui monachus in cœnobio Molismensi Lingoniensis agri, cùm animaduertere in eo minimè maiorũ instituta seruari, Robertum abbatem impulit: ut Cistercium, locũ in Burgundia desertum, Cabillonensis diœceseos, migraret ibi, Valtero ciuitatis Episcopo assentiente, auctoreq; Hugone Lugdunensium Archiepiscopo, simũl annitente Odone Burgundiæ Duce, nouum religionis specimen instituit. Quintodecimo pòst anno Bernardus Castellione Burgundiæ oppido ortus, Cisterciensem pietatem professus, cùm ordinem uelut ipse potior parens illustrauit. tantum inde nomen eruditionis & sanctitatis adeptus, ut Clareuallensis sit abbas factus, quẽ locum Robertus sumtuosè extruxerat. Roberto primo abbate successit Stephanus Hardingus, qui suam regulam scripto complexus est, quam Charitatis chartam fratres illi appellarunt, eiusq; Romanorum pontificem alios q; abbates uiginti habuerunt approbatores & cõfirmatores, circa Salutis annum 1107. Sigebertus & Antoninus tit. decimoquinto capite decimoseptimo. Aemilius lib. 5. Volaterranus lib. 21. Anthropologiæ.

Berno Gigniacensis abbas moritutus, recens à se extructo in Burgundia cœnobio, (quod tamen Martinus in Chronico Gulielmo Burgundiæ duci adscribit) apud Cluniacum, in Masticensi agro, Odonem præfecit abbatem, circa annum sal. 912. Is S. Benedicti regulã inter suos monachos intercisse uidens, eam sua opera reparauit. Et quia (ut Ranulphus lib. 6. cap. 4 indicat) in suis primordijs locupletes erant in sæculo, cæteris monachis sanctitate præstare putabantur. Nouæ [illegible] CLVNIACENSIVM nomẽ à loco inditum est. Alfreda Angliæ regina hoc uita genus in Anglia quoq; asciuit, iuxta Trithemium & Bergomensem, anno 912. ut Sigebertus & Vincentius in Speculo indicant.

CRVCIGERI aiunt Cletum Petri Apostoli discipulum, & ab eo inde tertio loco pontificem, cœlesti nuncio crucem habẽte monitum, ut hospitalem domum fundaret iis, qui Romam peregrè uenirent religionis causa, essentq; ibi præsitõ, qui itineribus fessos comiter acciperẽt, pieq; reficerent, & ij gestarent perpetuò crucem, monimentum Dominicæ passionis. Ac ita illum demum paruisse oraculo. Sed illud pro certo habendum dixerim, rectè initium huius rei assignari Cyriaco Hierosolymitano antistiti [illegible] enim fuit, qui Helenæ Constantini matri locum ostendit, ubi Dominica crux occultaretur, qui ob memoriã rei, dicitur primus constituisse collegium eorum, qui crucem omnibus ueneranda manu gestarent. Hũc Iulianus Imperator occidit. Rem iis principiis ortam, & breui pòst tempore propè ad interitum deductam, Innocentius III instauraui, quòd Romæ hæresim Albinensam subitò exortam, unde magnus in urbe motus extitit, opo cruce signatorũ, qui tum in Syriã iturĩ erant, extinxisset. Fuit hic annus salutis humanæ MCCXV. Postremò Pii II. pontificatu, in Mantuano conuentu, datũ est ut cœruleo uterentur amictu, quum olim indiscreto usi sint colore, ac crucem ex uetere instituto gestarent, unde inditum familiæ nomen. Polyd. libro 7. cap. 3. & Sabell. libro 6 Enn. 9.

DOMINICANI à Dominico nomen habent. Dominicus Calaguitanus Hispanus circa annum 1203. ab initio Canonicus regularis fuit, ac cum paucis, quos socios sibi delegerat, nouam instituit obseruationem, nouumq; uestimẽtum dedit, tunicam candidam, nigro pallio superiecto, & ab humeris ad caput scapulari tegmine. Docuit eos in primis suæ prædicatione, unde nomen nouæ familiæ indiderat, longè lateque omnibus terris diuulgare Euangelium, quod ipse Christum imitatus facere prius uoluit: quippe qui id temporis hęresim Tolosæ pestiferam Albigensium iam dudum gliscentem sua opera compescuit. Innocentius III. nouum institutum miratus est: Honorius qui illi successit approbauit. Et ita tertia est Mendicantũ familia. Dominicus ad diuorũ ordinẽ à Greg. IX. ascriptus est. Polyd. li. 7. de Inuẽt. Eius matris de catulo face ardente ore gestare somniũ pete ex Summiorũ loco. Sabellicus suo tenore ad XX milia hui ius ordinis [illegible] fuisse recentet. De eo ita Aemil. lib. 5. Sub eo imperio imp. & altero Philippo Augusto Bacorũ ordines duo laeti exorti sunt. Prædicatorũ, Minorũ, duo, abrogari, Humiliũ ita uocitabant & Pauperum à Lugduno, conditore huius institutionis Valdone. Hi duplici, illi humilitatis nomine, multa, diuitias curatores animorum sacerdotes iure fungũtur, sibi arrogabant: confessiones arcanas audiebant, & uelut ipsi expiandi ius haberent, noxa solebant à liberalibus artibus cũm abhorrerent, concionabantur, amen: regimen animorũ sibi uendicabant. Pauperes à Lugduno (ita enim uocitabãtur) neq; fuit [illegible] sedes habere uolebant: errabant, mulieres [illegible] secum circumducebant: nec sedebare dicebantur. Lucius Pontifex Maximus utranque sectam damnauerat, sibi tamen non poterant. Recepti PRÆDICATORES fratres, qui literis excolerent, concionibus operẽtur, aut aliquem minimè uituperent. Dominicus auctor extitit, & doctus & sanctus uir, & acerrimus hæresim insectator. MINORES fratres conditore ordinis diuũ Francisco pauperratem professi sunt, Pauperes Minores uocitari cœptos, Vispergensis temporum conditor auctor est: postea sanctius uiuum omnino Minores dici. De iisdem quoq; Cranzius lib. 7. Metrop. c. 42. sic scribit. Circa an. sal. 1236. Mindam introducti sunt fratres Prædicatores. Et uerò incredibile dictu, qua celeritate diffusi sunt duo ordines Mendicantium, Minorum scilicet & Prædicatorum, per totum Christianismum. Volabant fratres de prouincia in prouinciam, de ciuitate in ciuitatem, nec quiescebant. Et cùm expeditum illis esset quando populus Christianus facile mouebatur, conspecto feruore nouæ & inauditæ religionis, quando pauperrimis amore deseritis omnibus, sponte [illegible] mendicitatem [illegible] subibant. Nihil erat tale auditum à sæculo: & tamen quia uita illorum & prædicatio erat conformis Christi euangelio, non poterant Christi fideles resistere tantæ deuotioni. Erant etiã tum pontifices uiri oculati, qui prospicerent quid deferuescente zelo futurum esset, [illegible] prædicationem diuini [illegible] non [illegible] terant: cùm populus semper fuit illa affectione [illegible] tius inhiet ad ea, quæ [illegible] primus feruor refroxit [illegible] nostra [illegible] reformationes obseruantiales. Hæc ille.

EREMITÆ. Idem qui & Anachoretæ, in solitudinibus singuli singulis uixere cellis, persecutionem ab impiis factam Imp. fugientes. Augustinus lib. 1. cap. 31. de Moribus catholicæ ecclesiæ, deserta Orientis & Aegypti hoc hominum genere referta fuisse scribit. De Aegypti solitudinibus, Christ. [illegible] Aegypti solitudines uenias, [illegible] omnem illam, uidebit [illegible] diuinorem, & innumerabiles angelorum cœtus in corporibus [illegible] hominis obiaua in secundum caput Matthæi. Cassianus in præfatione decem collationum scribit, ipsos in uastissima solitudine constitutos, atq; ab uniuerso mortalium consortio separatos, contemplationi uacare. Ac singillatim describit quasdam eremos, quas peregrinando inuiserit: ut eremi Scythiæ, in qua probatissimos monachorum patres & omnem perfectionem morari dicit. Item in Palæstina, iuxta Thecnæ uicum, prophetæ Amos patriam, solitudinem fuisse uastissimam, ad Arabiam usq; & mare mortuum. Eremi Thebaidis & ultenus ad uicum Diolcos.

Sub Vrbano V. orta est Vrbini noua EREMITANORVM congregatio, nihil ferè amictu differens à D. Hieronymi familia. Illis enim ex scapulari amictu, tenuis tantùm pendet lacinia in humeros reiecta: at calceamentum, ut usus fert, commune, & cætera, quæ reliquis Hieronymianis. Petrus quidam homo Hetruscus, ac Pisis natus, noui huiusce instituti auctor fuit, qui ciuium opibus adiutus, cœnobium inibi è regione ædium nostrarum extruxit, quòd hodie tam Eremitanorum numero, quàm populi in eos pietate, princeps omnium aliorum habetur, quæ uiginti numero perhibentur esse in Italia duntaxat. Quippe institutum ut recens, aliò terrarum nondum peruasit. Polyd. lib 7. cap. 4. Vol Eremitas S. Onofrii uocat. Honorius IIII. ordinem Eremitarum apud Parisios improbatum, cõfirmauit. Platinæ in Honorio. Vide Tit. Augustinianorum.

EREMITÆ HIERONYMI sub Augustini ritu, non quidem auctorem Hieronymum, sed Redonem quendam Montis grauelli

grauelli comitem, optimum uirum, apud Fesulas habuere, Gregorio XIII. probante. Verùm à Lupo Hispalensi eiusdem ordinis generali postea, Eugenij IIII. auctoritate interpolati, denuoq, instituti sunt, amictu quē hodie gestant. [illegible] & Volat. lib. 21. Anthrop.

FRANCISCANI quartus Mendicantium ordo. Franciscus Assisius, Vmbriæ oppido natus, à principio Augustini, ut quidam scribūt, regulam professus, calceatus, zona, scortea cinctus aliquandiu conspectus est: inde reputās animo Dominum iussisse Apostolis, ne binas tunicas, neue sacculum haberent, tunicam induit unicam natiui uelleris, funiculoq, præcinxit, pedes simul nudauit: ac ut demum anachoretam se præberet, in Apennini iugum aduolauit, quem locum hodie uulgò Auernam dicunt. Vbi diuinis rebus deditus, Dominicæ passionis stigmatibus inuestus est, qui sui instituti socios, humilitatis ergo, Minores appellauit. Sub Innocentio III. cœpit. Honorius III. institutum comprobauit, ac biennio post Gregorius Franciscum inter sanctos retulit, qui fuit annus Salutis MCCXXIX. Nullum unquā institutum magis breui tempore creuit. Totum enim terrarum orbem una hæc impleuit familia: sic ut LX. millia suo tempore fuisse narret Sabellicus lib. 9. En. 9. & Polyd. lib. 7. Sequutus est ab eo, uelut riuulus ex eodem fonte manans, tertius ordo eorum qui Pœnitentes dicuntur. In hoc quoq; innumeri mortales sunt. Polyd. lib. 7. c. 4 de Inuentoribus.

Stephanus Auernia oriundus, peragratis multis locis, prope Lemouicas Aquitaniæ, in Mureto monte syluis denso, circiter annum Domini 1076 substitit: suisq; asseclis rhapsodiam ex monachorum Canonicorum, quos Regulares uel Augustinianos uocant, & Eremitarum ritibus conflatam, proposuit. Ipse lorica super nudum corpus indutus erat. Ex eo domicilio Petrus successor eius à monachis Augustinianis expulsus, petijt sibi diuinitus commodum exercendæ pietatis locum ostendi. Dum autem in missa ter caneretur Agnus Dei, ex aere uox audita est: In Grādi monte, in Grādi monte, in grandi monte: qui locus Mureto uicinus erat. Eò ergo monachi cum corpore Stephani sese contulerunt, & GRANDIMONTENSES dici uoluēre. Volaterranus lib. 21. & Schedelius.

GILBERTINVS Ordo initium suum refert in Gilbertum de Semphringham, illustri apud Lincolnienses Anglos loco natum, sed corpore deformem, qui studiorum gratia in Gallias profectus, inde aliquanto post Lincolniam reuersus, cū uiroritu, tum mulierum quosdā coegit cœtus; ijsdemq; monasteria XIII. exteruxit, uiuendi normam ex Augustini & Benedicti constarcinauit decretis, anno 1148. ab Eugenio III. confirmatā. Obiit centenarius anno 1189. in sanctorū numerum relatus. Ex Scropo & Capgrauo Balæus refert.

Gulielmus Aquitaniæ dux, & Pictauiensis comes, D. Bernardi discipulus, abiectis secularibus armis, eremum ingressus est: ac lorica ferrea super carne nuda indutus, tripliciq; catena indutus, Hierosolymam petijt, crebris orationibus, uigilijs, ieiunijs suum affligens corpus. A' Sarracenis captus, ac dimissus, in insulam proximam Hetruriæ applicuit, apud quam in loco deserto aliquandiu substitit, Eremitarū more in saltibus proximis dutissimè uictitando. Multi secularium & religiosorum ei se coniunxerunt, ac eremiticum uitæ genus restituerūt. Eius Ordinis fratres non Augustiniani, sed GVLIELMITÆ uel Guilermitæ dicebantur. Anastasij & Hadriani, qui circa salutis annum 1155 ad Romanæ ecclesiæ clauum sedēre, iussu, relicta iterum eremo, urbes incolere cœpit Guilelmus: ac Parisijs sub mendicitatis titulo prima iecit cœnobij fundamenta. Verùm hoc nominis Innocentius IIII. eis sequēti seculo ademit, ac solùm Eremitarum S. Augustini nomine appellari uoluit. Bergomensis lib. 12. & Chron. Coloniense, & Hirsaugiense, & Volat. lib. 21. Anthrop.

Hieronymus Eusebij filius, ortus Stridone (quod oppidum olim ad Pannoniam & Dalmatiam pertinebat, sed Gothi direptum euerterunt) Romæ Græcis Latinisq; literis egregiè institutus, sanctioris uitæ colendæ causa in Iudæam se contulit, ubi & Hebraicam linguam didicit: ita tripliciligua eruditus, de rebus diuinis scribendi onus suscepit, in quo omnes nemos ætatis, industriæ, doctrinæq; suæ contendit: cuius scripta ut sancta, breui post tempore patres receperunt, receptaq; approbarūt. etsi scio esse quosdam, qui id factum Damaso pontifici falsò assignēt, quippe qui perdiu ante Hieronymum excesserat è uita. Postremò locū circa Bethlehem sibi construxit, ubi reliquum uitæ Apostolico ritu egit. Hinc factum est, ut permulti deinde Hieronymi ipsius instituti imitatores extiterint, ortaq; sit noua quædā familia, qui à Hieronymi nomine, quem sui instituti, quamuis longè diuersi ab eo quo ille uixerat, utcunq; auctorem faciūt, HIERONYMIANI sunt appellati: qui natiuo amiciuntur colore, palliocq; super tunicam rugato, atq; superiore parte à summo ad imum scisso, scortea zona tunicam succingunt, soleis ligneis pedes muniunt. Polyd. libro 7. capite tertio.

Sub Friderico Barbarossa, uel (ut alij) sub Henrico III. HVMILIATORVM ordo in Germania ortus est. Multi mortales bello aut capti, aut quia fides eorum suspecta esset, fuerant ex Cisalpina Gallia in Germaniā traducti à Friderico Imperatore. Hi longiorem moram pertæsi, aliquādo albis uestibus amicti uiri feminæq; humiliter ad Friderici pedes prostrati iacuere ueniam implorantes. Horum lacrymis uestituq, motus Imperator, potestatē fecit omnibus in patriam abeundi: qui postliminio reuersi sunt, uoto, ut credere par est, in eo habitu perseuerasse dicuntur, lanificio & orationibus dediti. Inde, ut fit, res à modico principio orta, adeò creuit, ut Innocentius III. primùm, inde alij Romani pontifices suo assensu probarint, augustioreq; fecerint sanctioribus indultis. Benedicti dogma in pluribus secuti, Humiliatorum nomē ex eo, ut arbitror, tulere, quòd ad Friderici pedes quandoq; humiliter prostrati iacuissent. Polyd. lib. 7. & Volat. lib. 21. & Sab. lib. 5. En. 9.

Anno salutis 1366. IESVATORVM deuotio Senis orta est. Colligebātur ab initio domesticatim, simplici habitu amicti, multa innocentia & pietate uiri, uictū sibi labore & opera quæritantes. Hos Vrbanus V. pontifex ad se Romam uocatos de cæremonia & uitæ instituto appellauit. Cognouit rem totam & probauit, deditq; ut alba tunica uterētur, tegmento capitis albo, cum lacinia quadrata à ceruice ad humeros deiecta: cinguntur ad hæc scortea zona, nudos alio qui pedes ligneo socculo inferiore parte muniūt. Datū inde est ut canusinū pallium tunicæ superiectū serrēt. Apostolici ab initio clerici nuncupati. Hi neq; sacris initiantur, neq; celebrant missarum solennia, tantùm orationi uacāt, Iesuati ab eo dicti, quòd Iesu regis summi frequens sit nomen in illorum ore. Fuerunt auctores (ut quidam scribunt) Io. Columbinus & Fran. Vicentius Senenses, in beatorum numerum relati. Volaterranus lib. 21. & Sabel. lib. 9. En. 9.

MINORES. Vide Franciscanos.

MINIMORVM ordinem Franciscus Siculus in Gallia instituit, Francisci humilitatē & decreta simul cum amictu æmulatus: sed aliquantulum duriùs, à carnibus & coctis cibarijs abstinent. Sunt qui asperiùs uitam cœptauēre eodem ferè tempore, crasso ac ignobili lino tantùm corpora contecti, capite & pedib. nudis, ut rectè Linochlæni appellari queāt, sicuti de quibusdam Indiæ populis traditur. Volat. lib. 21. Anthrop. & Polyd. lib. 7. cap. 5. de Inuent.

MONTOLIVETENSES anno 1407. cœperunt, quo trium pontificum pestilens discordia orta est. Ii Senenses primùm fuere, quorū princeps Bernardus Ptolemæus, qui pro temporum conditione, capto mutandæ uitæ consilio, in proximum urbi collem egressi sunt, eumq; ex nomine illius Hierosolymitani dominicis frequentati uestigijs appellantes, sese candido induerūt amictu, Greg. XII. probante. Polyd. lib. 7. cap. 2. de Inuent.

Desijt in humanis esse anno salutis 1443. Bernardinus Senensis, ex Francisci Assisiatis familia, uir sanctitate insigni, euangelicæq; doctrinæ orator sua tempestate maximus. Aquilæ in Furconensibus uisitur eius conditorium, religione multa donarijsq; insigne, multiplici testimonio miraculorum, quæ circa defunctum facta memorantur. Idem minoritanæ obseruationis uetus dogma penè abolitum, prædicatione & exēplo restituit, & OBSERVANTIVM appellauit. Quæ res in causa fuit, ut in duas uelut familias abierit omne minoritanum nomē. Obseruationis hæc, illa à Conuentu nomen habet. Sab. lib. 5 En. 10.

PRÆDICATORES. Vide Dominicanos.

PRÆMONSTRATENSES, anno MCXX in Leodiēsi diœcesi, in loco quem cœlitus præmonstratum dicunt, apparuerunt, auctore Norberto quodam presbytero, Lotharingo, qui hoc arctissimum uitæ genus ex Augustini ordine cum XIII socijs suscepit. Nudis ipse Norbertus pedibus in hyemis asperitate, prædicationis gratia, passim autoritate Calixti pontificis oberrabat, circa salutis annum 1119. ut Sigeberti annotat Continuator. Antoninus annū habet 1120. Horum institutum Calixtus II. statim confirmauit, eosq;, ut Bruschius indicat, Canonicos regulares exemtos appellauit. Vestiuntur autem alba tunica cum linea toga sub candido pallio, quo potissimùm à Canonicis discernūtur: ut Polydorus lib. 7. cap. 2. de Inuentoribus indicat. Fœcunda autem fuit hæc [redacted]. Nam sub ipsum statim initium Syriam, Normanniam, Flandriam, Angliam, Vasconiam, Gothiam, Hispaniam, Burgundiam eius propagines recepisse, Sigeberti Continuator annotat. [redacted]

[redacted]

Martini IIII. pontificatu Philippus Tuscus genere, Florentiæ ortus, nouæ fuit [redacted] auctor, institutorq; familiæ, quam Deiparæ uocant uirginis, qui primò initiati, SERVI nuncupari cœperunt, tenerq; hodie ea appellatio. Fuit Philippus medicæ artis professor, anachoreticam inde uitam secutus, oraculo monitus nouum religioni adiecit dogma, paululum ab Eremitano diuersum. Nigræ tunicæ ac succinctæ, nigrum superinijciunt pallium, circa humeros in rugas compleatum, scapulari amictu ab humeris reiecto: indifferens calceatus. Nec res magno admodum est fauore à primordio recepta: cæterùm quum nouum institutū sua sponte gliscereet, augereturq; indies initiatorum numerus, Benedictus undecimus, septemq; deinde pontifices secuti, non modò conniuere uisi sunt, sed probarunt etiam suo assensu, probatum cæremonia & priuilegio excoluere. Datum præterea ut sacculum gestarent, mendicandi facultate concessa. Volater. lib. 21. Anthrop. & Sabel. lib. 7. En. 9.

Ioannes Gualbertus Florentinus, circa annum 1040. (1030. Sigonio) manu armatorum cinctus, in montibus prope monasterium D. Miniati in auctorem necis fraternæ incidit, cū quo acerrimas exercebat inimicitias. Sed misero pedibus suis prouoluto, & per Christum crucifixum sibi ignosci manibus ad pectus transuersim ductis petenti, ueniam dedit: indeq; simul procedentes ad templum D. Miniati, ad effigiem Christi crucifixi, omnem litē transegerunt. Quam eorum cōciliationem imago illa motu capitis quasi comprobare uisa est. Hoc portento motus Ioannes, animū ad professionem religionis adiecit: & in eam Apennini partē, cui Vallis umbrosa nomen est, secessit: ubi templo erecto, nouę religionis VALLIS Vmbrosæ sub norma S. Benedicti auctor extitit: cuius asseclas cærulea indui uestē sanxit, circa Salutis annum millesimum sexagesimū: ut Polydorus lib. 7. de Inuentoribus rerum, & Sigonius lib. 8. regni Ital. A' loco igitur sodalitati nomen inditum fuit, ut Schedelius refert. Gregorius VII. approbauit. Volaterranus lib. 21. Sub hoc sunt SYLVESTRINI eodem habitu, à Syluestro quodam dicti, qui eius ordinis auctor fuit in monte Fano prope Fabrianum in Marchia Anconitana. Cognatus.

MONACHI CONSIDERATI QVO AD EXERCITATIONEM. HVC MONACHATVS

SVSCEPTIO. NEMPE QVI SVSCEPERINT.

Episcopi.

MICHAEL Oxites Patriarcha Atticus, summa sede ultrò cessit, & in Oxiam insulam redijt, in qua uitæ inopis & simplicis institutum à puero fuerat amplexus. Ibi in templi uestibulo prostratus, cuiuis monacho collum calcandum præbuit: quòd contrà, quàm sibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiasset, nulloq; cum fructu thronū sublimem cōscendisset. Nicetas Choniates lib. 11. de rebus Manuelis Comneni Imperatoris.

IOANNES Varadiensis Episcopus, demū Olomucensis, qui ob studia poetices præcipuè sub nomine Iani Pannonij innotuit Matthiæ Pannonum regi, eidemq; ob ingenij dexteritatem ita carus fuit, ut totum regem penè solus possidere existimaretur, ardua quæq; negotia administraret, & aulā, superantem splendore potentes etiam Principes, aleret, religionem Monachorum, quos Bernardinos nominant, ingressus est Vratislauiæ, cœnobiū sui ordinis Iauruaiæ extruxit. Coronato è sententia sua rege Vladislao, cùm se fat pātriæ & humanæ gloriæ satisfecisse putasset, præter omniū opinionem, omissa mortalium rerum curā, ad diui Francisci collegia, inuito rege Vladislao, Mathiæ successore, confugit. Bonfinius lib. 10. Dec. 4. & Cureus in Silesia.

Reges, Principes.

THEODOSIVS III. Adramyttenus Imp. cùm imperio renunciasset post duos annos, in cœnobio reliquo uitæ tempore uixit. Volat. lib. 23. Anthrop.

ALEXIVS Crinitus gener Theophili Imperatoris ex filia Maria, ab eo Cæsar appellatus ante ortum Michaelis filij: mox eo nato, in gratiam Theophili imperio se abdicauit, & in monasterio Anthemii à se extructo uitam sanctissimè finiuit. Nicephorus, & Zonaras.

MICHAEL Paphlago Imperator, quē iam morti proximus esset, ex palatio transmigrauit in monasterium, quod iuxta mœnia exædificauerat: quod [illegible], id est, sine pecunia miracula operantium cognominauerat. ibique tonsis capillis, purpuram & imperii insignia exuit, uestemq; induit humilitatis in Christo, sacrisq; initiatus mysteriis, diuinam pellem uoluntariæ mortificationis signū præcinxit. Qua de re certior facta regina Zoe, pedes Palatiū exiit, maritū accessura: sed portas clausas reperit. uetuerat enim eam ad se ingredi, nolēs in memoriam reducere pristinum erga eam affectum: siue pudore eorum quæ ei ostensura erat, siue quòd omnino se pœnitētiæ tradiderat. Zonaras.

MICHAEL Curopalates Imp. Leonem Cæsarem à populo salutatum audiens, regno cessit. Leo regiā ingressus, Theophylactum filium, quē regio nomine pater Michael decorauerat, abscissis priùs genitalibus, cum matre ac fratribus in insulam, quæ Prima dicitur, exulatum ire iussit: ubi & Michael monachus factus, monasterio se abdidit, & ibi uixit: licēt alij post annum alterum Imperii habenas regni Leoni concessisse scribant, & sponte Imperio se abdicasse, ob cordis maximam mœstitiam, quam post aduersam pugnam

[illegible] nuliam, sed ob [illegible] quod [illegible] næ iratus priuat[illegible] core imperare. Cuspinianus.

Nicephorus lib.17.cap.6 narrat, ELESBAAN Aethiopum regem diuina ope victoria parta in bello contra Iudæos, magistratum suum & dignitatem regiam deposuisse, & ingressum esse sacram ædē: ibiq; raso capite, & aspera monachorum lacerna sumta, in angustam quandam cellam, ubi per omnem uitam adiri non posset, se abdidisse, & solo pane ac oleribus quibusdam pro cibo, donec uixit, usum fuisse.

RACHIS, Longobardorū rex, anno 750 uxore Thesia & Ratruda filia secum ductis Romam adijt, atq; in conspectum Zachariæ Pp. profectus, ipsum ad terram prostratus adorauit, & Pontificia maiestate usq; adeò captus est, ut repentino religionis amore flagrauit, ac regno se abdicarit, & clericus factus ipse cum uxore & filia monasticæ se uitæ deuouerit Pontifice: cæterisq; non tam hominem laudibus in cœlum ferētibus, quàm facti magnitudine stupescentibus. Itaq; habitu manu Pontificis sumto Cassinum concessit ad uitam sub legibus S. Benedicti degendam. quē uxor, filiaq; sequutæ, ipso permittente atq; adiuuante abbate, monasterium uirginum non longè à Cassino propria pecunia ædificarunt, ibiq; monastico ornatu sumto uitam sanctissimè traduxerunt. Mortuo pòst Aistulfo fratre, cui Rachis regnū reliquerat, cùm Desiderius dux Tusciæ ad regnum peruenisset, Rachis ad regnum recipiendum animo adiecto, Stephani II. Pp. minis deterritus fuit. Sigonius lib.3. regni Ital. ex Sigeberto & Blondo.

Anno 822. VINIGISVS Dux Spoletanus iam ætate cōfectus rebus se abdicās humanis monachum induit. neq; sta multò pòst morbo oppressus, nulla uirili stirpe relicta migrauit è uita. In eius locū Suppo Brixiæ Comes Dux factus. Sigonius lib.4. regni Ital.

ANSELMVS Dux Foroiuliensis, Giseltrudæ uxoris Aistulfi Longobardorum regis frater, studio religionis incensus, monasterium cum xenodochio apud Fananum montanū Mutinensis diœcesis locum extruxit, atq; ibi multorum monachorum abbas præfuit. Ducatus inde Foroiuliensis ad Petrum Munichis filium est delatus. anno 750. Sigonius lib.3 regni Ital.

LOTHARIVS Imperator, [illegible] præsentis uitæ permo[illegible] filijs hæreditate, monachum professus est: Prum[illegible] Lotharingia, [illegible] diuitum, dicunt, illic ut [illegible] annis 16. Cuspinianus & [illegible]

CAROLOMANNVS [illegible] Pipini, cum contra Saxones fre[illegible] pugnaret, Romam profectus, à Zacharia pontifice uirginia impetrata, in cœnobium à se extructū in Soracte, monte ad ecclesiam [illegible] abdidit, anno 746. Vbi cùm assiduis [illegible] humilitatis ergò clām ad Cassinense cœnobium uenit, & se Francum genere, homicidam nefarium esse dixit, & pœnitentiæ ergò accedere. Suscipitur in nouitiorum numero, & primùm pascere iussus oues, à prædonibus spoliatus nudus redijt. Postea horto præfectus, bene se gessit. Tertiò culinæ curā gerens, ter à cocco alapis cæditur. Quod indignè ferens comes eius, coquum pilo ferit: & accusatus, quis uir esset Carolomannus indicauit. Cùm Stephanus pontifex Pipinum regem contra Aistulphum Longobardū exarchum Rauennatem incitaret, iussu sui abbatis ad Pipinū pro Aistulpho missus fuit. Verùm Pipinus Carolomanni fratris oratione nō persuasus, cum tanquam desertore sui ordinis in Viennense cœnobium deportauit, ubi non multo pòst febri indignabundus interijt, anno 754. Blondus lib.1. Decad.2. Platina. Aimoinus lib 4. cap.60. de Francis. Iuo in Chronicis. Regino. Sigonius lib.3. regni Ital.

IMBERTVS Viennensis Delphinus (hoc enim honoris nomine priscorum Allobrogum principes in ea parte Galliæ uocabantur) uēdito Delphinatu Philippo Valesio VI. Gallorum regi (post quem, Gallorum regū primogeniti Viennæ Delphini uocari cœperunt) distributa in pauperes pecunia, Salutis anno 1349. Lugduni Prædicatorum religioni se dicauit. Fulg. lib.4. cap.1.

VEREMVNDVS primus Hispaniarū rex, præcipuus religionis cultor, posteaquam duos ex uxore filios suscepit, memor quòd ante connubium diaconatus dignitatem accepisset: ne parum diuinas leges obseruasse uideretur (adeò penes eum religionis reuerentia ualuit) consobrino regno cessit, & monastico ordini se dicauit. Fulgosus lib.1. cap.1.

BAMBA rex Hispanorum, anno post initum regnum nono, mensesq; uno, religionis habitum sumsit: in coqs; permansit annis septenis, ad ultimū uitæ diem. Ritius Neapol. lib.2. Regum Hispanorum.

Guarinus Aquitanus monachus Venetias profectus ut diui Marci corpus inuiseret: ad PETRI Vrseoli ducis conspectū ductus est. Hic de religione & pœnitentia non paucā locutus, cò animum iam ante suā sponte ad id spectantem sensim perduxit, ut de principatus restitutione continuò cogitare cœperit. Ergo an. 978 noctu ignoto habitu urbē egressus, coniuge, nato, necessarijsq; eius profectionis ignaris, peregrè in Galliam profectus est. Eum magistratu patriaq; excedētem Ioannes Gradonicus, & Ioannes Maurocenus, cum Romoaldo & Marino Rauennatibus, eius cōsilij conscijs, secuti sunt. Is procedente tempore, ita religione & sanctitate profecit, ut post mortem in Aquitania ad D. Michaelis de Cussano, ubi reliquum uitæ egit, multis (ut quidam tradunt) sit miraculis illustratus. Sab. lib.2. Enn.9. & lib.4. Dec.1. & Sigonius lib.7. regni Ital.

Ei qui successit VITALIS Candianus anno uno ducatus acto, quum in grauissimum morbum incidisset, atq; indies maiore grauaretur, ratus quod erat fore, ut paulo pòst tabescēte corpore uita decederet, magnitudine stupescentibus. Itaq; habitu manu Pontificis sumto Cassinum concessit ad uitam sub legibus S. Benedicti degendam. quē uxor, filiaq; sequutæ, ipso permittente atq; adiuuante abbate, monasterium uirginum non longè à Cassino propria pecunia ædificarunt, ibiq; monastico ornatu sumto uitam sanctissimè traduxerunt. Mortuo pòst Aistulfo fratre, cui Rachis regnū reliquerat, cùm Desiderius dux Tusciæ ad regnum peruenisset, Rachis ad regnum recipiendum animo adiecto, Stephani II. Pp. minis deterritus fuit. Sigonius lib.3. regni Ital. ex Sigeberto & Blondo.

Anno 822. VINIGISVS Dux Spoletanus iam ætate cōfectus rebus se abdicās humanis monachum induit. neq; sta multò pòst morbo oppressus, nulla uirili stirpe relicta migrauit è uita. In eius locū Suppo Brixiæ Comes Dux factus. Sigonius lib.4. regni Ital.

ANSELMVS Dux Foroiuliensis, Giseltrudæ uxoris Aistulfi Longobardorum regis frater, studio religionis incensus, monasterium cum xenodochio apud Fananum montanū Mutinensis diœcesis locum extruxit, atq; ibi multorum monachorum abbas præfuit. Ducatus inde Foroiuliensis ad Petrum Munichis filium est delatus. anno 750. Sigonius lib.3 regni Ital.

LOTHARIVS Imperator, [illegible] filijs hæreditate, monachum professus est: Prum[illegible] Lotharingia, [illegible] diuitum, dicunt, illic ut [illegible] annis 16. Cuspinianus & [illegible]

CAROLOMANNVS [illegible] Pipini, cum contra Saxones fre[illegible] pugnaret, Romam profectus, à Zacharia pontifice uirginia impetrata, in cœnobium à se extructū in Soracte, monte ad ecclesiam [illegible] abdidit, anno 746. Vbi cùm assiduis [illegible] humilitatis ergò clām ad Cassinense cœnobium uenit, & se Francum genere, homicidam nefarium esse dixit, & pœnitentiæ ergò accedere. Suscipitur in nouitiorum numero, & primùm pascere iussus oues, à prædonibus spoliatus nudus redijt. Postea horto præfectus, bene se gessit. Tertiò culinæ curā gerens, ter à cocco alapis cæditur. Quod indignè ferens comes eius, coquum pilo ferit: & accusatus, quis uir esset Carolomannus indicauit. Cùm Stephanus pontifex Pipinum regem contra Aistulphum Longobardū exarchum Rauennatem incitaret, iussu sui abbatis ad Pipinū pro Aistulpho missus fuit. Verùm Pipinus Carolomanni fratris oratione nō persuasus, cum tanquam desertore sui ordinis in Viennense cœnobium deportauit, ubi non multo pòst febri indignabundus interijt, anno 754. Blondus lib.1. Decad.2. Platina. Aimoinus lib 4. cap.60. de Francis. Iuo in Chronicis. Regino. Sigonius lib.3. regni Ital.

IMBERTVS Viennensis Delphinus (hoc enim honoris nomine priscorum Allobrogum principes in ea parte Galliæ uocabantur) uēdito Delphinatu Philippo Valesio VI. Gallorum regi (post quem, Gallorum regū primogeniti Viennæ Delphini uocari cœperunt) distributa in pauperes pecunia, Salutis anno 1349. Lugduni Prædicatorum religioni se dicauit. Fulg. lib.4. cap.1.

VEREMVNDVS primus Hispaniarū rex, præcipuus religionis cultor, posteaquam duos ex uxore filios suscepit, memor quòd ante connubium diaconatus dignitatem accepisset: ne parum diuinas leges obseruasse uideretur (adeò penes eum religionis reuerentia ualuit) consobrino regno cessit, & monastico ordini se dicauit. Fulgosus lib.1. cap.1.

BAMBA rex Hispanorum, anno post initum regnum nono, mensesq; uno, religionis habitum sumsit: in coqs; permansit annis septenis, ad ultimū uitæ diem. Ritius Neapol. lib.2. Regum Hispanorum.

Hellesponti abiit, & tres totos annos in silentio exegit, à pastore quodam uicino pane & aqua nutritus. Habitum monasticum assumens, in Critama sese ligauit cate[illegible] longa. Post annos tres iterum migrauit ad Cheridonem, & sub Georgio edidicit totum Psalterium Dauidis. In montibus Prusensium Gurias, cius inuidens honori, uenenum illi propinauit. Eustathius martyr in somnis illi apparens opē tulit. Epiphanius monachus ex inuidia arbores inflammauit, sperans eo incendio Ioannicium interiturum: sed ille præscius futuri, secessit. Narrant illum Nicephoro prædixisse diem obitus, & de Stauratio interrogatum, num diu superstes futurus esset in regno? respondisse, Res est in acie noua uaculæ. Eustratio etiam Leonis prædixit interitum. De Methodij uaticinatus est episcopatu. Mulierem quandam à dęmoniis uexatam curauit: puerum quem ad præcipitium noctu ducebant, iis eripuit: antraque quædam à dæmonibus purgauit. Senatoris filium ægrotum sanauit, & imaginum cōtemtorem oculis priuauit. Eustratium absentem, in somnis illi apparens, grauissimo morbo liberauit. Sicco pede aquam transiit. Templum Ioannis apertis portis illum sponte admisit: cogitationes libidinosas à puella quadam collum eius amplexante in sese deriuauit, ac postea draconi se obiecit, cuius attactu ei ademtus est omnis libidinum æstus: lapidum aceruos commouit, recitatione Psalmorum Dauidis: dracones & serpentes occidit: orans in altum eleuatus pependit in aere: amissam uirgam oratione impetrauit per aerem ad [illegible] teuerit captiuos ex carcere liberauit, [illegible] carcerem uenit, cùm [illegible] eduxit. Quinto anno Imperij [illegible] fuit Domini 801. certio Nouembris obiit. Simeon Metaphrastes [illegible] 5.

RA[illegible]VS, [illegible] nobili genere natus, ita ut [illegible] to[illegible] militum ductor & dominus esset, omnia quæ habuit [illegible] ecclesiis quandam domum Hierosolymis [illegible] habitantibus [illegible]. Gerardus à Nazareth cap.11. de Conuersatione seruorum Dei.

Præfecti.

NILVS Constantinopolitanus præfectus, uir nobilis, Chrysostomi discipulus, postremis iunioris Theodosij cōporibus, maritus quoque, tandem monasticen amplexus est. Multa quoq; scripsit. Niceph. lib.14. cap.54.

CHARARICVS in monachum cum filio attonsus à Clodoueo rege Francorum. Aemilius.

Nobiles.

Vide, Monachorum professio.

Medici.

IOANNES Damascenus, monachus Benedictinus, sub Anastasio II. pontifice, anno Salutis 484. in theologia & medicina quædam scripsit.

CONSTANTINVS Afer patria Carthaginensis, Babylone disciplinis Chaldæorum, Arabum, Persarum, Aegyptiorum & Indorum perceptis, anno peregrinationis 39. in patriā rediit. Metuens aūt suorum insidias, in Italiam traiecit & monachus Cassinensis factus, ex diuersis gentium linguis transtulit complura opera artis medicæ: ut Pantechnō, 12. libris distinctum: Practicam de conseruanda ualetudine, & morborum curatione: librum Graduum, Diætam ciborum, De febribus, quem ex Arabe Latinum fecit, Librum de urina: de interioribus membris, eorumq; præcipuis morbis. Expositionem Aphorismorum: ἡγκλω, μεγατηγκλω, μικροτηγκλω, Di spurationem Platonis & Hippocratis in sententiis, de Simplici medicamine, de gynecia, de pulsibus, de experimentis, glossas herbarum, de dæmoniaco & claudo curatis ab Alexandro papa, & de eius transitu, de electione Gregorij. Chronicon Cassinense lib.3. cap.34.

CYRVS Alexandrinus medicus, ex philosopho factus monachus, uir dicendi peritus, tempore Gennadij, ut ipse narrat. Aduersus Nestorium priùs eleganter & fortiter scripserat: postea autem Timotheanum dogma fouere cœpit, dum in Nestorio refutando syllogismis magis quàm Scripturis uteretur. Demum & animi dubium, suspendisse suum assensum à decretis Chalcedonensis concilij, nec acquieuisse, ut filius Dei post incarnationem duabus constare naturis dicatur, in suo catalogo Gennadius refert. Trithemius.

TRVSIANVS. Vide infrà, Cur, Desperationis causa.

Sponsi, Mariti.

Prædicat Gregorius Turonensis, quendam LEOPARDVM, qui contra uoluntatem parentum, rupta promissione facta honestæ puellæ de coniugio, atq; donis confirmata, in monasterium sese contulit.

SEBALDVS regis Daciæ F. Parisiis operam dedit literis. Nocte prima nuptiarum sponsam deserens, in eremum fugit, & ibi 15. annos mansit. Romam profectus, à Gregorio II. in Germaniam prædicandi causa missus fuit, & prope Norimbergam in solitudine uixit. Tandem Norimbergæ in oratorio fratrum D. Martini mortuus est, eumq; boues indomiti ad locum sepulturæ duxerunt. Martinus tandem V. eum in numerum diuorum retulit, & 14. Sept. eius honoribus annuatim tribuit. Fuit coætaneus Bonifacij & Vuilibrodi. Curio libro 2. Chronologiæ.

VENANTIVS Biturigum incola, parentum iussu ac consensu in iuuenili ætate cum honesta puella matrimonium contraxit: post celebrata sponsalia, fortè Turonum in monasterium S. Martini ueniens, eo uitæ genere delectatus, sponsæ libellum repudij misit, & in monachorum ordinem coadoptatus, tandem Abbas factus est. Nocte ex templo domū reuersus, inuenit suam habitationem diabolis plenam. Ad quos dixit, Vnde estis? Roma, inquiunt, heri egressi sumus. Quibus ille: Discedite, inquit, damnati: uestrum non est, in loco in quo nomen Domini inuocatur, uersari, & statim euanuerunt. Gregor. Turon. in Vitis patrum.

DAVSERIVS, Beneuentani principis filius unicus, relicta sponsa sua intacta, insciisq; parentibus, Casinum monasterium ingressus, Desiderius dictus est. Dein abbas factus, per Nicolaum II. Pp. inter Cardinales receptus. Tandem mortuo Gregorio VII. in exilio, Salernitani & Capuani principum opera Clementem III. eiecit, & eodem anno dysenteria, uel ueneno (ut Platina uult) obiit.

VVLMARVS Bononiensis patricius, primùm uxorem duxit Hostorholdam. Ea deserta, in monasterium Altimōtis Neruiorum secessit. Denuò patriam petiit, & in Mempisco uastam syluam ingressus, in caua arbore triduò absque cibo consedit. Extruxit postea ibidem monasterium, in quo reliquum uitæ exegit. Meierus in Chronico Flandriæ.

Serui.

PORTIANVS cuiusdam barbari seruus, relicto domino in monasterium transiit: in quo adeò profecit, ut mortuo abbati succederet. Cùm Reginaldi, qui secundas à rege Theodorico tenebat, portui benediceret: uas in quo uenenum latebat, diffiliit. Theodorico Aruernos fines uastanti, & in Arconensis oppiduli agris castra metanti, occurrit supplicaturus pro populo: à quo benignè exauditus, à captiuitate suos liberauit. Turonensis in Vitis patrum, cap.5.

Latrones.

DAVID quidam in finibus Hermopolis, grassatorū princeps, cùm diu exercēdis latrociniis operam impendisset, tandem monachus factus, Deo in humilitate seruiuit. Et cùm post aliquot dierum pœnitentiam, dimissa sibi esse peccata, angelo referente, accepisset, multitudinis eorum conscius, dubitauit an uera audiret. Ob incredulitatem, linguæ officio caruit. Sed cùm uehementer doleret, quòd solitas Deo laudes ore impedito concinere nō posset, uocis usum ad eam duntaxat rem recuperauit, ad cætera mutus permansit. Maurul. lib.2. cap.12. & lib.4. cap.10. & Fulg. lib.6. cap19.

Anno Sal. 1490. Venetis piratas toto mari Thomæ Zeni ductu insectantibus, PAVLVS Catinensis haud obscuri nominis pirata, cognomento Camalius, Ragusino portu interceptus, Venetias ad supplicium mittitur. Hic magno patrocinio defensus, uix tenuit, ut extra uincula in urbe liceret esse. Dein paulatim animo ad religionem inclinante, eò processit, ut Anachoretico habitu, capite & pedibus nudis uagaretur, & qui nautis toto mari nuper terrori fuit, mitis humilisq; ac seminudus conspiceretur, ad Eremitanum cœmiterium diuersabatur, inter mortuorum ossa, subterraneo specu cubans. Sab. lib.8. En.10.

Exules.

Henricus III. Imp. exules LOMBARDOS, quos superioribus annis propter coniurationes initas Conradus prædecessor in Germaniam relegarat, restituit. Exules ciuitatibus suis repetitis humilitatem, in qua in exilio fuerant, tenuerunt, neq; ullam rem publicam aut priuatam attingentes, uerùm uni religioni studentes, ac uictum manibus suis quærentes, uitam traduxerunt. Primę sedes ad Comum in loco, qui Rondinetum appellatur, locatę. Hos uulgo monachos Humiliatos dictos, atque aliis ad eos se applicantibus auctos, sequētibus annis, disciplina D. Benedicti Ioannes Meda Comensis astrinxit, ab Alexandro III. in diuorum numerum relatus. Sigonius lib.8. regni Ital.

Morientes.

CHRISTOPHORVS Longolius antequam è uita discederet, in D. Francisci familiam uoluit adoptari, eiusq; habitu post mortem & templo sepeliri. Obiit XXXIIII ætatis anno, III. idus Septemb. anno Salutis humanæ M.D.XXII. Patauij in Francisci habitu sepultus. Auctor uitæ.

QVOMODO SVSCEPERVNT, VEL Sponte.

Exempla è præcedentibus.

Ab Alio. Vel

Indukti.

IORDANES Saxo, ordinis Prædicatorũ princeps, circà an. Sal.1230.nobilis cuiusdam Germani FILIVM, inscio parente, ad monasticam professionem pellexerat. Patri filium repetenti, Lege Germana cũ Germano egi, inquit, quæ matri factam iniuriam, à filio uindicari impunè permittit. Tu matris meæ bouem scelerata manu abegisti: ego pro plagio uitulum tuum abduxi. Tu bouem tibi habeto: uitulũ Christus retinebit. Leander lib.1.de Viris illustr.ord.prædicat.

Coacti.

☞ *Vide infrà, Causa Ineptiæ, Desperationis.*

TASSILO Baioariorum rex supplex ad Carolum Magnum Imp. uenit, ac superiorum erratorum ueniam implorauit. Carolus Theodone filio eius, ac duodecim aliis obsidibus acceptis, & populo sacramento adacto, pacem dedit. Tassilo deinde Luitberga uxore, quæ Desiderij Longobardorũ regis à Carolo euersi fuerat filia, instigante, Hunnos aduersus Francos solicitauit. Eapropter damnatus maiestatis, unà cum Theodone filio tonsus, in monasterium est coniectus. Sigonius lib.4.regni Ital. Laureaci prope Heidelbergam extat illius epitaphium:

Tassilo dux primùm, mox rex, monachus sed ad imum,
Conditur hac fouea: quem pie Christe bea.

HATTO, seu Vualdo, filius ducis Francorum, Rabano surrogatus, anno Domini 847.in cœnobio Fuldẽsi, mediocriter eruditus, iudicauit neminem debere inuitum fieri monachum: ideoq; GODESCHALCVM pronunciauit à uinculo illo immunem, cùm probasset, se à Rabano coactum suscepisse cucullam. Munsterus, & Bruschius.

Haraldus Hybernus, auxilio Erici III. Danorum regis MAGNVM Noruegiorum regem acie captum oculis ac genitalibus priuauit, ne aut luminum uoluptate regnum appeteret, aut ueneris usu ultricem sui sobolem procrearet. Cæcatus igitur castratusq; cùm interrogaretur, Ecquẽ ex suis pœnam secum oculorum subire uellet? paucos ea re delectari respõdit. Tunc quidã & forma ei similimus, & militiã eius singulari fide cõplexus, ultrò se supplicio obtulit, ꝓfato ut uidenti similimũ, ita luminib. orbato futurũ. Saxo lib.14.

☞ CVR. MONACHI FACTI CAVSA

Pœnitentiæ.

☞ *Vide suprà, Reges monachi.*

Valetudinis.

HERMANNVS patre Vuolferado, comite de Veringen: matre Hiltrude, femina religiosa, occasione ualetudinis minùs prosperę, membrorumq; contractione, unde agnomen Cõtracti accepit, apud Sangallenses, ubi monasticen profitebatur, totum se literarum studiis dedit, quo corporis deformitatẽ ingenij dotib. ornaret, inter sui seculi doctos nõ postremo censendus loco, uti eius scripta testant. Obiit an. 1045.

Voti.

Otho Imperator à Pandulfo principe ARNVLPHVM puerũ obsidem acceptum trans Alpes in monasterium misérat educandum. Is post annos aliquot pontificio præcepto monastica ueste sumta inde aufugit, atq; in itinere morbo grauiopressus cucullam, quam occasione fugæ simulanter induerat, ultrò se gestaturum in posterum uouit: ac domũ reuersus, paternis ædibus spretis, in monasterio S. Modesti Beneuenti se abdidit. Hunc à Principe patre abductum monachi Cassinates contra Ioannem Rotundulum sibi asciuerunt abbatem, anno 1011. Sigonius lib.6. regni Ital.

ADOLFVS Comes Holsatiæ & de Scouenborg, circa annũ Sal. MCCXL. graui bello Danorum & Liuonum pressus, atq; victor, relictis liberis & uxore, Franciscanorum cœnobium Hamburgi ex uoto intrauit, & ut ad sacros ordines laicus promoueri posset, ab Innocentio IIII. Romæ obtinuit. Mox domum reuersus, in oppido Kyl monasterium ædificare, & ex Franciscanæ religionis instituto ostiatim stipem à suis olim subditis emendicare cœpit. Accidit, ut filios suos Ioannem, Gerardum & Luderum splendida pompa obuios sibi lactis sinum ferenti factos declinare non posset. Eos ut aspexit, rubore suffusus primùm, mox semetipse recolligens, & carnis tentationem seuerè reprehendẽs, cattino inuerso caput suum lacte perfudit, inquiens: Occulto delicto manifesta debetur pœnitentia, & quem paupertatis Christi puduit, ut eiusdem quoq; homines pudeat, iustum est. Hoc dicto confestim ad fratres suos operi intentos (quos eo lacte recreaturus erat) rediit. In hoc uitæ instituto XIIII. annis permãsit. Hieronymus Zieglerus in hist. illustriũ Virorũ Germaniæ, & Cranz. lib.8. Saxon. c.7. & 23.

Meriti.

FARDVLPHVS, seu Rhadulphus Longobardus, sacrificulus Reginoburgi, in tẽplo dormiens, cognouit coniurationem Pipini gibbosi contra Carolũ Magnum: eaq; prodita, pro mercede abbas Dionysij cõstituitur. Auent. li.4. Annal.

Securitatis.

CLODOARVS, Clodomiri filius, cùm elapsus è manibus Theodorici qui Metensibus, & Clotharij qui Suessionibus imperabant, fugisset, ne ut duo fratres neci quoq; traderetur: ad aram confugiens inspoliati sani, ibi quoad uixit, precipuo studio, sanctissimeq; nomen loci coluit. Vnde post obitum inter diuos relatus est. Michael Ritius Neapolitanus lib.1. de Regibus Francorum.

PAVLVS Diaconus, Varnefridi & Theodelindæ Longobardorum nobilium F. Desiderij regis notarius, aulæ præfectus, Aquileiensis patriarchę diaconus ordinatur. Cùm Carolus Papiam expugnasset, & ipse fuit captus: sed propter eruditionem liberatus, in Galliam cum rege abducitur. Verùm cùm de liberando Desiderio rege consilia iniisset, perduellionis reus, damnandus erat. Proceres manus ei iubebant abscindi. Carolus contrà, Vbi tam elegantem scriptorem inueniemus? Iubebant oculos erui: At ubi talem historicũ reperiemus? Tandem in exilium in insulam Diomedis deportatur. Sed cum seruo suo elapsus, Beneuentum ad Arichim, qui filiam Desiderij Adelbergam duxerat, confugit, & illic historiam scripsit. Arichi defuncto, ut tutior esset, in Cassinensi monasterio monachus est factus. Carolus ei uersibus ea de re gratulatus est. Vixit usq; ad annum 807. Sigebertus in Chronico.



Desperationis.

DVM ISAACIVS Comnenus Imp. uenationi indulget circà Nouam urbem, aprum aiunt apparuisse alicunde aspectu terribilem. Comnenum laxato equi freno insequutum esse suem, eum uerò incidisse in mare ac disparuisse: quem quidam non suem, sed uisionem quandam suspicati sunt. Inter hæc quasi coruscatione quadam afflatum Imperatorem, eiusq; iactu turbatum, ex equo decidisse, ac procubuisse humi exanimem, ore sputo conspersо, illatumq; in regiã. Vbi cùm aliquantisper ægrotasset, in desperationem redactum, totondisse capillos: & pro purpura asperum ac durum induisse uestimentum, cucullam scilicet monasticam. Ducam uerò Constantinum Imperatorem factum. Tum se applicuisse ad Studij mansionem, ubi reliquum uitæ transegit, ex morbo pristinæ ualetudini restitutus. Imperauit autem annos duos, menses treis. Cuspinianus.

ARDOINVS Eporediæ Marchio, Italiæ rex post Othonem III. à factiosis creatus, ab Henrico II. Germanorum rege uictus, præ nimio animi dolore regno se abdicauit, atque ultrò in monasterium Fructeriæ in agro Taurinatium abdidit. Sigonius lib.8.regni Ital.

TRVSIANVS Florentinus, Thaddæi Florentini discipulus, cùm uideret infeliciratem suam in medica praxi, Carthusiensis monachus factus, in Artem medicinalẽ Galeni plusquam commentum edidit.

Ineptiæ.

NICEPHORVS Botoniates cognomento, qui originem à Nicephoro Phoca Imp. ducebat, cùm se Reipublicæ planè inutilem esse uideret, in cœnobium ingrediẽs, monachum egit. Volat. lib.23. Anthrop.

BAMBA Gothorum rex in Hispania, belli pacisq; artibus clarus, postquam XVII Toletanum concilium celebrasset, ab æmulis medicata potione accepta memoriam amisit, regnoq; administrando inutilis effectus, se monasticæ uitæ in cœnobio Pampligensi addixit, in quo uixit annos septẽ, cùm prius octo regnasset. Io. Magnus lib.16.cap.22.

Liberorum amissionis.

SELIGERVS Baro à Vuolhusen, liberis in lacu quodam submersis, in cœnobium quoddam Eremitarum secessit. Vxor eius Hedwigis in Tiguinum, à Dominabus denominatum. Bruschius de Monasteriis Germaniæ.

☞ PROFESSIO, MONACHI QVI QVO TEMPORE FLORVERINT.

NEPOTIANVS monachus & presbyter, militiam iuuenis exercuit. Inde quicquid habuit peculij pauperib. erogauit, una & altera uili ueste solùm sibi reseruata: atq; auunculo suo Heliodoro episcopo aliquandiu adhæsit, ab eoque in diuinis

diuinis literis institutus est. Relicto clericatus ordine, domum se contulit, & monasticen profiteb[illegible] exercitiis, orando, uigilando, meditationi[illegible] scripturarum & Doctorum: in quarum cognitione [illegible] euasit excellens, ut in disputationibus & familiaribus alioqui colloquiis, si quid in medium productum fuisset, statim digno sercetiatq; Tertulliani esse illud, Cypriani istud, hoc Lactantij, illud Hilarij, Manutij, Felicis aliud, hoc Victorini, illud Hieronymi esse diceret. Lectione deniq; assidua & meditatione diuturna pectus suum, sicut Hieronymus ait, Bibliothecam effecit Christi. Extinctus tandem febri est: sed hilari semper uultu, adeò ut & auunculum Heliodorum mœstum sæpe consolatus sit: & plorantibus illis qui ad se uisendum uenerant, solus ipse riserit. Hieronymus in Epitaphio eius.

EVTHYMIVS celebris monachus, in Palæstina, sub Theodosio iuniore, Eudociam Imperatricem ab Eutychiana hæresi liberauit. Nicephorus lib.14.cap.52.

THEODORVS abbas in loco Palæstinæ, Cellas dicto, à Nitriæ quidem monasteriis quinq; millium distante, à Scythię uerò deserti solitudine octoginta millium, summa uitæ sanctimonia, nec minori Scripturarum notitia prædituS. Attribuunt ei quòd docuerit: Monachum in Scripturarum cognitionem peruenirẽ anhelantem, nõ opus habere ut multum laboris impendat legendis commentariorum libris: sed hoc potissimum ipsum omni industria conari oportere, ut animum à uitiis habeat quã purgatissimum. Hinc mox futurum, ut mentis oculi iam per sese ceu naturaliter Scripturarum sacramenta percipiant, sublato affectionum uelamento. Cassianus.

ISIDORVS Pelusiota monachus in Pelusio monte præfuit, sub posteriore Theodosio, Chrysostomi olim discipulus, uitæ monasticæ idea: decem propè Epistolarum chiliades scripsit, in quibus Scripturam explicat. Chrysostomi contra Theophilum & Cyrillum Alexandrinos episcopos acerrimus fuit defensor. Nicephorus lib.14.cap.53.

SERENVM Abbatem continentiæ & castitatis donum precibus impetrasse scribit Cassianus. Nam nocturna aliquando uisione angelum aperta sibi aluo, ignitam carnis pottiunculam uisceribus euulsam, quam strumam ipse appellat, eximisse: atque inde factum, ut deinceps ne minimas quidam titillationes carnis senserit.

TELEMACHVS, seu (ut Otho Frisingensis lib.4.cap.19.) Dirimachus, dum ex oriente Romam uenisset, & monomachias gladiatorum cruentas magno multitudinis applausu spectari uidisset, indignum arbitratus, homines Christianæ pietati deditos eiusmodi cruentis spectaculis delectari, descendit in arenam nomine pacificatoris, uolens doctrina & salutaribus monitis intercipere pugnam, de uita inter sese decertantium. Sed ob hoc pietatis officium eam reportauit mercedem, ut à turba furiosorum hominum lapidibus obrueretur. Honorius eum inter martyres retulit. Theodoretus lib.5.cap.15. Nicephorus lib.13.cap.1.

EVTYCHIANVS monachus in Bithynia circa Olympum, religione Nouatianus, clarus miraculis & dono medendi: carus inprimis Constantino Magno. Sozom. lib.1.cap.14.

Circa montem Nisibi uicinum Sigoron in Syria monachi Greges sunt appellati, quòd herbis tumentorum instar uictitarent. Ex eorum numero fuit BARGES, item HELIODORVS, qui ieiunia per septimanam continuare, & noctes multas insomnes ducere poterat. Sozom. lib.6.cap.35.

VITVS monachus & episcopus ecclesiæ Carris, quem cùm Constantinus Imp. audisset, frequenter eum sibi in uisionibus apparuisse dixit, & ut eius dictis obsequeretur commonitum esse. Sozomenus libro 6. capite 33. At Nicephorus libro 11. capite 40. Vito Constantinum in quiete sæpe apparuisse scribit, & propterea Vitum Constantini iussa obseruari præcepisse.

BARSES Syrus monachus & episcopus, in suo monasterio morbos sola oratione curauit. Ea propter à Valente Imp. in exilium relegatus est. Theodoretus lib.4.cap.16.

ISAAC monachus, uel Iscalitus uel Isacius in tugurio circa Constantinopolim habitans, Valenti Ariano contra Scythas expeditionem parranti cladem prædixit, propterea quòd Deo bellum indixisset, & orthodoxos episcopos in exilium relegasset. Valens ad reditum usque suum eum in custodia asseruari iussit: uerùm à barbaris uictus, in casa uinus exustus est, Isaaco in carcere exclamante, Iamiam incendio perire Valentem. Zonaras. Theodoretus libro 4. capite 34. Sozom. lib.6.cap.4.

BATTHÆVS monachus Cælosyriæ, tantæ abstinentiæ, tãq; frequenter ieiunans, ut ex eius dentibus uermiculi scaturierint. Sozom. lib.6.cap.34.

Sozomenus ALAM, Nicephorus HALLAM, monachum Syrum quendam nominat tantæ abstinentiæ, ut per annos septuaginta panem prorsus nõ attigerit. Sozomen. lib.6.cap. 34. Niceph. lib.11.cap.40.

ACEPSEMAS in solitudine Cyri urbis monasticen exercuit, usus eiusmodi disciplina, ut ad annos sexaginta in conclaui abditus lateret, cum nemine colloquens, neque alicui se conspiciendum offerens. Theodoretus lib.4.cap.28.

Regionem Aegypti quandam Achorim Sozomenus libro 6. cap.28. nominat frequẽtem monasteriis, in qua APELLEM monachum uixisse scribit, miraculis clarum. Oblatum ei noctu dæmonem scribit mulieris ornatæ specie, à quo tentari se de castitate cùm animaduerteret, ferrum candens quod in manibus exercebat, in faciem eius illisit: adeò ut uulnere ex ictu stridẽte lamẽtabundus dæmon abscesserit.

SERAPION Magnus à Sozomeno dictus, Macariis & Antonio contemporaneus, circa Arsenoitem in Aegypto uixit: habuit sub se monachorum circiter decem millia, propriis manibus uictum sibi comparantiũ. Nihil præter tunicam & pallium, & Euangeliorum librum possedit. Duobus pauperibus obuiam factus, alteri pallium, alteri tunicam dedit. & cùm nudus sederet, interrogatus, Quis eum spoliasset? protento codice quem manu tenebat: Hic, inquit. Ierunt alios mendicantes conspicatus, etiam codicem uendidit, & uenditi precium illis distribuit, dicens, A Domino præceptũ esse, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdum se istud implesse putabat, donec semetipsum quibusdã gerulibus uendidit: ita tamen, ut ipsos Domino lucraretur. Cumq; eos ad Christum conuertisset, pecunia, quam acceperat, se redemit. Palladius & Sozomenus lib.3.cap.14.

PAMBO, uel Pambus discipulus Antonij, cum cæteris monachis Aegyptiis Nicænam fidem constanter profitentibus, in persecutione, quam Lucius Alexandrinus episcopus Arianus exercuit sub Valente, missus in exilium, inde paulò post reuocatus fuit. Socrates narrat ad professionem monasticam illiteratum accessisse: & à quodam dictationem Psalmi alicuius petiisse, qui ei Psalmum 38. proposuerit. Ex quo percepto primo uersu, Dixi custodiam uias meas, ne peccẽ in lingua mea: Pambus statim adiecit, satis se habere inquiens, quod exerceret. Rogatus uerò aliquando, utrùm rebus ipsis uersum eum adimplesset? respondit, sibi per annos totos decem & nouem negotium fuisse in accommodando ad opus eo uersu. Præter Socratem uerò, Pambi meminit Ruffinus lib.2.cap.4. & 8. Sozomenus lib.3.cap.14. & lib.6. cap.20. Cùm animam ageret, confessus est, quòd ab ea die, quo solitudinem ingressus fuerat, panem non gustasset, neque quicquam cuius ipsum pœniteret prolocutus fuisset: & se tamen sic è uita discedere, tanquam qui modò cœpisset, non tanquam qui profecisset. Marulus lib.4.cap.2.

BENIAMIN monasticen in Scethi professus est, ad extremã usque senectutem, & clarus fuit dono medicandi: quo absque ullis medicamentis, contactu solo interdùm, nonnunquam olei inunctione, additis precibus, quouis laborantes morbo liberauit. Ipse uerò aqua intercute contracta, ægrotantes nihilominus curauit: morbum interea suum adeò non ferens molestè, ut se uisentes consolatus sit, ab iisq; petierit, ut pro anima sua Deum precarentur: de corpore suo subinde hoc dictitans, Non profuisse scilicet sibi dum sanum esset, neque nocuisse posteaquam morbo conflictari cœpisset. Sedit autem hydropicus in ampla quadam sella, quoniam decumbere in lecto non posset. Mortuus in tãtum intumuit, ut foribus domicilij sui efferri, nisi postibus unà cum foribus ablatis, nequiuerit. Sozom. lib.6.cap.29. Ruffinus lib.2. cap.8. Beniaminum inter monachos Nitriæ numerat sub Valentiniano.

Quatuor monachi fratres à temporibus Arcadij & Honorij Imp. fuerunt in partibus Aegypti, in Scethi qui ob corporis proceritatem LONGI dicti fuerunt: AMMONIVS, DIOSCORVS, EVSEBIVS, & EVTHYMVS, uita & doctrina celebres: inter quos Ammonius præcipuus fuit, qui ad ecclesiasticam dignitatem uocatus, auriculam sibi præsecidit & nisi urgere desisterent, etiam linguam sibi amputaturum minatus est. Dioscorus inuitus Hermopoleos episcopus à Theophilo episcopo Alexandrino constituitur: qui tamen mox in solitudinem rediit. Anthropomorphitis acriter restiterũt, & Epiphanio Cypri episcopo, qui Origenis scripta damnabat, in synodo Constantinopolitana iepugnarunt. Theophilum episcopum propter auaritiam & simoniam reprehendebant. Id ægrè ferẽs Theophilus, cùm prius summus eorum amicus esset, Anthropomorphitas monachos contra eos instruit, quòd Origenistæ essent, & Deum humana habere membra negarent: quum tamẽ Theophilus ipse non multo antè Anthropomorphitas condemnasset. Monachi ergo (qui maiori ex parte idiotæ erant) exciti, montẽ Nitriæ obsident, monasteria occupant, & incendũt. Fratres Longi in puteo necem effugere. Abeunt inde Constantinopolim ad Io. Chrysostomum episcopum, Theophilum in synodo accusaturi. Verùm antequam synodus cogeretur, Dioscorus Constantinopoli obiit: Ammonius uerò in Quercu suburbio Chalcedonis, ubi synodus coacta erat, Nice-

phorus lib.13.cap.10. Sozomen.lib.6.cap.30. ait Ammoniũ à iuuentute usque ad extremum uitæ præter panem nihil quod igne fuisset coctum degustasse.

BENVS præfuit in Aegypto monasticis ordinibus, celebris donó prophetiæ, qui nunquam à quo quam usus est irasci, iurare, mentiri, animóue deiici. Sozom.lib.6.cap.28.

COPREN monachum Aegypti Sozomenus habet lib.6. ca. 28. cũmq; dono curandi ægritudines quascunq;, dæmonibusq; imperandi, excelluisse refert.

HELLES monachus in Aegypto ignem in sinu, uestimento illæso, gestauit. Sozom.lib.6.cap.28.

EVLAGIVS presbyter & monachus Aegyptius, doni illud habuit, quód ad sacra mysteria accedentium cogitationes nouerat, eorumq; delicta redarguere & reprehendere poterat. Sozomenus lib.6.cap.28.

Monachũ ISIDORVM Ruffinus in Scethi habitasse retulit. Sozomenus patrem eum fuisse ait & præsidem monastici cuiusdam cœtus. Socrates libro 4.capite 23. scribit, iactasse cum habere se quadraginta annos, in quibus peccatum quidem mente senserit, nunquam uerò nec concupiscentiæ nec iræ consenserit.

MARCVS monachus est Sozomeno in Scethi celebris, ab adolescentia placidus, prudens, & sacrarum scripturarum peritus, Deoque carus, & Macario familiaris: qui de eo retulit, nunquam scilicet eum à se presbytero panem aut calicem Domini ad mensam sacram accepisse: sed ab angelo, cuius se manum ad iuncturam usq; conspicere Marcus dixerit. Sozomenus lib.6.cap.29.

Celebris fuit inter monachos ad Mareoten & in finibus Libyæ philosophantes, DOROTHEVS, patria Thebanus: cuius exercitia aspera multa Sozomenus exposuit. Quòd diem scilicet insumserit opera construendi ex lapidibus, quos à mari proximo asportaret, tugurióla: quæ illis habitanda concederet, qui ædificare ipsi non possent: noctu uerò occupatus fuerit contexendis ex palmarum foliis sportulis, ex quibus uictum sibi compararit. Quòd cibi quotidianum demensum sibi fuerint, panis sex unciæ, cum minutorum olerum manipulo: potus uerò aqua. Quòd per omnem uitam suam nunquam in strato, aut lecto, pedibus extensis dormierit: quodque ad hunc modum, quamobrem corpus suum affligeret, & enecaret, cuidam aliquando interroganti responderit: Quoniam me enecat. Sozomenus libro 6.capite 29.

Sub Anastasio claruit EGESIPPVS, qui suis scripris plurimum Ecclesiam Dei iuuit: & monachorum regulas compo fuit. Eleganti stylo etiam uitam Seuerini abbatis pertexuit, ut refert Platina.

DOROTHEVS inter duo millia uirorum, qui apud Alexandriam & circa Maræotim degebant, maximè effulsit. Ex uicino mari lapides interdiu colligebat, & casam construebat singulis, quam monachis, qui ædificare non poterant, concedebat. Noctu ex palmarum uirgultis corbes conficiebat, & uigiliis sese penitus macerabat, nec in lecto quiescebat. Sub Anastasio uixit. Maximis laboribus fatigatus, quasi ex improuiso interdum à somno opprimebatur: præ somni etiam uiolentia cibus sæpè ei ore excidebat. Cùm ab amico interpellaretur, ne [illegible] bellum cum corpore gereret, & id adeò affligeret: respondit, Quare me id occidere conatur? Niceph.lib.11.cap.35. & Sozom.lib.6.cap.29.

MAXIMIANVS abbas monasterij, in quo Magnus Gregorius ante pontificatum uixit, postea episcopus Syracusanus: aliquando in mari Adriatico nauigans, naui ad supremas usq; tabulas undis repleta, post octauum demum diem incolumis cum suis omnibus ad Crotonensis castri portum peruenit: & mox nauicula sola aquarum mole demersa est. Gregorius in Euangelia homilia 35.

THEODOSIVS abbas S.Martini in Campania, cùm Anastasius Imp. cõtra Heliam episcopum Hierosolymitanum propter approbationem synodi Chalcedonensis synodum cõgregaret, & Sotericus & Philoxenus Theodosium in suam sententiam pertrahere conarentur: Theodosius monachis omnibus conuocatis, ascenso suggestu, manu silentium indicens, alta uoce pronunciauit: Si quis quatuor synodos, quatuor Euangeliis non exæquat, anathema sit. Mox Imperatori quoque sententiam suam perscripsit: & propterea in exilium actus est. Niceph.lib.16.cap.33.

CASSIODORVS Rauennas, nobili genere natus, Theodorico regi Gothorum propter excellentem eruditionẽ præceptor datus est in philosophia: mox cancellarius, senator, sacri palatij quæstor, consul ordinatius, officiorum magister, & quod summę dignitatis erat, patricius Romanus creatus est. Verùm Gothicã crudelitatẽ [illegible]tus, monachus & abbas monasterij Rauennatis factus, multos libros scripsit.

BENEDICTVS ex Nursia prouincia oriũdus, Romæ studiis operam dedit. Sed illic relictis parentibus ad Sublacum fugit, & ibi in spelunca quadam mansit per tres annos. Inde uocatus ad uicini cœnobij præfecturam, cùm monachos [illegible] nimis seuera disciplina coerceret, & ue[illegible] esset, relicta abbatia in speluncam suã redi[illegible] ibi cepisset inclarescere, 12. monasteria cõstruxit, quorũ singulis unum ex 12. suis discipulis præfecit, tãta fœcunditate, ut pater Occidentalium monachorum usque ad tempora Mendicantium dictus sit, anno 530. Ex eius familia prodierunt 24. Romani pont. cardinales 200. archiepiscopi 1600. episcopi 4000. abbates eruditione & scriptis celebres 15700. teste Ioanne Trithemio, & Sabell. Ennead. 8.lib.2. Pulsus inde insidiis Florentij presbyteri, hominis nequissimi, in montem ubi arx Cassina fuit peruenit: & ibi templum Apollinis in cœnobium conuertit. Multis claruit miraculis: prædixit Totilæ regi futura. Die ante mortem sexto sepulcrum aperiri iussit, & febre correptus ægrotare cœpit. Sexto die sumto sacramento, sublatis in cœlum manibus, expirauit, in uigilia Paschatis, 12. Calend. Aprilis; anno Mauricij Imp. ultimo, Christi 601. ætatis suæ plus minus 90. Sigebert. & Gregorius lib.2. Dialog. cap.32.

PLACIDVS Romanus, Benedicti discipulus, miraculis insignis, cùm in Sicilia monasterium in honorem S. Ioannis Baptistæ patris sumtibus erexisset, & ad eum uisendum fratres & soror uenissent, Mamucha dux Saracenorum eos cõprehensos Christum abnegare, & suum regem Abdelam pro deo colere iussit. Quod cùm illi constanter negarent, martyrium subierunt apud Messanam, 3. nonas Octobris, cùm Placidus 26. annorum esset.

LIBERTINVS tempore Totilæ regis Gothorum Fundensis monasterij præpositus. Cùm iter faceret, equo deiectus est ab equitibus Totilæ: quibus & flagellum, quo equum regerent, adiecit. Mox Deum orauit, ut auctores puniret. A' quo cùm exauditus esset, nequiuit exercitus Totilę fluuium Vulturnum transire, etiamsi equos calcaribus multum urgeret ac fatigaret. Existimantes igitur iniuriam Libertino illatam causam remoræ esse, equum ei restituerunt. Quo facto, sine impedimento abierunt. Gregor. lib.1. Dialog.

NONNOSVS præpositus cœnobio in Soractis monte oratione rupem loco mouit, & lampadis inter eluendum fractæ frusta integritati restituit. Gregor. lib.1. Dialog. cap.6.

APOLLO abbas (ut Cassianus refert) cùm à fratre seculari euocaretur, ut sibi auxilio ueniret, quòd ipse bouem, quipedibus alto cœno immersis hæserat, euellere solus nõ posset: & nisi protinus euelleretur, ibidem eum amissurus erat. Cur, inquit, alterius fratris domum tibi proximiorẽ præteriens, huc me rogatum uenisti? Quumq; ille responderet, an nos iam XV esse, ex quo alter frater diem suum obiisset. Et mihi, inquit, XX iã anni sunt, ex quo mortuus mundo sum. Tantum aũt temporis exegerat in religione. Itaq; nihil mũdanum ad se pertinere arbitratus, egredi de cella noluit, ne rogatus quidem, & rogatus à fratre, atq; in tam præsenti talis iacturæ eius periculo. Marul. lib.4 cap.3.

CLAVDEVS abbas Rauennæ Gregorium Magnum Pp. Cantica canticorum, Prophetas, libros Regum, & alia enarrantem audiens, cùm ea Gregorius propter infirmitatem non posset scripto tradere, ipse suo stilo contexuit, ne obliuione deperirent, & postea Gregorio emendanda e[illegible]buit. Gregorius Epistol. lib.10. cap.222. & lib.5. cap.124.

MAVRVS Romanus Benedicti discipulus, in Gallias missus fuit ad instituendos monachos, secundùm regulam Benedicti. Miraculo claruit, super aquas gradiendo, puero submerso opem laturus. Anno 73. moritur, & propè Lutetiam sepelitur. Gregorius lib.2. Dialogorum, cap.7. & Vincent. lib.21. cap.68. Iuo & Martinus Polonus.

MAXENTIVS abbas Pictauiensis, mortuum sanauit, cœnobium suum oratione contra uim hostilem defendit, & horam suæ mortis prædixit. Turonensis lib.2. cap.37. Vincentius lib.21 cap.22.

MARTIVS Aruerni territorij abbas, in sacris literis eruditissimus, dæmones uerbo Christi eiiciebat. Veneno infectos liberauit, febribus & hydrope laborantes sanauit. Victu tenui utebatur, ut ad orandum aptior esset. Nonagenarius obiit. Turonensis cap.14.

SENOCH Pictauiensis Abbas cùm propter donum miraculorum se efferret, à Gregorio Turonense admonitus est, ne de alienis bonis gloriaretur ac superbiret. A' Deo enim collata esse, qui & dare & auferre ea posset. Hac salutari admonitione humiliatus, suam imbecillitatem agnouit: & illud Pauli (Qui gloriatur, in Domino glorietur) sæpè repetiit. Pecuniam enim quam fideles ei dabant, in pauperum conuertebat usum. Seruos ducentos circiter, pecunia dominis data in libertatem asseruit. Obæratos à creditoribus redemit. Victus ei erat panis hordeaceus, & aqua, ut ad pretandum promtior esset. Frigoris patiens, hyeme nudis pedibus incedebat. Febre correptus obiit. Turonensis capite 15. de gloria Confessorum.

VVLSILAICVS Longobardus Treuerenses Dianã colẽtes conuertit: eoq; loco columnam erexit, supra quam habitauit. Sed ab episcopis uicinis admonitus, ut [illegible]na ad fratres suos transiret, paruit. Illi columnam demoliti sunt. Turonensis lib.8. cap.15.

EQVITIVS in Valeriæ prouinciæ partibus, multorum cœnobiorum abbas, inter cætera miracula puellam obsessam à diabolo liberauit. Gregorius Papa lib.1. Dialog.

MARTINVS Dumiensis monasterij abbas, ex Oriente in Galliam nauigauit, & Sueuos Arriana hæresi infectos ad ueram fidem conuertit, eorumq; ecclesias fideliter erudiuit. Scripsit quædam. Isidorus de Viris illustribus, capite uigesimosecundo, & Honorius Augusto dunensis.

LVPICINVS mortuis parentibus in eremum cõcessit: & postea cœnobiũ in ducatu Burgundiensi extruxit, quod Condatisone uocitatum est. Deinde confluente multitudine, & hunc locum mutauit, & aliud monasterium ædificauit. Postremò & tertium extruere coactus est, in quibus singulis abbatem egit. Cùm monachos deprehenderet cibis lautioribus quàm cõueniebat uti: pisces, olera & legumina in una olla coxit, & huiusmodi pultibus monachos ali iussit. Hoc indignè ferentes, duodecim consilio inito aufugerũt. Accessit porrò Lupicinus Chilpericum Burgundiæ regem, [illegible] hostili[illegible] annis trecẽtos tritici modios, totidẽq; uini uasa, centum horeos ad comparandas [illegible] [illegible]m, cap.1.

ROMANVS cum Lupicino uixit, [illegible] solos quos ad in nosocomio oratione sanauit. Duodecim monachos, quos Lupicinus sua grauitate abegerat, orationẽ ad pietatem reuocauit. Turonensis in Vitis patrum cap.1.

ETHBINVS Britannus usq; ad annum decimum quintum in philosophia institutus est. Deinde patre mortuo, mater eũ ad Samsonem episcopum deduxit, qui eum in clericorum ordinem asciuit. Claudum sanauit, & paralyticum sanitati restituit. Vincentius lib.21. cap.115. Cùm audisset hæc Christi uerba, Qui nõ renunciauerit omnibus quę possidet, omnia relinquens, ad Similianum abbatem se contulit, ac monachus in Cauraco monasterio factus est. Francis deinde Britanniam uastantibus, in Hiberniam transiit: ac in silua Nisensi cœnobium extruxit, in quo annos uiginti uixit.

MERLINVS Caledonius, à sylua Caledonia dictus (aliàs Sylueстrius, quòd deserta loca petebat) ex Scotiæ terminis oriundus Telliesini uatis auditor, Anglicas & Gallicas regiones peragrauit. In physicis, præcipuè in matheſi, eruditissimus. Multa scripsit. Inter cœnobitas in Bardescia Venedotarum insula tertiæ mandatus est, cùm tamen nõ fuisset monachus. Balæus.

GILDAS Badonicus, cognomine Sapiens, in Bannochorensi monasterio monachus factus, totum se studio theologico dedit. Doctrina plus ualebat, quàm dicendi facultate, Britannorum peccata, quibus Deum ad iram prouocabant, & pœnas per Anglosaxones ipsis inferendas subinde deplorabat. Libros multos scripsit. Episcopos, monachos & clericos, principes quinctiam auctores & antesignanos flagitiorũ uocabat, & cùm uideret ipsos se opponere Deo, grauissimis sacræ Scripturæ testimoniis eos refutabat. Postremò nonagenarius, Bannochori in sata cõcessit. Io. Balæus.

CÕGELLVS Bannochorẽsis Britannus, nobile collegium philosophorum Christianorum Bannochorense, quod circiter 350. annos floruerat, in monasterium Apostolici ordinis mutauit: & circa annum 530. primus eius monasterij abbas factus est: Quod D. Bernardus caput præcipuorum monasteriorum in Europa appellare non ueretur. Balæus.

FRIDOLINI, SEVERINI, IOANNIS Cattiani, LVPI, MARTINI, REMIGII, GERMANI uitas, pete ex Tit. Doctorum Ecclesiasticorum.

COLVMBANVS Scotus nobili genere natus, Druydumque magister & princeps, in Bannochorẽsi collegio à Congello abbate institutus, in Burgundia postea Luxouiense monasterium condidit. Cùm Theoderici regis Austrasiorũ stupra liberiùs reprehendisset, suasu Brunechildis in exilii pulsus fuit. Brunechildi atq; Theoderico exitium, Clothario regnum prædixit. Mortuus est in Italia anno 598. in Bobiensi monasterio, quod condiderat. Beda in eius uita. Trithemius. Cùm prope Galliam uicinos Sueuos numini suo Nudano (quem alij Mercurium appellant) uas capacissimũ cereuisia plenum superstitiosè immolaturos conspexisset, uas sui anhelitus potentia inflatum confregit: & cereuisiæ liquore inde effuso, plurimos ab Ethnicarum opinionum erroribus ad Christi fidẽ conuertit. Vincentius lib.22. cap.7.

ATTALA Burgundus, nobili familia natus, ad Lirinense cœnobiũ uenit, ibiq; aliquandiu moratus, ad Columbanum Luxouium abiit: & adeò in monasticis disciplinis profecit, ut Columbano discedente constitutus sit abbas. In eo autem munere cùm nimis rigidum sese præberet, monachi ab eo discedunt. Sed paulo post Roccoleno febre punito, pleriq; ad eum reuertuntur, & pœnitentiam agunt. Commemorantur aliquot eius miracula, Tomo tertio Bedæ: quòd undas Bobij fluminis repressérit, & pollicem resectum agglutinarit, & Mediolani puerum uicinum morti sanauit, & quod paulò ante mortem cœlos apertos uiderit. In eius monasterio Beda nouem annos egit.

EVSTASIVS Columbani discipulus, abbas Luxouiensis, Variscos & Boios partim idololatria, partim Photini hæresi fascinatos conuertit. Celebrem scholam habuit in suo monasterio, ex qua docti uiri prodierunt, Chagnoaldus Lugdunensis, Acharius Viromanduorum, & Audemarus Bononiæ episcopi. Certamen ei fuit de regula Columbani, & ceremoniis nouis Benedictinorum, cum Agrestino Aquileiensi episcopo, & Apillino Genuensi, ac conuocata est Synodus à Lothario in Matisconẽsi urbe, ad quam multi Burgundię episcopi uenerunt. Reprehendit autem Agrestinus, quòd monachi Eustasij cochleam lambentes, signo crucis signarent, & introeuntibus & exeuntibus ex cœnobio benedicerent, & Missarum solennia multiplicata oratione collectarum celebrarent, & quòd capitis comam præciderent. Sed Eustasius, ad iudicium Domini intra annum Agrestinũ inuitat. Patres stupidi hortantur utrosq; ad concordiam. Cùm tandem in morbum incidisset, in uisione ab eo quæritur, Num uelit leuiori pœna dies 40. curari, an uerò triginta dies feruentiori incendio affligi? Ille elegit dies triginta. Quibus euolutis, sumto uiatico obiit. Libet de uita eius, Tomo tertio Bedæ: Iacobus Meier in Chronico Flandriæ: Vincentius lib.23. cap.15.

MARTYRIVS monachus in Lycaonia, sub Tiberio, ex suo monasterio uisitationis gratia ad aliud exspaciatus, inuenit inter eundum leprosum quendam, quem densis uulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat. Eum ex commiseratione humeris leuauit, ac secũ detulit. Cumq; ad monasterium uenisset, spiritualis pater eius monasterij magna uoce clamare cœpit: Aperite portas, qa frater Martyrius uenit, Dominum secum portans. Inde statim leprosus ille de collo eius deliliens, in specie ea apparuit qua recognosci solet ab hominibus redemtor generis humani Christus. Et paulo post ad cœlum Martyrio aspiciente sublatus est, subinde reclamans: Quoniam non eiubuisti Martyri, me ferre in terris, ego non erubescam te gestare ad cœlos. Interrogatus deinde Martyrius à spirituali illo patre, ubi reliquisset quem portarat? respondit, se nullum pondus sensisse inter eundum, quod gestaret. Ex Epiphanio diacono Romano Gregorius super Euangelia, homilia 39.

PHILIBERTVS uixit apud Dagobertum regem inter nobiles illustri loco. Postea factus est monachus in Resbacensi monasterio. Agilone mortuo, extitit abbas. Extruxit monasterium in pago Gemetico, prope Rothomagum. Febricitantem sanauit uerbo: muto restituit uocem in agone, ut posset peccata confiteri: sedauit tempestates. Vasculum uini exhaustum, benedictione sua rursus impleuit. Vincentius lib.23. cap.94. & 95.

GALLVS Anglus, cum Columbano præceptore in Galliam profectus, tandem ad Theodebertum, ad Brigantinum lacum, in loco Tuconia dicto, idola exussit. Inde pulsus, Arbonam uenit. Columbano in Italiam proficiscente, ipse in Sueuia mansit. Gunzonus Sueuorum princeps, idololatra, eum terra sua excedere imperat: sed mox filia eius Fridberga à dæmonio correpta, eam sanauit. Apud Helueticos postea monasterium condidit, quod in urbem S. Galli excreuit. Annorum 95. febre obiit, anno 640. in castro Burguinio sepultus. Adeò pię uixit, ut etiamnum uiuens Sancti cognomen meruerit, teste Platina. Volater. lib.16. Petrus de Natalibus lib.9 cap.72.

IOANNES Damascenus (quem Chrysaorãm Paulus Diaconus uocat, & alij per ignominiam Manzurem) patre ortus prætore Damasci sub Saracenis, Christianorum patrono, & ab eodem Cosmæ monacho, quem à Saracenis redemerat, traditus eruiendus, sub quo philosophiam & religionem hausit. Constantinopolim uenit: sed inuidia expulsus, Damascum redi[illegible] [illegible] Patre mortuo, à Saracenis prætor designatus, Leonis Imperatoris falsis criminationibus, proditionis accusatus, (confinxerat enim Leo literas, quibus se Græcis urbem traditurum polliceretur) brachio siue digito à Saracenis mutilatus,

tulatus, à Maria Deipara sanitati restitutus dicitur. Imaginũ contra iconomachos defensor summus: & propterea in Constantinopolitana synodo excommunicatus fuit. In monasterium Sabæ se cum Cosma abdidit, & postea presbyter ab Hierosolymorum patriarcha ordinatus, bona sua pauperibus distribuit. Floruit anno 730. sub Leone & Constantino Copronymo imaginum hostibus.

STEPHANVS Megapolitanus, Auxensis abbas in Thracia, cùm in Constantinum Copronymum Imperatorem acerbè inuehereretur, & multos aulicorum ad uitam monasticã traduceret, 60. annos natus, ab Imper. interficitur, anno Christi 770. Constantini 25. Paulus Diaconus lib. 22. rerum Romanarum. Sigebertus, Zonaras.

OVO puer suspensus, Vulfranni precibus incolumis euasit, & baptizatus, & presbyter ordinatus à Rhotomagensi episcopo, multos codices monasterio Fontanellæ transcripsit. Vincentius libro 23. capite centesimo quadragesimo quinto. Erford. lib. 2. cap. 66.

ISVARDVS Gallus, ordinis D. Benedicti, iussu Caroli Magni scripsit Martyrologium, post Eusebium, Hieronymum & Bedam, anno 770.

AEGIDIVS Athenienſis uenit in Galliam anno 715. sub Theodosio, & in eremum secessit: ubi à Carolo Martello cerua eius persequente inuentus, Carolo persuasit ut ad Nemausensem urbem monasterium conderet, cui Aegidium præfecit. Cùm pro Caroli Martelli occulto delicto Dominum oraret, scheda in altari fuit reperta: delicti expressè mentionem faciens, idq; condonatum illi esse indicans. Vulneratus à uenatore sagitta, noluit uulnus sanari, ut assiduo dolore exerceretur. Medicinam professus est, & de Pulibus librũ unum, item de Venenis unum scripsit. Bergomensis lib. 10. & Vol. lib. 21. & Vincentius lib. 23

STVRMIVS comes & socius Bonifacij Germanorum apostoli, in Thuringia & Hassia prædicauit, & primus abbas Fuldensis anno 750. consecratus est. Quadringentos habuit monachos, & præsuit annos 29. Obiit anno 786.

OTHMARVS Germanus per Balchramium in cella Galli abbas constituitur, anno 720. Accusatus de adulterio, in insulam Rheni nomine Stein relegatur. Obiit ibi anno 760. Cadauer eius post annos decem incolume repertum in basilicam Galli relatum signa fecit, & inter alia quoq; lagæna æpius à monachis exhausta nunquam defecit. Aedituus in Chronico. Phrysingensis lib. 5. cap. 25.

BEDA Anglosaxo in pago Giruico natus humili genere, anno 602. uir doctissimus euasit, ita ut Gregorio Magno prælatus fuerit. Natus annos 19. diaconus, & 30. presbyter ordinatus est à Ioanne episcopo Eboracensi, in Cantia ciuitate. Monachi & scholastici doctoris munere functus est in Giruicensi & Vuermuthensi cœnobio sub Ceolfrido abbate & Huetberto. Discipulos habuit doctissimos, Albinum, Claudium, Ioannem, Rabanum. Futura prædixit, utputa Saracenorum irruptionem in Gallias & Hispanias, hoc uersu, Regna ruent Romæ ferro, flammaque fameque. Diem mortis septem hebdomadibus antè prædixit. Ob ieiunia & labores in asthma incidit, paulo ante Pascha anno 734. Die Ascensionis contra oratorium suum cilicio sabecto decumbens, oransque efflauit animam, ætatis suæ 72. Vincentius libro 23. capite 156.

THEODORVS Palæstinus è monasterio Sabæ à patriarcha Hierosolymitana missus, Leonem Imperatorem grauiter obiurgauit, quòd imaginum adorationem prohibuisset. asserens eam ob causam Saracenos potiri victoria aduersus Romanos. Sed cùm parum se proficere animaduerteret, anathemate Imperatorem ferit. Imper. cum unà cum fratre Theophane flagris cædi, & in exilium deportari iussit. Mortuo Leone reuersi Constantinopolim, à Michaele & postea Theophilo Impp. iterum affliguntur, propter defensionem imaginum, & in Aphusiam insulam deportantur. Sed inde reuocatis in faciem iambi inscribuntur, quibus falsæ doctrinæ insimulantur: & denuò Apameam Bithyniæ reducuntur, ubi in carcere Theodorus expirauit. Metaphrastes tomo 5. in eius uita.

PLATO abbas Sacundionis siue Saccidionis, cùm Tarasius episcopus Constantinopolitanus Constantinum Imp. qui in monacham attonsa coniuge Theodaten duxerat, ad cõmunionem recepisset, à Tarasij communione recessit, nec matrimonium, sed adulterium illud principis esse asseruit. In carcerem conicitur ab Imp. monachi eius Thessalonicam relegantur. Ab Irene, ne interficiatur, defenditur. Mortuo Barasio, cùm Imp. Nicephorum hominem laicum, amicum suum, ei substituisset, acriter restitit, & in carcerem [redacted] Rangabis imperium. Zonaras Tomo 3.

APOLLINARIS abbas Cassinensis XIIII. anno 818. Radelchi Campano comiti persuasit, ut in suo monasterio cathena cetuicetenus uinctus, eadem Grimoaldi expiare incipe-

ret: asserens, diabolum illi pœnitentiam tam asperam inuidere, [redacted] uociferari, Heu heu Benedicte, cur me ita persequeris? Non sufficit tibi, quòd hic me expulisti: quid & fideles meos tibi undiq; uendicare non desinis? Liuir fluuium, cùm naue careret, sicco pede transiit. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 21. in Chronico Cassinensi.

BASSACIVS decimusoctauus Cassinensis abbas, auxit bona sui cœnobij. Cùm à Saracenis imminere periculum monasterio eius, D. Benedictum inuocauit: & in somnis ab Apollinari abbate oraculum tulit, de Benedicti præsentia auxilio. Leo Hostiensis lib. 1. cap. 26. & 29. Ludouicum Imperatorem bis in Italiam euocauit, ut à Longobardorum Saracenorumq; iniuriis se & suos liberaret: circa annum 857.

HVGBALDVS Gallus, nepos & discipulus Milonis monachi ad S. Amandum in Eluonensi cœnobio Galliæ, regulam Benedicti induit, Scripsit 136. uersus, in quibus omnia uerba ab una litera incipiunt, de laude caluariæ, ad Carolum Caluum, & de Arte musica lib. 1. Gesta Lebuini lib. 1. Epistolarum lib. 1. Vitas sanctorum, & cantus in honorem eorum, dulci melodia composuit, circiter annum Domini 890. Trithemius. Sigebertus meminit eius anno Domini 879.

PASCHASIVS abbas Corbeiensis anno Christi 800. sub Carolo Caluo Imp. [redacted]

STRABVS Anglosaxo, Bedæ contanguineus, Albini & Rabani abbatis discipulus & notarius, in omni scientiarum genere excellens, tandem Augiensis abbas factus est, iuxta Hermannum Contractum. Scripsit in sacros libros plurimos, imitatus Bedam, Haymonem & Rabanum: sed breuius omnia tractauit. Primus cœpit Glossam ordinariam in sacra Biblia ex patrum commentariis conscribere, circiter annum Domini 840. Trithemius, Martinus Polonus.

RVTHARDVS auditor & discipulus Rabani & Strabi, monachus Hirsaugiensis, primus in cœnobio suo diuinas scripturas & seculares literas, more Fuldensium, legere cœpit. Ludouico Imp. ad Halberstadiensem episcopatum uocatus, respondit: Ego studium Scripturarum, omnibus diuitiis & honoribus mundi præfero. Mortuus est anno octingẽtesimo sexagesimo quinto. Trithem. in Chron. Hirsaug.

REGINBODO, Bagarus nobilis, canonicus Constantiensis, Hirsaugiam uenit, & habitum Benedicti induit, uacans orationi & lectioni Sacræ scripturæ. Mortuo Gerungo à monachis constituitur abbas. Liberalis in pauperes fuit, & ieiuniis sese macerans, suum demensum alis distribuit. Cùm nondum sex annis eo munere perfunctus esset, id resignauit, & reliquum tempus uitæ uigiliis, ieiuniis & aliis contritionis cordis exercitus consumsit. Interrogatus aliquando à fratribus, Quare sese adeo affligeret, qui tamen nullum enorme peccatum in religione commisisset? respondit, Etsi gratia Dei me protegẽte, ex eo die quo monachus factus sum, nullum enorme peccatum commisisse me memini, multa tamen in ea bonis operis exercitia omisi; ex eo maxime [redacted] Trithemius in Chron. Hirsaug.

A[illegible]APRIGIVS de Duro cœnobio abbas Campidanensis [redacted] egit insignem bibliothecam, quæ ex negligentia [redacted] lam accensa conflagrauit, [redacted] exutus est, anno Domini 817. Bruschius in Monasteriis.

CONRADVS Spanhemius nobilis de Kalbangusta, Adelberto abbati Campidonensi successit. Condidit plurima templa & sacella: & fodiens puteum, inuenit aream ferream nummismatibus auteis ac argenteis, ornamentisq; plenam. Obiit anno Domini 861. Bruschius.

EGINHARDVS Germanus, in aula Caroli Magni enutritus, Latinè & Græcè doctus, à secretis Imperatori aliquandiu fuit: cui ipse tandem, cùm uidisset eum noctu à filia sua in [redacted] uocentur, filiam suam tradidit uxorem. Mortuo Carolo [redacted] anno Domini 822. Ludouicus huic monasterio Seligstadi, supra Maguntiam condidit, & [redacted] batem constituit. Scripsit compendium Psalterij Gallicani, de uita Caroli lib. 1. & historiam de gestis Germanorum & Francorum lib. 1. circiter annum Domini 840.

OTFRIDVS natione Germanus, in Fuldensi cœnobio Rabanum audiuit: ac postea ad Vueissenburgense monasterium transiit. Exemplo Caroli Magni conatus est linguam Germanicam regulis Grammatices adstringere, & pedes numerosij in Germanicis uersibus obseruauit. Scripsit in Euangelium opus insigne, titulo Grammatheotistæ, libris quinque ab Eusebio Episcopo excusum. Spähemẽsis & Trith.

GRIMOBALDVS Sacellanus Imperatoris Ludouici, an. 841. Abbas

[redacted]

IOANNES Eriugena, natione Britannus, [redacted] ribus applicuit [redacted] natus, Athenas [redacted] literas didicit. [redacted] rat, inutile iudicans [redacted] Carolo Calo [redacted] bros de literarum Latinarum [redacted] LIX. In Geneuensi monasterio Britannię monachus factus. Ab Alfredo rege liberis [redacted] Oxoniensi Academia [redacted] gia & Philosophia [redacted] tistarum secta inter monachos [redacted] de secretis secretorum, seu recto [redacted] eo transtulit in Chaldaicam, Arabicam, & Latinam linguam. Tandem in cœnobio Malmesburiensi, quò recreationis gratia se contulerat, à quibusdam discipulis, quorum uitia taxauerat, inter legẽdum, monachorum impulsu, stylis interfectus est, anno Domini DCCCXXCIV, & in eodem cœnobio sepultus, cum epitaphio:

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Ioannes,
Qui dictatus erat iam uiuens dogmate mundo.
Martyrio tandem Christi consendere regnum
Promeruit. Sancti regnant per secula cuncti.

Guil. Malmesburiensis lib. 2. c. 16. Rainulphus lib. 5. c. 2. in Polychronico. Vincentius lib. 24. c. 47. ex Helmando. Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis. Erphordiensis. Platina. Robertus Gaguinus.

ROMOALDVS, patria Rauennas, in cœnobio Classensi, ubi monachum agebat, prima Camaldulensium religionis rudimenta inuenit. Inde Venetias se cõtulit, ibiq; multos sanctitate & seculi splendore uiros illustres in suam perduxit sententiam: inter quos fuẽre Petrus Vrsolus Venetiarum dux, Bonifacius & Tarianus Othoni Imperatori familiarissimi. Cæterùm condidit Romoaldus sui ordinis monachorum cœnobia in Piceno, Flaminia, Venetia, Histria: ac mira sermonis suauitate & sanctitatis opinione, hominum animos alliciebat, ut totum orbem suæ religioni addictũ reddere potuerit: ut Petrus Candianus (Sabellico teste) de eo scribit.

MAIOLVS Cluniacensis Abbas, morum grauitate & honestate, religionis pietatisq; monasticæ [redacted] omni literarum studio, nemine suo seculo inferior. Collapsam monachorum disciplinam in integrum restituit. Infirmis sanitatem, cæcis uisum dedit, dæmones eiecit: serpẽtum, canum ac luporum uenenato morsu uulneratos sanauit. Anno Salutis DCCCCXCV. rebus humanis exemtus est, cùm cœnobio præfuisset annis LVI. Antoninus tit. 15. c. 16.

ADELHARDVS Hirsaugiensis cœnobij monachus, religiosus & doctus, [redacted] dolore [redacted] sit. Ac post [redacted] annis [redacted] rebus su[redacted] fratribus [redacted] uitis [redacted] secura est, uiuus cœlestibus, ac [redacted] LXIV. [redacted] heu [redacted]

D[illegible] adduxit, sub quo rum [redacted] dere, & prouerbij occa[redacted] dere: Plerumque, cùm monachi peregrinantur. Cœnobium ille Breunouiam dictum ædificauit. Postea quam ille à Prutenis cæsus est, sex illorum ad Gaudentium Gnesuensem episcopum in Poloniam profecti, locum ab illo solitarium penetrant & imperarunt. In quo non minùs duram quam sanctam & miraculis quoque insignem uitam professi, Melchonem Poloniæ principem fama sui nominis excitauerunt. Is dissimulata persona abiens magnam illis pecuniæ uim frustra recusantibus reliquit. Quam cùm illi statim per Barnabam dispensatorem suum remisissent, latrones quidam spe prædæ eos adorti, erepti è faucibus boli dolore omnes occidẽre, solo Barnaba propter absentiam seruato, qui Gnesnæ tandem illis comes sepulcri additus est. Dubravius lib. 6.

ODILO equestri familia in Auernia oriundus ex Prusiacensi clerico monachus Cluniaci factus, post quadriennium à Maiolo defunctus successor. Sermonum uolumen edidit. Festi omnium animarum, primus inuentor scribitur apud Sigebertum. D. Virginis ope membrorum restitutione recuperauit. Vincentius Monasterio præfuit annos LIII. Obiit ætatis anno XXCVII. qui fuit Christi MXLIIX. Trithemius de Script. eccles.

LAMBERTVS patria Schafnaburgensis, abiecta rei familiaris cura, anno Salutis humanæ MLIIX. uestitum monachalem à Meginhero abbate Hirsfeldensi accepit. Eodem anno presbyter à Ludolpho archiepiscopo Moguntino ordinatus, inconsulto abbate suo peregrinationem ad Palæstinam suscepit: qua non sine magno periculo unius anni spacio confecta, Hirsfeldiam rediit: & à Meginhero gratulabundo exceptus, ac peccati, quod sine eius consensu profectus commisisse arbitrabatur, absolutus est. Zonaras de Germanorum gestis historia: itemq; rerum aliarum breuis annotatio, ab exordio mundi repetita, tanta diligẽtia, qualem Germanorum ad eam usq; ætatem historiorum aut ullum præstitit sub Henrico IV.

MEGINGERVS Hirsfeldensis abbas magnarum in Christo uirtutum, & uerè unicum sui ætate in Teutonicis regionibus rectè ac monasticè uiuendi exemplar, obiit anno MLIX. Schafnaburgensis.

Honesto loco natus, ingenio & pietate clarũ GEDERICVS, monachus Blandiniensis, Flandros & Brabãtinos à discordia, cædibus, rapinis ac latrociniis retraxit concionibus, quas passim habuit: ac sex milites ex latronũ cohorte conuersos, ad Annonem pontificem Agrippinatem pro criminum remissione misit. Iacobus Meierus.

HELIAS natione Scotus, Pantaleoni & Martino apud Coloniensis dicatorum monasteriorum simul abbas, cum à Pilgrino, monachis, quib. Heliæ seuertas exosa erat, instigantibus, premeretur, ac ut urbe unà cum suæ nationis monachis pelleretur parum abesset, dixisse fertur: Si Christus in nobis peregrinis est, nunquam uiuus ad Coloniam ueniat Pilgrinus: sicq; factum est, teste Mariano Scoto, sub annum MXXVI.

MARIANVS Scotus anno ætatis XXIV. monachum induit. Exinde quadriennio exacto, Coloniam commigrauit, ibique inter Martinianos fratres locum accepit, anno Christi ML. Post Fuldam se contulit: inde Salisburgum, ubi presbyterij gradu ornatus est. Fuldam egressus, decem ibidem commoratus est annos. Tandem Moguntiam, iuadente eius sedis archiepiscopo, uenit: utiple in sua testatur historia, quam à mundi exordio ad annum usque Christi MXXCIII, magno labore, optimoq; ordine breuissimè deduxit. Scripsit præterea Euangelistarum concordantiam, & de Computo libellum: ut Trithemius annotat. Hic & commentarium in Psalmos Dauidicos Auentinus addit. Moguntiæ uitam finiit, anno Domini MXXCVI: ut Dodechinus, qui appendicem ipsius historiæ attexuit, testatur.

Claruit sub annum Domini MXXIX. in Italia, GVIDO Aretinus, cœnobij de cruce S. Leufridi monachus, in Italia musicus excellens: qui de canendi arte insigne conscripsit opusculum, & Scalæ Musicalis auctor esse dicitur apud Sigebertum, & Vincentium lib. 23. cap. 14. & Albertus Crantzius in Metropoli libro 4. cap. 18. Eundem & contra Berengarium de corpore & sanguine Domini elegantem edidisse libum, Bergomensis annotat: quum sub annum MCCCCLI, ut Sigebertus annotat, Berengarius suum effuderit uitus.

Syracusis Siciliæ natus SIMEON, postquam Hierosolymam & montem Sinai inuisisset, Bethleem in B. Mariæ cœnobio monachus factus est. Inde Treuirum profectus, in occlusa turri, etiam in urbe eremitam egit. Hunc post obitum Benedictus Romanus diuorum catalogo inseruit. Sigebertus anno Domini MXVI.

Dominici pateri, hircinam pellem episcopo, cuius ministerio filius presbyterij sacris initiandus erat, donauerat. Quam simoniam latus DOMINICVS, pœnitentiæ loco monasti [redacted] multos uixit annos: atque ob sanctitatem habitus, quam [redacted] In [redacted] luctis præcinctus, duobus [redacted] [redacted] Iudem [redacted] reliquæ uestes [redacted] dies utique [redacted]

penitùs abstinuit, solo fœniculo cum pane uesci solitus est. Largissimas sæpius sibi lacrymas: silentium egit altissimum. Pœnitentiam centum annorum una compleuit hebdomade. Senex, uiribusq; destitutus, pluribus uinculis se cõstrinxit ferreis, abiectisq; scopis scutica usus est. Tandem stomachi & capitis doloribus obiit. Cadauer ipsius à commilitonibus, ne fortè à uicinis peruium auferretur, in cellula, qua obierat, terræ mandatur: quod nono pòst die integrum repertum, solenni more humatum est, præsente Petro Damiano, ut ipse in uita eius ad Alexandrum scribit.

ALBERICVS Hierosolymis leprosis inseruiens, ea quæ reliqua fecerãt leprosi, comedit, singulos quotidie exacta Missa exosculatus est, pedes eorũ lauit, tersit, strauit lectos, languentes humeris cubitum portauit. Cumq; uni aliquando pedes lauisset, & aqua sanguine & sanie mixta ipsi nauseã moueret, protinus faciem immersit, & partem non exiguã exhausit. Cella ipsi magis carcer uoluntarius fuit, quàm in qua uiuerent. Flagellis sese frequenter cæcidit, ita ut largus cruor distillaret. Orans uel humi stratus procubuit, uel in genua deuolutus, ita ut callos obducerent. Pane fuit contentus solo hordeaceo & aqua: cilicio asperrimo usus est, nudis incedẽs pedibus. Inæquali tonsura caput rasit & barbam [illegible] Si qui seculares cum accedebant [illegible] ut mordari diuaricare eos putarent, aut funerãt conterrãt. Gerardus à Nazareth cap. 11.

IOANNES monachus Hierosolymitanus, tribus uel hebdomadibus, omnino nihil cibi capiebat. Aliquandiu deserto montis Nigri monasterium incoluit, sed penuria panis Hierosolymam, unde ipse est, [illegible] Gerardus c. 4.

REINALDVS, natione Gallus, monachus montis Thabor, quotannis in initio Quadragesimæ solitudinem ad Iordanis ripam ingressus est, sumens secum panes paucos, & instrumentum effodiendis radicibus aptum, ibiq; cum fame decertauit, donec Pascha adueniret. Gerardus c. 5.

DOMINICVS idiota in ecclesia Nazarethana, tam tetricam & austeram uixit uitam, ut penè omnibus suo tempore admirationi esset. De crastino die nunquam fuit solicitus, tam macilentus, ut ossa uix ossibus hærerent. Risit nunquam, tacuit semper, ita ut mutum existimares. Domus eius attrita ecclesiæ fuit, stratum nuda tellus, ceruical lapis, pedes nudi, caput & facies uelata continuo. Ei cùm aliquando Gerardus à Nazareth suum offerret studium, uelle se cum literarum elementa docere & quosdam Psalmos, respuit omnino, dicens, se Deo placere magis posse iustè uiuẽdo, quàm tempus perdere inutiliter aliquid eius rei addiscendo. Gerardus à Nazareth cap. 6.

BARTHOLOMÆVS religionis studio uxorem & patriam deserens, Hierosolymam peregrinatus, ibi miles templi factus est. Is imitatus Albericum, leprosis ad Hierosolymam aquam ex lacunis magno labore adferebat, inq; omni necessitate prestò erat. Ieiuniis & uigiliis ad necem sæpè sese excarnificauit. Tandem & illud uitæ genus locumq; deserens, ad montem Antiochiæ, qui Niger dicitur, profectus, monasticum uitæ genus ibi suscepit. Idem cap. 12.

RADVLFVS laicus peregrinatus Hierosolymam, domũ rediturus à piratis captus, omnibus rebus spoliatus est. Reuersus itaq; ad terram sanctam, factus est opilio. Postea monasterio Carrariensi se mancipauit: inde iterum aufugiẽs, desertum repetiit. Omnibus is diebus ieiunauit, exceptis Dominicis & festis: ter pane & aqua in hebdomada fuit contentus. Oua & lac nunquam, pisces raro comedit. Nudus fuit pedes. Vt nunquam febribus careret, à Deo postulauerat, quod & impetrauit. Fatidicus propheta habebatur. Imperatore Constãtinopolitano obsidente Antiochiam, discessit Tripolim, ubi uitam finiuit anno MCXLII, recitando hunc uersiculum: Benedictus dominus Deus Israel, qui uisitauit & fecit redemtionem plebis suæ. Ad eius sepulcrũ postea multis donata sanitas dicitur. Ibidem cap. 36 & 37.

CYRILLVS natione Græcus, Carmelita, regi Armeniæ persuasit, ut sese Romano pontifici subiiceret: quod fecit ille anno MCXXCI. Cumq; decem annis in Armenia religionem locupletasset sua prædicatione, reuersus est ad locum pristinum.

GRATIANVS monachus Bononiensis, patria Hetruscus, ordinis S. Benedicti, ex diuersis patrum sententiis, decretis & scriptis uolumẽ decretorum compilauit, & papæ Eugenio III. confirmandum obtulit: qui illud approbauit, & publicè legendum concessit, atq; nomen indidit, Concordiæ discordantium Canonum. Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis. Alexander III. eo usus in legatione est ad Henricũ Angliæ regem, in Thomæ Cantuariensis causã. Sub tribus Imp. Lothario, Conrado & Friderico, claruit.

PETRVS Cantor Pariensis obiit anno MCXCVII. in monasterio Longi pontis, non procul à Parisiis sito. Surdos, mutos, claudos sanauit. Multos etiam ad restitutionem usura rum docendo compulit. Antoninus tit. 17. c. 9. §. 29.

D. BERNARDVS Burgundus, nobili genere natus, Clareualensis monachus, puer mox ab ineunte ætate in ecclesia Castellionis traditur erudiendus præceptoribus. Et quia ingenio ualebat natura, & ad ingenium accessit ardens studiũ, breui tempore insignem in studiis profectum fecit. Abbatẽ egit in Claraualle, honorũ contemtor maximus, erga pauperes à puero eratliberalis. Castitatis studiosissimus. Scripta prophetica & apostolica incredibili diligẽtia legit. Sanctitatis opinione adeò commendatus, ut Mediolanenses omnia illa quæ tetigisset, etiam sancta arbitrarentur. Miraculis etiam claruit. Vixit annos LXIV. Hydrope tandem extinctus est, XIII. Cal. Septẽb. anno MCLIII. Auctor uitæ.

NIVARDVS Bernardi Clareuallẽsis frater, postquam ipsum reliquosq; omnes Cæciliano patre & Aletha matre natos ad religionẽ aspirare uidere: maluit abeuntes sequi, quàm in paterna domo hæres ex asse futurus manere. Illi enim, proficiscentes, paruulo inter æquales in foro ludenti dixẽre: Nivarde frater, nunc te solum totius summa respicit patrimonij: nos nanq; ius omne uni tibi cedentes, Christum sequimur. Tunc ipse: Cœlum uos ergo possidebitis, inquit, ego terram? Nihilq; moratus, post eos adiit monasterium. Marulus lib. j. cap. j.

RVPERTVS abbas Limpurgensis, anno MCXXIV. non modò esu carnium, sed etiam piscibus, ouis, lacticiniis, & omnibus quæ uiuere potuissent, suis interdixit, tantũ legumina, ut pisa, fabas, concedens: idq; sibi diuinitùs reuelatum fuisse, horribili iuramento coram Spirensi episcopo Arnoldo confirmauit, qui eius reuelationi fidem adhibendã negabat, nisi euidenti aliquo miraculo eam probaret. Scripsit in Cantica canticorum libros 4. omniaq; uerba ad laudes B. Mariæ detorsit. De contemtu mundi, de S. Io. Baptista, Variarum suarum reuelationum lib. j. Trithemius.

ECBERTVS abbas S. Florini in Schonaugia, diœcesis Treuerẽsis, ordinis S. Benedicti, frater B. Elizabethæ monialis, circiter annum MCLXIII. in precio habitus est. Ex canonico Bunnensi, consilio fororis, monachus primùm, & ex monacho abbas fit. Eum clerus & maiores ciuitatis Coloniensis per literas uocarunt ad examinandos Catharos hereticos, qui ex Flandria cò uenerant. Cum quibus acriter disputãs, uicit eos tandem, ut etiam ora ipsis obstrueret. Scripta eius recenset Trithemius, aduersus hæreses, & alia. Bergomensis lib. 12.

IOANNES Hanuillensis, cognomine Architrenius, septem liberalium artium magister Oxonij, cùm Parisiis aliquandiu literis

literis operam dedisset, & in seculo esset peregrinatus, uitæ monasticæ Cantuariæ ad Albani fanum sese mancipauit. In bonis literis tantum fecit profectum adhuc iuuenis, & poesin exercuit, ut miraculum eloquẽtiæ profluentis uisus fuerit. Scripsit Architrenium carmen libris nouem, de Reb. occultis, Epigrammata. Circiter annum MCC. Balæus Centuria 3. cap. 49.

EALREDVS Rhieuallensium monachorum abbas, genere, doctrina & inculpatæ uitæ moribus præclarus, floruit anno MCLX. ut amplum studiorum fructum assequeretur, solitariæ uitæ se totum mancipauit. Episcopatum & alios honores recusauit, ut ad prædicationem Euangelij esset expeditior. Dauide Scotorum rege usus est admodum familiariter. Certamina inter uiros principes mira industria & felicitate etiam dirimit. Confessiones D. Augustini pro immenso semper habebat thesauro. In scriptis planè Bernardo similis extitit, theologicis & historicis. Ascitus fuit anno suæ ætatis LVIII. in catalogum Sanctorum. Balæus Centuria 2. capite 99.

ROBERTVS præses Bridlintonensis cœnobij, ab ineunte ætate Sacrarum literarum lectioni intentus usque adeò fuit, ut nullus Latinorum Theologorum fuerit, cuius scripta nõ uiderit, legerit, intellexerit: unde etiam cognomen sortitus Scribę est, propter uarietatem lectionis & scriptorum sacrorum copiam, ut Balæus coniectat.

TVNDALVS Hybernus, eques auratus, uixit circiter annum MCXL, uel MCXLIX. Visiones habuisse dicitur per spiritum propheticum, quibus missam & purgatorium confirmauit. Carthusianum fuisse ferunt. Scripsit libellum Apparitionum suarum. Balæus Centuria 2. cap. 98. & Cent. 14. cap. 87. Vincentius.

IOANNES Capistranus, ordine Minor, in Germania prædicans, miraculis coruscãs non nisi uestitus de more dormiebat, ante lucem surgebat, pensum diurnæ seruitutis, sacrificium labiorum deuotissimè per interualla persoluebat, diuinum altaris sacrificium peragebat, tum sermonem ad populum latinè habebat, posteà per alios interpretatum. Ad cœnobium reuertens, sexta ac nonis completis, infirmos uisere, apud eos morari, manus omnibus imponere. Biretum sancti Bernardini cruore de naribus profluente post mortem tinctum, singulis admouebat ægrotantibus. Precari supplex pro omnibus, exinde cœnare: deinde his qui se accederent, audientiam præstare, moxq; uespertinum officium dicere. Quo expleto, ad ægrotos reuerti, atq; cum his ad mortem præparandis ad obitum u[illegible]ri. Tum demum completorio & aliis precibus per[illegible] quieti se reddere breuissimẽ. Inde reuidendis sacris codicibus operã dare. Ergo cœleste in terris, sed occupatissimam & laboriosissimam uitam duxit. Arido & exili erat corpore, annos natus supra LX, quum inter Germanos ageret, sola cute & neruis ossa hærebant, spiritu uegeto. Cranzius lib. 11. Metrop.

IOANNES Segobiensis Hispanus, à Felice V. Pp. Cardinalis creatus, & Cæsariẽsis episcopus sub Nicolao V. abiecto honore, in altissimis montibus paruo monasterio contentus, uocatis ex Hispania Arabicæ linguæ magistris, Alcoranum Mahumetis conuertit & confutauit. Aen. Syluius cap. 42. Europæ, & Tarapha de regib. Hisp.

IOANNES Petrus Caraffa (cui postea in pontificatu Paulo IV. nomen fuit) sub Clemente VII. nouo uitæ instituto ab omni humanarum rerum cura penitùs se abdicauit, conducta domo procul à frequentia hominum sub Hortulorum colle, quo in loco sactis assiduè intentus literis religiosissimè aliquot annos exegit, tanta cùm ad hoc uitæ genus se conferret propositi constantia, ut à Carolo V. Cæsare per ea fortè tempora Brundusinum episcopatum delatum, nõ solùm recusaret, sed & eum quem iam dudum à Iulio II. Pontifice acceperat ultrò deponeret. Clade autẽ urbis p[illegible] posteà consternatus, primùm quidem Veronam, mox Venetias commigrauit, ad D. Nicolai Tolentinatis, nonnullis in unum coactis, seueriorem uitam cum iis professus, multorum annorum otium in diuinis literis consumsit. Eum Paulus III. legit in Senatum.

DEPOSITIO, DERELIctio. Exuto monachatu facti

EREMITÆ.

Vide locum Eremitarum, ex Monachis.

EPISCOPI.

Consule locum Doctorum Ecclesiasticorum.

SECVLARES.

SIGEBERTVS Orientalium Anglorum rex sanctissimus, tradita regni administratione Egrico cognato, in cœnobium se abdidit. Verùm cùm non multo post Penda Merciorum tyrannus sæuissimus Egricum bello grauiter premeret, Sigebertus causã iuuandi suos, de cœnobio egredi est compulsus: qui ut ne religioni [illegible] haberetur, uirgam loco sceptri gerens, & gladio duntaxat armatus in prælium descendit, in quo una cum Egrico, ac toto ferè exercitu, interiit. Polydorus lib. 4. & Beda lib. 3. c. 18. Ecclesiasticæ hist.

IOANNES Armeniæ rex Clemẽte VI. pontifice, relicto Leoni nepoti regno, eremum solus incolere po[illegible] quàm regno uti maluit. Cùm autem postea Turcæ Armeniam infestarent, maleq; Leo eam tueretur, à populis regnum sumere coactus, magno animo diu defendit. Ostendens neq; inertia compulsum antea se regnum reliquisse, neque postea ambitione aut leuitate resumsisse. Fulg. lib. 4. c. j.

RANIMIRVS, Petri Aragonensium regis frater, monachus & sacerdos, fratre mortuo à magnatibus apud Oscam in regni solio collocatus, sororem Comitis Pictauiensis in uxorem duxit. Suscepit filiam Petronam, quæ postea dicta fuit Vrraca, Raimundo Barcinonensi Comiti nupta. Ea ut facta est nubilis, statim Rex fuit suo monasterio restitutus. Rodericus Toletanus lib. 6 rerum Hispaniæ, cap. 2. Populorum uoluntate Raimundo Barchinonis Comiti nupta puella, duo regna Aragoniũ Catalanicumq; simul iunxit. Fulg. lib. j. c. j.

Miescho Polonorum principe mortuo, CASIMIRVS F. ob impotentem Rixæ matris dominatum patria pulsus, in Clui nacensi cœnobio monachum induerat. Cęterũ cùm à Boemis grauiter premerentur Poloni, Henrici II. Imp. cura, interueniente Benedicti IX. Pp. assensu, sacram personã profana mutauit, nihil sibi de priore statu retinens, nisi consuetudinem attondendi decurtandiq; capillos, cùm alij Poloni cæsariem instar mulierum alerent. Permanet in hunc usque diem apud Polonos ieiunium, & tributum à Romano tunc Pontifice ad expiandam religionem à Casimiro profanatam institutum. Nam & ieiunatur ab illis in singulos Mercurij dies, & quotannis ab uno quoq; soluitur denarius, qui sancti Petri cognominatur, quoniam æterno igni in æde D. Petri alendo impenditur. Dubrauius lib. 7. Ferunt, ob titulum huius dispensationis, indictum esse Polonis, ut in tonsura rotunda capillorum diu se cõformarent ritibus religiosorum: quam postea ignominiam abolendo, supra cæteras nationes cœperunt nutrire capillum: idq; ad nostra tempora duraui, ut femineum in morem capilli dorsa uirorum flagellent. Statutum quoq; tum aiunt à Pontifice, ut pro alendo in perpetuum lumine, in ecclesia beati Petri Romæ, censum soluerent: quod in Polonica lingua Snatos Petre, hoc est, sanctum beati Petri uocatur. Cranzius lib. 2. Vandaliæ, cap. 37.

HENRICVS III. Imp. Argentinam aliquando ueniens, fratrum in maiori ecclesia degentium regulam amplexus est. Verùm cùm eam seruare integrum non esset, sacerdotem quendam substituit, qui suo loco sacris præesset, cuius prebenda hodie Regularis dicitur. Nauclerus uol. 2. gener. 34.

MONACHAE CHRISTIANORVM. QVO AD

SVSCEPTIONEM.

QVÆ. PVTA

Virgines.

Vide infrà, Professio.

VIRGINVM consecrandarum institutum iam inde à primitiuæ ecclesiæ uiduis deductum, Polydorus lib. 4. cap. 13. de Rerum inuent. à Pio I. & Sotere eius successore confirmatũ scribit. Pius certè uirgines ante LV. annum ac extra diem Epiphaniæ sacrati prohibuit, anno Christi CXLIV. Volaterranus lib. 22.

Sponsæ, Maritatæ.

MONEGVNDIS patria Carnotensis, parentum consensu uiro nupsit, cui duas filias peperit: quib. mortuis, marito relicto

cto solitariam agere cœpit uitam, satis pauperem: uescebatur enim tantùm pane ordeaceo, strato uili & exiuncti contexto utebatur. In orando assidua erat: ad quæ exercitia & uirgines, quas sibi adsciuerat, adigebat. Quædam eius mira cula narrat Gregorius Turonensis.

RADEGVNDIS ex Thuringia oriunda, patre Berengario rege captiua à Francis abducta, cùm in sortem Lotharij regis cessisset, ei nupsit. Vincentius lib. 21. c. 70. Sed relicto marito ad Medardum Nouiomi episcopũ, ut sacris initiaretur, confugit. Deinde Pictauij extructo monasterio abbatissã egit. Miraculis etiam claruit.

Henrici Anglorum regis CONIVX, duobus partubus contenta, ad monasterium, quod à teneris annis incoluerat, rediit, & sub regio uestitu cilicio induta fuit, nudisq; pedibus tempore Quadragesimæ ecclesiam intrare consueuit. Malmesburiensis lib. 5. c. 29. de gestis Anglorum.

SIBYLLA Theoderici Flandriæ comitis coniux, in xenodochio D. Lazari Hierosolymis facta est monacha, anno MDLIX [redacted] Chron. Fland. lib. 5. Sigeberti continuator Mabiriam uocat, comitem Terricium.

HEDVIGIS, uxor Henrici Barbati Vratislauiensiũ ducis, circa annum MCCXX. prophetico spiritu dotata fuit. Eius rogatu maritus Trebniciense monasterium, tertio à Vratislauia milliario, maximis sumtibus exædificauit, & puellis Cistercienſis [redacted] attribuit. Maritum suum ægrotum ne uisitare quidem [redacted] fuit, ne religionem pollueret. Cromerus libro octauo.

Viduæ.

Sic Paula, Marcella, Melania. De quib. infrà.

Reginæ.

MECHTILDIS, Henrici Aucupis Romanorum Imp. filia natu maxima, prima à parentibus in Quedlinburgensi monasterio, à se in Seruatij quondam Tungrorum episcopi (teste Trithemio) honorem extructo, constituitur abbatissa. Merseburgense Chronicon.

CVNEGVNDA, Henrici II. Imp. coniux, cùm summum dignitatis locum adhuc inter principes feminas retinere posset: defuncto tamen Henrico ingressa ecclesiam, inspectante populo, abiecit imperialia ornamenta, & religionis induit habitum. Maluit enim abiecta uiuere in domo Domini, quàm sublimis uersari in tabernaculis peccatorum. Marulus lib. j cap. j.

AGNES, Henrici III. Imp. uidua, ab administratione imperij ab Hannone Coloniensi archiepiscopo remota, anno MLXIX. in Italiam se contulit: ac primùm Fructeriẽ monasterio se inclusit: deinde Romam profecta, ibi per nouennium quietè uixit, mortua ob mœrorem, cùm Henricum F. à principibus regno deiectũ audisset, in æde D. Petronellæ sepulta. Sigonius lib. 9. regni Ital.

IVDITHA seu Iuta, Othonis III. Imp. F. à Bretislao Boemiæ principe Ratisponæ è monasterio rapta, quinque ei liberos mares dedit. Ab eius obitu à filio Spitigneo Germanorum hoste in patriam ablegata, Petro regi Hungariæ nupsit. Eo quoq; fatis functo, monasterium Pruk iuxta Znoymã condidit, quod hodie Lucense dicitur, & in eo anno MLIX. obiit. Dubrauius lib. 8.

EBBA, Edelfredi Northumbrorum regis impij filia, cęso in acie patre à Christianis capta, raptorem diuina euadens ope, scapha arrepta, per Humbrum in mare absque humana ope deuecta est: ac tandem in Fortheę ostiis ad promontorium, quod ab ea Ebbæ nomen ad nos tulit, in terrã exposita, sacro ab antistite loci accepto uelo, inter sanctimoniales ibidem degentes est numerata. Mater tandem ac antistita sanctarum uirginum effecta, sese uirtutũ exemplar cunctis imitandum præbuit. H. Boethius lib. 9.

ETHELREDA regina Angliæ, in coniugio XII annis illibata uirginitate uixit. Tandem abbatissa facta, & mortua, multos annos integro corpore mansit. Beda lib. 4. Hist. eccles.

[redacted] Coniuges, uetustis uirginitate celebres.

D. [redacted] Hungarorum regis [redacted] post Ludouici Thuringij ducis mariti sui mortem, ueluti prodiga, [redacted] à nonnullis cieitur. Dum miscellaneagaqua, [redacted] olim haram: pos[redacted] Francisci cœnobium adiit, sacerdotes orantes, ut de hac insigni miseria pro se Deo gratias agerent. Sed matertera, sacrarum uirginum præfecta eius exilium miserata, ad Bambergensem antistitem illius auunculum duxit: qui hanc piè exceptam honestè retinuit: ut alteri quoq; uiro nuberet, diu cum neptè contendit, nunquã tamen permouere potuit: quippe quę, si qua uis nuptiarum gratia ab illo inferretur, nasum sibi ipsa potius præcidere decreuerat. Posthæc in diui Francisci se religionem asseruit, mitamq; in ea religione humilitatẽ præstitit. Hæc quũ Andreas pater resciscere, eam per quendam procerum suorum in paternam regiam nequicquam reuocauit. Bonfinius libro 7. Decadis 2.

Soror regis Boemiæ AGNES, hortatu Minorũ fratrum, se tradidit ordini pauperum dominarum de regula B. Francisci in Praga, spreto propter Christũ Imp. Friderico II. qui eam antè conthoralem postularat. Albertus Cranzius lib. 7. Metrop. cap. 48.

MLADA, Bolestai Sæui Boemorum principis filia, Romam profecta, ab Ioanne Pp. flammeo sacro uelatur. Cuius nomen quum pronunciare difficulter posset, Mariæ id uocabulo permutauit. Pragam reuersa, apud ædem D. Georgij [redacted] lem Benedictinæ professionis egit, & diploma secum [redacted] lit, quo Pragensi Ecclesiæ ius episcopatus tribuebatur. Dubrauius lib. 6.

VILITRVDIS, Bertholdi ultimi Bauarorum ducis coniux, (cui ob singulare religionis studium à pietate nomen inditum fuit) cùm prole destitueretur, omnes dotales prouincias, quibus post mariti sui obitum imperitabat, Deo dicauit, seq; iam senio confectam religioni totam dedidit. Collecto igitur piarum uirginum cœtu, Pergẽse cœnobium, in honorem Christi, eiusq; Sanctæ genitricis, S. Ioãnis & sanctæ Crucis, in Eistetensi episcopatu cõstruxit, an. DCCCCLXXVI: idq; de consilio Othonis II. omni suo dotali territorio liberalissimè dotauit. Ipsa uerò prima eius loci abbatissa facta est. Bruschius in chronologia Monasteriorũ Germaniæ.

BEATRIX, Aldobrãdini Estensis filia, Patauina, forma & pudicitia tanta fuit, ut eam Andreas Hungariæ rex honorificentissimè petierit in uxorem: anno Domini MCCXXXV. Ea post uiri mortem, quum ex eo filium suscepisset, uerita priuigni inuidiam, induta uirili habitu, unà cum infantulo incognita, Veronam primò, subinde in patriam sese turò recepit. Quæ postea, uti erat animo sublimi, cũ nollet ulli uiro inferiori tanto rege nubere, nupsit Christo, ingressaq; monasteriũ Gemmulæ, uixit in maxima humilitate, & castitate. Bern. Scard. lib. 3. hist. Pat.

Nobiles.

Vide catalogum Professarum.

BRVGIS in Hispania monasterium est monialiũ & sanctissima domus, à rege Sancio Amato [redacted] dificata, quam Huelgar uocant Hispani: cuius maxima [redacted] excepta regina omnes Hispaniæ feminas primarias antecedens, sub imperio suo diligentiq; custodia CL monialibus imperat, & sanctissimè consulit: quæ quidem moniales sunt omnes equitum nobiliumq; principum filię, & familiæ generosæ. Preest etiã hæ [redacted] quam Abadessam uocant, aliis septẽdecim monaste[redacted] & oppidis XIV. non ignobilibus, atq; aliis minoribus quinquaginta. Confert præterea sacerdotia multa sacerdotibus, & census commendatarios uitis duodecim contribuit, & alia beneficia & officia, & suis populis magistratus & gubernatores eligit. Marineus lib. 3. rerum Hispaniæ.

Meretrices.

MARIA Aegyptiaca. Sub Tit. Eremitarum.

QVOMODO. PVTA VEL
Ab alio
Persuasæ.

Basilius Macedo Imp. Constantinopolitanus quatuor FILIAS in regium cœnobium Euphemiæ collocauit. Zonaras tomo 3.

SYRA Scota ad Fiacriũ fratrẽ eremitã, in Meldensi agro anachoreticam uitam agentem, cum sanctarum uirginum comitatu se recepit: & ab eo cum sodalibus in sancto proposito confirmata, ad Galliæ Campaniam se contulit, ubi per [redacted] æ sanctitatem, insignem sui reliquit memoriam. Hector Boethius lib. 9.

Coactæ.

Quum RADEGVNDIS, uirgo pulcerrima, uisendæ sororis gratia xenodochium Marpurgi à D. Elisabetha extructum ingrederetur: eam Elizabetha reluctantem apprehendit, [redacted] dicto succidit. Et rogata, [redacted] Nam [redacted] responde[redacted] tonsu[redacted] si filium ad Romanum impetium euectum audirem. Puella sumto habitu, cum ea in pio xenodochio uitam sanctissimam transegit. Bonfinius lib. 7. Dec. 2.

MARIA Stephani Anglorum regis filia, Rammesiensis abbatissa, nupsit Matthæo Theoderici principis filio, anno MCLXI. Cui quum duas peperisset filias, Idam & Mathildam, coacta est ipsum deserere, longoque interdicto compulsa, ad monasterium rediit, anno Domini MCLXIX. Chron. Flandriæ lib. 6.

Per se,

Per se, Sponte inductæ.

PLACIDIA uirgo, Valentiniani Imp. & Eudoxiæ filia, repudiatis opibus, nulli rei præterquam saluti inhiauit.

Pater ASELLÆ uirginis Romanæ somniarat sibi in uitrea phiala uirginem puellam offerri. Natam igitur filiam uirginitati consecrauit, flammeo uirginali tectam. Ea XII ætatis anno aureum torquem (murenulam uulgus uocat) insciis parentibus uendidit, & tunicam fusciorem, quã à matre impetrare non poterat, induta, se repentè Domino consecrauit. Extra cubiculi sui secreta nunquam pedem protulit in publicum. Vnius cellulæ clausa angustiis latitudini [redacted] paradisi fruebatur. Idem terrę solum & orationis locus extitit & quietis. Ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Et cùm eam non uescendi desiderium, sed humana necessitas ad cibum traheret, pane & sale & aqua frigida concitabat magis esuriem, quàm restinguebat. Manib. propriis uictũ tolerabat. Biduano & triduano ieiunio frequenter utebatur: in Quadragesima etiam septimanas septimanis iungebat. Asstiuitate orandi genua camelorum instar callum contraxere. Integra ualetudine ad L usque ætatis annum, habitu uegeto, geruenit. Diuus Hieronymus in eius laudibus.

SOPHIA Belæ Hungariæ regis F. desponsata Henrico primogenito Conradi Imperatoris, adhuc impuberi. Missa à parente in Germaniam, cùm ad Taurum Carinthiæ montẽ aduenisset, excepta ab illis est, quos eò Conradus miserat, & in Admutense cœnobium adducta, donec solennes possent fieri nuptiæ. Sed de die in diem tempus extrahitur, & tandem etiam sponsus moritur, moritur & Bela. Geisa filius in regni administratione succedit. Prima eius cura fuit, ut sororem ex monasterio extraheret, aliquoties mittens ei suos legatos: uerùm id frustrã fuit. Tandem etiam uim minatur, nisi eam sua sponte abbas & reliquus conuentus traderet. Sed ne sic quidem effecit quod uoluit, regina præferente monasticen rebus omnibus. Auctor uitæ Othonis, Bambergensis lib. 3. c. 35.

Chilpericus in Pictauiẽse monasterium FILIAM tradiderat. Quam cùm inde rursum uellet eximere, & matrimonio iungere: illa sponte detrectauit. Gregorius Turonensis lib. 6. Hist. cap. 34.

VBI. MONACHÆ QVÆ
Inter uiros latuere.

THEODORA commissi adulterij conscia, uirum reliquit, & inter monachos latuit. Theodorus dicta, ubi multa diaboli tentamenta uicit: & hoc postremò, quòd tũc infimularetur, feminam quandam de se grauidam peperisse, patienti animo tulit: puerum educauit ut suum: annos septem ante monasterij fores permansit, ueluti stupri rea. Recepta deinde cum puero cella se occlusit, atq; ipsum uiam perfectionis impense docuit. Biennio pòst uita defungitur, & à Deo honoratur, quam homines infamauerant. Feminam autem fuisse, antequam decessisse feiretur, abbas reuelatione cognouit. Vidit enim nuptiarum pompam in cœlo parari, ipsamq; ab angelis in sponsi cubiculum ingenti cum exultatione induci, tripudiante sanctorum choro, Deoq; laudes concinente. Marulus lib. 4. c. 10. ex Nicephoro lib. 16. c. 5.

PAPPVLA inuitis parentibus, uestę uirili sumta, capiteq; raso, cœnobium Turonense ingressa, propter uirtutes Abbas creata est. Quod tamẽ officium recusauit. Cùm autem tres annos in cœnobio uixisset, à nemine cognita, tertio die ante mortem monachis se femineam esse reuelauit. Greg. Turonensis in Gloria confessorum, cap. 16.

HILDEGVNDIS monacha mutato nomine sese Iosephum appellauit, mediosq; se monachorum Schonaugiensium agmini immiscuit, simulans se masculum. Ea illibata ad mortis tempus permansit. Obiit anno 1188. Chron. Hirsaug.

Inter Mulieres uersatæ sunt.

Sic pleræque aliæ: ne crambe bis ponatur.

CVR. CAVSA
Pœnitentiæ.

FABIOLA nobilis matrona, post lapsum ad Christum conuersa, sanctissimam egit uitam: teste Hieronymo.

[redacted] Gaba[redacted]

PVTA [redacted] soror [redacted] let eam [redacted] lia ubra [redacted] & insuetis claudis, hũc [redacted] esse uirgunculã. Et tũ, ô Christe, qui tempe[redacted] ceteris, remittendo humilium fordes, ierua uirginitatem meã, oblatam tibi, per æterna sęcula. Reuersa domum patri dixit, se uitam malle amittere, quàm uirginitatis florem: ideoq; inclusa est carceri, & aliquandiu ibi retenta: tandem uoti compos facta, intercessione Eustasij, recessit in monasteriũ Haguericum. Vincentius libro 23. capite 15. 16. 17. & decimooctauo.

Repudij.

CASIA puella à Theodosio Imp. neglecta, ex desperatione monachalem uestem induit. Vide Tit. Ambiendi modus.

Carolus Magnus ROTRVDEM filiam, cùm oratores ad id in Franciam Byzantio missi uenissent, Constãtino VI. Leonis Cæsaris filio desponderat. Res uana euasit. Adolescens è domestica nobilitate Mariam duxit: eaq; mox repudiata, atq; adeò attonsa, sacroq; cœnobio clausa, alteram Theodoram sibi iunxit. Rotrudis innupta permansit, neq; impari nubere in animum inducens, neq; parem nacta. Zonaras, & Aemilius lib. 2.

RICHARDIS Caroli Crassi uxor, à marito repudiata ob familiaritatem cum episcopo Vercellensi, Andelouiense cœnobium intrauit, illudq; pro XII Canonissis & totidẽ Canonicis, liberaliter dotauit, anno DCCCXXC. Bruschius de Monasteriis, Regino lib. 2. Sigebertus, & Auentin. lib. 4.

COMIOLA Toringa cœnobiõ se mancipauit. Vide Tit. Perfidiæ in matrimonio pœna.

Amissionis liberorum.

ALFREDA Offæ Merciorum regis filia, Ethelberti sponsi cædem cognita, perpetuæ uirginitati se deuouet. Vide Tit. Regna ambitiosè suscipere, ambire.

PROFESSIONEM.

PVBLIA Antiochena matrona nobilissima, Ioannis Antiocheni presbyteri mater, post mariti mortem, magistram se uirginum sacrarum professa est Antiochiæ. Quæ cùm promore sacris carminibus suas uirgines exerceret, fortè trãsiens illac Imp. Iulianus apostata, audiuit uersum illũ: Simulacra gentium argentum & aurum, similes iis fiant qui faciunt ea. Id ægrè ferens Imp. ut tacerent iubet. Illa tyranni imperium contemnens, pergit, & animosè canit: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Quod Iulianus indignè ferens, contumeliæ causa per satellitẽ alapas in genas impingi iussit. Illa uerò maximi honoris loco id ducens, in exercitiis suis strenuè perrexit. Theodoretus lib. 3. c. 9.

MELANIA, Marcelli Cos. filia, floruit anno Domini CCCLXXVII. quæ cùm matito nondum humato duos simul amisisset filios, incredibili fortitudine ab omni dolore ita sibi temperauit, ut ne lacrymarit quidem, sed deuoluta in pedes tantùm dixit: Expeditius tibi seruitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. Relicto igitur unico filio tũc prætore urbano, eidemq; tota concessa possessione, Hierosolymam nauigauit, ibiq; tanto uirtutum, præcipuè humilitatis, claruit miraculo, ut Tecla cognominata fuerit. Hieronymus in Chronico.

MARCELLA Romæ decus, illustri familia nata fuit, matre Albina. Nupta post patris mortem, mensibus tantùm septẽ coniux fuit. Marito igitur orba, nuptiis in perpetuum renũciauit, quantumuis Cerealis consul eam uehementer ambiret, & monasticam professionem prima nobilium Romæ cœpit, & alias matronas ad eam induxit, ut Sophroniam, Principiam. Familiaris Paulæ & Eustochio: D. quoq; Hieronymo: item Athanasio & Petro, Alexãdrinis episcopis: qui quum Romæ exules essent, eam circa uitam monasticã instituisse uidentur. Origenistarum factionem inualescentem prima prodidit, & publicè cõfutauit. Vrbe à Gothis capta, fustibus & flagellis cæsa, salua tamen cum suo consortio mansit: & tandem sano corpore in Domino obdormiuit. Hieronymus in eius epitaphio.

PAVLA nobilis. Romana, patre Rogato Græco ex Agamemnonis genere, matre Blesilla Romana ex Scipionum familia, Toxotio uiro clarissimo nupta, qui ex Iuliorum cognatione ortum suum trahebat, quinq; ex eo sustulit liberos, Blesillam, Paulinam Pammachij uxorem, Eustochium, Rufinam, filias, & Toxotium filium. Marito defuncto, mundi contemtum Romę profiteri cœpit per quinquennium. Deinde cum Paulino Antiocheno, & Epiphanio Salaminę Cypri episcopis omnia Iudeæ & Aegypti loca sacra peragrauit: quorũ in sacris sæpe fit mentio. Venit inde Bethleem, ubi per triennium angusto se continuit hospitio. Postea uerò tria extruxit uirginum monasteria, quibus ipsa præfuit: & unum uirorum, cui D. Hieronymus, exquisita & aspera uiuendi regula. Virgines, è diuersis prouinciis congregatas, tam nobiles quàm medij & infimi generis, in tres turmas monasteriaq; diuiserat: ita duntaxat ut in opere & in cibo separatæ, psalmodiis & orationibus iungerentur. Post Alleluia cantatum (quo signo uocabantur ad Collectam) nulli residere licitum erat: sed prima seu inter primas ueniens, cæterarum operiebatur aduentum, pudore & exemplo ad labotem eas prouocans, nõ terrore. Manehora tertia, sexta, nona, uespere, nochis medio, per ordinem Psalteriũ cantabãt. Nec licebat cuiq; sororũ ignorare Psalmos, & non

non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantùm dominico ad ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere: & unumquodq; agmen matrem propriam sequebatur: atq; inde pariter reuertentes, instabant operi distributo: & uel sibi, uel cæteris indumēta faciebāt. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo sua habere comitem, ne ueterum actuum memor, & lasciuientis infantiæ errorem refricaret antiquum, & crebra confabulatione renouaret. Vnus omnium habitus. Linteamine ad tergendas sola manus utebantur. A uiris tanta separatio, ut à spadonibus quoq; eas seiungeret, ne ullam daret occasionem linguæ maledicæ, quæ sanctos carpere solita est in solatiū delinquendi. Si qua uel tardior ueniebat ad Psalmos, uel erat in opere pigrior, uariis eam modis aggrediebatur Paula. Si erat iracunda, blanditiis: si patiens, correptione, illud Apostoli imitans: Quid uultis? in uirga ueniam ad uos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis? Lasciuientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat ieiuniis, malens eis stomachum dolere, quàm mentem. Si uidisset aliquam comtiorem, cōtractione frontis, & uultus tristitia arguebat errantem, dicēs: Munditiam corporis atq; uestitus, animæ esse immunditiam. Quam linguosam, garrulam, ac procacem, risisq; perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle conuerti, inter ultimas & extra conuentum sororum, ad fores trilinij orare faciebat, & separatim cibum capere: ut quam obiurgatio non correxerat, emendaret pudor. Postquam XX annos exegisset in hoc exercitio, obiit VII. Cal. Febr. cùm uixisset annos LVI. M. IIX. D. XX. anno Christi CCCCIIX. Hieron. in eius epitaphio.

EVSTOCHIVM Paulæ F. unicum nobilitatis & uirginitatis exemplum, quæ matrem in Bethleem secuta est, acumine ingenij & desiderio Scripturarum à D. Hieronymo cōmendatur, ut quæ Commentarios in Esaiam ab eo sæpius efflagitarit.

Ad uirgines HERMONENSES, in monte Hermon castitatē profitentes, à quibus D. Hieronymus aliquando se hospitio acceptum asserit, extat epistola D. Hieronymi.

DEMETRIAS uirgo, Iulianæ F. Christo dicata, ad quam D. Hieronymi extat epistola.

ASELLA post XII annum ætatis à patre Christo dicata fuit. Hieron. extat epist. de eius laudib. ad Marcellam.

EVPHRASIA sub Theodosio Alexandriæ claruit abstinētia & miraculis. Patrem habuit nobilem Antigonum, matrem Euphrasiam: quibus mortuis, in monasterium Thebaidis se contulit, à XIIX ætatis anno usque ad XXX, quo mortua fuit. Bergomensis lib. 9. At Marulus lib. 4. refert, eam à parētibus patricio cuidam iuueni desponsatam, castitatis ergò profugisse, ne Theodosio Imp. urgente nubere cogeretur.

BRIGIDA uidua, Suetiæ princeps, mulier singulari sanctitate, eo anno, quo Vrbanus V. exiuit de uita, Romā uoti causa uenit, ibi quotidie loca sacra adibat, obtinuitq; à pontifice titum ab se institutum probati, ut cœnobium utriq; initiatorum sexui commune foret, mutorum tamen ac aspectus separatione diuisum, ut uirgines superiora habitarēt, monachi uerò infetiora: templum itidem pari modo commune: omnibus autem abbatissa quam uocant, præesset. Sunt qui tradant, Basilium primum hunc ordinem in Græcia instituisse, sed postea ne uirginitas muliebris obtrectationibus patēret, patres iussisse, ut uiri seorsum habitarent, ac propterea Brigidam instaurasse eiusmodi religionē, initia ratione, qua sine criminis suspicione, & templum & domus essent utrisq; communia. Volaterranus lib. 21. & Polydorus lib. 7. cap. 4.

BRIGIDAM monialem in Mona insula Scoti, Picti, Hiberniei, & qui illis gentibus uicinas habent sedes, Angli, eam inter feminas, quas Christiana ecclesia in sanctorum numerū retulit, secundùm deiparam Virginem, præcipua semper habuerunt ueneratione. Templa eius nomini inter hos populos sacra, quot uix alicuius diuorum, huius rei certa sunt indicia. Defungitur tandem uita post plurima mirae sanctitatis opera, XIIX Conrani regis anno. Cuius corpus ab Hebridibus, in Dunum (oppido est nomen in Hibernia) ferunt delatum: ac eodem loco cum Patricio Hibernorum apostolo sepultum. Scoti uerò diuæ Brigidæ funus Abirnetho in templum ornatissimum, canonicis & presbyteris, ad diuina exequenda institutis, eius nomini dicatum, elatum constanter asseuerant. H. Boethius lib. 9. At Balæus Centuria 14. Brigida, inquit, Laginensis ex Scotia oriunda, adulta matrimonium spreuit, ac cum tribus puellis ad Machillam episcopum Sodrensem naui transiit, ac in insula Mona monachæ assumsit habitum, & multa miracula fecit. Obiit anno DXIIX.

GENOVEFA uirgo Parisiensis, uiua mortuū suscitauit. Mortua inuocata febricitantes liberauit. Greg. Turon. c. 91.

IRMINA Dagoberti regis F. prima abbatissa fuit in horreo Treuirensi, quod ipsa fundauerat.

AMATA limē cœnobij (quò se incluserat) annos XL nunquā egressa est. Pane uiuebat & oleribus. Rauisius.

ALPAIDEM uirginem toto corpore saniosam, apud Tudotum Galliæ urbem fuisse constat, tantæ apud Deum gratię, ut per annos multos infirma, nullo alio cibo uixerit, prēter quàm sacrosancto eucharistię pane, in spiritu rapta damnatorum pœnas, beatorum gloriam uiderit, quæque diuersis per orbem locis agerentur scierit, atq; interdum futura prędixerit. Marulus lib. 5. c. 4.

GERTRVDIS filia Pipini, ex Iuta sorore Nedoaldi archiepiscopi Treuirorum nata, soror Caroli Magni, monialis anno DCCXCIV. habitauit Carleburgi eregionē Carlostadij: inde in Gallias profecta. Cranzius lib. 2. c. j.

OTILIA Vdalrici F. cęca à natiuitate, recepit uisum unà cum baptismo, ab Erhardo episcopo Treuerensi: uitamq; professa monasticam, uirgines CXXX in Alsatia collegit. Munsterus in Cosmographia.

CLARA uirgo Assisias, monacharum alterū nouum religionis institutum, quod Pauperum dixit, à D. Francisco accepit, acceptumq; non solùm persanctè coluit, uerùm etiā auctum posteris reliquit. Polyd. lib. 7. c. 4. In monte Falconagri Spoletani claruit, sanctorum catalogo adscripta. In corde eius, cùm mortua exenteraretur, imago crucifixi Domini concreta reperta: tres quoq; ibi lapilli reperti, paris ponderis. De Ignatio primitiuo episcopo, qui semper in ore habuit, Amor meus crucifixus est, simile quid scribitur, quòd in corde eius nomen Iesu aureis literis repertum post mortem, stuporem fecerit Christi fidelibus. Cranzius lib. 8. Metrop. cap. 55.

Cunegunda Imperatrix, suam ex sorore neptem Confugiensibus præfecit VTAM: cui luxus & regiæ lautitię magis, quā religio, curæ erant. Quam cùm Imperatrix aliquando die festo, omissis sacris, pocula cum suis monialib. tractare offendisset, tanto impetu ei colaphum infregit, ut digitorum uestigia, in maxillam impressa, postea nulla potuerint curari arte: ut in historia Bambergensi scribitur.

HILDEGARDIS nobilibus parentib. Hildeberto & Mechtilde, in Spanheimēsi comitatu oriunda, octennis Iutæ monialі in monasterio S. Disibodi traditur erudienda. Cumq; uisionibus, quæ crebriùs ipsi à teneris usque adeò annis oferebantur, passim inclarescerer, Imperatores & episcopi, inter quos & patriarcha Hierosolymitanus fuit, eius se precibus per literas commendarunt. Magna turba agminatim ad eam confluxit, præsertim nobiles puellæ, religionis habitum amplectentes. Cumq; locus ille tantam multitudinē non caperet, cœlitùs in collem S. Ruperti iuxta oppidū Bingiorum, ubi Naha fluuius Rheno confluit, cum suo sodalitio commigrare iubetur. Illa assumtis decem & octo uirginibus, magno cum planctu & lacrymis monachorum S. Disibodi, inter quos hactenus uixerat, discedit, ac monasterio extructo, diuino cultui se totā dedit, abbatissæ munere fungens. Cùm XLII annorum esset, cœlitùs demisso lumine illustrata, Scripturarum intelligentiam hausit, sic ut multa quoq; scripserit, Latini tamen sermonis ignara. Catalogū scriptorum recensēt Trithemius, in concilio Treuerensi sub Eugenio III. præsente D. Bernardo approbatorum. Reuelationes admirandas habuit. Miraculis claruit. Obiit anno Domini MCXIIX. ætatis suæ XXCII. Auctor uitæ.

IVTTA soror Megenhardi comitis Spanheimensis, in monte S. Disibodi integros annos XXIV uitam prorsus uixit eremiticam, ubi & monastica religione Hildegardem imbuit. Miraculis clara fuisse dicitur, ut quòd aquam in uinum mutauerit, & aquas Glani fluminis siccis pedibus pertransiuerit. Obiit anno MCXXXVI, XI. Cal. Ian. Chron. Hirsaug.

CHVNILDA, cum filia BERAGYTHA, bonis literis excultæ, ex Anglia ad Bonifacium in Germaniam uenerūt, & ab eo in Thuringia ad monasticam uitam tradendam constitutæ sunt. Auentinus lib. 3. Annalium.

VALDOPYRGA abbatissa Heydenheimensis, Aichstadij sepulta. Oleū sudare ex illius sepulcro scribitur à Trithemio, & Curione lib. 2.

HYLDA Horesuita, Eduini Northumbrorum regis neptis, discipula Paulini & Aidani, Pharense cœnobiū propriis sumtibus extruxit: mulier in sacris literis probè instituta, [illegible]

Doneualdus Scotus sub Eugenio VII. Scotorum rege in solitudine Ouugilluy sex propè passuum millib. ab Alecto oppido, inter Pictos, uitæ sanctimonia insignis uixit. Huic nouem erant filiæ, MAZOTÆ maiori nomē, FINCANÆ alteri: cæterarum nomina uetustas aboleuit. His arctissima uita degentibus panis ordeaceus cibus fuit, & aqua potus: se melq; duntaxat in die reficiebantur, perpetuæ ferè orationi aut rei rusticæ, quò tenuem uitam sustentarent: deditæ. Ferunt Mazotam anserum sylucstrium ingentem uim, cò conuenire solitam, quòd patris segetes consumerent, ne deinceps illuc redirent uetuisse. In eo certè agro nullus anser sylucstris deinceps conspectus est. Mortuo patre, à Garnardo Pictorum rege Abbernethi ædes obtinuere. Hector Boethius lib. 9.

EADBVRGA Bugga, abbatissa Britanna, erudita & poetria. Familiaris fuit Bonifacio Germanorum apostolo.

GISLA & RICHTRVDA Anglæ moniales, ab Albino Latinis eruditæ literis, quarum hortatu Albinus scripsit Commentarios in Ioannem, anno DCCLXX.

VIBERADIS apud S. Gallum die noctuq; orationibus & ieiuniis, religionis ergò, corpus affligens, prophetiæ dono il lustris fuit. Vdalricum enim tum Sangallensis cœnobij alumnum, Augustano episcopatu potituram prædixit. Huius uaticinium rei, euentus postea comprobauit. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

ROSVVITA, cœnobij Gandersheimensis in Saxonia alumna, Latinè & Græcè docta, ac poetices non ignara, scripsit de sanctis uaria, de gestis Othonis Imp. Epigrammata. Prēterea ad imitationem Terentij composuit sex comœdias, quarum prima inscribitur, Conuersio Gallicani principis, continens martyrium Ioannis & Pauli. Secunda est, de passione Agapis, Chioniæ, & Irenes uirginum. Tertia, de resuscitatione Callimachi & Drusianæ per S. Ioannem. Quarta, de lapsu & conuersatione Mariæ, neptis Abrahæ eremitæ. Quinta, de conuersione Thaidis meretricis. Sexta, recitat passionem uirginum Fidei, Spei & Caritatis. item alia. Omnia monumenta sua Gerbergæ abbatissæ dedicauit. Trithemius de Illustr. uiris Germ. & Bruschius.

HABVNDIS Leutolphi ducis Saxonū F. in Gandersheimensem abbatissam primam sese uelari & consecrari ab Alfridо Hildesiorū episcopo passa est, anno DCCCLII. ac præfuit annis XIIX. Obiit DCCCLXX. Huic successere GEBIRGA & CHRISTINA sorores.

ADELHEIDIS monialis in partibus Rheni in oppido Bingen, claruit anno MCXL. Cùm ad templum itura sese exquisitè ornasset, in uia pedem arboris radici tanto impegit impetu, ut corruerit. Eleuata à pedissequis, dixit: Fiat quæso hæc corporis mei offensio & casus, animæ meæ resurrectio & salus: protinusq; deposito mūdo muliebri, tugurio lum quoddam ad parietes ecclesiæ ingressa est, & toto uitę tempore se in eo continuit. Frequenter rapta est in somnis, & didicit quæ non solùm eloqueretur, sed quod Latinè aliis diciaret. Multa etiam prædixisse fertur. Nauclerus generat. 39. Hist. Vlmensis.

ELIZABETHA abbatissa Schonaugiensis, Treuerensis diœcesis, multas reuelationes habuit, deq; iis scripsit. Miraculis claruit. Prælatorum ambitionem & auaritiam grauiter reprehendit. Obiit anno MCLXII. Hildegardi familiaris.

CATHARINA de Senis, circa anno Domini MCCCXC. ętate XII. annorū Prædicatorū ordinis tertij regulā subiit: & mirabiles uictorias in abstinētia & uisiones habuit, quā Christus despōsasse dicitur annulo IV. margaritarum, & in summitate adamantem habente. Dominus illi cor dicitur exemisse, reddens illi suum. Mansit in latere cicatrix. Anno ætatis XXX, peractis multis miraculis, Romam deuotionis gratia inuisens, finem ibi fecit uiuēdi, in monasterio de Minerua tumulata. Quam Papa Pius II. anno post LX intra sanctarum collegium iussit adnumerari. Cranzius libro 10. Metrop. cap. 40.

Intra VENETIARVM fines XXX & amplius uirginum cœnobia uisuntur longè celeberrima, quæ immortali Deo per petuam uirginitatem uouerint: grauissima omnium pœnaris indicta, qui eam quoquo modo uiolare aut essent. Quū uerò tot numero sint, tantaq; sanctitate imbuta, sanè constat, Zachariæ & D. Laurentij antiquissima omniū esse, prę cipuaq; sanctitatis opinione planè augusta floruisse. Ignatius lib. 6. cap. j.

DEPOSITIONEM.

Consule locum Coningi, Monachæ martyrae.

CONSTANTIA filia Rogerij regis Siciliæ & Apuliæ, monasticæ uitæ sese mancipauit in cœnobio Panormitano. Sed post patris mortem clām à Celestino pontifice educta, legitimo copulata est matrimonio Henrico VI. Imp. Chron. Bambergense.

MILITES, EQVITES SACRI, CONSIDERATI QVO AD

INSTITVTIONEM, ORDINES SACRORVM militum.

Christianorum militum, Philippo I. & Ludouico Crassi regum Francorum tempore, triplex ordo Hierosolymis institutus: Hospitalium D. Ioannis, Templariorum, Teutonum: initia exigua, magna opibus facta. Aemil. lib. 8.

Militum HOSPITALARIORVM D. Ioānis originem quidā referunt ad Hyrcanum Machabæum, qui primus xenodochium pauperū Hierosolymis instituerit. Sed probabilior est eorum sententia, qui recens institutum esse uolunt. Hierosolymorum urbs, antequam à Christianis postremò circiter annum MXCIX. recepta fuisset, à Saracenis obtinebatur. Christiani Latini nominis, qui ibi degebant, ab illis impetrauerunt, ut sibi liceret domicilia prope Seruatoris sepulcrum habere, ubi cœnobium D. Genitrici constituxere, quod LATINORVM appellabatur: & abbas præerat, cuius erat inprimis officium, hospites accipere Latinos. Eodē exemplo, breui post tempore alterum uirginum cœnobiū D. Mariæ Magdalenæ iuxtà dedicatum, quod item feminas acciperet. Confluentem deinde peregrinorum cateruā quū locus non caperet, hospitalem domum propè eccam posuerunt, quam D. Ioanni Baptistæ consecrarunt, admonti Zachariæ patris memoria, quòd eo loci sæpe ad meditandum conuenisset. Sunt tamē qui scribant, Ioanni Eleemosynario illam dicatam fuisse, qui Phoca imperante, patriarcha fuit Alexandrinus, ita cognominatus, ob frequentes quas pauperibus faciebat eleemosynas. Huic domui unus præsiciebatur. Longo post tempore quidam præpositus loci, nomine Gerardus, cum socis crucem in nigro pallio candidam affixit, & eum assumsit ritum quo nunc degunt. Pari exemplo Agnes, quæ uirginū cœnobio præerat, professa est. Res postea per pōtifices Rom. & patriarchas probata, adeò breui creuit, ut opes dein maximas principum liberalitate sint assequuti. Raymundus primus creatus magister militiæ, Hospitalariorum D. Ioannis, qui in uniuersum ordinem obtineret imperium. Censentur D. Augustini ordinis. Dominicam precem certo numero repetitam pro canonicis recitāt horis. Isti cùm militiam Ioanni sacram exercerent, demum Rhodum insulam de Turcis ceperunt, quam Clemens V. illis assignauit, anno MCCCIIX. Sunt qui tradant, eam insulam à Godofredo rege Hierosolymorum primò illis cōcessam. Sed prior sententia pluribus probatur. Post receptā ex hostibus insulam, illuc se receperunt, dictiq; inde sunt Rhodiæ militiæ milites. Anno MDXXIII. mēse Ianuario à Turcis superati, insulæ imperium amiserunt. Tulerunt obsidionem amplius treis mensēs, & tamē Christiani principes nullas illis copias auxilio miserunt, partim ciuili bello, partim aliis curis occupati. Polydorus lib. 7. c. 5. & Volat. lib. 21. Anthrop. Iacobus de Vitriaco lib. j. hist. Hierosol. c. 30. Gul. Tyrius lib. 18. cap. 5. belli Sacri. Aemil. lib. 8.

TEMPLARII milites circiter annum MCXXIII. ut Antoninus ait, uel MCXXIIX. pontifice Gelasio II. Hierosolymis esse cœperunt. Nam circa Christi sepulcrum agentes, Christianos illuc peregrè profectos hospitio accipiebant, acceptos armis accinct per templa & sacra loca comitabātur, ut omnem Terram sanctam tutò uiserent. Fuerunt huius officij auctores uiri singulari pietate nouem numero, quorū principes Hugonem Paganum, & Godofredum de S. Alexandro (Tynus habet Aldemaro, Aemilius à sano Odemari) fuisse ferunt. Ii quia in porticu templi Salomonis habitabant, Templariorum nomen inde tulerē. Certam iis formā obseruationis Bernardus abbas constituit. Habuit tres leuis ab initio non parua incrementa, ita ut facultates maximas, & oppida quamplurima ubiq; gentium possiderent. In concilio Trecensis uiuendi regulam præscriptam, & album uestitum assignatum esse ab Honorio, auctor Tyrius est lib. 12. c. 7. & Iacobus de Vitriaco lib. j. de hist. Hierosol. c. 31. Candido pallio Eugenius postea rubeam crucem affigi præcepit, qua de suo officio monerentur: ut scilicet pro Christo mori parati essent, & ut ipsi cōtra gentiles primi arma caperent. Nec fas erat eis terga dare, aut sine belli ducis iussu ad suos reuerti. In bellis capti à barbaris, solo cingulo & cultello redimebantur. Nam cùm Saladinus pro redemtione sui nepotis magistrū templi Christianis offeret, grauiter magister ille contradixit, non, inquiens, esse consuetudinis militum templi, ut aliqua redemtio daretur pro eis, præter cingulum & cultellū. Et ita in uinculis mortuus est. Sigeberti Continuator. Fide & pietate erga peregrinos, in longè distitis prouinciis sibi conciliarunt hominum fauorem: qui de illis uicissim bene mereri cupientes, amplissima in eos contuērē beneficia, ut in immensum penē eorū creuerint opes: ut Bergomensis & Schedelius scribunt. Regibus

gibus ipsos ditiores effectos, ait Matthæus Parisiensis. Accusati demum impietatis, quòd qui Hierosolymis agebāt, ad Saracenos defecissent, essentq; in fœda uitia prolapsi, omnes ad unum Clementis V. pōtificatu deleti sunt, eorūmque bona partim Rhodiis militibus, partim nouis familiis attributa sunt. Aemilius lib. 8. Polydorus, & Platina in Gelasio. Sabel. lib. 4. Enn. 9.

His accessit ordo tertius, TEVTONICORVM, ex utroq; priorum mixtus. Nam & ipsi hospitio excipiebāt peregrinos, suæ præcipuè nationis homines, ac necessitate exigente, etiam armis pro religione pugnabant. Initium autem fecēre Teutones. Cùm enim Ptolemaidis obsidio longius protraheretur, multi militum ex dysenteria laborare cœperunt, & non pauci eo morbo quotidie absumti, multi quoq; hostium telis ictī, sine aliorum cura & commiseratione in castris uagati sunt. Lubecani itaq; & Bremenses, qui instructa classe Christianis contra Saracenos Ptolemaidem oppugnantibus auxilio uenerant, miserorum clade moti, extensis in terra nauium uelis, tuguriola construebant, ægros colligebāt milites, iisq; ad sanitatem corporis recuperandam facietia largè suggerebant. Cæteri Christianorum principes, inter quos Fridericus Sueuiq; dux, & Henricus Brabantiq; primas tenebant, horum pietatem considerantes, communi consilio de nouo aliquo ordine Germanorum militum, nobili stemmate prognatorum, instituendo cogitant. Chron. Coloniense. His Hierosolymorum rex domum hospitalem Hierosolymis cōcedit, quæ Mariæ sacra erat, à qua & ordini nomen fieri debebat, ut uidelicet milites domus hospitalis S. Mariæ in Hierusalem appellarentur. Ac ne quid huic ordini deesset, Henricus VI. Imp. apud Celestinum III. obtinuit, ut hunc ordinem confirmaret, quēdā in uiuendi regula addens, quædam mitigans. Eiusdem auctoritate, alba uestis cum nigra cruce, quā ab aliis differrent, & clypeus albus nigra cruce tinctus ipsis conceditur, sanctiq; Augustini regulam sectari iubētur. Multas deniq; peccatorum remissiones concessit illis, qui aut huius ordinis sacris initiarentur, aut suis cum facultatibus iuuarent, ut Polydorus & alij ex Borussiaco Chron. annotant. Nemo autem nisi Teutonicus, & quidem illustribus ortus parentibus, in horum adsciscebatur consortium: ea proposita conditione, ut quouis tempore pro religione pugnare paratus sit. Aemil. lib. 5 de gestis Francorum, & Polyd. lib. 7. de Inuentorib. rerum, c. 5. Cæterūm erant horum duo genera, alij sacris præerant, quib. solis barbam alere fas non erat. His summus imperabat magister, penes quem solum in delinquentes pro suo arbitrio animaduertendi ius erat. Pœna autem clām, cunctis ignorantibus, infligebatur. Cæteri qui rei militari operam dabant, à ratione sacrisq; ministeriis immunes erant, teste Polydoro: at singulis diebus noctibusq; ducēties orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum & angelicam Salutationē repetere, ac uibus in lirato uitraguliis cogebantur. His per summum magistrum alius quidam præficiebatur, penes quem contumaces pro delicti ratione puniendi erat potestas: ut in Borussiaco annotat Chronico. Illi post Ptolemaidem, quò se amissa Hierosolymorum urbe primū receperant, & Syriam à Saracenis occupatā, reuersi in Germaniam, permissu Friderici II. Imp. suo ductu & auspiciis Prussiam subegēre, subactam & iure belli quæsitam suæ ditionis fecēre. Victa gens, quæ malorum olim dæmonū cultrix fuerat, religionem Christianam cōplexa est, & cum religione Ruthenicam linguam. Fuit ad Vistulam fluuiū quercus, ubi ab initio uictrix gens castellum construxit, & inde, ut sunt res hominum, quæ tenui principio facilimè augentur, oppidum frequens cultu adoleuit, Marienburgum uocant, caput nunc gentis, sedesq; eorum qui uniuerso ordini præsunt. Volat. & Polyd. ibidem. Duo sunt alij eiusdem militiæ magistri, alter Liuoniæ, alter Alemanniæ præfectus. Aeneas Syluius cap. 29. Europæ.

Eodem ferè tempore, quo Teutonicus Hierosolymis, GLADIATORVM apud Liuonienses secta initium habuit, fuerunt bellorum pernitissimi. Vestibus ipsorū crux & duo gladij affixi erant, quibus pro sacris & aris sibi purgandum esse monebantur. Ac perpetuum ipsis cum Lituanis, Liuoniā crebris irruptionibus molestantibus, bellum fuit. Cognita autem Teutonicorum militum Hierosolymis fortitudine contra gentiles, de consilio Romanorū pontificū Liuonienses illis se adiunxerūt, factumq; est utriusq; [illegible] unū apud Liuonienses omle: ut Munsterus in Cosmographia indicat.

Innocentij III. pontificis auspiciis almę TRINITATIS ordo cepit exordium, Ioanne Marcii & Felice anachoreta auctoribus: qui cùm aliquandiu ad Ingidum ceruum Meldensis agri fuissent, iussi ambo sunt per quietem Rom. pontificem adire, uitæ institutum ab eo petituri: iam pontifex & ipse nōnihil antea præuidit eos assuturos simul oraculo instructus. Cæterūm benignè acceptis pallio ab eo albo sunt ambo amicti, cærulea & rubenti cruce insignito, quali habitu angelus pontifici sacris operanti astitisse fertur, duos in manibus captiuos habens. Quod uisum secutus pontifex, Almæ trinitatis fratres appellari iussit de Captiuorū redemtione. Sabel. lib. 5. Enn. 9.

ALCANTARAE milites, cum cruce uiridi, in regno Castellæ apud Alcantaram oppidum iuxta Tagum. Volat. lib. 21. Anthrop & Polyd. lib. 7.

Milites S. IACOBI, primū de Sparta, ordinis S. Augustini: in quo magister primus Petrus Ferdinādi, sub Alexandro III. pont. qui rem probauit, cuius uectigal annuū CL aureorū millia, regum Hispaniæ munere concessa. Volat. ibidem.

Milites de CALATRAVE ordinis Cisterciēsis, anno MCXX à Sanctio III. rege instituti in regione Toletana, loco & prouincia Calatraue nuncupatis, ubi cœnobium Templariorū fuerat. Qui cùm Saracenis minimè resistere ualerent, nouis his militibus cedere sunt iussi, nigrum amictum cum rubra cruce gestantibus: quorum magister non minùs aureorum XL millium redditus habet. Volat. lib. 21. Anthrop. Deiis paulo aliter Rod. Toletanus lib. 7. rerum Hisp. cap. 14. Anno MCXCVII. Saraceni in Hispania Calatrauam inuasuri dicebantur. Templarij, qui arcem Calatrauæ tenebant, ad Sancium III. Hispaniæ regem accesserunt supplicantes, ut & arcem & uillam Calatraue susciperet. Erat tunc temporis Toleti Raimūdus, Abbas Fiterij, & cum eo monachus quidam Didacus Velasqui, à iuuentute cum rege Sancio enutritus. Qui uidens regem Calatrauæ metuentem, suasit Abbati, ut à rege peteret Calatrauam. Paruit ille, & quamuis stultitiæ nomine irrideretur, à rege tamen obtinuit. Mox à Ioanne archiepiscopo Toletano & subsidium & Crucis signum impetrauit. Cùm multi sacræ militiæ nomen dedissent, neq; Saraceni interim comparuissent: multi eorum ordinem receperunt, & statim cœperunt contra Arabes prelia exercere. Abbas reuersus ad monasterium, armenta, & greges, & cætera mobilia, quibus tunc temporis Fiterium abundabat, & ad uiginti milia hominum duxit secum Calatrauam. Et hic fuit in Fiterio primus Abbas. Aldephonsus postea Sancij F. & successor, educauit eos, & possessionibus ditauit: Zuritam, & Almochariam, Machedam, Aceecham, & Cuculutum obtulit eis, & iussuit sarcinam paupertatis, & superadidit diuitias competentes. Deum assiduè laudabant in Psalmis, accinēti ensē, & orabāt ad defensionem patriæ. Victus durus, cilicio induti. Cultus silentij comitatur eos, frequēs genu flexio humiliat eos, & nocturna uigilia macerat eos, deuota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos: alter alterius obseruat semitas, & frater fratrem ad disciplinam. Rod. Toletanus ibid. & c. 27.

Iacobus rex Aragoniæ duos militum ordines circiter annum Christi MCCXII. instituit, quorum alterios D. MARIÆ de redemtione captiuorum, siue de mercede appellauit, uipote quibus de captiuis redimendis curę esset: amictum induunt albū cum nigra cruce. Alter S. SEPVLCRI ordo Montesiæ in regno Valentiæ, anno MCCXIV, diu steuit cum rubea ac gemina cruce, cui? caput Perusij, ab Innocētio IIX. militiæ S. Ioannis agglutinatus. Volat. lib. 21. Anthrop.

In Hispania COMPOSTELLANI ordinis equitū magister est honos primus à rege, cum summa potentia coniunctus. Vtriusq; enim Hispaniæ nobilitas ferè omnis, honestata equestri dignitate, ditataq; per amplis perpetuisq; redditib. uni magistro paret. Signantur autem equites bello paceq; purpurea cruce, quæ ante pectus militantis spathæ capulum exprimit. Id insigne religioso situ suspicitur, in honoreq; est: nec nisi præclaro merito à magistro aut rege impetrat, scilicet ut militibus pro Christi nomine aduersus Mauros operam nauantibus sacrati reddatur præmia persoluāt. Huius uerò ordinis magistri, regio nomini potentia atq; opibus æquantur: ob idq; formidabiles euadunt. Paul. Iouius in Consaluo.

Eo tempore, quo Hispania maxima ex parte erat sub Arabum imperio, cùm esset perpetuum inter illos & Christianos bellum, quidam uiri nobiles uouebant, se pro Christi gloria, quandiu uires suppeterent, summa contentione pugnaturos. Quod ut multò alacrius facerent, à nuptiis abstinebāt. Horum uita partim in religionis studio, partim in armorū exercitatione consumebatur. Horum exemplum cùm multi sequerētur, fuerunt uarij militarium religionum ordines instituti à regibus, multis beneficiis ornati, & à Pontificib. maximis approbati: quorum uirtute Mauri sæpissimè sunt fugatij; sunt. Erant autem omnes imagine Crucis, ex parte partim rubro partim uiridi facta, & uestibus assuta, secundùm pectus insigniti. Florebat etiam in Hispania ordo Templariorum, & Hospitalensium, qui Hierosolymis eadē fundamenta, post captam à Christianis ciuitatem illam, habuerant. Quamuis autem uaria essent horum ordinum instituta & insignia, in hoc tamen conueniebāt, quòd fidem Christo publicè dabant, fore, ut nulla unquam libidine se commacularent, nec magistri militię imperiū detrectarent, nec se ullis auaritiæ sordibus illini paterentur. Postquā uerò per Philippum Pulcrū Francorum regem, Templariorū ordo euersus est, iniuit Dionysius Lusitaniæ rex rationem, ut Templarij Lusitani neq; bona, neq; dignitatem amitterent: sed ea nouæ cuiusdam militiæ nomine retinerent, quā CHRISTI militiam appellauit, eosq; imaginē Crucis candidæ inclusam in alia Crucis imagine colore rubra gestare uoluit. Postulauit deinde à Pont. Max. ut eam auctoritate sua cōfirmaret. Creuit hic ordo, multisq; bonis auctus & amplificatus est. Emmanuel rex Lusitaniæ uidens, quod discrimen impenderet tam militib. huius ordinis, quàm reliquorum omnium (si enim contra fidem Christo obligatā libidinem minimè refrænarent, necesse erat, ut scelus nefa-

rium susciperent: & simul ne illis, qui ex religiosis militib. nascerentur, esset illā macula generis inusta, quæ nothis omnibus, quamuis sint nobilissimi parentib. procreati, subeunda est) postulauit ab Alexādro VI. Pont. Max. ut solueret ea perpetuæ castitatis religione oēs equites Lusitanos, q deinceps alicuius religiosæ militiæ sacramento tenerentur. Illi namq; qui iam erant solennis uoti religione constricti, fieri non poterat, ut salua ipsius religionis fide eandē licentiā impetrarēt. Concessit id regi Pontifex, atq; deinceps licuit omnibus, qui in aliquam religiosam militiā adscriberētur, uxores ducere, exceptis solùm Hospitalensis ordinis equitibus, qui in quibuscunq; partibus sint, eadem perpetuæ castitatis religione constringuntur. Osorius lib. 3. rerum Em.

CVLTVS RESPECTV MATERIAE SIVE OBIECTI PRIMARIVS, HVC CVLTVS

DEI. INTELLIGENTIARVM.

Ex loco Iustitiæ religiosæ, huc quadam.

DIVORVM. QVATENVS coluntur Sanctorum hominum

ANIMÆ.

CONSTANTINVS Magnus fœdo lepræ morbo repētè tentatus, sanguinem cæsorum infantium præsens ostentatum à medicis remedium auersatus, diuino monitu beatum Syluestrum pontificem accersuit, atq; ab eo sacrosanctum baptismi lauacrum obtinuit. Ea uerò res cùm ab aliis scriptoribus, tum inprimis à S. Hadriano pont. in epist. ad Constātinum & Irenem Augustos missa, & secundo Concilio Nicæno intexta, his uerbis narratur. Cùm aliquando Constātinus Imp. per noctem somnum caperet, ecce B. Apostoli Petrus & Paulus dormienti astiterunt, dicentes, Quandoquidem sanguinis effusionem horruisti, missi sumus à Christo Iesu domino dare tibi sanitatis recuperandæ consilium: audi ergo monita nostra, & fac omnia, quæcunq; indicabimus tibi. Syluester episcopus ciuitatis Romanæ ad montem Soraste persecutiones tuas fugiēs in cauernis petratum cum suis clericis latitat. Hunc cùm ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertiò merserit, omnis te ualetudo deseret lepre. Quod dum factum fuerit, hanc uicissitudinem Saluatori tuo compensa, ut omnes iussu tuo per orbem totum Romanum ecclesiæ restaurentur: tu autem purificate, ut relicta omni superstitione idolorum, tu Deum unum, qui uerus & solus est, adores, & excolas, & ad eius uoluntatem te dirigas. Exurgens itaq; à somno Imp. statim conuocat eos, qui obseruabant Palatium, & secundùm tenorem somnij sui misit ad montem Soractē, ubi S. Syluester erat. Profectus inde Syluester peruenit ad regem, ad quem ingressus, inquit: Pax tibi & uictoria de cœlo ministretur. Quem cùm rex alacri animo & uultu suscepisset, omnia illi, quæ facta, quæq; reuelata sibi fuerant, exposuit. Inde per cunctatus est, quinam isti essent dij, Petrus & Paulus, qui illum uisitassent ob causam salutis suæ, & eius latebras detexissent? Syluester respondit: Hi quidem dij non sunt, sed idonei serui Christi, & apostoli electi ab eo, & missi ad inuitationem gentium, ut credentes salutē consequātur. Cumq; ille hæc diceret, interrogare cœpit Augustus, Vtrum nam ipsos apostolos haberet aliqua imago expressos, ut ex pictura disceret, quos reuelatio docuerat. Tunc S. Syluester misso diacono imaginem Apostolorum sibi exhiberi præcepit. Quam Imperator aspiciens, ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos uiderat: nec debere iam differre Spiritū sanctum ostensionem piscinæ, quam istos promisisse suę saluti memorabat. Constructo itaq; lauacro Constātinus cùm sacro rore tinctus esset, confestim est sanitati pristinæ restitutus. Deinde non immemor accepti beneficij, ecclesias Dei exædificare cœpit, columnas earum passim sacris imaginibus in memoriam incarnationis Domini nostri Iesu Christi, omniumq; Sanctorum reuerentiam exornauit: nec alia de causa, quàm ut Christianismum in lucem, & ueritatem Deiq; cultum proueheret, & omnes gentes à cultu idolorum & diabolica deceptione conuerteret. Cōstantinus inde, ut gratiam tanti beneficij Syluestro referret, Edictū, quē nunc quoq; VI. Cal. Aprilis datum legitur, scripsit, in quo hac historia enarrata adiicit, se ad referendam gratiam Syluestrum omnib. ad amplitudinem & dignitatem Apostolicæ sedis ornandam insignibus decorare, atq; eundē & successores eius ipso insuper Occidente donare. Quod Edictū ecclesia Romana, atq; adeo etiam Orientalis in hunc usq; diem constantissimè tenuit, Theodoro Balsamone, & Emmanuele Caleca, & Gennadio patriarcha, Græcis scriptoribus, testib. quorum omniū Cardinalis Sirletus Sigonium Romā usq; admonuit. Hæc Sigonius lib. 3. Imp. occidētalis. Qui ipse simul euidenter probat, Constantinum uicto Maxentio, an. CCCXII. statim tum reliquos episcopos, tum præsertim Romanum episcopum Miltiadem coluisse. Lateranī basilicam ei donasse, cognitionem causæ Donatistarū permisisse: biennio pòst Syluestrum ei successisse.

Narrant historici, PETRVM Gnapheū, Antiochiæ episcopū, instituisse, ut omnibus precibus Dei genetricis uirginis Mariæ nomen insereretur, inuocareturq;. Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum, item Nicephorus lib. 15. cap. 28.

Nicephorus scribit, NARSETEM eunuchū tantū Virgini Dei genitrici cultum adhibuisse, ut ab illa manifestè apparente tempus committendi prælij expectarit: neq; eum antè in aciem descendere cōsueuisse, quàm ab illa oportunitatem rei aggrediendę acceperit. Multa igitur ille posthac oppida bello labefactata restituit, multa Romæ cæterisq; in oppidis ædificia publica & sacra & profana refecit, ac dispersas superioris tempestatis post fœdū naufragium colligere tabulas studuit. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

GREGORIVS IX. Pp. decreuit, Salue regina certis diuinæ rei horis addi, & laudes uirginis Dei genitricis specialis oratione in matutinalibus celebrari. Crāzius lib. 8. Saxon. c. 9.

Burgundiæ rex SIGISMVNDVS, interemto suo filio nouercæ instigatione, pœnitentiam agens, martyribus Agaunensibus se deuouit. Sigebertus, Regino. Turonensis lib. 3. c. 5. inquit, eum institutisse hac occasione, ut assiduè ibi Psalmos cantarent.

Ranimirus I. Asturū rex bello contra Saracenos suscepto Clauigium se receperat. Noctu apparuit ei beatus Iacobus, cōfortans eum, ut certus de uictoria sequenti die prælium mitteret. Conserto prelio, Saraceni terga dederunt, & eorū ferè LXXM ceciderunt. In acie D. Iacobus in equo albo uexillum manu gestans fertur apparuisse. Ab eo tempore hæc inuocatio inoleuit, Deus adiuua, & sancte Iacobe. Tunc etiam uota & donaria beato Iacobo persoluerunt, & in aliquibus locis deuotione uoluntatia adhuc soluunt. Rodericus Toletanus lib. 4. rerum Hisp. c. 13.

Ferdinandus rex Asturum & Castellæ, Colimbriam Lusitanię urbem munitissimam obsidebat, quā Saraceni obtinebant. Græcus quidam episcopus HOSTIANVS ab usq; Hierosolyma D. Iacobi Compostellani ædē inuisens, cùm triduanis supplicationibus regem Apostoli patrem exorantē audisset, inconsideratè bellicum auxilū à piscatore pacis studiosissimo expeti asseruit. Cæterūm dum nocte dormiret, apparuit ei sanctus Iacobus dicēs, Noli Hostiane dicere me non esse militem: ecce iam equito laturus auxilia regi Ferdinando, qui per septem annos obsedit Colimbriam: & ut sis certior, conspice claues, quibus eras hora tertia aperiā portas ciuitatis Christianis. Qua reuelatione territus, manè canonicis ecclesiæ Compostellanæ eam reuelauit: & cuentūs respondit. Rod. Toletanus lib. 6. rerum Hisp. c. 11. & Rodericus Sancius parte 3. Hisp. hist. c. 26. ex Luca Tudense.

OTHO I. Imp. Magdeburgi nouam ecclesiam metropolitico splēdore in honorem S. Mauricij iussit dedicari, quòd eius sancti patrocinio uteretur in prælijs. Sunt tamē qui scribāt, inter crebra quæ gessit bella, aliquando nolente ipso euersam fuisse ecclesiam aut monasterium D. Mauricij honore sacratum: eum proinde hāc tutelari suo sancto secisse compensationem. Cranzius lib. 4. Saxoniæ, cap. 14.

HVNGVS Pictorum rex à D. Andrea insomnis de uictoria cōtra Athelstanum Anglorum regem, à quo iniquo loco inclusus erat cum exercitu, monitus, uictoria patta, sacram ædem magnifico auxit apparatu, ac sacerdotum ad diuina exequenda numerum. Præclara huic donaria intulit: calices, phialas, pollubria, seruatorīs ac duodecim Apostolorum statuas ex argento auroque, & capsam pro reliquiis dui Andreæ asseruandis, ex auro purissimo. Et præter hæc

Christi ecclesiæ ad sacerdotum usum, ut gerendis ecclesiæ dignitatibus supperetent facultates: armentorum, omnis generis fructuum, prouentuum & prædiorum ubilibet per suum regnum decimam partem liberè erogauit. Et ne cleri ci deinceps ad profanum iudicium traherentur, néue quouis pro crimine ultimo afficerentur supplicio, edicto cauit. At Ferdethus, qui quartus ab Hungo Pictorum regnum ad ministrauit, donaria simul cum priuilegio ademit. Id fuisse in causa pleriq; postea existimauerunt, ut inclytum Pictorũ regnum, per tot secula, sub tot regibus retentum, fata citius traherent in exitium. H. Boethius lib. 10.

CORPORA SANCTA, DVM Acquiruntur: & uel

Miraculo.

CONSTANTINOPOLI extra muros, in quodam occultò subterraneo oratorio, XL martyres ad Sebasten Armeniæ sub Licinio passi, Thyrsi martyris apparitione reperti, & in thecam inclusi, iuxta Thyrsim collocati sunt, cultu peculiari addito. Huic inuentioni se interfuisse, scribit Sozomenus lib. 9. cap. 2.

Sub Arcadio & Honorio, Abacuc & Micheæ prophetarũ corpora reuelata esse, Beda de Ratione temporum asserit.

AMBROSIVS Mediolanensis episcopus, à Valentiniano II. Augusto instinctu Iustinæ matris Arianæ agitatus, per quietem diuinitùs est admonitus, ut terram ante cancellos Sanctorum Felicis & Naboris effoderet, nam ibi martyrũ Gerualsij & Protasij sub Nerone passorum reliquias delitescere. Pridie igitur Idus Iunias, adhibitis clericis, terrã egerit, ac statim martyrum ossa omnia integra, & sanguinis plurimum reperit. Qua re cognita, populus frequens accurrit, ac locum per biduum ita celebrauit, ut non solùm oculis religionem haurirent, sed uestes etiam certatim ad salutaria ex illo tactu morborum remedia comparanda, inicerẽt. nam multi interim dæmonibus, nõ pauci suis debilitatib. soluebantur. Quibus beneficiis quantum Catholicorũ fides confirmabatur, tantum Arianorum perfidia minuebatur. Itaq; Iustina, his signis auditis, exterrita, tum primùm animũ flexit, ac seditionem ad deturbandum ecclesia Ambrosiũ exci tatam remisit. Non deerant tamen, qui apud ipsam in Palatio uirtutes martyrum deriderẽt, atq; Ambrosium pecunia comparasse homines dicerent, qui se à dæmonibus uexari falsò assererent. Quod cùm passim linguæ non temperãtes facerent, ecce unus ex ipsa multitudine arreptus uociferari cœpit: Vtinam ita torqueantur ij, qui negant martyres, uel qui non credunt Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius. illi uerò hac uoce perculsi, cùm conuerti debuissent, hominem subitò comprehenderunt, ac præcipitem in piscinam dederunt. Cæterùm Ambrosius ipsa ossa primo die in basilicam Faustæ, populo lętante, traduxit. Seuerus autem, homo oculis captus, uniuersæ ciuitati notissimus, cùm gratulationis publicæ causam exegisset, eamq; accepisset, tacita religione repentè tactus, cõ se duci iussit, &, cùm sudario feretrum attigisset, idq; oculis admouisset, illicò aspectum recepit. Quo facto, Ambrosius concionem de gloria martyrum habuit, tentioq; die ea sub altari reposuit, ubi ipse sibi sepulcrum destinauerat, ac concionem alteram in eandem sententiam habuit. Vtraq; scriptis eius inserta est. Huic spectaculo affuit etiam Augustinus, ut ipse in Confessionibus testatum reliquit. Sigonius lib. 9. Imp. occid.

Felicis Papæ caput, quod multos iam annos latuerat, ex nocturna eiusdem reuelatione HENRICVS Breitenaugensis abbas è terra eruit, anno MCXLIV. eiusq; particulam Hirsaugiensi cœnobio communicauit. Trithemius in Hirsaug. Chronico.

Precibus.

Anno Domini DCXIII. apud urbem Galliæ Maurienã, MVLIER sancto Ioã. Baptistæ nimis deuota, expetebat ab eo, donari sibi aliquid de membris eius: & in hac orandi instãtia per triennium persistens, cùm altet quiuis iam posset desperare, ipsa spem in Deo ponens, iurauit se non manducaturam, donec quod petebat acciperet: & sic septem diebus ieiunans, septima tandem die super altari pollicem miti candoris apparẽre uidens, læta donum Dei accepit. Ad qd adorandum tres episcopi uenientes, cùm de hoc sancto pignore partem elicere uellẽt, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo supposito stupuerũt, & singuli singulas se meruisse lætati sunt. Sigebertus.

MERCVRIVS quidam Hungarus basilicę Albensis ędituus, cùm Ladislaus rex imperasset tumulum D. Stephani aperiri, ne quid è reliquiis subtraheretur, cum plerisq; aliis procul amotus, tristi uultu in sacrum chorum se recepit, ualde mœrens, quòd sanctissimum corpus neq; uidere, neq; osculis attingere potuisset. Tum iuuenis quidam intempesta nocte coram adstitit, forma incredibili, liberali facie, candidissimoq; habitu, nescio quid bysso inuolutum deferens: Accipe (inquit) Mercuri, quod optasti: & hoc donum precio. fissimum, quod tuæ fidei committitur, commẽdatissimum habeto, asseruatoq; diligentissimè, & cùm tempus dabitur, ipse depromito. Nocturnis sacris ritè peractis, Mercurio petita latebra, rem traditam explicat: sancti regis dexteram & anulũ inuenit. Mox ad Carpathij montis radices fecedens, qui Transsyluaniam ab Hungaria dirimit, cœnobiũ quoddam ligneo opere confectum gubernaturus, dextram neq; sibi neq; alij credere audens, terræ infodit, & quotidianas ex monachis excubias instituit, ne quo modo surripi posset. Demum id ex ordine Ladislao regi aperuit. Cuius edicto, habito pontificum conuentu, solennis diẽs regiæ dextræ decernitur. Quam uniuerso collegio sacerdotum ostẽsam basilicæ rex intulit, camq; splendidè instauratam, multis reditibus donauit. Anno MLXXIIX. Abbatiam regiæ dextræ nunc appellant. Bonfinius lib. j. Dec. 2.

Dono.

Hierosolymitanus ARCHIEPISCOPVS dono misit Theodosio iuniori reliquias dextræ manus Stephani primi martyris. Eæ cùm essent Chalcedonẽ perlatæ, ea ipsa nocte Pulceria S. Stephanum uidit sibi dicentem: En impetrasti quod precibus petebas, & ego Chalcedonẽ ueni. Itaq; ea assũmto fratre, obuiã sacris reliquiis istis profecta est: lisq; in Palatium illatis, magnificum templum B. Stephano condidit, inq; eo reliquias deposuit. Cedrenus.

CHILDEBERTVS Francorũ rex arma contra Vestgothorũ regem Theudam uel Amalricum Arianum cepit, eundẽ ad Toletanam urbem occidit. Peruenerat cum exercitu ad expugnandam Cæsaraugustanam ciuitatem, quòd ibi Arianam hæresim uigere putasset. Percontatus autem hominẽ, quem in agro deprehendit, quam religionem urbis habitatores sequerentur, essẽtne Christiani Catholici, an Arianiẽ Agricola pro suo captu respondit, sanctam inibi in Vnitate Trinitatem, & Vnitatem in Trinitate credi. Gauisus rex pontificem urbis ad se euocat, eumq; alloquẽs ait: Quia catholicam plebem audio hanc urbem inhabitare, arma, quæ cõtra Arianos sumsi, inde conuerto. Cęterùm ne tantum laboris ex itinere frustrã susceperim, rogo mihi aliquid ex sacris D. Vincentij reliquiis impartiaris. Igitur pontifex & clerus communi consensu stolam & tunicam sancti martyris regi donauerunt. Ille suscepta dona secum duxit Parisios, ibiq; martyri Vincentio cœnobium construxit. Io. Magnus li. 16. c. 4. & Cranzius lib. 3. Sueciæ, c. 29.

Vndecim millium uirginum ab Hunnis cęsarum corpora Colonię in cõmune sacellum relata. Vnde cùm SACERDOS quidam corpus unius uirginis impetrasset, quod in ædem suam religionis causa subinde trãsferret, dum matutina sacra fierent: illa resumto corpore, spectante uniuerso collegio sacerdotum, magnam aram præuenerata recessit. Antistes mox tumulum adiens, reconditam uirginem non inuenit. Bonfinius lib. 5. Dec. j.

NOBERTVS Præmõstratensis abbas unam de undecim millibus uirginum, & particulam corporis S. Gereonis à Coloniensibus impetrauit, anno MCXXIII. ut Bonfinius testatur. De eadem uirginum multitudine Hẽricus in Breitenau abbas quatuor integra corpora à Coloniensium episcopo accepit. Trithemius in Hirsaug. Chron.

D. BERNARDVS cùm Romæ esset, Cæsarij martyris ci exhibitum est caput, ut inde tolleret quod uellet. Tulit igitur dẽtem unicum, non exiguum suorum laborum fructum se assecutum existimans. Quem cùm ex mandibula quidam fratrum cultellis effringere non possent, dixit Bernardus: Orãdum nobis: nec enim habere possumus, nisi martyr ipse cõcedat. Auctor uitæ lib. 4. c. j.

CAROLVS IV. Imp. rebus Italiæ cõstitutis in patriam reuersurus, cùm audisset, corpus D. Viti à regibus quondã Lombardiæ sepultum Papiæ iacere, oratores suos ad Senatum Papiensem misit, ut honoris sui gratia, corpus sibi donarẽt eius diui, quem Boemi pro numine tutelari colerẽt. Papienses uoto Cæsaris annuerunt. Dubrauius lib. 22.

LEONORA, regis Emmanuelis soror, quæ Ioannis II. Lusitaniæ regis uxor extiterat, cùm memoriam Vrsulę uirginis sanctissimæ, quæ cum reliquis uirginibus, eiusdem uoti atque sanctimoniæ sociis, pro Christi nomine mortem pertulit, & Coloniæ Agrippinæ sepulta est, singulari studio coleret, à Maximiliano I. Imp. postulauit, ut sibi reliquiarum eiusdem uirginis partem aliquam concederet, quam in [illegible] cratio reseruaret. Is berò integras reliquias Auræ uirgini, quæ inter reliquas Vrsulæ socias princeps extiterat, illi dono misit. Fuit illius corpus Olysipponem delatum, anno Salutis MDXVII. & cum maxima populi totius celebritate receptum, & in sepulcro in ara quadam templi, quod Maria regina in memoriam sanctæ Dei Matris ædificarat, extructo, repositum. Osorius lib. 11. rerum Emm.

Precio.

Saraceni, cùm infestis incursionibus latè per maria omnia uagarentur,

garentur, anno Domini DCCXX. exscensione in Sardiniã facta insulam, quæ exiguo Græcorum præsidio tenebatur, in potestatem adduxerunt, ac inprimis locum, in quem D. Augustini Hipponensis episcopi ossa ex Africa translata fuerant, fœdarũt. Quod ubi rex Longobardorũ LVITPRANDVS accepit, magno repentè dolore exarsit, ac legatis eò missis, magno illa precio à Saracenis redemit, ac postero Papiam ad se transportari curauit. Posteaquam autem eam Genuam appulsa audiuit, Papia egressus obuiam eis illucusq; processit, eaque, editorum miraculorum magnitudine percitus, diuino honore coluit. Cùm autem postridie à ministris nulla neq; ui neq; arte moueri possent, uehementer ea re perturbatus: Sancte Confessor, inquit, si tua hinc ossa tolli & Papiã trãsferri propitius patieris, spondeo, me templum in tui honorem ædificaturum. Quæ ubi uota concepit, ossa subitò nullo molimine sustulit, & Papiã effusa obuiam cum clero ciuitate deduxit. Ea proinde in templo S. Petri ad Cœlum aureum à se condito, ac precioso, qd adhuc extat, in monumento recondidit. Sigonius lib. 3. regni Italici.

ACHELNOTVS Cantuariensis, brachium S. Augustini Papiæ uno talento auri & centum argenti emtum, misit Venturiam: ut Vincentius lib. 25. c. 15. testatur.

Rapiuntur, Furto acquiruntur.

HESYCHIVS audita morte Hilarionis, è Palæstina perrexit in Cyprũ, & simulans se uelle habitare in eodem hortulo, ut diligentis custodiæ suspicionem accolis tolleret, cum ingẽtu uitæ suæ periculo, post decem ferè menses corpus eius suratus est. Quod Maiomam deferens, totis monachorum & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio cõdidit, illæsa tunica, cucullo, & palliolo: & toto corpore, quasi adhuc uiueret, integro, tantisq; fragrante odoribus, ut deliburtum unguentis putares. Id postquam resciuit Cõstantia quædam sancta femina, cuius generũ & filiam olei inunctione à morte liberauerat, statim examinata occidit, ueram in seruum Dei dilectionem etiam morte comprobans. Erat enim solita perugiles in sepulcro eius noctes ducere, & quasi cũ præsente ad adiuuandas orationes suas sermocinari. Adeoq; inter Palęstinos & Cyprios contentio est, quòd hi corpus Hilarionis, illi spiritum se habere certãt. Et tamen in utriq; locis magna quotidie signa fiut, sed magis in hortulo Cypri, fortsitan quia plus illum locum dilexerat. Hieronymus in uita Hilarionis.

DAGOBERTVS Francorum rex, cùm ministrandi iuris specie Franciæ regni urbes proumciasque uisitaret, templa per uim spoliauit: & tanquam D. Dionysij obsequiis omnia deberentur, æneas ingenti pondere ualuas, lauacrũ insuper, ubi baptismatis mysterium sacerdotes explebant, unã cum D. Hilarij corpore, nulla compensatione sacrilegij facta, ad diuum Dionysium mari ex Pictauis transtulit: nec tamen tota præda potitus est: altera enim portarum dum naui per Oceanum exportanda committitur, in fluctus delapsa perpetuò latuit. Verùm ut malè agentibus occasio aliqua peccãdi in promtu suffragaretur, causam sacrilegij esse dicebant Pictauorũ rebellionẽ: quos ut compesceret Dagobertus, omnia ad se belli iure pertinere tatus, postquam agros peruasisset, urbem quoque depopulatus esset, mœntibus omnibus dirutis, solum arare, & in eo salem disseminare, ad inducendam sterilitatem iusserat. Gaguinus lib. 3. capite 1. & 2.

Leo pontifex maximus, præsente Imp. & legatis Henrici regis Franciæ, litem quæ de sacris diui Dionysij inter Parisios & BOIOS fuerat per annos centum & sexaginta, uelut arbiter dirimit: ac D. Dionysium è Parisianorũ suburbano oppido furto sublatum, Reginoburgi in Boiaria, in templo diui [illegible]rani conditum, seruandum esse, pronunciauit.

No[redacted]filius Erlafridi comitis de Calue, uir eruditus, à Carolo Magno Vercellensis episcopus constitutus, reliquias [illegible] Armenij non modò Mediolano Vercellas transtulit: sed easdem hortatu Aurelij in Germaniam deluis Vercellensibus asportauit: & ut parens ac frater eius Hirsaugiense cœnobium in Aurelij honorem extruerent, effecit, circiter annum Domini DCCCXXX. idque aureis & argenteis crucibus & calicibus, libris sacris, uariisq; ornamentis, quæ Vercellensibus abstulit, locupletauit. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

D. Vincentij corpus, [redacted] Valentia, citerioris Hispaniæ urbe, in Albiensem pa[redacted] Comatæ Galliæ furto est translatum. Sabel. lib. j. En. 9.

Rocchi Narbonensis corpus ad annum MCCCC. VENETIAS furto translatum, multa ueneratione colitur. Augustũ illi templum cum celebri collegio datum. Sab. lib. 8 En. 9.

Circa annum DCCCXXVI. cõdebat Aegyptius Sultanus domum sibi sumtuosissimam, atq; ob hoc undiq; preciosos lapides ex uetustissimis templis operibusq; alus publicis priuatisq; comparari iusserat. Sed quum ne ipsi quidem diui Marci phano, quòd huiusmodi materia esset magna parte constructum, prophanæ manus parsuræ uiderentur: metuerentq; loci euersionem STAVRACIVS monachus & THEODORVS presbyter, ambo natione Græci (qui non solùm illic sacris operabantur, sed quasi æditui sacrarium ipsum officiosè asseruabant) Bonus Medoacensis, & Rusticus Torcellanus Veneti, cum decem nauibus Alexandriam delati oportunè interueniunt. Hi religionis causa quum ad locum ueniissent, cognouissentq; rem ad demolitionẽ templi spectare, magnis pollicitationibus eos persuasere, ut D. Marci corpus sibi traderent. At ne incolæ rem subitò deprehenderent, dissecto occultiore parte pallio, quo corpus ipsum erat obuolutum, intactis sigillis, quibus illud antica parte erat munitum, diuæ Claudiæ aliud pro eo quod accepérant includunt. Ferunt interim tantam odoris fragrantiã ex ipsa æde manasse, ut factus sit ad locum cõcursus ingẽs, potueritq; res facilè deprehendi, nisi pallium immotis signis fuisset conspectũ. Iam uerò ne alicunus temeritate tantum facinus detegeretur, sacrum onus in sportam cõiectũ, herbis suillaq; carne circumuoluerũt: à qua pertinacissimè Saraceni abstinent. Illi igitur, quibus datum erat id negotium, ad omnes occursus, qd facere prius moniti erant, Ganzir, quæ uox porcum apud Barbaros ipsos significat, uociferantes, ad naues deuenunt. Hic nelis obuolutum corpus atq; antennis alligatum, quasi mox inde solaturi, malo suspendunt, ne ab his, qui sub ipsum negotiatorum dignesũ omnia in nauibus seruatari solent, preciosissimum furtũ deprehenderetur. Demum suspecto litore soluentes læti Venetias abiere, à tota ciuitate uenerantur excepti. Sabell. lib. 2. Decad. j. & lib. 9. Enn. 8.

ALFONSVS Aragoniorum rex, D. Ludouici corpus è Massilia abstulit. Vide Tit. Constantiæ religiosæ.

Inueniuntur casu.

Tempore ZENONIS Imp. reliquiæ beati apostoli Barnabæ inuentæ sunt in Cypro. Iacebat cadauer id sub arbore cerasso (Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum habet arborẽ ceratitem) Euangelium quod S. Matthæus composuerat, in pectore gestans, manu Barnabæ deseriptum. Ea occasione Cyprus metropolis facta est, ut iam non ampliùs sub Antiochia contineretur, sed soli Constantinopoli subesset. Id Euangelium Zeno reposuit in Palatio, in æde S. Stephani in Daphna. Cedrenus, & Suidas. Quidam Euangeliũ Hebraicè scriptum fuisse tradunt.

Zachariam prophetam à Ioa rege Iudææ occisum, reperit casu quidam agricola circa Eleutheropolim Palæstinæ, sub THEODOSIO iuniore. Nicephorus lib. 14. cap. 8.

Eleuantur, Exornãtur.

Consule Titulum, Ambulatorias.

PIVS II. beatam Cathatinam Senensem in sanctas retulit. Campanus.

Occultantur.

LVITPRANDVS Longobardorum rex, è Sardinia insula D. Augustini corpus Papiam transtulit, ad D. Petri: & ne facilè resciri posset, quo loco conditum esset, tribus locis effossis structisq; sepulcris, & noctu clàm occlusis, alio loco corpo[redacted] corporis loculo ignorato, minùs prompta eius rapiendi occasio foret. Constructum deinde [redacted] seculo D. Augustino sacellum iuxta templũ D. Petri, in quo tumulus honorarius uisitur. Beim. Saccus li. 9. Ticinens. hist.

Transferuntur.

Beda de Ratione temporum in Theodosio narrat, à coniuge Theodosij EVDOXIA, Stephani reliquias, Constantinopolim Hierosolymis remeante, unã translatas, & in basilica S. Laurentij positas esse. Cum Beda autem conuenit aliqua ex parte Theodorus Lector, in fine lib. 2. Collectaneorum: qui cum Stephani simul & Laurentij, etiã Agnetis reliquias Constantinopoli depositas in martyrio S. Laurentij, refert: idq; factum sub Imperio Theodosij Iuniores. Vincentij Speculum lib. 19. cap. 6.

Sub Imp. Arcadio, & patriarcha Attico, è Indæa Constantinopolim allatas reliquias Samuelis prophetæ, & in prophetico loco, XII. Cal. Iulij conditas, Theodorus Lector lib. 2. scribit. Sub Zenone Alexandriam delatas, refert Sabellicus & Platina.

Heliseum, qui & leprosum sanauit, & leprosum fecit, in Paulã leprosi monasterium translatum Alexandriam, Henrici de Erfordia scripta produnt. Memmit & Vrspergensis.

Saracenis Aegyptũ incursantibus, Marci corpus ab Alexãdria Venetias translatũ est. Antoninus tit. 11. c. 2. §. 2. & Sigebert.

Ignatij reliquiæ Antiochiam illatæ, & in templum quod ipsi structum erat reconditæ, addito festo in eius honorem, sub Theodosio posteriore. Euag.lib.j.cap.16. & Nicephorus libro 14. cap.44.

ANTIOCHENI Simeonis Stelitis monachi corpus honorificè in urbem deportant. Vide Titulum, Monachi Christiani quinti seculi.

ZENOBIVS episcopus Florentinus post quinquennium à suo obitu, ab ecclesia Laurentiana, sita ante portas, ubi tumulatus fuerat, transfertur ad templum cathedrale, quod erat in urbe Saluatori sacrum. Caput quoq; à reliquo trunco auulsum & argento opertum, populis spectandum propositum est, circiter annum Domini CCCCXXIX. Antoninus tit. 10. cap.12. §.j.

De translatione Io. Chrysostomi quædam commemorat Nicephorus lib. 14.cap.43. Missis enim ab Imp. legatis, tumulũ primum sese prorsus immobilem præstitisse, donec per literas martyri supplicatus sit Imperator, ut se inde abduci pateretur: id quod postea sit factum. Ibi uerò præter alia, & hoc refertur esse factum: quòd cadauer in thronum collocatum, aperto ore benedixerit populo. Trãslationis meminit etiam Socrates, non autem benedictionis, lib.7.c.45. Itẽ Theodoretus lib.5.c.36. THEODOSIVM iuniorem Imp. ad reliquias Chrysostomi Constãtinopolim allatas, tesse inflexisse, & ueniam parentibus suis precatum tradunt, à quibus in exilium eiectus fuerat.

Ab EODEM Imp. & Flauiani corpus Epheso translatum est Constantinopolim. Nicephorus lib.14.c.49.

ZENONE petente, Antiochiam delatæ sunt Philippis Macedoniæ, reliquiæ Eustathij, ubi ipse in exilio mortuus fuerat, & maximo cum honore exceptæ. Theodorus Lector Collectaneorum lib.2.

Caput Ioã. Baptistæ HIEROSOLYMIS à monachis inuentum, ac in urbem Phœnicæ Emissam translatum, Beda de Ratione temporum narrat, sub Marciano & Valentiniano Impp. Sigebertus.

LVITPRANDVS Longobardorum rex, cùm Saraceni Sardiniam populati essent, quò ossa D. Augustini delata erant ante CCL. annos ex Hippone, legatos illuc misit, qui auro eadem redimerent, & Genuam usque deferrent: unde summa cum ueneratione Papiam secum detulit, & in basilicam Petri, quam ipse construxerat, locauit, ubi adhuc custodiũtur & ueneranturr. Blondus lib.10. Dec.j. & Cuspinianus. Ipse honoris causa, pedibus à Genua Ticinum usq; prosequutus, templo monasteriisq;, cum amplissima dote, sancti doctoris reliquias uenerantur exoluit. Fulg. lib.j.c.4.

HELIAS Aquileiẽsis antistes, Gradum, quod oppidum est in litore maris Adriatici, profectus ex Aquileia, Hermagoræ & Fortunati corpora delata in Euphemiæ templum, quod Gradi[illegible] ab. Enn.8.lib.5.

Iuo [illegible] historia indicat, GREGORIVM Turonensem & Martini Confessoris incensam basilicam à fundamentis instaurasse: & corpus eiusdem ac reliquias S. Iuliani ex terra fosso Arumnico ad Turonicam ciuitatem delatas, in illud sacellum religionis causa posuisse.

PAVLVS I. Pontifex congregato clero uniuersoq; pop. Romano, corpus beatæ Petronellæ Petri filiæ unà cum sepulcro marmoreo his literis notato, Petronellæ filiæ dulcissimæ, ex uia Appia in Vaticanum detulit, canentibus (ut fit) sacerdotibus, populoq; celebritatem agente. Atq; corpus ipsum in templo Apollinis ad caput basilicæ patri dedicatę collocauit. Platina.

Lucas Euangelista uixit annos XXCIII. [redacted] sepultus est Constantinopoli: ad quam urbem XX. Constantij anno eius ossa cum reliquiis Andreæ Apostoli de Achaia translata sunt. Platina.

Sozomenus lib 7.c.21. narrat: quòd cùm VALENS Constantinopolim caput Ioan. Baptistæ, in Cilicia apud monachos Macedoniæ hæreseos reseruatum, transferre iussisset, ut locum ad Pantychium prædium Chalcedonense ita constituisse, ut ulterius promoueri nulla ui aut arte potuerit: idq; in pagum Cosilas depositum esse.

Paulus Thebæus, eremitarum primus, uita defunctus, in Pannoniam translatus, extra Budam in templo ei dicato, ac à religiosis eius ordinis Oliuetensium modo amictis custoditus [illegible] Volat. lib.21 Anthrop.

Circa [illegible] Domini CCCCLXXVII. mitebãt miraculis ossa sanctorum martyrũ Vitalis & Agricolæ, Bononiæ apud ædem S. Stephani sita. Quæ res cùm frequenti hominũ sermone in Italia Galliaq; celebraretur, NAMATIVM Aturensem episcopum impulit, ut nouam à se constructam basilicam ornamentis eiusmodi honestare studuerit. Itaque presbyterum Bononiam, qui aliquid earum peteret, & ad se referret, legauit. Vbi uero eum uoti compotem sui factũ ad quintum lapidem peruenisse audiuit, continuò, cimbus euocatis, cum crucibus & ceteris in earum occursum uenerabundus processit: ac presbytero monenti, ut oculis optatum tandem sanctarum reliquiarum fructum hauriret, honestam recusationem adhibuit, malle se fide, quàm oculis, niti, adiiciens. Quod autem præcipuam tum omnibus incussit religionem, uenientibus martyribus, obductis repentè cœlo nubibus, largissimus imber effusus à sanctis tamen reliquiis sic abstinuit, ut ne iugeri quidem circum spacium gutta ulla tetigerit: mox, procedentibus illis, pluuia quasi de industria prosequuta populum sic aspersit, ut prorsus gestatoribus ipsis pepercerit. Qua re animaduersa, Namatius, Gratias tibi ago, Domine, inquit: & conuocatis ciuibus basilicam cum maxima religione ac lætitia dedicauit, ut Gregorius Turonensis in libris de Gloria martyrum prodidit. Sigonius lib.15. Imp. occid.

CAROLOMANNVM, qui relicto regno Frãciæ in Cassinensi cœnobio monachum egit, ferunt ex monte Cassino cum aliis monachis ad Zachariam Pontificẽ uenisse, ab eoq; precibus obtinuisse, ut eis liceret repetere S. Benedicti corpus furtim ablatum, quod tum in Floriacẽsi monasterio regni Franciæ collocatum fuerat. Annuit istorum precib. Pontifex, & literis Pipinum adhortatur, ut patiatur monachos S. Benedicti corpus repetere. Quod quidem rex haud grauatè concessit, quia inde furto ablatũ à monachis quibusdam fensérat. Platina.

Cùm Martini reliquiæ essent Antisiodorum translatę, ob Normannorum metum: MONACHI disceptarunt inter sese, utrum illa ecclesia de Martino, an de Liborio, qui prius ibi cultus fuerat, esset denominanda. Leprosus in medium collocatur: & fiunt preces, ut sancti suas exercẽat uirtutes. De Martini igitur arca uox inquit: sum te ex una corporis parte mundo, reliquum fratri meo Liborio relinquo: semper enim sunt hospites honorandi. Conuersus ille ad Liborii, etiam ex altera parte curatus est. Platina in uita Stephani. Flores temporum.

Anno D. 1039. à MANIACO Græci Imp. Catapano uictis Saracenis, magna pars Siciliæ in potestatem redacta, & Syracusæ receptæ sunt: & corpus ueneranbile S. Luciæ uirginis inde ablatum, & Constantinopolim transportatum. Sigonius lib.8. regni Ital.

Cùm D. Martini, quod Turonis reconditum erat, corpori periculum imminereet à Normannis, curauit Stephanus V. pontifex, ut Altisiodorum transferretur: ubi propter sacros denarios MONACHI, qui D. Germanum uenerabantur, litẽ contra Martini SACRIFICOS mouerunt. Platina.

ARNVLFVS Imp. multis in Francia bellis gestis sedem regiã Parisiorum uastauit, corpus sancti Dionysij in Bauariam in ciuitatem Ratisbonam detulit: ubi hodie quoq; in templo D. Emerani, quod multis donariis exornauit, religiosissimè colitur. LEO IX. Ratisponam transiens cum Imp. Henrico III. reliquias beati Dionysij martyris (de quibus diu dubitatum erat, an ibi haberẽtur) præsentibus Parisiorum legatis perspexit, ibiq; teneri probauit. Sanctum quoque Volfgangum, eiusdem urbis episcopum, de tumulo leuauit. Cranzius lib.4. Metrop. c.35. & Cuspin.

ADALDAGVS Hamburgensis archiepiscopus, reliquias sanctorum, quas ab urbe Roma deportarat, magna per parochias suas diligentia distribuit, corporum sanctorum Cyriaci, & Cæsarij, & Coronæ, Felicis & Feliciani, Cosmæ & Damiani. Cranzius lib.3. Metrop. c.24.

ROBERTVS Flandriæ comes Hierosolymis ad patrios lares, S. Georgij brachio onustus rediit, quod Aquicienſi donauit ecclesiæ, anno Salutis humanæ MC. ut Sigebertus annotat.

GERTRVDIS Lotharij Saxonum ducis socrus, Treuerim reuersa, sancti Authoris, quondam eius sedis episcopi corpus Brunsuigam secum aduexit. Cranzius in Saxoni[illegible] capite trigesimo quinto.

MATHILDIS Francorum regina ad patrem suum [illegible] reuersa, sancti Iacobi brachium secum eo detuli[illegible] XXV. Appendix Mariani Scoti.

Cùm ad FVLDENSE monasterium Bonifacij Moguntiæ episcopi ab ethnicis occisi cadauer esset perlatum ex Frisia, omnes campanas, sine ullius hominis agitatione aut impulsu, solito clarius sonuisse, scribit Vvernerus in Fasciculo rẽporum, & Mutius lib.7. de Germania.

Expeditione sacra Hierosolymitana, an. Domini MXCIIX. [redacted] Myra urbe Lycæ, lacratos sancti Ioãnis Baptistæ cineres extulerũt: quos Genuam demum de[illegible] in hunc usq; diem religione eximia colũt. VENETI o[illegible] Nicolai Myrensis episcopi retulerunt. Sigonius libro nono, regni Italici.

MEDIOLANENSES quòd Fridericum I. Imp. à quo defecerant, haud dubie ad oppugnandam aut obsidendam urbem redituru putabant, suburbana omnia ædificia, sacra æque atque prophana, ne quid afferre aut hostibus utilitatis, aut sibi incõmodi possent, diruerũt. Ea de causa uetustũ monasteriũ, & sanctorũ multorum reliquiis augustissimũ S. Eustorgij euerterũt à fundamẽtis: & quidquid in eo sacrati erat, transtuleruntin urbem: inprimis aũt trium Magorũ corpora, qui ad Christum infantem adorandum, & mysticis muneribus colendum uenerant, sunt inuenta. Hæc olim in [illegible] templi eius reconditã, ipsorum quoque æditiorum [illegible] lionem fugiebant: uerũm manifestis tum indiciis [illegible] tacta, quibus declarabatur, uiros eos adorato Saluatore puero in regionem suam reuersos illi in crucem acto superuixisse, & ab Apostolis sacro fonte ablutos, inde ad eum, quem in cunabulis honorauerant, ad dextram Patris sedentem uita functos migrasse. Erant autem corpora ossibus & neruis compacta, & cute adhuc arida conuestita, ui, ut existimatum est, balsami, quo gentilium more fuerãt delibuta: sed circulus aureus ea ambiebat, & inter se constricta tenebat, ut Gulielmus Neubrigensis eorum temporum æqualis memoriæ prodidit. Sigon. lib.12 regni Ital.

REINHOLDVS episcopus Coloniensis expugnato Mediolano à Friderico Imp. ex templo D. Eustorgij, corpora triũ Regum camelo imposita Coloniam misit anno 1162. Item Naboris & Felicis martyrum. Quem cùm in itinere deductores ex oculis amisissent, orationibus & iciuniis impetrarunt, ut per aera camelus ad comitatum reuerteretur. Chronicon Saxoniæ, & Bambergense. Cranzius lib.6. Saxoniæ, cap.24. anno 1168 Abbatissam loci (in quo iam per 671. annos Cõstantinopolim eò delata corpora latuerant) lytrum hoc pro fratre persoluisse scribit.

BRVNO Coloniensis archiepiscopus, frater Othonis Magni Imp. corpora sanctorum Patrocli, Gregorij, & Estij, cũ baculo sancti Petri Roma Coloniam transtulit. Cranzius lib. 3. Metropol. cap 27.

OTHO II. Imp. occupato Beneuento, inde ossa sancti Bartholomæi Romam perduxit, ac in ecclesiam, quæ est in insula Tyberis, honorificè collocauit. Sed aiunt [redacted]

REGVLVS Græcus monachus, ex Achaia oriundus, Constantij Imperatoris edicto, diui Andreæ Apostoli reliquiarum, quæ Patris erant, custodiæ addictus, sacras ad seniolum agens uigilias, superne montius est, ut accepto sacrati brachij osse, tribus cum digitis, totidemque alterius pedis articulis, ac in uasculum decenter repositis, Albionem insulam in extremo orbe sitam peteret. Paruit ille, & uariis erroribus actus, tandem in uici cuiusdam Otholiniæ portum (nunc Sancti Andreæ ædem ab Apostoli nomine uocitant) naufragus, rebus omnibus præterquàm sacris reliquiis tempestate amissis, unà cum comitibus peruenit. Heirgustã Pictorum regẽ eorum, quæ fama ad eum detulerat, uisendi cupidum, uenientem ad se Regulus cum sociis excepit: ille humi procumbens, sacras reliquias multa ueneratione osculatus, ubi sacra Christiano more fuere peracta, regium palatium amplis structuris ornatum diuo Andreæ donauit. H. Boethius lib.6.

BOLESLAVS, D. Venceslao fratre Boemorum rege nefariè cæso, ab Othone I. Cæsare ad expiandum parricidium armis coactus, præcepit suis, uti Boleslauia e conspectu suo sepulcrum & corpus Venceslai remouerent, idque noctu, per multas tenebras Pragam transferent, occulteque sine arbitris conderent in æde diui Viti, ab eodem Venceslao ædificata. Grauiter nimirum ferebat signa & prodigia idem tidem ad corpus sanctum, nunc in cæcos, nunc in claudos, nunc in surdos ædi: putabatq; fore, ut illo ad diui Viti sepul[redacted] Venceslao miracula ædita at[redacted] nomen, aquis tunc multis [redacted] Vultauiam adhuc redundantiorem uentum esset, non ponte, ut ille uolebat, sed pleno alueo utrumq; amnem equi transierũt, pedibus tantùm non siccis: mox ultra Vultauiam ad carcerem arci Pragensi subiectum immobiliter substiterũt, necinde ulla ui prius amoueri potuerunt, q̃ die clarissimo (cùm iam multorum aliorum spectatorum oculis res esset testatissima, corpus diui Venceslai uectoris [redacted] id obstinatè prius illi negabãt) uincti ad unum omnes e carcere illo dimissi fuerunt. Corpus præterquàm quòd à corruptione post triennium incolume repertum est, insuper etiam ab omnibus uulneribus erat percuratum, una tantùm auricula capiti deerat, quam Premysliaua Venceslai soror ad limen templi, in quo occisus frater erat, inuentam, arcula clausam habebat: cæterum re, ut gesta fuit, cognita, ne quid de corpore sancto desideraretur, eandem statim Pragã miserat, statimq; illa capiti suo adhæserat. Ab isto de-

in tempore Boleslaus desiit cum numine fraterno luctari: imò rogatus à sacerdotibus, quos de exilio reuocauerat, ut templum Pragæ, in quo diuus Venceslaus requiescebat, consecrari pateretur, etiã de suo fisco pecunias in uiaticum addidit, quò lautiùs Emeranus præsul Ratispona Pragam deduceretur. Dubrauius lib.5.

CASIMIRVS Polonorum dux, cùm sibi per Aegidium Mutinensem episcopum à Lucio III. Romano præsule offerrentur Floriani reliquiæ, ad septem ferè milliaria à Cracouia, cum ingenti omnis generis hominum multitudine, obuiã processit. Cromerus lib.6.

PIVS II. Pp. caput diui Andreæ ex Peloponneso à Michaele Palæologo F. principe loci, Turcarum metu, delatum, prosecutus est maxima pompa, Alexandro Cardinali Sentinati Anconam misso, qui à Græcis acceptum Narniam usque deferret: ubi arce reconditum, exacto pòst anno tribus missis Cardinalibus diuersi ordinis, & decretis itinere toto supplicationibus, Romam iussit afferri, progressusque obuiam ad pontem Miluium, mediis in pratis lacrymabundus excepit, tabernaculo extructo ad rem diuinã faciendam, ubi mox & sacellum erexit Ligustico marmore, & in Vaticano cellam dedicauit simulacro argenteo confecto. Campanus in Pij uita, & Platina, & Cranzius lib.12. Saxoniæ, cap.3.

PHILIPPVS II. Hispaniarum rex, ecclesiæ Toletanæ precibus, apud Carolum IX. Gallorum regem operam dedit, ut martyris Eugenij primi Toletani episcopi corpus Ecclesiæ suæ restitueretur. Quo uotis eius annuẽte, quamuis Galliæ populis dolentibus, ac potissimum sancti Dionysij monachis, in quorum cœnobio multis iam seculis asseruabatur, numenque martyris non uulgaribus miraculis præsentissimum sentiebatur, in Hispaniam per Petrum Manricum Canonicum Toletanum iure quodam postliminij reductum fuit. Consultabant interea Toletani templi patres, an ad ipsos Galliæ & Hispaniæ limites obuiam uenerabundi procederent, indeque Toletum Eugenium deducerent. Quã de re cùm regem consuluissent, uisum est, ut Manricus Turrilacunam, Toletanæ diœcesis limitaneum oppidum, festinaret, ibique tamdiu consisteret, donec quid facto opus esset moneretur. Ventum est Turrilacunam postridie Calendas Iulias anno 1565. ubi Eugenius magna populorum frequentia exceptus, post tam diuturnam à diœcesi sua absentiam, per totum autumnum diuersatus est. Fuit ea dilatio peropportuna, ut interea Episcopis, quos Toletani Antistitis suffraganeos uocant, ad Synodum prouincialem Toleti congregatis, primus Toletanus præsul Episcoporum suorum humeris in ecclesiam Toletanam inferretur. Sub extremum Nouembris diem, qui inter festos in fastis ascriptus, id factum est, pompa celeberrima, uatis diuorum seculis & passionis dominicæ insignibus, reliquiarum capsam, multis gemmis & margaritis fulgentibus illustratam, præcedente: quam per uices Philippus rex & Carolus iuuentutis princeps, & proceres alij subibant: quibus in partem laboris Episcopi prouinciales, & templi maximi sacerdotes succedebant. Hoc tanto apparatu, in urbem multis fornicibus & amplissimis arcubus ornatam, & magno mortalium concursu ex omni fere Hispania frequentatam, reliquiæ illatæ sunt. Nihil illustrius, magnificentius, aut splẽdidius eo in genere urbs Toletana unquam uidit. In ædicula Dominici sepulcri, quæ subter aram maximam in templo est, rege iubente, depositæ fuerunt. Aluarus Gomecius lib.7. de rebus Ximenij.

Coluntur, Honorantur.

Impia est opinio Vigilantii, qui omni honore martyres prosequebat: sulta Eunomii, qui ne cogeretur adorare mortuum, templa martyrum non ingrediebatur. Venerandi sunt martyres, non adorandi, ut Deus: quemadmodum Hieronymus in Vigilantium disserit. L. Vives.

Non nos martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus (inquit D. Augustinus libro octauo de Ciuitate Dei, capite uigesimoseptimo) quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro ueritate [illegible] ut in[illegible] [illegible] tempu-mebant. Quis autem [illegible] sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, uel Paule, uel Cypriane. cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis cœlesti honore sociauit: ut ea celebritate, & Deo uero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarũ atq; palmarum eodem inuocato in auxiliũ ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. Quæcunq;

igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra uel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Quicunq; etiam epulas suas eò deferunt (quod quidem à Christianis melioribus nõ fit, & in plerisq; terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicunq; id faciunt, eas cùm apposuerint, orant, & auferunt, ut uescantur, uel ex eis etiam indigentibus largiantur) sanctificari ibi eas uolunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem ista esse sacrificia martyrum nouit, qui nouit unum, quod Deo illic offertur, sacrificium Christianorum.

Epulas ad sepulcra sanctorum deferendi mos præcipuè ualuit in AFRICA, sicut Aug. l. 6. Confessionum testatur: matrēq; suam refert ad memorias sanctorum attulisse Mediolani pultes, & panem, & merum, dedisseq; ostiario. Sed hæc Ambrosius fieri uetuit, ne ulla occasio daretur ebriosis se ingurgitandi: & quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima. Lud. Viues in librũ 8. Augustini de Ciuitate Dei, cap. 27.

Pontifices Romani, qui post Petrum eam sedem usque ad Syluestrum 1. tenuerant, qui duo & triginta numero fuere, omnes supplicio mactati sunt, præter septem, quibus calamitatum concursu prestis uitæ breuitas faciliorem dedit exitum. Istorum sacro cruore maduit in primis Romana tellus, refertaq; est diuorum reliquiis, quæ breui pòst tempore undique conquisitæ, eò deportatæ sunt. Quæ res à principio nascentis religionis cum primis CLETO atq; Anacleto pontificibus curæ fuit. Hic enim, seorsum à profana plebe, loca ubi martyres sepelirentur assignauit: ille uerò notauit crimine sacrilegij, si quis impediret, quo minus Apostolorum sepulcra munirentur. Ad quæ cùm miracula quoq; fierent, ægrique sanarentur, hinc initium est factum habendi honoris sanctorum reliquiis. Extitit tamen postea Vigilantius natione Gallus, qui negabat Apostolorum ac martyrum reliquias esse colendas, quod eorum animæ essent uel in sinu Abrahæ, uel in loco refrigerationis, uel sub ara Dei, unde pro suo iure non possent de suis tumulis, & ubi uoluerint, adesse præsentes. At D. Hieronymus contra eum scripto pugnauit. Callistus 1. ædem in Transtyberina regione ædificauit, dicauitq; Mariæ uirgini. Sic postea Constantinus Imp. Petro & Paulo, ac D. Laurentio templa extruxit: sic Pontifices qui sequuti sunt, alij alias ædes condidere sacras. Itaque factum est, ut Christiani uiri ac feminæ, usque ab extremis quoq; partibus paulatim Romam peregrè sua sponte confluxerint, sacra loca adeundi, diuorumq; sepulcra uisendi causa. Deinde Gregorius quum Romæ id temporis lethifera laboraretur peste, primùm litanias decreuit: mox certos constituit dies, quibus in præcipuis urbis templis solenni ritu sacrificaretur, ibiq; pro illo sedando malo oraretur suppliciter: ac ut populus generatim simul frequentior eò illis statis diebus concurreret, proposuit delictorum uenia ad id solenne accedentibus, constitutis ad ipsa templa sacerdotibus, qui audirent uolentes de peccatis suis cõfiteri, ut illi inde remissionem omnium delictorum consequerentur. Appellauit Gregorius solennia sacra Stationes, quasi statas, id est, certis anni diebus ac statutis celebres: nãque statæ cæremoniæ, ut Festo Pompeio placet, dicebantur sacrificia, quæ certis quibusdam diebus & statutis celebrabantur, quæ non mutarentur, sed stabilia & firma starent. Alij Stationes dictas uolunt, castrensi imitatione, quòd per inde hæc sacra statutis diebus custodiantur, frequenteturque, ac ueluti loca ad custodiam assignata militibus, quãdo stant uigilantes. Bonifacius deinde VIII. ad hæc sacra loca uisenda primus omnium Iubileum retulit, anno salutis 1300. quo pœnarum remissionem iis præstabat, qui limina Apostolorum uisitassent, ad exemplum ueteris legis. Polyd. lib. 8. cap. 11. de Inuentoribus.

LEO I. adres diuinas intentus, quum populus frequens ex omni parte orbis Romam ueniæ causa concurreret, Apostolorum sepulcris custodes ex Romanis addidit sacerdotibus, & eos Cubiculatios appellauit. Illud ea de causa fecisse uidetur, quò augeretur pietas eò loci orantium, quum animaduerterent diuorum reliquias non sine ueneratione seruari. [redacted]

In Samaria, quæ in honorem Augusti ab Herode Græco sermone Augusta est nominata, siti sunt Helisæus & Abdias prophetæ, & (quo maior inter natos mulierum non fuit) Ioannes Baptista. Eò PAVLA Romana uidua peregrinata uidit uariis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra sanctorum ululare homines more luporum, uocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & post tergum terram uertice tangere: suspensisq; pede feminis, uestes desluere in faciem. Miserebatur omnium, & per singulos effusis lacrymis, Christi clementiam deprecabatur. Hieronymus tomo 1. in epitaphio Paulæ.

Dum essem Romæ puer, inquit D. HIERONYMVS, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi, diebus dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circuire, crebroq; cryptas ingredi, quæ [redacted] rum profunda defossæ, ex utraq; parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodũ illud propheticum compleatur: Descendunt ad infernum uiuentes. & raro desuper lumen admissum, horrorem temperat tenebrarum: ut non tam fenestram quàm foramen dimissi luminis putes: rursumq; pede tentim acceditur, & cæca nocte circumdatis, illud Vergilianum proponitur: Horror ubiq;, animos simul ipsa silentia terrent. Hieronymus lib. 12. in Ezechielem, cap. 40.

DAGOBERTVS Galliæ rex, templum D. Dionysij martyris solido argento texit, ac corpora sanctorum ibi collocauit, phretro aureo, multisq; muneribus, eo quòd illic olim tanquàm in asylo latuisset contra iram patris. Nam cùm eum satellites inde extrahere uellent, ante sacellum fixis pedibus, stupentes intrare non potuerunt. Regino in Chronico, & Nauclerus in secundo Volumine.

Augustinus lib. 1. cap. 26. de Ciuitate Dei scribit, celeberrima ueneratione frequentari martyria quarũdam seminarum, quæ persecutionis tempore sese ipsas in flumen quoddam præcipitauerant, quò pudicitiæ suæ insectatores effugerẽt. Dubitat autem, an hoc rectè factum sit.

Augustinus lib. 22. cap. 8. de reliquiis Stephani scribit, magnũ concursum multitudinis ad eas in Africam usque factum, propter miracula. Earundem quoq; meminit Prosper Aquitanicus, de promissionibus & prædictionibus Dei, cap. 6.

HVNNORVM temporibus dum S. Seruatio Traiectensi episcopo sacra fierent, patefacta desuper æde, columna ignis [redacted] ad altorum usque pependit: quod [redacted] re hunc potissimùm colere, & inter [redacted] runt. Sepulcrum eius in media æde situm, nunquam tecto cooperire ualuerunt. Et quamuis ibi sub diuo rem diuinam faciunt, uotaque suscipiunt: nunquam tamen sacris neque imber & grando, neque nix & tempestas ulla obfuit. Bonfinius lib. 5 Decadis 1.

Reliquias Euphemiæ martyris CHALCEDONE Bithyniorum, in proprio delubro conditas, edidisse miracula, testatur Euagrius libro secundo, capite 3. & Nicephorus libro 15 capite 3. & 5.

LVDOVICVS Francorum rex contra Henricum Imp. pugnãituru, Sanctorum corpora, quæ locis munitissimis recondita erant, in publicum suis proceribus & uniuersæ multitudini uisenda & colenda proferri iussit. Robertus Gaguinus lib. 6. de Francis.

Capta & igni tradita Halberstadia ab Henrici Leonis Saxoniæ ducis militibus, VLRICVS episcopus, S. Stephani reliquias in sui præsidium manu tenens, in quadam domo repertus est: teste Cranzio in Saxonia lib. 6. cap. 40.

In Ecclesia Ouetana HISPANIÆ coluntur sanctorum martyrum corpora, Eulogij, Lucretij & Eulaliæ uirginis, sancti Pelagij martyris, & Vincentij martyris & abbatis, & sancti Iuliani pontificis, & corpus Regis Casti, qui Ouetanam fundauit Ecclesiam. Marineus lib. 5. rerum Hispan.

LAMPERTVS Louaniensium comes, phylacterium de collo in pectus usque dependens, sanctorum reliquiis plenum, circumtulit: atque hoc patrocinio se aduersus omnes generis pericula tutum fore credidit. [redacted]

Cùm Lutinnæ virginis corpus anno 1058. per uicos & castella FLANDRIÆ maritimæ circumferretur, paralytici, surdi, claudi, & aliis morbis detenti subitò sanati sunt. Duo [redacted] tidem cæci uento extincti, ubi ad ossa perlati sunt, [redacted] ui accensi sunt. Iacobus Meyer ex scriptis Dogonis, tum temporis Morinorum episcopi.

Ad sepulcrum MARTINI IIII. pontificis bellicosi multi cælestis dinarij delati, multi cæci perducti, muti & claudi, pristinam ualetudinem recepere. Platina.

Quo tempore Sigismundus Imp. ad reformandum Imperij statum Francofordiæ agebat, quum maximus turbo incubuisset, euersæque sunt numero felices & infelices arbores iacerent, turres ac mœnia urbium conquassarentur, cecidit lapis in ecclesia COLONIENSI insignis magnitudinis, nemo delectus, per duplicem astus testudinẽ, horrẽdo cũ strepitu & fragore, locoq; sanctarũ ex tribus Magis

Magis reliquiarum incubuit. Sed tum diuino (ut ferunt) miraculo, cessit theca ad parietem, deditq; cadenti saxo locũ. Hodiè mònstrant in ecclesia saxum non longè ab sanctis reliquiis. Cranzius lib. 11. Saxoniæ cap. 25.

[redacted]

LVDOVICVS XI. Francorũ rex summã præ se tulit religionẽ, ossa & reliquias diuorũ ubiq; uenerabundè exosculãs.

CVLTVS RESPECTV MATERIAE SIVE OBIECTI SECVNDARIVS. Sic coluntur à Christianis

HOMINES VIVI.

Puta Sacerdotes, Pontifices, alii quinin. De quibus sub loco Iustitiæ religiosæ quædam.

MORTVI. CADAVERA.

Ex loco Funeris & Sepulturæ, hinc quædam.

Duorum Ricardorum patris & filij, Normannorum ducũ, ossa è sepulcris eruta, honestiori ad altare S. Trinitatis tradita fuere sepulturæ, præsentibus Henrico rege Anglorum, & Normanniæ episcopis, anno 1163. Sigeberti continuator.

VALENTIÆ ciues in Hispania die festo S. Mathiæ summa humanitate supplicantes ad locum proficiscũtur, in quo cadauera iacent eorum, quibus crimina mortis causa fuere. Quæ siue suspensa sint, siue iaceant, suscipiunt, & feretris imposita ad sacrum locum deuehunt, ibiq; sacrificiis & orationib. honorificè sepeliunt. Marineus lib. 3. rerum Hispan.

BRVTA.

Sic quædam diuis deuota animalia coluntur, pascendo scilicet, excipiendo, blandiendo, non expellendo.

TEMPLA. DVM scilicet

EXTRVVNTVR.

Ex loco Magnificentiæ exempla hue transferantur.

D. Thomæ Apostoli corpus in urbe INDIÆ quam Malipur appellant, quæ ad regnum Narsinguæ pertinet, sepultum est, multis miraculis celebratum. Tempore quo Martinus Alfonsus Sousa, pro rege Lusitaniẽ Ioanne III. Indiã cum imperio obtinebat, fuerũt ad illũ æneæ tabulæ delatæ, in quibus erant incisæ literæ, quarum usus obsoleuerat, ita, ut nemo eas legere posset. Fuit tandem ab illo Iudæus accersitus, multis linguis eruditus, & minimè antiquitatis ignarus, qui eas tandem cum difficultate propter scripturæ antiquitatem, & linguæ parum notæ rationẽ (erat enim ex multis conflata) perlegit. Literæ autem nihil aliud in summa continebant, quàm à Rege, qui Thomę temporibus illis terris imperabat, donationem Thomæ factam, telluris certa dimensione definitæ, in qua templum extrueret. Osorius libro 3. rerum Em.

FELIX IIII. Romanus pontifex, templum Cosmæ & Damiani apud Romanum forum, quod carmen adhuc in eo scriptum indicat, ædificauit: & Saturnini basilicam uia Salaria restituit. Volater. lib. 22. Anthrop. & Platina.

PASCHALIS I. Romanus pontifex Ludouico Pio imperante, ædem Praxedis extruxit iuxta ueterem, templaq; Cæciliæ ac S. Mariæ ad præsepe restituit. Anno 820. Ibidem.

HILARIVS I. pontifex in baptisterio Constantinianæ basilicæ tria oratoria ædificauit, auro & preciosis lapidibus distinctæ, tribus sanctis dedicata, Ioanni Baptistæ, Ioanni Euangelistæ, & sanctæ Crucis: quorum ianuæ erant æneæ, auro & argento clauſæ. In oratorio autem τῶ σωῆρι erat lignum crucis auro clausum, & ornatum gemmis. Stabat & eo loci agnus aureus duarum librarum in columna onychina: ante oratorium erant columnæ mirę magnitudinis, quæ dicuntur hecaton. In fonte Ioannis erat lucerna aurea librarum, aquam fundentes: columba aurea duarum librarum. Addidit & oratorium sancti Stephani baptisterio Lateranensi. Duas quoque bibliothecas apud eundem locum ædificauit. Ad Lunam uerò monasterium in urbe struxit. Omitto dona templis oblata, quæ quidem propè infinita fuêre, ex auro, argento, marmoribus & gemmis. Platina.

SYMMACHVS I. pontifex, Theoderico regnante templa ædificauit, primùm Andreæ, prope Petri basilicam: deinde Agathæ in fundo Lardario, diui Pancratij: Syluestri quoq; & Martini, iuxta Traiani thermas. Volaterranus libro 22. Anthropologiæ, & Platina.

Quod CONSTANTINVS Magnus Maxentio superato Romæ atque in Italia instituerat, idem quoque Licinio profligato in Oriente ad Imperium suum adiuncto perficere uoluit, id est, ut ad Christianam euehendam ecclesiam primoribus in urbibus magnifica Christo sana construeret. Præstabant autem cæteris, uel ipsorum Imperatorum ibi magnam partem temporis residentium iudicio Nicomedia, Antiochia, & Alexandria: quarum prima Asiæ, secunda Orientis, tertia Aegypti caput habebatur. Hierosolymorum tamen, quæ memorabili Christi passione & admiranda resurrectione nobilitata erant, antiquior ac potior cura fuit. Cùm enim audiret, gentilium principes sepulcrum Domini ad delendam eius memoriam alrè quondam terra obruisse, atque ibi fanum Veneris extruxisse, rem indignatus, præfectis suis statim negotium dedit, ut templum illud diruerent, terrãque egererent, ac loco sepulcri detecto basilicam ibi magnifici operis conderent. Itaque ad montem Caluariæ templum splendidissimum, militibus ac prouincialibus omnibus certatim operam iussu Constantini nauantibus, ædificatum fuit. Cæterùm, quod incredibilem omnibus religionem incussit, locus ille, in quo postremùm Christus uestigia fixerat, cùm in cœlum nube sublatus est, continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana recipere terra reiecit, marmoribus sæpe in apponentium ora excussis. Quin etiam, ut inquit S. Sulpitius, auctor huius historiæ inprimis idoneus, attriti Christo puluueris adeò perenne documentum mansit, ut uestigia etiam impressa conspicerentur: & cùm postea quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diriperet, damnum tamen arena non sentiret, & eandem adhuc sui speciem, uelut impressis signata uestigiis, custodiret. Helena interim, honesto filij exemplo atque imitatione permota, duo alia fana extruere est adorta, unum in Bethleem, alterum in monte Oliuarum: ut non solùm mortis, sed etiam natiuitatis, & ascensionis dominicæ loca monumentis ad accendendam religionem illustribus insigniret: atque ea, filio pecuniam operamque subministrante, perfecit: atque interim puellis, quæ uirginitatem Deo deuouerant, uno in loco accumbentibus, ministrare ancillæ modo pro pietatis magnitudine iussit. Inde Crucis parte, & Titulo, & Clauis assumtis decessit Romam: omniumque occursu excepta, sanctas dominicæ passionis reliquias obtulit: quæ à pontifice & clero ea, qua decuit, reuerentia sunt acceptæ. Inde, sumtum suppeditante filio, magnificam basilicam in Palatio Sessoriano instituit, atque ibi sacri ligni portionem auro gemmisque inclusam, Titulumque ipsum Crucis, qui adhuc seruatur, dicauit. Ea basilica Hierusalem appellata, etiam ab ipsius nomine Helenianæ nomen inuenit, cùm ornamentis illustribus, tum opimis possessionibus præcipuè à Constantino affecta. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

IVSTINIANVS Magnus Imperator Persis in Asia, Vandalis in Africa, Gothis in Italia profligatis, Constantinopoli nobilissimum & incomparabile Sophiæ (Sapientiæ Dei patris, Iesu Christo scilicet) templum extruxit, & preciosissimis lapillis, speciosissimis columnis, aliisque donariis ita auxit & ampliauit, ut primas ferè in toto Christiano orbe tenere putetur. Eius prolixam descriptionem habes apud Euagrium libro quarto, capite trigesimoprimo. Nicephorus libro decimosexto, capite uigesimo, ex Procopio, & Sigebertus. Restauauit idem etiam SS. Apostolorum templum. Item in Pega Dei genitrici templum posuit: Zonaras. Struxit & plurima alia delubra in usum uirorum, feminarum, puerorum, senum, & eorum qui uel corporis uel animi ægritudine laborarent: & opulentos addidit reditus, unde quæ ad eiusmodi pertinent, parari & instrui possent. Euagrius libro quarto, capite trigesimo, & trigesimoprimo. Cùm in tumulto Constantinopolitano incendium multas ædes absumsisset sacras, & ecclesiam magnam, quam Constantinus extrui fecerat, Iustinianus aliam maiorem & elegantiorem fecit. In cuius uestibulo columnam ingentem cum equestri statua sibi collocauit, in loco ubi prius Magni Theodosij statua argẽtea erat, quam conflauit. Cuspinianus.

BASILIVS Imp. ut se Deo cõciliaret, quia Michaelẽ Imp. occiderat, in multis locis urbis regię tẽpla erexit, in honorem S. archangeli Michaelis, qui Archistrategos Græcis dicitur, mirabili & pretioso opere. Et in ipsis templis sacellum extruxit

extruxit sumtuosum, quam ædem Nean, id est Nouam ec-
[illegible]
tus fuit, simul & in celebrandis conuiuiis [illegible] geret, & hostibus latè euãgandi copiam daret. Erexit præterea & templum in honorem cuiusdam Heliæ presbyteri Theshi[illegible] traxerat se ab Helia curru tandem igneo subuectum iri. Cu spinianus ex Zonara.

ISAACIVS Comnenus ædem S. Teclæ erexit in regia Constantinopolitana: quòd eo die, quo memoria illius celebratur, periculum quercus corruentis, patrocinio Teclæ effugisset Zonaras.

ISAACIVS Angelus ædem D. Michaelis, cœlestium copiarum archiducis, in portu sicam instauraturus, si qua in palatio marmorea tabula splendore & guttarum uarietate illustris, uel pauimentũ tegebat, uel parietes ornabãt, eò transferendam curauit. Nicetas lib. 3. de Imperio Isaacij Angeli.

CLODOVEVS Francorum rex Christianus, Argentinensem ædem instituit anno 510. Eandem Dagobertus episcopali dignitate ornauit. Cæterùm anno 1277. turris campanaria magnificẽtia & arte in Europa facilè princeps ẽdificari cœpta, architecto Eruinio à Steinbach, cui successit Ioannes Hilz Coloniensis: absoluit tandem Sueuus quidam. Stumpfius ex Nauclero.

Francorum rex DAGOBERTVS ædem D. Dionysij à fundamentis erexit, ex aliis undequaq; corradens, easq; spolians, quò hanc unam ditaret: nec quisquam ante eum inuenitur, qui patrimonij reditus annuos templis tam magnificè profuseq; donarit. Chronicon Francorum.

Francorum reges CLOTHARIVS & CHILDEBERTVS, defuncta matre Crotochilde, Vincentio ædem magnifico apparatu, in monumentum Gothicæ victoriæ posuerunt, circiter annum Domini 542. Sabellicus Enneádis 8. lib. 3. Sigebertum fratrem dictorum regum extrà mœnia sacellum illud extruxisse, & amplissimis reditibus donasse, scribit. Et addit: regem illum stolam illius martyris cum preciosis aliis & compluribus κειμηλίοις, quæ ex Hispania attulerat, sacello illi religiosè dedicasse.

GENOVEFFA uirgo Parisiensis, Catulacensem uicum, ubi diuus Dionysius morte multatus est, reuerenter frequentauit: cui basilicam quoq; uouit. Sacerdotum collegia supplex adiit, ut ex collata pecunia ædem illi facerent. At illi modò paupertatem, modò calcis inopiam causari. Contrà illa diuinitùs ecstata: Egredimini (inquit) quæso, ad pontem urbis, & quæcunq; audieritis, nunciate mihi. Egressi, dum in foro stant attenti, si quid acciperẽt, ecce subulci duo aduentantes inter se uerba faciunt. Alter: Dum suis (ait) uestigium uaganitis opertus legerem, maximam fornacem calcis inueni. Ego quoq; itidem in sylua, inquit alter. Hæc quæ audierunt stupidi sacerdotes, uirgini referunt. At illa præ gaudio in lacrymas effunditur. Quæ ubi ciuibus significata sunt, magnificè collata pecunia ædes erecta, Dionysioq; dicata. Ne sacra quidem prodigia in ædificanda basilica desuẽre. Nam quum potus fabris lignariis forrẽ deficeret, eadem accepit: quem ubi exorato numine, signo crucis expiauit, mox operãtiis plenum propinauit, parique exuberantia semper rẽdinegratus diuinitùs, eorum sitim ad consummatum usque opus expleuit. Bonfinius libro quinto, Decadis 1.

Veneti NARSETI Eunucho in Gothos exercitũ Rauennam uersus ducẽtanti, præstò fuẽre: & per æstuaria, nauibus datis, & fluuiis ponte constratis tutum iter fecẽre. Ille collaudata populi tum primùm nascẽtis industria, in facti memoriam sacella duo, si res bellicæ ex sententia cederent, uouit, & uotis parta uictoria dicauit: alterum Theodoro intra ædem auréam D. Marci (de qua sub Tit. Templa magnifica) subinde comprehensum, alterum cum uestigio uetustatis Geminiano & Menæ cœlitibus, in areæ Marcianæ fronte. Egnatius lib. 1. cap. 1. Blondus lib. 7. Dec. 1.

Bonfinius lib. 7. Decadis 1. de THEODERICO Ostgothorum in Italia rege, Ariano licẽt, memorat, quòd plurima nobilissima templa passim extruxerit.

In Modoecia THEODELINDA regina Longobardorum Agilulfi uxor, cùm Adoaldum F. peperisset, templum Ioannis baptistæ, pro se & omnibus Longobardis construxit, ut pro se apud Christum intercederent: exinde Longobardi cœperunt Ioannem inuocate. Paulus Diaconus lib. 4. cap. 7. de gestis Longobardorum. Sab lib. 5. En. 8.

LVITPRANDVS Longobardorum rex Papiæ templa plurima extruxit, additis multis prædiis. Bergomensis lib. 10. Idem sacras ædes, ubicunq; in toto regno suo uetustate collapsas comperit, pontificibus & abbatibus, ad quorum curam pertinebant, ut restaurarentur, imperauit, adhibens curam per legatos, ut imperata perficerent. Eginhardus in uita Caroli, & Vrspergensis in Chronico.

CAROLVS Magnus publica opera plurima fecit, ex quibus præcipuum est templum Deiparæ uirginis Romanæ æmulatione, adhuc toti Europę uenerabile ad aquas Granean, exaduerso Palatinæ domus, cui & porticus & proceum ædes ita circumdatæ, ita extructæ, [illegible] domo noctu erumpens, continuato incendio quatuor & [illegible] domos absumsit, uento & materia passim dissecta flammas alentibus. Versa in preces multitudo, ædem D. Iacobo uouit. Ignis eodem momento desedit, & ædes ex uoto erecta. Præsules, qui eam dedicarunt, Scuerianus Patauinus, Hilarius Altinas, Iocundus Tarui linus, & Epodion Opiterginus traduntur. Atque adeò diligens uetustas in hoc uno facto memoriæ mandando fuit, uti diem quoque natalitium urbis prodiderit, octauum uidelicet Cal. April. Egnatius lib. 6. cap. 5.

In ciuitate VENETA sexaginta & duo diuorum spectantur templa insignia, quas Plebanias nominant: uirginum Vestalium, septem & uiginti. Cœnobia fratrum (quos dicimus) totidem præclara inprimis habentur: ne Oliuolense interim D. Petro sacrum numerem, aureamque Marcianam ædem à Iustiniano Patriciaco duce institutam. Egnatius libro 1. capite 1.

MAGNVS antistes Heracliensis, diuinitùs monitus existimatur, ad templorum uaria fundamenta iacienda, quæ Venetiis hodie etiam uisuntur. Petro Oliuolensi templi primùm ab eo fundamenta iacta: D. Mariæ Formosæ extructa ædes, Seruatori in oculatissima urbis parte: D. Ioanni Baptistæ, Raphaeli archangelo, & duodenis Apostolis. Tandem in summo paupertatis ardore mortens, Venetias translatus est: illiusq; ossa in D. Hieremiæ templo hodie iacent. Egnatius lib. 4. cap. 4.

SEBASTIANVS Zianus dux Venetus, is qui Alexandrum III. contra Fridericum Imp. protexit, aureæ ædis D. Marci extruendæ & perficiendæ auctor fuit præcipuus. Sabellicus libro 7. Decadis 1.

VITEKINDVS Saxonum dux, uictus à Carolo Magno, ut iuuaret plantationem religionis Christianæ, magnam partem de arce sua ad Vuisetam, destinauit ædificandæ ecclesiæ, & episcopo Heriberto donauit: unde accepisse nomen episcopatum Myndensem, à Meo & Tuo (Min & Cua) uolunt. Cranzius lib. 1. cap. 9. in Metropoli. Anno Domini 787. ut annotatur in Chronico Saxonico.

THEODO princeps Bauariæ, uel Odilo, quem Rupertus baptizauit, episcopatum Saltzburgensem fundauit. Hartmannus Schedelius.

ARNVLFVS Imp. D. Dei genitrici templum, cum sacerdotibus ac canonicis, quod hodie magna uenerazione in Bauaria frequentissimè inuisitur, extruxit: ubi & sepultus iacet. Ottinga patria lingua nuncupatur. Cuspinianus.

HENRICVS II. Claudus cognomine, Imp. sanctissimus, cum Cunegunda uxore, Palatini Electoris F. castẽ uixit, Christũ hæredem instituit, multa monasteria & templa ædificauit: inter reliqua etiã Basileæ summum templũ ab Henrico I. extructum, uerùm anno 1021. Hunnorum rabie uastatum, & terræ motu deiectum magnificè extruxit. Stumpfius. Idẽ sedem episcopalem Bambergæ fundauit, eamq; amplissimis redditibus ditauit. Vrspergensis. Scotus an. 1007. Chronicon Bambergense. In Bauaria passim templa Vngarorum irruptione uastata, idem restituit. Aucentinus libro quinto, Annalium Boiorum.

GEYSAM Vngarorum regem, dum Christianæ religionis doctrinam suos subditos docere cogitat, & antiquitatis maiorum ceremoniis, nouæ puritatis ritus extructis templis instituere meditatur, Deus per cœlestem ex alto interpretem somnis eum consolatur, omnem sollicitudinẽ deponere, ac [illegible] o animo esse iubet: neq; cum tali cura uexari oportere [illegible] sacella dicet, sacrosanctos introducat antistites, Scythicamq; gentem à prophana religione uindicet, quando sanguine pollutas manus habeat. Neque ullo modo fas esse, infectas humano cruore manus, pias ædes erigere, orthodoxæ fidei fundamenta iacere: quæ pias tantùm & nullo facinore contemeratas expetunt. Sanctissimum ex eo filium proditurum pollicetur, qui ad hæc quæ tanti momenti sunt, à diuina benignitate est prædestinatus. Hunc etiam diuino consilio, sacrosanctum Vngariæ regem futurum, propagaturum Christi nomen inter suos, & hunc unũ plebi suæ salutem ueram parituruum. Demum admonet, se uirum sanctissimum propediem esse missurum: cuius monitis cum obtemperare iubet, quũ diuina hunc mandata delaturum, & gratissimam Deo uictimam dicaturum esse significet. Quum cœlestis in auras se recepisset interpres, Geysa repente somno experrectus immortales Deo gratias agitẽs, regnum, filiumq; futurum Christo opt. max. commẽdat, diuinum somnium cum fidelibus familiaribus communicat. Paucis post diebus sibi nunciatur, Adalbertum uirum grauissimum, Boemiæ antistitem, ac mira uitæ sanctitate præstantem propediem adfuturum, ut Vngaros à falsa religione redimat, Deiq; mandata publicamq; salutem Scythis enunciet. Hunc exemplò cum uirum Geysa fore intellexit, cuius in somnis fuerat admonitus. Obuiam ei cum ornatissima procerum pompa, & nouorum collegio sacerdotum prodiit, pontificemq; Pragensem pro dignitate accepit. Ad auertendas à prophana religione Vngarorum mentes, huius opera & oratione utitur. Multi à pristina religione deficiunt, pars magna baptismatis aquã expiatur: & in plerisq; locis ueri præpotentisq; numinis sacra celebrãtur. Ex eo tempore in Vngarica gente lux diuina latius emicuit. Bonfinius lib. 1. Decadis 2.

GEYSA prælio superato Salomone Vngarorum rege, templum diuæ Virgini pro uictoria extruxit. Vide Titulum, Victoriæ portenta.

Ex præda Giulæ deuicti, qui STEPHANVM regem Vngariæ ex sorore nepotem religionis ergò bello lacessiuerat, magnificum Albę templum constructum est: quod cum ta pon: igni conflagraret, publica enata est opinio, ideo id fieri quòd ex præda, quam Giulas per fas nefasq; corraserat, esset ædificatum. Bonfinius lib. 1. Decadis 2. Idem rex paulò post deuictis Bulgarorum copiis, amplissima spolia templis distribuit. Tertiam quoq; prædæ partem, quam idem deuicto Cupa adeptus est, postibus templi affixit. Idem.

STEPHANVS Vngariæ rex in Alba regali basilicam D. Virginis [illegible] nitidissimam ædificauit, ubi reges [illegible] Magnus [illegible] ab eadem diuo Iacobo Paulosq; dicauit ædem [illegible] dum rex operi, regio lignis, tabulis, ac ornamentis incumberet, ante quam perficeretur [illegible] mortui sunt: quę tandem ab Ladislao rege pronepote suo consummata est. Ibidem.

LADISLAVS Vngarię rex, quum post tot bella tandẽ otium peperisset: in Bihoriensi agro inter uenandum cœlesti admonetur interuuncio, ut ad Chrysium fluuium diuæ Virgini basilicam dicaret, eamq; adiecto oppido munire, quẽ locum ei gratissimum futurum esse significabat. Diuina statim mandata præstitit, magnificentissimam ædem erexit, eiq; pontificem præfecit, oppidum fundauit, Varadinumq; iussit appellari. Pontificium ædem amplissima donatione, diuini cultus gratia, exornauit. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

Prima ERICO Sueonum regi cura fuit de ecclesiis uel fundandis, uel redditibus sacerdotumq; numero augendis. Inter cætera uetò pietatis suæ monumenta Vpsalensem sedẽ, quæ totius regni primaria est ecclesia, à suis maioribus inchoatam, ipse magnifico labore multisq; impensis perfecit, ut testatur Ioan. Magnus lib. 19. Gothicæ historiæ. cap. 4.

CAROLVS IIII. Imp. Pragense templum diui Venceslai magnifico & miro opere ædificare cœpit, primo iacto lapide. Cuspinianus.

IO. GALEACIVS Vicecomes singulari pietatis & magnificentiæ studio, Carthusiæ templum construxit ad quatuor lapidem à Ticinensi patria arce, ubi feratum septa terminantur, additis in alimenta sacerdotum latifundiis. Iouius in Ioanne Galeacio.

ALPHONSVS Castus, rex Hispaniarum, ex manibus Maurorum, quorum millia septuaginta in acie cecidit, duas erexit ecclesias, Orientenensem & Asturinensem. Ritius lib. 2. de Regibus Hispaniæ.

CASIMIRVS II. Polonorum rex templum corporis Christi ædificat. Vide Tit. Sacra profanando irreligiosè tractata.

CONSECRANTVR.

D. BENEDICTVS, Casinum ueniens, templum Apollinis Ioanni Baptistæ dedicauit. Volat. lib. 21. Anthrop.

BONIFACIVS IIII. templum sanctæ Marię rotundę (quod ueteres Pantheon, à M. Agrippa conditum, quia Cybeli & omnibus diis commune esset) à Phoca Imperatore obtinuit, consecrauitque 4. idus Maij, in honorem beatæ Virginis omniumque Martyrum, erectis priùs gentium simulactis, lustratoq; templo. Calendis Nouembris ibi instituit solennitatem omnium Martyrum: unde postea uirgo ad Martyres dictũ fuit. postea crescente religione omnium Sanctorũ appellari cœpit. Anno Domini 607. Sigeber. in Chronicis. Regino, Platina. Hanc ipsam ædem, ab ædificij forma, Rotundam nunc uocant. Fuit id ipsum laminis argenteis tectum, sed illas postea abstulit Constans Imperator. Sabellicus Enneadis octauæ lib. 6. Petrus Præmonstratensis refert, quòd ante dedicationem eius, Christiani sæpe à dæmonibus percussi sint in illo templo: id uerò deinceps, post consecrationem eius, non amplius esse factum.

FELIX III. institut, ut templa à sólis prętulibus consecrarentur. Anno 484. Volat. lib. 22.

Mira fuit tẽpl D. DIONYSII in Lutetiæ suburbanis dedicatio. Pontificibus enim, qui ad dedicationẽ conuenerant, leprosus quidã, qui in eo tẽplo noctẽ illa excubuerat, narrauit, Christũ à se uisum, aliosq; sanctos templũ dedicãtes: iubeate

Ioannis baptistæ magnificum extruunt, & miraculose illud idem conseruatur. Vide Tit. Preces exaudiræ.

Primi VENETÆ urbis conditores (quos Patauinos fuisse aiunt) quum casas quasdam extruxissent, nec adhuc templum alicui numini dicassent, repentè ignis ex architecti [illegible] domo noctu erumpens, continuato incendio quatuor & [illegible] domos absumsit, uento & materia passim dissecta flammas alentibus. Versa in preces multitudo, ædem D. Iacobo uouit. Ignis eodem momento desedit, & ædes ex uoto erecta. Præsules, qui eam dedicarunt, Scuerianus Patauinus, Hilarius Altinas, Iocundus Tarui linus, & Epodion Opiterginus traduntur. Atque adeò diligens uetustas in hoc uno facto memoriæ mandando fuit, uti diem quoque natalitium urbis prodiderit, octauum uidelicet Cal. April. Egnatius lib. 6. cap. 5.

In ciuitate VENETA sexaginta & duo diuorum spectantur templa insignia, quas Plebanias nominant: uirginum Vestalium, septem & uiginti. Cœnobia fratrum (quos dicimus) totidem præclara inprimis habentur: ne Oliuolense interim D. Petro sacrum numerem, aureamque Marcianam ædem à Iustiniano Patriciaco duce institutam. Egnatius libro 1. capite 1.

MAGNVS antistes Heracliensis, diuinitùs monitus existimatur, ad templorum uaria fundamenta iacienda, quæ Venetiis hodie etiam uisuntur. Petro Oliuolensi templi primùm ab eo fundamenta iacta: D. Mariæ Formosæ extructa ædes, Seruatori in oculatissima urbis parte: D. Ioanni Baptistæ, Raphaeli archangelo, & duodenis Apostolis. Tandem in summo paupertatis ardore mortens, Venetias translatus est: illiusq; ossa in D. Hieremiæ templo hodie iacent. Egnatius lib. 4. cap. 4.

SEBASTIANVS Zianus dux Venetus, is qui Alexandrum III. contra Fridericum Imp. protexit, aureæ ædis D. Marci extruendæ & perficiendæ auctor fuit præcipuus. Sabellicus libro 7. Decadis 1.

VITEKINDVS Saxonum dux, uictus à Carolo Magno, ut iuuaret plantationem religionis Christianæ, magnam partem de arce sua ad Vuisetam, destinauit ædificandæ ecclesiæ, & episcopo Heriberto donauit: unde accepisse nomen episcopatum Myndensem, à Meo & Tuo (Min & Cua) uolunt. Cranzius lib. 1. cap. 9. in Metropoli. Anno Domini 787. ut annotatur in Chronico Saxonico.

THEODO princeps Bauariæ, uel Odilo, quem Rupertus baptizauit, episcopatum Saltzburgensem fundauit. Hartmannus Schedelius.

ARNVLFVS Imp. D. Dei genitrici templum, cum sacerdotibus ac canonicis, quod hodie magna uenerazione in Bauaria frequentissimè inuisitur, extruxit: ubi & sepultus iacet. Ottinga patria lingua nuncupatur. Cuspinianus.

HENRICVS II. Claudus cognomine, Imp. sanctissimus, cum Cunegunda uxore, Palatini Electoris F. castẽ uixit, Christũ hæredem instituit, multa monasteria & templa ædificauit: inter reliqua etiã Basileæ summum templũ ab Henrico I. extructum, uerùm anno 1021. Hunnorum rabie uastatum, & terræ motu deiectum magnificè extruxit. Stumpfius. Idẽ sedem episcopalem Bambergæ fundauit, eamq; amplissimis redditibus ditauit. Vrspergensis. Scotus an. 1007. Chronicon Bambergense. In Bauaria passim templa Vngarorum irruptione uastata, idem restituit. Aucentinus libro quinto, Annalium Boiorum.

GEYSAM Vngarorum regem, dum Christianæ religionis doctrinam suos subditos docere cogitat, & antiquitatis maiorum ceremoniis, nouæ puritatis ritus extructis templis instituere meditatur, Deus per cœlestem ex alto interpretem somnis eum consolatur, omnem sollicitudinẽ deponere, ac [illegible] o animo esse iubet: neq; cum tali cura uexari oportere [illegible] sacella dicet, sacrosanctos introducat antistites, Scythicamq; gentem à prophana religione uindicet, quando sanguine pollutas manus habeat. Neque ullo modo fas esse, infectas humano cruore manus, pias ædes erigere, orthodoxæ fidei fundamenta iacere: quæ pias tantùm & nullo facinore contemeratas expetunt. Sanctissimum ex eo filium proditurum pollicetur, qui ad hæc quæ tanti momenti sunt, à diuina benignitate est prædestinatus. Hunc etiam diuino consilio, sacrosanctum Vngariæ regem futurum, propagaturum Christi nomen inter suos, & hunc unũ plebi suæ salutem ueram parituruum. Demum admonet, se uirum sanctissimum propediem esse missurum: cuius monitis cum obtemperare iubet, quũ diuina hunc mandata delaturum, & gratissimam Deo uictimam dicaturum esse significet. Quum cœlestis in auras se recepisset interpres, Geysa repente somno experrectus immortales Deo gratias agitẽs, regnum, filiumq; futurum Christo opt. max. commẽdat, diuinum somnium cum fidelibus familiaribus communicat. Paucis post diebus sibi nunciatur, Adalbertum uirum grauissimum, Boemiæ antistitem, ac mira uitæ sanctitate præstantem propediem adfuturum, ut Vngaros à falsa religione redimat, Deiq; mandata publicamq; salutem Scythis enunciet. Hunc exemplò cum uirum Geysa fore intellexit, cuius in somnis fuerat admonitus. Obuiam ei cum ornatissima procerum pompa, & nouorum collegio sacerdotum prodiit, pontificemq; Pragensem pro dignitate accepit. Ad auertendas à prophana religione Vngarorum mentes, huius opera & oratione utitur. Multi à pristina religione deficiunt, pars magna baptismatis aquã expiatur: & in plerisq; locis ueri præpotentisq; numinis sacra celebrãtur. Ex eo tempore in Vngarica gente lux diuina latius emicuit. Bonfinius lib. 1. Decadis 2.

GEYSA prælio superato Salomone Vngarorum rege, templum diuæ Virgini pro uictoria extruxit. Vide Titulum, Victoriæ portenta.

Ex præda Giulæ deuicti, qui STEPHANVM regem Vngariæ ex sorore nepotem religionis ergò bello lacessiuerat, magnificum Albę templum constructum est: quod cum ta pon: igni conflagraret, publica enata est opinio, ideo id fieri quòd ex præda, quam Giulas per fas nefasq; corraserat, esset ædificatum. Bonfinius lib. 1. Decadis 2. Idem rex paulò post deuictis Bulgarorum copiis, amplissima spolia templis distribuit. Tertiam quoq; prædæ partem, quam idem deuicto Cupa adeptus est, postibus templi affixit. Idem.

STEPHANVS Vngariæ rex in Alba regali basilicam D. Virginis [illegible] nitidissimam ædificauit, ubi reges [illegible] Magnus [illegible] ab eadem diuo Iacobo Paulosq; dicauit ædem [illegible] dum rex operi, regio lignis, tabulis, ac ornamentis incumberet, ante quam perficeretur [illegible] mortui sunt: quę tandem ab Ladislao rege pronepote suo consummata est. Ibidem.

LADISLAVS Vngarię rex, quum post tot bella tandẽ otium peperisset: in Bihoriensi agro inter uenandum cœlesti admonetur interuuncio, ut ad Chrysium fluuium diuæ Virgini basilicam dicaret, eamq; adiecto oppido munire, quẽ locum ei gratissimum futurum esse significabat. Diuina statim mandata præstitit, magnificentissimam ædem erexit, eiq; pontificem præfecit, oppidum fundauit, Varadinumq; iussit appellari. Pontificium ædem amplissima donatione, diuini cultus gratia, exornauit. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

Prima ERICO Sueonum regi cura fuit de ecclesiis uel fundandis, uel redditibus sacerdotumq; numero augendis. Inter cætera uetò pietatis suæ monumenta Vpsalensem sedẽ, quæ totius regni primaria est ecclesia, à suis maioribus inchoatam, ipse magnifico labore multisq; impensis perfecit, ut testatur Ioan. Magnus lib. 19. Gothicæ historiæ. cap. 4.

CAROLVS IIII. Imp. Pragense templum diui Venceslai magnifico & miro opere ædificare cœpit, primo iacto lapide. Cuspinianus.

IO. GALEACIVS Vicecomes singulari pietatis & magnificentiæ studio, Carthusiæ templum construxit ad quatuor lapidem à Ticinensi patria arce, ubi feratum septa terminantur, additis in alimenta sacerdotum latifundiis. Iouius in Ioanne Galeacio.

ALPHONSVS Castus, rex Hispaniarum, ex manibus Maurorum, quorum millia septuaginta in acie cecidit, duas erexit ecclesias, Orientenensem & Asturinensem. Ritius lib. 2. de Regibus Hispaniæ.

CASIMIRVS II. Polonorum rex templum corporis Christi ædificat. Vide Tit. Sacra profanando irreligiosè tractata.

CONSECRANTVR.

D. BENEDICTVS, Casinum ueniens, templum Apollinis Ioanni Baptistæ dedicauit. Volat. lib. 21. Anthrop.

BONIFACIVS IIII. templum sanctæ Marię rotundę (quod ueteres Pantheon, à M. Agrippa conditum, quia Cybeli & omnibus diis commune esset) à Phoca Imperatore obtinuit, consecrauitque 4. idus Maij, in honorem beatæ Virginis omniumque Martyrum, erectis priùs gentium simulactis, lustratoq; templo. Calendis Nouembris ibi instituit solennitatem omnium Martyrum: unde postea uirgo ad Martyres dictũ fuit. postea crescente religione omnium Sanctorũ appellari cœpit. Anno Domini 607. Sigeber. in Chronicis. Regino, Platina. Hanc ipsam ædem, ab ædificij forma, Rotundam nunc uocant. Fuit id ipsum laminis argenteis tectum, sed illas postea abstulit Constans Imperator. Sabellicus Enneadis octauæ lib. 6. Petrus Præmonstratensis refert, quòd ante dedicationem eius, Christiani sæpe à dæmonibus percussi sint in illo templo: id uerò deinceps, post consecrationem eius, non amplius esse factum.

FELIX III. institut, ut templa à sólis prętulibus consecrarentur. Anno 484. Volat. lib. 22.

Mira fuit tẽpl D. DIONYSII in Lutetiæ suburbanis dedicatio. Pontificibus enim, qui ad dedicationẽ conuenerant, leprosus quidã, qui in eo tẽplo noctẽ illa excubuerat, narrauit, Christũ à se uisum, aliosq; sanctos templũ dedicãtes: iubeate

bente Christo, ut quod uiderat pontificibus ad dedicationem profectis referret: eiusq; rei, ne forte fides desideraretur, signum ostenderet illud, quòd esset à lepra mundatus, cutisq; ex facie, quæ tuberculis eius morbi ulcerosa esset, tota esset sublata. Ei igitur non fides tantùm est habita, sed etiam à dedicatione pontifices abstinuerunt. In rei autem memoriam, nunc quoq; detracta ex leprosi uultu cutis, aurea pyxide condita ostenditur, & dies quotannis inter solennes celebratur. Fulg. lib. 1. cap. 6.

HELINVVARDVS Mindensis episcopus, quum de consecratione maioris ecclesiæ Mindensis hæsitaret, non inueniens monumenta legitima ante se factæ consecrationis: quò solennitate maiori res gereretur, inuitasse fertur uicinarum ecclesiarum pontifices, Dudonem Paderburnensem (quem ego Popponem alio dictum reor nomine) & Drogonem Osnaburgensem, ut illi in consecratione ecclesiæ suæ principalis non dedignarentur adesse. Aderant: & rebus per omnia solenniter de more gestis, maximo cleri ac populi cõcursu, in sua quiq; redierunt. Consecrata est autem sub honore sanctorum martyrum Gorgonij, Laurentij & Alexandri, cùm annus Christi ageretur DCCCCLII. Cranzius lib. 3. Metrop. cap. 32.

EXORNANTVR.

DONVS Pp. strauit marmore atrium Basilicæ Petri, quod Paradisum appellant. Volat. lib. 22.

DAGOBERTVS Francorum rex, templum Dionysij solido argento texit, ac corpora sanctorum eò collocari fecit, condito pheretro aureo, & additis multis preciosis muneribus, eo quòd illud templum aliquando ipsi contra patris iram asylum fuerat, cùm serui, qui eum inde extrahere iussu patris uoluerant, ante sacellum fixis pedibus stupentes constitissent, nec potuissent intrare. Regino in Chronico. Nauclerus 2. Volumine.

COLVNTVR.

Speculum Vincentij lib. 18. cap. 33. narrat, ex consuetudine SEVERVM Coloniensem, summum pastorem, Dominicis diebus post matutinas preces loca sancta circuiuisse: sed quo id ritu factum sit, incertum est.

Decretum est in concilio Saligunstadiensi anno 1023. ut nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tàtùm excepto. Statuit eadẽ Synodus, ne colloquia profana in atrio Ecclesiæ habeantur, ubi orationes & diuina tantùm fieri equũ est officia.

HYGINVS Papa materiam templorum in profanos usus conuerti prohibuit. Volat. lib. 22.

CALLINICVS patriarcha Constantinopolitanus templum Deiparæ destruere renuit. Vide Tit. Constantiæ religiosæ.

EXPIANTVR.

Templum à SACERDOTE stupro pollutum aquæ benedictæ aspersione expiari seu reconciliari debet, ut monet Alexãder III. Pp. lib. 5. Decretaliũ, Titulo 16. cap. 5. Significari.

MONASTERIA, DVM EXTRVVNTVR.

Ex loco Magnificentiæ illustretur.

PAVLA, Romana matrona, cum D. Hieronymo in Syriã profecta, quatuor illic monasteria extruxit. Virginum tria, quibus ipsa præfuit: unum uirorum, cui Hieronymus. Sic per 20. annos orando, psallendo, cõciones audiendo, deorum uitam imitata fuit.

GREGORIVS I. pontifex paternam domum in cliuo Scauri positam, non longè à Circo maximo, in monasterium redegit, quo in loco & hospites continuò accipiebat, & pauperes undiq; confluentes, cibo & potu in uita retinebat. Sex alia monasteria in Sicilia extruxit. Platina.

ELEVSIVS & MARATHONIVS, alter Cyzicenus, alter Constantinopolitanus episcopi, monasteria frequentia uirorum & mulierum institucrunt, atq; aliorum plurimorum cœtum ad se attraxerunt, ex iis qui uitam frugi & asperam perfectissimum pietatis signum esse statuunt. Suidas.

Cùm Rodoaldus dux Beneuentanus, Tarentum, Brundusiũ, ac totam Apuliam occupasset, eius uxor THEODATA mulier pientissima, ex his manubiis non longè à Beneuento basilicam in honorem beati Petri ædificauit, addito sacrarum uirginum cœnobio. Platina in Leone II.

GREGORIVS II. pontifex domum paternam mortua mãtre in honorem Agathæ Christi martyris dedicauit, eoq; loci monasterium extruxit, additis suburbanis & rusticis prediis, ad monachorum usum & commoditatem. Platina.

BENEDICTVS II. pontifex Romę beati Petri Apostoli, Laurentij martyris in Lucina, beati Valentiniani uia Flaminia, Virginis genitricis ad martyres templa magnis sumtibus restituit, eademque ophitico & porphyretico lapide, incrustatione parietum, opere tectorio & uermiculato, argenteis atque aureis uasis, uestibus inauratis, & holosericis exornauit. Platina.

PERTHARIS Longobardorum rex, religionem Benedicti & pietatem imitatus, monasterium Papiæ in honorem Agathæ Agathæ ædificauit. Platina.

Hersfeldense monasterium BONIFACIVS Moguntinus episcopus extruxit, anno Domini 736. iuxta Chronicon Quedelburgense, & Trithemium in epitome rerum Francicarum, & Schafnaburgensem. Fuldense uerò anno 742. Sigebertus in Chronico.

Selingastadij CAROLVS Magnus D. Stephano monasteriũ ædificauit, anno Domini 781. Chronicon Quedelburgense. Idem secundùm numerum alphabeti monasteria condidit, & in singulis literam auream centum librarum Turonensium collocauit. Mutius lib. 8.

DAGOBERTVS Francorum rex anno sui regni tertio, fundauit cœnobium, quod Album castrum, uel Vueissenburg dicitur, instituti Benedictini, circa annum Christi 623. Dotauit uerò & auxit anno Christi 664. ac diuo Petro & Stephano dedicauit. Irminæ filiæ suæ in palatio antiquissimo, quod Horreum dicebatur, apud Treuerenses monasterium puellarum extruxit, instinctu Modoaldi Treuerensis episcopi, qui & ipse duo monasteria in eadem urbe monialibus construxit. Tritenhemius de gestis Francorum. Sub diœcesi Treuerica, Tholegiense cœnobium sancti Mauricij, quod itidem est Benedictini instituti, fundauit, ac munificentissimè donauit: anno Christi 627. Absolutum illud est postea à filio eius Sigeberto, rege Austrasiæ. Bruschius de monast. Germaniæ.

COLVMBANVS, homo in insula Hybernia natus, atq; eximia doctrina & rigida uitæ innocẽtia notus, postquam Luxouiense monasterium constituerat, ac sanctitatem suam Francorum regibus multis modis probarat, in Italiam uenit, atq; ab Agilulfo rege Longobardorum benignè acceptus, cùm multa alia egregiæ pietatis suæ monumenta edidit, tum inprimis Mediolani agens, Arrianos, qui multi ad huc in regno erant, & uerbis, & scriptis, ipso probante Agilulfo, concidit. Sequenti uerò anno 614. cùm optionem à rege accepisset, ut ubicunq; uellet, sibi monasterium conderet, neq; de loco secum constituere incertus animi posset, ubi Bobij nomen apud regem celebrati audiuit, noua subitò loci cupiditate exarsit, atq; eum à rege poposcit. Erat autem ad regem delatum, basilicã Petri apostoli quãdam Apennini, in saltibus reperiri, locum circà soli ubertate fœcundum, aquis irriguum, copia piscium affluentem, quem ueteres Bobium ab riuo ibi fluente uocassent, non multis millibus passuum à Papia distantem. Huc igitur locum Columbanus adeptus, extemplò basilicam, quę semiruta erat, refecit, & monasterium addidit, & aduocatis monachis abbas præfuit, atq; ibi post annum interiit. Columbanum inde Attala, Attalam Bertolfus abbas est consecutus. Quos omnes inter sanctos relatos Beda prodidit, qui illorum uitas descripsit. Monasterium ab Agilulfo & posteris eius ditatum, & monachorum sanctitate, & catholicæ fidei defensione præcelluit. Sigonius lib. 1. regni Italici.

SIGEBERTVS rex de prole penitus desperans, duodecim monasteria extruxit, inter quæ Stabulaus & Malmudarium præcipua æstimantur. Sigebertus. Idem monasteriũ Yuest, ut quidam uolunt, condidit: quamuis alij Lucio regi adscribant. Polydorus lib. 4. Sãgallensis abbatia apud Helueticos, intra muros urbis sancti Galli, quæ totum comitatum Dokenburgensem sub sua potestate habet, sumtibus ac munificentiis Sigeberti Austrasiæ regis, ac Fridbergæ conjugis extructa est: quam sanctus Gallus, qui primus apud accolas illos Acronij lacus, id est Brigantinos & Arbonenses, Euangelium plantauit, à dæmonio liberauerat. Cœptum opus anno Christi 630. Bruschius in Monasteriis.

Sub Lothario Imp. anno Salutis MCXXVII. ingens Franconiæ cœnobium Cistercienfis ordinis Eboracum (aliis Loracum dicitur) condi cœptum est (quo loco corda episcoporum Herbipolensium sepeliuntur) à duobus fratribus nobilibus; BERNONE & RICHVVINO, qui castrum suum Eborchum latronum olim domicilium, diuo Bernardo dicarunt, ut domus fieret orationis, strenuè multis principibus coadiuuantibus: Potissimùm uerò annitente Conrado III. Romanorum rege, & Gertrude coniuge, priusquam regalem adepti sunt dignitatem. Cuspin.

OTHO Magnus Imp. Magdeburgi regalem abbatiam professionis Benedictinæ fundauit: sed paulo post eam in archiepiscopatum commutauit, ac monachis extra urbis mœnia, in quodam colliculo (unde postea cœnobium nomen suum accepit) locum concessit. Henricus de Erfordia.

Idem ex S. Meginrad i cella, magnificã fecit abbatiam Einsidlensem, siue Eremitarum apud Heluetios, quam amplissimis prouentibus annuis dotauit, ac pauperũ principum, comitum ac baronum receptaculum perpetuum esse iussit: ut Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ indicat.

HENRICVS II. Imp. multo labore & ære, ab Vngaris uastatæ passim per Germaniam templa cœnobiaq; restituit: & monachos, qui ob paupertatem suam professionem abiecerant, ad officium coegit. Auentinus lib. 5 Annalium.

Narrat Auentinus, VTILONEM Bauariæ principẽ (uel Odilonem, uel Theodonem) septem monasteria extruxisse, unũ Mainse, prope Mœnum, lacum Noricorum: sex in inferiori Bauaria, iuxta Danubium, lib. 3. Annalium.

VRSVS Patriciacus Venetorum dux monasterium diui Felicis ad Amianos extruxit: in quo postea sepultus est. Huius liberalitas in pauperes, & in reliquos munificentia cõmendatur. Vndeuigesimo principatus anno sponte sese abdicauit, quando prægrauante senecta parem huic curæ se nõ esse cognosceret. Egnat. lib. 4. cap. 1.

Idelstenum Canonissarum liberarum, & ab omni professione ac regula immunium, in Sueuia pulcerrimum collegium, (in quo omnibus uirginibus liberum erat egredi uicissim, & nubere, soli uerò abbatissæ propter benedictionem, integrum non erat) fundatùm & liberalissimè dotatum est, anno Christi 1126, à GISALA germana sorore Vernheri Vspergensis fundatoris, comitis de Schuuabegk & Baltzhusen. Bruschius.

D. BERNARDVS monasteria plura, quàm credibile fermè est, extruxit. Refert auctor uitæ, illum 160 monasteriorum patrem esse, lib. 5. c. 2. Trithemius in Chronico Hirsaugensi numerat 140.

BRVNO, Othonis Magni ex Ludolpho filio nepos, pontificatum Verdensem ingressus, patrimonium suum sacris rebus dicauit, indeq; in honorem B. Virginis & Ioannis Baptistæ, collegium cœlibem uitam agentium uirginum extruxit, ac plurima ecclesiæ ornamenta de suo comparauit. Cranzius in Metropoli lib. 3. cap. 36.

BONIFACIVS IIII. domum paternam in monasteriũ redegit, fundosq; suos monasterio ascripsit in monachorum usum. Platina.

ROBERTVS Hugonis, Capeti filius, Francorum rex, plurima religiosa loca extruxit. Apud Aurelià cœnobium sancti Anniani, in sylua Aquiliana S. Medardi, & sancti Leodegarij, in Viteraco castro S. Regalis, in ciuitate Syluanectensi, apud Augustodunum sancti Cassi Rauissus.

LVDOVICVS Crassus, Francorum rex, fecit cœnobium S. Victoris in suburbijs Lutetiæ. Rauissus.

Cõsueuerat RODVLPHVS Rom. rex semper sexta feria, quę dies est Veneris, passioni Christi dicatus, cum hoste manus conserere: nam S. Crucem religiosissimè uenerabatur. Votum itaq; Deo fecit, si uictoria cõtra Othocarum Bohemiæ regem potiretur, sese in honorẽ S. crucis nouum extructurum cœnobium. Othocarus castris exutus, in fuga à Stirio nobile, cuius fratrem prius iniquè decollauerat, uulneratus, nudus in Laha oppidum Austriæ delatus, expiauit: anno Salutis 1279. de eius exercitu quatuordecim millia desiderata, præter captiuos. Rex uoti reus in Tulna Austriæ oppido cœnobium monialium (quod hodie durat) extrui in honorem S. Crucis fecit, donarijsq; ac censibus dotauit. Cuspinianus.

ROBERTVS Flandriæ comes, uxori suæ Clementiæ per literas ex terra Sancta missas, anno 1098 mandauit, ut in honorem D. Andreæ cœnobium constueret: quòd is sanctus sacram lanceam, quæ iam multis seculis humo defossa iacuerat, demonstrasset peregrinis. Clementia iussis parẽs, à Baldrico episcopo & Lamberto archidiacono locum quendã in Bertferkerck iuxta Brugas impetrauit, ibiq; monasteriũ Benedictinorum extruxit. Iacobus Meyer.

CAROLVS IIII. Imp. multa collegia canonicorum ac monasteria Pragæ fundauit & erexit. Ac in Ingelheym oppido Rhenano, Moguntinensis diœcesis, Canonicorum regularium instituit collegium, ad quod soli recipiuntur Bohemi, quod hodie extat. Cuspinianus.

OSVIVS rex Anglorum, deuicto Merciorum rege Penda, primus in ea gente ecclesiæ Dei hospitia præbuit, templa ac monasteria ædificauit plurima, inter quæ præcipuum legitur in insula Certui, in quo ipse filiam suam uirginẽ abdidit, in gratiam uictoriæ à Deo cõcessæ. Beda in historia Ecclesiastica lib. 3. cap. 21. & 24. Sigebertus.

EDGARVS Anglorum rex, singulis annis quibus regnũ administrauit, nouum monachis extruxit cœnobium. Balæus centuria 2. Scriptorum Britanniæ. Quadraginta cum monasteria extruxisse, Ranulphus lib. 6. ca. 9. Polychronici scribit.

Inter reges Suecos nullius maior in extruẽdis monasteriis liberalitas fuit, quàm MAGNI Ladalaos dicti, præter id quòd ea quæ à reliquis regibus extructa erant, magnificè dotauit. Ioannes Magnus lib. 20. cap. 7.

IOANNES Boemorum rex miratus uitam Carthusiensium asperam, eos nunquã antea in Boemia uisos, Pragam, condito illis tẽplo, & benè dotato, adduxit. Dubrauius lib. 21.

DEDICANTVR, CONSECRANTVR.

Mimigardeuordẽsis ecclesiæ episcopus HERMANNVS primus instituit, dedicauit, & consecrauit monasterium & ecclesiam trans aquas, in titulum & honorem beatæ Mariæ Virginis. Quod monasterium breui ita excreuit, adeoq; factum est celebre, ut nomẽ dederit & ciuitati & episcopo: ita ut paulatim abolitum [illegible] uocabulum inceperit. Dre[illegible] Monasteriis & ciuitas & ecclesiæ Cranzius. lib. [illegible] c. 14.

REFICIVNTVR.

VVALRAMO Coloniensi archiepiscopo, eo quòd suũ antecessorem extasi correptum sepeliisset, satisfactionis loco à Pontifice impositum [illegible] collapsum aliquod reparare monasterium. Cranzius in Metropoli lib. 3. cap. 42.

COEMETERIA.

MONVMENTA SACRA.

Sepulcra itidem ut imagines non per se, sed propter eos, quorum sepulcra sunt, colunturur. Proinde ex Vit. Sanctorum corpora culta, huc ex transferantur exempla, in quibus sepulcrorum cultus occurrit.

D. GREGORIVS Pp. cõsuetudinem quantumuis uetustam, illicitam tamen, ex sua remouit ecclesia, loca sepulturæ pro pecunia uendendi, exemplũ Abrahæ & Sichimitarum imitatus: & consiliũ idipsum dedit episcopo Messanensi lib. 7. Epist. c. 4. Idem epistola 55. Ianuarium episcopum Sardiniæ uehementer reprehẽdit, quòd à Nereide clariss. femina centũ solidos pro filiæ sepultura exegerit, adeoq; de terra concessa putredini quæstum fecerit, quod ne paganus quidem Ephron Sichimita erga Abrahamũ peregrinum cõmiserit.

TEMPORA SACRA DVM INSTITVNTVR, ET OBSERVANTVR, ratione habita Temporis maioris, cuius partes sunt. Sic colitur à Christianis

ANNVS V. C. Iubileus.

BONIFACIVS IIX. Pp. anno Sal. MCCXCV, Iubileum annum instituit [illegible] & centesimo quoque anno renouari iussit, & iis, qui Romam uenirent, & suas ibi preces effunderent ad diui Petri atq; Pauli sepulcra, peccatorum omnium plenam condonationem promisit, ut populum Romanum ab inani Secularium ludorum celebratione, ad uerum solenne sacrum reduceret. Quinquagesimo post instante anno, Clemẽs VI. sanxit Iubileum celebrari L quoque anno (quum ætas hominis uix Iubileum illum C. anno attingere posset) qui uerus fuit Iubileus. an. 1345. (Volat. lib. 22.) in quo septies septem quadraginta nouem constituunt: ut proximus quinquagesimus esset uerus sabbatismus, tribuens plenam remissionem peccatorum. Eo anno tãtam fuisse hominum multitudinem Romæ scribit Petrarcha, oculata fide: ut nihil mirum fuerit ex ea colluuione ortam grauissimam pestem, quæ omnem Italiam ita exhausit, ut ex mille uix decẽ superessent. Cranzius lib. 9. Metrop. cap. 43. VRBANVS VI. Pp. Iubileum de anno quinquagesimo transtulit ad trigesimum tertiũ, quot sunt anni Christi Iubileum prædicantis: statuitq;, ut an. 1390 primùm & deinceps per trigesimum tertium seruaretur. Cranzius libro 10. Metrop. c. 21. Postremò SIXTVS IIII. Iubileum ad XXV quenq; annum reduxit, primusq; celebrauit, qui fuit annus MCCCCLXXV Salutis: id fecit, ut quæq; ætas eius muneris particeps fieret. Eo tẽpore Pontifex auream, uti uocant, portam aperiit, ad quam infinita concurrit hominum turba, consequendæ peccatorum remissionis causa. Malleolo pontifex aureo portam ferit ([illegible] Dum portam pontifex malleo percutit, opifices illã uectibus estringunt. Ibi populus, qui certatim irrumpit, eius ruinæ calcem atq; rudera studiose colligit, [illegible]

Sub NICOLAO V. anno MCCCCL. pronunciato Iubileo, tanta multitudo Romam uenit, quanta nunquam antea.

eamq; rem magnopere à Rabano monacho Theologo insigni, cheminibus & prosa laudatam fuisse. Platina, Auentinus lib.4. Bonifacius IIII. Pont. quū animaduerteret Nouembres Calendas sacras celebresque Rom. populo esse, propter insignem preclaramq; Lucii Cornelij victoriam de sociis, qua die celebres gladiatorii ludi, multaq; alia id genus spectacula ederentur ad totius ciuitatis Rom. manifestam uesaniam, quum Martem louemq;, aliaq; numina uetera subinde inuocarent: multis frustrà tentatis remediis, ut nec penitùs lasciuiendi memoria tolleretur, festum omniū Martyrum celebrandum instituit. Quo die etiam id institutum, retentumq; pertinacissimè est, ut quemadmodum populus Rom. gladiatores ipsos uulnerari interficiq; lætabundus inspiceret: sic domi suæ quisq; anserem haberet, cuius funere gaudens, exultansq; frueretur, cuius pluma lecti ipsi ad præcipuum hominis commodū, uoluptatemq; sternerentur. Egnat. lib.2. cap.1. Obtinuit idem Pantheon à Phoca Imp. & omnib. Martyrib. cōsecrauit, pòst omnibus Sanctis consecratum. Sigebertus.

Sanctorum quorundam.

Vt frequentius plebs Christiana cōueniret ad sacram concionem, & ad cultum diuinum concelebrandum, habito Lugduni antistitum conuentu, omnes illos dies, in quibus Christi gesta designantur, sanxerunt esse colendos, & alios complures constituerunt, qui Christianis perpetuò festi essent, quibus aut sancti è uita hac calamitosa in cœlum migrassent, aut aliquid in religione sanctū esset gestū. Arq; hi nempe dies his sunt diuis sacri, Stephano protomartyri, Innocētibus, Syluestro, Ioanni Baptistæ, duodecim Apostolis, Paulo Gentium doctori, Deiparæ uirgini, Laurentio, Michaeli, Martino, & communiter omnibus sanctis, quod Bonifacij quarti decretum fuit. Polyd. lib.6. cap.8. de Rerum inuentoribus.

Martyrum.

Felix I. consulens gloriæ MARTYRVM, statuit, ut in eorum memoriam annua sacra fierēt: uelut Gregorius postea super eorundem corpora ut itidē sacrificaretur, uoluit. Quod Vigilantius omnino respuendum censebat. Fertur tamen Anacletus eius rei prior fuisse auctor. Ex quo consentaneū est, ut postea Felix & rem diuinā ad martyrum memoriam faciendam decreuerit. Polyd. lib 6. de Inuent.

Defunctorum omnium.

Animarum commemoratio instituta ad secundum Nouemb. per Bonifacium 4 anno 614. Antoninus.

Odilo abbas Cluniacensis, sub Othone III. an. 992. primus inuenit festum omnium DEFVNCTORVM, post festum omnium Sanctorum. Quod institutū ad omnes Ecclesias, Ioannes decimus sextus pontifex approbauit, & obseruandum transmisit. Bergomensis lib.12. & Volat. lib.21.

D. Io. Baptistæ.

Bello III. Ligustico uictis ad Carystum Genuensibus, Veneti statuerunt eum diē inter festos solennēsq; perpetuò in Venetis habendum. Aiunt eum fuisse, quem hodie ciuitas ob IOANNIS Baptistę truncationem religiosè obseruat: quū ante id tēpus obseruari non consueuisset. Alij Victoris martyris eum fuisse tradunt. Sab. lib.3. Dec.2.

D. Petri.

Festum ad Vincula PETRI Romæ institutum, recitat Nauclerus generatione decimaquinta, uolumine secundo, tali occasione, Eudoxiam Imperatoris Theodosij posterioris cōiugem Hierosolymis Romam reuersam, & attulisse secum cathenam illam, qua sub Herode Petrus in carcere uinctus, sed tamen ab angelo liberatus fuerat: eamq; iunctam alteri cathenæ, qua idem Apostolus sub Nerone ligatus fuerat, fastam unam, ad cuius cōtactum cùm quidam Comes postea liberatus cacodæmone fuisset, institutam fuisse peculiarem celebritatem. Addit tamen, Hieronymum aliter scribere in epistola ad Eustochiū. Alii sub Syluestro, rogatu Constantini id factum annotant. Polyd. lib.6. c.8. de Rerum inuent: libellum illum Hieronymi non esse innuit.

S. Viti.

Postquam Teupulana cōiuratio Venetijs penitùs sublata est, instituit Senatus Venetus, ut eius diei æternam memoriam sacramq; pio cōstantiq; amore retineret. Inuisitur igitur ab omnibus ordinibus D. VITÆ phanum, 15 Iunij mensis die: ipsiusq; [illegible] Senatus & populus, magna cum pompa & gaudio: persolutisq; gratiis ac Deo opt. max. pacis ipsos secum redeuntes intra palatinas suas [illegible] cœpit publicis excipit epulis. Egnat. lib.5 cap.2.

D. Marinæ.

Veneti ob receptum Patauium anno 1509. paucis amè diebus à Maximiliano I. Imp. occupatum, die MARINÆ sacro, cū publica lege quotannis uelut auspicatissimum, imperijq; recuperandi initiū, festum habēt, solēmniq; ritu celebrant. Guicciardinus lib.8.

S. Dominici.

Genuenses NONAS Augusti, quibus anno 1434. Alfonsum regem Aragonum ad Caietam nauali prælio cœperant, D. Dominico sacras, solenni honore colendas instituēre. Nec multo pòst VI. Cal. Ian. D. Ioanni sacras. quōd eo die Philippi Mediolanensiū Ducis iugum excussissent, & libertatē recuperassent, anno 1436. Bracellus lib.4. bellī Hispanici.

D. Francisci.

SIXTVS IV. D. Francisci Seraphici festū celebrari iussit. Plat.

Dedicationis Ecclesiæ.

FELIX I. Pp. auctor fuit, ut cuncti eo die uicatim ferierētur, quo aliquod templum dedicaretur: uoluitq;, ut si de consecratiōne ignoratum foret, utpote uetustate deleticē nōtumentorum, denuò consecraretur. At Felix III. posthæc instituit, ut à solis episcopis dedicarentur templa, esseq; dies ille festus anniuersarius. Polyd lib.6. de Rerum inuent.

LIBRI SACRI COLVNTVR respectu.

VSVS.

DAMASVS Pp. primus Hieronymi scriptis auctoritatem dedit, cùm prius LXX interpretum scriptura tantummodò in precio essent. Nam & Biblia Hieronymi legi cœpta est, & Psalmi eiusdem fideliter ex Hebraico traducti, cùm antea apud Gallos potissimùm incompositè legerentur. Platina.

LINGVÆ.

CYRILLVS cùm Moranos Christiana religione imbuisset, ad Slauos se conuertit, ac magnam ibi quoq; Christo lucratus est multitudinem.

GREGORIVS VII. Pp. Vladislao Boemorum Duci scripsit, ac prohibuit, ne scriptura sacra uerteretur in linguam uulgarem: quōd tam arcana maiestas in ea sit, ut sensus secretorum Dei in ea deprehendi uix queat, si à natiua sua lingua ceu patria in peregrinam transferatur. Præterea nimis familiaritate & facilitate sua in contemtum abire, quę alioqui non intellecta in admirationem rapiat uulgus indoctū. Olaus lib.16. c.39.

IMAGINVM, SIMVLACRORVM cultus. Huc pertinet

ACQVISITIO.

Ex Ioannis Damasceni fide CHRISTVS ipse suam effigiem, in sui memoriam Abagaro Edessenorum toparchæ (erat ea gens ultra Euphratem) dono misit. Abagarus enim, auctore Eusebio, quum audisset Iesum innumerabilia edere miracula, quia morbo tentabatur, scripsit ad eum, supplicitet rogitans, ut se sanarum ueniret. Cui Seruator per Ananiam tabellarium, qui Abagari literas tulerat, respondit se, postquam assumtus esset, missurum unū ex suis discipulis, qui eius ualetudinem curaret. Fuit ille Tadeus unus ex septuaginta. Interim dum toparcha expectando nuncium salutis, tam moræ haud satis patiens, animi penderet, ut Damasceno placet, misit pictorem qui formam eius fingeret. Sed pictor quum ob uultus splēdorem id efficere nequiuisset, fama est Dominū admouisse ad faciem sudarium, & illi suam effigiem impressisse diuinitus, atq; mox misisse ad Abagarum, ut sic pium Regem consolaretur. Alterum id genus sudarium, dum ad mortē subeundam ducebatur, dedisse ferunt mulieri, quam profluuio sanguinis liberauerat, cui, si recentioribus credere uolumus, Veronica nomen fuit: quod, undecunq; acceptum fuerit, hodie Romæ seruatur in ædē principis Apostolorum. Item constans opinio est Lucam Euangelistam pinxisse in tabellis aliquot figuram Deiparæ uirginis: quarum una hodie adhuc Patauij seruatur. Apostolorum quoq; imagines olim formatas à Christianis, idē Eusebius eo in loco attestatur, inquiens, Sed antiquas ipsorum imagines à quibusdam conseruatas nos uidimus. Polydorus lib.6. cap.13 de Rerum inuent.

NICEPHORVS Phocas Imp. contra Agarenos expeditione suscepta, attulit secum Iesu Christi effigiem, quam ex luto reperit in Hierapoli Syriæ, & una cæsariem Baptistæ Ioannis sanguinolentam. Cuspinianus.

Constantinopoli archangelus Michael stricto gladio pro templi custode statuam habet, tenuibus calculis interpunctam. Nicetas sub Imperio Alexij Comneni. ISAACIVS Angelus

[redacted]

plis restitueretur, & Ianne patriarcha abdicare coacto, Methodius est subrogatus. Sigonius lib.5. regni Ital.

[redacted]

CONVALLVS Scotorum rex edixit, ut lummis arcibus oppidisq; saluiferæ Crucis signum appingeretur: quo admonerentur homines frequentioris Christi culturæ, quocunq; proficiscereturur, crucem argenteam cùm inscriptione, Christianorum gloria, ante se, uelut ueritissimum Christiani principis uexillum, deferri iussit: eamq;, priusquā equum ascenderet, osculatus, cum comitibus adorare consueuerat. Vetuit ne quispiam crucis figurā in pauimento pingeret sculperetue. H. Boethius lib.9.

VENERATIO, ADORATIO.

Edessa Syriæ urbs imaginē habuit Christi, quā nulla hominū manus fecerat, sed ipse Christus filius Dei Abgaro Edessæ principi olim uidere se cupiēti, facie in linteū impressa, trāsmisisse credebatur. Ad illā imaginē EDESSENI in summo iam rerū discrimine, ob Cosroen Persarum regē ciuitatem uarijs machinis oppugnantē, uersantes cōfugerūt, & ἀχειροποίητον illis imaginis beneficio sese seruari putarūt. Euagrius lib.4. c.28. ex Procopio. ROMANVS Lacapenus Imp. mantile illud diuinū, in quo imago Christi nō manu facta, quæ hodie Romæ uisitur, trāsportari curauit Cōstantinopolim, cùm antea esset in Edessa. Quæ cùm à Romanis obsideretur, & iā expugnatæ periculū immineret, ne deprēdata exureretur, Agareni qui eā tenebāt, ut se hoc periculo redimerēt, Christianis hanc sacrā imaginē concesserant. Cuspinianus. Sigebertus in Chronico, & Paulus Diaconus lib.18. rerum Romanarum, asserunt, HERACLIVM cōtra Persas bella mouentem, cōfisum fuisse imagine seu tabula, in qua Iesus erat pictus, seu Maria (ut uult Vincentius lib.23. cap.11.) [redacted] Chronico. [redacted] Genuit Theophilus Imp. ex uxore [redacted] quinq; filiolas, Theclā, Annā, Anastasiā, Pulcheriā & Mariā: quæ ad auiam THEOCTISTAM cognomine Florinā in monasterium itabant. Solebat illa puellas munusculis illectare, & sanctorum imagines puellarū capitibus admouit, easq; uenerari docuit, ex arcula eas depromens, semper nouas, & puleris colorib. adornatas, quibus oblectabantur puellulæ. Redeuntes rex pater filiolas interrogare solebat: Ecquid apud auiā fieret? quæ diceret? quæ donaret? Aliis silentib. Pulcheria infantula balbutienti ore: Mi pater, inquit, quot habet auia nostra In sua arcula Ninia (sic infans appellabat imagines) hæc capitib. nostris imponit, hæc osculamur, hæc salutamus bonis uerbis, ut docet. Imperator mox intellexit, auiam docere puellulas imaginum cultum. Interdixit itaq; filiolis, ne amplius itarent ad auiā. Nil mali tamē ausus cōtra socrum Thectisten, uel ob reuerentiā, uel ob uirtutē matronæ, quæ crebrò cum obiurgare solita, quòd opprobriis imagines afficeret, odiū subditorum concitatū iri asseuerabat constāter. Non minus ueuerabatur sanctorū simulacra & imagines Regina ipsa, quæ peculiari quodā larario sacras statuas colebat. Cùm aūt Nanus quidā Deudetus nomine, quem rex in deliciis habebat, stultulus balbutiens ad Reginā ueniret, inuenit eā sacras imagines adorantē clām marito, qui uehementer eas detestabatur. [redacted] ut homunculo illi Reginā interrogaret: Ecquid hic esset? respōdit, Thalami esse Ninia. Homunculus ille Regi prādenti narrauit: interrogatus unde ueniret, A' Mana, inquit (sic enim Reginā appellabat) quæ pulera & plura habet Ninia. Rex statim imagines suspicatus, ira concitus, ad Reginā uenit, contumelijs eā aggressus, idololatrā appellabat, uerba stulti repetēs quæ audiuit. At hæc cauta uitrū pulerē elusit. Deudetus (inquit) non simulacra apud me uidit, sed me coram specula comantem, reuerberatas imagines reddente, quas Ninia ille suspicatus, credidit. Quo commento mariti iram sedauit, & furorem compressit. Cuspinianus è Zonara.

Fertur, Saracenos hoc modo perijsse apud Constantinopolim sub Leone Isauro. In monasterio sanctæ Dei Genitricis, iuxta palatiū, prope sanctā Sophiam, erat imago beatæ Mariæ, quę tenebat infantē in brachio, quam depinxerat in tabella sanctus Lucas, cùm adhuc uiueret sancta Maria. Hæc imago uocatur Odigitria, id est deductrix: quia duobus cæcis apparuit sancta Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiā, eosq; illuminauit. Cum ista imagine fecerūt CONSTANTINOPOLITANI processionē omni die Martis, per [redacted] & orarent, simul & pugnarent [redacted] tuam non mergamus [redacted] sent,

sent, ille secretè imaginem tenuit sub undas: & statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum mersit. Vincen-[redacted]

LVD[redacted]cia Saxo[redacted] uoluptas) intentum, in loco uastæ solitudinis ad arborem, quum oraret, iussisse deponi sacrã diuæ Mariæ, quam ubiq; circumferebat, imaginem. Coram qua oratione finita, quum rex cõcitò abijsset: capellanusq; sacrorum minister, festinabundus, Imperatorẽ ut sequeretur, minùs meminisset depositæ imaginis: ubi Aulicæ sacra erant peragenda, primùm deprehendit sacram deesse imaginem: sed eam uix tandem repertam nulla ui loco mouere potuit: donec uotum monasterij ibidem extruendi Imp. fecit. Cranzius.

MEDIOLANI, Paschatis die, matres infantes suos reprentes; puerulos in tẽplũ inducũt: mox exorata diui Ambrosij precatiunculis uenia, ad Epidauium Aesculapium conuertũtur. tolluntq; sublatos ulnis in serpentẽ filios, suamq; in illum aciem dirigere cogunt, incolumitatemq; diutinam comprecati, cùm uerminosa præsertim ægritudine distorquentur: & quoniam ignara superstitionis infantia delirat, ãpsæ matres uota cõcipiunt, & soluunt. Serpentis rationem hanc reddunt. è crucis siquidem regione collocatum astruunt, ut hinc noui, illinc antiqui Testamenti, exoletaq; Mosaicæ legis mysteria præsignarẽtur. Sed ita res se habet. Anniuersarias Calẽdas Augusti, quibus uitæ solutioris intemperantia, uelut indictis Bacchanalibus, relaxatur, quoniam tollere pontifices non potuerunt, speciosissimum Cæsaris Augusti triumphũ, speciosioribus Petri uinculis implicuerunt. Sic, quoniam absolutum liberumq; eo numine fanum exaugurare, superstitiosamq; salubriorìs medelæ nouitatẽ abolere non potuerunt summi sacerdotes, meliore ueteris legis commento suffultum præmuniuere. Atlunus Historiç [redacted]lanensis sectione prima.

GERARDVS Magnus, Holsatiæ comes, à Valdemaro rege Daniæ nepote suo è sorore dux Slesuicensis creatus, victoria contra Danos clarissimus, solebat pugnaturus imaginem D. Virginis collo appensam circumferre in omnia pericula, & ter canere, Nos hac die tibi gregatos seruа Virgo. In prelio contra Christophorum Daniæ regem alteram manum imagini fertũ abscissam, à nullo denuo potuisse artifice rursus aptari: hodieq; monstrãt virgunculæ in Itzehoe eam Virginis imaginem. Cranzius lib. 9. Saxoniæ c. 10.

Cùm Magorum hæresis in Boemia inualesceret, BRETISLAVS II. rex suasu Cosmę archiepiscopi Pragẽsis instituit, ut parochi oppidatim uicatimq; domum cuiusq; oppidani, cum hymnis ac diuorum reliquijs, in peruigilio natalis Domini introirent, notarentq; diligenter eos, qui cum uenerationè ad ferendum signo S. Crucis osculum accederẽt; Christianos se esse agnoscentes, aut tanquam inimici Crucis accedere contemnerent, uel se inde furtim subducerent: quos deinde princeps, uel ipse pręsul puniebat. Dubr. lib. 9.

In singulis habitationibus apud MOSCOVITAS imagines diuorum in tabulis pictas loco honorificẽtiore positas habent, prẽcipuè autem Diui Nicolai, passionis Christi, Mariæ uirginis, & sancti Petri: hasq; maximo honore prosequuntur, [redacted] uenerantur. Cùm autem unus alium accedit, ingressus habitaculum, non statim dominũ domus salutat, sed continò caput aperiens, ubi imago sit, diligenter circumspicit: qua usa, cum magna reuerẽtia, ter se Crucis signo caput inclinãdo munit, dicens: Iesu Christe fili Dei uiui, miserere nostri: postea porrectis mutuo manibus alterutrum sese inuicẽ salutantes deosculãtur, capitaq; more patrio frequentius inclinant. Id autẽ tam uiris quàm mulieribus peculiare est, in congressu de omni consanguinitatis familia alterutrum percontari, an rectè pater, mater, uxor, filij, fratres, &c. ualeãt: post unamquamq; interrogationem, & responsionem. caput multoties inclinantes, maximeq; mutuo se inspicientes obseruant, uter magis se inclinet, & ita frequentiùs caput alternatim inclinando de honore certant. Hospes tandem discessurus, ter se signat cruce, priora uerba reuerenter proferens, & salute alternis data abit Guagninus in descriptione Moscouiæ c. 4.

IMAGINVM, SIMVLACRORVM NEGLECTVS.

tri & Andreæ Apostolorum, & partes piscis assati, & fauum mellis: & præterea multa corpora sanctorum martyrum, & ossa prophetarum, confessorum, ac uirginum. Item una de sex hydriis Cãnæ Galileę. Marineus lib. 5. rerum Hisp.

Christianis in terrã Sancta cum Saracenis pugnaturis, PONTIVS quidã abbas lanceã, qua Christi latus trãsfossũ dicebatus, episcop BETHLEHEMITANVS in pyxide lac B. Virginis prętulerũt, an. 1142. ut Sigeberti refert Cõtinuator.

Recaredus, Vestgoithorũ rex, munera S. Petro misit, ac pro iis à GREGORIO recepit crucem, in qua erat de ligno Domini, & de capillis Ioannis Baptistæ. Ipsemet testis lib. 7. Indict. 2. Epist. 126.

Anno Sal. MCCXXXIX. Spineã corona, & sacrosancta Christi passi monumẽta, quæ Balduinus Constantinopolitanus Imp. Venetis oppignerauerat, à D. LVDOVICO rege Frãcorum redemta sunt: qui apud sacrũ Palatij sacellum, quod Lutetiæ erigebat, ea deposuit, & asseruanda cõmisit. Chronicon Francorum.

Anno Domini 1103. nonis Nouemb. cùm S. Stephani dedicaretur ecclesia, hę in eam repositæ sunt reliquię. De fascijs, quibus infans in hanc lucem uirgineo partu editus inuolutus fuerat, particula lapidis de ostio sepulcri Dominici, palma quam Christus asino insidens manu tenuit, cũ Hierosolymam ingressus est: & de corpoibus multorum sanctorum. Chronicon Cassinense lib. 4.

OTHO Bãbergẽsis episcopus cõtulit monasterio S. Michaelis crucẽ auro gẽmisq; distinctã, recõdito in eo salutari sanctæ crucis ligno, alijsq; sanctorũ martyrũ reliquijs, eaq; Saluatoris crucẽ appellari uoluit, additis execrationib. ne deinceps ulla unquã necessitate à monasterio alienetur. Mar. Sc.

Sub CAROLO IV. lancea Christi, dextrũ brachium sanctæ crucis, cum uno clauo, mensale Christi, quo fertur usus in nouissima cœna, gladius Caroli magni, qui Gaudiosa dicebatur, & ossa eiusdem Caroli cum multis reliquiis, è Norimberga urbe per Carolum regẽ in Boemiam sunt translata, ac in regiam arcẽ, quæ Carlsteen dicitur, recondita. Sic paulatim explumatur aquila Cranzius lib. 8. Vandaliæ.

SINGILLATIM, PVTA

Christi Opt. Max.

EDMVNDVS rex Anglus sanguinẽ Christi in Angliam sert. Vide Tit. Christianorum monachorum ordines uarij.

THEODERICVS Flandriæ princeps, è Sacro bello domum rediens, anno 1150. portionem sacri cruoris Christi (qui ex uulneribus mortui detersus fuit) secum per Leonium abbatem Bertinicum in phiala cristallina deportauit, eamq; Brugis collocauit in æde D. Basilij. Chron. Flandriæ.

Circa annum 1157. tunica Christi inconsutilis, & subruti coloris in monasterio quodam Galliæ ARGENTOLIO ex diuina reuelatione inuenta est, quam ipsi mater, ut literæ insertæ loquebantur, parauerat. Sigeberti Continuator.

Stephanus IV. Pp. ad Ludouicum Imperatorem designatum iter in Franciam adornans, ut ipsum in Imperatorẽ inungeret, & cum eodem de tatione constituendæ Ecclesiæ consultaret: cùm Rauennam ex itinere peruenisset, ibi diuinis operatus, auido ac religioso populo sacrata Christi sandalia ostendit Sigonius lib. 4. regni Ital.

Circa annum Christi 1016. MONACHI quidã Hierosolyma reuersi, particulam lintei, quo Dominus apostolorũ pedes ante ultimam cœnam detersit, attulerunt Cassinum. Cuius rei fides cùm plurimis esset suspecta, monachi eam ardentibus imposuerunt carbonibus, quorum statim colorẽ induit linteum: sed ab iis remotum, priorem formam recepit. Chron. Cassinense lib. 2. cap. 34.

HELENA mater Constantini, anxia pro filio, cui regnũ orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymã, & scrutata est locũ Dominicæ passionis. Accessit ad Golgathã, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro uexillũ salutis, & nõ inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in puluere? ego in aulis, & in ruinis Christi triũphus? Aperta humo, tria patibula cõfusa reperit, quæ ruina cõtexerat, inimicus abscondérat. Redit ad Euangelij lectionẽ, inuenit, quòd in medio patibulo prælatus titulus erat, Iesus Nazarenus rex Iudæorũ. Hinc collecta est series ueritatis, titulo crux patuit salutaris. Inuenit ergo titulũ, Regẽ adorauit: nõ lignũ utiq; (quia hic gentilis est error, & uanitas impiorum) sed illũ qui pependit in ligno, scriptus in titulo. Hæc Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij. At Ruffinus lib. 1. ca. 8. & Socrates lib. 1. c. 17. & Theodoretus lib. 1. cap. 18. & Sozomenus lib. 2. cap. 1. quædã addunt: nẽpe quòd titulus à cruce auulsus, non potuerit denotare crucẽ. Quamobrẽ Macarium Hierosolymorum episcopum, prẽmissa oratione ad Deum, sigillatim illas tres cruces, unam post aliam, primariæ cuidam fœminæ, iã propè uicinæ morti, imposuisse. Sulpitius Seuerus in lib. 2. sacræ historiæ: & Sozomenus lib. 2. cap. 1. & post eum Nicephorus lib. 8. cap. 29. etiam mortuo cuidam impo-

RELIQVIAE SACRAE coluntur

MVLTAE SIMVL.

In OVETANA urbe Hispanię prẽter Crucẽ, quã diuinitus angeli fecerunt, plurima memoratu digna leguntur. Illic enim colitur arca ab Apostolis ex incorruptibili materia fabricata, & mirabiliter ab urbe Hierosolymitana in Aphricam, ex Aphrica in Carthaginem nouam, ex Carthagine Hispalim, ab Hispali Toletum, & ex Toleto in Asturias ad ecclesiam sancti Saluatoris, & in locum qui dicebatur Ouetũ, translata. Quam cùm sacerdotes aperuissent, in ea multas arculas inuenerunt, alias aureas, alias argenteas, & alias eburneas. Quibus reclusis, scripta quædã uiderunt affixa, in quibus arcana multa continebantur, quę nunc in Ouetana cudoliuntur ecclesia, & peregrinis illac transeuntibus ostendũtur, prẽcipua hæc. De ligno crucis Domini, de spinis eius coronæ, de sepulcro, de sindone & tunica, de pannis in quibus Christus nascens inuolutus iacuit in præsepio, de pane cœnæ domini, item de pane quo dominus hominũ millia quinq; satiauit, de mãna quod Deus pluit filiis Israel, de terra mõtis Oliueti, in qua dominus tenuit pedes ascensurus in cœlũ, & in qua pedes tenuit quãdo Lazarum suscitauit, & de sepulcro Lazari, de lacte Virginis Dei genitricis, de capillis & uestimẽtis eius, unus de triginta denariis quib. Iudas dominũ uendidit, itẽ pallium & ornamentũ quod Regina cœli dedit Ildephonso Archiepiscopo Toletano, & de alio pallio Heliæ prophetæ, uestimentũ beati Tirsi martyris, manus sancti Stephani protomartyris, calceus dexteri pedis Apostoli sancti Petri, frons diui Ioannis Baptistæ & de eiusdẽ capillis, de ossibus sanctorũ Innocentũ, de articulis digitorũ, de ossib. trium puerorũ, Ananiæ, Azarię, & Misaelis, de capillis cũ quib. beata Maria Magdalena tersit pedes domini, de lapide quo signatũ fuit Domini sepulcrũ, de oliua quam dominus tenuit in sesto Ramis palmarũ, de petra montis Sinai supra quam Moses iciunauit, de uirga qua Moses mare rubrũ diuisit filijs Israel. Ibi sunt & sportæ Pe-

impositam aiunt, & ex recuperata ualetudine innotuisse, quæ nam esset crux Domini: & Helenam unam portionem crucis theca argentea inclusam, ad memoriã illic uisere cupientibus reliquisse: alteram autẽ Imperatori misisse: quam solus Socrates lib.1.cap.17. ex uulgari rumore & testimonio incolarum Constantinopolis asseuerat, Constantinum (ita persuasum, quòd ea ciuitas foret salua, in qua portio crucis asseruaretur) accepisse, & in sua ipsius statua condidisse, quam Cõstantinopoli in foro, de suo nomine dicto, in purpuream & mãgnam columnam collocauerit: Edixit præterea, ne quispiã deinceps eo supplicio uteretur. Helena ædificato eo in loco templo, ubi crucem repererat, abiens, tres clauos, quibus Christi corpus cruci affixum fuerat, secũ ad filium portat. Horum ille unum in frenum equi transtulit (quod nunc Mediolani spectari Fulgosius lib 1.c.1. ait) quo in prælio uteretur: alio pro cono galeæ utebatur: tertium in mare Attalicum ad compescendas sæuientis maris procellas deiecit. Platina.

COSROES Persarum rex, Hierosolymis captis, lignum Dominicæ crucis abstulit, magnũ mortalium numerum cepit, multò maiorem ferro confecit. Ad nonaginta millia hominum cæsa prodiderunt quidam. In eo temperasse, imò piè uideri potest Cosroe egisse, quòd lignum Dominicę crucis, ex Caluariæ loco, ubi ab Helena Constantini matre fuerat constitutum, in Persidem translatum, in throno statuit auro & gẽmis fabrefacto, cuius extrema superficies in similitudinem cœli circumageretur. Sabellicus lib.6.En.8.

HERACLIVS Imp. deuictis Persis Hierosolymam reuersus, enixè curauit, ut indigenæ alij alio casu in finitimas urbes delapsi, in patriam remigrarẽt, quò urbs sancta frequentiùs coleretur. Hierosolymam ingressus, lignum Dominicæ crucis à Persis redditum 14. anno postquam ablatum fuit, suis detulit humeris in Caluariæ montẽ: & cùm quasi hæsitando exitu prohiberetur, admonitus à Zacharia antistite (quẽ postliminiò reuersum receperat) ut abiecto regio cultu, inferenda cruce Christum imitaretur. Heraclius mutata ueste triumphali, auro gemmisq; intexta, nudis calcibus humiliter crucem tulit, ac reliquum uiæ confecit, in eumq; locum reposuit, unde fuerat à Persis sublata, moxq; Byzantiũ reuersus est. Festum quotãnis die 14. Sept celebratur. Cuspin.

Narrat Euagrius lib.4 cap.26. ex secundo libro Procopij de bello Persico, Apameæ Syriæ oppido, partẽ Crucis, de qua mundi Saluator suspẽsus fuit, ab homine Syro clam eò delatam, cubitali magnitudine reseruatam fuisse: quam oppidani magnam eius loci tutelam esse existimantes, religiosè uenerati, & condita ei theca lignea, auro gemmisq; exornata, tribus sacerdotibus custodiendã tradere, eamq; certa die quotannis proferre & adorare cõsueuere. In primis uerò APAMEENSIS populus, Cosroe Persarum rege cum exercitu ciuitati imminente, Thomam episcopum rogauit, ut præter solitum, sacræ crucis lignũ proferret, eamq; ciuibus adorandam & exosculandam exhiberet: ea opinione, se uisa cruce feliciùs morituros esse. Præsul motus ciuium precibus, crucis lignum ambabus manibus in sublime sublatum, circumeundo sacram ædem omnibus spectandum exhibuit, quorũ numero Euagrius quoq; se interfuisse scribit. Ea ostensa, miraculum fide & sermone maius accidisse, & salutem Apameis contigisse ferunt. Procopius lib.2.belli Persici, Euagrius, Nicephorus. Eius miraculi imago & monumentum deinde in summo templi uertice memorię causa est propositum: quod postẽ, capta à Persis urbe, cum templo & tota ciuitate igne absumtum fuit.

EPISCOPVS Meresis, loco Popponis Treuirensis, qui in Palæstinam profectus erat, perficiens ordinationem clericorum, clauum Dominico simillimũ altari imposuit, uerumq; in sinum abdidit, sed illum manantẽ sanguine restituit, terramq; cum sanguine abrasam crystallo inclusit. Catalogus Treuirensis.

BERNARDVS Antiochenus ligno Crucis milites contra hostes armauit. Idẽ Cæsariensis archiepiscopus HIEROSOLYMAM iterum deferens, magno cleri & populi tripudio excipitur. Tyrius lib.12 cap.12.

LVIPOLDVS Austriæ dux ex terra Sancta, quam religionis causa ingressus fuerat, sospes reuersus, particulam quandã de cruce Domini secum attulit, quam S. Crucis cœnobitis dedit. Cuspinianus in Austria.

MAVRICIVS Parisiorũ pontifex particulã sacræ spineæ coronæ & sacrũ clauum ad corpus Ludouici trimuli, Francorũ regis filij grauiter decumbẽtis, admouit. Quorũ beneficiò pristinę sanitati restitutus creditur. Aemyl.li.6.de Franc.

Recepta à Latinis principibus Antiochia, Andreas apostolus sacerdoti Petro Pontio, simplici uiro, apparuit: lanceamq; qua latus Christi traiectum fuerat, quæ tota diuina erat in templo D. Petro dedicato, reuelauit. Cuius inuentione ciuitas, quæ à Turcis obsessa fame premebatur, bona spe repleta, in prælium egressa, Corbanam superauit, qui

Belfech [illegible]

Nice [illegible]

[illegible]

HENRI [illegible]

IOANNES [illegible] stiani exercitus & ingens [illegible] lusium. Nili ostium, Alionolim, [illegible]

VENE [illegible]

MANV [illegible] de cruce sublatus [illegible]

Idem Leonis [illegible] tis Turcis. Cuspinianus.

HESTERIVS uir Tribunitius prope Hipponem in territorio Fussalensi, cuius armento & seruis à dæmonibus affligebantur, presbyterorum orationibus & sacrificijs ab ea peste liberatus est. Acceperat ab amico suo terrã sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurexit: eamq; suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Fortè accidit ut D. Augustinus Hipponensis & episcopus Synicensis Maximinus in proximo essent. Eos ille ut ad se uenirent rogauit, & obtinuit. ijsq; cùm omnia retulisset, etiã hoc petiuit, ut infoderetur alicubi, atq; ibi orationum locus fieret: ubi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt congregari. Non restiterunt: factum est. Erat ibi iuuenis paralyticus rusticanus, qui hoc audito, petiuit à parentib. suis, ut illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quò cum fuisset allatus, orauit, atq; inde cõtinuò pedibus suis saluus abscessit. August. lib.22 de ciuit. Dei, c.8.

Sanctorum hominum.

ROMANIS consuetudo non est, quando sanctorũ reliquias dant, ut quicquam tangere præsumant de corpore: sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atq; ad sacratissima corpora sanctorum ponitur: quod leuatum in Ecclesia, quæ sit dedicanda, debita cum ueneratione reconditur: & tantæ per hoc bidẽ uirtutes fiunt, ac si illuc specialiter corpora corpora deferrẽtur. Vnde contigit, ut Leonis papæ ieporibus, dum quidam Græci de talib. reliquijs dubitarent: prędictus põtifex hoc ipsum brandeũ allatis forficib. incisit, & ex ipsa incisiõe sanguis effluxerit. Greg. li.3 epist. c.30.

An. 473. uestis deiparæ Virginis Hierosolymis Constantinopolim est allata, & magna religione recepta, quæ apud uirginem Hebræam erat inuenta. Sigonius lib.14. Imp. occid.

PVLCERIA, Arcadij F. Virgini deiparæ nobile templum ædificauit Blachernis, in quo inclusas argenteo tabernaculo precio-

ptec[illegible]us Mariæ uestes, quas è Palæstina suis manibus tu-
li[illegible]ma cum uenerãtione posuit. Cuspinianus.

Ludo[illegible] [illegible]rasso Francorum regi, extremã CARNOTENSIB[illegible] [illegible]ritũ, cladem, clerus cum interiore D. Mariæ tunica o[illegible]ut, licq; rex placatus est. Robertus Gaguin. lib.6.

THEO[illegible]ICVS Metensis episcopus anulum ex cathena S. Petri [illegible]lim eius in sanando dæmoniaco ingentem expertus, à pontifice Vjtali III. petiit & impetrauit, eumq; ac plurima [illegible]nã sanctorum martyrum reliquias summo à se studio pu[illegible] triennium, quo operã, in Italia Othoni Magno naturat[illegible]ctas trans Alpes detulit, & Metis in ædẽ D. Vincenti[illegible]tyris à se cõstructã locauit. Sigon. lib.7. regni Ital.

De cat[illegible] ipse sanctus Paulus Apostolus in collo & in man[illegible]rat, ex quibus multa miracula in populo demon[illegible]tantur, partẽ aliquã Constantiæ Augustæ [illegible]

[illegible]

[illegible] non obtinetur. Gregorius [illegible]

[illegible]

[illegible]

[

GREGORIVS IX. Pp. campanas ad Eucharistiæ confectionem adhiberi iussit. Cranzius lib. 8. Saxoniæ c. 9.

VASA SACRA. SIC coluntur

ALTARIA.

BONIFACIVS III. altaria candidis ac linteis pannis operi[illegible] [illegible] uent.

[illegible]

Λόψιν.

LVDOVICVS Boius circa annũ sal. 1513. è Gallia partim dono à rege Carolo VI. partim rapina & astu Elizabethæ reginæ, sororis suæ, in Bauariam transtulit sacra cleno dia innumera, quæ Boij XII. nuncios uocant. Auentinus lib. 7.

Φυλακὴν.

IVSTINIANVS Imp. uasa sacra & uestes nõ posse oppignorari aut alienari, nisi ob captiuorum redemptionem sanxit. l. 18. C. de sacrosanc[illegible] [illegible]lesijs. Et l. 20. C. eodem, præscriptionem centum .....orum concessit.

CYRILLVS, episcopus Hierosolymitanus, per calumniam ab Acacio (quòd cũ eo in Ariana sententia consentire noller) apud Cõstantium accusatus (quòd in maxima fame ecclesiæ ornamenta uendendo, ut pauperibus succurreret, inter cætera etiam uestem sacerdotalem preciosam uendidisset: quam deinde à mercatore mulier scenica redemisset, eamq; inter saltandũ is, qui eam ecclesiæ contulerat, agnouisset) in exilium pulsus fuit.

Δόσιν.

Illa crucis pars, quã HELENA Constantini Magni mater Hierosolymis secum in thecis argenteis detulerat, gemmis & auro distincta, in basilica Sessoriana Romæ collocata fuit. Eidem hæc munera ita: argentea candelabra quatuor, argenteri scyphi quatuor, calices aurei decem, patena argentea auro clausa librarum L. altare argẽteum C C. librarum agros quoq; circa palatium positos, Ecclesiæ dono dedit. Ex Falucis autem & Nepesino agro fundos quosdam donauit. Platina.

CAROLVS Magnus sacerdotum [illegible] ex [illegible] argento, [illegible] sacerdotalium tantam copiam [illegible] [illegible] qui [illegible] [illegible] Sigebertus. Cranzius lib. 1. Metrop. c. 18.

ETHELVOLFVS seu Adulfus Anglorum rex, ut alii scribunt, Romam profectus, tributum beato Petro obtulit coram Leone quarto, scilicet argenteum numum de singulis domibus. Vuilhelmus lib. 2. cap. 2. de Anglis. Ranulphus uero lib. 5. cap. 30 narrat, eum cùm Romã uenisset, & suos Anglos publicè pœnitẽtes uidisset ferro uinctos ad templum ire, accessisse Pontificem, ac illam suę gentis ignominiam redemisse constitutione illa, ut de singulis domibus regni sui annuatim denarium acciperet, ac insuper quotãnis centum marcas: centũ ad luminaria Petri, & totidẽ ad Pauli, & centum papæ misisse: atq; ita impetrasse, ne Angli pœnitentes, extra patriam suam unquam uincula gestarent.

CAROLVS Magnus Compostellæ ædem D. Iacobi multis donauit muneribus, & Episcopum & Canonicos ad regulã Isidori instituit. Henricus Etford. cap. 68.

IVSTINIANVS Magnus episcopis mandauit, ne ea quæ Ecclesijs relicta sint, sibi adscribãt, sed in necessarios usus Ecclesiæ impendant: l. 43. C. de episcopis & clericis.

REDITVS. VECTIGALia sacra. Vel

DATA, CONCESSA, INSTITVTA.

ARCHIEPISCOPIS aut Metropolitanis, uti uocãt, insigne quoddam honoris atq; dignitatis confert Pontifex, è lino consectum atq; lana: id uocant pallium: redimitur a[illegible] cunia intra spacium trimestre: neq; licet archiepisc[illegible] [illegible] augurare aliquem episcopatui, nisi priùs accepto [illegible] ius est præcipuus usus in peragendis sacrificis [illegible] non traditur autem, nisi fidem & obedientiam qui [illegible] promittat per iusiurandum. Ibidem.

CONTROVERSA.

INIVRIOSVS episcopus Turonensis XV. à Martino [illegible] Clotharius rex edicto mandasset, ut omnes Ecclesi[illegible] fructuum partem fisco penderent, & plerij episc[illegible] licẽt inuito edicto subscripsissent, solus restitit: pœnas [illegible] uissimas minatus, si bona ecclesiastica attrect[illegible] Rex territus hac libertate, edictum antiqua[illegible] culpæ deprecatus est. Greg. Turon. lib. 4. cap. 1.



Anno 1500. quo tepore Cæsar MAXIMILIANVS I. de bello Turcarum, Imperii conuentum agebat Augustæ, decretũ fuit, mittendam esse legationem ad pontificem Alexãdrum VI. ut rempublicam ope consilioq; iuuaret, & prouentus Annatarum, hac potissimùm de causa concessos olim, in hunc usum contribueret. Sleidanus lib. 4.

SVNDENSIS urbs in solo Vandalorum, insigni circa an. sal. 1407. facinore malè inclaruit. CONRADO Bonouu pastori (qui per omnes ecclesias in ea urbe unus est) ciues nõ satis obsecundabant: oblationes minuebant, numismate minuto cupreo excogitato, quas ille aliquanto tempore collectas, in ollam conflauit, documẽti causa. Cõcilium urbis publicum (consulatum uocant) etiam rationem facti prætendere uidebatur, ne communitas sumtuosis funerationibus grauaretur, quum alter alterum funeris sumtu exuperare contenderet. Pastor, imminutionẽ sui iuris & ecclesiasticæ consuetudinis non ferens, incẽdiis, rapinis & uastationibus omnia fœdauit. Baiulos nõnullos urbanos extra urbẽ operi suo instantes, truncatis manib. & pedibus, in cruore palpitantes reliquit. Populo eã ab causam tumultuante, sed ante omnes baiuli, clerus omnis unã cogitur in domũ uestuti cremand[illegible] ex omni numero tres, ecclesiarũ triũ re[illegible] medio in foro igni iniecti sunt, q ardentib. uillis dixissent, Ecce collucent cerei funerales. Zuerinensis episcopus urbi sacris interdixit. Diu pertinaciter tulere pœnam. Sed quum supplicem nuncium Romam mitterent, ueniam postulãtes, Papa misit fratres Prædicatores, pœnitentiam pro qualitate facti cuiq; imponendi. Episcopus post eam diem nunquam in ea urbe diuinum peregit officium. Inscripta est memoria satisfactionis testudini cathedralis ecclesiæ Zuerinensis, in populi cõtumeliam. Octennio pòst Conradus pastor à Degenardo Buggenhago Marescallo in pugna cæsus est. Cranz. lib. 10. Vand. c. 11. & 27.

Orta

Orta de SACERDOTVM decumis lite apud Boemos, his conquerẽtibus fruges ex agris priùs quàm decumanus decimas æstimasset ab agricolis exportari: RVSTICIS uerò decumani ignauiam atque moram accusantibus, qui non nisi pluuia corruptas, aut à pecoribus arrosas fruges censeret: Vdalricus & Iaromirius fratres principes, hinc moderati sunt, ut aratoribus permitterẽt manipulos ex agris in aream tempestiuè asportare: sed his duntaxat, qui cum põtifice iusto precio, aut certis in singulos actus & iugera frumenti mẽsuris decidissent. Eadem lege in Moratia in pontificatu Olomucensi, quem Heliehardus episcopus una cũ Pragensi procurabat, decimas exegisse dicũtur. Dubrauius lib. 7.

BVRCARDVS Lubicensis episcopus, (qui octogenarius electus, quadraginta & uno sedit annis) causam Ecclesiæ defendit aduersus fratres mendicãtes, sepulturas liberius sibi uendicantes. Interdixit episcopus ciuitati diuinis officijs. Quum populus fratribus faueret, clerus urbe pellitur. Fratres interposita appellatione, continuarunt diuinum officium. Causa deuoluitur ad Romanã curiam. Interea uigente controuersia inter episcopum & populum, de causa fratrum, & de molarum proprietate, interdixit iterum pontifex diuinis officijs. Sed & archiepiscopus Bremensis Gisilbertus excommunicauit fratres: interdixit terminorũ suorum (ut uocant) quæstus, per districtũ suffraganeorũ Ciues absentium, tanquã eorũ cuiusq. spoliarunt & euerterũt. Episcopus cum clero anno tandem 1308 in Romana curia recepit possessionem ecclesię & prædiorum: sed ea fuere litis impendia, ut non facilè lucra damnis compensarentur. Septennio pòst idem tertiò interdixit Ecclesiæ diuinis officijs, quòd fratres minores, de ecclesia sancti Iacobi, tumulo iam extructo, & cunctis ad funeralia præparatis, cadauer rapuissent, impressione facta per ciues. Cranzius lib. 7. Vandaliæ c. 38. 44. 47. & 54.

CVLTVS CHRISTIANVS RESPECTV INSTRVMENTI CONSIDERATVS, SIVE EIVS PER quod colitur: Cùm illud uel

INSIT HOMINI, QVO AD Animum. Hue Religiosa

SVSPIRIA.

Ex Libro secundo Voluminis primi hinc quædam Christiana suspiria transferantur.

LACRYMÆ, FLETVS.

Hisce riuulis intra latentes Pœnitentiæ fontes declarantur. Proinde ex Pœnitentiæ loco illustretur.

VOTA.

Quibus facta. V. C.

Diuis.

Cùm Luitprandus rex Longobardorum reliquias Augustini ex Sardinia, à Saracenis uastata, Papiam trãsferret: & in itinere ad uillam quandam in Tiardonensi diœcesi currus subtitisset, neq; ulla ui, aut arte loco moueri posset, rex uotum uouit: si Augustinus sua ossa Ticinum fineret uehi, se illi aurẽtam sacerdotibus & cultoribus eius donaturum. Itaq; statim currus progredi cepit. Vincentius lib. 23. c. 148. Sigebertus translationis istius meminit, anno Domini 721.

Scribit Lopezius Gomara Hispanus de Ferdinando Cortesio, qui ad Indiæ Occidentalis inuentionem multum contulit, quòd cùm is morbo quasi desperato puer laboraret, PARENTES eum uouerũt duodecim Apostolis, ductaq; sorte, exierit beatus Petrus, cui solẽnes quãdã oblationes obtulerũt, aliaq; sacrificia: atq; ita puer hic seruatus est, q diũ hunc coluit, & maximis negotijs inde clarus euasit. Cardanus de Rerum uarietate lib. 16. cap. 92.

Qualia, Quæ. Verbi causa, Vouere

Nudipedalem peregrinationem.

ÆNEAS Syluius, qui postea Pius II. pontifex dictus est, legatus ab Eugenio IIII. in Scotiam missus, & graui iactatus tempestate, ex uotis persoluendis, quæ inter fluctuum æstus Virgini matri nũcupauerat, initium eius morbi contraxit, qui dolore articulorum permansit ad uitæ exitum, glacie decem millibus passuum nudis pedibus ad phanum usq; calcata, ut redire in oppidum non aliter quàm lectica potuerit. Io. Antonius Campanus in eius uita.

Templum.

NARSES eunuchus cõtra Totilam regem Gothorum ex Illyrico mouens, cum omnibus copijs Rauennam peruenit. in transitu uerò ad insulam, quæ erat in æstuario, nomine Riuoaltum adiit, atque ibi Deum precatus, duo templa se facturum, si se huius victoriæ fecisset comportem, uouit. Et quidem unum S. Theodoro martyri, alterum S. Geminiano confessori, Mutinensi quondam antistiti, ædificandum iam uoti damnatus curauit. quorũ illud hodie Venetijs in arcia S. Marci includitur, alterum è regione inuisitur in foro. Sigonius lib. 20. Imp. occid.

Equum.

CLODOVEVS Francorum rex, ad Christi fidem conuersus, consentientibus proceribus, bellum Vestgothis intulit, non solùm quia terras Francorum occupauerãt, sed quia Arianæ perfidiæ assertores erant. Cùm in eo prælio ab hostibus urgeretur, S. Martino equum, cui insidebat, uouit, si uictor euaderet. Voti compos, promissum equum precio centum aureorũ redimere uolẽs, cùm ille loco nõ moueretur, ducẽtos impendit: & equus cõfestim ducentẽ fecerat. Tũ rex iocosè, Martinus, quantum uideo, inquit, auxiliator facilis, sed mercator difficilis est. Io. Magnus lib. 16. cap. 2. & Sab. lib. 3. Enn. 10.

Quo effectu.

GODEFRIDVS in expugnatione Romæ largo haustu uini febrem contraxit: qua non continuè, sed per interualla laborauit, donec audita expeditionis Hierosolymitanæ fama, uouit se eius comitem fore, si sanitatem reciperet. Quo uoto emisso, statim uires recuperauit. Malmesbuttensis libro 4. cap. 17.

ORATIONES. HARVM Institutio.

Supplicationes siue Rogationes Latini, Græcam sequuti uocem, Litanias, & uulgò Præcessiones uocant, quòd binos præcedendo binì longo ordine sequantur, à loco ad locũ progrediendo, ac magna uoce orando. Quidam tamẽ malunt Processiones appellare, quia ea sacrificalis pompa publicè procedit. Processionũ usum iam inde à principio Christianismi fuisse, testimonio est Tertullianus libro ad Vxorem altero, & à Iudæis mutuatas satis cõstat, qui primi occurrerunt Christo ex Bethania se Hierosolymam conferenti. Harum aliæ Maiores sunt, aliæ Minores. MAMERCVS Claudianus Viennensis episcopus Minores in Gallia Salutis anno 458. instituit, quæ triduo ante Domini ascensum edunur: quo tempore rei atrocitate territis Gallis, in ipso meridie lupi feræq; aliæ urbes ingressæ in homines grassabantur, quotidieq; aut tellus mouebatur, aut de cœlo tacta loca, uel ruebant, uel comburebãtur. Alcimus Auitus Viennensis episcopus peculiari homilia, ternis dieb. ante Ascensionem celebratas, & inde in omnẽ Galliam deriuatas, ait. Sidonius eadem planè cum Auito commemorat in epistola 7. ad Mamercum: item lib 5. epistola ad Aprum. Eas haud multo pòst AGAPETVS pontifex dicitur primus constituisse in singulos Dominicos dies, in templis, uel circa templa, habendas. A' LEONE III. in Aurelianensi concilio per uniuersam ecclesiam huiusmodi supplicationes stabilitæ fuerunt. Fulgosus lib. 2. cap. 1. & Egnatius lib. 2. cap. 1. At GREGORIVS Magnus Maiores instituit, quas omnis o[illegible]dinis populus septeno ordine incedẽs alternis caneret, VI. Kalend. Maias celebrati solitas, quum per id tempus quodã morbi genere laboraretur, quo inguinibus statim tumẽ scentibus multi mortales interiẽt. Cuius pestis Paulus Diaconus causam fuisse prodit, prodigiosum Tiberis incremẽtum, quòd recedentibus inde undis, ingens serpentum numerus in urbem inuaserat, ac usq; eò aerem tabefecerat, ut inguinib. subitò tumefactis, passim homines perirẽt. Quod malũ Pelagius, in cuius loci Gregorius surrogatus postea fuit, precibus auertere conatus, ieiunium ac litanias indixit, sed & ipse inter alios interijt. Gregorius ergo multitudinem ad rem diuinam hortatus est, cõstituitq; ut ab uniuersa ciuitate supplicaretur, sed discretis ordinibus. Vt clerus uniuersus à Ioannis Baptistæ templo: prophana uirorum multitudo à diuo Marcello: monachi à Ioanne & Paulo: sanctimoniales à Cosma & Damiano: matronæ quæ in matrimonio erant, à Protomartyre: uiduæ à Vitale: puerorum & puellarum chori à Cæcilia, suppliciter procederent, atq, ubi ồmnibus esset templis supplicatum, ad ædem Virginis, cui Nouæ cõgnomentum est, omnes reuerterentur. Fetunt quum hæc pararentur, adeò pestilentiam atrociter incubuisse, ut populo in concione stante, octoginta exanimati sint. Nec Gregorij & populi supplicantis fuit

precã

preces incassum missæ. Pestilentia sensim remittēs breui extincta est. Sabellicus lib. 3. Enneadis octauæ. De ea paulo aliter Sigonius. Anno 590. dira pestilētia Romānam urbem affligēte, Letaniam Maiorem uulgò dictam, in festo S Marci celebrāri solitā, instituisse fertur D. GREGORIVS Magnus Pp. ut Feria quarta primā luce clerus, egrederetur ab æde S S. martyrum Cosmæ & Damiani cum presbyteris regionis sextæ: abbates cum monachis suis ab æde S S. martyrum Gervasii & Protasii cum presbyteris regionis quartæ: abbatissæ cum cōgregationibus suis ab æde S S. martyrum Marcellini & Petri cum presbyteris regionis primæ: omnes pueri & puellæ ab æde S S. martyrū Ioannis & Pauli cum presbyteris regionis secundæ: omnes laici ab æde S. protomartyris Stephani cum presbyteris regionis septimæ: omnes mulieres uiris orbatæ ab æde S. Euphemiæ cū presbyteris regionis quintæ: omnes coniugio sociatæ ab æde S. martyris Clementis cum presbyteris regionis tertiæ. E singulis autem ædibus in hunc modum egressi, in ædem beatæ Mariæ conuenirent, ac longis ibi fletibus & gemitibus Domino supplicantes peccatorum ueniam imploraret. Iussit quinetiam ut conuocati clericorum chori per triduum psallerent, ac Domini misericordiam inuocarent. Itaq; ab illo traditum nūc quoq; manet, ut post missarum introitum nouies Domini Christūe misericordia exposcatur. Hora igitur tertia uenerūt ipsi canentiū chori ad templū per campos Vrbis clara uoce Domini misericordiam implorantes. Dum autē populus supplices ad Deum uoces effundit, repentè octoginta homines in turba exanimes conciderunt. Gregorius haudquaquam exterritus, continuò populum monuit, ne ab obseruatione cessaret, sed multò intentiùs in studiis diuinæ precationis incumberet. Interim indies magis pestilentia sæuiebat. Ad cæteros autē casus, quibus homines fœdè passim assumebantur, hoc etiam mali accesserat, quòd multi cùm sternutarēt, alij cùm osciterent, repentè spiritum emittebant. Quod cùm sæpius euenirēt, cōsuetudo inducta est, quæ nunc etiam obseruatur, ut sternutantibus fabitem precādo, osciterantibus signum Crucis ori admouendo, præsidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius, ad cætera cœlestis iræ piacula anno 591 religiosam in die Resurrectionis supplicationem instituit, atq; solennē in pompā sanctam Virginis Dei genetricis imaginem extulit. Hæc ex ore eius Lucæ Euangelistæ manu affabrè ad uiuum expressa, iam tum in æde D. Mariæ ad præsepe in Exquilijs sita, eximia populi religione conseruabatur. Factum est autem, ut imaginem ipsam, quacunq; ferretur terra, pestilentis cœli grauitate cedente, optata salubritas sequeretur. Qua de re Deo gratulantibus omnibus, ecce angelus sanctam Virginem his uocibus è cœlo alloquens est auditus: Regina cœli lætare, alleluia: Quia quem meruisti portare, alleluia: Resurrexit, sicut dixit, alleluia. Quam ubi Gregorius ambibus orationem excepit, statim diuino instinctus spiritu in hunc modum expleuit, Ora pro nobis Deum, alleluia. Exinde antiphona solennis ecclesiæ paschalis, ingumēto lætitiæ mansit. Neq; ita multò post angelus super Hadriani molem astans, ac stricdum mucronem uagina reconderet, conspectus est. Quo uiso Gregorius exhilaratus, conuersō ad populum ore, Bono omnes, inquit, animo estote: nam operatus diuinæ iræ, ac furentis iampridem pestilentiæ finis, Deo ipso annuente, ostenditur. Atq; ita, ut ille præsensit, ipse deinde morbus elanguit. Ab hac re moli S. Angeli nomen est indutum. Hæc ex Ritualibus recenset Sigonius lib. 2 regni Italiæ.

CALLISTVS III. pontifex mādauit, ut assiduo rogatu Deus flederetur, in meridie campanis signū dari fidelibus omnibus, ut orationibus eos iuuarent, qui contra Turcos continuò dimicabant. Credideritis tum ego precibus omnium Christianos, ad Bellogradum cōtra Turcos dimicantes, duce Ioanne Vaiuoda, atque etiam Ioanne Capistrano ordinis Minorū, cruceq; pro uexillo hostibus inferente, eos Bellogradum oppugnantes ingēti clade superasse. Platina.

Preces horarias sive canonicas, quas uocant, HIERONYMVS primus, Eusebio Cremonensi & plerisq; alijs, qui cū eo uixerant, instituisse fertur, quibus diuinæ in templis laudes canerentur, quas patres deinde receperunt, imitati carmen Dauidis dicentis, Septies in die laudem dixi tibi. Sunt autem qui tradant, & in primis D. Cypianus, morem celebrandi, primam, tertiam, sextam & nonam horam, à Napiele sumtum, quōd ille ter in die positis humi genibus, patrio ritu, manè, hora sexta & nona precari consueuisset. Ita, teste diuo Hieronymo, tria sunt orandi tempora: manè, id est, hora tertia, quā Spiritu sancto afflati sunt Apostoli: sexta, quum edendum est: sic Petrus Apostolus uolens cibum capere, ascendit circa horam sextam in cœnaculum orandi causa: nona, tum idē Petrus & Ioannes perrexerunt ad templum, precandi gratia. Postea PELAGIVS II (Sigeberto & Cranzio lib. 2. Metrop. 2. testibus) decreuit, ut ipse septem canonicæ horæ quotidie à sacerdōtibus recitarentur, uelut præsens remedium humanæ imbecillitati futurū, quo sicuti iustus septies in die cadit, ita per orandi curam toties resurgat. Singulis autem horis GREGORIVS præfationem dedit initium Psalmi Dauid, Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandū me festina: subiecitq; hymnū illum, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Vt totidem etiam horæ in honorem Deiparæ uirginis quotidie recitarentur, instituit VRBANVS II. in concilio, quod in Gallia ad Claromontem habuit. At HIERONYMVS rogatu Damasi digessit Psalterium in septem partes, ad numerū diērum unius hebdomadæ, ut quilibet dies certū psalmorum numerum haberet, qui caneretur. Quod ita distinctum, nūc ex ipsius Damasi decreto in omnibus templis legitur. Fertur idem pontifex omniū primus (rogatu Hieronymi, teste Sigeberto) hymnum, Gloria patri, qui tribus diuinis personis redditur, ad extremū quenq; psalmum adiecisse, quem in Nicæno conuentu editum memorant. DAMASVS instituit, ut ad singulas horas canonicas recitaretur, pressa tamen uoce, Symbolum, quod ad differentiā Nicæni symboli uulgò breuius & Apostolorū appellatur: quānis certius sit, ut multi tradūt, istud, nō illud, in Niceno concilio editū. Polyd. lib. 6. c. 2. de Inuent. rerum.

GELASIVS pontifex sacramentorum præfationes & orationes cauto & limato sermone fecit. Sigeb. in Chron. an. 487.

Tricesimo imperij Theodosij anno terræmotus magni facti sunt Constantinopoli per quatuor menses, ita ut metu nimio perculsi Byzantini, extra ciuitatem in campum unà cum episcopo, qui tum Proclus erat, secederent, precibus Deo pro liberatione ab imminenti interitū supplicantes. Quadam ergo die fluctuante terra, atq; omni plebe attentūs clamāte, κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam, omnibus uidentibus, à diuina cōtigit uirtute sustolli quendam ADOLESCENTVLVM in aera, & audire diuinam uocē admonentem, ut episcopo ac populo nunciaret, ut Litanias sic facerent, & dicerent: ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ὁ ἰσχυρός, ἅγιος ὁ ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis: nihil aliud apponēres. Proclus episcopus cùm sic facere populo præcepisset, terræmotus cessarunt. Theodosius toti orbi terrarum præcepit, ne hymnum hunc τρισάγιον Ecclesiæ praeteriret. Paulus Diac. lib. 14. Nicephorus lib. 14. cap. 46. & Cedrenus.

Modus orandi per roculos ligneos, quos uulgus modò Preculas, modò Paternostros appellat (ij numero, quinquaginta quinq; perforati ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli maiusculi affigantur filo: & quot hi sunt, toties Dominicam precem, totiēs illi, toties Angelicam salutationem ter numerū meundo recitēt, terq; symbolum breuius inserāt. Et id D. Mariæ uirginis Psalterium nuncupāt) à Petro eremita Gallo, Aquitanense inuentus, qui circa annum Sal. MXC. egit cum Vrbano, ut bellum Asiaticum à Christianis Claromonte susceptum fuerit, quo Hierosolyma recepta sunt. Hodie tantus honor eiusmodi calculis accessit, ut non modò ex ligno, succino, & corallio, sed ex auro argentoq; fiant, sintq; mulieribus instar ornamenti. Polyd. lib. 5. cap. 9. de Rerum inuent. Nimirum rationem habuit ille, uitæ militaris negotiosæ simul & otiosæ, ut quantum ab hostibus carnalibus daretur otij, id contra hostes spirituales impenderetur, satius esse ratus, oratione licēt perfunctoria, quàm ludo uel fabulis tempus fallere. Cæterūm cùm nō quām multæ, sed quanta cū fide preces fiant, [illegible] ille spectare soleat: omnibus in uniuersum in omni uita cum Christo semper orandum erit, ita quidem ut preces ponderentur potius quàm numerentur.

Obseruatio.

Quidam tradunt VIRGINEM beatam, postquam à parentibus in templo cultui diuino fuit dedicata, à mane ad horā tertiam precibus, à tertia ad nonam manuum labori, tum sumto cibo à nona ad uespertum Scripturarum meditationi operam dare consueuisse. Sic illa sacris uirginibus, sicuti est humilitatis integritatisq;, & cæterarum uirtutum, ita & bene dispensandi temporis exemplum, ut scilicet nec semper orent, nec semper operentur, nec semper legant, & tamen semper hæc omnia, ne quis unquā sit otio locus. Quoniam multam malitiam (ut Ecclesiasticus inquit) docuit otiositas. Marul. lib. 2. cap. 1. & Sabell. lib. 2. cap. 4.

PAVLVS in finibus Aphricæ quingentorum monachorum quondam pater, nullo uitæ suæ die quicquam prius egit, quàm trecentas orationes genibus prouolutus Domino obtulisset: eas calculis in sinum ingerendo numerabat. Marulus lib. 2. cap. 1.

STEPHANVS presbyter Constantinopolitanus cùm totum Psalterium singulis noctibus perlegere moris haberet, atq; aliquando citius quàm consueuerat consopitus ipsum semilectum dimisisset, monitus fertur à Petro apostolo in somnis, uti suggereret, & cœptū opus intentius perficeret. Marul. lib. 2. cap. [illegible]

BO[redacted] assumit, alteras iampridem [redacted] non desiuit. Ad inferiora [redacted] prædomuit, [redacted] coronatus est. Marul. lib. 2. cap. [redacted]

ROBE[redacted] occupatus [redacted] sacerdotibus [redacted] cum, omnibus [redacted] horas suas intermitte[redacted] ruerent, statimq; [redacted] oppidum capiebatur. Platina in Ioanne XX.

VENE[redacted] cum intellexisset Carolum [redacted] Galliæ regē Neapolim [redacted] iuramentum facturum, quinetiam [redacted] adhuc diuinis ab rebus esset, ad [redacted] largitiones [redacted] esse, ad omnia templa fieri im[redacted] esse dubium [redacted] decretatum in sacrarum uirginum & [redacted] farinæ tritici [redacted] distriburæ. Idem lib. 3. [redacted] Gallorum [redacted] supplicibus, & solenni ritu placauere. Idem lib. 7. Hi[redacted]

LE[redacted] humilitatem Deiparæ uirgini [redacted] sanctificaret.

Traian[redacted] diuitiis recognoscendum. [redacted] Cuspiniano.

CA[redacted] Cùm [redacted] nimirum potirentur. Radulphus libro 3. [redacted] Chronico ita [redacted]

Bello[redacted] nes [redacted] strauit, [redacted] intercedere [redacted] esset. [redacted] Constantinopolim. Cranzius lib. 12. Vand. c. 21.

Ins[redacted] lo factum, [redacted] præstare omnium iudicio censetur, [redacted]

Ry[redacted] Nicetius. [redacted]

LECTIONES, RECITATIONES.

Fertur [redacted] ipsum Alexandrum sacerdotem [redacted] cipitus, potius more legentium quàm canentium id officium [redacted] Polyd. Vergil. in Oratione Dominicae.

CA[redacted] Mugano legendi atque psallendi disciplinam diligentissimè enarrauit: erat enim uir usu quoque admodum eruditus, quanquam ipse nec publicè legeret, nec uiri abmisse & in commune cantaret. Digito aut baculo porrecto, uel ex latere suo ad procul sedentes directo, demonstrabat quemadmodum legi uellet: & finem lectionis sono gutturis designabat, ad quem uniuersi intenti stabant, ut, siue finita sententia, siue in media distinctione significaret, finem facerent. Cranzius lib. 1. Metrop. cap. 18.

Vitas diuorum, quas Lectiones appellamus, cuilibet sanctorum festo conuenientes, PAVLVS Diaconus hortatu Caroli Magni Imp. & ISVARDVS monachus circa annum Salutis DCCC. rogatu Caroli Magni scripserunt. Polyd. lib. 6. cap. 2. de Rerum inuent. ex Sigeberto.

CANTVS.

FLAVIANVS & DIODORVS, uiri probatæ uitæ & doctrinæ, ut chori in duas partes diuisi, prios psalmos alternatim cantarent, tempore Constantij imperatoris in Ecclesia Antiochena [redacted] perceperunt in Chorum.

DA[redacted] primus [redacted] alternis psalmos caneret, & in fine Gloria patri adderetur, [redacted] quam non nemo [redacted] episcopo Antiocheno institutum fuisse putauerunt, [redacted] audiuit [redacted] nentes. Id quod [redacted] mutatus esse dicitur, qui, teste [redacted] fidelibus, distinxerit septem conuiuiisse chorus, [redacted] Vel Asaph [redacted] eorum qui psalleret. D. [redacted] ait [redacted] medio [redacted] nen [redacted] Ambrosiorum primum apud Occidentales [redacted] horret à sententia eorum qui Damaso affingunt: nam quum ambo [redacted] idem tempus [redacted] ab altero [redacted] reiciebatur [redacted] Polyd. lib. 5. cap. 9. de Inuent.

VITA[redacted] quo hymni sacri canerentur, [redacted] cum Gelasio & Gregorio [redacted] Polydorus Idem, & Cranzius lib. 2. [redacted]

PIPI[redacted] nis Go[redacted] anno [redacted] Sigeberto [redacted] post annos [redacted] Pendo esset à Roma [redacted] Carolus per can[redacted] contexit, anno [redacted] rat. Sigeberto [redacted] quatuor dūtaxat [redacted] Bonus, Petrus Mizolydius, [redacted] Onos Antiphonos vocat, in usu fuisse [redacted] patre Gregorio [redacted] Ducem à Comite diuisit, quatuor subdiuisio modorum quatuor primarum [redacted] cantores Plagios, id est obliquos nuncupauit. Nec alio consilio hoc fecit, quàm ut Ec[redacted] uerborum [illegible] ac poren tian [redacted] posteris ut scripturæ concentum [redacted] Cantorum redderentur. Cùm Græci legati Aquisgrani patriis ceremonijs [redacted] Magnus qui occulte subauscultabat, [redacted] cantus, iussit eos numeros excipi. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum, & Iacobus Curio lib. 2. Chronicorum.

STEPHANVS Laodicensium Episcopus, nocturnum de sancto Lamperto martyre (unus quoque uitam & passionem descripsit) cantum, item de sancta Trinitate, inuentione quoque Stephani protomartyris, dulci & regulari modulatione composuit, & suo tempore in Ecclesia cani instituit, anno 903. Sigebertus in Chron.

SILENTIVM.

PAMBO eremita annis totis XVIII. nihil locutus.

Duo MONACHI Cluniacenses silentium pertinacissimè seruauerant. Vide Tit. Constantiæ religiosæ.

DOMINICI Nazarethani, item quorundam aliorum exempla pete ex Tit. Monachorum.

H. Andres de Solis

INSIT HOMINI, QVO AD CORPUS. Huc pertinet RELIGIOSVS cultus per

ALIMENTORVM VSVM, RATIONE HABITA.

Delectus.

ELEVTHERIVS I. Pp. iussit contra Seuerianos, ne quis Christianus aliquem cibum quo uescerentur homines abominaretur. Volat. lib. 22. & Platina, anno CLXXIIX.

Bernardus in uita Caroli narrat, EPISCOPVM, qui ob ualetudinem recuperandam comederat carnem, in desperationem incidisse: unde ægrè sit liberatus consiliis & consolationibus sacerdotum.

Temporis.

Conrado II. Cæsari frater Henricus rebellans, profugit ad regem Hungariæ STEPHANVM. Is uenientem Christiana pietate suscepit, & in die Paraseeues carnes illi proposuit edendas. Horrebat ille piaculum. Tum rex in illum conuersus, Maioris, inqt, piaculi est bono fratri repugnare. Ille admonitus, rediit in gratiam fratris, & Norimbergam sponte reliquit imperio. Albertus Cranzius lib. 4. Saxoniæ, cap. 36. & lib. 4. Metrop. cap. 11.

ALIMENTORVM ABSTINENTIAM, IEIVNIVM, RESPECTV

Temporis.

APOSTOLI uolentes Christianos imitatores esse Seruatoris abstinentiæ, instituerunt XL dierum Ieiunium ante Pascha seruandum. Testis est Hieronymus in epistola ad Marcellum, aduersus Montanũ, qui plures quadragesimas seruandas prædicabat, scribens, Nos unam quadragesimã secundùm traditionem Apostolorũ, tempore nobis congruo ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Seruatores: non quo per totum annum, excepta Pentecoste, ieiunare non liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud uoluntate munus offerre. Platina, & Volat. lib. 22. & alij TELESPHORO I. Pp. illud primò assignant, circa an. Domini CXXIX. At Polydori sententia falsò: qui Telesphorum auxisse tantũ dierum numerũ, non autem institui illius auctorẽ fuisse contendit, & constituisse, ut per septem hebdomadas ante pascha ieiunũ obseruaretur. Hoc temporis spacio computantur quinquaginta dies, quibus quotidie, ne uno quidem prætermisso, ieiunio corpus edomandum erat: siquidem ex decreto MELCHIADIS, circa annum CCCV. perspicuè apparet, nullos tum Dominicos dies à ieiunio uacuos fuisse: ille enim perdiu postea sanxit, ne Dominico, néue quinto hebdomadæ die ieiunũ celebraretur, quòd eos dies idolorũ cultores quasi sacros agerent. Sed hoc posterius paulatim obsoleuit. Illud uerò superius iam ante Melchiadem in usu erat, dicente Tertull. in lib. de Militis corona, die Dominico ieiunium nefas ducimus: eadem immunitate à die Paschæ, usq; ad Pentecosten gaudemus. Verùm ita fortè accidit, ut institutum iam intermissum, à Melchiade renouatum fuerit. Fuêre nonnulli, qui istiusmodi partem temporis tanquam totius anni decimã sacro ieiunio darent. Nam cùm annus cõstet ex CCCLXV diebus, ac horis sex, decima pars est XXXVI dies, & nescio quot horæ: & quia deinde quatuor dies additi sunt, ex eo nomen composuerunt, ut Quadragesima nuncupata sit. Libro 6. Diuinorũ offic. Quadragesimã uerò alij iam usq; ab initio incipiebant eo die, qui nunc est primus ipsius Quadragesimę Dominicus dies, ac ita continebat in se duos & XL dies: alij uerò à secunda feria præteritæ hebdomadæ: quod hodie Itali monachi atque Narbonenses Galli obseruant. Verùm cùm in eo XLII dierum numero sex interessent Dominici dies, quibus ex scito Melchiadis, fas nõ erat per ieiunium abstinere, ideirco D. Greg. ut quadragesimam redigeret ad XL dies ieiunio sacros, addidit ad eum ipsum numerum dies quatuor, uoluitq; feriam quartam præteritam, esse caput quadragesimæ, quam multis cùm cæremoniis, tum sacris, sanctam & celebrem fecit. Polydorus asserit APOSTOLORVM decretũ fuisse, ut tres hebdomadæ ante natalem Domini, quas Aduentum uocant, ut solennes celebrarentur: adiunxeruntque illis ieiunium, quod ali quandiu publicè seruatum ferunt, nunc uerò monachi maximè omnium obseruant.

Quarto & sexto hebdomadę die ieiunium indixerunt patres, quòd hoc die Christus fuisset cruci affixus, & eo Iudas illũ prodere animò destinasset, quod censuerat APOLLONIVS orator insignis, sicuti in Decret. Canon. est, qui imperãte Commodo solus ea tempestate martyrium passus, quia de Christianæ religionis laudibus, quod tunc capitale fuit, orationem habuisset. Testatur & de obseruatione huius ieiunij Origenes super Leuit. Polydorus lib. 8. cap. 4. de Rerum inuentoribus.

INNOCENTIVS I. instituit sabbathorum ieiunium, quòd eo die Christus Dei filius in sepulcro fuerit, eiusq; discipuli id tempus ieiunio transegêre. Sabellicus lib. 9. Enn. 7. & Platina, & Sigebertus. Anno CCCCIV.

CALLISTVS primus omnium, teste Platinà, & Sabellico libro 6. Ennead 7. instituit, ut frumenti, uini & olei gratia, ter in anno ieiunium ageretur, die præsertim sabbathi, id est, quarto mense, septimo & decimo, si incenemus annum à Martio, Hebræorum more. Inde mutato cõsilio, in quatuor partitus est anni tempora id ieiunium, in uer, æstatem, autumnum & hyemem. Quibus temporibus deinceps ratio sacrorum ordinum habita est, cùm id antea tantummodo Decembri mense fieri consueuisset. Sunt tamẽ qui Vrbano attribuant huiusmodi quatuor temporum ac ieiunij distinctionem, quæ antea hominum imperitia confundebantur. Sic utrunq; fieri potuit, ut Callistus primùm instituerit, deinde Vrbanus ieiunium in quatuor tempora digesserit. Polydorus lib. 6. c. 3. de Rerum inuen. Constituit, ut ieiunia quatuor temporum seruarentur triduo: ut, quod Iudæus in Ca[illegible] mensium facit ieiunans, id implerent Christiani ad honorem Trinitatis in quatuor uicibus, per ternos dies. ut non Iudaizaret ecclesia, illos imitando: id ipsum tamen impleret ieiunando. Cranzius, & Sigebertus anno CCXIX.

Innocentio Pontifici maximo, à Friderico Imp. uehementer exagitato, conuocata Vratislauiam episcoporum synodo, decretum, ut quinta pars redituum ecclesiasticorum ex tota Polonia in triennium ei decerneretur. Relaxauit autem tunc POLONIS partem ieiunij eius, quod est solenne cum Christianis ante Pascha. Nam cùm id totis nouem hebdomadis ueteri summorum pontificum instituto uulgò seruarent, indulsit, ut esset, deinceps hebdomadarum sex & dimidiæ. Cromerus lib. 8.

ECBERTVS Treuirorum episcopus ieiunium bannitum, tertia post Pascha hebdomade celebrandum, ob nimiam siccitatem primus instituit, an. DCCCCXXCIII. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

RVTHENI in ieiunio prout in cæteris cæremoniis à Romanis discrepant, quatuorq; ieiunia magna, quibus carnibus abstinent, habent. Primò in quadragesima septem integris hebdomadis ab esu carnium abstinent. In prima hebdomada, quam nos ultimam Bacchanalium dicimus, lactariis & butyraceis cibis utuntur, eamq; Mastna, quasi Butyraceam appellant: reliquis uerò septem integris septimanis ad Pascha usq; eriã piscibus abstinent, pleriqus, cauliculis, raphano, fungisque contenti. Quidam etiam deuotiores Dominicis tantùm & Sabbathinis diebus cibum sumunt: reliquis diebus, frustulo panis in meridie confortati, ab omni cibo abstinent. Alij die Dominico, feria tertia, quinta & septima, cibis coctis uescuntur: reliquis buccella

panis cum aqua fermentata sumta, totis diebus inediã tolerant. Secundò ieiunant post octauã Pentecostes usq; ad ferias Petri & Pauli Apostolorum, appellantq; hoc ieiuniũ diũ Petri. Tertiò à prima Augusti usq; ad Assumtionẽ beatiss. uirginis Mariæ ieiunio se macerant; Quartò sex septimanis in aduentu Domini carnem & butyrum uitant, uocaturq; hoc ieiunium Philippi: incoatur enim sub festum Philippi, secundùm Ruthenicum calendarium. Guagninus.

Finis.

Viennæ Galliæ, tempore terræmotus & incendij, ieiunia indixisse MAMERCVM eius Ecclesiæ episcopum, refert Sidonius epistola ad eundem, quæ est prima libri septimi.

Sacrorum.

D. GREGORIVS Pp. quatuór primos Quadragesimæ dies Ieiunij ueluti Parasceuen esse uoluit. Ex illius proinde instituto primùm in Missa legitur illud Ioelis prophetæ secundum caput, ubi de pœnitentia agitur: deinde aliud Matthęi euangelistæ, quò ueri ieiunij modus præscribitur. Sed ante initium Missæ factum, cineres consecrantur, quibus populus aspergatur: sic nanq; apud Iudæos, eos quos maximè pœniteret, cinere cõspergi solitos, tradit Hieremias cap. 25. Deinde sacerdos imponit eos cineres super uertiicem capitis cuiusq;, dicens, Memento homo, quia puluis es, & in pulueren reuerteris. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen. Atq; hinc ea dies feria quarta Cinerũ appellatur. Postremò ut ne ocyùs, quàm ieiunium requireret, populus ad prandium aduolaret, iussum est, ut sacra omnia ad nonam usq; horam producerentur, recitatis etiam simul Vesperis, quas uocant. Quæ sanè ceremoniæ ac sacra partim D. Gregorij opera & auctoritate, partim Cabillionensis concilij decreto instituta sunt. Polydorus.

Ciborum. Nempe

Qualitatis.

Viculus marinus animal amphibium, apud SEPTENTRIONALES copiosum, carne & larido constans, scrupulũ mouit plurimis, utrũm eo tempore Quadragesimalis ieiunij sit utendum. In utranq; partem caulis allatis, necdum lite cõposita, alij simplicius & commodius asserunt, ex ipso uitulo marino sumendãm demonstrationem, ut cùm partũ fecerit in litore, si ad syluas à uenatore compulsa bellua fugerit, abstinendum eius esu esse tempore prohibito: si uerò ad aquas, securissimè ea uescendum. Pinguedine certè eius utuntur in obsoniis, loco olei: carnes instar porcinæ in uasa reconduntur. Olaus lib. 20. cap. 7.

RVTHENI omnib. diebus sabbathinis (exceptis temporib. Ieiunij) carne uescuntur. Sed feria quarta & feria sexta grande peccatũm carnibus uti credunt, ita ut si Petri & Pauli, Assumtionisq; Marię festum feria quarta uel sexta contigerit, tum ea quoq; die carnibus abstinent. Sabbatho autem carnibus non uesci peccatum putant. Guagninus in descriptione Moscouiæ.

Quantitatis.

In Monasterio Tabernensi, ubi Amos abbas mille quingentis monachis præfuit, FRATRES ad mensam cõgregati, dentibus à fronte cucullis, ita oculos regebant, ut alterum uidere comedẽrem non posset. Itaq; tantũ quilibet mebat, quantum collibuisset: & singulorum continentia singulos latebat, ne inani gloriæ daretur occasio. Marulus lib. 4. cap. 2.

MONACHI Ruthenici grauioribus ieiuniis præ cæteris oneranturq, qui aqua fermẽtata cum frustillo panis semel in die sumta contenti esse coguntur. Guagninus in Moscouia.

SE VIGILIÆ.

Mos fuit statim ab initio crescentis religionis, ut quia Seruator Christus noctu nasci uoluisset, sacerdotes nocturno tẽpore surgerent, horásq; Canonicas canerent, ac profani similiter uiri atque mulieres de media nocte surgerent, & dies præsertim Paschales agerent, pernoctantes in templo, ibiq; orarent, & die cœnæ Domini conuiuium concelebrarent, quod Dominicum conuiuiũ appellabantur; aq; eodẽ loci frequenter conuiuarentur, ubi simul inopes cibo reficiebantur. Tertullianus lib. ad Vxorem secundo, D. Hieronymus in Sermone de obseruat. Vigiliarũ. Populus imitans pastores, qui circa Bethleem atq; gregem suum nocte excubias agentes, meruerunt primi de ortu Domini cognoscere: solebat ea nocte quę diem quempiam præcessisset solennem, in templis ad sepulcra martyrum pernoctare orando, sacrosq; hymnos canendo. Quod C. Plinij testimonio comprobatur, qui quum Bithyniam prouinciam obtineret, mortus misericordia ob multitudinem Christianorum interemptorum, ad Traianum, cuius iussu ea sæuitia eruperat, scripsit, multa hominum milia quotidie obtruncari, in quibus nihil omnino sceleris inueniretur, nisi quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo quasi Deo

[redacted]

[redacted] tus. Sic res in aliud tempus [redacted]

[redacted]

[redacted] Domini [redacted] ne ieiunium

[redacted]

[redacted] culus [redacted]

[redacted]

[redacted] ficum illud, quod [redacted] mant, sine suspi[redacted]

lydorus lib. [redacted]

D. BERNARDVS uigilauit supra quàm homini possibile est, & conqueri solitus est, nullum tempus se pejus collocare, quàm quo dormiebat. Deinde ieiuniis, frigore, labore assiduo uetriculi uim ita fregit, ut cibum assumtum adhuc crudum continuò regereret. Auctor uitæ lib. j. c. 7.

SE PEREGRINATIONES SACRÆ.

Qui. V. G.

Reges, Principes.

CAROLVS Magnus relicto ad obsidendam Papiam auunculo Bernardo, inermis inermi comitatu Apenninum transgressus, tantumq; Italię rex extemus fiondum confecto bello emensus Romam religionis ergò uenit: id quod nemo unquam qui armatus Italiam petiuisset, fecerat. Eoq; tutius, & maiore omnium caritate uenerationeque iter faciebat. Appropinquanti, officij causa, præter ignobile mortalium uulgus, ad tria millia non cõtemnendorum hominũ, qui iridolem maiestatis Romanæ pręse ferrent, occurrerũt, gratulabundi. Præstolabatur regem Hadrianus cum sacro cœtu pro gradibus ædis Petri. Ille ubi in congressum uenit, prius pontificis pedes osculo contigit, quàm se illi complectendũ daret. Vterq; igitur & in congressu, & longiore consuetudine alteri admirationi fuit. Proceres quoq; Romani Francique comitate officiisq; inter se certarunt: simul societatem amicitiamq, iunxerunt, eosdem utrisq; socios hostesq; fore: fidemq; tacta Apostolorum ara dedẽre, accepereq;. Rex per quatriduum templa circumiuit, donauitque munificentissimè. Diem resurgenti Domino festum apud Pontificem egit. Octo dies in urbe mansit, nullis religionis liberalitatisue regiæ partibus omissis. Aemilius lib. 2.

Imperator HENRICVS II. post acceptam coronam, Cluniacum deuotionis gratia adiit. Historia Bambergensis.

OTHO II. Imp. post acceptum Romæ diadema archiangeli Michaelis ędem in Gargano monte, uotis se exoluturus, orationis gratia adiit. Blondus lib. 2. Dec. 3.

OTHO II. Imp. sepulcrum D. Adelberti Cracouiæ uisitauit, à Boleslao Poloonorum duce regis honorib. exceptus, gratitudinis ergò regium illi titulum contulit, & Romani imperij socium amicumque scripsit: deditque pro regibus insignis coronam & sceptrum & lanteã beati Mauricij, & clauũ Domini. Ea in armario Cracouiensis ecclesiæ conseruantur. Boleslaus uicissim donauit Imp. brachium D. Adelberti martyris. Cranzius lib. 2. Vandal. c. 36.

OTHO III. Imp. anno DCCCCXCIIX. Rauenna occultè cum paucis uoti soluendi causa Venetias adiit, & victoriã de Dalmatis Petro Vrseolo duci, amico scilicet hominũ, gratulatus, comiter apud eũ populo ignorãte diuertit, & filia eius è sacro fonte suscepit. Eo inde profecto, dux de Imp. apud

apud se hospitio populum docuit. Sigon. lib. 7. regni Ital. Post coronationem, in Apuliam ad sanctum Angelum oratũm abiit. Henricus de Erfordia, & Martinus in Chronico. Idem Gnisonem, urbem Poloniæ primariam, supplicandi gratia, ad Alberti tumulum profectus est. Auentinus lib. 5. Annalium Boiorum.

LVDOVICVS Iunior Francorum rex, pro se & filio Philippo rogaturus, in Angliam ad B. Thomam Cantuariensem contendit, anno MCLXXIX. Parisios reuersus obiit, anno seq. Aemilius.

HENRICVS Anglorum rex, orationis causa ad Rocam Amatoris, qui locus in Cadulcensi pago solitarius erat, proficiscitur, anno MCLXXI. Sigeberti Continuator.

BOLESLAVS III. Polonorum dux, cùm Sbigneum fratrem spurium, hominem rebellem & superbum, consilio procerum, per insidias necandũ curasset, quàmuis magnis in ornatum templorum, & in alimenta sacerdotum atq; egenorum impendiis atq; donationibus, iugiq; precatione & lacrymis, & aspero tenuiq; uictu & cultu corporis, cilicio pro uestimẽto, & cinere sese aspergens, ægrotorũmq; mendicorũm pedes subinde manibus suis abluens, admissum facinus sedulò expiaret, cùm aliis satisfaceret, tamen ipse sibi non satis faciebat, nisi & laborẽ longæ molestæq; peregrinationis adiiceret. Itaq; solenne Christianis XL dierum ieiunium, pane tantùm & aqua gustandis, cilicium induturus, cùm exegisset, paucis sacerdotibus & aliis piis hominibus comitatus, ad Ægidij tutelaris diui sui sepulcrum in Narbonensem Galliam peregrinationem priuati habitu suscepit atq; id iter magna ex parte nudis pedibus confecit, nullum templum, nullum monasterium, nullum egentium domicilium, neminem deniq; sacerdotem aut mendicum præteriens, quin liberalitatis & munificentię quippiam in eum depromeret. Quindecim dies apud diui sepulcrum ieiuniis & supplicationibus uacans, commoratus, cùm in Poloniã reuersus esset, & reliquũ illius anni tempus quieti dedisset, uere proximo in Hungariam ad D. Stephani sepulcrum alteram peregrinationem instituit, pedestri item itinere. Cromerus libro quinto.

IOANNES Brennus Hierosolymorum rex, exul in occidentẽ uenit, & uotiua peregrinatione illustrem fama sanctitateq; D. Iacobi ædem petiit: quo in itinere Castulonẽsis regis sororem Berengariam uxorem duxit. Aemilius lib. 6.

CANVTVS Daciæ & Angliæ rex, anno MXXX, & cùm regnare cœperat, XIII, uoti causa Romam petiuit, ubi à Ioanne XX. pontifice Romano benignè acceptus est. Persoluto uoto, paucis pòst diebus in Angliam incolumis rediit. Polydorus lib. 7.

ERICVS IV. rex Daniæ, ex uoto abiit Hierosolymam. Cranzius lib. 5. Daniæ.

Monachi.

ALEXIVS Romanus monachus per XVII annos peregrinatus. Vide Tit. Monachorum.

Mulieres.

PAVLÆ Romanæ uiduę, multis uirginib. & filia comitib. peregrinationem in terram Sanctam prolixè describit Hieronymus in eius Epitaphio.

D. VRSVLA cum XI millibus uirginum Romam peregrinata. Consule Tit. Martyrum.

Nobilissima uidua INGRIDIS, Scheningensis oppidi in Ostrogothia ciuis, cõtemtis mundi pompis, Hierusalẽ, Compostellam ac Romam tempore Martini IV. anno D. MCCCXXCII. peregrè profecta est. Ei à terra Sancta cum aliquot uirginibus comitibus reuertenti, diabolus, magna pompa, ac equitum caterua, ueluti potẽs dominus, illud oppidum ingrediens, proconsules ac ciues illicò in forum publicum uocatos instruxit, ut nequaquam admitterent certas mulieres ante mœnia commorantes: asserens, eas maleficas esse, sibiq; nocitissimas. Quo audito, multis sese signo sanctę Crucis munientibus, illicò in ictu oculi tota illa diabolica turma euanescere uisa est, quasi fumus. Ergo mulierem sanctã in ciuitatem receperunt. Senatus & ciuium singuli uasa argentea, quibus abundabãt, sanctæ huic mulieri, ut mansionem pro se suisq; uirginibus fabricaret, liberaliter obtulerunt. Itaq; monasterium uirginum S. Dominici ædificatum est. Comes huius uiduæ fuit quædam Mechthildis, è regno Daniæ illustris uirgo: cuius sponsus contradicentem opprimere uolens, ab altis scalis cadens, fracta ceruice subitò expirauit. Illa in medio noctis silentio aufugiens, ope uiduæ, in uirginitate usq; ad uitæ exitum permansit. Olaus lib. 6. c. 19. Septentrionalis regionum.

Cùm Europęę gentes circa annum Christi MCCCCL. qui Iubilei erat, Romam confluerent, GERMANA matrona nobilissima à Sigismundo Malatesta Ariminensium principe in Veronensium finibus rapta, & quia libidini uiuens consentire noluerat, post mortem constuprata fuit. Pontanus cap. 17. de Immanitate, & Sabellicus lib. 7. Decadis 5.

Quò peregrinentur.

ROMANÆ peregrinationi D. Gregorius occasionem dedit. Vide Tit. Corpora diuorum colere.

Circa annum MLXXII, magno numero concurrerũt homines ad S. SEBALDVM Norinbergam, & ad S. HEMERADVM Hefegunum, ut Schafnaburgensis testatur.

[redacted]

Quomodo. V. G.

Nudis pedibus.

LEO IX. Pp. Romæ agens, tertio quoque die à Lateranò in Vaticanum nudis pedib. tribus tantùm clericis comitatus, silentio noctis procedere, psallendò atq; orando, solitus erat. Sigonius lib 8. regni Ital.

BOLESLAVS Polonorum dux, exiguo sacerdotum & piorũ comitatu stipatus, in Narbonẽsi prouincia, nudis pedibus magna ex parte confecto itinere, S. Aegidij inuisit sepulcrũ, & Stephani in Hungaria, ac Gnesnæ Adelberti reliquias adiit. Cromerus lib. 5.

AENEAS Syluius legatus ab Eugenio IIII. in Scotiam missus, in graui tempestate uotum uouit Virgini matri, se nudis pedibus illius templum media hyeme per XM. passũũ perituũ. Voto soluto, podagræ initium contraxit. Io. Ant. Campanus in eius uita.

Habitu noxij.

FVLCO Andegauensis comes, sumto noxij damnatiq; habitu, duos adsciuit comites, eorumq; alteri se collo resti illaqueandum trahendumq; ad Domini monumẽtũ tradidit: alteri uirgas dedit, quibus se tergo cæsum lacerũmq; codẽ ageret, uociferantẽ, Admitte, Domine, miserum Fulconem, periurum & fugitiuum tuum. Hoc factum satis constat, sed cuiusnam periurij scelerisue expiandi causa, non liquet. Multo pòst Fulconis ex filia pronepos Fulco rex Hierosolymitanorum creatus fuit, & extincta demùm Gulielmi nothi Normannorum ducis agnatione Andegauensium comitum, eadem Fulconum familia, cognatione iuncta Gulielmi nothi stirpi, ei in regnum successit. Aemilius lib. 3.

GVLIELMVS Aquitaniæ dux triplici cinctus cathena Hierosolymam, Romam & S. Iacobum petiit. Miracula etiam edidisse dicitur. Claruit anno Domini MCLVII. Chronicon Hirsaugiense.

Preces, Donaria offerendo.

HENRICVS Leo, Saxoniæ & Bauariæ dux, anno Salutis humanæ MCLXXII. Hierosolymam profectus, sancta loca deuotus inuisit, ad Dominicum sepulcrum, ad locum Cru[redacted] [redacted]cliqua etiam Dominicæ memoriæ uestigia deuotè pro[redacted]uit, oblationes faciens non paruas. Portam crucis Christi argento uestiuit, musiuo opere parietes ornauit, ad luminaria redditus constituit, mille argenti marchas in donatiua militibus Christi dedit: uallem Iosaphat, montem Sion, Oliueti, Nazareth, Bethleem, Tabor inuisit. Omnia uerò sancta loca Henricus abbas Brunsuicẽsis lacrymis & suspiriis insignuit, sacrum implens altaris ministerium cum sacrificio, indutus cilicio, antelucano tempore, pòst matutinale expletum. Cranzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 32.

Anno Salutis humanæ MDII. EMMANVEL Lusitaniæ rex Compostellam profectus est, ut ad D. Iacobi sepulcrũ nuncupata uota persolueret. Conimbricam quum peruenisset, & sepulcrum Alphonsi regis inuictissimi, cuius uirtute Mauri fuerunt è Lusitaniæ finibus expulsi, parum magnificè extructum cerneretur demolirí, & aliud satis amplum & magnificum ædificari iussit. Quacunque iter faciebat, pupillis & uiduis benignè consulebat, templa donis & muneribus cumulabat, scelera potentium hominum, quæ fuerant ad illum diem impunita, acerimo supplicio uindicabat. Compostellæ mansit triduo, sepulcrumque diui Iacobi singulari significatione religionis inuisit, templumque donis auxit, & lychnum argenteum singulari opere perfectum, qui perpetuò in eo luceret, appendi præcepit. Hospites, apud quos diuertebat, multis muneribus affecit: ita denique iter illud habuit, ut ubicunq; pedem poneret, & pietatis, & liberalitatis, & regiæ munificentiæ uestigia relinqueret. Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

Armis.

☞ *Consule Tit. Peregrinationes sacræ.*

SVECI & Gothi Septentrionales ex pagis remotissimis ad Parochiae

Parochias baptismales profecturi, aliud genus armorum, præter balistam, gladium, & securim, non ferunt. Balistas, propter feroces bestias, ursos & lupos, qui tribus mensibus, Ianuario, Februario & Martio plus solito ferociunt. Eorum interfectorum pelles quasi pro sacrificio scabellis altarium sub pedibus celebrantis offerūtur. Et hinc est ortum, quòd maximo ac horrendo urgente frigore, super ursinam pellē stant sacerdotes celebraturi. Si uerò lupina pellis, aut lyncea, uel uulpina, aut alterius generis retibus excepta fuerit, precium eius pro cereis ecclesiæ conferitur. Gladios ferunt, ut eum uiri nullam Securcs propter arbores tempestatib. peregrinuerint, uiam sternant, excindendas, & amouendas, uel pontes supra inundatione perfractos restaurandos. Olaus lib. 18. cap. 20.

Cur peregrinentur. Causa

Orandi.

CAROLVS Magnus intra annos XLVII quater Romam ad uota persoluenda & orandum profectus est. Eginardus in uita eius: Cranzius in Saxonia lib. 2. c. 8. Quintò urbem accessit, cùm Leo Pont. III. ab æmulis ac propinquis Hadriani esset malè tractatus, ut eum liberaret. Cuspinianus.

Expiandi, Pœnitentiæ.

OFFA Merciorum rex expiandorū scelerum causa Romā profectus, Hadriano primo regnum suum uectigale fecit. Polydorus libro 4.

FRATRICIDA quidam, ab episcopo iussus est pœnitentiæ loco septem annos ad loca sanctorum peregrinari. Gregorius Turonensis de Gloria confess. c. 87.

Expugnato Vitriaco castro à LVDOVICO Francorum rege anno MCCC. in Ecclesia diuersi sexus & ætatis homines cremati sunt. Quo facto motus rex, terram Sanctam pœnitentię & precum causa adiit, ubi integrum substitit annum. Sigeberti Continuator. Idem anno MCLV. S. Iacobum in Gallicia, exinde post annos IV. montem S. Michaelis de periculo maris religionis ergò adiit. Idem.

ROBERTVS Normānię dux, pœnitens quòd fratrem uenenо necasset, uoti soluendi causa Hierosolymam profectus est. Polydorus lib. 8.

HENRICVS Leo Saxonum dux, emensis tot ciuilium in Saxonia bellorum periculis, assumtisq; itineris sociis Conrado Lubecensi episcopo, Henrico Brunsuicensi, Bertholdo Luneburgico abbatib. & Pribislao Obotritorum regulo, Guncelino Seuerinensi, & Sigfrido de Blanckenburg comitibus, pro suorum expiatione peccatorum terram Sanctam inuisit: ut Arnoldus Chronici Sclauorum continuator lib. 2. cap. 2. refert.

Quo Fructu. Ex peregrinatione

Regnum.

FVLCO Comes Andegauensis nimis infestus D. Martini prædiis, factisq; facultatibus, suscepta sacra expeditione pœnas ipse ab se exegit: nec reliquam modò impunitatem à Deo impetrauit, sed & rex Hierosolymorū effectus est. Acmilius libro 5.

Dignitas equestris.

VALDEMARVS Danorum rex, cum Etico Saxone [illegible] iuniore & ampla familia in terram Sanctam peregrinatus, peruenit ad Dominicum sepulcrum: ibi de manu Erici ducis factus est miles Christi, qui antè fuerat rex seculi: auratū enim cingulum rex deferebat. Cranzius lib. 8. Vandal. c. 27.

Mors.

Plurimi diuersarum nationum HOMINES, circa annū MC Hierosolymam orationis causa contendentes, aeris corrupti contagio interierunt. Frisingensis lib. 7. c. 7.

SIGFRIDVS Moguntinus, GVNTHERVS Babenbergēsis, OTHO Ratisbonensis, GVLIELMVS Traiectēsis, episcopi, & alij proceres Galliarum, septem millibus hominum stipati abierunt precandi gratia Hierosolymam, anno MLXIV. Hi dum opes & magnificētiam suam magis quàm pietatem in itinere ostentarent, ab Arabibus in Caruasali oppido se contra hostium furores occluserunt. Arabes ad urbis mœnia militem quendam captiuum in crucis formam extensum dissecarunt, & uiscerum dispositionem omnibus conspicientibus in eo rimati, simili modo cæteros se tractaturos captiuos minati sunt, nisi aurum & argentū, quod secum haberent, omne ultrò eis offerrēt. Tandem comitis de Ramula subsidio liberati sunt. Ex tanta autem multitudine, uix bis mille uiri anno seq. ad suos rediere: ut Scotus, Sigebertus, & Schafnaburgensis indicant.

ROBERTVS Normannorum dux è Hierosolymitana peregrinatione rediens Niceæ obiit, anno MXLIV. Cranzius lib. 3. Noruegiæ, cap. 25.

LVDOVICVS Thuringiæ Landgrauius, D. Elizabethæ Hungaræ uxoris suasu Hierosolymitana peregrinatione suscepta, in terra Sancta obiit. Bonfinius Dec. 2. lib. 7.

Impietas.

FRIDERICVS Ciliæ comes, cuius libido & luxuria toti orbi fastidium peperere; religionis causa Romam profectus, domum reuersus, ad uomitum rediit. Reprehensus securo. Et sutor meus, inquit, Roma reuersus ad sutrinā rediri sui putat esse officij. Aeneas Syluius in Europa.

STATIONES SACRÆ.

Ex Tit. Eremitarum & Monachorum, huc quædam.

IOANNEM monachum Aegyptium, sub caua montis rupe annos tres rectum petstitisse tradunt, taliq; corporis gestu & cibum & somnum cepisse. Ex diutina tādem immobiliq; statione tibias imas intumuisse, ulceraq; fecisse. Angeli ministerio pedum tumor curatus est. Marulus lib. 3. cap. 10. & Sabellicus lib. 2. cap. 10.

VESTITVS SACER. Iseque uel

Certus. Verbi gratia

Excrucians.

D. DOMINICVM Loricatū Petrus Damiani uocat, quòd ad macerandam interioris amicitus asperitate carnē lorica uteretur. Sigonius lib. 8. regni Ital.

Vilis.

VVLSTANVS Vigornienſis episcopus, in Anglia ouium tantùm pellibus in uestitu ut uoluit, uti Agni immaculati memoriam sibi semper refricaret.

Neglectus.

D. VENCESLAVS Boemorum rex noctu plerunq; uel in ipsa hyeme nudis incedebat pedibus ad templa, in quibus pernigilia celebrabant sacerdotes. Ferunt Podiuinum, qui intimus Venceslao & assiduus comes erat, malè aliquādo à frigore & niuibus acceptū fuisse, quanquam ipse calceatus ducem suum discalceatum subsequeretur, rursus tamē subitò incaluisse, cùm primùm pedes suos, quemadmodū iussus erat, uestigiis ducis impressisset. Dubrauius libro.

CARCERES, VINCVLA.

Confule Tit. Monachorum & Eremitarum, qui sese certo alicui loco per aliquot annos inclusere.

EVPHROSYNA uirgo 38 annos cellam non fuit egressa.

BANO prædo Gallus, monachus factus, manus ac pedes cathenis onerauit, lapidem pro puluillo habuit, eundemque dum oraret sæpè humeris imponebat, ut scilicet palmæ instar depresso corpore, spiritus ad cœlum maiore cum impetu ferretur. Marulus lib. 4. c. 10.

VICTORINVS episcopus Amiternensis, cùm eremum coleret, cum dæmone, qui feminæ habitū assumserat, congressus, ubi se deceptum sensit, manibus in fissuram ligni impactis, pœnitentiā egit, uti ne à lupis inferni deuoraretur: Miloni Crotoniatæ contrarius, qui cocuntibus fissuris arboris deprehensus lupis prædæ fuit. Marulus lib. 2. c. 12.

GENEBAVDVS Laudunensis episcopus cùm uxori, quàm repudiarat, consuetuisset, facti pœnitēs angustæ cellulæ per septennium sese inclusit. Idem.

METRON confessor compedibus ferreis carnem domare conabatur. Ibidem.

PHILORONIVS presbyter intra saxeam speluncam inclusus, & ferreis nexibus manus pedesq; reuinctus, uixisse perhibetur, ut carcerem simul uincula q; perferret. Hic extremo uitæ die confessus est, nullum à se temporis momentū, quo non de Deo aliquid cogitaret, prætermissum. Marulus lib. 3. capite 10.

MARTINVS in Massico Campanię monte solitarius manēs, ut euagandi facultatem sibi surriperet, cathena saxo affixa pedem uinxerat. Et cùm diu angustiam hanc libenter pertulisset, Benedicto abbate iubente, ne committeret, ut cathena ferrea potius quàm cathena Christi ibi illū fixum teneret: statim quidem nodos dissoluit, sed nunquam inde longius discessit, quàm discedere uinctus poterat. Marulus lib. j. cap. 9. ex Mariano Scoto.

IOANNICIVS in monasterio Etiste, monastico habitu indutus, se inclusit, in loco qui uocatur Critama, & se ligauit cathena sex ulnas longa. Metaphrastes in uita eius, tomo 5.

SEPVLTVRA RELIGIOSA, CONSIDERATA QVO AD

Habitum.

MANVEL Comnenus Constantinopolitanus Imp. moriturus, monastico indui habitu uoluit. Nicetas.

ERICVS Danorum rex iam iam efflaturus animā, regiam uestem cuculla permutauit. Saxo lib. 14. hist. Danorum.

Mantuæ Marchio FRANCISCVS II. testamento cauit, ut in ordinis Franciscani, uel, ut uocant, Seraphici uestе sepeliretur. Fecit idem ALBERTVS Pius, Carporum princeps, Lutetiæ. Sleidanus lib. 12.

CHRISTOPHORVS Longolius Belga Paranimphus Mitoritano habitu sepeliri uoluit.

Locum. Vbi.

ARBOGASTVS episcopus secundus Argentinensis, moritурus, iussit cadauer suum ad patibulum sepeliri, ad recordationem passionis Iesu Christi, qui etiam apud patibulū passus, & propè sepultus fuerat. Bruschius in Episcop. Germ.

RICARDVS Normanniæ dux, in agone mortis præcepit suum corpus ad ostium templi humari, ubi & pedibus hominū assiduè conculcaretur, & stillicidiis ex tecto alto delabentibus infestaretur. Malmesburiēsis de Anglorum rebus lib. 2. cap. 66.

ADSIT HOMINI QVO AD

Fortunas. Huc

OPVM RELIGIOSVS

Amor.

Contemtus.

Ex Titulo Monachorum huc multa.

Sub D. Ludouico Francorū rege, anno MCCLX. sacri MENDICORVM cœtus uotuum paupertatem laudibus efferentes, in diuites sacerdotes concionabantur, eorum cupiditate, eorum ambitione, seruorum Dei numerum multis partibus imminui: alios bina, alios terna, alios plura facta eaq; opulenta sacerdotia habere. Hæc illi prædicantes habebant aduersarios [illegible] unos: ac magna, si modum sapientiæ imposuissent, ingenia: in quibus Gulielmum à sancto Amoris, doctorem Sorbonicum (cuius liberi in bibliotheca Sorbonica adhuc seruatur, teste Chronico Francorū) qui damnatis semel pauperibus à Lugduno, paupertatis mendicitatisq; profitendæ specimen sublatum contendebant. Pontifex maximus Alexander sacros paupertatis ordines ex usu pietateque Christiani nominis habendos censuit, qui tunc & eruditionis & sanctitatis gloria præstabāt. Albertus Sueuus, magnus (ut ea tempestate) uir, & eius auditor Thomas Aquinas Prædicatores florebant: florebat Minor Bonauentura à Balneo Regio: quib. propugnantib. quis uotuum paupertatē potuisset expugnare? Acmil. li. 7.

HONORVM CONTEMTVS.

Ex loco Magnanimitatis in contemnendis honoribus, huc multa quadrabunt.

ORDINES SACRI CHRISTIANORVM.

De his in Personarum religiosarū enumeratione egimus, de Institutione ordinis tum Monastici tum Militaris. Hic de iisdem ordinibus, quatenus diuini cultus instrumenta sunt.

CONIVGIVM, NVPTIÆ CONTractæ

Inter Quos.

FABIANVS Pp. sub Decio uetuit, ne quis consanguineam usque ad quintam sobolem in matrimonium duceret. Sigeb.

LVDOVICVS VII. Gallorum rex, Ludouici Crassi filius, cū Eleonora ipsius coniux inuenta esset arcta cum propinquitate contingere, quanquam secum Aquitanæ ducatum, aliarumq; regionum hæreditatem traheret, atq; ex ea filias duas iam suscepisset: repudium tamen ei indixit, ne aduersus catholicæ fidei leges matrimonio uteretur. Eius connubio soluta Eleonora, Henrico III. nupsit, qui tunc Normandiæ ducatum obtinebat: unde ad Britannorum regnum cōscendit, eaque de causa Aquitaniæ ducatu Britanni potiti sunt. At Ludouicus Constantiam, Hispaniarum regis F. uxorem duxit. Fulgosus lib. j. c. j.

In tertio gradu affinitatis cùm inuentus esset Agneti coniugi suæ coniunctus ALMARICVS Hierosolymorum rex: etsi iam duos ex ea filios susceperat, ei repudium misit: atque Matiam Emmanuelis Imp. neptē duxit, Agnete Bellini principi nupta. Idem.

ALFONSVS Legionis in Hispania rex, æquo animo tulit, ut ab Ecclesia matrimonium ipsius, primùm cum Tiresia Portugallensis regis filia, ac deinde aliud, quod postea cum Berengaria Castulonensis regis F. contraxerat, dirimeretur, quanquam ex utraq; filios procreasset: quoniam cū utraq; in tertio gradu affinitatis cōiunctus esse arguebatur. Ibidē.

SIRICIVS pontifex statuit, ut qui uiduam aut bis uxorē duxisset, omni ecclesiastica administratione priuaretur. Sabellicus lib. 9. Enn. 7.

Quomodo.

SOTER sub M. Antonino instituit, ut nuptiæ palām & in celebritate fierent benedicerenturq;, an. Domini CLXIX. Volaterranus lib. 22.

Quoties.

Ad Saluinam Hieronymus, Nesciat (inquit) uidua digamiæ indulgentiam. Et ad Gerontiam: Non solùm ab officio sacerdotij digamus excluditur, sed ab eleemosyna ecclesię, dum indigna putatur stipe, quæ ad secunda coniugia deuoluta est. Et in lib. de Officiis Ambrosius: Digamus in sacerdotē ordinari non debet, non quia deliquerit, sed quia præiudicium exutus est sacerdotis. Cælius lib. 28. c. 22. A. L.

CONIVGIVM DIREMTVM.

DEVS DEDIT Pontif. Rom. decreuit, ut si qui uiri, uel mulieres suos, ipsi alias nuptiis, uel ut ita dicam iuncto susciperent, separarentur ab inuicem, ne fieri quis ut commattē suam, uel si qua mulier [illegible] cum à primo dono Spiritus Sancti, (quod ut populum fidelis facerat) usq; ad septimum donum Spiritus sancti, in connubium duxerit, separaretur: mulier tamen in [illegible] donem recipiat, & post expletum annum alteri si uult nubat. anno Domini DCXLII. Sigebertus in Chron.

Lex erat, à pontificibus [illegible] ut ex eius feminæ uel uxoris potiretur con[illegible] baptizandæ Tobiis eam matre exstitisset, [illegible] ecundis, pellex CHILDERICI Francorum regis, [illegible] maritō reddere uxorem legitimam Audouera, insidiose ei persuasit, ut pro recēs nata filia baptizanda, absente marito, ipsa fideiuberet. Audouera nihil mali suspicata, die iustico obtemperat, propriæq; filiæ testis in baptismo existit. Fredegundis reuersio regi mox negotium totum aperit. Rex iratus, uxorem repudiat: & episcopū, quòd baptizandæ filiæ matrem teste admiserat, exilio damnat. Adon ætate quarta, sub Iustino iuniore: Rob. Guagninus lib. 2.

CONIVGIVM NEGLECTVM CAVSA RELIGIOSA.

TECLA uirgo, Paulo apostolo Iconij Christum euangelizante credidit. Cumq; iam desponsata esset, repudiato coniugio uirginitatem seruauit: & ob fidei confessionem in ardentē rogum missa, uti nō potuit, subitis imbribus igne extincto. Deinde leonibus, ursis, tauris exposita, ut ferus belluis sēpē te mansuefactis euasit inoffensa. Puduit proconsulem ultrà in illam sæuire uelle, cui tam atroces bellua pepercerant, &

[illegible] AS Scythiotici monaster[illegible] coniugij iugum tulit. Cæterum cum quinquennium uxori seruisset, ad continentiam est conuersus. Illi uerò, ut itidem se contineret, & iam spiritu secum, non carne copulari uellet, persuadere nullo modo potuit. Vbi autem omnes adhortationes incassum cedere uidit, grauiter ingemiscens: Ego te, inquit, mulier abstrahere à morte non possum, nec tu me separabis à Christo. Melius est mihi cum homine, quam cum Deo habere diuortium. Posthæc relictis omnibus, dimissaq; uxore, monachū se fecit: & breui tantum profecit, ut sub Ioāne abbate monasterium ingressus, in successoris eius Heliæ locum omnium suffragiis sufficiens meruerit. Marulus lib. 4. c. 7.

ALEXIVS Romanus Euthemiani siue Epiphanij & Aglaiæ filius, prima nuptiarum nocte, uirginitatis amore, sponsam suam deseruit: & sponte exilium eligens, per annos XVII. peregrinatus est, hominumq; eleemosynis uixit. In Edessa Syriæ ab imagine diuæ uirginis Mariæ proditus, ad parentes rediit: in quorum ædibus similiter annos XVII. specie mendici, ut ignotus, aliorum mendicorum more eleemosynas ac stipem accepit, quorum magnam turbam parētes in propriis ædibus ob filij absentiam alebant. Moriturus, uitę suæ totius narrationē in charta complexus est: ex qua, ipso iam defuncto innotuit parentibus, tanto temporis curriculo se proprium filium aluisse. Refert Sigebertus sub annum Christi CCCCV. imperantibus Arcadio & Honorio. Bergomensis anno Domini CCCCX. 6. Calend. Augusti, exequiis eius utrumque interfuisse Imp. scribit, quòd plenę fuerint miraculorum.

VRSINVS, Nursiæ presbyter, cùm presbyteratum accepisset, ita ab uxore fuit alienus, ut nulla necessitate ipsam ad se, prius accedere passus sit. Post annos XL in tali continentia transactos,

transactos, dum ille animam ageret, & tandem cessante nouissimi singultus anhelitu decessisse putaretur, ipsa admota ad nares aure, an adhuc spiraret, explorare cœpit. Mira res: persentit mulieris tactum, qui seipsum iam non sentiebat. Tum quicquid uitæ in mortuo corpore residuum erat, totũ ad os collegit, prorupitq; in uocem dicens: Recede mulier, nondum penitùs extinctus est ignis, tolle paleam. Receden te illa, apparuerunt Petrus & Paulus apostoli, quos ipso ui dente cæteri uidere non poterant. Et dùm ab eis (ut aiebat) inuitatus, se uenire respondisset, expirauit. Marulus lib. 4. cap. 7. & Sabellicus lib. 5. cap. 6.

MARGARITA Aegyptia uirgo, prima nocte sponso ex lassitudine altiùs dormiente, ut qui diem totũ in choreis & tripudiis desudasset, ipsa dormire non poterat, assiduè secum uolueus, quomodò uirginitatis suę thesaurum subtraheret cijus rapinæ. Clanculum ergo pedetentimq; sese de cubili [redacted] excessit, & uirum assimulata, monaste- [redacted] bi persa[redacted] fui diem cognitum fuit. Marul. lib. 4. c. 8.

Ingelthrudis, filiam Berthegundem in monasterium, in atrio templi Martino dicati, auulsam à maritq, qui cum XXX annos uixerat, detrudere cupiebat. Maritus Gregorio Turonẽsi negotiũ indicat. Is Canonum Nicenorũ decreta relegit, in quib. continetur, Quia si qua reliquerit uirum, & thorũ, in quo bene uixit, spreuerit, dicens, Quia nõ sit ei portio in illa cœlestis reghi gloria, qui fuerit cõiugio copulatus: anathema sit. Quibus auditis, BERTHEGVNDIS metuẽs ne à sacerdotib. Dei cõmunione priuaretur, egressa monasterium, rediit cum uiro suo. Greg. Turonensis lib. 9. Hist. c. 34.

CVLTVS CHRISTIANVS, RESPECTV FORMAE sive Modi Deum & diuina colendi, PRIMARIVS, qui Deo & Diuis applicatur. V. C.

FIDES, CREDVLITAS.

[redacted]

SACRIFICIVM, MISSA. Huius

MATERIA.

ALEXANDER I. Rom. Pontifex instituit, ut oblatio ex azymo, non fermentato, ut anteà consueuerat, fieret pane, uel quia Christus azymo consecrasset, uel quia Dominus per Mosen præcepisset, ut omnis oblatio absq; fermẽto fieret. Polydorus lib. 5. c. 10. & 11. de Inuentorib. Iam quia de latere crucifixi Christi effluxit sanguis & aqua, ita aquã uino misceri in ipsa cõsecratione instituit, ut nec uinum sine aqua, nec aqua sine uino offeretur. Sigebertus in Chron. Anno CX. Teste Gratiano.

FORMA. PARTIM

In Genere.

MISSÆ forma simplex ab initio, à Christo tradita apud Apostolos erat [redacted] inquit Polydorus, & Platina. [redacted] is constat Petrum, qui uel primus omnium, ut Apo[redacted] princeps, uel unà cum aliis Apostolis, rem diuinam eo ritu, quem à Christo accepisset, identidem fecerat, post consecrationem continuò inferre solitum Dominicam precem. Auxit inde hæc mysteria Iacobus Hierosolymitanus antistes, auxit Basilius, aliiq; alia subinde instituêre. Celestinus I. Missæ introitum (quã Ioã. Reuchlinus uoce Hebraica quasi oblationem dici asserit) cuius initium est Psalm. Iudica me Deus. Damasus confessionem, quę fit à sacerdote, priùsquã altare conscendat: quidam tamen Pontiano assignant. Gregorius antiphonam, quæ introitum sequitur, & ob id uulgò eodem nomine nuncupatur: item ut nouies Kyrie diceretur, & antiphona post Epistolam, Euangelium, & cõmunionem. At antiphonam post epistolã, Graduale appellant, quòd diaconus ascendat in editiorem gradum, ad pronunciandum Euangelium. Telesphorus hymnum, Gloria in excelsis Deo. Gelasius primus orationes, id est, precum clausulas, quas uocant. Epistolam & Euangelium Hieron. & cùm id legeretur, ut cuncti qui sacris interessent, curui ac uenerantes starent, uti expeditiores ad euangelicũ dogma defendendum, uel animaduertendum, quod stando magis q̃ sedendo facere solemus, Anastasius primùm constituit. Alleluia ex Hierosolymis translatitium est. Symboli decantatio fuit Marci Pontificis primi decretum, ut festis diebus post Euangelium decantaretur, ac idem recitaretur à populo, q̃ sacrorum causa adesset. Innouauit & id decretũ postea Damasus. Antiphonam, quam Tractum uulgò appellãt, & hymnos, Gelasius fecit, ac præfationes quæ Canonem præcedunt, cantu quidem & sermone eleganti composuit, quæ, ut testatur Pelagius, nouem numero sunt: decimam ad honorem Deiparæ uirginis Vrbanus addidit. Thus adoleri ad altare Mosis in tabernaculo [redacted] ius ex ueteri quo q̃ instrumento [redacted] non tamen [redacted] nũum incoarax ensu euisse dicuntur. [redacted] Dei. In præfationibus, ut Sanctus, [redacted] Dominus Deus Sabaoth, cantaretur, [redacted] fecit, quod Isaia propheta [redacted] est: [redacted] dein initium esse cœpit, Gela[redacted] rietur Comment. inter, quo [redacted] ex quo apparet, ipsum Canonem [redacted] in eam formam digestum, qua modò [redacted] fidem facit, quòd Alexander I. qui Gelasi[redacted] go temporis interuallo præcessit, ob memoriam passionis Christi posuit, Qui pridie quàm pateretur, usq; ad illa uerba, Hoc est corpus meum. Quocirca satis liquet, illud tum Canonis fuisse principium, quando Gelasius circiter CCCLX. & eo amplius annos post Alexandrum fedit. Leo deinde adiecit, Hanc igitur oblationem, usq;, Placatus accipias. Gregorius tres subiunxit postulationes, Diesq; nostros in tua pace disponas, atq; ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Eiusdẽ quoque primi Leonis est, Sanctum sacrificium, immaculatã hostiam. Sic alij alia addiderũt. Finito canone, dicitur: Pax Domini: hic osculum pacis datur inter sacerdotes mutuò, qd Innocentij primi inuentũ est: uelut Leonis II. ut pax in sacrorum cæremoniis astantis populo circumferretur. Sic Seruator cõsueuerat suos discipulos abeuntes, uel redeuntes deosculari: sic Iudas præceptorem osculo prodidit. Antiphonas, Responsoria uulgo dicta, Itali primùm inuenisse traduntur. Sunt qui Gradale uocent, q̃ iuxta gradus suggesti cantetur. Gelasius & Gregorius multas preces inuenêre, ac ad Lectiones & Euangelia, Respõsoria, id est, offertoria, quæ uocant, adiunxerunt. Gregorius quasi de integro modum rei diuinæ edidit. Fecit illud ipsum & Ambrosius Mediolanensis antistes. Quapropter habito deinde episcoporum conuentu, decretum fuit, ut quæ Ambrosius digessisset, Mediolanensis tantùm sacerdotum cœtus seruaret, & Gregoriano inuento reliqui uterentur. Polydorus.

In Specie. Huc pertinent

Præfationes, Introitus.

TELESPHORVS uoluit ut in missis proclametur Gloria in excelsis Deo. Volat. lib. 22. Anno CXXIX. Sigebertus.

SYMMACHVS Pontifex anno CCCCXCIII. constituit, omni die Dominico uel natalitio martyrum, Gloria in excelsis Deo, ad missas cantari: quem hymnũ Telesphorus, septimus à Petro papa, nocte tantùm natalis Domini ad missas à se in ipsa nocte instituras cantari instituit, & in eo, ad angelorum uerba, quæ sequuntur adiecit. Sigeb.

PELAGIVS pont. decreuit quotidianam sacramentorũ præfationem ad missas, nouem tantummodò præfationib. secundùm antiquum Romanorum ordinem esse commutandam, scilicet in Natali Domini, in Apparitione, in Pascha, in Ascensione, in Pẽtecoste, de sancta Trinitate, de Apostolis, de sancta Cruce, de Ieiunio quadragesimali. An. DXXCI. Sigebertus in Chronicis.

GREGORIVS I. instituit, ne quid ornatus & concentus inter sacrificandum deesset, ut Antiphonæ canerentur, quas uulgò Introitus uocãt. Eius quoq; inuentum est, ut nouies Kyrieeleison caneretur, & Alleluia, interpositis Septuagesimę diebus usq; ad Pascha. Cantatur etiam post Euangeliũ, post communionẽ eiusdẽ mandato. Platina, & Sigebertus.

Euangelium, Epistola, Symbolum.

Diuus HIERONYMVS uoluit in missa cani Euangelium & Epistolam. Volaterranus libro uigesimo secundo.

ANASTASIVS I. Pp. instituit ann[redacted] ut [redacted] ter [redacted] dicitur. Platina, & Volat.

DAMASVS Papa, Credo in unum Deum solemnibus diebus cantari instituit, ex decreto synodi, à centum quinquaginta episcopis Constantinopoli celebratæ. Sigeber. in Chron.

Psalmi.

CELESTINVS Pp. Max. constituit, ut psalmi Dauid centum quinquaginta ante sacrificium canerentur, quod antè non fi[redacted] tantùm epistolã [redacted] Dauid, & sanctum Euange- [redacted] liu[redacted] institutio [redacted] psalmis introi- [redacted] tu[redacted] communio[redacted] inte[redacted] communicandũ cum modulatione ad missam in Ec- [redacted] clesia Romana cantari ceperunt. Sigeberti Chron. an. 428.

Versiculi.

SERGIVS [redacted] in Annunciatione Domini, in festiuitate quæ dicitur Hypapate Domini, in Natiuitate & Assumtione sanctæ Mariæ exeant letaniæ. Anno Domini 688. Sigeb[redacted] in Chronicis.

Allocutiones.

Sacerdos dicendo, Dominus uobiscum, sæpiùs ad populum in altari se uertit. Sic Hebræorum sacerdos inter sacra sese circumagebat, aspergendo sanguinem animalis immolati. Pla[redacted]

Oblationes.

ADRIANVS Papa, in offertoriis & offertoriorum uersibus quod geminatũ est geminauit. An. 772. Sigebert. in Chron.

GELASIVS Pp. uoluit fieri in missis Collationes. Volat. li. 22.

Canon, Consecratio.

ALEXANDER Pp. inseruit memoriam Dominicæ passionis ad consecrationem Eucharistiæ. Sigebertus.

GREGORIVS Pp. cõstituit post primã commemorationem sanctorum in canone missę à sacerdote ita dicendũ, Et eorũm quorum solennitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, toto orbe terrarũ. Quam institutionem in oratorio Romæ tabulis lapideis conscribi fe[redacted] LE[redacted] [redacted] Sa[redacted] stum [redacted] Sigebertus. XY[redacted] [redacted] Pro- [redacted] ficata [redacted] Volat. [redacted] SER[redacted] Pontifex in [redacted] Agnus Dei [redacted] Sigebertus.

INNOCENTIVS [redacted] Volat. [redacted]

GR[redacted] nem super hostiam censuit recitari: anno [redacted] Sigebertus in Chron. & Volat. lib. 22.

Pacis osculum.

INNOCENTIVS I. Pp. decreuit pacis osculum ad missas dari. Sigebertus.

LE[redacted] pacis instituit. Volat. lib. 22. [redacted]

Benedictio.

Solent sacerdotes per [redacted] populo signo crucis, ut Episcopi inter sacra, & Pontifices aliiq; antistites etiam eundo. Sic in Leuitico Aaron post factam rem diuinam extendebat manum in populum, ac illi benedicebat. Christus ascendens eleuatis manibus benedixit suis discipulis. Polydorus.

PERSONÆ. PVTA

Sacrifici, Sacerdotes Verbi gratia.

Pontifices.

LEO IX. Pp. Cassini in festo Apostolorum rem diuinam pontificia ceremonia celebrauit, ac pedibus duodecim monachorum lotis, unà cum eis communi in triclinio cibum cepit. Sigonius lib. 8. regni Italici.

Initiati.

FELIX primus sanxit, ut nusquam nisi in sacro loco, si per necessitatem liceret, & à uiris sacris initiatis Missa celebraretur, quòd ipsius rei diuinæ faciundæ à principio solùm Apostolis, hoc est, sacerdotibus à Christo potestas facta fuisset. Polydorus lib. 5. cap. 11.

Casti.

NICOLAVS Pp. an. 363. constituit, ne quis concubinam habenti presbytero ac sacrificanti interesser. Gratianus.

Diligentes.

IVS I. Põtifex sub Antonino Philosopho iis pœnam constituit, qui negligentes sunt in attrectando Christi sanguine & corpore: Pœnitẽtiam (inquit) agant quadraginta diebus; quorum negligentia in terram aliquid decideritsi super altare, tribus diebus: si super linteum, quatuor: si in aliud linteum, nouẽ diebus. Vbicunq; deciderit, si recipi potest, lambatur: sin secus, aut lauetur, aut radatur: lotum & rasum aut comburatur, aut in sacrarium reponatur. Platina.

ASSIO Narniensi episcopo (ut in dialogo Gregorius testatur) quotidie sacrificium Deo offerenti, presbyter eius retulit dicens, Per uisum sibi à Domino fuisse iniunctum, ut ei diceret, Age quod agis, nec solitum opus intermitte, natalitio apostolorum Petri & Pauli die uenies ad me, recipiesq; mercedem. Ille itaque anno quidem septimo, sed tamẽ die quo prædictum fuerat, cùm missam celebrasset, percepta communione uita decessit. Marul. lib. 4. cap. 12.

DOMINICVS Prædicatorum pater, inter sacrificandum nimio interdum stupore attonitus, exteriùs obrigescebat, interiùs ineffabiliter consolabatur. Idem.

Diaconi, Acoluthi, Leuitæ, Ministrantes.

GALLORVM reges cùm in multis templis sui regni Canonicorum ordinariorum numero ascripti sint, si quando ad eiusmodi templa accedunt, depositis regiis ornamentis lineã uestem sacerdotali more cum aliis Canonicorum insigniis desumunt, muniaq; sua cum aliis Canonicis obeunt. Fulgosus lib. 1. cap. 1.

SIGISMVNDVS Imp. sub natalem Domini Constantiam ueniens, in Missæ sacro tanquam diaconus Euangelium cantauit, Exiit edictum à Cæsare Augusto. Carion lib. 3. Chron.

Spectatores, Adstantes. Horum

Numerus.

ANACLETVS Pp. uoluit, ut sacerdos nõ nisi corã saltẽ duobus sacrificaret, ne ille frustra bene precando diceret, Dominus uobiscum, si minus quàm duo sacris interessent. Gratianus & Volat. lib. 22. hoc Soteri attribuit, qui fortè illud parum custoditum renouauit. Polyd. lib. 5. c. 11. de rer. Inuen.

Gestus.

ANASTASIVS I. Pontifex constituit, ne sacerdotes uel laici ullo modo sederent, sed curui & uenerabundi starent, cùm sacrum Euangelium aut caneretur aut legeretur in Ecclesia Dei. Platina.

POLONI equites inter sacra enses stringunt in defensionem Euangelij, dũ illud cantatur. Vide Tit. Expeditiones sacræ Christianorum.

Locus.

LEO V. Pontifex decreuit, ut dum missarum sacra solennia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare uel sedere uel ingredi præsumat, nisi tantùm sacra plebs, quę ad ministrationem sacri officij constituta est. Sigebertus.

VASA.

ZEPHYRINVS I. Pp. statuit, ut consecratio diuini sanguinis in uitreo uase, non autem in ligneo, ut antea fieret. Vetitum postea, ut neque in ligno geret propter raritatem quã sacr[redacted] tantum imbibitur, neque in uitro propter fragilitatem, neq; ex metallo ob tetrum saporem, quem inde concipit: sed ex auro, argento, stanno, ut in Tiburtiensi & Remensi concilio scribitur. Platina.

FINIS. MISSA

Pro Martyrum cultu.

FELIX I. Pontifex martyrũ glorię consulens, statuit, ut quotannis sacrificia eorum nomine celebrarentur. Platina.

LEO Pp. quoties rogabatur ab aliquibus, ut eis Apostolorũ uel martyrum reliquias daret, solebat ad corpora uel memorias Apostolorum, aut martyrum, quorum reliquiæ pertebantur, missas celebrare in ipsorum honorem, & sic brandeum altaris, quo cõsecratum corpus Domini inuoluerat, particulatim diuidebat, & pro reliquiis Apostolorum uel martyrum dabat. Quòd si ab aliquibus dubitaretur, cultello pannos illos pungens, sanguinem eliciebat: ut palàm cunctis faceret, quòd in consecratione mysteriorum Christi sanguis Apostolorũ uel martyrum, qui pro illo effusus est, intret per diuinam uirtutem in pannos illos: & ideo meritò illos dari pro reliquiis sanctorum, in quorum honore consecrati sunt. Sigebertus in Chron. an. Domini 441.

Pro Viuis.

Quædam mulier (ut apud D. Gregorium legimus) pro uiro ab hostibus capto, & in uincula coniecto, per sacerdotem sacrã Deo hostiam statutis diebus offerre cõsueuerat: & cùm ab illo postliminiò reuerso didicisset, dum captiuus teneretur, identidem se reuinctum comperisse, neq; scire potuisse, quomodo id sibi contingere soleret: dies quibus id ei contigerat sciscitans, eosdem ipsos fuisse animaduertit, quibus oblatum fuerat sacrificium. Marul. lib. 4. cap. 12.

Idem testatur AGATHONEM episcopum Panormitanum, cùm Romam uersus nauigaret, ad insulam quæ in Tyberis

ostio est applicuisse, & sacrificium missale obtulisse, pro nauta suo Varica nomine, quem in scapham descendentem, dũ nauis plenis uelis ferretur, rupto sune in medio mari reliquerat, & fluctibus obrutum perisse putabat. Cùm autem ad Romanum portum peruenisset, egressus, in litore Varicam sibi obuium habuit, & uehementer miratus audiuit, eum dum scapham regendo, partim labore, partim inedia iam deficeret, obdormisse, & dormienti sibi uisum à quodã panem accepisse, atque eo gustato se refocillatum sensisse, deinde expergefactum, nauigio iuxtà præteruntes susceptum, Romamq; delatum. Rem ergo curiosiùs exquirens, comperit ea ipsa die illum pane eo refectum fuisse, qua sacrificium fuerat oblatum. Marul. lib. 4 cap. 12.

Pro defunctorum salute.

Apud CHRISTIANOS mortuorum iusta septimo die à funere, demtis ex ueterum instituto illis duobus diebus, fiũt: ideoq; in canonicis Decret. distinct. 44. præcipitur: Nullus presbyter ad Septemdialia defuncti solennia celebrãda uocatus, se inebriare ullatenus audeat: quandoquidem tunc largiter epulantur. Apud Anglos hoc fit uigesimonono die, postquam mortuus est sepultus. Nos uidemur septimo die sacrificium pro mortuis facere, sicut in nuptiis apud priscos septima dies instaurationem uoti habebat, ut quemadmodum hoc die initium propagandi generis celebre erat, sic etiam illo eodem die finis cuiusq; solennis haberetur. Fuit & mos offerendi pro mortuis: testis Tertull. in lib. De militis corona, Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Polydorus.

Gregorius Pontifex refert, quendã Centumcellensem PRESBYTERVM, dum in thermis lauaret, homini ignoto, qui tamen ipsi officiosius inseruiret, panes aliquot referendæ gratiæ causa muneri obtulisse, illum uerò noluisse accipere, quòd sibi eis opus nõ esse diceret, uita hac iam defuncto: se enim loci illius dominum aliquãdo fuisse, & eo deinde labore expiare culpam ibi iussum. Quamobrẽ si sibi gratificari uellet, illos panes pro se consecratos Deo offeriret. Quod cùm ille fecisset, die octauo ad thermas reuersus, homine nõ inuento, noxa absoluitum agnouit. Marul. l. 4. c. 12.

Idem tradit, dum adhuc abbatis officio fungeretur, monacho sui monasterij, cui iusto nomen erat, licet ægrotanti, fratrũ colloquium se interdixisse, & defuncto cœmeterij sepulturam, eo quòd tres aureos apud illum absconditos deprehenderat, qui omnibus communes esse debuissent. Hac seueritate in languentem primò, deinde in mortuum usus, ut sanos uiuentesq; ab eiusmodi uitio coërceret. Cæterùm & saluti illius consulẽs, missas XXX pro eo celebrare Piceiosum monachum iussit. Iustus tuigesimo die pòst fratri suo Copioso apparens, pœnis, quibus pro delicto afficiebatur, se demum absolutum dixit. Itaq; idem dies & oblationum finem statuit & supplicij. Idem.

Benedictus X. Pontifex maximus, postquàm uita defunctus est, apparuit Ioãni Portuensi episcopo, seq; ne æternis pœnis addiceretur, ODILONIS Cluniacẽsis abbatis misereſsionibus consecutum fuisse, & tantummodo temporariæ afflictioni, donec uitæ maculas diluat, deputatum. Id ut resciuit abbas, pro illo sollicitiùs orauit, simulq; monachis, ut pariter orarent, iniunxit. & nõ multo pòst, idem Benedictus ingenti fulgore renitens, uisus est primùm Edelberto monacho, deinde ipsi Odilioni, cui & gratias egit, asserens se suiq; fratrumq; eius precationibus à pœnis purgatorij ad beatitudinis quietem translatum. Marul. lib. 2. cap. 2.

Idem abbas diuinitus monitus, solennes pro mortuis precationes, die sistum omnium Sanctorum proximè sequenti faciendas instituit, primusq; celebrauit. Ibidem.

ARNVLPHVS Turonensis episcopus, cuiusdam nuper defuncti animam à dæmonibus ad gehennam trahi uidit, & prouidens, diuinam clementiam, ut eius misereretur, implorauit. Tum demum reddito corpori spiritu surrexit qui fuerat mortuus, ac se precibus Arnulphi seruatum palam est testatus. Ibidem.

MALACHIAS, Ceneroth Hibernię urbis episcopus, cuius uitam scripsit Bernardus abbas, quotidie pro sorore sua defuncta missale sacrificium Domino offerebat. Cumq; magnis quibusdam occupationibus impediretur offerre intermisisset, illa per noctem quiescenti apparens, conquesta est iam triginta dierum inediam se sustinere (tantum autẽ temporis ab oblatione missæ cessatum erat) proinde petens, ut ipse tandem necessitati suæ subueniret. Quo uisu ille admonitus, easdem pro sorore supplicationes nullo non die celebrans, iterum ipsam uidit, & primùm quidem in limine ecclesiæ stare, deinde ecclesiam ingredi, postremò altari proximam Albatorum quorundam choro iungi. Ibidem.

ETHELVOLFVS rex Angliæ fauit, ut monachi, sacerdotes, & moniales in qualibet ecclesia singulis septimanis die Mercurij conuenirent, & canterent psalmos quinquagintà: & unusquisque presbyter duas missas, unà pro rege, aliam pro

[illegible] dum in uiuis sint, sed etiam post mortem [illegible] 4. Vuilhelmus lib. 2. [illegible] de Anglis, & Rannulfus lib. 5. [illegible] in Polychron.

Henricus V. Imp. Romà reuersus Spiram, patri HENRICO IV. (cuius corpus propter excommunicationem quinquennio sepultura caruerat) parentauit, anniuersariumq; deuotis orationibus celebrauit. & iuxtà maiores suos in templo corpus collocauit, marmoreo sepulcro condito. [illegible]

IOANNES [illegible] Magnum rex, monitus [illegible] criciis quibuldam & rebus diuinis, pro mortuis quot annis celebrandis, qui sub eius imperio militantes [illegible] liis occubuerant. Matthæus lib. 18. rerum Hisp.

[illegible]

ACCIDENTIA. CVIVSMODI EST

Tempus.

Quòd semel tantùm die sacrificabatur, hoc ALEXANDRI primi, teste Gratiano, est decretũ: sicut & illud TELESPHORI I. quòd Dominico natali die ter sacerdos rem diuinam facit, & primò in media nocte, quũ Christus est natus: deinde lucescente auiora, quando pastores natum inuiserunt: postremò ubi prima lux humano generi affulsit, quia prius nulli ante tertiam diei horam fas esset. Platina, & Vol. 1. 22.

PELAGIVS Pp. sub Iustiniano cõstituit, ut quadragesimæ tempore hora nona posset presbyter sacrificare.

GREGORIVS Pontifex cõstituit, ut tempore quadragesimæ, quinta feria ieiunium & celebritas missarum fieret in Ecclesia, quod antea non fiebat. Constituit autem anno Domini 714. Sigebertus in Chronicis.

Locus.

FELIX I. statuit, ut nullibi quàm in sacro loco, sacrificium, quod Missam appellant, celebraretur: necessitatem semper excipiens. Platina.

Lingua.

Cultus.

Vide suprà, Reliquiarum cultus, Monumentorum, Sacrorum. Marulus lib. 4. cap. 12. Missæ religiosè cultæ exempla habet plurima.

Vsus, Accommodatio.

STEPHANVS presbyter Constantinopolitanus, cum [illegible] næ hostia sacra contingens, ab ea dæmonem expulit. Quæ liberata dixit, sibi tunc uisum fuisse, quòd ille puerum uiuũ uertici supponeret suo. Marul. lib. 4. cap. 12.

Conuiuia.

SACERDOTES in Rom. ecclesia quum primam celebrant missam, cum sacerdotes & amicos conuiuio accipiunt, eundemq; diem non minùs religiosè, quàm natalem colunt, ut auspicatò sacerdotalem introitum faciant. Polyd. lib. 5 c. 1.

Miracula.

Ex superioribus exempla quædam huc facient.

HONORATVS Ambianensis episcopus missam celebrans, cùm ante se in altari sacram hostiam attentiùs considerasset, iam sumere uolens, manibus contingere hæsitabat. Itaque depictæ ibi imaginis Christi manu sublatam, sibique porrectam hausit, sumere non recusans, quod diuinitus dabatur. Marulus.

Viterbij (quod oppidum Piceni est) SACERDOS quidã, dum missam celebraret, hostiam sacram sumturus, dubitauit, esset ne illa uera caro Saluatoris: & cùm de more manibus confregisset, cruor inde manare cepit, ita ut album panniculum, quod corporale appellant, sib subiectum magna ex parte inficeret, frustraq; tentatũ est maculam illam eluere aquis.

quis. Atq; ob miraculi fidem pannus ipse in sacrario Viterbinæ ecclesiæ adhuc seruari dicitur. Eam potissimè ob rem quatuor Vrbanus pontifex (cũ fortè ibi adesset) diem corporis Christi festũ constituit, qui peractis Pentecostes officiis feria quinta proxima solennis est. Marul. lib. 4. cap. 2.

HIVONI presbytero missam celebranti, dum sacrã hostiã reuerenter offerret, igneus globus super uerticem astitisse uisus est. Quæ res tantæ admirationi fuit, ut quod ipse manibus extulerat, iis etiam, qui priùs dubitauerant, diuinũ esse appareret, adorarentq; deinceps in sacramento, non quod uiderent, sed quod esse crederent. Marul. lib. 4. cap. 12.

CYRILLO Carmelitæ Græco dũ sacra faceret prodigiosum quid accidisse scribit Mantuanus, his uerbis:

Cyrillus diuinus homo cùm sacra litaret
Mane sub auroram, sacra uestitus abolla,
(Res miranda) puer fulgenti splendidus ore
Adstitit antè aliquandiu suspensus in auris,
Argentumq; docens annorum fata sequentum
Protulit, & manibus pronis dimisit in aram,
Adiiciens: Deus ista tibi secreta reuelat,
Sancte pater: tu fac populis ea nota Latinis.
Continuò mutans Romanis Attica uerbis
Nomina, ad abbatem Siculum transmittit, & hic
Confestim in Latium, scholiis ad singula iunctis,
Quæ superant, & nauentur a[illegible] leguntur.

EDVARDO Anglorum regi, dum [illegible] reciteto interesset, in manibus sacrificantis presbyteri Christum ea corporis forma, quam de Virgine matre sumsit, ferunt apparuisse. Rex cùm prorupisset in risum, ac interrogaretur, Ecquid esset respondit, Se uidisse Dacos infestis armis Angliam inuadere, ac continuò prætoria naue demersa, in Daciam contendere. Id quòd paulo pòst accidit. Inde facilè cognouit, regnum suum esse Deo curæ. Polyd. lib. 8.

MARIÆ, cognomento Decegnies, Christum pueri figura uisa perhibent, dum sacerdos inter sacrificandum de more manus sustulisset. Idem.

Cùm PASTOR Vueddingensis missam celebraret sub Henrico III. Imp. uinum cal[illegible] uersum est in sanguinem: cuiusque [illegible] aut nullis abominatus, deiecit Magdeburgum, ibique [illegible] de summa reclusum est. Chron. Saxonicum.

CAROLVS Carolum primum Conradinus Germanorum rex, ad recuperandum Neapolitanum regnum, cum ualido exercitu proficisceretur, CLEMENS IV. pontifex, Viterbij, consternata metu aula, in Prædicatorum fano inter missarum solennia concionatus, ad solandas hominum mentes apertè monuit, ne, qui secum in aula erant, formidarẽt: quoniam malorum hominum suasu Conradinus ad eam expeditionem, uelut ouis ad occisionem, duceretur. Affirmauit autem à Deo habere se hoc pro comperto, ut post Catholicæ fidei articulos hac re nihil certius putaret. Nec multo pòst superatus prælio Conradinus à Carolo, Neapoli capite multatus fuit. Fulgosus lib. 1. cap. 3.

natu instructæ: aderatq; illis comes adolescens, sub angeli specie: qui secundo Februarij mensis die magnam urbis partẽ lustrabant, præcipuo totius ciuitatis plausu tripudio q;. Ea res per trecentos & ampliùs annos statis solennibusque cæremoniis quum perseuerasset, tandẽ Genuensis belli tempore sublata penitùs est: q̃ manifestò deprehensum esset, multa religionis prætextu grauissima flagitia ab his cõmitti. Mansit tamen inde facti cã celebris perennis memoria, q̃ Dux Senatusq; ipse diuæ Mariæ Formosæ templum secũdæ Februarij luce celebri pompa inuisit. Egnatius lib. 1. cap. 3.

COENA DOMINI, SYNAXIS, respectu RERVM considerata:

Quid: quo ad

Species.

Christus posteaquam à morte surrexerat, accubuit incognitus ad Emaus castellum, cum duob. suis discipulis, accepitq; panem, & benedixit, ac fregit, atq; porrexit illis. Tum discipuli, sicut Lucas perhibet, cognouerunt eum, & ipse euanuit à conspectu eorum. Hic discipuli eucharistiam sub una panis specie sumserunt, nulla uini ab Euangelista mentione facta. Eapropter quidam censuere hoc modo profanis hominib. eucharistiam administrandam, q̃ tum demum nouũ instrumentum, id est, mysteria omnia religionis perfecta, consummata, stabilita q̃ [illegible] per mortem Christi. namq; non fuisse Euangelium ante crucem, uti D. Hieron. aduersus Iouinianum affirmat, & Christum in cruce morientem inclamasse, Consummatum est. Polyd. lib. 5. cap. 10. de Inuent.

Christianis INDIS omnibus sine discrimine, cùm ad Eucharistiam accedunt, non solùm Christi corpus in panis specie, uel [illegible] in calicis consecrati potione porrigitur. Nemo [illegible] quam flagitiorum [illegible] rerũ Em.

Succedanea.

HVGONI de S. Victore Parisiensi monacho animam iam agenti, cùm monachi Eucharistiam, quam ipse anxie expetebat, ob continuum uomitum fare illi deterrẽt, cãdem non consecratum panem inscio porrigunt. Quem cùm ægerrimè uteretur, Miserere, inquit, uestri Deus, cur mihi illudere uultis? Non est ille Dominus meus. Mox illi rubore perfusi panem consecratum in medium protulerunt: sed [illegible] in Polychronico. Adam Scheuerus [illegible] irreuerentiam facere, [illegible] Ascendat filius ad patrem suũ, & seruus ad Dominum suum, qui fecit illũ. & Eucharistiam dari iussit, cum Deo [illegible] dedit.

[illegible] REMILÆ, SPECIES

[illegible] MATRIMONI.

POMPA, LVDI SACRI.

Ob uictoriam Formignanam Caroli VII. regis Gallorũ contra Anglos, PARISIENSES pompam XII M. puerorum cereis ardentibus instructorum è cœmeterio Innocentum ad templum cathedrale duxere, an. 1450. Aegid. Corrozetus in Paris. antiq.

Histri, qui annum abhinc quingentesimũ, & amplius, Veneti nominis hostes erãt acerrimi, Februario mense in ædem D. Petro dicatam, quæ Oliuolensis olim dicta, nunc Castellana appellatur, clàm piraticis nauibus superato portu, irruentes, uirgines non paucas, quæ in templum conuenerant de ueteri more ciuitatis, ut nuberent, abduxerunt, magnaq; inde præda ac cæde edita, Capralas petiere. Quos, re statim cognita, Petri Candiani ducis ductu, seu magis (ut aliis constare nideo) Badoarij principis auspiciis, VENETI, nõ sine tamen graui certamine, oppressere, omnibus fermè aut cæsis, aut ad unum cæsis. Recepta itaq; omni præda incolumi, ut memores tanti beneficij sese supremo numini exhibentent, ludos iussu publico, qui Mariarum sunt dicti, instituerunt. Erant autem in his ludis uirgines duodecim, omni ornatu instructæ: aderatq; illis comes adolescens, sub angeli specie: qui secundo Februarij mensis die magnam urbis partẽ lustrabant, præcipuo totius ciuitatis plausu tripudio q;. Ea res per trecentos & ampliùs annos statis solennibusque cæremoniis quum perseuerasset, tandẽ Genuensis belli tempore sublata penitùs est: q̃ manifestò deprehensum esset, multa religionis prætextu grauissima flagitia ab his cõmitti. Mansit tamen inde facti cã celebris perennis memoria, q̃ Dux Senatusq; ipse diuæ Mariæ Formosæ templum secũdæ Februarij luce celebri pompa inuisit. Egnatius lib. 1. cap. 3.

COENA DOMINI, RESPECTV PERSONARVM: uidelicet

DANTIS, A QVO PORRIGITUR. Puta

Ab Angelo.

Ferunt ONOPHRIVM in uasta Aegypti solitudine Deo seruientem, dominico quoq; die sacramentum corporis Christi angelo deferente acceptauisse, cùm sacerdotis copiam procul ab humano cultu degens habere non posset. Marulus lib. 4. capite 12.

MAIORO episcopo in Britãnia paschali die oriri, angelum ter apparuisse, terq; sacrã communionẽ porrexisse tradunt, prædicentem, quòd propediem decessurus esset. Ibidem.

MARCVS Scriptor apud Aegyptios, ita cognominatus, quo-

curæ illi fuit Anachoretarum Aegypti uitas describere, cùm aliquando in genua prouolutus eucharistiam à sacerdote poposcisset, apparuit manus eam sibi porrigens. nec dubitauit ille accipere, quod diuinitus offerri credidit. Marulus libro quarto, capite 12.

FAVSTINVS & IOVITA martyres, cùm Secũdum militem Mediolani conuersum baptizassent, & communione quoque membrum ecclesiæ facere uellent, nec haberent panem ex quo sacramentum conficerent, à columba alite rostro delatum accepêre, eicq; sumendum porrexerunt, sacrum esse minimè dubitantes, qui sic afferebatur. Idem.

A Sacerdote.

CHRISTIANVS populus ex manibus sacerdotum accipit eucharistiam. Tertul. lib. de Corona militis, ita scribit: Eucharistiæ sacramentum omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus: nec de aliorum manu quàm præsidentum sumimus. præsidentes appellans presbyteros. Polyd. lib. 5. cap. 10. de rerum Inuent.

ACCIPIENTIS. NEMPE

Quis. Qualis. v. c.

Puberes.

ZEPHYRINVS Pp. uoluit ut omnes post pubertatem semel in anno Eucharistiam sumerent. anno 203. Volat. lib. 21.

Initiati, Expiati.



Incredulis.

In laudati pontificis Gregorij uita legimus, cùm corpus Domini cuidam fœminæ sumendum offerret, quæ panes ipsos, quos ille conseerabat, facere conabatur, incredula renuebat accipere, quòd diceret, nequaquam esse illud corpus Domini, sed panem, quem ipsa suis manibus formauerat, atq; coxerat. Tunc Pontifex magis ferens infidelitatem mulieris ouauit Dominum, & panis species, uersa est in speciem carnis. Rausum, ouauit; atque omnis pusilla sacramento facies redit, credenti iam ac pœnitenti illi abtulit. Marul. lib. 4. c. 2.

Dæmoniach.

Dionysius in Hierarchia, & Theodoretus, testantur dæmoniacis hostiam nunquam fuisse datam. Bodinus lib. 3. Dæmonomaniæ, cap. 6.

Quoties.

In Actis apostolorum legitur de illis, qui primi ipsis euangelizantibus credidêre, Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Sicut ergo quotidie cœlestem panem hunc illis gustare mos fuit, ita & cœlestium desiderio flagrantes, assidui factores uerbi erant, non auditores tantùm, in oratione solliciti, in timore Dei humiles, in charitate feruentes. unde sequitur, Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Marulus lib. 4 cap. 12.

Sumserunt eucharistiam CHRISTIANI iam inde ab initio in dies singulos manè & ieiuni, quod testatur Tertull. lib. altero ad Vxorem, de muliere Christiana ethnico hominì nupta: Non sciet, inquit, maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes. Item lib. Definitionum ecclesiasticorum dogmatum, Quotidie eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens illi affectu peccandi non sit. Anacletus iussit, ut qui sumere nolent, tanquam impij è sacris ædibus eiicerentur: quemadmodum Victor uoluit, ut illis qui capturi essent, si ob acceptam iniuriam, aut uetus odium, reconciliari priùs recusassent, sacris interdiceretur. Veiùm frigescente paulatim deinceps hominum pietate, illud antiquatum est: ex quo Zephyrinus, qui centesimo circiter post anno Anacletum est sequutus, statuit, ut omnes Christiani qui pubertatis annos attigissent, minimum semel quotannis caperent paschali die. Fabianus uerò, ut ter id fieret, postea sanxit. Sed Zephyrini decretum, ut factu minus difficile, stetit constantius: quod Innocentius tertius dein sua corroborauit auctoritate, & confessionem adiunxit, teste Platina.

LIBERALIS, Heliodori Altinensis episcopi discipulus, uitalem cibum singulis dominicis diebus percipiens, reliquos dies absque eiu potuq; peregisse dicitur. Marulus.

FABIANVS Pp sanxit, ut quiuis Christianus ter quotannis eucharistiam sumeret. an. 241. Sigebertus.

Quomodo.



Quando. Putà

In Inauguratione.

Venetiis ubi primùm in demortui locum Principis nouus DVX fit, & à quadraginta uiris dictus est: is statim D. Marci sacram ædẽ inuisere, sacraq; ibi obire, populumq; ipsum pro concione de superiore loco alloqui consueuit: tunc accepto sacramento, persoluto q; sacerdotibus ipsis de more munere, salutataq; D. Marci ara, hinc ad ducarias ædes, crisq; omnibus ritè peractis, priuatis suis negotiis incũbit. Egnatius lib. 5. cap. 2.

In Morbo.

Eucharistiam in tenaci contumacia asseruari, ad ægrotantium [illegible] ut est de Consecrat. d. 1. Innocentius III. & Honorius III. confirmarunt. Polyd. libro 5. cap. de rerum Inuentoribus.

TARSICIVS martyr Romæ passus, cùm sacramentum sub ueste tectum ad quendam fidelem ægrotantem ferret, in impios gentiles fortè incidens, quid sub ueste haberet quærentibus, non indicauit, magisque ab his ictu quam ferebat contemtum aliquem quàm sibi necem timuit. Illi fustibus cæsum interemerũt. At cùm iam exanimis uestimẽta excussissent, sacramentum nusquam comparuit: illi autem lymphatico pauore perculsi diffugerunt. Marulus.

Per Somnum.

EADMVNDVS Cantuarienſis episcopus die sequẽte de Trinitate disputationem inituru, noctu in somnis uidisse sacramentum, accepisse columba offerente, & omnem populum auditorium uenisse, præter spem, magna omnium admiratione, disseruit. Marul. lib. 4. cap 12.

[illegible]

AMBROSIVS Mediolanensis ecclesiæ antistes, cùm ægrotaret, & testaretur se [illegible] imminere eo genuisset, Maximinum Episcopum [illegible] fieri & necepta ab eo communione, ad cœlum [illegible]

LVCIA

AMBROSIVS Mediolanensis ecclesiæ antistes, cùm ægrotaret, & testaretur se [illegible] imminere eo genuisset, Maximinum Episcopum [illegible] fieri & necepta ab eo communione, ad cœlum [illegible]

CONSTANTINVS & CONSTANS Imp.utrùm ne sacro fonte abluti uita excesserint, parũ compertũ. Constat enim homines per eos annos diu inter catechumenos se probasse, nec nisi serò sacramentum baptismatis accepisse. Nam & Theodosius maior ab Acholio (Cuspinianus Anatolio) episcopo serò initiatus est, & D. Martinus inter catechumenos constitutus miracula edidit, & D. Ambrosius nondum tinctus episcopatum iniuit. Sigonius lib.5 Imp. occid.

CONSTANTIVS Imp. an. 361. hiberna Antiochiæ, quò ex Mesopotamia recesserat, agens, ad dissensionem Ecclesiæ cõponendam episcopos deintegrò conuocauit, & qui adhuc catechumenus fuerat, ab Euzoio Antiocheno episcopo Ariano salutari fonte ablutus est. Sigonius lib.6. Imp. occid.

Ambrosium Mediolanensem episcopũ VALENTINIANVS II. Imp. XX. an. natus per literas rogauit, ut sine mora ad se Viennã Galliæ contenderet, non ut interesset synodo Galliũ, sed ut in ipsa egressione se sanctę ablutionis sacramento initiaret. Literis lectis, Ambrosius statim iter ingressus est. Verùm, cũ iuga Alpium superasset, ipsum ab Arbogaste Comite interfectum fuisse accepit. Sigonius lib.9. Imp. occid.

Aegrotantes.

THEODOSIVS Augustus an. 380. Thessalonicæ morbo grauissimo conflictatus est. Itaq;, cùm ipse sibi diffideret (quod nondum fecerat) sacro se tingi lauacro uoluit, &, cùm Acholiũ (Cuspiniano Anatoliũ) Thessalonicẽsem episcopũ rectæ fidei esse, compertum haberet, sacrã ab illo ablutionẽ accepit. Ab illo inde die se hæresis Arianæ oppugnatorem, Niceæ uerò fidei defensorẽ acerrimũ pstitit. Sigon. l. 8. Imp. occ.

Mortui.

Maurilius Andegauẽsis episcopus, PVERVM baptizandum, et inter sacrificandum mortuum, post septennium à morte resuscitauit, baptizauitq;. Marul. lib. 4. cap. 10. & lib. 2. cap. 12. & Fulgos. lib. 6. cap. 9.

Quoties.

AETHIOPES Christiani post susceptum baptisma singulis annis diem, quo Christus à Ioanne aquis Iordanis ablutus baptismi sacramentum instituit, eiusdem lustrationis renouatione celebrant: & tamen asserunt, unico tantùm baptismo peccata deleri: reliquas lustrationes quotannis instauratas, corpus tantùm tingere, animum uero non expiare: se tamen id facere, ut Christi diuinum beneficium, qui, ut nostras sordes eluerit, sanguinem & aquam è latere suo profudit, sepius in memoriam redigant. Osorius lib. 9. rerum Em.

EFFICIENTIS SECVNDARII. HVC Testes, Susceptores, Compatres.

HYGINVS I. uoluit unũ saltem patrimum unãimue matrimã baptismo interesse. Sic enim eos appellant, qui infantes teneant dum baptizantur, Græci posteriores *ἀνωνύμους* appellant. Licèt reuera patrimus & matrima aliud significent. Est enim patrimus (teste Festo) qui cùm pater sit, patrem adhuc habeat: idem de matrima dicendum est. Platina. Hodie ut plurimũ si mas baptizetur, duo uiri cum una muliere, quæ uulgò commater dicitur, adhibentur, ueluti rei gestæ testes: contrà si femina, duæ mulieres, cum uno uiro: ij Susceptores nuncupantur, quòd infantem de fonte sacro suscipiant. At in confirmatione unus duntaxat uir seu mulier testis admittitur, qui puerum uel puellam brachiis sustenet.

Fredegundis, Chilperici Francorum regis pellex, AVDOVERAM primam Chilperici uxorem fraude euertit. Absente Chilperico cum fratre Sigeberto rege ad Saxonicũ tumultum, Audoueræ puerperæ, morum imperitæ, sub recentem fœtum persuasit, ut die lustrico ipsa matri filiam, quæ nata erat, è sacro delubro exciperet: nullam maioris nobilitatis inuentu posse dictitans, quæ regiam sobolem sacra imbueret aqua. Reuersus uir, Fredegundis forma blanditiisq; expugnatus, uxorẽ in cœnobium sanctarũ mulierum ablegauit, uelut incesto futuro deinde matrimonij usu. Aemil. l. 1.

FINIS. CVR.

Supthar Hunnorum rex, cùm in Gallia BVRGVNDIONES opprimeret, illi in Deum Christianorum spem suam ponentes, se baptizari petierunt. Et statim Hunnis congressi, pauci multa millia eorum peremerunt, & rabiem ipsorum restiuauerunt. Sigebertus in Chronicis.

ACCIDENTIVM. VIDELICET Temporis.

Baptizabantur olim populariter in Pascha, & Pentecoste, nisi necessitas urgeret: ut Rabanus lib. 2. cap 32. & Canon 4 Moguntinæ synodi indicant.

Hispanis 12. Kal. Aprilis, FRANCIS uero 14. Kalẽdas Maij, Paschã celebrantibus, miraculo comprobatam esse Franciæ ecclesiæ sententiam, Sigebertus scribit. Fontes enim, qui in sabbato Paschæ ad baptizandũ fonte [illegible] repleri solebant, non Hispanis, sed Francis Pascha celebrantibus, aqua completi sunt. Circa annum Iustini octauum. Sigonius lib. 11. Imp. occid. an. 417. in Italia contigisse scribit.

LEO II. Pont. instituit quotidie baptismum fieri, necessitate urgente. Volater. lib. 22.

AETHIOPES Christiani, mares octauo ab ortu die circuncidunt, & feminis etiam aliquid amputatur, ut Abrahami & aliorum sanctorum Patium exemplo ardentiùs in similis sanctitatis studium incitentur. Quadragesimo deinde à circumcisione die mares, octogesimo autem feminæ salutaribus aquis expiantur, & Eucharistiam eo die infantes initiati in mica panis assumunt. Osorius lib. 9. rerum Em.

Loci.

OTHO Bambergẽsis episcopus Pirissę & Caminæ ciuitatum Pomeraniæ incolas baptizaturus, templis extructis baptisteriis sanctissimum baptizandi modum excogitauit, sexum à sexu honestè separando. Historia Bambergensis.

CONFIRMATIO.

SYLVESTER I. instituit, ut chrisma tantùm Episcopi consecrarent, ac baptizatum confirmarent: occasione mortis etiam presbyteri. Anno 313.

FABIANVS Pp. sanxit, ut quotannis chrisma instauraretur, uetere combusto, anno 241. Sigebertus. & Volaterranus libro uiresimo secundo.



SIGNVM CRVCIS.

Circa anno Salutis 365. terræmotu totius orbis, qui post Iuliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos, &, quasi rursum Deus diluuium minaretur, uel in antiquum chaos redirent omnia, naues ad præruptæ delatæ montium, pependerunt. Quod cùm uiderent Epicuræi, frementes scilicet fluctus, & undarum moles, & hauriente gurgitum litoribus inferri, uerentes, quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditùs subuertereturr, ingressi sunt ad HILARIONEM, & quasi ad præsium profitentes, posuerunt eum in litore. Qui cùm sua Cruce signa pinxisset in sabulo, manuq; contrà extendisset, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare sante eum steterit: ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum sit. Sigonius libro septimo Imp. occid.

Cùm IVSTINÆ uirgini Cyprianus magus, ut eam Aglaio inuenti, qui eam deperibat, conciliaret, dæmonem immisisset, uirginali habitu formaque indutum, qui & uirginitatem se Deo uouisse diceret, & in eius seruitium recipi peteret: receptus, post dies aliquot caprata occasione, dubitare se ait, ne uirginitatem seruando offendant Deum potiùs quàm aliquid promereantur. Scriptum enim esse: Crescite, & multiplicamini, & replete terram: indeque in ueteri Testamento sanctissimas mulieres, Deoque gratas, uiros habuisse, & filios genuisse. Cœperat Iustinæ animus iam nutare, ac de Virginitatis propsito ambigere. Mox cũ seipsam reprehendisset, Christi nomine inuocato, cruce se signauit. Dæmon uerò crucis uirtutem non sustinens, statim effugit. Marulus libro quinto, capite octauo, ex Vincentij libro duodecimo, capite centesimouigesimo.

Cambyses & Zamris Magi TAVRINVM Aurelianensem episcopum interemturi erant. Hic uerò signo sanctæ Crucis sese muniens, illorum manus effugit. Illi furore concitatissimi ipsis mortem conscinẽre. Marulus lib. 2. cap. 9.

Tempore Gregorij Magni pestilentiæ lues inaudita inuasérat mortales, ut oscitantes saltem statim interirent. Propter quod oscitantes tantùm & se & alios repentè signo Crucis munire cepere. Sigonius lib. 1. regni Italici.

Cosroes rex Persarum cum Baza seditioso duce congressus, eum profligauit. Qui ex Bazæ fœderatis, Turcicæ nationis erant, eos ad Mauricium Imp. (cuius auxilio regnum recuperarat) misit: quorum multi cruces in frontibus gerebant, compunctis superciliis in crucis modum, infusoque atramento. Cuius rei quæsita causa, responderũt, superiori tempore, cùm TVRCORVM gens fame periclitaretur, à Christiano quodam monitos, nullum ex iis, qui cruce frontes signassent, fame periisse. Zonaras.

RVTHENI quoties se signo crucis muniunt, id manu dextra sic faciunt, ut frontem primùm, deinde pectus, mox dextrã ac demum sinistram pectoris partem punctis in formam crucis tangant. Quòd si quis aliter se signo crucis munierit, hunc, uelut hæreticum obiurgant. Guagninus in descriptione Moscouiæ.

CVLTVS RELIGIOSVS SECVNDARIVS, QVI Homini accommodatur. Et uel

SIBIIPSI. HVC PERTINET

CONFESSIO, QVÆ FIT Deo.

Ex Soliloquiis & Confessionibus magni illius & apostolici uiri D. AVGVSTINI Hipponensis episcopi multa huc exempla afferri possent. Vnum esto instar omnium, Soliloquio XV. quando ait: Ego confiteor tibi Domine, Deus meus, paupertatem meam, & sit tibi tua gloria tota. Quoniã tuũ est omne bonum per me gestum. Domine, confiteor, ut docuisti me, nihil aliud sum, quàm uniuersa uanitas, & umbra mortis, & abyssus quædam tenebrosa, & terra inanis ac uacua, quæ sine tua benedictione germinat, fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum & mortem. Si quid boni unquam habui, à te recepi. Quicquid boni habeo, tuum est, uel à te habeo. Si quãdo steti, per te steti. Si quando cecidi, per me cecidi: & semper in luto iacuissem, nisi tu me erexisses: semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminasses. Quando cecidi, nunquam surrexissem, nisi tu mihi manum porrexisses. Postquam etiam me erexisti, semper cecidissem, nisi tu me sustinuisses. Sæpiùs periissem, nisi me gubernasses. Sic semper, Domine, sic semper gratia tua & misericordia tua præuenit me, liberans me ab omnibus malis, saluans à præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas: quia nisi tu mihi hoc fecisses, omnia peccata mũdi fecissem. Quoniam scio, Domine, quòd nullum peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si Creator deserit, à quo factus est homo. Sed quòd nõ facerem, tu fecisti: quòd abstinerem, tu iussisti: & quòd tibi credere, gratiam tu infudisti. Tu namque, Domine regebas me tibi, seruabas me tibi: & mihi, ut adulterium & omne aliud peccatum non committerem, gratiam & lumen donasti. Tentator defuit: ut deesset, tu fecisti. locus & tempus defuit: & ut hæc deessent tu fecisti. affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus: sed ut non [illegible] eo, cui me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, ut esset & quem deciperem, tu me cõfortasti. Venit tentator armatus & fortis: & ut me non uinceret, tu eum te frænasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in angelum lucis: & ut me non deciperet, tu eum increpasti, & ut eum agnoscerem tu me illuminasti. Et tu eripe nos, Domine, qui saluas sperantes in te, ut ipse de nobis doleat, & tu lauderis in nobis Domine. Deus noster in sæcula. Amẽ. Quæ ipsa D. Bernardus, eiusdẽ diuini spiritus bibliotheca, sermone de Septẽ misericordiis amplianit & illustrauit.

Hominiri.

Hugoni Boneuallensi abbati, QVENDAM ex fratribus post mortem apparuisse ferunt: & mox ut peccatum confessus est, pœnis quibus afficiebatur, se liberatum dixisse. Hanc autem confiteri facultatem ideirco sibi reseruatam, quoniam absente abbate decesserat, deliberatum habens illi confiteri, cùm redisset. Etenim monachorum absolutio ad solum abbatem spectabat. Marul. lib. 4. cap. 11.

Seuerus sacerdos uocatus ad CVIVSDAM ægrotantis confessionem audiendam, cùm paulò tardiùs uenisset, uita defunctum offendit: eaquere uehementer angi afflictarique cepit se illius interfectorem, se homicidam clamitans. Et dum in his lamentis cadaueri incumbens acerrimè fleret, reuixit quasi ex morte: dixitque, se, dum ab impiis spiritibus ad horrendas tenebrarum loca rapiens traheretur, ab angelo protinus dimissum, atque corpori restitui iussum, quod diceret, Deum id Seueri lacrymis indulsisse. Igitur ubi confessus est, per acta septem dierum pœnitentia, iterum obiit. Marul. lib. 4. cap. 11. & Gregorij Magni Dialogis.

Anno circiter tertio post cladem ad Nicopolim, à Turcis occupatã, Sigismundo imperãte, cùm multi in eum campum descenderent, emissam inter ossa subinde uocem exaudiuẽre, Iesu Christi Saluatoris & Mariæ uirginis nomina resonantem. Loquax inter cadauera caput inueniunt. Quod ubi homines sibi adesse nouit: Quid tam (inquit) stupidi hic statis uiri? Christianus ego sum, inexpiatus inconfessusque in hoc bello occubui. Maria mãtet me æterni supplicij reum esse non patitur: hic me adhuc linguæ compotem fecit, ut & delicta fateri, & animum sacris Apostolicis lustrare queam. Proinde sacerdotem, qui confessionem & exaudiat, & me expiatum reddat, accersite quæso. Rogatus, Qui tantum à Virgine beneficium promeruisset, respondit, Peculiare sibi id in uita fuisse numen: septem quotannis in uita sita festa eius reuerẽtissimè celebrasse, religiosissimisque ieiuniis ex pane duntaxat & aqua decorasse, sacris fuisse quàm studiosissimè operatum, illi tantùm numini cunctas animi uires dedicasse. Accersito igitur è pago proximo sacerdote, confessionem ritè transegit: & impetratã erratorum omnium remissione, acceptaque nouissimè lustratione, repentè obticuit, perpetuoque quieuit. Bonfinius libro tertio Hungariæ.

POENITENTIA RESPECTV Personarum. Qui. Pœnitentiam professi

Per se.

GODOFREDVS Bononiensis Comes, Henrico Cæsari misitans, Pontificiæ potestati infesto, urbis Romæ mœnia armatus primus conscendit, signum captæ expugnatæq; ab se urbis reliquis tollens. Peccatũ in Pontificem cõmissum cruore Turcarũm, cæde Saracenorum eluit: rex inde Hierosolymorum creatus est. Aemilius lib. 5.

Per alium.



Culpæ. v.g. Pœnitentes ob

Officij usurpationem.

AVREÒ uirgo Parisiensis monasterij præposita, quoniam inter Missæ solennia diacono [illegible] legenti stolã eripiens, ipsa sibi apponẽs, & eius officio defuncti aula fuerat: semet ariogantiæ accusans dignitatem deposuit, annosq; septem à cella [illegible] discessit. Ibi etiam scullis sibi faciendis curauerat, cuius pars, quæ humero tenus cõstrictentem hemicyclo amplexabatur, in summo clauoiũ cuspidibus ad psalmorum numerũ dispositis horrescebat. In ea sedili illa cùm psallere uellet, se collocabat: & dextro lateri innixa quinquaginta psalmos perlegebat, sinistro totidem, & totidem in tergo resupinata pungentibus quaq; uersum ferreis aculeis. Marul. lib. 4. cap. 10.

Templum uiolatum.

GODOFREDVS Lotharingus cremati templi Viridunensis tantam egit pœnitentiam, ut publicè se uerberari pateretur: & capillos suos ne tonderentur, multa pecunia redimeret: sumtus amplissimos ad reædificandam ecclesiam daret, & in opere cæmentario per seipsum plerunq; utilis mancipij ministerio functus deseruiret. Schafnaburgensis.

Cædem.

Propter Thomæ Cantuariensis archiepiscopi necem, loco pœnitentiæ inuiolatum fuit, à Romano Pontifice, HENRICO Anglorum regi, ut liberè subditis eius deinceps ad Romanam curiam appellare liceret: & neminem posthac Angliæ regem fore, nisi à Romano pontifice prius rex appellatus esset. Blondus lib. 5. Decad. 2. Ducentos insuper milites Hierosolymam mittere, [illegible] integrum annum alere, deniq; exercitum à se intra triennium, quàm posset maximum, conscriptum ad reprimendas Barbarorũ incursiones, permisit. Bergomensis, & Aeneas Syluius libro 5. in Blondi Decades.

Modi. Pœnitentes



Conuersationem fugiendo.

Ex Tit. Eremitarum & Monachorum secundæ.

Excruciando corpus.

Sic exercetur Ieiunijs, Vigiliis, Peregrinationibus, Verberibus, de quib. singillatim suis locis per se, hic causa Pœnitentiæ. Vide Tit. Monachorum.

ALIIS, SIC ALIORVM VSIbus religiosè inseruit

PROPHETANDO.

Consule locum Prophetarum, Vatum Christianorum.

CONCIONANDO.

Ex Tit. Concionatorum illustretur.

VRBANVS VI. Pp. uniuersis religiosis cuiuscũq; ordinis uel religionis præcepit, ne ante Missarum solennia, ad quæ audienda parochiani prima diei parte conueniunt, solennes facerent sermones, propter quos confluens populus, parochiales ecclesias derelinquat: neq, ad prædicandum ad parochias accederẽt, nisi à sacerdotibus parochiarum uel inuitati, uel saltem admissi, néue eo die, quo diœcesanus episcopus, uel alius loco eius solenniter concionatur, maximè in ecclesia cathedrali, ullus alius in ea ciuitate uel loco prædicare præsumeret, ne salubris prædicationis doctrina exinculcatione huiusmodi frequenti fastidiretur. Cranzius libro 10. Metropol. cap. 21.

DISPVTANDO.

Religiosa Certamina alia Theorica, de quib. sub Metaphysicis certaminib. alia Practica, de iis quæ ad religionis exercitationẽ faciunt, quorũ sub Religiosa Iustitia exempla quædam reperies. Vide Tit. Conciliorum.

De Pontificis potestate.

De Paschate.

Incidit sexto seculo post Christum aliquando contentio inter HISPANOS & FRANCOS, de tempore celebrandi Paschalem diem. nam Franci 14. Calend. Maij, Hispani 12. Calend. Aprilis celebrarunt. Verùm Sigebertus ait miraculo litem diremtam. Nam Hispanis ad baptizandum tempore Paschalia quam defuisse, Francis uerò minimè.

De Ritibus.

DEFENDENDO. PROTECTIO sacra quæ Armis.

Ex loco Religiosæ Iustitiæ correctiuæ huc non pertinæ.

Cùm Luithprãdus Longobardorum rex, cupiditate imperãdi motus, urbem Romã obsideret, captis circunquaq; oppidis omnibus, Gregorius III. Pontifex legatos naui, quia terrestri itinere non licebat, ad CAROLVM Magnum Franciæ principem statim misit, qui hominem rogarent, ut primo quoq; tempore laboranti Romæ & Ecclesiæ auxilium ferret. Consueuerant autem Pontifices Romani, si quid mali ab externo hoste imminere, auxilia ab Imperatore Constantinopolitano petere. quod facere Gregorius substitit, cùm quia Leonem III. Imp. iconomachum anathemate percusserat, tum quòd urbem regiam ægrè Leo à Saracenis tutaretur, nedũ alios defenderet. Ergo tunc primùm tutela Ecclesiæ ab Imperatoribus Constantinopolitanis ad alios translata est. Carolus autem rogatu Gregorij patrocinium Ecclesiæ suscipiens, Luithprandum regem amicum & compatrem rogauit, urbem ne obsideret, ac Pontificem ne uexaret. Obtemperauit Carolo Luithprandus, atq; urbem obsidione soluit. Platina. Romam ueniens, monuit populum, à Leone dissidentem, ut pastorem animarũ diuinitùs datum, ut nuncium supremę maiestatis, uneneraretur & obseruaret. Auentinus lib. 4. Annalium Boiorum.

Scriptis.

Nullius externæ gentis fidei tam sæpiùs Pontifices maximi sese uenientes commisere, quoties in Galliã profecti, FRANCORVM opem implorarũt: nec ulla ætas tot peregre conspexit, quàm multos Ludouicus Crassus uidit, Vrbanũ, Paschalem, Gelasium, ac ut omittatur Callistus, quia Gallus in Gallia creatus fuit, Innocentium. Aemilius lib. 5.

VENETA ciuitas Alexandrum III. Pp. fugitabundum Friderici Oenobarbi Imp. insidijs, atq; ideo intra cœnobiũ, qd Charitatis appellant, latentẽ, excepit. Classe ingenti comparata, quam Seb. Cianus princeps duceret, Othonem Friderici uictum maritimo prælio, ad Pontificem duxit: cumq; Imperator ad Pontificem supplex Venetias uenisset, pax conciliata. Cianus princeps, Imperatorem Rauennam usq;, Pontificem aliquanto ulterius deducẽs, nauatæ operæ illustria monumenta à Pontifice retulit: rubas argẽteas, umbellam, auratamq; sellam, puluinum aureum, & uexilla sex uersicoloria: Pontificium præterea, Imperatoriumq; tantùm munus, plumbo signandi literas ius. Egnat. lib. 1. cap. 1

IMPERIVM EXERCENDO, IVS DICENdo, Coercendo, Castigando. Ratione habita

Subiecti, Culpæ. Punire, Coercere

Hæresin.

IMPERIVM EXERCENDO, IVS DICENdo, Coercendo, Castigando. Ratione habita

Subiecti, Culpæ. Punire, Coercere

Hæresin.

humanæ CCCXXIIII. Nicæna synodus, teste Platina in Sylueßri Rom. pont. uita, aliam pœnam Atio constituit, qui cum sua cohorte in exilium ire coactus est. Posthæc circiter annum Salutis 388. THEODOSIVS & VALENTINIANVS Impp. multandos decreuerunt hæreticos damnis, ignominiis, uerberibus, exiliis & morte, quemadmodum extat in God. iuris ciuilis, cap. Ariani. ubi lege sanctum est, ut istiusmodi maleficum hominum genus ultimo afficeretur supplicio. Hoc edictum Hostiensis in sua Summa super tit. Decretalium explicans, ait, Et licet in hæresi lex imponat pœnam ultimi supplicij, quod ultimum suppliciũ alia lex, ff. de pœnis, interpretatur mortem: de consuetudine tamen tales cremantur. Idem Abbas post Hostiensem, super illud cap. Ad abolendam. extrã, de hæret. sentit scribens, Sed ius ciuile punit hæreticum capitali pœna, seu pœna mortis, ut l. Ariani. Cod. de hæret. coniuncta l. ultimum supplicium. ff. de pœnis. & hanc pœnam esse debitam, interpretatur consuetudo. Conuenit ergo in hoc lex canonica, ciuilis & consuetudinaria, ut communiter puniantur pœna ignis. Postremò anno Salutis circiter 180. Fridericus I. Rom. Imperator legem de comburendis hæreticis tulit, uelut in quadam eius constitutione patet, cuius initium est, Vt commissi. Per idem tempus Lucius III. Rom. pontifex statuit hæreticum hominem sacris initiatum primò desecrandum, mox uerò tradendum locorum magistratibus, quò igni exuratur. Polyd. lib. 8. cap. 4 de Rerum inuent.

THEODERICVS Afer diaconum suum, qui primùm fidem orthodoxam professus erat, sed postea sperans se gratificaturum Theoderico regi, consenserat Arianis, capitali supplicio affecit, inquiens: Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini sinceram conscientiã seruabis? Theodorus Collectaneorum lib. 2. Suidas, & Cedrenus.

Gnostici hæretici in conuentũ Burdegalensem à MAXIMO tyranno, ad quem prouocauerant, deducti, Martini Turonensis episcopi consilio, ecclesiis ut pellerentur tantùm, suasum fuit. Sed postea Maximus à mitioribus consiliis reuocatus, Priscillianum, duob. iudiciis auditum, conuictumq; malefici, sociosq; eius capitis damnari oportere pronũciauit. Sigonius lib. 9. Imp. occin.

Cùm Martianus Episcopus Arelatensis in Gallia Nouatiano hæretico se coniunxisset, & sic à unitate Ecclesiæ & sacerdotum consensione se seiunxisset, CYPRIANVS quamuis lõgè remotus, id egit litteris ad coepiscopos suos in Galliis constitutos, & populum Arelatensem, ut eo abstento, alius substituerẽtur. lib. 3. Epist. 13. Et in eadem epistola, col. 2. ait Cyprianus: Idcirco enim, frater carissime, cõpactum corpus est sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis uinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim faceret & gregem Christi lacerare & uastare tentauerit, subueniãt ceteri, & quasi pastores utiles & misericordes, oues dominicas in gregem colligant.

ZENO Imp. scholam Edessenam, quam Persicam uocabant, quia Nestorij hæresim doceret, funditus euertit. Theodorus Lector libro 2.

LEONTIVS Antiochenus episcopus, Basilio Magno familiaris, & orthodoxus, uiro sofo nomine celebris, quòd cùm Valentis temporibus Messalianorum hæresim in Monasteria quoq; irrepsisse uideret, monasteria ipsa exusserit. Theodoretus libro quarto, capite 11.

Anthropomorphitarum hæresis in Lombardiæ urbe Parmæ plurimum inualuerat, sic ut etiam uicinos armis premerent. Rachulfus Veronensis episcopus scriptis eorũ errores confutauit. At STEPHANVS VII. Pp. & Mediolanensis episcopus armata manu urbem omnibus interemtis euciterunt, & uastarunt. eius in æternum extare uoluerunt. Aegrum inter se uicini sunt partiti episcopi. Sigebertus anno 939. Bergomensis 951.

IOANNES Bocmorum rex nocturnis peruigilationibus, ritu Dulcianorum fanaticorũ, Pragæ occultè fieri incipientibus, in ipso statim initio obstitit, exustis quatuordecim uiris mulieribusq;. Dubrauius lib. 20.

CAROLVS IV. Imp. commotus reditu Dulcianorum hæreticorum & Flagellatorum in Boemiã, partem eorum igne combussit, cæterõs de sententia Ernesti Archiepiscopi Pragensis perpetuo exilio relegauit. Dubrauius lib. 22.

Magiam.

VRATISLAVS II. Boemorum princeps, Gerardo Pragensi episcopo fratri suo auxilio fuit, in abolendis tollendisque Magorum portentis, arribusque maleficis, quas tunc multi uiri mulieresque nimis licenter exercebant, mentes hominum fascino turbantes, boumque & pecudum lac, segetemque alienam pellicientes, atq; ipsa interdum elementa dæmonum uiolentia concutientes, per quæ imprudens uulgus à sincera in Deum fide auertebatur. Nec tamen aliter Gerardo malis obuiam ire, quàm per censuram Ecclesiasticam licuit: quam illi non pluris quàm plumbeum gladium æstimabant. Ergo non ferrum tantùm sed ignem præterea & aquam Vratislaus maleficis admouit, aliosque securi ferire, alios flammis exuri, sagasque nonnullas aquis submergi iussit. Qua animaduersione in auctores amplius centum districta, reliquos deserere artem uetitam damnatamq; metu similis pœnæ coegit. Dubrauius lib. 8.

Sub BRETISLAO II. Boemorum rege, Magorum hæresi inualescente, decreuit edicto Princeps, ut religionis nouatores omnes, uiri feminæque, intra certum tempus regno expellerentur. Dubrauius lib. 9.

Apostasiam.

Aragonius FERDINANDVS Castulonensis rex, detecto magno Christianorum numero, qui per eius regna passim sparsi erant, potentia atq; opibus insignes, quorum genus ab Hebræis manãrat, cùm palàm in Christianam fidem recepti essent, secretò Iudaicam legem ac ritum seruarent: non solùm permultos ex eis combuit, qui pertinaces in scelere manebant, uerùm etiam ex sepulchris eorum corpora erui iussit: qui quãquam mortui essent, in eius sceleris reorum numero nominati fuerant: est ipsi id tempus in Hispania Iudæorum multitudo ingens, sub publica fide indolumis manebat, quid Iudaicos ritus palam violata Christi religione seruabant. Fulg. lib. 1. cap. 1.

PAVLVS IIII. Pontifex monasticam uitam semel professos quacũque de causa desciuissent, eandem rursum nulla admissa excusatione profiteri cogebat, tanta adhibita severitate, ut quosunque uel legitimis discessus causis afferentes, uel ad extremes relegarat, uel in uinculis proximus coniiceret. Panuinius.

Sacrilegium.

PIVS I. pont. max. anno 144. notauit sacrilegij crimine eos, qui fundos aut homines attingerent, religioni dicatos.

Perfidiam.

ALEXANDER Pp. impedientes legatum sacris interdixit. Gratianus.

CHALCEDONENSIS concilij canon est, Si qui clerici aut monachi deprehendantur, qui conniuent, aut [illegible] contra episcopos aut clericos, omnino gradum suum amittunto. Gregorius lib. 5.

Modi. Puta

Interdicto, Excommunicatione.

Mulier quædam, cuius consuetudine turpi impurus spiritus per annos septem usus fuerat, baculo BERNARDI, quem in sectum iuxta se deposuerat, liberata fuit. Auctor uitæ.

THEODORVS episcopus Rom. cùm Pyrrhum episcopum Constantinopolitanum ad hæresim Monothelitarũ, quam ex Africa ueniens abiurarat, Rauennæ rediisse uideret, conuocatis sacerdotibus cum excommunicauit, & formulam excommunicationis ad uino, quod uino diuini calicis dilutum erat, exarari curauit. Paulus Diaconus lib. 18. Rerum Romanarum.

Cùm Italia post concilium Ariminense in maximis uersata motibus propter perfidiam Arianam fuisset, præcipuè Auxentio Mediolani episcopo perfurente: Damasus Pp. Rom. episcopos ex Italia & Gallia Romam ad Concilium aduocauit nonaginta conuenẽre. Ex eorum auctoritate Nicæna de Consubstantiali sententia confirmata: Ariminense Concilium, ut cetera omnium abrogatum, quique ei assentirent, ab Ecclesiæ communione semoti. nominatim uerò Auxentius episcopus Mediolanensis damnatus, qui solus in Italia Nicænum Concilium oppugnabat, ac Mediolanensem ecclesiam & finitimas fœdissimè depraua bat. Sigon. lib. 7. Imp. occid.

Ioannes Angliæ rex, quòd decimas ecclesiasticas in suo regno exigeret, Stephanum Cantuariensem episcopum eiecisset, Cisterciensis tria marcatum argenti millia dare negantes spoliasset, ab INNOCENTIO III. anathematis fulmine perstrictus, mox etiam regno priuatus est. Tandẽ absolui se à commissis petiit, ac pro pœna quam meruerat Innocen-

tio ac successoribus eius Romanis pontificibus regna Angliæ Hiberniæq; tradidit: quæ continuò illi Innocentius ac successoribus eius reddidit, ea conditione, [illegible] successores sui quoliber septennio ex regno Angliæ septem millia marcarum argenti, ex regno Hiberniæ tria millia reciperent. Quam pensionem in hanc usq; diem ab eo tempore Angli Hiberniq; Romam portant. H. Boëth. lib. 15.

Philippicus Bardanius factus Imp. sextum Concilium universale, habito conuentu, irritum fecit, in gratiam monachi cuiuspiam, qui de principatu obtinendo ipsi præsagium fecerat: mercedemq; præsagij, sexti Concilij abrogationem, ut promiserat, præstitit. Erat is monachus sectæ Monotheliterum. Dehinc Romam ad Pōtificem CONSTANTINVM, quem sciebat nuper tam familiariter cum Iustiniano cōgressum, scribit, ut Constantinopolitanæ ecclesiæ de Homousio astipularetur. Pōtifex literas respuit, picturasq; huius rei causa in porticu sancti Petri, quæ gesta sex Synodorum continerent, fecit. Quæ cùm in urbe regia haberentur, Philippicus iussit auferri: simulq; edixit, ut sanctorum statuæ & imagines ex omnibus templis tollerentur. Pontifex Philippicū schismaticum iudicauit, iustirq; ut in nulla re diuina publicè aut priuato actu eius nominis aut imperij mentio fieret. Artbemius primus à secretis eū regno expulit, per Theodorum Patriciū: qui eum, ut secretiora ei narraret, in oratorium abduxit, ac luminib. priuauit. Zonaras tradit, cùm peracto equestri certamine in Zeuxippo usus balneo ad conuiuium senatores quosdam & uictores equestris ludi uocasset, senatores ipsum discumbentem comprehendisse, oculosq; effodisse, sabbatho Pentecostes. Cuspinianus.

Damnabat Michael Constantinopolitanus episcopus & Leo archidiaconus, seu Atridæ archiepiscopus, Ecclesiam Romanam: primùm, quòd azymis panibus in cœna uteretur: deinde, quòd in Quadragesima obseruarent sabbatha: tertiò, quòd suffocatis uescerentur. Huic dogmati LEO IX. pontifex acerrimè [illegible] fuit, & anathematis fulmine percussit.

Regem Galliæ cum tota diœcesi sancti Iacobi, anathematis uinculo illigauit VRBANVS II. quia prouinciæ episcopum in carcerem, [illegible] causa, [illegible]erat. Platina.

Iudicio.

EVTYCHIANVS Pp. instituit, ut accusatio coram iudice scriptō fieret, anno 274. Volat. lib. 22.

DIONYSIVS Pp. instituit, ne insanus uel hæreticum accusare posset, anno 203.

CAROLVS Magnus in Saxonia Scabinis potestatem fecit laqueo suspendendi, aut gladio feriendi, eos, qui diis sacrificassent, aut ecclesiasticas ceremonias cōtemnissent. Matius l. 7.

Inquisitione.

Inquisitio Hispanica, instituta fuit olim à Ferdinando & Elisabeta Regibus in Iudæos, qui posteaquam in Christo essent initiati, suos ritus atque leges retinerent. Nunc autem, in omneis hæreseos nomine suspectos promiscuè exercetur. Sabellici supplem. lib. 28.

Instrumenti. v. c.

Carcere.

EVGENIVS Rom. Pp. Constantino III. impetrante, statuit, Gratiano etiam teste, ut Episcopi carcerem haberent, ad plectenda clericorum delicta. Volat. lib. 22. Anthrop.

Igne.

Sub Philippo Pulcro Francorum rege, ex CLEMENTIS V. Pontificis Auenione residentis sententia, Templarij tota Francia comprehēsi, ac quæstione habita, obscena flagitia, immania de se scelera nefariaq; confessi permulti eorum dicuntur: libidinem nefariam, impiam religionē, se cum Turcis, cum Saracenis sensisse, à Christianis sacris desciisse. Damnati quamplurimi, ac uiui cremati sunt. In possessionē Templariorum bonorum Regium fiscum iuisse, rebus mouentibus à fisco retentis: quæ solo continerētur, Pontificis decreto diui Ioannis Hospitalariis reddita.

BONIFACIVS VIII. Hermanni Pongilupi eremitę corpus, Ferrariæ honorifica sepultura decoratum, post uiginti annos erui, cremari, cineresq; in prosluentem amnem proiici iussit: quoniam quibusdam indiciis post mortem eius detectum fuerat, ipsum in Fraticellorum hæresi fuisse. Fulgosus libro 1. capite 1.

Hospitalarij auctiditiis Templariorum, simul belli Sacri nomine ingenti pondere auri undique collato, classem instruxerunt, ornaueruntque, ac Rhodum, quam Turcæ iam possessionem etiam maris appetentes occuparant, de illis recepere. Aemilius lib. 8.

INNOCENTIVS III. Pp. per Parisiensem episcopum egit, ut ex sepulcro eruerētur Almaricus Parisiēsis doctor, & cremaretur: quoniam, quanquam eum pœnituisse uisum esset hæresis, qua aliàs laborarat (hæc autem simplicis Spiritus nomine ab eo appellabatur) hæresis ipsa adhuc repullulare putabatur. Fulg. lib. 1. cap. 1.

Bestiis.

Anatolius quidam Antiochiæ, idolorum cultor, magus & incantator, cùm non uellet conuerti, ex mandato TIBERII Imp. bestiis proiicitur: & ab illis discerptus, corpore tandem cruci affigitur, & ibi demùm à lupis deuoratur. Eugrius libro quinto, capite 18.

Laqueo.

HENRICVS III. Imp. natalem Domini Goslariæ agēs, quod dam ibi hæreticos inter alia praui erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne hęretica scabies plures inficeret, in patibulis suspendi iussit. Hermannus Contractus.

Exilio.

VRATISLAVS II. Boëmorum rex Iudæorū censum per domos Pragę egit, & ad certum numerum illos redegit, superfluis Boëmia expulsis, ne malis dolis, fraudeq; & fallaciis, ac funesto inprimis sœnore, regno suo subiectos trucidarent. Dubrauius lib. 8.

SOLVENDO, LIBERANDO.

Veneti in quos IVLIVS II. Pp. fœdere Cameraci cum Maximiliano I. Rom. Imp. & Gallię rege Ludouico XII. anno 509. percusso, excōmunicationis fulmen uibrarat, tandē sequente anno per oratores suos Pontificis iratum animum flexēre. Scriptis igitur & confirmatis per Cardinales pacis conditionibus, Veneti legati, constituto die, uetera exēpla sequuti, in diui Petri porticum uenerūt: ibiq; ad Pontificis pedes, qui propeæneas portas in pontificia sella omnibus purpuratis & innumeris antistitibus præsentib. sedebat, humi prostrati, contumaciā erataq; sua confitētes, demississimè ueniam flagitarunt: deinde nonnullis precibus de more recitatis, consuetisq; solennibus peractis ceremoniis, Pontifex illos in gratiam recipiēs, esturis diritsq; liberauit: eisq; satisfactionis gratia septem angustissima urbis templa dimiti, iniunxit. His peractis, à summo pœnitentium magistro in diui Petri basilicam introducti sunt: ubi sacris, quibus nec a illis interdictū erat, auditis, honorificè nō iam ut execrati sacrilegi exclusi, sed ut uerè Christiani, & sacrosanctæ sedis pijsilij, ab antistitibus aliisq; compluribus ad suas ędes deducti fuerunt. Guicciardinus lib. 8. Hist.

IMPERIVM AGNOSCENDO, OBEDIENDO.

Adriano VI Pontifice ferūt THEOPHILVM Patriarchā Alexandrinū, literas Græcè scriptas ad Adrianum transmisisse, quibus sedi Apostolicę obedi[illegible] se quium q; detulerit, & caput Ecclesiæ Catholicæ te[illegible] in Quas Hieronymus Aleander, Pontificiæ bibliothe[illegible]curator, Latinè interpretatus est, & unà cum ipsa interpretatione in scriniis Pontificijs ad memoriam posteritatis [illegible]uit. Auctor uitę.

IMPERIVM DETRECTANDO.

Anno Sal. 648. Rauennas ecclesia à Romana defecit, auctore antistite Mauro, qui Bono ex humanis rebus erepto successit. Hic Constantis Imperatoris fauore subnixus, [illegible] consecrationem neq; pallium à Pontifice sumere noluit, uerūm illam à tribus suffraganeis suis, hoc ab Imperatore accepit, ac suffraganeos suos inuisu Pontificis consecrauit. Ex quo per multos pòst annos ecclesia Rauennas hæresi, quam uocabant Autocephaliam, laborauit. Anno tandem 678. Theodorus [illegible] episcopus, cùm uetere[illegible] [illegible]nia supre[illegible]tissimum indul[illegible] [illegible]stitue[illegible] [illegible]tos q; nouorum sen[illegible] [illegible] Ch[illegible]sem ad rem diuinam [illegible] [illegible]tē instituta deducere noluerunt. Qu[illegible] [illegible]retur, ecclesiam Rauennatem, quod ipso [illegible] turcæ [illegible] Romanæ literis ad Pontificem scripsit [illegible] regni Ital.

Anno 847. ANGILBERTVS Medrolanensis [illegible] ab ecclesia Romana parum cōperta de [illegible] desciit, tantumq; exemplō in posterum ualuit, ut [illegible] tos annos ecclesia Mediolanensis à Romana [illegible] auctoritatemq; tedierit. Sigonius lib. 5. regni Ital.

LEONTIVS Tripolis Lydiæ episcopus, Arianus, summa dicendi libertate præditus fuit. Cùm quodam tempore in cœtu episcoporum Constantius Imp. Arianus uerba faceret, & promulgaret constitutiones: omnibus aliis approbantibus, Leontius solus obstinatè tacuit. Causam rogatus, eo se

se tacere respondit, quia cogitans miraretur apud se, quòd ab ipsius negotiis tantum suppeteret Imp. temporis, aliena ut curaret. Bella enim & Remp. Imperatorē decere, religionem Episcopis committi debere. Suidas.

CONCILIANDO alios.

Ex Tit. Conciliorum, item Prudentiæ in conciliando, hic quædam.

DEFENDENDO, PROTEGENDO alios.

Locum Iustitiæ religiosę consule.

PERSEQVENDO ALIOS TVM Scriptis.

Vide suprà, Certamina de Religione.

Armis. Peregrinationes, Expeditiones sacræ Christianorum

Contra Turcas.

Petrus ex nobilitate Ambianensi puer literis imbutus, ubi ætas patiens laborum fuit, rei militari deditus, uir effectus, rebus humanis spretis eremo se dicauit. Aliquanto pòst impetus eum subiit sacræ peregrinationis suscipiendę. Paupertate uiliq; cultu inter Barbaros tutus, & acri quidem ingenio, sed qui corporis specie indecora, breuiq; statura & minus liberali facie contemnendus magis quàm metuendus uideretur, omnia circumiuit, lustrauitq;, ac mores imporū, animos, urbes, uires cognouit, perspexitq; quàm atrocia & nefaria exempla barbaræ religionis homines in nōstros edderent. Cumq; edoceretur à Simone Patriarcha Hierosolymitano uiro sancto, quæ illi paucis diebus intolerabilia uiderentur, incolis piis quotidie uidenda patiendaq; esse, ac perpetua futura, & si quid ultimis malis addi possit, etiam atrociora: re uisum est Patriarchā Petro literas ad summū pontificem dare, quib. opem sanctæ Christiano nomini terræ laboranti malisq; fessæ implōraret. (Vt spergensis ab Alexio Græco Imp. literas missas innuit) Addita uberiora mandata Petro: cui quod formæ minùs speciosæ deerat, acre ingenium facundiaq; explebat. Accessit fama, eum in templo quiescentem uisum sibi audire uocem Christi, iubentis illum cœli legatum redire nūciareq; proceribus Christianis, bellum pro religione suscipierent, gererentq;. Ita Deum Dominumq; uelle, iubereq;. Constat Vrbanum II. audito Petro, lectisq; literis, concilium Claromontem in Galliam indixisse. Vbi & literis Hierosolymitanis, & uoce Petri Ambianensis, & oratione auctoritateq; pōtificis, & sanctitate causæ fictum est, ut omnes permouerentur, & uelut communi numine afflati unam & eandem uocem simul omnes emitterent, parteresque persæpe reperentes fucclamarent, Deus nult. Quod uerbum pontifex pro tessera in gerendis rebus uelut diuinitus datum esse uoluit. Primi omnium ad pedes pontificis duo episcopi accessere, Ademarus Anicienſium, ac Gulielmus Arausiensium, petentes ut sibi liceret arma pro pietate suscipere. Eos amplissimis uerbis collaudauit Vrbanus, ac illorum dextrum humerum insignuit lanea cruciatrubra, quam faccam paludamento assutam in bello gestarent. Idem cæteriqué patres protinus in suas quisque diœcesis dimissi, ut popularium Ducumque animos oratione ad arma sacra capienda sacris concionibus incitarēt. Nec Petrus huic rei defuit. Certatim igitur summi genere fa ctisque diri militiam sacram professi sunt, orto initio ab Hugone regis Franci fratre. Subinde alij duces, comitesque affuēre. Omnium oculos in se conuertit, Godofredus Eustathij Bononiæ Belgicæ comitis filius, Lotharingiæ dux, hæres institutus ab auunculo Godofredo duce, Gothellonis ducis filio, à dehonestamento corporis cognomine Gibbero. Hunc bello præclarissimum duo fratres Eustathius Balduinusque comitati, nomina dedēre, seque cruce initiandos præbuēre. Gulielmus tertius eius frater domi apud parentes ætatis exactæ permansit. Duo præterea Roberti, alter Normanniæ dux Gulielmi Anglorum regis filius, alter Flandræ comes: simul Raimundus Tolosatium, & Stephanus Blesensium, idem Garnutum, comites se huic militiæ dicarunt. Sed & alij permulti crucē ab episcopis quisq; suis accepēre, Germani, Galli, Itali, Angli, Scoti: extremisq; ab orbis terrarū regionib. insulisq; orbe terrarū submotis. Fuēre qui traderēt, quo die Claromōte decretū fit sacrū bellū, eodē illius decreti famā orbē terrarū puasisse. Locupletes tenuiorū curā ac clientelam susceperūt, eos armarūt, ornarunt, aluerunt. Fratres inter se omnes uocitabantur. Sanctiones quoque pontificis, & leges regiæ multa commoda impertiebant rebus caussęque eorum, qui huius militiæ causa domo abessent: & qui domi manebant, abeuntibus nihil denegabant. Pecunia noxáue nexi, soluti. Mulieres neque uiros, neque liberos, ut assolet, lacrymis amplexibusue cirtunfuæ morabantur: sua ipsæ ornamenta depromebant, tenumque danda offerebant ultrò. Comes Biturigum nomine Arpinus eam ciuitatem Philippo regi uendidit sexaginta millibus aureorum, maiori uendentis quàm emeritis gloria. Normannus dux Constantiensium primū Comitatū fratri Henrico mille & sexcentis pōdo argenti addixit: deinde reliquā Normanniā tredecim millib. sexcentis item argēti pōdo alteri fratri Gulielmo regi Anglorū oppignerā ſuit. Godofredus Lotharingiæ dux Sperto Eburonum episcopo ducatum Bullionis satis magna ui auri uendidit. Tantum rerum humanarum contemtum animis mortalium affert uera religio, ac numinis fiducia. Valterus Egerius uocitatus, quatuordecim millia hominum moræ impatientium per Germaniam, Hungariam, Bulgariam, Thraciā, Daciam, duxit, uariis casibus agitatus, & impotentia contumaciaq; suorum, & ferocia eorum quorum per fines transibat. Errans tandem Constātinopolim peruēnit, dimidia ferè suorum parte desiderata. Ambianensis quōq; aliquanto maiore subsecutus manu, nihilo feliciòr, continere suos nec ipse potuit, quin tanquam in hostico sæuirēt. Interea uere uires, Latiniq. nominis robur, Germani, Lotharingiq; ducis Bononiensibus, ac iis proceribus qui se eis comites addiderāt, Ambianensis uestigia sequebantur. Dum hi Pannoniam metiuntur: Hugo Magnus, Normannus, Flandrus, Blesensis, Tolosas, cum suis quisque copiis Romani itinere pedestri peruenere, superumque mare petiuēre. Ac quoniam unus potus tantam multitudinem capere non poterat, alij Brundusium, alij Barium, alij Hydruntem se diuersi contulēre. Roberti Viscardi Normanni Apuliæ ducis filij de regno paterno inter se contēdebant. Boemundus de Rogerio Melphin urbem occuparat. Eius recuperandæ gratia Rogerius in armis erat. Cæterùm principum Christianorum monitis simul & precibus adductus Boemundus, nō modò Melphin fratri reddidit, sed paludamento purpureo iussū afferri, habuit apud suos milites concionem, & erant omnes uetera Viscardo duce militare solitī, filiumque Boemundum patris simulacrum, uirtutisque æmulum obseruabant. Hos oratione permouit, ut se tot ducibus, tam nobili agmini associarent. Duceret ipse, se secuturos, omnes conclamatunt. Tunc sic inquit, Mihi uobiscum reliqua erunt communia; ut & hoc est: simul paludamentum purpureum in cruces dissectum: hæque militibus pro sacro insigni diuisæ: & cùm id non satis esset multitudini ultrò offerentium se, alia rubra uestimenta allata, dissectaque sunt. Rogerius frater adeò neminem suorum moratus est, quò minùs insignia sacræ militiæ susciperent, ut Tancrēdum sororis filium fratri tradiderit comitem. Vimerius ex comitatu Bononiensi piraticam fecerat, ex eaque opes summas nactus fuerat. Tunc animo quæsituque illo deposito, cum Hollandorum Frisiorumque iuuentute mari in Ciliciam delatus, sacram militiam pœnitentia prioris uitæ professus est. Ex tribus præcipuè portubus solutum est. ac in Illyricam urbem Dyrrachium, & in circumiectam Illyrici oram transmissum: ut Byzantium terra peruenirent. Illis regionibus ab Augusto Græco Prætores dati ea lege transitum concessere, ut diuisi in cohortes in masque non plus quàm mille [illegible] agminibus irent. Boemundus Roberti, qui Græcos Italia expulerat, filius, plus sibi negotij fore aduersus Græcos quàm Barbaros arbitratus, ea parte iter facere noluit. Igitur ne cæterorum exemplo cōpias diuisas duceret, continenti nauigatione, id quod Græcos minimè expectasset, Cōrinthium sinum inuectus, per Aetoliam, Thessaliam, continentemque illi Macedoniam, antequam à Cæsare copiæ contrà uenirent, iter fecit: quibusdam etiam locis cum Græcis ducibus præsidio regionum antibutis dimicauit, incruento quę milite suo uictor in Thraciam peruenit, seque Godofredo coniunxit. Posteaquam peruenēre Constantinopolim, fœdus ictum, ut Græcus Latinos commeatu, ac quam quisq; rerum cardo postularet, ope iuuaret: Latini, quicquid de impiis caperent, præter Hierosolyma, Græcis redderent. Ita læti duces quòd in uerum hostem ducendi potestas fieret, Chalcedonem transmiserunt. Tunc summi duces fama tantùm inter se noti, castra coniunxerunt, & in mutuum cōspectum complexumq; iuerunt, magna singulorum uniuersorumq; inter se admiratione prudentiæ, sanctitatis, uirtutis, nobilitatis. Tunc unum consilium ex omnibus ducibus factum, ad quod summa rerū spectaret. Hiq; copias recensuēre. Inito numero, inuenta fuisse circiter sexcenta millia pedituum, equitum loricatorum centū millia, auctores prope omnes sunt. Otho Frisingensis trecenta millia pugnatorū tradit. Viros quosdam etiam summos suæ sequebātur uxores, (ut Balduinum sua, quæ in statuijs Lycaoniæ marito absente periit, item Raymundū Tolosatē comitē sua) qui semel sacrā professi militiā, deserere signa, infamie nefariumq; existimabant, nec sustinebant repellere à sacro comitatu suas ætate formaq; præstantes, quę genialem torum experæ, non erant laturæ uiroium desiderium in longinquo diuturnoq; bello, nec diuelli à maritis poterant. Nulla uulgato corpore

mulier

mulier his castris recepta, nullus flagitiosus admissus. Non castra, sed templum credidisses. Sacerdotibus operantibus altaris mysteriis miles aderat. Media nocte hymni in Deum superosq; concinebantur: uespertino cultu cœlestem opem implorabant: ut mirum non sit, tam sanctis armis numen affuisse. Quacunq; ibant, prosequentibus cum cõmeatu Græcis locorũ hostiumq; peritis. excitabant ad diuortia uiarum cruces ligneas, lapidumq; tumulos coaceruabant, ut eo signo, qui sequebantur, aberrare non possent. Cessit ea expeditio sub Hugone Magno felicissimè, Christiano animo fauente suscepta numine. Edessa Balduino Belgæ, Antiochia Boemundo Tarẽtino principi cessit. Hierosolyma expugnata, Godofredus Bononiensis unanimi procerum Latinorũ consensu rex creatus est. Hugo Magnus cũm ad egestatem recidisset, auctus ex Francia re numaria cum nouis copiis adueniens, ab Alexio perfido Imperatore in Bythinia hostibus proditus, 1. millibus amissis uix elapsus, in Cilicia Tarsi obiit. Omnes quidem Christianæ gentes publicè, ac summi uiri pro uirili quisq; parte aliquid in commune contulerant, causamq; Christi tutati fuerant: quamplurimi arma ceperant: res ipsi in Oriente gesserãt: qui domi manserant, obsecrationibus, uotis, pecuniis, commeatu bellum iuuerant: nemo ferè laudis expers fuerat. Cæterũ Francorum uirtus, pietas, perseuerantia præcipuam gloriam sibi dextra peperit, sic ut omnes Latinos Francorum nomine barbara religio in hodierunum usq; diem censeat. Sueno, Dani filius, cũ mille quingẽtis equitib. eruce insignitis transmisso ad Constantinopolim Bosporo, iter Antiochiam ad reliquos Latinos faciebat. Insidiis Turcarum ad unum omnes cũm regio iuuene cæsi. Veneti circiter ducentas omnis generis naues, quanta classe ad eam diem nunquam nauigarant, instruxerant ornarantq;, præfectis Henrico Contareno ciuitatis episcopo, & Michaele Virale ducis filio. In Dalmatia remigiũ expleuẽre. Ex Ionio mari in Aegæum cursum tenuẽre. Pisani Rhodum occupauerant, & Genuenses proximam mariticmã oram ad ostia Orontis classe sociis nauallibus militeq; egregiè instructa ornataq; obtinuẽre. Et sic Itali maris possessionem nacti. Aemilius lib. 4. & 5.

Alaph Turcus, Babyloniorũ auxiliis fretus, Edessam Mesopotamiæ ciuitatem, Arach ab Hebræis uocatam, inuasit: quam antea Balduinus à fratre Godofredo precibus obtinuerat. Capta est autem urbs, & à Barbaris crudeliter direpta, occisis omnibus Christi fidem abnegare recusantibus, stupratis etiam nobilissimis matronis super altari sancti Ioannis Baptistæ, quod sciebant à Christianis sanctè cultum fuisse. Ea clade audita, BERNARDVS Clareuallensis abbas patrocinium religionis Christianæ assumens, principes omnes Christianos tum literis, tum nunciis adhortatus est, ut crucem in Saracenos Christi uexillum sumerent. Primus nomen dedit LVDOVICVS Iunior Francorum rex, anno 1147. CONRADVS III. Imp. similiter à Bernardo Francofordiæ cruce insignitus, cum Christianis principibus Lotharingiæ, Flandriæ, Frisiæ, Alemanniæ, cum Marchionibus Austriæ, Oltaque Frisingense antistite, & Henrico fratribus, & quod mirandum) cum Vuelphone Bauariæ duce, inimico suo, nondum bello intestino sedato, quem rex commilitonem suum sæpe appellabat, Hierosolymitanam assumunt expeditionem. Conradum Cæsarem sexaginta millia equitum loricatorum sequebãtur, ac innumerabilis alia omnis generis multitudo. Per Hungariam iter in prouincias Græci Augusti fecit, sibi fœdere ac affinitate iuncti, Ludouicus rex iter per Germaniam, atque inde quà præcesserat Augustus, faciebat cum Franciæ delecta iuuentute, in comitatu habens Leonoram uxorem, quòd & à uiro rege diuelli nolle se diceret, & uidere optabat patruum Raimundum Antiochenũm principem, à quo uenerant oratores cum muneribus precibusque, ut maturaretur antè quàm res Latinorum in Syria pessum irent. Qui proficiscebãtur, ad eam pubem quæ domi sedebat, colum uelut mulierculis pensumque mittebant: quo pudore quamplurimi præterea moti, arma sacra capiebant. Classis etiam in Prouinciæ portubus parata, ut præteruecta Italiæ oram, in Orientem trãsmitteret, ac cũm rex terrestri itinere Byzantium peruenisset, ipsa quocunq; ille iussisset adesset. Latinus Augustus ab Augusto Græco amplè magnificeq; exceptus, tot bellatorum agmine subuixus, moræque impatiens in Asiam Bosporo Thracio transiit. Ferro, fame, errore uiarum, miseriaque tentati. Vix decimus quisq; superfuit. Itaq; coactus est Augustus miseras reliquias ex hostico deducere. Iam Francus Constantinopolim peruenerat, summis honoribus à Græco Augusto affectus. Nonnulli scribunt, farinæ Græcos gypsum pertritum immiscuisse, quo cũ pernicie necessariò ignari Latini uescerentur. Primùm Fridericus filius, deinde Conradus Cæsar se Francis iunxẽre: castraq; ultrà mota, & unà iter per aliquot dies factum. Tandem Fulcerio Hierosolymitano Patriarchæ omnes assensere, ut Damascum adorirentur. Damascenos omni nobilitate Latinorum affidente desperatio cepit, de fuga consilium inibant, uiasq; intra mœnia interspersérant ea parte, quæ Latinorum castra spectabat. Latini urbem pro capta habebant. De imperio eius ambigebatur. Theodericus Flandriæ Comes, ut illa sibi attribueretur orabat: Franci, Germani, Italique eam illi propalàm destinabant. Id ægerrimè ferebant qui Latinorum in Asia bellando consenuerant, præmia ueteranorum Ducum nouo in Syria homini dari: Itaque fuerunt auctores, ut ab ea parte quæ in septentrionẽ uergit, in aduersam meridiei; obiectam castra transferrentur, quòd eã oppugnationem faciliorem dicerent, ac muri ex crudis lateribus humiliores que forent. Habita fides regionis peritis. Translata illuc castra. Sed quia longiùs à flumine aberant, acà comportandis commeatibus, quòd urbs intercedebat: fameq; tique iam homines equosque conficiente, nec libero iam in locum priorum castrorum regressu (quòd barbari eum recuperarant) Germanus ora maritima petita classem conscendit, Byzantiumque reuectus, inde domum rediit. Francus quod reliquum æstatis erat, ac totam hyemem in Syria egit. Sumta palma, quod erat sacræ peregrinationis consummatæ signum, uere appetente classem Ioppe soluit. Cùm mari ferretur, Græcorum classis repentino, ac uelut ex insidiis occursu cogebatur Constantinopolim flectere. Georgius Prætor Rogerij Siculi regis maiori numero nauium superueniens, in Prætoriam Constantinopolitanam uem sagittas aureis spiculis præfixas coniecit, atque se & ad bellum & ad pacem paratum ostendit. Huius uirtute fiducij; liberatus Ludouicus, in Siciliam, atq; inde in Prouinciam nauigauit. Cuspinianus, Platina, & Aemilius lib. 5.

CLEMENS III. pontificatum iniens, statim de bello in Saracenos gerendo edictum proposuit. Nam Saladinus captis Hierosolymis, secundam victoriæ fortunam secutus, iam ciuitates quinque & uiginti de principatu Antiocheno ceperat, ipsamque Antiochiam, corrupto largitionibus patriarcha, denique occupauerat. Christiani principes arma sumunt, anno 1188. quorum de numero præcipui fuere Fridericus I. Imperator, Philippus Franciæ, Ricardus Angliæ reges, Otho Burgundiæ dux, subsequentibus multis episcopis archiepiscopisque. Veneti quoque & Pisani paratissimas eduxere classes. Venetæ præfuit archiepiscopus Rauennas, Pisanæ Pisanus præsul. Gulielmus autem Siciliæ rex, pacato piratis mari, annonam omnifariam ex Sicilia & Apulia proficiscentibus subministrabat. Frisones præterea, Dani & Flandrenses cum quinquaginta triremium classe intentauigandum ad Africæ litora flectentes, Saracenos magnis incommodis affixere, capta ac direpta Siluma eorum urbe. Bela autem Poloniæ rex, saluti Christianorum consulens, Hungaris pacẽ dedit, quò omnibus proficisci facilius ad tantam expeditionem liceret. Fridericus Imp. per Hungariam iter faciens Thraciamq;, iam Constantinopolim peruenerat: quem Græcus Imp. eius potentiam ueritus, traiicere Bosphorum statim adhortatus est. Fridericus Philomelium urbem de Turcis cepit: & agrum Iconio adiacentem populatus, Armeniam minorem in potestatem suam redegit. Verùm dum lauandi causa rapidum amnem inexplorato ingreditur, in undis periit. Eius exercitus in Antiochenum agrum delatus, partim morbo, partim fuga consumtus est. Philippus autem & Ricardus reges ad Dionysij, suscepti insignibus sacræ peregrinationis, baculo, peraque terrestri itinere Francus Genuam, Ricardus Massiliam diuersi petiere. Dum uentum expectat Francus, uno eodemq; die quisquies fulmen cœlo cecidit. Cùm soluisset, aliquandiu prosperum cursum tenuit. Cùm in conspectu Siciliam haberet, atroci tempestate naufragium fecit. Ricardus nullo incommodo usus Siciliam tenuit: seq; Franco, quassatam classem reficienti, supplementumq; domo exspectanti, cõiunxit. Ibi hyems necessariò acta. Ioachimus abbas ex continenti Italia Messanam ad reges euentum belli prænoscendi cupidos productus, ituros eos, sed parum profecturos respondit, q; nondum diram beluam sua fata appeterent, nec terra Sanctę recipiẽdæ dies illuxisset. Philippus Ptolemaidis portum attingẽs, Christianorũ exercitũ & animos auxit. Ricardus uerò tẽpestate in Cyprum delatus, cũm à Græcis portu prohiberetur, insulã ui ingressus, expugnatam spoliaramq; firmo suorum communiens præsidio, Ptolemaidem tãdem in castra peruenit. Christiani ergo qui biennio Ptolemaidẽ obsederant, tandẽ eam dedente præsidio, desperatione auxiliorũ, receperunt his conditionibus, ut & pars Dominicæ crucis, à barbaris redderetur, & eisdẽ cũ singulis uestimẽtis abire liceret. At uerò cũ Dominica crux nõ reperiretur, multos è barbaris Ricardus trucidauit. Saladinus, desperãs posse reliqua tueri, quarundã urbiũ mœnia demolitus, deredẽda Christianis Hierosolyma cogitauit. Quod ne faceret, discordia inter Philippũ Ricardũq; orta de principatu inter se cõtendentes, effecit. Verũ abeunte ex Asia Philippo, simul

lato interim morbo, Ricardus maiori animo rem bellicam deinceps aggreditur, eo potissimùm tempore, quo Conradum Monteferratum Tyri in foro agentem, sicarij duo (Arsacidas Saraceni uocant) gladiis confodẽre, deuoti priùs ac iurati se hostes omnes suę superstitionis ea ratione interfecturos: qui postea de fuga retracti, exquisitissimis cruciatibus sunt interemti. Ricardus Guidonem Lusignianũ blandè appellando, in eam sententiam tandem adduxit, ut sibi regni Hierosolymitani iura permitteret, quem titulum Anglici reges adhuc usurpant. Auctus itaq; animo obsidere Hierosolymam instituerat. Dilabentibus deinde passim maritimis copiis, Pisani in Hadriaticum delati, Polam capiũt, eo loci hybernaturi. Veneti Pisanos Pola ciiciunt, urbemq; diripiunt, eos quouis in loco persecuturi, ni Celestinus IV. uiuumq; populum ad pacẽ cohortatus fuisset. Instabat iam uer, & mouere copias Hierosolymam Ricardus instituerat, uicto magna clade Saladino: cũm subitò nunciatum est regem Franciæ Philippum Normanniam ea mente uexare, ut in Angliam traiiciens, regnũ illud fratri Ioanni acquireret. Ergo Ricardus pacem cum Saladino componit in quinq; annos, his conditionibus, ut sibi omnia præter Tyrum, Ptolemaidem & Antiochiam haberet. Adriaticum mare cũ suis tenens, exorta fœda tempestate, disiectaq; classe, in Illyrici orã eiectus, deposita maiestate, perpaucis comitibus, sumto Templarij habitu, Germaniam, quà proximum erat, petit: Francum, à quo maximè insidias uimq; timebat, uitatum se ratus. Cęterũ conspectus in digito regius anulus ab hospite, illum indicauit, prodiditq;. Cognitũ igitur Lupoldus Austriæ dux, cuius populares in Asia res gesserãt, simul tatemq; cum Anglis exercuerant, ad Henricum VI. Imp. duxit. Is XIIX menses Anglum in custodia habuit: nec dimisit, nisi centum millibus ac quingentis pondo argẽti redemtum. Platina, & Aemilius lib. 6. Francorum, & Sigonius lib. 15. regni Italici.

Anno MCCXXVI. PVERORVM chorus, qui undiq; turmatim confluebant, Palæstinam, eandem liberaturi, petunt. Cùm ad mare processissent, nusquam postea comparuere. Auentinus lib. 7. Annalium.

Mortuo Saladino, Aegyptio Sultano, CELESTINVS III. Papa in magnam recuperandæ Hierosolymæ spem ueniẽs, Henricum VI. Imp. qui mortuo Tancredo regnũ Siciliæ occupauerat, ad bellum Asiaticum adhortatur. Quod cùm ipse obire non posset, Argentinæ signo dato, an. MCXCVII. cõ Moguntinum archiepiscopum & Saxoniæ ducem cum magnis copiis properẽ misit. Franciæ rex, metu Mauritanorum, qui Bæticam omnem ceperant, quę hodie Granata dicitur, domi se continuit. Otho marchio Brandenburgensis, Hermannus de Thuringia Landgrauius, Valmarus de Limpurg, Adolphus de Holsatia & Scouuenburg comes, q̃ prius etiam Friderici I. Imp. secutus fuerat: dux Austrię, Hartuicus Bremensis archiepiscopus, Rodolfus Verdensis: quadringenti præterea ciues de Lubica, in eam se militiam accinxere. Terrestri exercitui in Siciliam ducem præfecit Conradum Cancellarium suum: naualis autem exercitus sub Hartuico archiepiscopo Bremensi mare tenebat occiduũ. Iuerant Dani, Phrisij, Lubecentes Bremẽses q; per litora maris Britannici: omnem Phrisiam, Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Franciam Hispaniamq; præteruecti, in Siciliam uenere ad Messanam urbem considẽtes. Cùm Germani in Asiam traiecissent, Berytum à Saracenis destitutũ muniuere, & Ioppen obsidione pressam liberauerunt. Eos propter Henrici mortem in Asia tumultuantes Innocentius III. retinere in officio frustra tentauit: nam relicta Asia, cum maximo Christianorum detrimento, domum redierunt, ut bello ciuili inter Othonem Saxonem & Philippũ de imperio contendentes interessent. Ioppenses omni ope destitutos Saraceni ui captos ad unum interfecere, euersa à fundamentis urbe. Aemilius libro 6. Platina, & Cranzius libro 7. Saxoniæ, cap. 12.

Re interim sacra pessum esire, INNOCENTIVS III. Pp. Bonifacium Montisferrati Marchionem, Balduinum Flandrię, Henricum S. Pauli, & Ludouicum Sabaudiæ comites in Saracenos excitauit. Qui oẽs coniunctis copiis Venetias delati, nõ priùs Venetos perpulere classem in Turcos & Saracenos armare, q̃ polliciti sunt oẽs paribus animis laderã, quę iterũ ad Hungaros defecerat, recuperaturos. Cõparata itaque classe, & Tergestinos mare infestãtes cõpesceuerunt, & Iaderenses post longã obsidionẽ ceperũt. Alexiũ inde puerum regno pulsum restituerũt. Mortuo interim Innocẽtio, Honorij III. hortatu peruenerãt iam Aconẽ Christiani, pceres, maximè uerò Andreas Hungariæ rex, Venetorũ classe fretus, quib. ob tantũ beneficiũ ius omne cõcessit, quod in Dalmatia dux Austriæ habuerat. Andreã secuti sunt Henricus comes Niuernensis, & Gualterus regis Franciæ camerarius. Inito cõsilio cũ Ioanne Brenno Hierosolymitano rege, Damiatam Aegypti urbem (Aeliopolim ab Aelio Pertinace dictam, qui eam triplici muro circũdedit) an. 1218. obsessam tandem mense 15. ceperunt. Cæterũm cùm Pelagius iure legationis pontificiæ primas partes sibi prædæ partæ uendicaret, eamq; urbem ditionis Pontificię facere contenderet: Brennus rex Ptolemaidem secessit. Insequenti anno, cùm segnis moræ etiam Pelagium tædere cœpisset, qui spẽ euertendæ Barbaræ superstitionis concepisse ferebatur, iuberetq; ad signa conueniri, expugnariq; Chairũ: milites dicto non parebant: omnes præ se ferebant, se unius Brenni dicto obtemperaturos. Aduenit iisdem diebus Ludouicus dux Bauariæ cum populariũ manu magna. Brennus seu dolore motus, q̃ cùm Rex sacri regni uocaretur, haberetur q;, Damiata, quæ capta esset armis corũ qui in sacram militiã nomina dederant, ea illi habenda possidendaq; à Legato non daretur q; : siue semel expertus superiorem Aegyptum magno periculo tentari, iturũ se ductorũmue negabat. Legatus iure sacrosanctæ potestatis præcedere Bauarũ ducẽ, cæteros, & in his nominatim Brennum regem, sequi iussit: qui dicto audiens non foret, eum se execrari. Iuerunt metu diratum ad LXX hominum millia Idib. Quintilibus. Barbari uerò simulato metu semper cedebant, quò commodũ uidebatur. Castra ad decimum ab urbe regia Chairo lapidẽ locata. Barbari in urbe se continebant. Loca quæ inter aggeres forent, capiebant de industria nostri, ut aggerib. pro uallo munimentoq;, ac tanquã propugnaculo uti, si qua de improuiso eruptio incursioq; à Barbaris fieret, se tegerent quoad arma caperentised hæc depressa, quæ exuberãte Nilo irrigare deriuata aqua lõgè omnũ fœcundissima cultores agrorum solent. Intra has ueluti compedes deprehensi captiq; sunt nostri, nullum uirtutis exercendæ locum nacti. Nilus tunc fortè inctescens, Aegyptiis, eorum propè rebus iam deploratis, uictoriam incruentam de bellicosissimis uicticibusq; gentibus dedit. Patefactis emissariis Barbari castra nostrorum aqua superfusa operuere usq; eò, ut cõmeatus corrumperetur, nec in sicco consistendi locus ostẽderetur. Ad hæc moles editioraq; loca repẽtè Aegyptij occupauere, ne emergere è limo alluuieq; nostri possent. Hostis caliduS nõ cruorem, non nefarium à Christianis scelus exposcebat: tantùm, ut Aegyptus suis legibus utatur: res eo dẽ loco sint, quo ante Damiatam obsessam erant, postulabat: Damiata cedatur: deportetur exercitus. Ita Damiata restituta Barbaris: ac irrito tot labores redditi. Vnum illud indignitatem leuiorem fecit, quòd Sultanus, ut uictoria incruenta potitus, nõ insultauit nostris: lenitatem summam præstitit: commeatu, uiatico iuuit. Brennus rex in Italiam uenit, auctoreq; Põt. Max. uxore regina Hierosolymitana defuncta, Iolen filiam ex ea, Reginam iure materno salutatã, regi Siculo Friderico II. Cæsari cõlocauit: ut dotali sacro regno, sactum maiore animo capesseret tandẽ bellum. Ea re factũ est, ut deinceps Siculi reges, Hierosolymorum etiam salutari reges æquum se censeant. Pontifex ditis suis Fridericum persequens, tanti mali auctor uideri potest. Aemilius lib. 6. & Platina.

FRIDERICVS II. Imp. anno 1229. minis denunciationeque pontificis territus, in Syriam nauigauit. Sultanus ita eiruinas ac uestigia Hierosolymorũ euersorũ reddidit, ut quod sanctissimum esse sciebat, retineret, Domini Deiq; sepulcri. Muri Hierosolymitani facilè integris fundamentis restituti, ex eisdem cominùs stratis redituiusq; lapidib. refectis quædamq; ædes sacræ eadem ratione de integro extructæ, ubi ipse sanctę ciuitatis insulas coronamq; suscepit. Nazarethũ & Ioppen tradente Sultano accepit, restituit, firmauit: quo cum publicè inducias in decem annos sanxiteuestigioq; literas ad Pont. max. ad regem Francum, ad omnes proceres pios misit, gratulationis lætitiæq; plenas. Põtifex eius gloriæ inuidens, ostentationem iactationemq; eam esse ratus, consiliaq; Friderici regi circumagiq; Sultani amicitia, literas ad magistros militarium ordinum dedit, cauerent nomini Christiano insidias à simulatione Friderici. Cuspinianus, & Aemilius lib. 7.

GREGORIVS IX. qui Fridericum II. Imp. & anathemate & armis prosecutus est, recuperato patrimonio S. Petri, & agro Sabino, spretisq; Soldani legatis, qui suppliciter pacẽ petebant, multos ex Francisci & Dominici fratribus per Europam misit, qui prædicatione Christianos ad arma contra Saracenos concitarent. quorum opera tanta multitudo militum breui comparata est, quanta nunquam antea. Theobaldus ergo Nauarræ rex, & Aemricus Montisfortis, Henricusq; Bari ac Campaniæ comes, iter per Germaniã & Hungariam cũ magnis copiis facientes, Constantinopolim primò, mox traiecto Bosphoro Ptolemaidam peruenere, longè ac latè omnia populantes. Verùm nõ ita multò post hostium multitudine circumuenti, cum optimo quoq; militę ceciderunt. Platina.

D. LVDOVICVS Francorum rex, anno 1248. è morbo grauissimo ad se rediens, primùm omnium sacræ militiæ Crucem

depoposcit: à Parisiorũ Pontifice accepit. Matrem Blanchã cum fidelissimis amicorũ reliquit, quæ procuratione regni fungeretur. Itaq; cum uxore, cum duobus fratrib. Roberto & Carolo, ac utriusq; uxoribus, & Odone legato Romano Massiliam petiit. Nauẽ conscendit 8. Cal. Septemb. qui dies eius memoriæ in numerum diuorum relati postea cõsecratus est. Aegyptum ingressus, Damiatam expugnat. Robertus regis frater ultrà progressus, in pugna cadit contra Aegyptios, victoria Gallis alioqui prælio duplici cedẽte. Morbo ex labore æstumnaq; militari passim in castris grassante, rex grauiter laborat. Cladem Franci fessi uictiq; malis maximam à Barbaris accipiunt. Carolus & Alfonsus regis fratres capti. Damiata Barbaris restituitur, cum magna ui pecuniæ, induciarum pactione in X annos facta. Addebat Melexala Sultanus, ut iuraret rex se, eas cõditiones seruaturũ: sin fidem falleret, ea uerba addebat, quæ etiam rerũ scriptoribus referre effariq; nefas sit. Octo millia pondo auri pretium regis salutis q; communis factum. Quatuor millib. solutis, de altera parte obsidem Alfonsum fratrem reliquit: & cùm per conuenta procul abire liceret, tamen nõ antè, quã reliqua solutione facta, discedere sustinuit. Tunc Damiata decessum. Deportatus in Syriam exercitus regius. Ad duo & XXXM domo in Aegyptum profecti fuerant: ad sex circiter millia reduces fuerunt. Interea rex Sidonem, Cæsareã, Ioppen restituit: circummissis q; oratoribus, cuiuscunq; nationis nostri apud Barbaros in seruitute habebant, eos gregatim ducenos trecenosq; redimebat. Quinq; annis in Oriente mãsit, nullo sanctitatis munere omisso. Ossa ab impiis cæsorum permultis locis insepulta, manu sua legit, sacroq; sepulcreto composuit. Vita eius etiam Barbaris miraculo erat: compluresq;, quod armis extorquere nulla potuerat uis, uoluntate sacra lauatione imbuti sunt. Initio igitur spõte, postea precib. Pontificum Max. in Oriente remansit, totũ nomẽ Christianum incitaturos se prædicantium, ut omniũ piorum arma in Syriam ferrentur, Franci ductu militaturi. Alexander IV. cruce signatos non in Orientem, sed contra Manfredum nothũ, qui Siciliæ regnũ occuparat, ciuit. Itaq; sanctus Rex spe sua frustratus, suorum lacrymis permotus, cùm etiam mater obiuisset, domũ deportare exercitum longis fessum malis statuit. Tertia quàm soluerat nocte, sæua tempestate orta, nauis eius ui procellæ dorso immanis cautis illata sedit. Eam diuinitùs non solutam, tractãmue, procumbente rege, numinisq; fidem implorante, ut suos milites reduces domum esset, creditum est. Aemilius lib. 7.

CAROLVS Andegauensis D. Ludouici frater, Clemẽtis Pontificis gratia Siciliæ simul & Hierosolymorum rex nuncupatus, ut Siciliam receperat, ita & sacrum regnum appetebat. Anno 1269. apud D. Ludouicum regem Francum deliberatur, quæ primum regio Barbaræ religionis tentanda esset. Oratores Caroli suadebant ut Carthago petereturr: Afros Italiæ semper infestos, Siciliam proximo bello ussisse: Siculo regno simul & prouinciæ Phocẽsi formidabiles esset. Regem Siciliæ, eundem Prouinciæ Phocensis, non posse rutò in Syriam nauigare, regnumq; sacrum repetere, relicto è regione Siciliæ, Italiæ, Prouinciæ, illo Barbariæ Africanæ incolumi regno. Id rerum suarum respectu Carolus optabat: finiusq; regnum suum futurum sperabat opib. Africanis euersis. Sanctus rex totum nomẽ Christianum defendendũ suscipiebat: ut dum ipse Africam adoriretur, Syriaci Latini aduersus suos destinatos hostes iuuari ope possent: dilline renturq; Saracenorum uires, ne alij aliis auxilio forent. Societatem armorum cum Henrico Anglo rege coit: ut Angli in Orientem classe contenderent, dum ipse in Africa Tuneta oppugnaret: ea urbe regia capta, iunctis copiis Frãci Angliq; Syriam perdomarent. E' Massiliæ portu soluit cum tribus liberis, Philippo, Ioanne, Petro: anno eius seculi LXX, Cal. Mart. Eduardus Angli regis F. (ut conuenerat) iam Asiã classe tenuerat. Francus interea sæua tempestate iactatus, Sardiniam ægrè tenuit. Exin Carthaginem decursum. Carthago expugnata. Tunetum obsessum. De deditione per oratores agi cœptum. Interea in castris Francorũ exorta pestilentia. Decessit infausto nomine filius regis Ioannes Tristennis, natus patre à Barbaris olim in Aegypto circumuento, moriens patre protinus moriturο. Ad 8. Cal. Septembr. sanctus Rex profluuio decessit. Carolus Siciliæ rex cum delecta manu, animos Francorũ confirmauit. Cõtinuò & Anglica classis appulsa copias piorum spemq; auxit, ac Barbaris nouum terrorem iniecit. Decesserat Ricardus Cæsar frater Angli regis. Henricus eius filius Cornubię Comes ignarus sanctum regem diem suum obiuisse, classe adueniẽs, in Africam descensionem fecit, ut, quod futurũ propediẽ spes erat, Tunete regia urbe in potestatem nostrorum redacta, quæ piis ad eam diem mare infestũ fecisset, coniunctis classibus in Syriam ad Eduardum paruelem cursum dirigeret: nec inde decederetur, nisi ea prouincia cõsecta. Barbari ab Anglis, Francis, Italis, terraq; mariq; oppugnati, circumuenti, ac fame grauius quàm ultrà ferre possent laborantes, tutũ sus mentionem pacis facere cœpere: nec illam nostri aspernari, pestilentia eos populante. Leges Barbaro regi dictæ, ut sanctos uiros à nostris datos urbibus reciperent: his de Christo publicè uerba faciendi ius esset: ac si quis Afrorum nostram profiteri religionem sacris cõcionibus permotus uellet, sacra lauatione initiandi, lustrandiq; potestas fieret. Quadragena millia aureorũ Siciliæ regi rex Barbarus quot annis numeraret: quantam summam Siculus Rom. pontifici ex formula debebat. Inde in Siciliã decurrebatur, magna spe mutatione cœli leniri luem grassantis pestilentię posse. In conspectu Siciliam habebãt, cùm tempestas atrox naues disiecit, nec paucas submersit: reliquas quassauit. Eduardus paulò pòst sentiens, quos nostrorum ex Africa uenturos ex composito in Syriam sperarat, domum reuertit: & ipse Syria decessit. Idem.

Soldanus discordiis Christianorum fretus, Tripolim Asię ciuitatem insignem igni ferroq; euerterat. Ptolemais in annos duos inducias à Soldano consecuta erat. Hanc ut tueretur NICOLAVS IV. Pp. milites ad uexillum Christi uocat, gre suo conductos. Hi ad mille & quingenti fuere. Hos postea multi nullo dato nomine, nullis signis & auspiciis secuti, cùm Ptolemaida peruenissent, non minora Christianis quã Saracenis damna intulere. Magna inter Christianos de possessione Ptolemaidis concertatio tum orta erat, cùm ea patriarcha Constantinopolitanus, Templarij Teutonici, rex Cypri, Siciliæ rex Carolus uindicare anniterentur. Ne quid decesset ad perturbandam Christianorũ quietem, inter Philippum Franciæ & Eduardum Angiæ reges grauissimũ bellum exortum est: quę res & Christianos in Asia mirificè perturbauit, & hostib. delendi in Asia Christianum nomen audaciam & spem dedit. Neq; enim reges ipsi pontifici benemoenti obtemperauerunt, nec qui in præsidio Ptolemaide erant, inter se dissidentes uim hostium propulsarunt. Dilabentibus enim quotidie multis, soli tum ad XIIM remansere, qui postea cũ patriarcha Hierosolymitano per dromonem ad id seruatum, fugientes, primò secunda nauigatione usi, tandem sub ipsam Cyprum nauiragio periere. Soldanus desertam cultoribus urbẽ ingressus, cum ferro ac flamma statim euertit, anno 196. posteaquam à Godofredo capta fuerat. Platina.

Afri oram Italiæ insulas q; Inferi maris classe assiduè ac præualidi hostes uexabant. GENVENSES, legatione ad Carolum VI. Francorum regem missa, belli Sacri curam multis iam annis ob intestinas Christianorum bella intermissam Frãcis iniecerunt. Borbonius dux se sacro bello gerendo ultrò Imperatorem offerens, exercitui præfectus eit. In hanc militiã nobilitas Francica certatim nomina dabat: ingensq; ardor incesserat. Transit æmulatio uirtutis in Angliam. In triennium factæ induciæ, anno 1390. confirmantur. Proceres iuuẽtutis Anglicę cum ualida manu sagittariorum in Franciam transmisere, consilia communicauere, uires animos q; consociauere. Superantur Alpes. Itur uno utriusq; gentis agmine Genuam. Classem instructam ornatamq; uident: à Venetis auxilia ad hoc bellum missa, tantis modò Genuensium hostibus: sed in communi religionis causa, gratia reconciliata. Ac ne schismate Pontificio, inter Vrbanum & Clementem animi distinerentur, iuteiurando inter se adigũtur, nul lam mentionem, nullam memoriam fore cæterarum rerũ, contentiõnũmue: de solo hoste Saraceno uel tollendo, uel saltem coercendo intra fines Africanæ barbariæ cogitaturos. Tuneta urbem regiam capuq; Africæ cursum direxere. Vrbs regia & egregiè tentabatur, & egregiè defendebatur. Tandem de compositione agi cœptum. Conuenit ut Afri finibus suis se continerent: abstinerent ora maritima Italiæ Galliæq;, ac insulis Africæ Europæq; interiectis: captiuos Christiani nommis redderent: decem millia aureorũ pręsentia numerarent. In has leges fœdere icto deportatus Genuã, unde soluerat exercitus: Franciq; ac Angli inde profecti, sancta feliciq; expeditione potius quàm bello, ad suos quisq; cum gloria gratulationeq; redierе. Aemilius li. 9.

HENRICVS Magnopolitanus, Obotritorũ princeps, ad nouam in terram Sanctã expeditionem (quam Gregorius X. Pp. edixerat) anno 1276. cũ cæteris peruenit. At cùm ad prędam exisset, à militib Saracenorum Soldani captus, per totos sex & XX annos in seruitute permansit. Anastasia uxor eius, cùm ignoraret quid marito accidisset, de consilio patris sui Bernaimi ducis Stetinensis, Luitgardam F. Pribislao duci Gneznensi despondit. Maritus zelotypus cùm nescio quid suspicaretur, anno IX coniugij eam in cubiculo clàm strangulauit: sed uitæ innocentiam testata fuit ad tumuli eius facta miracula. Interim pater in captiuitate permansit. Feruntin seruitute iam senescentem, interpellatum à Soldano domino suo, tum primùm in eam dignitatem prouecto (erat autẽ uigilia Dominicæ Natiuitatis) Vellẽse in honorem Christi tui, cuius iã Natalitia inter Christianos instant, libet

liber esse? Ad quod ille, In manu tua est, domine, facere de seruo quod uoles: ueruntamen redire ad meos quis dabit? Vxor mea, liberi mei, iam me dudum inter mortuos deputauere. Non est ita, inquit ille: cõperi ex peregrinis tuæ gentis, omnes incolumes tuo tabescere desiderio. & ut intelligas, me tuorum natalium & rerum esse conscium, memini Iti, quum sub parente tuo in Liuonia militares, magistrum quendam machinarum magnam parenti tuo in hostes operam nauasse, & magnam sæpè in hostes stragem fecisse? Ego sum ille, qui postea inter Tartaros magnam assequutus dignitatem, nunc (ut uides) maiorem in hac gente teneo. Liberum te esse iubeo, daturos etiam uiaticum, ob uetus commilitium. Ille gratiis actis Ptolemaide nauigans, iterũ in mari capitur, & uelut fugitiuus reducit. Soldanus reductum iterum dimittit in Cyprum: quo in loco amitam fertur reperisse nuptam regi: quæ cum misit ad fororem, Massiliam, hinc in patriam. Alij narrãt, famulũ ei indiutsum semper adhæsisse Martinũ, qui artem textoriam perdidicit, in sericis & auro operatus, dominumq; eo labore sustẽtauit. Ergo cùm iam senes minùs custodirentur, fuga inita per uarias tandem casus Romam peruenere. Ibi Henricus reperit scribam concilij Lubecensis, Alexandrum: qui eum Lubecã usq; perduxit. Ibi à clero & populo per aliquot refocillatus dies, iumentis, uestibus & insigni familia decoratus, remissus fuit ad suos. Inaudita ibi gaudia filiorum de patre, uxoris de marito, nepotum de auo, totius populi de principe. Cranzius lib. 7. Vandal. c. 34. & 45.

Mortuo Nicolao V. CALLISTVS III. Pp. creatus, bellũ Turcis statim indixit: id se ante pontificatum uouisse ostendẽs suo chirographo, his uerbis scripto, quod in libro quodã illius extabat: Ego Callistus pontifex Deo omnipotẽti uoueo, & sanctæ indiuiduæ Tunitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demũ quibuscunq; rebus potero, Turcos Christiani nominis hostes sæuissimos persecutorum. Admirati sunt omnes qui aderant, quòd pontificatus nomen sibi desumsisset ante adeptam dignitatem, quodq; homo senex ac ferè decrepitus, tantũ animi haberet. Vt autem quod promiserat re ipsa præstare posset, Prædicatores per totam Europam statim misit, qui omnes Christianos in Turcos animarẽt, quiq; facultatum aliquid & opum suarũ ad tantam expeditionem conferrent. Ex his autem facultatibus ad sedecim triremes Romæ ædificatas in hostem misit, patriarcha Aquileiensi præfecto, qui triennio maritima hostium Asianorum uexauit, insulas quasdam cepit, ac magnas calamitates hostibus intulit. Alfonsus rex & Burgundiæ dux, Crucis signum suscipientes, itu os se quoq; in hostem profitebãtur, uel armatos milites eo missuros. Verùm ut res uno impetu mota est, ita etiam facilè resedit, principibus ipsis ob uoluptatem, rem tantam & magnam gloriam parituram omittentibus. Platina.

ALFONSVS IX. cognomento Bonus, Castellæ rex, in Mauros bellum mouit, qui Hispaniam ulteriorẽ inuaserant, anno 1212. Sed primò parum prosperè. nam Saraceni Bęticam, quæ nunc Granatæ est regnũ, subegerunt, tenueruntq; iam inde prouinciam ipsam usq; ad ętatem Ferdinandi eius nominis V. Mox Alfonsus ordinem militum S. Iacobi de Spata instituit, & auctis opibus, ingẽti prælio Saracenos uicit, Vbedamq; ciuitatem XII. Cal. Aug. anno MCCXII. recuperauit, Miramamolinum Maurorum ducem, commisso ad Tolosam prælio uicit, in quo CCM Arabum rumor est ceciderе, & crucem è cœlo apparuisse: in quo pręlio Petrus Aragonum rex primas uirtute obtinuit. Eo tempore Alfonsus Rodericum præsulem Toletanum Romam misit, ad impetrandas in expeditionem cõtra Mauros collationes. Tarapha de regibus Hispan.

FRANCISCVS Xymenes Toletanus archiepiscopus, ut inuidia ex multis amplissimi sacerdotij opib. enata deleretur, parata ducentarum nauium classe in proximam Mauritaniam transfretauit, conductis suo ære peditum & equitũ quatuordecim millibus, quib. præerat Petrus Nauarrus, à Consaluo Magno tanquam bello optimus Xymenii traditus. Is ea felicitate est usus, ut magno portu, q appellabat Mazanchibir, in potestatem redacto, Oranum nobile emporium, quod olim Vasbaria fuit, expugnaret, & eodem cursu rex Tremisenionam acie uictus regno pelleretur. Nauarrus porrò Xymene cum uictoriæ laurea in Hispaniam reuerso, Buzeam antiquitus Vzicatam in Holcachite sinu, opibus gymnasio liberalium disciplinarum celeberrimam Numidiæ urbem manu cepit, duobusque secundis prælijs Numidas profligauit, & demum Magna Lepti, quæ hodie dicta est Tripolis, terra mariq; sortiter expugnata potitus est. Paulus Iouius in Consaluo.

Anno 1464. PIVS II. Pp. misit per Germaniã legatos, qui populum ad arma in Turcum uocarent. Sed ea res imprudenter uel promulgata uel accepta est. Imperiti prædicatores inerme uulgus excitauere, quasi omnia illis in promtu futura uiderentur in terris ad quas properabant. Venere pannosi, inermes, inopes, emendicantes cibum, qui in Turcum ducerentur. Risere Itali, & meritò quidem, simplicitatem (ut solent) Alemannorum, quòd sine armis, sine commeatibus properarent ad tam difficilem longinquamq; expeditionẽ. Venere multi Venetias, quasi illico nauibus euehendi: inde nonnulli Anconam, quò audierant uenturum pontificem. Maior numerus Romam petebat. Magna colluuies hominum, ad bella malè procinctorum. Quid faceret põtifex? Vt redire faceret inutilem bello turbam, dedit illis benedictionem & plenariam remissionem. Multi in itinere fatigati, inedia exhausti defecerunt: alij ex itinere, cùm quid gererет audirent, redierũt. Nec Philippus ipse dux Burgundiæ, qui sæpè & multum pontifici promiserat, & uoto se (ut ferunt) ex morbo obstrinxerat, uenit. Papa Anconam delatus, ibi ducem Venetiarum præstolatus, febre corripitur: & cùm uidisset illum in portu nauigantem, biduo pòst defecit. Pecuniæ ad eam rem à pontifice collectæ, ex cõstituto eiusdem, partim Veneto duci, partim regi Hungariæ Mathiæ Corvino, ad supplementum expeditionis (quæ illi in hostes crebra fuit) permittuntur. Cranzius lib. 12. Saxoniæ, c. 3.

Gerendi belli contra Turcarum Imp. Selymum, anno 1517. ratio sic à LEONE X. Pp. adhibitus in consilium peritissimis ducibus, fuerat cõstituta, ut Maximilianus I. Cæsar Germaniæ robora in legiones conscriberet: Pannonio autẽ & Sarmatico equitatu maximè uteretur, & secundo amne Danubio in Myliam, atq; inde in Thraciã rectã contenderet. Franciscus uerò I. Gallorũ rex cum florentissimis Galliæ ac Italiæ copiis à Brundusio in Epirum traiceret: Hispani, Lusitanique, ac Britanni comparata classe ducentarum nauium ad Byzantiũ usq, nauigarent. Ipse Pontifex, ueræ laudis & gloriæ cupidissimus, cum centum rostratis nauib. se ab Ancona confestim nauigaturum pollicebatur. Erat enim in summa spe trahendi Veneti Senatus in partem bellinam eos tacitis uotis nihil magis exoptare intelligebat, quàm ut Christiana arma in Turcas ueros & proprios hostes ingenti omnium consensu atq; apparatu uerterentur. Sed mox fatali socordia nostrorum principum, cùm quisq; alienæ gloriæ inuideret, ea cõsilia decoris & pietatis longè plenissima perierunt. Iouius in Leone X. lib. 4.

Contra Ethnicos.

Prussis idololatris anno D. 1227. Masouiam uastantibus, inopsconsilij CONRADVS dux, Lesci Albi Polonorum principis frater, Christiano episcopo suggerente & suadente, fratres siue sodales Teutonicos, & ipsos piam cõtra barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professos, qui paulo antè à Saracenis è Syria eiecti fuerãt, Roma accitit: Chelmnẽsemq; seu Culmensem tractum, & quicquid terrę est inter Vistulã, Mocram atq; Deruanciam flumina, eis tradidit: his legib. ut contra Prussos sedulò & summis uiribus bellũ gererent. Vbi uerò eos domuissent, Culmensem quidem ditionẽ redderent: cætera uerò quæcunq; de barbaris cepissent, arbitrio bonorum uirorum ex æquo secũ, seu cum posteris suis partirentur: Polonis ne quidem uim aut iniuriam facerẽt, nẽue hostes eorum receptarent, aut ullo fauore prosequerentur: contra barbaros autem, & à religione Christiana alienos, ut ipsis, cùm opus fuerit, præstò essent. Si quid horum transgrederentur, pœnę, quæ cõtra ingratos est ex iure gentium, subiacerent: hoc est, beneficia accepta amitterẽt. Hæc ita inter Conradum & fratres Crucigeros, quorũ tunc Hermannus de Salza summus magister erat (sic illi ducem suũ appellant) conuenẽre, & à Gregorio IX. pont. max. approbata & confirmata sunt. Cromerus in Polonorum hist.

Anno 1186. Meynerus uel Meynardus, Canonicus Zegebergẽsis, Saxo, diuino zelo cõcitus, ab Hartuico Bremẽsi archiepiscopo euangelizandi Liuonibus potestate impetrata, arguendo, increpando, magis tamen obsecrando, duritiam gentilium frangens, ipsorum corda non minùs muneribus quàm exhortationib. paulatim ad quod uolebat, Deo annuente, perduxit: & sedem episcopalem primam erexit, intitulatam

tulatã patrocinio beatę Mariæ uirginis, in loco qui Riga dicitur. Et quia idem locus beneficio terræ & aquarum multis donis exuberat, nunquàm ibi ex illo tempore defuerunt Christi cultores, & nouellæ ecclesiæ plantatores. Est enim terra fertilis, agris & pascuis abundans, iitrigua fluuiis, & ꝓ inde satis piscosa, & arboribus nemorosa. Multi se in eam operam contulere cum Meynardo, & deinde post illum: in quibus fuit præcipuus Bertoldus abbas de Lucka, Cisterciensis. Meynardus diu consedit in terra, priusquam gentis linguam perdisceret: firmauitq; sibi ab incursione malorũ præsidium in insula fluminis Dune (Kerckholm nunc uocant) arcem, quam modò tenent fratres ordinis Teutonicorũm. Et mortuo uoluntate archiepiscopi surrogatus est Bertoldus. Qui cùm putaret malignos armis potius quàm uerbis subigendos esse, arma contraxit quanta potuit in Saxonia: & apud Celestinum III. Pp. peregit, ut quoniam res Asiæ frigebãt, remissionem peccatorum Cruce signatis in Liuoniam conuerteret. Bertoldus in prælio ferociori equo uectus, inuitus in medios hostes delatus, ibi confossus est. Successit ei Albertus Bremensis canonicus, iuuenis bellicosus, qui per 30. annos Liuones Cruce signatorum opera parere coegit, adeoq; nouus ordo militum [illegible] institutus est: qui tamen, posteaquam milites Teutonici in Liuonia auxiliares uicissẽt, à Teutonico absorptus est. Statim autem ab initio de dominio terræ exortum est certamẽ inter episcopos & fratres Teutonicos ad nostra usq; tempora: cùm ordo non contentus tertia parte prædiorũ (quæ illi initio permissa erat ab episcopis) iam penè duas occuparit, Ecclesiæ uectigalia retinente. Cranzius lib. 7. Saxõn. c. 14.

IOANNES Boemorũm rex, rogatus à Vernero Prussię Magistro Teutonicos, iam olim 26 Othogãdo clientelæ nomine Regibus Boemiæ additos, auxilio destitutos relinqueret cõtra Lituanos gentem impiam, & Prutenis magis quàm aliis uicinis infestam, posteaquã cum principe Poloniæ affinitatem iniisset) oppidum & arcem Dobrinam, præsidiis Polonorũ munitam, ui & machinis expugnauit, ac totã circum regionem cũm Vladislauiensi ditione in potestatẽ redegit, atq; utraq; donauit Magistrum Prussiæ. A quo deinde in Mazouiam deductus, illam facilè subegit, Vanecone Mazouiæ duce se dedente: quem statim etiam cũ Magistro Prussię fœdere coniunxit, duxitq; secum in Lituaniã. Cæterũ quòd nullum precium operæ esset, quamobrẽ diutius ibi moraretur rex, gẽte tam ignaua & infelici despecta, exercitum in Prussiam ad lætiora pascua reduxit, iussis per uiam incendi pagis & uicis (quos etiam rarissimos Lituani habent) dolore uidelicet accensus, quòd alterum illic oculum ex graui & nebuloso aëre amisisset. Dubrauius lib. 20.

Anno 1147. CONRADVS III. Imp. in Saxoniam descendẽs, egit cum principib. de uicinis Vandalis ad iugũ Christi cogendis. In hanc sacram militiam sese armarũt Adalbero archiepiscopus Bremensis, Henricus Leo Saxoniæ dux adolescens, Conradus dux de Saringia, Albertus marchio Brandeburgensis, Conradus comes in Vvitin. Confluxerant ex omni Saxonia (quæ nunc Vestphalia) uoluntarij multi, qui in sacram militiam nomina dederũt. Sumsere autem sacrum uestibus & armis tale signum ☋, hoc insinuãtes, qa crucifixus Dominus rex est super omnem terram. Niclotus Obotritorum princeps, cùm intelligeret expeditionem in se suosq; contribules dirigi, quantum potuit exercitũ adunauit, pro libertate pugnaturus. Sed quàm magnus fuit utrinq; apparatus, tam futilis exitus. Nullo enim insigni prælio commisso, cùm intelligerẽt Vandali se uirtibus impares, suscepere facere imperata. Ea fuerunt, ut accepta Christi religione, Danos, quos ob eam rem crebrò contra se pugnantes ceperant, relaxarent. Cranzius lib. 6. Saxon. c. 11.

Contra Christianos, uel Orthodoxos, uel Heterodoxos.

☞ *Consule Tit. Pontificum qui bellica tractarunt.*

NICOLAVS II. Pp. contra Robertum Viscardũ Cruce signatos excitiuit, pontificię ditioni imminentem. Sigonius lib. 9. regni Italici.

Albiẽsium hæresis fœderat in Comitatu Tolosatium, cui Albij contribuebantur: & finitimas polluerant ciuitates: & Humilium & Pauperum Lugdunensium sectę affingebant & ipsi præcipuam impietatem. Pontifices episcopos sceleratorũ, Ecclesiam cœtum infernorũ uocitabant: matrimonia damnabant: promiscuos cõcubitus, eosq; nefarios, sanctos ducebant. Ad eos sanãdos, si resipiscere possent, missus diuus Dominicus. Neq; uitæ, neq; orationis sanctitate permoti sunt. Ergo sacræ militiæ insignia, Cruxque in eos suscepta, instigante Innocentio, anno 1212. & in militum stipendiũ pecuniam pro pietate quisq; animi cõferebat: illiq; bello dux SIMO Comes à Montefortiũ, cõsensu legatorũ Romanorũ, procerumq; qui ex Italia Galliaq; ac Germania religionis causã cepetãt arma, datus est. Is Biteras primùm copias duxit. Vrbs capta: cædes promiscuè facta. Carcasso recepta, oppidani cum singulis uestimentis abire iussi. In castro Minerua expugnando ingens labor insumtus: ubi sunt inuẽti 1. qui igni cremari uiui, q̃ piè sentire, maluere. Ablij, antequã uis fieret, Simoni portas aperuere. Nihil hostile tunc passi, postea defecere: nec id impunè tulere: capite auctores noxæ luẽre. Vaurũ & ipsum ui captũ: ibi quoq; impij igne traditi, cùm in amẽtia peristarẽt. Præfectus præsidij Almericus magnæ nobilitatis uir resti suspensus: XXC præterea minoris nobilitatis securi percussi. Girarda eius oppidi princeps femina in patẽtem puteũ coniecta, & saxis insuper obruta. Fœdè in hos sæuitum: q̃ & ipsi paulò antè quosdã militum paruo comitatu in castra ad Simonem iter facientes circumuentos occiderant. Carcum expugnatũ: de LX supplicium sumtum. Exin Apistagnum, Galliacũ, Causatum, Fanũ Marcelli, Fanum Antonij, recepta. Cadurci aduenienti Simoni deditionẽ auctore pontifice ciuitatis fecere. Mosacũ diu tenuit. Captum tandem cædesq; amentiũ edita. Anno seq. in summũ discrimen res adducta. Franci alio bello occupabãtur, nec eis uacabat Tolosates impios persequi. Alphonsus rex Tarraconensiũ iuuentutem domesticã armarat, ut Raimundo Comiti Tolosatium opem ferret, socio amicoq; ac propinquo. Cis Pyrenæũ duxit. Circiter CM armatorum in acie aduersus Simonem ne decima quidẽ parẽ constitisse ferunt: & dux & milites cõfessione prius ac sacra cõmunione operati, se cœlesti ope muniuere. Põtifices Tolosatium, Agatensiũ, Lodouensium, Conuenarũ, quos populares sedib. exegerant, in Simonis exercitu erant cũ Dominico sancto uito. Hi non arma gerebãt, non stringebant enses. Dum cõmittitur, dum trahitur prælium. Deũ opt. max. precãtur, pro causa sua stet. Valuerũt lacrymæ: uicit religio: fusa fugata multitudo à paucitate, furor à religione. Comites effugẽre, rex Tarraconensiũ cecidit Tolosates maximè cladem sensere, nulla propè domo cladis expertę. Gladio multi, flumine plures, dũ omnia minus quàm hostẽ timẽt, dum per medios gurgites euadere conantur, abtumti. Plus XXM desiderata: cæteri armis exuti. E nobilitate unus omnino interiit, cum paucis admodũ, atq; his neq; sanguine neq; uirtute inclytis. Vtq; præclarè uicerat Simon, ita nõ segniter victoria usus, bellũ circũtulit: oppida circumuicta cepit: præcipuè in Agenensiũ & Ruthenorũ finib. non parua nec pauca in ditionẽ redegit: non q̃ omnia illa impiè sentirent, sed ne iuuare impios possent. Lateranensis cõcilij decreto ius Comitatus Tolosatiũ Simoni dono datum est ob recentẽ memoriã meritorũ, & in futurũ spem. Is ad regem Francũ profectus, eius Comitatus nomine se beneficiarium professus, Biteras reuersus, conuentũ ea in urbe totius regionis habuit. Nemine decretis sacri cõcilij refragari ausu, in uerba sua gentem sacramento adegit, atq; fide deuinsta iussit Carcasonẽsibus, Tolosatibus, Narbonensib. intra certam diem muros urbiũ suarum deiicerent, fossas explerent. Id indignũ miserũq; uisum. Parebant tamen, caput Simonis execrãtes: manib. suis patriã muris nudare incipiunt, omni iniuriæ oportunos se ipsi faciẽtes. Nec id extremũ malorum uisum. Simo & quia sumtu belli exinanitus erat, & quò miseriis multiplicięq; malo affectos perdomaret, ingentem pecunię uim circũmissis coactorib. exegit. Aemil. lib. 6.

Ioannes Hussus Boemiã à Rom. Pp. obedientia uoce scriptoq; auerterat, & Vencesłao imperante suum dogma latissimè sparserat. Quod cùm rex armis euertere conaretur, Hussitis quoq; arma arripiendi necessitas fuit imposita, præsertim cùm Ioannes & Hieronymus Pragensis in Cõstantiensi cõcilio publicè exusti essent. An. 1431. SIGISMVNDVS Imp. magnum egit Norimbergę conuentum principum utriusq; ordinis. Conuenerant cò frequentes archiepiscopi, episcopi, duces, marchiones, & omnes penè regni principes: qui adesse non poterant, misẽre oratores. Misit cõdem papa Iulianum Cæsarinum cardinalem, cum plenissima remissione, ut in proximam æstatem generalis fieret expeditio in Hussitas: inq; eam rem cruciata prædicaretur indulgentia. Confessores statuuntur cum omnib. casibus, etiam papæ reseruatis, ad omnes qui se Cruce signarent ad militiam, aut quemuis pro se mitterent, aut de suis facultatib. contribuerent. Magno conatu res incoata, parũ lætos habuit exitus. Cranzius lib. 11. Vandal. c. 23. Nam Io Zischa licẽt cæcus Sigismundũ Electorũ Germaniæ copiis subnixũ profligauit, cũ Procopius eques Boemus prouinciã Moraniæ tueretur cõtra Sigismundũ. Fridericũ Marchionẽ Misnensem ad Aruschã urbẽ ingẽti prælio, cæsis 9. millib. superauit. Pragẽses à se deficiẽtes, & Vitoldũ Lituaniæ ducẽ pro rege postulãtes, coẽrcuit. Eo mortuo, diuisi sunt Hussitæ in factiones. Alij Procopiũ Magnũ sequebãtur: alij cũ nullũ ducẽ Zischæ parem futurũ arbitrarentur, sese Orphanos dixere. MARTINVS interea Pontifex, Cardinalẽ Vintoniense in Germaniã misso, Saxoniæ duces, Marchionẽ Brãdeburgẽsem & Othonem Treuirensem archiepiscopũ, tribus exercitibus contra

Boemos

Boemos excinit. Sed quamprimum Thaboritas aduentare audiuerunt, turpi fuga sibi consuluere. Cùm is conatus malè cessisset, Iulianus Cardinalis S. Angeli missus ut Concilio Basiliensi præesset, nouam contra Boemos expeditionẽ instauraui, Friderico Marchione Brandeburgensi exercitui præfecto, in quo supra 40. millia equitum fuisse traduntur, peditum minor numerus. Sed totis castris trepidatum, fuga turpissima orta, nec uel minis uel precibus milites retineri potuere. Euocati ad concilium Boemi comparuere: sed dum auctoritate solius Scripturæ se tuentur, Patrum traditiones contemnũt, re infecta discessum. Missi à Concilio oratores in Boemiam, cùm nobilitatem à plebe distraxissent, inuictos exteris armis Boemos intestino bello pessumdedẽre. Quoad Georgius Pogiebrachius regni gubernator, & mortuo Ladislao rege successor factus est. Aeneas Syluius in Boemia.

298 93 131

LIBRI QVARTI TITVLORVM DISPOSITIO.

- Generatim. ETHNICORVM *religio uniuersim considerata.* Hic *Ethnicismi*
  - *Κτῆσις, quo ad* ⟨ *Λόγῳ.* / *Φυσικῷ.* ⟩
  - *Χρῆσις.*
- ETHNICI, *extra septa diuisionis traditæ religionis multifariã aberrãtes, considerandi*
  - Specie, *ratione habita*
    - Personarum. ETHNICORVM *religio respectu personarum cõsiderata, quoad societatem*
      - Communem *ergà Rempublicam*
        - Præsunt: Sacerdotes:
          - Doctores.
          - Qui, *v. g.*
            - Populi. Reges.
            - Latrones.
            - Virgines, *Mulieres.*
          - Quibus *diis dicati. Sacerdotes*
            - Palladis. Dianæ. Cybeles.
            - Herculis. Vestæ.
            - Isidis. Furinæ. Palatij.
          - Quorum *populorũ: v. g.*
            - Indorum. Aegyptiorum. Græcorum. Germanorum.
            - Roma *nostra ratione habita officij.* Hic
              - Pontifices. Reges *sacrorum.* Salij. Flamines.
              - Augures. Epulones. Fœciales. Aruales.
              - Vestales. In his *Sacerdoty*
                - Susceptio.
                - Exercitatio, *in*
                - Genere
                - Officiũ. Honores.
                - Priuilegia.
                - Castitas. Pœnæ.
                - Specie, *quæ fuerint.*
                - Depositio.
          - Quo habitu.
        - Subsunt.
      - Priuatam *inter se.* Ordines *certo uoto adstricti*
        - Apud *quos, pulsi*
          - Indos.
          - Romanos.
        - Quomodo.
    - Rerũ *siue cultus considerati secundũ*
      - Materiam *siue Obiectum. Vide signum I.*
      - Instrumentum. RELIGIO *Ethnicorũ cõsiderata respectu* INSTRVMENTI. *Sic colunturdij per*
        - Vota.
        - Orationes, *Preces respectu*
          - Finis. *Cur orationes susceptæ. Causa*
            - Boni
              - Impetrandi.
              - Impetrati, *Gratias agendi.*
            - Mali *deprecandi.*
          - Pro *quibus.* Quomodo.
        - Alimentorum
          - Vsum.
          - Abstinentiam.
        - Vestitum. Carceres.
        - Amicitiam
          - Sacram.
          - Oeconomicam. *Coniugium.*
      - Formam *siue Modum quo dij coluntur. Vide signum II.*

- I. ETHNICORVM religio considerata respectu MATERIAE sive Obiecti
  - Primarij, quatenus summa qualificatione
    - Coluntur. v. c.
      - Venus. Hercules.
      - Nænia.
      - Fortuna.
    - Colunt. Puta
      - Persæ. Græci.
      - Romani.
      - Sclaui.
  - Secundarij, quatenus coluntur
    - Inanimata. v. g.
      - Animata. Colunt.
        - Homo
          - Viuus. Sic coluntur
            - Sacerdotes.
            - Vates.
          - Mortuus.
        - Brutum.
      - Sacrificiorum. TEMPLORVM cultus: quoniam uel
        - Posita. Hominum
          - Extructio. Dedicatio.
          - Cultus, respectu
            - Ingressus.
            - Aditus prohibiti, Sacrificiorum.
        - Nulla.
      - Loca, tum
        - ORACVLORVM
          - Certorum, siue
            - Deorum. puta
              - Iouis. Apollinis. Mercurij. Bacchi. Herculis. Aesculapij. Podalirij. Amphiarai. Trophonij. Orphei. Epaphi. Apis. Serapis. Aridali.
            - Dearum. v. c.
              - Terræ. Fortunæ. Cereris. Latonæ. Isidis. Inûs. Pasiphaes. Daphnes. Nympharum.
          - Incertorum.
        - Tempora FESTA. Festi dies religiosi, respectu
          - Coluntur, Deorum scilicet. Sic Festa dicata
            - Saturno. Iouí. Iunoni. Neptuno. Veneri. Marti. Mercurio. Cereri. Baccho. Palladi. Soli. Herculi. Vertumno. Genio.
          - Personarum, quæ
            - Colût, ratione habita
              - Gentis. Festa
                - Aegyptiorum. Assyriorum. Persarum. Spartanorum. Athenienſium. Romanorum.
              - Habitus. Festa
                - Stultorum.
                - Pastorum.
                - Rusticorum.
              - Sexus. Festa
                - Virorum.
                - Mulierum, Matronarum.
              - Libertatis. Festa
                - Seruorum.
                - Liberorum.
          - Modi seu Formæ. Respectu eorum quæ fiunt
            - Ante festum.
            - In festo.
              - Otium. Lætitia, Conuiuia, Choreæ.
              - Certamina, Cædes.
              - Direptio.
            - Post.
          - Finis. Festa instituta, suscepta, causa
            - Memoriæ præteritorum.
            - Consecrationis, Inaugurationis.
            - Diuinationis. Fructuum.
            - Expiationis, Lustrationis.
          - Temporis. Festa
            - Vnius diei.
            - Plurium dierum.
      - IMAGINES, Sunt sacra, Ethnicorum aliqui
        - Non admittunt.
        - Admittunt, colûnt. Sic considerantur respectu
          - Deorũ, qui colûntur
            - Quorum. Puta
              - Iouis. Iani.
              - Proserpinæ.
              - Angeroniæ. Fortunæ.
            - Quæ, qualia: respectu
              - Materiæ.
              - Formæ.
          - Hominum, qui ea colunt. puta
            - Aegyptiorum.
            - Germanorum.
            - Moscorum, Russorum. Tartarorum.
          - Modi ipsius cultus, quo ad
            - Κτῶσιν, quatenus φυλακτὸν.
              - Fiunt.
              - Rapiuntur.
            - Νεῦσιν, quatenus coluntur
              - Ornatu.
              - Sacrificiis.
              - Pompa. Stupro.
      - MONVMENTA, Sepulcra.
      - RELIQVIAE.
      - ARMA. VASA.
      - DONARIA.

II. ETHNI

- II. ETHNICORVM religio considerata respectu FORMAE sive Modi sive cultus tum
  - PRIMARII, qui ipsi Deo applicantur. Huc pertinet
    - SACRIFICIA considerata
      - Fides. Deuotio.
      - Vniuersim, Quæ, Qualia Sacra fuerint, respectu
        - Deorum, In quorum honorem fiunt v. c.
          - Iouis. Mineruę. Vulcani. Cereris. Herculis. Panis. Vestæ. Fidei. Carnæ. Termini. Manium.
        - Hominum, à quibus instituta uel obita: ratione habita
          - Gentis. Sacra
            - Græcorum. Scytharum. Sclauorum.
          - Sexus. A
            - Viris.
            - Mulieribus.
          - Professionis. Puta à
            - Rusticis.
            - Fabris.
        - Materiæ. quo ad
          - Victimas. Sic sacra quædam
            - ἔνναυμα.
            - ἐνναμα.
          - Libationes. Sic quædam sacra
            - ἀσπονδα.
            - ὑποσπονδα.
          - Suffitus.
        - Modi. Sacra
          - Aperta.
          - Occulta.
        - Finis. Sacra
          - Grata.
          - Expiatoria, Lustratoria. Puta
            - Vrbis lustrandæ. Concionis purgandæ.
            - Agrorum. Pecudum. Insularum expiandarũ.
            - Exercitus. Classis lustrandæ.
          - Initiatoria. Supplicatoria.
      - Singillatim, secundùm Partes & Accidentia sua, in locos uarios duci possunt. Vide sig. III.
    - Pompæ, LVDI Sacri considerati secundùm
      - Totum:
        - Quibus dîis sacrati. Puta
          - Ioui. Iunoni. Rheæ. Apollini. Cereri. Mineruæ. Neptuno. Palæmoni. Marti. Baccho. Herculi. Archemoro. Inferis, Manib.
        - A quibus culti. Huc ludi
          - Græcorum. Athenienſium. Romanorum.
        - Quales. Nempe
          - Incruenti.
          - Cruenti.
        - Cur, qua occasione. Causa
          - Voti. Funeris.
          - Libertatis adeptæ.
        - Vbi.
        - Quando. v. c. Ludi
          - Quinquennales.
          - Seculares.
      - Personæ: uidelicet
        - Præfecti. Agonothetæ. Iudices.
        - Ministri. Præcones.
        - Ludiones. Spectatores.
      - Res. Puta
        - Genus ludi.
        - Præmium.
      - Partes. Sic occurrunt
        - Antè, quo ad
          - Res necessarias procurandas.
          - Personas. Sic
            - Iudices deliguntur.
            - Spectatores
              - Inuitantur.
              - Censentur. Aliqui
                - Admittuntur.
                - Nõ admittuntur.
            - Ludiones ipsi & Athletæ exercentur.
        - Modus, nempe quæ
          - In Huc pertinent
            - Sacra. Vnde
              - Pompa ludorum.
              - Sacrificia.
            - Agon. Sic
              - Ludiones
                - Sortiuntur.
                - Congrediuntur, certant.
              - Agonothetæ. Spectatores.
        - Pòst fiunt. v. c.
          - Iudicium, Sententia. Corona, ἄθλον.
          - Dimissio. Conuiuia.
          - Deductio. Triumphus.
  - SECVNDARII, qui ad Hominem referuntur, propter Deum: & uel ad
    - Seipsum. Religiosa
      - Consultatio. Oraculorum inquisitio.
      - Confessio.
      - Pœnitentia.
    - Alios. v. g. Religiosa
      - Correctio.
      - Defensio.

- Essentialia, respectu scilicet Sacorum
  - Materiæ
    - Vniuersim: eorum quæ offeruntur
      - Ortus. Huc pertinent
        - Ver sacrum.
        - Primitiæ.
        - Decumæ.
      - Gratia. Aetas. Sexus.
      - Numerus. Offeruntur
        - Vnum.
        - Plura.
      - Ordo.
    - Specialiter. Vt scilicet offeruntur
      - Animalia, respectu speciei considerata. Cuius sunt generis
        - Coturnices. Galli. Pisces.
        - Boues. Capræ. Sues.
        - Cameli. Equi. Asini. Muli.
        - Canes. Homines.
      - Crines. Sanguis. Lac. Stercus. Oua.
      - Vegetantia. Nempe
        - Cerealia.
        - Legumina.
        - Allia. Papauera.
      - Mel. Vinum. Thus. Rami arborum.
      - Sal. Calculi. Spolia, Arma. Phiala.
  - Formæ, ea quæ
    - Antè fiunt. Præparatio
      - Personarum.
      - Animalium.
    - In ipso sacro. Tum in
      - Genere.
      - Specie. Cuiusmodi est respectu
        - Personarum
          - Adoratio. Preces.
          - Dicta. Maledicta. Mores. Musica.
          - Cursus. Verbera. Pugna.
        - Rerum. Victimæ
          - Situs. Perfusio. Cædes.
          - Diuisio. Inspectio. Coctio.
          - Cometio. Abiectio. Excustio.
    - Post fiunt. ut est
      - Adhortatio.
      - Dimissio.
  - Efficientis tum
    - Principis, qui præest uel adest sacris quo ad
      - Animum: putà
        - Initiati.
        - Scelerati.
      - Corpus, secundùm
        - Sexum.
        - Sanitatem. Integri, Mutilati, Morbo affecti.
        - Habitum, Vestitum.
      - Fortunas, secundùm
        - Libertatem.
        - Existimationem.
        - Patriam: Peregrini.
        - Officium.
        - Calamitatem.
    - Instrumentalis. Huc
      - Ignis. Ligna sacrorum.
      - Arma. Vasa.
      - Fercula. Vtpote
        - Canistra.
        - Phalli.
        - Faces.
  - Finis. Sacra instituta causa
    - Mali amoliendi. Sacra expiatoria, Lustralia.
    - Boni consequendi. Putà causa
      - Auxilij ab hominibus.
      - Salutis, Sanitatis.
- Accidentalia, quo ad
  - Locum. Vt sunt
    - Templa.
    - Aræ
      - Nullæ.
      - Extructæ.
      - Cultæ.
  - Tempus.
  - Precium, Sumtum.

III. In sacrificiis cõsideranturque dam

Volu-

Voluminis Vigesimiseptimi Liber IV.

De Ethnicorum Societate religiosa.

ETHNICORVM SOCIETAS RELIGIOSA IN GENERE CONSIDERATA. Quoad

KTHCIN.

INVENTIO, INSTITVTIO.

Vide Tit. Superstitionis Inuentores.

IANVS in aureo seculo, ubi uictum sponte nascentia præbebant, aut in diem uictus quærebatur uenatu, primus uinum & far docuit, ad sacrificia & religionem magis quàm ad esum & potum: primus aras, pomœria, & sacra docuit: & ob id illi in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur. Q. Fabius Pictor de Aureo seculo & origine urbis. Macrob. lib. 1. cap. 9. ex Xenone de reb. Italicis.

Aegyptij de Priapo scribentes, olim Titanas aiunt, Osiride ab se dolis interfecto, corpus eius in æquas partes diuisisse: nisque domo clam elatis, partem pudendam in flumen, cùm singuli eam respuerent, abiecisse. ISIDEM postmodùm ultam uiri mortem, Titanibus occisis, uiri corpus inquisiuisse, partesq; repertas cùm in formam hominis cõposuisset, sacerdotibus tradidisse sepeliendas: utq; ueluti deum Osiridem colerent, imperasse. Sola pudenda ex Nilo eruta, pro deo coli, inq; templo suspendi iussit. Diod. lib. 4. cap. 1.

Veteres uti uictu, ita & sacrificiis frugales fuere. Primus HYPERBIVS Martis filius animal occidisse, PROMETHEVS bouem dicitur. Cæl. lib. 12. cap. 1. Antiq. Lect.

Apud Thebas Bœotias PROMETHEO, eiusq; filio Aetnęo, hospitibus suis Ceres depositum nescio quod tradidit, & initia docuit, quæ postea Cabiræa sunt dicta, quoniam homines illi Cabiri dicebantur. Pulsis autem Cabiræis, cùm Epigoni Thebas expugnassent, initia diu intermissa sunt, donec Pelarge Potnei filia cum Isthmiade uiro suo ea restituit. Religio inde Cabirorum longè latesq; per Græciam uniuersam innotuit. Pausan. in Bœoticis.

ETEOCLEN Bœoti primùm omniũ Gratiis humana hostia fecisse. Ac tres quidẽ religione sanxisse norunt omnes: quæ uerò eis nomina indiderit non meminerũt. Pausan. in Bœoticis, ubi plura de Gratiis, earum numero & nominibus.

ORPHEVS sacra Liberi patris primus in Græciam introduxit, quæ Orgia uocabantur, quo nomine, teste Seruio super 4. Aeneidos, olim apud Græcos omnia sacra dicebantur, quemadmodum apud Latinos cæremoniæ. Polyd. lib. 1. ca. 5. de rerum Inuent.

Sacra Eleusinia in honorem Eleusiniæ Cereris EVMOLPVS primus instituit, prohibuitq; ne aduenam quenquam initiarent: unde propter Herculem admitti petentem, cui sacra denegare nõ licebat, Eleusinij nouum mysteriorum genus sanciuerunt, ac parua nuncuparunt: quę Aristophanis commentario ὅσαις πρὸ κάθαρσις καὶ προάγουσαι τῶν μεγάλων ἀγῶνες. Et hæc quidem mense fortassis Nouembri, magna Augusto non Iunio celebrabantur, ut refert Plutarchus in Demetrio. Brodæus in 1. Epigram.

MELAMPVS Amythaonis F. Græcis Dionysij nomen & sacrificium, & pompam phalli enarrauit, edoctus nimirum à Cadmo Tyrio, aliisq; Phœnicibus, qui in Bœotiam uenerant: Cadmus autem ab Aegyptiis hæc habuit: nam pleraq; nomina deorum ex Aegypto uenerunt. Herod. lib. 2.

CECROPS rex Athenienſium, Iouem primus cognomine supremum appellauit, nihilq; uita prędितum ei immolandũ duxit, sed liba tantùm patria, Pellanos Attici uocant, ad arã porrici sanxit. Pausanias in Arcadicis.

EPHIALTES & OTVS, Aloei filij, primi omniũ sacra Musis fecerunt, & iisdem Heliconẽ Bœotiæ prope urbem Thespiã montem consecrarunt: qui etiã Aseràm condiderunt. Hi autem Musas numero tres religione sanxerunt, Meletẽ, Mnemen, Aœden, hoc est, Meditationem, Memoriam & Cantionem. At postea Pierus Macedo cùm Thespias uenisset, nouẽ nominibus Musas coli instituit, cùm filias nouem haberet de Musarum nominibus appellatas. Pausan in Bœoticis.

HERCVLEM Alcmenæ filium tradunt Ioui porricientem in Olympia, cùm muscas abigere non posset, Abactori muscarum, ἀπομύιος Elei appellant, hostiam mactasse: cumq; perlitatum esset, omnes repente muscas trans Alpheum euolasse. Inde seruatum ab Eleis, ut ad abigendas ex Olympia muscas, idem sacrum usurparetur. Pausan. lib. 5.

NVMA instituit deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque (ut auctor est Hemina) far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo, nõ esse purum ad rem diuinam nisi tostum. Is & fornacalia instituit, farris torrendi feriae, & æquè religiosas terminis agrorum. Hos enim deos tunc maximè nouerant, Seiamque à serendo, Segestam à segetibus appellabant, quarum simulacra in Circo uidemus. Tertiam ex iis nominare sub tecto religio est. Ac ne degustabant quidem nouas fruges aut uina, antequam sacerdotes primitias libassent. Plin. lib. 18. ca. 2. Videtur idem cùm cætera sacrorum sapientissimus fuisse præceptor, tum præclarè sanè ad religionem hoc constituisse. Nam cùm magistratus & sacerdotes quid rei diuinæ fãciunt, antecedens præco magna uoce clamat, Hoc age: qua uoce rebus diuinis iubent intentos esse, neque ullo opere eas uel negotio interpellare: quòd pleraq; mortalium coactu quibdammodo & ui efficiantur. Plut. in Coriolano.

IDEM Romanos prohibuit existimare imaginem dei, aut hominis speciem, aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos neq; picta, neq; ficta dei priùs species: sed in prioribus centum & septuaginta annis templa quidem ædificabant, sacraq; tuguria erigebant, simulacrum uerò nullum corporeum dicabant. Perinde atq; nefas esset, deterioribus meliora assimilare, neq; aliter atq; intelligentia deus percipi posset. Plut. in Numa. Eadem apud Clementem, ut Eusebius Cæsariensis refert, & Dionysium Halicarnasseum, qui ait, templa esse à Numa diis erecta. Negat tamen simulacra in his fuisse ulla, quòd deum nulla specie formáue effingi posse crederet.

TARQVINIVS Priscus, uanitate & stultitia Græcarũ religionũ Etruscarũq; domi imbutus, Romanos edocuit simulacra diis ponere: quẑ Tertullianus subsignificat, inquiẽs: Age iam rebus religio profecerit. Nam & si à Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res diuina apud Romanos constabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, & uasa adhuc Samia, & nidor ex illis, & deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuscorum fingendis simulacris urbem inundauerant. Viues in lib. 4. de Ciu. Dei, cap. 31.

MARICVS quidam è plebe Boiorum, qui tempore C. Iulij Cæsaris Heduorum finibus inserti erant, prouocare Romana arma simulatione numinis ausus est: iamq; adsertor Galliarum, & Deus (nomen id sibi indiderat) collectis octo milibus hominum, proximos Heduorum pagos trahebat. Sed Hedui ope Romanorum fanaticam multitudinem discecẽre. Captus in eo prælio Maricus, acmox feris obiectus: quia non laniabatur, stolidum uulgus inuiolabilem credidit,

didit, donec Vitellio Cæsaris duce inspectante interfectus est. Auentinus lib.1. Annal. Boiorum.

CONSERVATIO.

A GALLIS urbe capta, postquam eam restaurari placuit, non etiam ad Veios transmigrare: Tribuni militum Consulari potestate cùm primùm magistratum iniissent, nulla de re priùs, quàm de religionibus Senatum consuluerunt. In primis fœdera ac leges (erant autem hæ, duodecim Tabulę, & quædam Regiæ leges) requiri, quæ compararent, placuit: alia ex eis edita etiam in uulgus: sed quæ ad sacra pertinebant, ea decreto Senatus & à Pontificibus maximè, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa sunt. Liuius Dec.1. lib. 6.

ETHNICORVM RELIGIO CONSIDERATA SECVNDVM PERSONAS. Huc pertinent Ethnicorum

QVI SACERDOTES. PVTA

POPVLI.

Fusis ad Platæas Persis, aduocata concione communi Græcorum, rogationem tulit Aristides, ut descriptio fieret inter Græcos ad bellum cum Persis gerendum decem millium clypeatorum, mille equitum, nauium centum: PLATÆENSES sacrosancti essent, immunesq; ad sacra deo ,p Græcia facienda relinquerentur. Plut. in Aristide.

REGES.

Olim REGES plæraq; & præcipua sacra faciebāt, ac rebus diuinis ipsi cū sacerdotibus operabantur. Vt uerò insolescere cœperunt, arrogantesq; & duri esse, plæriique Græci detracto eis imperio solùm sacra faciendi diis facultatem reliquere. Plut. in quæst. Rom.

REGES Spartanorū, quum primùm in eam assumti sunt dignitatem, priuilegio honoris præcipui, Iouis Cœlestis & Lacedæmonij sacerdotio funguntur: quibus ex omni ferosarum fœtu porcus debebatur, ut si diis immolare uellent, nunquam uictima deesset. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 8.

Ex Cæsaribus C. IVL. Cæsar auguratum simul & pontificatū, GALBA autē sacerdotium triplex gessisse dicitur.

Anno Domini 505. PRVTENIS siue Vlmigauis rex quidam Bruteno dictus imperauit: qui cùm iusto s annos ætatis cōsecutus esset, quietam uitam ducere instituens, fratrem Verdenutū successorē sibi in regno fecit: ipse summus sacerdos effectus est, nomenq; ei dignitatis inditū fuit, Kirie Kitieyto, quasi dicas, proximus noster Dominus. Huic Pontifici suo Pruteni præclaram ædem sub quercu quadam erexerunt, locoque Romanæ à Roma nomen indiderunt. Guagninus in Prussia.

LATRONES.

CLEON latro & sacerdos Iouis Abretanij. Vide Titulum Latrones.

VIRGINES, MVLIERES.

Vide infrà, Tit. Romanorum Vestales.

In POLIADIS Mineruæ templo, multa religione inclyto, uirgines assiduè fuisse, & lychnum inextincti luminis ac Palladium custoditisse, legimus apud Alexandrum ab Alexandro libro 5. capite 12.

Apud ASSYRIOS Dianæ Ecbatanæ templum fuit, quam Anaitim uocant, cuius sacerdotes procul à utili congressu in perpetua uirginitate degunt. Ibidem.

Apud DELPHOS ignem peruigilem à mulieribus custoditi, quæ matrimonio solutæ erant, testantur scriptores. Quòd si quando extinguebatur, ex solis flamma peregrinum eliciebant. Ibidem.

EPHESI earum, quæ sacratę Dianæ sunt, unaamquamq; mulierem primitim μεγάλην, quasi designatam sacerdotē, hinc hieren, id est, sacerdotem, tertiò parierem, quasi defunctam sacerdotio nominant. Plut. an Seni tractanda resp.

QVORVM DEORVM SACERDOTES. VTG.

PALLADIS.

Apud PEDASIOS Palladis sacerdos sacram barbam nutrire cogitur, neq; erasa incedere fas erat. Alex. lib. 2. cap 8.

DIANÆ.

Ephesiæ Dianæ sacerdotes eunuchi erant, qui MEGALOBYZI dicebantur, ac semper aliqui accersebantur digni tali præfectura, & in honore maximo habebantur. Cum his uirgines aliquas sacras esse oportebat. Strabo lib. 14.

ESTIATORES & ESSENÆ, id est, epulones & sodales dicebantur, quibus Ephesiæ Dianæ sacra olim committebantur, feminæ simul & uiri tum reliqua propinquitate, tum etiam matrimonio coniunctæ, uictus ratione diuersa à reliquo populo per annum integrum, ita ut neque in priuati alicuius hominis ædes pedem eo tempore inferrent. Pausanias in Arcadicis.

XPHCIN.

QVI. VTPVTA

Consultantes, Senatores.

ATHENIENSES omnibus publicis conciliis mantes sacerdotes, qui sacra facerent, adhibebant. Alex. lib. 4. cap. 11.

CHARONDAS Locrensis, ut consultantes agēteisq; aliquid à diis sumant auspicia, suis legibus sanxit. Optimum enim est, ut paroemia fert, Deum causam & auctorem esse illorū omnium. Stobæus Sermone 42.

AVGVSTVS Cæsar, quò lecti probatiq; Senatores & religiosiùs & minore molestia senatorio munere fungerentur, sanxit, ut priùs quàm consideret quisquā, thure ac mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur. Sueton.

CYBELES.

GALLI sacerdotes Matris deūm (quæ & Ops dicitur, & Cybele) erant castrati: sic dicti à Gallo uetusto Phrygiæ flumine, cuius aquam potantes in insaniam uertūtur. Pomp. Lætus.

Cybelis sacerdōs uariis coloribus fucatus, & faciem pigmento delitus, oculosque obunctus, cum mitella & crocoto, lineo calcamento, ante simulacrum deæ incedebat, & cum tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum sacrum faciebat. Alex. lib. 2. cap. 8.

CYBELIS sacerdotes flagrū ferebāt, iidemq; iuxta Sueuos formas aprū, quo insigni ab hostib. tuti erāt. Alex. lib. 2. c. 8.

HERCVLIS.

STEPHANOPHORI Herculis sacerdotes erant apud Græcos, quibus ferre coronam & comam promissam propriū erat. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. & lib. 2. cap. 8.

Post urbem conditam Romulum urbis auctorem sacra Graeco Herculi, ara illi erecta, quæ maxima dicta est, (ut ab Euandro constituta erant) fecisse, eaq; posteris mansisse, literis proditum est. Quæ ara ante Romulum religiosissima fuisse traditur, eamq; ipsum Herculem Ioui inuentori, si amissas boues reperisset, dedicasse fama uulgauit. Hoc enim sacrum Euander instituit primus post Marathonios, qui primi diuinos honores Herculi dedere: POTITIIS & PINARIIS, qui ex clarissimis familiis ea loca incolebant, ad sacrum adhibitis. Verg. in Aeneide inquit, Et domus Herculei custos Pinaria sacri. Quidam aram maximam, cùm uicino flagraret incendio, libertam à Pinariis seruarit: & ideo sacri custodem domum Pinariam diuisse Vergilium, κρατεῖν ἔθος σοφίᾳ Potitiorum, qui ab Appio Claudio pecunio corrupti, sacra seruis publicis prodiderunt. Sed Veratius Pontificalis in eo libro, quem fecit de Supplicationibus, ita ait: Pinariis qui nouissimi comesto prandio uenissent, cùm iam manus pransores lauarent, præcepit Hercules, ne quid postea ipsi aut progenies ipsorum ex decima gustarent sacranda sibi: sed ministrandi tantummodo causa, non ad epulas cōuenirent. Quasi ministros ergo sacri custodes uocari à Vergilio. Macrob. lib. 2. cap. 6. Satum. Potitij, eorumq; posteri, ab Euandro edocti, multis pòst tempestatibus annuitites tēpli, sacris & cæremoniis præfuere: donec sublata Potitia gēte, seruis publicis tradita sunt. Appius enim Claudius censor, sublato Potitiorum genere, cui ad aram maximā familiare id sacerdotiū fuit, seruis quos docuerat sacra delegauit. In quo id traditur miū, ut triginta puberes, qui reliqui Potitiæ familiæ manserant, cum omni stipe intra annum extincti fuerint: ipseque Appius huius auctor facinoris, ob hoc admissum in extremum uitæ exitium penè lapsus sit: & siue casu, siue consilio deorum immortalium, luminibus orbatus, calamitosam uitam egerit. Alex. lib. 2. cap. 14.

VESTÆ.

Vide Romanorum Vestales.

ISIDIS.

ISIACI, linea stola amicti sunt, capite raso, calceis papyraceis, sistrum tenentes, aut ramū absinthij marini, uel nuces pineas & Anubim supra caput deferentes. Alex. lib. 2. c. 8.

FVRINÆ.

FVRINALIS sacerdos Furinæ deæ, cui Romæ rem diuinam curabat. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12.

PALATVALIS.

PALATVALIS Romanorum sacerdos, qui illi deæ, in cuius tutela Palatium erat, sacra faciebat. Alex. lib. 6. cap. 12.

QVARVM GENTIVM SACERDOTES. Vtputa

INDORVM.

Indorum BRACHMANES sacerdotes, artes Mathematicas & Philosophiam colunt. Religionem singulari artificio simulant, & in specie fictæ pietatis fraudes insignes in omni uita suscipiunt. Reliqui Malabares eorū doctrinis instituti, portenta uenerantur. Osorius lib. 2. rerum Emmanuelis.

In AME-

In AMERICA, antequam Hispani illa potirentur, sacerdotes ieiunia maxima, preces, & supplicationes celebrasse cōstat: labaris idola circumgestasse, eorumq; honores decantasse: tum occupatos à spiritibus malignis res mirabiles pronunciauisse. Illis uxores non erant, præterquàm iis, qui pecata audiebant, pœnitentiam imperabant, & confessionem sub graui pœna non audebant retegere. Omnes persæpè ieiunabant, maximè si quando facienda messis, aut bellum, aut deus ipsorum, id est, diabolus consulendus. Vt autem uehementiùs raperentur, oculos occludebant aut eruebāt sibi, cùm sacrificandi essent homines & omne genus animalia idolis suis: multa puellarum habebant monasteria, quas homines castrati naso, labiisque præcisis, asseruabant, indicta aduersus incestam capitali pœna. Qui ambibant sacerdotium, cum sacerdotibus se in syluas albis uestibus indutos abdebant, ubi annos quatuor aut quinq; transigebant. Hoc facto, cum literis testimonialibus (syllabas Imperatores uocant) ābire solebant. Maximum deum adorabant Solem, quem uocabant Guaca, & Paniacana Solis & Lunæ filium. Bodinus lib. 1. Dæmonomaniæ.

AEGYPTIORVM.

THEBIS Aegyptiis Ioui, quem præcipuè colunt, uirgo genere clarissima, & specie pulcerrima sacratur, eas Græci Palladas uocant. Hæc pellicis more cum quibus uult coit, usque ad naturalem corporis purgationem. Post purgationem uiro datur. Sed prius quàm nubat, post pellicatus tempus, ut mortua lugetur. Strabo lib. 17.

GRÆCORVM.

DELPHIS quinq; pontifices per omnem uitam sacri erant, qui Osij dicti. Quorum primus qui hostiam immolabat, Ositer: qui uerò edebat oraculum, Aphetor nuncupati sunt: qui unà cum prophetis sacra obibant, diuinasq; prædictiones & cæremonias, & quo cultu, quibusque exemplis fierent sacra, prædicebant. Apud ATHENIENSES Daduchus maximus erat sacerdos: Palladis ETEOBVTADES, à Bute propagati, ex qua familia longo tempore sacerdotio præfuere: sicut BVZYGIA familia à Buzyge heroe, qui Athenis diu sacerdotium tenuit. CLAZOMENIIS Palladis sacerdos, Hesychia: Bacchi uerò, Thyas nomen habet. Polici Iouis sacerdos, Buphonus: in Troezene, Hippolytus nūcupatur. Apud CRETENSES matris magnæ sacerdos, Melissa. Alex. lib. 2. cap. 8.

Timoleon Corinthius, cùm Syracusas à Dionysij tyrannide liberasset, instituit magistratum honoratissimum annuum, quem Syracusani Iouis Olympij famulatum appellabant. electusque est primus CALLIMENES famulus Olympij Iouis, & ita deinceps is honor per manus traditus est: annique à magistratu eiusmodi adnotati fuerunt usque ad rempora, quæ mutationis Reipub. initium fuerunt sub Romanis: tunc enim magistratus iste, qui annos plures 300 duraerat, abolitus est. Diodorus lib. 16.

COMANORVM.

Apud Comana Ponti urbem Anaitidis deæ sacerdos diadema gestabat, & secundus erat in honore post regem. Pompeij huic cēplo ARCHELAVM sacerdotē præfecit, & sexaginta stadia regioni adiecit, cui sacri serui fuerunt sex millia. Archelaus filius fuit eius, quem Sylla & senatus in honore habuerunt: & qui Mithridatis Eupatoris se filium essingens, Ptolemæi regis Aegypti filiam duxit uxorem, & à Gabinio postea in prælio interemtus est. LYCOMEDES post Archelaum sacerdotiū accepit, & eo sublato CLITATVS Adiatorigis filius: quem Augustus cum patre in triumphum duxit. Strabo.

ROMANORVM. VT SVNT

Pontifices: iique uel

Maximi.

Non sordidum neque obscurum apud ueteres olim nomen PONTIFICVM fuisse traditur. Nam quum inter sacerdotia à Numa instituta, ipse se pontificem inprimis, ut uerò alij, Martium M. filium ex patribus legisset, postea interfectis temporibus, collegium pontificum ad quatuor, mox à tribunis plebis rogatione promulgata, ad octo auctum fuit: manstitq; hic numerus longo ęuo inuiolatus, donec L. Sylla ad quindecim collegium ampliauit. Inter quos maximus pontifex, genere & dignitate præcipuus erat, & aliorū longè princeps. Horum igitur fuit, religiones & cæremonias publicas priuatasq;, sacra & res diuinas sanctissimè tueri & interpretari, illaq; omnia exscripta signataque habere, ut quibus atis, quibus diis, quibusq; hostiis, quib. diebus, & ad quæ templa sacra fierēt, perspectum haberent, ne qui Romana sacra negligerent, peregrinosq; ritus asciscerent, aut deorum cæremonias turbarent. Ad quos tam de cœlestium deorum sacrificiis, quàm de funeribus, iustisq; exhibendis, placandisq; manibus, ac supernis infernisque diis: de sepulcris & uotis ritè exoluendis, de feriis, de religione, pietate, sanctitate, cæremoniis deorum, deq; fide & iureiurando, sacrificiisq; solennibus, plebs quoties uidebatur, tanquam ad antistitem deorum immortalium, cęremoniarum & sacrorum, consultum ibat. Ipseq; maximus pontifex precationes, supplicationesq; deorum, cum pontificali carmine præire, comitia habere, diesque feriatos indicere, quo quisq; Deus ritu, quóue die colatur, quibusq; precibus aduocetur, & quid quaq; die operis fieri, uel non fieri publicis feriis conueniret, edocebat. Eundemq; pontificem maximum, singulorum annorum res gestas & memoratu dignas, diurnis actis mandare literis, illasq; non solùm monumentis tradere, sed in albo proponere & referre, ut populo exscribēdi potestas fieret, solitum esse traditum est. Fuit id, credo, certum portentum, quo est significatum, urbem Romam postremò perinde pontificia maiestate, qua nunc latè patet, gentibus moderaturam, atq; olim potentia imperasset. Polyd. lib. 4. de Inuent. Ac non solùm reip. sacra cæremoniasq; curare, sed de rebus quæ ad religionem pertinent, iudicia ferre: contumaciæq; minorum magistratuum uindex esse, sacrificantes obseruare, piaculaq; iræ Deum conquirere, ne secus quàm præscriptum esset, sacra fierent, neue incerta auspicia, aut turbatæ religiones aduersus mores institutaq; maiorum obseruarentur. Vtq; super impetranda uenia uenerandisq; diis iusta solennia exhibeantur, cauere debebat. Tum religionis arcana, & diuinas traditiōes cognoscere, & siquid religioni minus uerè adscriptum esset, religione liberare, aut numinibus obligare: de Vestalium capite decernere, & ferre sententiam, quæ sacra quæ'ue prophāna essent diiudicare, neue quis praua religione populum alligaret, maximi pontificis officium & munus erat. In quo fuit obseruatum, ut nunquam infausta die & ominosa collegium consulat, quòd dirum foret & auspicij mali. Quare Vitellio principi, quòd pontificatum maximum adeptus, decimoquinto calendas Augusti, die cladibus insigni, collegium consuluerat, magno exitio fuit. Tum si pons sublicius collaberetur, illum reficere, unde illis nomen factū. Is enim ligneus erat, & nullo ære aut ferro compactus, quem sacrum illi æstimarunt: ita ut in aliqua parte labantē, nisi cæta uictima & sacrificio perfecto, reficere non liceret. Cùm Tiberis, inquit Suidas, magno impetu in pontem antiquissimum irrueret, sacerdos uotis factis, ne pontem rumperet, flumen placauit: effeciq; ut placidè intra suum decurrens alueum, ponti parceret: & eos qui pontifices & flamines dicuntur, sacerdotibus præfecit. Vota etiam solennia, quibus uerbis concipi, quibusq; pecuniis exolui deberent, pōtificum decretis cauebatur, illorumq; arbitratu uel exoluebantur, aut non ritè emissa denuo concipiebantur. Quòd si quis sui iuris arrogandus foret, quæ causa adoptionis, quæ ratio generis, quæ dignitas, quæ'ue essent sacra, apud pontifices lege quærebatur. quę lex Curiata dicta est. Neq; uerò solùm ab omni sanguine puras manus pontificem seruare decuit, sed ne participem quidem aut conscium alicuius necis fieri. Ex octo pontificibus, pōtifex maximus reliquis præest & propè dominatur. Cui rex sacrorum, augures, & omnes flamines, ac uestales uirgines parent, quibus multam indicere, & pœnam irrogare poterat, cuius arbitratu publica & priuata sacra gerebantur, uestalesq; uirgines ad sacti & æterni ignis custodiam, qui in penetralibus Vestæ colebatur, eligebantur, ipsiusq; curæ custodiæq; mandabantur. Alex. lib. 2. cap 8.

In tantum honoris culmen pontificatus & eò excellentiæ creuit, ut Cn. Cornelio prætori, quòd M. Aemylio Lepido pontifici maximo cōuitium fecisset, multa dicta fuerit: ipsumq; regiæ dignitati proximum crederent. Nam & lictor apparebat, & curuli regia sella, ac lectica insignis erat, quam ante uestibulum cōspicuam habere assuerat: ad cuius fores prō splendore dignitatis, uiridis laurus affixa uidebatur. Cumque cæteri honoribus functi, rationem administrati muneris reddere cogerentur, pontifex tamen maximus pro maiestate, gesti honoris rationem dare minimè cogi poterat: ipsiq; pro imperio & potestate, quoq; plus dignitatis ferret, cum galero esse, & carpento, ut reliquis sacerdotibus, ingredi licebat. Quippe pontifici proprium insigne erat galerus, sicut lituus auguribus, paludamentum imperatoribus, diadema regibus. Et quum in Capitolium nulli fas foret carpento uehi, solis pontificibus sacerdotibusq; Tarpeium ascendere carpento licuit. Ad eumq; si qui noxij confugissent, ea die à pœna immunes erat. Alex. lib. 2. cap. 8.

Non uulgares, neque obscuros, sed qui nobilitate generis & multo splendore illustres forent, quiq; auctoritate & opibus anteirent cæteris, ad pontificatum max. ROM. admisere: diuq; Romæ pontifex, qui antea curuli sella non sedisset, nemo creatus fuit: donec lapsis temporibus, etiam qui nullos curules gesserant magistratus, ad pontificatum admisere. Primus enim T. Coruncanus, ex plebe homo, pontificatum

FONTEIAM, Fonteij (qui cùm Galliæ exercitui præesset, accusatus est prouinciæ malè administratæ) soror, uirgo Vestalis. Cicero pro Fontcio.

FABIA Vestæ sacerdos, incesti accusata, eo quòd soror Terentiæ Ciceronis esset, indicto crimine absoluta est. Alex. ab Alex. libro 5. cap. 12.

LICINIA, una è Vestalibus. Plut. in Gracchis.

VBIDIA Vestalis, quam Messalina misit ad placandum Claudium Imp. maritum suum. Suetonius.

Depositio Vestalium.

Tricesimo sacerdotii anno exacto, liberum iis est nubere, & relicto sacerdotio aliam instituere uitam. Quam facultatem paucas aiunt amplexas, neq; fuisse secutis lætam: sed pœnitentiæ & mœrori per reliquum uitæ implicatas, cæteris religionem incussisse, ut ad senectutem usq; & mortem in uiriginitate persisterent. Plut. in Numa, & Liu. lib. 1. Dec. 1.

QVIS HABITVS SACERDOTVM.

INDORVM uates corallium tanquam religiosum ferebant. Alex. lib. 2. cap. 8.

Alexandrinorum atque ATHENIENSIVM Phæcasij sacerdotes, quibus candida solùm ferre calceamenta licet: antistes sacrorum purpuram induit. Alex. lib. 2. cap. 8.

ARABVM pontifices lineas uestes induunt, mitras gestant cum sandalio. Alex. lib. 2. cap. 8.

ORDINES RELIGIOSI ETHNICORVM.

APVD QVOS. PVTA

Indorum.

COCHIMENSIBVS Indis in more est positum, ut si Rex aliquis religione tactus se regni administratione abdicat, ut in templo aliquo ab humanis tumultibus secreto uitam in religione consumat: post illius mortem, sororis filius, qui ei in regno more gentis succedit, cogatur regni procurationem relinquere, & in idem templum gratia religionis immigrare: ut quemadmodum in regno auunculi successor extitit, ita religionis etiam hæreditatem quamuis inuitus adeat. Is deinde, ad quem regni hæreditas legibus uenit, regnum occupat. Osorius lib. 7. rerum Em.

IN IAPONIA Indiæ insula religiosorum utriusq; sexus (Bonzos & Bonzas nominât) sunt monasteria plurima, precibus publicè fundendis destinata: adeò, ut VIIM. cõstructa fuisse dicantur. Dæmonem omnes colunt: idq; potissimum in tribus templis, specie quidem horribili. Io. Metellus.

Romanorum.

Hue Vestales referri possunt aliquatenus, de quibus suprà sub Sacerdotibus.

Inter Romulum & Tatium inita societate, retinendis Sabinorum sacris, sodales TITII à T. Tatio, uel à titiis auibus, quas obseruant augures, denominati: sed & sodalitates, sacris IDÆIS Magnæ matris receptis, Romæ inuentæ, ueluti publica munera habita sunt: sicut sub Tiberio AVGVSTALES, qui numero quinque & uiginti ex primoribus urbis sorte ducebantur, quos Tiberius Iuliæ genti sacrauit. Et Antonini temporibus ANTONINIANI sodales, mox ELVIANI, & AVRELIANI, & demum FAVSTIDIANÆ puellæ ad imaginem antiquitatis nuncupatæ, qui in principis comitatu inexplicabili fœdere uincti erant, & post funera illi flamines & sacerdotes consecrati. Alex. lib. 1. cap. 26.

QVOMODO.

Apud ueteres, idem dies, quo quis sacris initiabatur, natalis sacrorum appellabatur, religiosoque ientaculo celebrabatur. Ex Apuleio li. 11. Asini aurei, Polyd. l. 5. c. 1. de Rerũ inuẽt.

ETHNICORVM RELIGIO CONSIDERATA RESPECTV MATERIAE siue SVBIECTI quod colitur. Puta

DEVS. CONSIDERENTVR

QVI COLVNTVR.

Ex loco Superstitionis hinc plurima.

Venus.

ASSYRII omnium primi Vraniam Venerem coluêre: quos sunt secuti in Cypro Paphij, & ad Ascalonem Phœnices, à quibus didicerunt mox Cytherij. Sed & Athenis Vraniæ Veneri fuit erectum templum. Pausan. apud Cæl. lib. 12. cap. 35.

Hercules.

Elei MYIAGRO deo rem faciunt diuinam, muscarum multitudine pestilentiam afferente. Cui qua die litatum est, muscæ omnes intereunt. Plin. lib. 10. cap. 28. & Pausan. Eliacis.

Nænia.

NÆNIÆ sacellum ædificarunt Rom. ab urbe semotum extra portam Viminalem, quòd cantu querulo funeribus præesset. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 4.

Fortuna.

In Eubœa RHAMNIS urbs fuit, in qua Fortunę templum habebatur maximum & multis ceremoniis sacrum. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.

SERVIVM Tullium Primogeniam & Obsequẽtem Fortunã in Capitolio sacrasse, illamq; præcipua religione coluisse, in ueterum monumentis extat. Sed & Fortis Fortunæ templum ab eodem ædificatum extra urbis pomœrium, Tiberij Cæsaris temporibus demum dedicatum est. Item Malę Fortunæ templum in Exquiliis Romę prope sacellum Latium, ne noceret. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.

FERENTANO in oppido, atq, in Algido, atque Antij, equestris Fortunæ templum, & alterum Præneste satis uetustum & multa religione inclytũ habebatur. Alex. ab Alex. li. 1. c. 13.

A' QVIBVS COLVNTVR. AB

Persis.

PERSÆ, Cœlum Iouem putant, colunt Solem, quem Mithrã uocant: item Lunam & Venerem, & Ignem, & Tellurem, & Ventos, & Aquam. Strabo lib. 15.

Romanis.

ROMANI, Opi deæ commendabant nascentes, deo Vaticano uagientes, deæ Cuninæ iacentes, deæ Ruminæ sugentes, deo Statilino stantes, deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes: deo Catio & deæ Menti, ut bonam haberent mẽtem & cati euaderent: deo Volumno & deæ Volumnæ, ut bona uellent: diis nuptialibus, ut benè coniugarentur: diis agrestibus ut fructus uberrimos caperent, & maximè ipsi diuæ Frustesceæ: deæ Rubigini, ne accederet: deo Spinensi, ut eradicaret ex agris spinas: Marti & Bellonæ, ut benè belligerarent: deæ Victoriæ, ut uincerent: deo Honori, ut honorarentur: deæ Pecuniæ, ut pecuniosi essent: deo Aesculano & filio eius Argentino, ut haberent æream argenteamque pecuniam: nam ideo patrem Argentini Aesculanum posuerunt, quia prius ærea pecunia in usu esse cœpit, pòst argentea. Fessaniam fessi inuocabant: Pelloniam ad hostes depellendos. August. lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 21.

HOMO. HVC PERTINET

cultus

SACERDOTVM.

Seiid supremus sacerdos apud TARTAROS in tanta auctoritate & reuerentia habetur, ut Reges ei aduenienti occurrant, stantesq; equo insidenti manum porrigant, capiteque inclinato manum illius osculẽtur: idq, ipsis Regib. permissum est. Duces uerò, nõ manum, sed genua, nobiles pedes deosculantur: plebei uestes tantùm aut equum manibus attingunt. Guagninus in descript. Tartariæ.

MALABARES Indi maximo in honore habent sacerdotes, quos appellant Brachmanas, penes quos arbitrantur esse rerum diuinarum & humanarum scientiam. Reges nulli sunt, qui non sint priùs eorum disciplinis imbuti. Tempore belli securè possunt Brachmanæ ultrò citroq; commeare. Inexpiabile namq, scelus existimatur, illos secus, quàm postulat opinio sanctitatis, tractare. Osorius lib. 2. rerũ Emm.

MORTVORVM, MANIVM.

Archilochus Parius iambographus, à Calonda milite Naxio, qui Corax suit cognominatus, occisus fuerat in prælio. Cùm ergo Calondas Pythium templũ ingrederetur, Pythia exclamauit, μακαριε θεραπον κρατιστανασσ, ἱερὸν ἥκεις. Verùm gaille prælij necessitatem obiiciebat: iussus est ad Tænarum proficisci, & illic τιθηνη, id est Archilocho, qui se Cicadam appellabat, simul & patri eius Telesicli parẽtare. Quod cùm fecisset Calondas, à dei ira liberatus est. Plut. in lib. De iis, qui à diis serò puniuntur: & Suidas.

ANIMALIA BRVTA.

Extra Crotonem olim IVNONIS Laciniæ templum fuit, multa religione sacrum. Lucus procerus abieribus septus: lata in medio pascua, ubi omnis generis pecus deæ sacrum sine custode pascebatur; gregibus sub noctem ad stabula sponte remeantibus, nulli hominum feratimue iniuriæ obnoxiis. Solida ex auro columna ex illorum prouentu facta dedicataq; deæ est, templum diuitiis & religione inclytum. Sabellicus.

TEMPLA. VEL

ADMISSA. HORVM

Extructio.

Iouis Puluerij templum in Attica sine tecto erigebatur, Soli itidem, Lunæ & Diofidio in aperto mundo templa hypethra extrui solita. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22.

Dedicatio.

HORATIVS Puluillus subrogatus in locũ Spur. Lucretij defuncti in cõsulatu, ædẽ Iouis Capitolini dedicauit. Liu. li. 2.

DOMITIVS Prætor urbanus Primogeniæ Fortunæ templũ à Seruio Tullio incoatum in colle Quirinali dedicauit. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.

Cultus. Coluntur Templa

Ingressu.

HORTÆ templi Romæ porta perpetuò aperta erat, & patebat omnibus: quòd homines semper ad rectè agendum hortaretur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14.

Aditu prohibito.

Plutonis templum apud ELEOS per totum anni circuitum semel tantùm aperiebatur, neq; cuiquam ingredi fas erat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14.

CORINTHI à Necessitatis & Violentiæ fano arcebantur omnes, nec ulli aditus in templum dabatur. Idem.

NVMA Pompilius legem sanxit, Pellex ædem Iunonis non tangito: si tangit, Iunoni crinibus dimissis agnum feminam cædito. Gell. lib. 4. cap. 3. Noct. Atticarum.

Sacrificiis.

EPIDAVRVS Peloponnesi urbs dicta, quasi ἐπίτοκος, propter frequentes taurorum uictimas, quæ in honorem Aesculapij, cuius ibi templum fuit religione sanctissimum, mactabantur. Quam itidem ob causam priùs αἱμαγὴς appellabatur, ἀπὸ τοῦ αἵματος. Eustathius Iliados β.

NON ADMISSA, NEGLECTA.

SCYTHÆ nulli deorum simulacra & aras & delubra faciũt, præterquam Marti. Herod. lib. 4.

PERSÆ nec statuas, nec templa, nec aras extruunt: neq; enim deos ex hominibus ortos esse credunt, ut Græci: & propterea nullam Dei imaginem fingi posse existimant. Montes editissimos conscendunt, ibiq; Iouí immolant. Herod. lib. 1. Præterea cùm Solem potissimùm uenerentur, mundum uniuersum templum illius esse dicunt. Alex. lib. 2. cap. 22.

A'BITHYNIS usurpatum legimus, ut adoratuti, montium cacumina conscendant, & sine templis Iouem Pappam salutent, sicut Scythæ Papeum: quæ etiam DIOGENIS opinio fuit, qui mundum, phanum dei sanctissimum existimauit. Alex. lib. 2. cap. 22.

ORACVLORVM LOCA AB ETHNICIS CVLTA.

Plutarchus in libello de Oraculis quæ obmutuerunt, philosophicè disputat: item in libro, Cur Pythia uersibus non respondeat amplius. Vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2.

QVORVM DEORVM. Puta

Iouis.

Apud HELIOPOLIM Assyriorum templum fuit, perplexis, ut aiunt, numinibus, & quòd Sol ibi coleretur, & Iupiter, & Apollo. De hoc quidem incertior fama est, sed hunc quoq; templi eius accolam ex furore ministrorum, & ex diuinatione confirmant. Consulebant hunc deum non præsentes tãtùm, sed & absentes missis diplomatibus consignatis, rescriptiq; deus ordine ad ea quæ consultatione abdita continentur. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 23.

Oraculum Iouis Hammonis à Chamo Noachi F. homine impio, sicuti Dodonæum à DODANIM Noachi item nepote, qui Epirum occupauit. Id enim studuit dæmon, ut ex sedibus Ecclesiæ prostibula satanę efficeret. Herod. l. 2. scribit, utrunq; è Thebis Aegyptiis ortum suum duxisse. Nãq; inde duæ mulieres nigræ (fabulantur Græci columbas fuisse nigras, propter barbarã linguã) à Phœnicibus auectæ, & mox uenditæ, altera quidem Dodonæ sub fago considens, altera uerò in Africã auecta, Iouis oracula illic erigi iusserunt. Fuit aũs Dodona, urbs Thesprotiæ Pelasgiæ in Epiro. Consultoribus accedentibus, mouebatur quercus & resonabat. Suidas. Zenodotus ex Ariphoro Menandri, tradit in Dodona duas fuisse sublimes columnas, in altera positã peluim æreã, in altera pensile pueri simulacrum, flagellum æreum manu tollentis: quoties aũt uentus uehementiùs flauerit, fieri ut scutica impulsa crebriùs lebetem feriat, isq; percussus tinnitũ reddat ad multum etiã temporis resonantem. Huic sententię astipulatur Aristoteles: alterã quã Suidas affert ex Dæmone, ut fabulã refellẽs. Ait enim oraculũ Iouis, quod olim erat in Dodona, lebetibus ęreis undiq; cinctum fuisse, ita ut inuicem sese contingerent. Iccirco necessum erat fieri, ut uno quopiam pulsato, uicissim & omnes resonarent, sonitu per contactum ab aliis ad alios succedente. Durabatq; in longum tempus tinnitus ille, uidelicet in orbem redeunte sono. Putatq; parœmiam ὀμφαλὸν χαλκεῖον χαλκεῖον dictã in fordidos, & quantumuis pusilla de re querulos. Eras. in Chiliadibus. Memoriæ proditum est, quercui Dodoneæ famulantes diuinandi facultatem accipere: solisq; Bœotiis, si quando consulto opus foret, uiros responsa dare, primamque lagum & columbam Dodonæ uaticinatam. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2. Strabo lib. 7.

HAMMONIS Iouis augustissimum & antiquissimum oraculum fuit ultra Cyrenen, in extimo sinu apud Garamantes. Dei simulacrum ex smaragdis aliisq; gemmis confectum, circumsertur aurea nauí ab octoginta sacerdotum humeris eò quò ei uoluntatem progrediendi esse nouerunt. Sub sequitur per uias omnes ingens uirginum matronarumq; turba pæanas canentium, deumq; cantu patrio laudantiũ. Diodorus libro 17.

Nicephorius Iupiter est nuncupatus de Mesopotamiæ urbe NICEPHORIO. Ex huius responso imperium concepisse Adrianum, auctor est Spartianus. Cæl. libro 14. capite 18. Antiquarum Lect.

Apollinis.

De DELPHICO oraculo Apollinis diuersa traduntur. Aiunt enim fuisse ab initio Telluris eam oraculorum sedem: & ab ipsa Tellure Daphnen, quæ præsideret, delectam, de Nymphis unam quæ montem incolebant. Musæus Antiophemi filius prodit memoriæ, commune Telluri cum Neptuno oraculum illud fuisse: ipsam quidem Tellurem ore suo responsa dedisse, Neptunum interpretem habuisse Pyronem. Neptunus deinde Telluri dicitur parte sua concessisse, illã Themidi oraculum totum donò dedisse. Ab ea Apollinem illud accepisse: tradita Neptuno, quæ ante Trœzenem est, Calaurea. Sunt qui dicant, pastores quotdam dum pecus illac agerent, cùm propè ad eum locum ubi oraculum fuit, accessissent, repente terræ halitu diuinitùs afflatos, Apollinis ipsius impulsu uaticinari cœpisse. Phemonoe, dei interpres prima, prima etiam senarius longioribus oracula decantauit. Bœo tamen indigena mulier Delphis hymno composito, aduenas ab Hyperboreis profectos, oraculum Apollini dedicasse tradidit, cùm alios, tum Olena, qui primus uaticinatus eo in loco fuerit. primusq; senarios lõgiores repererit. Communis tamen hominum opinio priscæ memoriæ auctoritatem secuta, solas agnoscit mulieres oraculorum interpretes. Antiquissimã dei ædem, è lauro fuisse erectam tradunt: & lauri quidem ramos ex ea arbore decerptos, quæ Tempe est. Fuit ædis eius forma quasi tugurium quoddã. Alteram ædiculã narrant ab apibus è cera & pinnullis compactã, quod ad Hyperboreos Apollo miserit. Alius etiã est ea de re sermo. Aedem fabricasse hominem Delphum, cui nomen fuerit Pteras, & ex eius nomine de pinnis apum fabulæ locum datum. Alij uerò ex herba filice adhuc uitidi, quam Græci Pterin uocant, opus illud contextum, & nomẽ habuisse ferunt. Pausanias tamen tertium delubrum ex ære ædificatum scribit. Cætera fabulosa esse, quòd scilicet Vulcanus ædem illam extruxerit, uel quòd aureæ uirgines in eo templo cantarint: quod Pindarus commentus est. Hoc templum quidam terræ hiatu haustum, alij igne consumtũ dicunt. Quartum sanè Trophonius & Agamedes metati sunt è lapide: quod conflagrauit anno primo, quinquagesimæ octauæ Olympiadis. Id exerunt aliud de sacra pecunia Amphictyones, architecto Spintharo Corinthio. Pausanias lib. 10. Diod. lib. 16. inquit: Fuit, inquit, secretio quædam iis in locis, ubi postea constructum adytum est. Illuc fortè compascentes arripuerunt capræ, quòd uastæ tum ibi solitudines forent, nec omnino incolerentur Delphi. Quæ uerò ex iis in hiatum despectare cœpisset, euestigiò mirabiliter exultans lasciuire, ac uocem prorsus dissonam emittere. Id quum amplùs admiraretur pastor, (cui Coreræ nomen fuisse Plutarchus scribit in com. de Defectu oraculorum) accessisse traditur: moxq; eodem affectus modo, quo capræ priùs, sed insuper futura quoq; præcinere cœpisse. Re uerò latiùs uulgata, accurrisse multo plures, qui omnes consimiliter afflati coniectationem præbuêre, oraculi uim ex terra esse. Cæterùm quia temulenti spiritu, quem ἐνθουσιασμὸν uocant, ἐξαμβλύνοι, plerq, interirẽt, usum fuisse, uatem unam cõstituere, quæ citra reliquorum noxam panderet futura. Ad id uerò etiam pegma substruxêre, quo inscenso secuiè uaticinaretur. Habebat id bases tres, propterea tripodis nomen est sortitum. Præficiebantur primò uirgunculæ, puritatis ratione. Postea uerò, quum Phœbadis amore obrutus Thessalus Echecrates illam stuprasset, sanctiũ, ut quinquagenaria mulier, uirgineo tamen cultu, uaticinandi pontificium geereret. Cælius lib. 8. cap. 16. Antiquarum Lectionum. Delphico templo honor euenit amplior propter oraculum,

quando minus aliis omnibus fallax extitisse uidetur, inquit Strabo lib.9. Etiam quippiam ipse loci situs addidit. In medio namque uniuersæ quodammodo Græciæ & intra & extra Isthmum, imò & totius orbis consistere uidebatur, unde & telluris Vmbilicum appellabant: fabulam addentes, quam refert Pindarus, confingens ab Ioue duas dimissas aquilas in hoc coisse loco, unam ab ortu, alteram ab occasu. Quidam autem dixere ceruos. Cæterùm quispiam in tẽplo monstratur umbilicus, pendentibus ornatus uittis, cui duæ, quæ fabulæ argumento sunt, incubant imagines aquilarum. Cùm huiusmodi sanè commoditas Delphis adesset, eo facilè conueniebant præcipuè finitimi, & propterea hic quoque Amphictyonicum constitutum erat concilium, & de rebus publicis consulturum, deq; templo communiorẽ curam ac diligentiam habiturum, cùm tot sacra munera in templo locata iacerent, quibus ingenti ueneratione opus foret, atq; custodia. Strabo lib.9. memorat, diuinum ipsum domicilium, profundam & curuam esse speluncam, non admodùm lato patentem ore. Atque hinc auram reddi, sacro efflante numine. Excelsum autem ostio imminere tripodẽ, quem simul atq; Pythia uates diuaricatis cruribus inscenderit, hausto diuinationis spiritu, respõsa edere, partim metro, partim oratione libera.

In DAPHNE, Antiochiæ suburbio, erat olim elegans Daphnæi Apollinis imago, & templum magnificè ac preciosè elaboratum, quod Seleucum Antiochi patrem, cui cognominis est ciuitas Antiochena, extruxisse ferunt. Affirmatur autem ab illis, qui ista colunt, fluere illic aquam diuinationis è fonte Castalio, qui consimilem & energiam & appellationem cum eo fortitus sit, qui in Delphis habetur. Sozomenus lib.5 cap.19.

Nobile apud TEGYRAS oraculum fuit, ubi natale Apollinis scribunt esse, præfluentium q; riuorum Phœnicem alterum, alterum Oleam ad hanc usq; memoriã. Plut. de Def. oracul.

DIDYMA locus & manteum Mileti, sacrum Ioui & Apollini, qui inde cognominatur Didymæus. Quod oraculũ BRANCHIDARVM quandoq; nuncupatum est, quoniam Didymorum incolæ olim Branchidæ sunt dicti, iidemque Xerxi templum prodidere. Quo nomine pœnam ueriti, demigrãtes in Asiam longiùs, Branchidas ciuitatem condidẽre. Quam ueteris odio flagitij, rerum potitus Alexander solo exæquauit. Branchum esse Apollinis filium, prodidẽre grãmatici, qui fuerit ipse quoque futuri scientissimus: unde & Papinius Thebaidos tertio:

—Patrioq; æqualis honori Brãchus. Sũt qui eo prægnãrem matrẽ uidisse per quietẽ memorent, per fauces solem insinuasse se, qui per uentrem mox eruperit. Vnde sit concilatũ infanti nomen. Est qui putet, ab Apolline adamatum, ac ex pueri osculis Apollinem esse Philesium appellatũ, unde & Philesia templa, siue à puerorum certamine. Cælius lib.4. cap.23. Antiq. lect. Milesij templũ à Persis exustum construxerunt omnium maximum, quod propter magnitudinem remansit sine tecto, cuius ambitus uici habitationem recipit, & sumtuosus interius & exterius lucus est: alia uerò fana & oraculũ & sacra continent. Templũ uariis antiquarũ artiũ donis sumtuosissimè ornatum est. Strabo li 14.

In arce Argiuorum LARISSA dicta, in templo Apollinis Diradiotæ oraculum est, per quod hac ipsa ætate responsa cõsulentibus redduntur. Femina cui uiri consuetudine interdictum est, oraculo præsidet: ea noctu agna facit, singulis mẽsibus, ac statim uictimæ sanguine libato, furore diuinitùs afflatur. Pausanias in Corinth.

In CYANEIS ad Lyciæ fines Apollinis Thyrxei oraculum est, Cyaneis petris proximum, ubi qui in fontem descenderit, planè omnia quæcunque uelit præscire posse dicitur. Pausanias in Achaicis.

In DELO insula, quæ una ex Cycladibus est, Delij Apollinis sortes & oracula erant, cuius ædes mari imminebat, tantæ religionis, ut ne Persæ quidem cùm omnia belli iure uastarent, uiolentas manus admouerint. Alex. lib.6. cap.2.

In PATARA Lyciæ oraculum Apollinis & delubrum fuit, in quo sex anni mensibus responsa dabantur, quæ Lyciæ sortes dictæ sunt. Hinc Pataræus Apollo. Idem.

COLOPHONE apud Apollinem Clarium, non femina, uti apud Delphos, sed certis è familiis, & fermè Mileto accitus sacerdos in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerunq; litterarum & carminum, edit responsa, uersibus ad id, quod mente conceperis, mirè concinnatis. Quæ & Germanico per ambages maturum ferunt exitium cecinisse. Meminit in Cœnis Macrobius, sed obscurè. Cælius lib. 27. cap.5. A. L. ex Plin. lib.2. cap 103.

In PTOO monte Bœotiæ, propè Acræphnium urbem, fuit in Apollinis Ptoi templo, antè excisas ab Alexandro Thebas, oraculum minimè fallax. Venisse aliquando narrant Europensem hominem Myn nomine, à Mardonio missum consulendi causa. Et rogãti Persicis uerbis, respondisse deum non Græca, sed ipsum etiam barbarica lingua. Pausanias in Bœoticis.

THEBIS Bœotiis supra lapidem Sophronistera dictum est Apollinis ara cognomento Spondij, è uictimarum cineribus congesta. Omnium ibi diuinatio obseruatur, qua præ cæteris maximè Græcis uti Smyrnæos noui. Est enim apud illos in exteriore murorum ambitu ad omnia captanda sacrata ædes. Pausanias in Bœoticis.

Mercurij.

PHARIS Achaiæ oppido in foro, ante Mercurij signum Vestæ marmoreum signum extat. Adpositæ ei sunt plumbo ferruminatæ æneæ lucernulæ. Qui deum consulũt, Vestani primùm thure incẽso placant, deinde oleo infuto lucernas accendunt: tum uerò in aræ dextera parte numum patria nota signatum, appellant æreum, dedicant. Vbi quod ex usu fuerit rogarit, aurem simulacro admouet: inde in forum abiens manibus aures premit: ubi è foro excessit, amota manu quamprimùm excepit uocem, eam sibi oraculi loco ducit. Eadem apud Aegyptios in Serapidis celebratur oraculi religio. Pausanias in Achaicis.

Bacchi.

Apud LIGYREOS Thraces oraculũ est Liberi patris, in quo uaticinaturi plurimo mero sumto, uti apud Clarium Apollinem aqua pota, effantur oracula. Quo argumento Macrob. lib.1. Saturn. cap. 18. Liberum patrem eundem esse & Apollinem probare conatur, ex Aristotelis Theologumen.

Dionysij oraculum in editissimis THRACIÆ mõtibus erat. Vates dicebantur Bessi. Antistes uerò, qui reddit responsa, quemadmodum Delphis, & nihilo magis uatiẽ. Herodotus libro primo.

AMPHICLEAE in Phocide Liberi patris adytum est. Narrant Amphicleenses, & futura sibi deo auctore prædici, & contra morbos in promtu esse remedia: quòd & in somnis cùm ipsi, tum finitimi de morborum medelis moneantur, & sacrificulus diuino afflatu instinctus, de futuris consulentes certiores faciat. Pausanias in Phocicis.

Herculis.

Apud BVRAM Achaiæ oppidum in spelunca non utique magnum Herculis Buraica signũ. Oraculi sortes capitũ ex tabula per talos. Qui consultũ uenẽre, precatione ad signum peracta, uotisq; nuncupatis, talos, ex ea quæ in promtu est, copia, iaciunt quatuor super mensam. Inscripti sunt certis notis tali singuli, earum illi notarum inter, uetationem in tabulis similitudinẽ sequuti requunt. Pausanias in Achaicis.

Aesculapij.

In Aesculapij templo apud EPIDAVREOS & Pergamenos, qui deũ precatũ uenẽre, obdormiunt, & in somnis sanitatis recuperandæ ratiooem discunt. Pilas inde ponunt in tẽplo, nomina eorum qui curati sunt continentes, & curationis modum. Pausan. in Corinthiacis. Idem mos fuit apud Rom. usq; ad Antoninorum tẽpora. In eius certè fano stratis pellibus hostiarum incubare. Hieronymus libro decimooctauo in Esaiam tradit.

AEGIS Ciliciæ in fano Aesculapij ægrotantes pristinæ ualetudini restituebantur. Apparebat autem dæmon noctu, & male habentes sanabat. Sozomenus lib.2. cap.5.

Podalirij.

Legimus DAVNIIS uel Calabris in more fuisse, pellibus incubare, quas melotas dicunt, id est ouillas, in Podalirij sepulcro: sicque per quietem oraculis instrui. Cælius libro 27. capite decimoquarto.

Amphiarai.

In Attica urbs est Oropus. Longè ab ea circiter duodecim stadia, ANPHIARAI templum est, quo fellicet loco Thebis fugientem cum curru absorptum terræ hiatu ferunt. Sunt qui id accidisse dicant in uia, qua Thebis Chalcidẽ iter est: qui locus Harma nũc etiam, id est Currus dicitur. Est etiam apud Oropios fons templo proximus, quem Amphiarai nuncupãt. Ad quem neq; diuinam tem faciunt, neq; aut ad lustrandum, aut ad manus lauandas, aqua ea uti putãt: solùm qui morbo oraculi monitu leuati fuerint, signatum aurum argentúmue more maiorum in fontem abiciunt. Consulendi quidem causa qui accedunt, lustrantur omnes. Pro piaculo res diuina est, quã cum Amphiarao ipsi faciũt, tum cæteris, quorum in eadem ara inscripta sunt nomina. Deinde arietẽ immolant, cuius substrata pelle dormientes, nocturna uisa expectãt. Pausanias in Atticis. Strabo lib. Geographiæ nono, scribit uicum quempiam esse desertum atq; infrequentem apud Mycaletum Bœotiæ, seu Mycalessum Tanagræi iuris, quem Harma id est, Currum nominãt, quòd Amphiarao excusso curru inanis in eum locũ delatus sit, ubi nunc sacellum eius extat. Alij ferunt Adrasto fugiente, currum eius eo loco confractum fuisse, ipsum Arionis opera seruatum. Hinc natam paroemiam (de superstitiosa & ra-

ra obseruatione) ὁπόταν δὲ ἅρματ' ἀναρπάσῃ, Vbi per harma fulgũrat: uideliect Pythicis uatibus fulgur aliquod certum, quod ex eo loco ueniret, obseruantibus, eoque uiso sacra Delphos mittentibus. Obseruabant autem ad menses treis, singulis mensibus treis dies, noctesque totidem: idque è Iouis Fulguralis foco, qui est in muro inter Pythium & Olympium. Erasmus.

Trophonij.

In Bœotia prope urbẽ Lebedon, est TROPHONII lucus & antrum. Quidam aiunt Trophonium in secandis saxis summum artificem fuisse, fanumque subterraneum extruxisse in Lebadia Bœotiæ regione, quod Trophonij uulgò cognominatum est, numirum ab artifice. Alij narrant: Agamedem Stymphali, quæ est Arcadiæ pars, regem, uxorem duxisse Epicasten, cuius filius erat Trophonius. Ii eius tempestatis mortales omneis artificio superabant, ac Delphicum templum extruendum receperant, atq; in Helide ærarium quoddam condiderant Augeæ, ubi aurum suum reconderet: qui postea soluta lapidis cuiusdam commissura, quam in hoc ipsum reliquerant, noctu ingressi, pecuniam furari consueuerunt, socio Gercyone, Agamedis germano, atque Epicastæ filio. Quæ res cùm uehementer perplexum haberet Augeam, forte fortuna accidit, ut Dædalus Minoem fugiens ad eum diuerteret. Hũc exorauit Augeas, ut arte quapiam fures hos inuestigaret. At Dædalus laqueos quosdã summo artificio constituit, quibus Agamedes captus est. Id conspiciens Trophonius, non esse effugium, capite Agamedis amputato, ne posset agnosci quis esset, unà cum Gercyone Orchomenon aufugit. Hos cùm Augeas, auctore Dædalo, persequeretur, & illic aufugerunt: alter nempe Gercyon Athenas, ut testatur Callimachus in Arcadiã, alter uerò in Lebadiam Bœotiæ regionem: ubi parato sibi domicilio subterraneo, per omnem uitam perseuerauit. Quo defuncto, uulgò creditum est, illic certa reddi oracula, ac Trophonio perinde ut deo sacrificari cœptum. Quidam aiunt, Agamedem & Trophonium Dædali opera suffuratos aufugisse, & Trophonio fugienti terram hiatu diductam, uiuumq; absorbuisse circa Lebadiam. Aliquot pòst annis, cùm Bœotorum terra integro biennio nullis irrigaretur imbribus, è singulis ciuitatibus Delphos missi sunt, qui opem implorarent. His Pythius Apollo imperauit, ut Lebadean uententes à Trophonio mali auxilium quærerent. Lebadean itaque profecti, cùm oraculum reperire nõ possent, Saon quidam Acræphniensis, collegarum natu maximus, cùm apum examen conspexisset, quocunq; illæ diuertissent, sequi statuit. Vbi igitur eas ad specum quandam aduolantes uidit, & ipse subiens, duos dracones obuios habuit: quibus obiectis offis mellitis, illæsus euasit. Saonem hunc cùm ea, quorum causa missus fuerat, tum sacrorum omnem ritum, & quæ inter consulendum fieri fas est, edoctum à Trophonio memorant. Pausanias in Bœoticis. M. Tullius Tusculanarum quæstionum lib. 1. tradit, Trophonium & Agamedem exædificato templo Apollini Delphico, uenerantes deum, laboris sui mercedem petisse, nihil quidem certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit, post diem ab illo tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. Erasmus in Adagiis. Pausanias in Bœoticis ritus eorũ qui ad Trophonium sunt descensuri, expertus recenset. In ædicula Bono Genio Bonæque Fortunæ sacra commorantur: Ercyna fluuio abluti, sacra faciunt, à sacerdotibus deducuntur, oleo unguntur à pueris Hermis dictis, bibunt fontem Lethes, ut obliuiscantur præteritorum, & alterum Mnemosynæ dictum, ut oraculi recordari possint. Tunicam induti lineam, tẽniis accincti, soleis popularibus inductis, uotisq; nuncupatis descendunt. Oraculum supra lucum est in monte, crepido in orbem candido saxo circumsepta, instar areæ minimæ, altitudine minore quàm cubitum duùm. Super crepidine obelisci, cum zonis æneis, media ostia. Intra ambitum specus est, arte excisus. Subterranea cellula fornaculæ persimilis, latitudine cubitorum plus minus quatuor, altitudine ferè octo. Descensus per scalas, non per gradus. Media inter solum & antri testudinem cauernula est, latitudine duorum dodrantum, altitudine dodrantali. Ibi humi procumbens, melle subactas offas tenens, (quas serpentibus obiiciat) pedes in cauernulam immittit: mox genua properat ad pedes adiungere: statim reliquum corpus ad genua contractum, quasi concitatissimi amnis uortice, intro abripitur. Ex uisis uel auditis futura consequuti, per easdem fauces in pedes retrogrediuntur. Quidam spiculator Demetrij cùm argentum & aurum se, quod illic esset, crepturum speraret, introiit: sed per diuersam partem, & non per sacrum hiatus illius hostium, eiectus periit. Consultorem reuersum sacrificuli in solio Mnemosynes collocant, quæcunq; uel uisa uel audita reportarit percontantur, suis illum reddunt. Hi in cellam Fortunæ Bonæ, & Boni Genij, cum reducunt, multo attonitum terrore, & omnium oblitum. Respiscit tamen paulo pòst, & pristina ei mens & risus redit. Coguntur omnes quæcunq; uel audierunt uel uiderunt, à se conscripta, in tabulam referre.

Orphei.

Orphei caput Philostratus scribit in LESBO dedisse oracula, præsertim Græcis, Troiam non posse capi absque sagittis Herculis. Quin & Persarum reges & Babyloniæ in Lesbum ad scitanda oracula oratores plerunque misisse, & inprimis Cyrum, cui Orpheum consulenti de exitu suo, sic fermè responsum proditur, νῆ ἐμὰ ὦ κόρε υἱέ. quasi diceret, Quæ ipse sum passus, in te quoque sunt recasura. Erant & qui Orphicis initiarentur sacris. Meminit eorum historia secunda Herodotus, & de Natura deorum tertio M. Tullius. Cælius lib.15. cap.9. A. L.

Epaphi, Apis, Serapis.

Apud Memphim Aegypti EPAPHVS siue APIS responsa dat, manu oblatum pabulum deuorans. Bos est è uacca genitus, quæ nullum dum alium potest concipere fœtum: quam Aegyptij aiunt fulgure ictam, concipere ex eo Apim. Toto corpore est niger, in fronte habens candorem figuræ quadratæ: in tergo effigiem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. Herod. lib.3. Porrò sunt delubra gemina, quæ uocant Thalamos, auguria populorum. Alteri intrasse lætum est, in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, è manu consulentium cibum capiendo. Germanici Cæsaris manum auertatus est, haud multo pòst extincti. Plinius lib.8. cap.46.

Apud Canopum in templo SERAPIS, oracula ex somniis edebantur. Alexan. lib.6 cap.2.

Aridali.

In ARIDALI ara apud Troezenios, Somno & Musis immolabatur. Responsa accepturi, integrum diem à cibo, à uino autem triduo abstinebant. Alexand. lib.6. cap.2.

Terræ.

Sanguis Taurinus recens inter uenena est, excepta AEGIRA. Ibi enim sacerdos Terræ uaticinatura, tauri sanguinem bibit prius quàm in specum descendat. Plin. lib.28. cap.9.

Fortunæ.

Præneste templo peruetusto FORTVNA sub imagine duarum sororum colebatur. Ibi certissima olim data oracula, & sortes primùm à Numerio Sufficio sitas fuisse, fama est. Alexander ab Alexandro libr cap.13. Genial. dierum. Præneste Vestam legimus apud Lampridium in Alexandro Cæsare, cui ex eo templo huiusmodi sit oblata sors, quum illi insidias struereet Heliogabalus, Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris. Cælius lib.15. capite 17. Antiq. Lect.

Cereris.

Patris in Achaia, maritima ora, proximum luco Apollinis est CERERIS fanum: dea ipsa & Proserpina stant, Telluris effigies in solio sedet. Pro Cereris æde fons est, qui à templo lapideo pariete seeluditur. Ad eum fontem per exteriorem tramitem descẽditur, ibi oraculum maximè ueridicum est. Cognoscuntur ex eo non rerum omnium, sed morborum duntaxat euentia. Speculum tenui suspensum funiculo demittunt, ut in fonte omnino non mergatur, sed imo ambitu summam aquam contingat. Vbi odores adoleuerint, & ritè deam precati fuerint, inspiciunt in speculum: & ex eius imaginibus, periturúne an uicturus is æger sit, de quo consuluerunt, diuinant. Pausanias in Achaicis.

Latonæ.

Oraculum in Aegypto LATONÆ est in magna urbe, Buti dicta, contra ostium Nili Sebennyticum, à superiori parte maris flumen subeuntibus. In hac urbe templa sunt Apollinis Dianæque. Et in quo redduntur oracula Latonæ, grande illud, & porticum habens decem passibus sublimem. Ipsum Latonæ delubrum, ex uno factum est lapide, cuius parietes æquali celsitudine ad longitudinem quadragenũ cubitorum: cuius lacunati pro tecto impositus est alius lapis, quatuor cubitorum per oras crassitudinis. Herodotus libro 2. & Alexander lib.6. cap.2.

Isidis.

ISIDEM non Aegyptij tantùm, sed omnis ferè orbis antiquitùs propter miracula colebat. Hæc enim in somnis non rectè ualentium morbos sanabat: & qui monitis eius obtemperabant, præter opinionem curabantur. Visu quoq; aut alia corporis parte debiles, eius deæ numen implorantes, in pristinam ualetudinem restituebantur. Diodorus Siculus lib.1. cap.2. de Reb. antiq.

Inûs.

In Laconia ab Oetylo ad Thalamas proficiscentibus conspicitur in uia INVS fanum, & oraculum. In eo futura deorum tes prouident. Consulentibus enim per somniorum uisa, quæ opus est, dea denunciat. Pausan. in Laconi.

Pasiphaes, Daphnes.

Templum & oraculum Thalamiis urbe Laconiæ celebre erat PASIPHAES: quam Atlantidum unam Ioue proguatarũ tradunt quidam fuisse, atque edidisse Ammonem: nonnulli Priami Cassandram ibi defunctam, quam quòd omnibus oracula declararet, πωρὶ τὸ πᾶν φάνειν τὸ μαντεῖα, Pasiphaen fuisse dictam. Phylarchus Amyclæ filiam Daphnen nomine, cùm fugeret Apollinem, qui stuprum parabat ei offerre, in arborem uersam: à quo deo fuisse honoratam, uaticinandique donatam dote. Huius canebant sortes sub rege Agide Eudamidæ F. qui nouas Tabulas & agrorum diuisionem inducere studuit, Ediceretur Spartiatis, ut omnia inter eos æquarentur ea lege quam sanxerat quondam Lycurgus. Plutarchus in Agide.

Nympharum.

Erat in Citheronis uertice uno SPHRAGITIDVM nymphaum antrum cum oraculo. Spiritu afflabantur diuino incolarum multi, quos Nympholeptos uocabant. Cælius lib. 4. cap. 13. Antiq. Lectionum.

Incertorum.

Iamblichus Colophone subterraneum fuisse locum narrat, in quo fons erat, de quo sacerdos statis noctibus sacris operatus gustabat, reddebaturq; inuisibilis, & consulentibus responsa dabat. L. Viues in lib. 7. August. de Ciuit. Dei, cap. 35.

In Cantabria fontes VAMARICI in augurio habentur. Tres sunt octonis pedibus distantes. In unum alueum cocunt uasto amne. Singulis siccantur duodecies diebus, aliquando uicies, citra suspicionem ullam aquæ, cùm sit uicinus illis fons sine intermissione largus. Dirum est non profluere eos aspicere uolentibus, sicut proximè Lartio Licinio legato post præturam post septem dies accidit. Plin. lib. 31. cap. 1.

Fons LIMYRÆ transire solet in loca uicina, portendens aliquid: miramq; quòd cum piscibus transit. Responsa ab his petunt incolæ, cibo quem rapiunt annuentes: si uerò euentum negent, caudis abigunt. Plin. lib. 31. cap. 1.

FESTA RELIGIOSA, FESTI DIES ETHNICORVM.

Operæpretium erit, Dierum religiosorum & profanorum apud Romanos usitatorum distinctionem præmittere, ex fastis deductã fontibus, hoc saltem loco: quãdoquidẽ de his ipsis Volum. XXIV. fol. 4020. sub Dierum usu Chronologico secundum Motum non naturalem (ratione scilicet Otii & Negotii) cõsiderato, agi oportuit. Dies pars est temporis. Tempus numerus est motus. Motus alius cælestis, primi mobilis & Planetarum, inter quos Solus est auctor eminet; alius terrestris, inferiorum omnium, inter quæ homo præcipuam obtinet. Ergo dies quoq; & solaris motus numerus est, & motuum sine actionum omnium humanarum. Proinde ex harum diuersitate Dies possunt distinguí. De quibus Macrobius lib. 1. cap. 16. Saturn. Ouid. in Fastis, Liuius, Dionysius, Festus, & post omnes alios Paulus Manutius, in Calendario Rom. cuius nos auctoritatem in plerisque sequi uoluimus: maiore fortasse conatu quàm successu. Actiones aliæ hominũ communis ratione conuersationis Oeconomicæ, aliæ ratione conuersationis Politicæ. Oeconomicæ uocantur, ut in eadẽ domo habitat. quarũ actionum utpote priuatarum non tam accurata est observatio. Sunt tamen illæ ipsæ uel Profanæ, & Dies profãstos Priuatos ex se denominari faciunt: uel Religiosæ, & Dies festos Priuatos faciunt: in illis ratio habetur nuncquidẽ Sacrificiorũ, nunc uerò Feriarũ quæ propriæ sunt Familiis integris, ex usu domestice celebratæ (ut Feriæ Claudiæ, Iuliæ, & similes) aut saltem Singulis domibus, utputa Feriæ Natalium, Funerum, Expiationum. Iam uerò actiones Politicæ in hominem cadunt, ut in ciuitatis participes est, iisdem legibus fruitur: de quarum diebus nunc potissimum loquimur. Quandoquidem autem uariæ sunt actiones, & modò in diuersis, modò in eodẽ dies incidere possunt: ea propter ex Plurium causa dies cõsiderabimus dupliciter: partim respectu actionum politicarum Simplicium, quatenus in unum diem una actio tantum incidit, uel si plures, tamen ab actione excellentiore fit totius diei denominatio: partim respectu actionũ politicarũ Promiscuarum, quãdo in eundem diem actiones genere specieue differẽtes incidunt, & ab iisdem quoque denominantur. De Simplicibus prius agamus loco. Actionum igitur ea quæ pertinent ad Deos, Religiosæ uocantur: quæ ad Homines, Profanæ. Religiosarum respectu Dies alii dies fasti non sunt, Profãsti, quasi procul à fãto, in quibus ea quæ ad Remp. pertinent tractantur uel toto, uel aliqua sui parte: alii fasti sunt, Festi dicti, & propter inuctu sacrifícia Feriati: in quibus uel toto, uel parte tãtùm aliqua, ea quæ ad diuinum cultum pertinent curantur. Namque honori deorum dicantur tum religiosa Negotia, V. G. quòd Sacrificia diis offerantur, quod Ludi in honorẽ deorum agantur. tum Otia: quòd scilicet Epulæ diuinæ celebrantur, Feriæ obseruantur. quasiscunque fecerint, quibus opus nullum, ex præconis edicto, facere licebat. Feriarum autẽ aliæ Incertæ erant, quas consules uel prætores pro arbitrio potestatis indicebãt, Imperatiuæ dictæ: aliæ Certæ, & uel Propriæ magistratuum (quæ quotannis à magistratibus uel sacerdotibus concipiuntur in dies tum certos, tum incertos: ut fasti Latinæ, Paganalia, Sementina, Compitalia, Conceptiuæ) uel Communes totius populi, certis & constitutis temporibus, & in Fastis statis obseruationibus annotatæ, Statiuæ. quarũ aliæ in anno semel, præcipuè Agonalia, Carmentalia, Lupercalia, quib. potissimùm ludi edebãtur: aliæ sæpius, trinundino die, ter singulis mensibus. Nundinæ. n. Ioui olim feriæ, à Seruio Tullio institutæ, sed Hortensia lege inter fastos postea receptæ, ut rusticí qui nono quolibet die nundinandi siue mercium causã in urbem ueniebant, lites coram prætore componere possent: propter frequentiam plebis leges tunc etiam promulgabantur, & candidati in comitio consistebãt. Iam uerò ex Profanis actionibus aliæ locũ suum habent in bello Foris, aliæ Domi & in pace. Illarũ respectu dantur dies alii quibus res repetere & hostem lacessere fas erat, Prælíares dicti: alis quibus hoc ipsum fas nõ erat, Non prælíares, ut Latinarum tempore, Saturnalibus, & cùm Mundus patet. Respectu uerò posteriorũ, cùm Rẽpublica ueluti totum quoddam, constet ciuibus tanquam corpore sine materia, & legibus, tanquã anima sine forma: actionum aliæ expediuntur auctoritate legũ, aliæ auctoritate personarum. Et respectu quidẽ Legum, Dies alii sunt, quibus in Foro iurisdictionem exercere, & Lege agere coram prætore licet (Fasti, quòd iis sententiam cum consilio iudicũ prætor ferre posset, ultimo iudicii die, & tria uerba fari, Do, Dico, Addico. Licebat fari, quamuis non semper soleret fari. Isti interdum senatus haberi, interdum cum populo agere licebat: sed à iudiciis ut parte excellẽtiore denominabãtur) alii, quib. id agere non licet, Nefasti, quibus prætori fari non licebat, neq; etiam cum populo agere, Senatum tamen habere licebat. Respectu uerò Personarum, nimirum ex Romanæ Rẽp. institutione, uel ex auctoritate senatus, uel ex auctoritate populi. Ergo dies alii erant, quibus in curia senatum habere non licebat, Non senatorii, quibus saltem cum populo agere licebat, interdum quoq; lege. alii quibus senatum habere licebat, Senatorii, quibus senatum habere legitimum erat, non autem cum populo agere. Vt sique adeò Senatus & Populi curæ erant distinctæ, sed maiore tamen libertate Senatus, ut qui pluribus diebus cogi posset. Namq; senatorii erant Fasti omnes, hoc est, legitimum erat Senatum habere, sed tamen quibusdam solemne (sic Calendis, Nonis, Idibus semper habebatur) quibusdam non solenne, nisi arbitrio magistratus. Senatorii etiã erant ex Profãstis tũ Nefasti omnes, tum Fasti certi quidã, qui scilicet non essent comitiales. Vt ipsum dies erant, quibus in Comitio agere cum populo non licebat, Non comitiales, quibus lege agere, & Senatum habere licebat. erant & quibus licebat, Comitiales, his enim cum populo licebat agere, & lege etiam: cum Senatu non licebat. Aduocabatur in concionem populus uel ad suffragia ferenda (quod propriè est Agere cum populo, ut rogante magistratu populus aliquid suffragia ferret, & hoc comitiali tantùm die facere licebat) uel non ad suffragia ferenda, sed ut aliquid exponatur, quod propriè est Agere ad populum, & hoc diebus etiam Nefastis & Fastis non comitialibus licebat. Et hi Simplicibus actionibus politicis inseruientes dies fuere. Ai quo ad Actiones promiscuas, Dierũ apud Rom. uaria fuit miscellatio à putori tamen parte denominatio fiebat. Ita quidem, ut alii dicerentur festi, alii profãsti. Festi distinguebantur ex actione forẽ si omnium communissima. Nam Iudicia frequentiora erant Senatu & Comitiis, forè etiam magis necessaria. Festis proinde diebus quo ad Legem primò fari interdum licebat. Mixti uerò erant, propter actionem alteram religiosam, alteram profanam. Dicuntur eiusdemiæ causa Festi Fasti. Et horum rursus alii mixti erant inæqualiter, alii æqualiter. Inæqualiter mixti, priore & posteriore parte festi nefastiq; media fasti erant: Intercisi uel Endotercisi dicti, & in Calendario nota E N insignit. Per hos manè & uesperi fari nefas est, medio tempore inter hostiam cæsam & exta porrecta (cum adoletur) est fas. unde quòd fas intercedit, Intercisi dicti. Æqualiter mixti, altera parte ob religionem nefasti, altera ob iurisdictionẽ fasti erant. Qui si priore parte Nefasti essent, posteriore fasti, dicebãtur. Nefasti primo, & in Calendario notabantur NP. quales fere sunt omnes Festi, Quirinalia, Lupercalia, Terminalia. Sin priore parte Fasti essent, posteriore nefasti, dicebantur Fasti priore, & in Calendario notabantur F P. ut sunt Vinalia. Festis deinde diebus, quo ad Personas, cum Senatu agere semper licebat, & Festi omnes erãt Senatorii: cum Populo uerò agere nũquam licebat: adeoq; Festi Comitiales nulli erant, quia omnes Senatorii: hi autem Comitiales esse non poterant. Porrò dies Profãsti diuidebantur similiter ex actione communissima iudicorum, sic ut alii essent Fasti, alii Nefasti. Et sane Profãsti Fasti erant, quibus lege licebat agere, uel Propriè uel Impropriè. Propriè quidem, quod per eos, nisi cùm quis casus extra ordinem interuenisset, nunquam prætor eis non diceret. Licebat his ex professo lege agere, licebat & Senatum habere, sed diuersis horis. at cum populo agere non licebat. Et hi rursus Fasti erant uel Tũti, quibus omnibus horis licebat & solebat prætor ius dicere (Fasti absolutè dicuntur. & sic Macrobius Fastos notat κατ' ἐξοχὴν, quibus lege agi posset, cum populo non posset) uel Non toti, quibus non horis omnibus, sed iis tantùm, quibus Senatus non habebatur, lege agereturr. Fasti Senatorii dicuntur. Lege agebatur primò, deinde Senatus habebatur, iis diebus tantũ, qui Comitiales non essent. nam Comitialibus nunquam Senatus haberi potest. Impropriè uerò & casu, scilicet tunc tantùm, quando comitia non haberentur: Fasti Comitiales. Hi ex professo licebat cum populo agere (& nisi per strepitum comitiorum impediretur, etiam lege licebat agere, diuersis scilicet horis) Senatũ habere non licebat. Fasti hi erant uel Tuti, quando Comitiali die nulla planè erant comitia: uel Non toti, quam haberentur comitia, sed non per totum diem. Profãsti tandem Nefasti erant, quibus certi aliquid peficere non licebat, licebat tamen ordire & promouere. Sic non licebat Lege agere, hoc est, in foro sententiam ferre: neq; etiam cum Populo agere in comitio, hoc est, populum ad consilium aut comitia suffragiorum causã uocare, quod Comitiali die fiebat. Licebat uero in Curia Senatum uocare, Nefastis omnibus. Licebat in Foro coram prætore causas agere, hoc est, pro reo, uel contra reum dicere (neque enim hoc est Lege agere. Tales sunt Comperendini, quibus nudimanium licet dicere. item Statidicti, qui iudicii causã cum peregrino instituuntur) Licebat denique in Comitio coram populo modò Concionem habere, non ad ferenda suffragia, sed ad exponendum aliquid populo: modò Legẽ promulgare. Legislatio die tantùm Comitiali fiebat. at promulgatio etiam Non comitiali, siue fasto, siue nefasto. Et hæc de Dierum Romanorum differẽtiis. Nunc ad exemplaʒ sit illud prius monuerimus, quandoquidem Festi dies sacrificiis destinati sunt, ea propter sæpè idem nomen Festo & Sacro tribuit. Consulendum protinde esse Tit. Sacrificiorum.

RESPECTV EORVM QVI COLVNTVR. FESTA DEDICATA

Saturno.

SATVRNALIA uetustiora esse urbe Romana adeò, ut ante Romam in Græcia hoc solenne cœperit, L. Accius in Annalibus suis refert his uerbis:

Maxima pars Gratiũ Saturno, & maximæ Athenæ,
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Cumq; diem celebrant, per agros urbesq; ferè omnes
Exercent epulis lætì, famulosq; procurant
Quisq; suos: nostriq; itidem, & mos traditus illinc
Ilte, ut cum domnis famuli tum epulentur ibidem.

Philochorus Saturno & Opi primùm in Attica statuisse arã Cecropem regem dicit: eosq; deos pro Ioue terraq; colui se: institutisseq., ut patres familiarum & siugibus, & fructibus iam coactis passim cum seruis uescerẽtur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraueranr: delectari enim deum honore seruorum contemplatu laboris. Hinc est, quòd ex instituto peregrino, huic deo sacrum aperto capite faciebant. Comites quosdam è suis Hercules in Italia reliquit, uel iratus, quòd incusto ditum fuisset armentum, & à Caco subreptum: uel consultò, ut aram suam atq; ædẽ ab incursionibus tuerentur. Illi ergo cùm à latronibus infestarentur, occupato edito colle, Saturnios se nominauerunt, quo antè nomine etiam idem collis uocabatur. Et quia se eius dei senserunt nomine ac religione tutos, instituerũt Saturnalia festa, ut agrestes uicinorum animos, ad maiorẽ sacri reuerentiam ipsa indicti festi obseruatio uocaret. Macrobius lib. j. Saturn. c. 7. & 10. Saturnalia Romani celebrare solebant, solem Capricornò gestante, in quibus feriabãtur serui, liberorum calceos sibi circumponentes, omnib. uerò inuicem communicantibus: innuente prorsum legis auctore, Per Capricorni portam homines, quibus nunc corporis ratione grauis incumbit seruitus, euadere in libertatẽ mox plenissimam. Quo item poetæ argumento Ianuario mensi conciliatum nomen opinantur. Cælius lib. 13. c. 23. A. L.

Ioui.

LATINÆ feriæ à Tarquinio primũ apud Romanos institutę sunt, in honorem Iouis Latialis, cui statuto tempore in mõte Albano sacra faciebant Rom. ad quæ Latini populi numero 67 nonnunquam nocturno tempore frequenter ueniebant, alij agnos, alij caseos, nonnulli lac, pleriq; molam ad commune epulum adferentes. De cæremoniis harũ feriarum, lege copiosè Alex. ab Alex. lib. 3. c. 7.

Iunoni.

Iunonem aiunt iratam Ioui, incertum qua de causa, in Eubœã secessisse: Iouem cùm placare eam non potuisset, ad Cithęronem, qui tunc Platæensibus imperabat, uenisse: fuisse uerò Cithæronem nemini calliditate secundum. Eius monitu Iupiter simulacrum è ligno fabricauit, illudq; plaustro uestimentis uelatum imposuit: in uulgus uerò prodidit, Platæam eam esse Asopi filiam, quæ sibi esset desponsata. Id ubi ad Iunonis aures peruasit, accurrit illicò, & ad plaustrum accedens, ueste conscissa, ligneam esse effigiem compertit, quam nouam esse nuptam putarat: falsam se itaq; lætanti animo ferens, facile in gratiam cum Ioue rediit. In eius rei memoriam Platæenses Iunoni Taleæ, id est, adultæ templũ ædificarunt, & festos celebrarũt dies, septimo quoq; anno, DÆDALA, quæ nuncupantur parua: quòd prisci ligneas signa Dædala uocitabant. Bœoti reliqui Dædala magna dicta LX demùm anno. Pausanias in Bœoticis.

Neptuno.

PANIONIA Atheniensium festa erant, quæ quinto quoq; anno in Neptuni templo multis sacrificiis peragebantur. Alex. lib. 5. cap. 7.

Veneri.

ADONIA apud Athenienses sacra erãt in honorem Veneris instituta, in quibus mulieres simulacra defunctorum efferre, multaq; funesta & calamitosa, iusto cõploratu & gemitu effingere solebant. Alex. lib. 6. c. 19.

Cereri.

Tempus quoddam obseruãtur in Eryce Siciliæ monte, quod RECESSVS uocant, quo deam aiunt in Libyam transmigrare solitam, quæ columbas omnes eius loci non apparere inquiunt, quasi cum dea simul discesserint. Deinde post noucm dies inuocatis reditibus, una columba ex mari aduolante, ac in templũ deæ accedente, reliquæ protinus adsunt. Tunc igitur quicunq; ex accolis sunt diuites, cõuiuia parant, reliqui cum lætitia applaudunt. Ac totus locus butyrum olet: qua coniectura uti solent, quòd dea redierit. Athenæus lib. 9. cap. 17.

Baccho.

DIONYSIA, inquit in Moralibus Plutarchus, ueteri ritu, cũ multa prorsum & festiua hilaritate agebantur: erat qui amphoram uini ferret, & uitem: aderat & qui hircum trahereet: alius arrichum, id est, cistam aut cophinum, in quo caricæ forent, gestabat: [redacted]

Cælius lib. 7. c. 16. A. L.

Athenienses ubi certamen Dionysij celebratur, primũ quidem prandent, ac bibũt: postea accedunt ad spectaculum, coronatiq; spectant, atq; per totum certaminis spacium uinum infunditur, ferunturq; bellaria, chorisq; ingredientib. potum infundunt, quod rursus postea faciunt, ubi postea quàm certaruut, egrediuntur. Huius rei testem habet Philochorus Pherecratem Comicum, quòd ad sua usq; tempora nõ essent sine cibo spectatores. Scribit Phanodemus apud Dionysij templum, quod est in Limnis, Athenienses mustũ ferentes deo, miscere ex uasculis, ipsos postea bibere, unde Limnæus uocatur Dionysius, quoniam mustum aqua mistum tum primùm bibitum est, atq; idcirco fontes Nymphę dicti sunt, Bacchiq, nutrices, quoniam aqua mista uinũ augeat. Athen. lib. 11. cap. 3.

Palladi.

QVINQVATRIA apud Romanos, quinque diebus Palladi fiebant: ita appellata, quòd quinq; diebus post Idus celebrabantur. Nam dies post Idus ater erat. Inde Quinquatria, quasi quinq; ab atra die. Primo autem die fiebãt sacrificia: tribus sequentibus gladiatores in theatro certabant: quinta die erat lustratio. Erant præterea hæc festa 13. Cal. April. Eo tempore, ut testatur Hieron. munus Minerual appellatum, pueri quando uacabãt, magistro offerebant. Itẽ Quinquatrics minores eidem Mineruæ sacri, Idibus Iunijs, quando tibicines personati per urbem incedebãt, ut illi qui aliàs ebrij Tybure Romã reducti fuissent, indicarentur personati esse inter alios ignotos. Ouidius lib. 3. Fast. Polyd. lib. 6. c. 7.

Soli.

In insula THVLE præcipua solennia sunt, quæ quotannis in honorem Solis celebrantur, quando speculatores ex altissimis montibus nunciant, Solem redire ad ipsorum horizontem, cùm antea uerno tẽpore dies XL integros noctes habuerint, sicut & in Autumno dies XL continuam lucẽ. Procopius de bello Gothorum lib. 2.

Vertumno.

VERTVMNALIA festa erant, Vertumno, qui deus mercaturæ & uertendarum rerum habitus est, dicata: quę mense Octobri in uico Turario sacrificq; Vertumni celebrabantur. Alex. lib. 6. cap. 8.

Genio.

NATALITIIS festis Romæ, pulte, fritillo, mero, libis, florib. & thure sacra Genio sine animali hostia, lætì libẽtes q; concelebrarunt Rom. quibus diebus essu dissę erunrẽ, aut mactasse animal, portenti erat & fœdi auspicij. nam erant hilaritatis & lætitiæ pleni dies, Alex. ab Alex. lib. 2. c. 22.

RESPECTV EORVM QVI COLVNT.

Consideratorũ quo ad Gentem. Vt sunt Festa *Aegyptiorum.*

Frequenter quotannis conuentus agũt AEGYPTII, sed pręcipuè

cipuè ac studiosissimè in urbe Bubasti, in honorem Dianæ: secundo loco in urbe Busiri, in honorem Isidis (in qua urbe maximum est templum Isidis: ipsa in medio Delta Aegypti sita) tertiò in urbe Sai, in honorem Mineruæ: quartò Heliopoli, in honorem Solis: quintò in urbe Buto, in honorē Latonæ: sextò in urbe Papremi, in honorem Martis. Herodotus libro secundo.

Spartanorum.

Lacones per trium dierum spaciū HYACINTHIA, hoc est, Hyacinthi sacrificium celebrant, & ob dolorē quem ex Hyacinthi morte ceperunt, neq; coronantur in cœnis, neq; panem inferunt, sed bellaria tantùm, quæq; his sunt similia, apponunt. Neq; Pæana ad deum canunt, neq; simile quippiam introducūt, sicuti in aliis solent sacrificiis, sed magna cum molestia cœnantes discedunt. Medio autē trium dierū die uarium spectaculum celebratur, conuentusq; fit egregius admodum & magnus. Pueri siquidem citharam in sagulis succincti pulsant, ad tibiamq; canētes, omnesq; chordas in rhythmo anapæsto plectro percurrentes, cum acuto tono Deum concinunt. Alij in equis ornatis theatrum percurrunt, multiq; adolescentum chori, qui poema aliquod uernaculum canunt, ingrediuntur, inter quos saltatores immisti deliram motionem ad tibiam cantumq; effingunt. Ex uirginibus illæ quidem in concauitate ligneæ currus uiminei magnificè præparati uehuntur, illæ uerò in certaminib. iunctorum cutruum pompam ducūt, uniuersaq; ciuitas in motu speculationisq; gaudio detinetur. Permulta fiūt hoc die sacrificia. Atq; ciues omnibus quos nouunt, suisq; seruis conuiuium exhibent. Neq; quispiam est qui sacrificiis non interfit. Athen. lib. 14. ex Polyarate in Laconicis.

Athenientium.

Theseus priusquàm uenire in Atticam, instituit sacra quædā, quæ luctibus ac lætitia peragerentur, quædā contrà, quæ mœrore luctuq;. Ceterùm cum appulisset in Atticam, quoniam multos reperit squallidos ac mœstos ob mortem regis Aegei, qui desperato filij reditu, præ dolore semet è saxo præcipitem dedit: multos contrà lætitia gestientes ob filij reditum: instituit est, ut in OSCHOPHORIORVM festo in honorem Mineruæ Sciradis instituto, ἀπὸ τῶν ὀσχῶν, à palmitibus cum racemis, quos in honorem Liberi & Ariadnæ gestant, non nuncius ipse, sed caduceum coronaretur: deinde q; sacris interfuisset, emitterent has uoces, εἶα εἶα, Eia heu, quarum prior gratulationis est ob felicem reditum, & in bellicis præambulis cani solet (quod liquet ex Aristophanis Pace, ubi crebrò repetuntur illa, εἶα εἶα, εἶα μάλα, εἶα εἶα, εἶα εἶα) altera luctus est, ob mortem Aegei. Vnde & αἶαι dictus Græcis, & αἰαῖον. Hæc uidelicet est imago uitæ mortalium. Plut. in uita Thesei. Oschophori autem duo erant, genere & opibus præstantes, qui palmitē ferebant uuis dependentib. Suidas.

PANATHENÆORVM celebritas ab Erichthonio Vulcani inducta primò, cùm uicatim distrectum Atheniensem populum in ciuitatem euocasset, quod in sequentibus annis amplius implenit Theseus. Dicta priùs fuerunt Athenæa, duobus generibus: erant siquidem quæ celebrarentur πολλῷ πλείονι χρόνῳ, id est, quinto quoq; anno, quæ etiam Magna nuncupabantur: erant & quæ quotannis repeterentur. Suidas, & Cælius lib. 11. cap. 27. A. L.

CHOVM festum Demophon rex Atheniensium statuit, Orestem Athenas profectum excipere uolens: cùm nollet tamē eum ad sacra accedere, aut eiusdem sacri esse socium, quia nondum fuerat expiatus, sacra concludi iussit, ac uini choā singulis apponi, ei inquiens, qui primus bibisset, se placentam esse daturum. Edixit præterea, ne quis coronas post potum deponeret, quibus coronabantur in sacris, quoniam cōtubernales fuissent cum Oreste. At utq; omnes circa Choā deponerent, iussit, coronasq; ipsas sacerdoti auferre in lucum, qui est in paludibus, reliqua in templo sacrificare, ex quo festum Choes dictum fuit. Per Choum festum munera, mercedemq; sophistis mittere solebant: itq; uicissim familiares in conuiciū euocabant. Ex Eubulide, Athenæus lib. 10. cap. 12.

Athenis festum erat, quod APATVRIA uocabant, id triduo peragebatur. Primū diem appellabant δόρπια, propterea quòd sub noctem conuenientes φράτορες conuiuium agerent: secundum appellabant ἀνακάλυπτα, quòd in eo rem diuinam facerent Ioui Phratrio, ac Mineruæ: tertium κουρεῶτιν, quòd iuuenes & puellæ in gentē transscriberentur. Suidas.

XYTPOI festum Athenis, quod codē die quo Choes agebatur, in quo omnis generis semina in olla elixa, Baccho & Mercurio offerebantur. Theopompus autem dicit, conseruatos è diluuio coxisse omnis generis semina in olla (unde sic uocari festum) & libasse cōgios Mercurio terrestri, de olla uerò nunquam gustasse. Hoc autem eos fecisse, qui euaserant, Mercurij placādi causa, pro defunctis etiam. Id festū celebrabat mēse Anthesterione, ut tradit Philochorus. Idē.

BOEDROMIA, festum quoddam est Athenis, ex eo institutum, quòd Xuthus Atheniensibus, quo tempore sub Erechtheo rege ab Eumolpo Neptuni F. oppugnabantur, magno studio tulisset opem. Suidas. At Plut. in Theseo, ob uictas à Theseo Amazones mense Boedromeone, Boedromia celebrata scribit.

THARGELIA, festum Apollinis & Dianæ, quo primitias illi deo coquebant frugum, quæ prouenerant. Ex eo dictū est, quòd Apollo, id est, sol calefaciat terram. Tum etiam choreæ ducebantur. Thargelion, mensis Aprilis est, Apollini sacer, quo festum hoc agebatur. Suidas.

ASCOLIA, festum celebrant Athenienses, quo per caprinos utres, inflatos & unctos, in medio theatro, cùm ridiculi cauſa, quum delaberentur, saliebant: tum in Bacchi honorem, quòd caper uitibus sit infestus. Quod ἀσκωλιάζειν dicunt. Vnde epigramma:

ἀ δῶ με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἐπ κρατηφορήσω,
ὅσσον ἐπιπαίσῃ σοι τράγος θυομένῳ.

Rode caper uitem: tamen hinc, cùm stabis ad aram,
In tua quem fundam cornua Bacchus erit. Suidas.

PITHOEGIA (inquit Proclus) festum ueteribus erat, quo in uini participatum & seruos aduocabant & mercenarios: relinebantur enim tunc primùm dolia, proinde sacra re diuina, Dionysiaci doni cōmunicatio omnibus patebat. Cōprecabantur uerò, ut Plut. inquit, ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς φαρμάκων τῶν ἀρχαίων μανίδος, id est, innoxiam salubremq; ipsis fieri medicamenti potionem. Vndecima mensis die sacrificari hoc Athenis consueuisse, produnt auctores. Alicubi etiā sexta eius, qui Prosaterius uocaretur, Bono dæmoni diuina re peracta, desinente iam Zephyri perflatu, qui oblædere uinum ac commouere præcipuè creditur. Eum proinde quòd euaserit, firmum iam haberi cōstansq;. De Pithoegiis intellexisse Hesiodum uolunt in ἔργοις:

ἔρχομαι δὴ πίθοις τε καὶ ληνοῖσι κορέσασθαι,
μεσσόθι φράσσασθαι ἐν οἴνῳ πυκνὰ μέριμνα φέρουσα.

Cælius lib. 28. cap. 25. Antiquarum lectionum.

Atheniensibus mensis quidam Anthisterion appellabatur, quis plurimos flores progigneret. In hoc festa quæpiam ANTHISTERIA agebantur, & conuiuia liberiora, quemadmodum in Saturnalibus fieri consueuit apud Romanos, in quibus & seruis accumbere licebat, feriatis interim ab opere. Exactis autem feriis, cùm iam ad solitas operas reuocarentur, hoc pacto dicebant heri, Foras Cares, non iam amplius Anthisteria. Cares autem seruos appellabāt, quòd ea gens mercenariis operis quæstum facitaret, uelut omnium seruii, quicunque conduxissent. Sunt qui dicant, Cares olim Atticæ regionis partem obtinuisse: Atheniensēs autem cùm Anthisteriorum solennitatem agerent, solere Cares in ciuitatem atq; in domos receptos ad festi communionem admittere: deinceps peracto solennitatis tēpore, si quos è Caribus offendissent in urbe cessantes, per iocum dicebant:

Θύραζε κᾶρες, οὐκέτ' ἀνθιστήρια. id est,
Exite Cares: acta enim Anthisteria.

Sonat autem ea uox Græca perinde, quasi dicas Floralia Latine, quorum licentia multorum literis notissima est. Erasmus in Chiliadibus.

Romanorum.

Inter FERIAS statiuas, quibus præcipuè edebantur ludi, numerantur Lupercalia, Agonalia, Carmentalia, Consualia. AGONALIA Festus uocat sacra dei Agonij, præsidētis rebus agendis: sicut CARMENTALIA dicuntur sacra Carmentæ, matris Euandri: quę ita nuncupata est, quòd mulier fatidica carminibus responsa daret: nam ei antè Nicostrata nomen fuerat. CONSVALIA à Romulo instituta Conso, quem consilij deum putabant. In circo maximo ad arā, teste Dionysio, subterraneam, sacrificia & ludi fiebant, quib. uirgines Sabinæ nuptæ fuerant. Polyd. lib. 6. c. 7. de Inuent.

Seruorum.

Præter lucos penatesq; , quos in agris & oppidis SCLAVORVM magna frequentia uidere licebat, in agro Aldenburgensi, ubi olim episcopalis fuit sedes, Proue idolum cultū. Apud Polabros Siuua muliebre numē dominabatur. Obotriti Radigasti idolum uenerabantur. Helmoldus cap. 53. & 70. Horum solennitates sacerdotum aliquis iuxta sortium nutū publicè denūciabat. Conueniebāt tum utriusq; sexus omnium ætatū homines, mactabantur hostiæ de bobus ouibusq; : sæpiùs etiā Christiani homines miserè iugulabantur, quorum sanguine inprimis suos deos delectari putabant, si aspergeretur, & oraculis capessendis plurimū inde accedere emolumenti. Posthæc populus ad epulas & plausus cōuertebatur. Circumgestabatur inter compotationes pateta quædam, in quam conferebāt uerba quædā sub deorum nomine prolata, boni scilicet atque mali: quorum ille prospera, hic uerò aduersa immitteret. Helmold. ibid. Chron. Sax. Cranzius lib. 3. cap. 37.

Habi-

Habitum. Festa

Stultorum.

Romę QVIRINALIA stultorum festum nominabant. An quidem hunc tribuerint, ut est auctor Iuba, iis, qui curias suas ignorarent? An iis, qui non sacrificauerūt, ut reliqui, per tribus in Fornicalibus, ob negotia, uel peregrinationē, uel in scitiam, concessum est eo die solenne illud agere? Plut. in quæstionibus Rom.

Pastorum.

LVPERCALIA multi tradunt fuisse festum olim pastorū Italicorum. Congruunt aliquatenus cū Arcadicis Lycæis. Nobiles iuuenes frequentes & magistratus nudi per urbē discurrunt, hirtutis scuticis obuios per ludum & iocū cædentes. Multæ quoq; principes feminæ ex composito offerunt se illis, ac manus ferientibus, sicut in ludo literario exhibēt, creduntque id ad facilē puerperium prægnantibus, & insecundis proficere ad cōceptum. Plut. in Cæsare & Romulo, & Alex. lib. 4. cap. 12.

Sexum. Festa

Mulierum.

MATRONALIA festa & sacra Romæ, post raptas Sabinas, & pacem cum Sabinis factam instituta, & matronis celebrari concessa, composita belli monumentum. In iis Iunoni Sospitæ sacra faciebāt matronę pro coniugiis. Plutarchus in Romulo.

Est apud Romanos dea, quam BONAM dicunt, sicut Græci Muliebrem. Hanc Phryges sibi afferentes peculiarem, Midæ regis autumant matrem esse: Romani nymphā Dryada Faunō uocant: Græci Liberi patris eam matrem, quam nefandum est nominare: unde pampinis tentoria festum diem agitantes mulieres contegūt, ac facer draco ex fabula ad pedes deæ iacet. Eo uirum fas non est accedere, neq; dum sacra aguntur, in domo, ubi aguntur, esse. Solæ feminæ multa Orphicis germana memorantur in solenni peragere. Vbi festus dies instat, celebratur in ædibus cōsulis uel prætoris: ipse autem domo omnesq; uiri cedunt. Vxor sola domum parat, peragiturq; ferè nocte per lusum pernigilio commistum, inter magnum concentum. Plut. in Cæsare.

CARMENTALIA Romanorum festa erant, quæ à matribus familiis annis singulis ad 18. Calendas Februarias fiebant, in quibus aliquid scorteum, aut sua motte peremtum attulisse, magnum crimen erat. Alexan. ab Alex. lib. 6. cap. 8. Carmentam quidam proprium hominum procreationis fatū opinantur esse, & ob id matres hæc sacra agitare. Alij Euandri Arcadis matrem fatidicam, eam Phœbo dicata esse tradunt (Plutarchus in Romulo) & Carmentam, quòd carmine responsa daret, appellatam. Nicostratę enim proprium illi nomen fuerat.

Libertatem. Festa

Seruorum.

Festis Saturni diebus apud ROM. seruos ingenuorum ministeria occupare, pileos sumere, & à liberis nullo discrimine differre, stipesq; inuicem dare, & munera missitare, seruatū est. Regna quoq; sortiri inter æquales, & tanquā reges imperitare, magistratus purpuram induere, reliquos in ueste candida diem concelebrare. Quę etiam mos cum Græcis & exteris communis fuit. Nam per Mercurialia festa, HERMÆA dicta, hoc ipsum fiebat in Creta, uelut testatę est Caystius in Historicis commentariis: nam conuiuantibus seruis domini illis seruiebāt atq; ministrabāt. In Trœzene uerò Geræstionis mēse per multos dies fit cōuentus, PANEVRA dictus, quorum in uno seruī cū ciuibus unā ludunt astragalis, & seruis domini conuiuium præbent: ut asserit Caystius. Berosus autem libro Babyloniarum rerum primo, ad 16. Calendas Septembris scribit festum SACÆA uocatum, per dies quinque agi in Babylonia: in quibus mos erat, ut serui dominis imperitarent, atque unus eorum edicebatur ex domo stolam regiæ similem indutus, quem Zoganem appellabant. Mentionem fecit huiusce festi Ctesias lib. 2. rerum Persicarum. Athenæus lib. 14. c. 17.

Saturnalia in Thessalia celebrata, & PELORIA fuisse nuncupata, Græci scribunt, à Peloro quodā, qui Pelasgo nunciasset primus, perruptis terræmotu montibus, effusas stagnantes prius in Tessalia aquas, renudatosq; spaciosissimos cāpos. Cælius lib. 13. c. 23. A. L.

RESPECTV FORMÆ SEV MODI. Tum

Ante Festum.

Ex institutio NVMÆ in pompis & supplicationibus sacerdotum Rom. antecedebant per urbem pręcones, feriasq; & iusticium indicebant. Siquidem ut Pythagoreos aiunt nō per mittere, ut obiter quis adoret & supplicet diis, uerū ut domo statim mente ad id meditatus accedat: ita censuit Numa decere, nihil ut ciues rei diuinæ audirent uel uiderent perfunctoriè uel solutè, sed uacui curis aliis uelut summo negotio religionis aduerterent animum, uiasq; à strepitu, crepitu, gemitu, & omnibus quæ comitātur necessarias & uulgares operas, ad sacras præstarent puras: quorum uestigium nonnullum suo æuo manere Romæ testatur Plutarchus in Numa.

In Festo. Huc

Otium.

Apud ROM. regēm sacrorum Flaminesq; non licebat uidere feriis opus fieri: & ideo per præconem denunciabant, ne quid tale ageretur: præcepti negligens multabatur, & porco piaculum dabat. Licebat tamen ex Scæuolæ consilio id agere, quod prætermissum noceret, ut bouem è specu liberare, ruinosum tectum fulcire: lic Mārō inquit, Balantumq; gregem fluuio mersare salubri. Salubri adiicit, ut constet, non ob lucrum purgandæ lanæ, sed auertēdi morbi gratia, id festo die fieri concessum. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 16.

Lætitia, Conuiuia, Choreæ.

HILARIA Romanorum festa erant ad 18. Cal. April. instituta, in quibus solennia & ludos publicos, diesq; hilares cōcelebrant, quo tempore Sol Zodiaci peragrato spacio per omnes signorum stationes ad nos reuertens, longiores nō ctibus dies efficit. Alex. lib. 4. c. 20.

SALII Martis sacerdotes cœnis sumtuosis & comessationib: cum cantu & symphonia opiparè sua festa celebrabant, in quibus suttiles coronas & alia conuiuiorum oblectamenta adhibebant. Alex. lib. 1 c. 26.

Certamina, Cædes.

MALABARES Indi, XI Cal. Septemb. sacrū solenne faciunt, in quo pueri arcubus armati, in sodales per ludum sagittis leuissimas emittunt. Deinde ij, qui ætate magis prouecti sunt, similiter tela coniiciunt, quibus multi grauissimè sauciati moriuntur. Cum iis, qui ad hunc modum è uita discedunt, præclarè actum putant. Hos enim censent in cœlum, ut cum diis æuum exigant, immigrare. Multa sunt apud illos anniuersaria sacra, in quibus quidam uariis sibi modis in maximo hominum cōuentu & celebritate uitam exhauriunt. Osorius lib. 2. rerum Emm:

Diripitio.

Ἁρπαγὴ κοτυτίων, id est, Rapina Cotytis. COTYTIA festum quoddam erat apud Siculos, in quo ex more placentulæ quæpiam & arborum fœtus ramis alligabantur, eaq; diripienda proponebantur. In Plutarchi Collectaneis Dicti sōlitum, de bonis temerè profusis diripiti sq;. Erasm. in Adag.

RESPECTV FINIS. FESTA INSTITVTA, CVLTA causa

Memoriæ præteritorum.

Festum diem SEPTIMONTIVM Plut. in Problematibus ponit, quum septimus mons est urbi quasi tum demūm finitæ additus. Polyd. lib. 4. de Inuent.

Victis à Camillo Gallis, & Roma denuò instaurata, Latinos aiunt, siue in speciem, siue reipsa institutisse de integro contrahere inter utrāmque gentem affinitatem, ac legatos mississe, qui ingenuarum puellarum à Romanis pudica poscerent connubia. Fluctuantibus, quid consilij capeſent, Romanis ancillam Tutolam nomine, ut alij dicunt, Philotide principibus subiecisse, secum ut mitterent ancillas, quæ ætate florente & liberali essent forma, in uirginum ingenuarum motem excultas reliqua sibi curæ fore. Principes probato consilio delegisse ex ancillis, quas ad eam rem illa probasset: easque uestes ornatas & mundo Latinis, qui stātiua non procul habebant ab urbe, tradidisse. Non cæteras gladios hostibus subtraxisse: Tutolam uel Philotidem conscensa edita caprifico, & stola aduersus castra obtensa, facem Romam uersus sustulisse: quod ei cum magistratibus signum aliis inscis ciuibus conuenerat. Quapropter tumultuariè à militibus excursum fuisse, quum instarent duces, sese mutuò appellantibus, uix ut instrui possent in aciem: Vallum nec opinantibus hostibus sopitisq; adortos cepisse castra, atque maxima ex parte hostes obtruncasse: idque festum NONIS Quintilibus, quas nunc appellant Iulias. In huius rei memoriam festum agi, quo primùm agmine erumpentes urbe nomina plurima patria & uulgaria cient; Caium, Marcum, Lucium, & his similia: referentes mutuam illam in properando appellationē. Deinde splendidè comtæ urbem circumeunt ancillæ, dicteria in obuium quemq; iacientes. Pugnam quoque inter se conserunt, ut quæ etiam tum in prælio cum Latinis inito operam nauauerint suam. Ad epulum consident ficulneis inumbratæ ramis. Eum diem Nonas Caprotinas à caprifico, ut arbitrantur, ex qua facem edidisse ferunt puellam illam, nominant. Alij pleraque, quæ hic aguntur & dicuntur, referunt ad Romuli

muli casum. Illo enim die ex oculis hominum extra portã abiisse Romulum, caligine subitò cum procella coorta: ut autem nonnulli arbitrantur, sole deficiente. Atq; hinc diem illum Nonas Capratinas à capra dictum. Nam Romulũ cũ ad paludem Capræ appellatam haberet concionem, ex cõspectu hominum ablatus est. Plut. in Camillo & Romulo.

Cùm Tarentini à Romanis obsiderentur, periculumque esset, ne fame ad deditionem compellerentur: Rhegini decimo semper die ieiunium decernentes, uictum concesserũt TARENTINIS. Proinde cùm decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini, festum cõstituerũt, quod Ieiunium appellabant.

PANEGYRIN canum, mense Augusto ab Romanis solitam celebrari, auctores Græci sunt, monumento urbis captæ ab Gallis. Tunc uerò cædebantur canes, quia αἰώλακτοι, id est, sine latratu egerant, anseribus ampliter sonoreq; inclamantibus. Hoc ipsum arbitror à Plinio significatum lib. 29. ubi canes ait annua pendere supplicia inter ædem Iuuentutis & Summani, in furca uiuos arbore fixos sambucea. Cęlius lib. 17. cap. 28. Ant. lect.

Consecrandi. Inaugurandi.

E'ICITH'PIA, festum Athenis, quo magistratus omnes auspicantur: estq; anni principium. Suidas.

Diuinationis, Oraculi.

Apud Delphos mensis est Bysius dictus, quasi Pysius, quo scisciantur & consulunt Apollinem. Nam ita loqui est eis patrium. Siquidem hoc mense reddebatur oraculum diemq; eius septimum Apollinis natalem esse existimant, uocantq; eum πολυφθοῖον: non quia parentur φθοῖς, quod est placentæ genus: uerùm quòd tunc frequentes deum consulãt, ac crebra oracula reddantur. Serò enim, ut quoq; mense sortes ederentur perentibus, permissum est. Antea semel quoq; anno respondebat eo die sacerdos: ut scriptũ reliquerunt Callisthenes & Anaxandridas. Plut. in quæst. Græcan.

Fructuum.

Rudis fuit priscorum uita, atq; sine literis: non minùs tamen ingeniosa fuit in illis obseruatio, q̃ in posteris ratio. Tria namq; tempora fructib. metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesq; festos, RVBIGALIA, FLORALIA, VINALIA. Rubigalia Numa constituit, anno regni sui XI. q̃ nunc aguntur ad 7. Cal. Maij, quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat. Floralia IV. Cal. eiusdem instituerunt, Vrbis anno DXVI, ex oraculis Sibyllę, ut omnia bene defloresce rent. Hæc deæ Floræ prid. Cal. Maij dicata. Vinalia festa bis apud Romanos celebrata sunt in anno. Priora IX. Calend. Maij, degustandis uinis instituta, nihil ad fructus attinent, cùm uina pura sunt, quo die Ioui nouum uinũ libare mos erat, quod ex dolio haustum Calpare eximebant. Eo tẽpore instituta, cùm Veneri ædes dedicaretur, cuius turelæ olitores addicebantur. Tempestatibus leniendis celebrabantur, in quibus uinum nouum in urbem ferre, & in cellis uinariis condere assueuerãt. Vnde apud Tusculanos lege cautum erat, ne quis nouum uinum, antequam Vinalia calentur, in urbem inucheret. At Vinalia altera ad 13. Calend. Septembris aguntur. Plinius lib. 18. c. 29. Quibus flamen Dialis uindemiam auspicatus, maturis uuis uinũ legere, & uindemiam fieri iubebat; quibus festis agnum Ioui immolãt, interq; cæsa & porrecta uinum legit. Alex. lib. 6. c. 8.

Expiationis, Lustrationis.

QVIRINALIA stultorum festa apud Rom. in quibus sacrificio explare cogebantur ij qui in Fornicalibus non fuerant feriati, quique in sua tribu sacrum non fecissent. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 12.

AMBVRBIALIA festa erant, in quibus ob dira quædam uisa prodigia, tedæ aut uictimæ sulphuris & aquæ lustratione, urbs aut Capitolium expiaretur & lustraretur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26.

AMBARVALIA festa & sacra erant, quæ tutandis imperij finibus fiebãt, in quibus uitula aut agna coronata, messis, ager, fundus, terra, grex, uel pecus ter circumlustrabatur, ꝓ sequente agrestium turba cum fistula, solennique psaltu & clamoribus, deum deamúe, cui sacra fiebant inuocante, uti morbos, & intemperiem omnem prohiberent, frumenta & pecora ab omni detrimento tempestateque defenderent. Ibidem.

SOLITAVRILIA festa erant, quæ singulo perfecto quinquennio per Censores fiebant, qui urbem, sue, oue & tauro, aut uerre, tauro & ariete lustrare solebant. Idem.

ARMILVSTRIA Romanorum festa erant, in quibus equites aliiq; milites coronati, facto sacrificio lustrabantur in campo Martio. Ibidem.

TVBILVSTRIA festa erant Romanorum, in quibus mense Martio Tubæ sacrorum in atrio Saturio lustrabantur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26.

RESPECTV TEMPORIS, QVANDO INSTITVTA, CVLTA, FESTA

Vnius diei.

Argiui NVMENIA cuiusque mensis celebrant, mulieres uitilibus tunicis & chlamydibus, uiros autẽ peplis mulieribus amicientes, in memoria Telesillæ poetriæ, quæ Argos oppugnante Cleomene, Argiuas armatas ad pugnam eduxit: quæ armatæ in propugnaculis stantes, circumcircamuros tuentes, Cleomenem repulerunt. Polyænus lib. 8.

Plutarchus in Problematib. Rom. antiquitatum, docet apud ueteres CALENDAS primum mensem diis cœlestibus habitum sacrum, secundum uerò diis inferis, in quo & lustrationibus quibusdam uti mos erat, & mortuis parentabãt. Quinctiam totius mensis tres dies principes & auctores esse uoluerunt, Calendarum, Nonarum, & Iduum, quos festos ac sacros habebant, ueluti diis superis dicatos: qui hos sequerentur, hoc est, postridie Calendas, Nonas & Idus, diis manibus attribuebant, ac proinde nefastos ac religiosos iudicabant. Sic & apud Græcos tertius crater Sospitatori Ioui, secundus semideis ac dæmonibus tribuebatur. Principium autem omnis numeri est ἑνὰς, cui aduersatur δυὰς, inter pares numeros primus, nec finem habẽs, nec perfectus, cùm ternio fit absolutus. Hinc Pythagoricum ænigma, πίνειν ἀγαθοῖς πεφυρὰ θεοῖς, ἄγνα δὲ τοῖς χθονίοις. Erasmus in Chiliadibus.

Apud Rom. MARTII mensis (qui primus fuit, ex Romuli instituto) die prima, ignem nouum Vestæ aris accendebant: ut incipiente anno, cura denuò seruandi nouari ignis inciperet. Eodem quoque ingrediente mense, tam in regia curiisque, atq; Flaminum domibus, laureæ ueteres nouis laureis mutabantur. Eodem quoq; mense & publicè & priuatim ad Annam Perennam sacrificatum ibatur, ut annare, perennareq; commodè liceret. Eodem mense mercedes exoluebant magistris, quas cõpletus annus deberi fecerat. Comitia auspicabantur, uectigalia locabant. Et seruis cœnas apponebãt matronæ: ut domini, Saturnalibus: illæ, ut principio anni ad promtum obsequium honore seruos inuitarent: hi, quia grattam perfecti operis exoluerent. Macrob. lib. j. cap. 12.

Inter festos celebratosq; dies, quos in honore deorum uetus religio sanxit, IDVS præcipuè solennes semper fuisse accepimus. Nam præteriquàm quòd omnes Idus Ioui feriatæ, & à flamine dialì bouem immolari singulis Idibus perspectum sit: tamen præcipuæ quędam erant feriæ Idibus dicatæ, quas ueteres coli obseruariq; iusserunt, ut illas prætermittere, & insolennes relinquere, ducerent nefas. De quib. prolixè Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 18. Idus Martias ad Annam Perennam, quò commodè annare & perannare liceret, festas genialesq; obseruarunt, largioribus poculis indulgentes. Ea enim nympha soror Didonis credita, in Aricino seu Laurẽte sedem habuisse fertur, quam à perpetuitate Perennam nuncuparunt: quæ Idus infaustæ & ominosæ postea fuere: placuitq; illas Parricidium uocari, quòd illis D. Cæsar coniuratorum manibus cæsus occubuit. Idem, cap. 17.

Ter in mẽse, nono quolibet die, rustici uel mercium uel negotiorum causa in urbem uenebant, ex instituto Seru. Tullij. NVNDINARVM feriæ Ioui olim sacrę, lege Hortensia posita inter Fastos receptæ, ut lites coram prætore componere possent. Eodem die trinundino olim propter frequentiã plebis leges etiam promulgabantur, & candidati in comitio in colle consistebant, ut ab omnibus conspici possent. Quæ tamen postea desierunt, quum etiam internũdino die magna plebis adesset frequentia. Polydorus lib. 6. cap. 7. de rerum Inuentoribus.

Plurium dierum.

Ex præcedentibus ploraq; exempla.

SIMVLACRA, IMAGINES DEORVM NVLLÆ.

AEGYPTIORVM templa licèt marmore & auro essent elaborata, luxu ingenti & mira arte, tamen deorũ imago nulla erat: sed eatum loco uiui dij, Simia, Ibis, uel Crocodilus, aut aliæ id genus pestes magorum & Aegyptiorũ portenta, pro diis colebantur. Alex. lib. 2. c. 22.

PERSÆ nec statuas, nec aras erigebant, deos uerò putabant Cœlum, quem Iouem existimabant, Solem quem Mithran uocabant, Item Lunam, Venerem, Ignem & Tellurem: præterea Ventos & Aquam. Strabo lib. 15. Herod. lib. j.

Apud SERES, sicut tradit Eusebius lib. de Præpar. Euang. 6. lege exceptum erat, ne simulacra colerentur. In ROMANORVM quoq; templis, Clemens ait, ex decreto Numæ, Mosaica dogmata penitus æmulati, annis C atq; LXX. ab V. C. nullam imaginem, neq; fictam, neq; pictam esse conspectã. Asserit idem & Plut. in uita Numæ.

GERMA-

GERMANI prisco tempore (ut Tacitus scribit) nec deos cohibere parietibus, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium fas arbitrabantur.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator sanctissimus, etiã si multarum ceremoniarum apud gentiles institutor esset, nulla tamẽ apud eum ficta deorum imago fuit: quippe hominum aut animalium species diis tribui, semper uetuit. Alexand. ab Alex. c. 2. lib. 22.

ROMANI ex Numæ instituto simulacra nulla deorum habebant. Primus Tarquinius Priscus Græcorum religionũ idololatrica superstitione eos imbuit. Vide Tit. Religiõis ethnicæ institutio.

SIMVLACRA, IMAGINES, respectu DEORVM QVI coluntur,

Quorum. Puta

Iouis.

Signum Iouis Olympij à Phidia factum, ab ELEIS de mantibus finitimorum populorum qui defecerãt positum. Sedet in solio deus ex auro & ebore factus. Corona capiti imposita est, ad oleaginæ frondis imaginem. Dextera victoriã, & ipsam ex ebore & auro præfert, cum tænia & corona. Leua sceptrum tenet affabrè expolitum, & omnium metallorum uarietate distinctum. Quæ auis sceptro incumbit, aquila est. Aurei sunt deo calceí, pallium item aureum. In eo cũ diuersa animalia, tum ex omnibus florum generibus lilia inprimis cælata sunt. Solium ipsum auro & preciosis præfulget lapidibus: neq; in eo uel ebenum, uel ebur desiderat. Animalium uerò formis intercurrente pictura exornatur: signa etiam in eo eminent Victoriæ quatuor saltantiũ specie ad singulos sellæ pedes. Duæ itidem ad pedum calcẽ sunt. Ac prioribus quidem pedibus insistunt Thebanorum pueri à Sphingibus rapti. Infra Sphingas Niobem cum filiis Apollo & Diana sagittis configunt. Inter pedes discurrũt regulæ, mutua illos compage iungentes. Vide Pausan. lib. 5. Qui mox subiungit: Olympij Iouis signum, quàm alte lateq; pateat, linearum descriptionibus qui demonstrare conati fuerint, cùm sciam non defuisse, eorum mihi certè parũ est in metiendo probata solertia. Est enim ea tota dimensio inferior multo propè aspicientium opinione. Tradunt certè ipsius dei auctoritate Phidiæ artem comprobatam. Nam cùm expolito iam opere Iouem orasset, significationem ut sibi aliquam daret, nunquid illud ipsi acceptum esset, & gratum opus, eam pauimenti partem de cœlo tactam memoraunt, quo loco urna ætate mea ex ære (quod loci esset insigne) posita est.

Iani.

IANO triplex statua in foro Romano erecta est, ad quarum unam ueniebant creditores, ad alteram qui fœnus reddderent, ad tertiam autem qui locarent. Alex. ab Alex. lib. j. c. 14.

Proserpinæ.

PROSERPINÆ statuam iuxta Curiam Hostiliam fuisse erectam legimus apud Alex. lib. j. c. 16.

Angeroniæ.

Duodecimo Calen. Ian. feriæ sunt ANGERONIÆ, cui pontifices in sacello Voluptæ ad Naualia prope portam Romanam (teste Varrone lib. 5. de ling. Lat. & Macrobio) sacrũ faciunt: quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quòd angores ac animorũ solicitudines propinata depellat. Masurius adiicit, simulacrum eius deæ ore obligato atq; signato in ara Voluptæ propterea collocatũ, quòd qui suos dolores anxietatesq; dissimulant, perueniant patientiæ beneficio ad maximam uoluptatem. Lud. Viues in lib. 4. de ciuitate Dei, cap. 8.

Fortunæ.

Homerus Tychen siue Fortunam deam ignorauit, nisi ꝓ Oceani filiam cum Proserpina ludentẽ in Hymno Cereris facit. BVPALVS architectus & plastes insignis Smyrnęis Fortunæ signum omnium uetustissimũ finxit primus, capitiq; polum imposuit, altera manu cornu Amaltheæ tenentẽ fecit. Pindarus θρονόπολιν etiam uocauit. Pausan. in Messeniacis.

E qua Materia.

PLATO lege uetuit, ne deorum imagines ex auro uel argento, ferróue aut ære fierent, sed tantùm ex ligno uel lapide: ut ne imperiti homines ex occasione rei preciosæ, existimarent se propterea deos placare aut decipere posse. Polydorus lib. 6. cap. 13. de Inuent.

In statuis deorum, sub Constantino & Theodosio Impp. euersis, repererunt aut mortuorum corporum ossa, atque arida crania, incantatorum peruersitate imposita: aut fordidos panniculos, fœda abominatione refertos: aut fœni & stipularum fasciculos. Eusebius lib. 3. de uita Constantini. Ac ꝓ statuas incantatores suas exercuisse fraudes, patet ex historia Theotecni apud Eusebium lib. 9. cap. 3. & 11. Ex adytis ꝓ cuniculos in statuas prorepebant, indeq; responsa dabant. Theodoretus lib. 5. cap. 22.

TARTARI sigillaria ac idola quædã humanæ formæ, ex centone facta, ad utranq; ostij partem locant, quibus ubera ꝓminent, atq; illa custodiæ pecorum & tutelæ præesse arbitrantur: horum beneficio, lactis gregalis, & pullorum gallinaceorum copiam profluere credunt. Nonulla quoq; simulacra è serico formant, præfigunt curribus, & adorant: in quibus quidem curribus si qui furtum fecerint, ueluti sacrilegi, indicta causa continuò trucidantur. Cùm sigillaria talia facturi sunt, nobiliores mulieres cogunt. Formato idolo, ouem mactant: combustis ossibus, cætera deuorant. Ac grotantibus quoq; pueris puppas dicant, ad lectumq; suspendunt. Chiliarchæ & centuriones in media statione hircos habent, quos idolis faciunt, primitiasq; lactis iumentorum ac pecorum delibant. Cùm celebrant conuiuia, omnium quæ apponuntur primitias offerunt. Cùm sacrificant uictimas, cor simulacro dicant: deinde id decoquunt, ac deuorant. Suo regi ante stationem magnum simulacrum honorificè ponunt: cui equos, quos nemo deinde conscẽdit, dicant. Mactant etiam animalia uaria, quæ combustis ossibus deuorant. Huic quisq; præteriens se inclinare ac præuenerari cogitur: quod cùm Michael dux Rutenorum facere recusaret, extemplò trucidatus est. Bonfinius lib. 8. Dec. 2.

Qua Forma.

Ex præced. & seq. illustretur.

HOMINVM QVI COLVNT. SIC Idola sua habuere

Aegyptij.

Iupiter cùm ab Hercule, cernere omnino cum uolente, cerni nollet: tandem exoratus, id commentus est, ut amputato arietis capite, pelleq; uillosa, quam illi detraxerat, induta sibi, ita sese Herculi ostenderit. Ex hoc AEGYPTII instituerunt, Iouis simulacrum facere arietina facie: & ab Aegyptiis Ammonij acceperũt, qui sunt Aegyptiorum atq; Aethiopum coloni, & linguam inter utrosq; usurpantes. Qui etiã uidentur ea de re se Ammonios cognominasse, q̃ Aegyptij Iouem Ammonem appellant. Ob hanc etiam rem oues & arietes non mactãtur à Thebanis, sed sacrosancti sunt. Certo autem die tantùm quotãis, in festo Iouis, unum demũ arietem mactant, cuius pelle detracta, Iouis simulacrum induunt: ad illudq; deinde aliud ducunt Herculis simulacrũ. Quo peracto, cuncti qui circa templum sunt arietem uerberant, deinde sacra eundem urna sepeliunt. Herod. lib. 2.

Scriptum reliquit Lucianus in Philopseudo, miraculum illud statuæ MEMNONIS fuisse celeberrimum, in templo Serapidis, Aegyptiis Thebis. Nam sponte sua mane cùm radiis solis tangeretur suauẽ sonum emittebat, & nescio quid lacrymabile sub solis occasum, cùm matris aduẽtu lætari, cõstari discessũ putaretur, ut testatus est etiam Corn. Tacitus. Hanc statuam etiam reddere responsa consueuisse, antiqui dixerunt. Fama est statuam nigri lapidis fuisse, quæ sonum illum emitteret. Scribit Strabo lib. 17 se Thebas in Aegyptũ aliquando cõtendisse, ubi duo altissimi erant colossi ex integris lapidibus inter se propinqui, quorum alterius superiores partes iam corruerant ob terræ motum: huius pars ipsa, quæ reliqua erat super base, circiter horam primã, ut inquit, sonum emisit, haudquaquam magnum, ingenti præsente multitudine. Zezes Chil. 6. hist. 64. cippũ ait uocatũ fuisse Memnonem ab Aegyptiis, & columnã rubri uarij lapidis fuisse, quæ sonũ illum emitteret: lętum quidẽ per diẽ, quia lætaretur matris præsentia: at lugubrem per noctem, quia doleret illius discessu. N. Comes Mythol. lib. 6. c. 3.

Serapis idololatriam apud AEGYPTIOS Ruffinus li. 2. c. 23. in hunc modum describit: Locus est non natura, sed manu & constructione per centum aut eo amplius gradus in sublime suspensus, quadratis & ingentib. spaciis omni ex parte distentus: cuncta uerò, quo ad summum pauimentorum euadatur, opere fornicco constructa, quæ immẽsis desuper luminaribus & occultis aditibus, inuicẽ in semet distinctis, usum diuersis ministeriis & clandestinis officiis exhibebãt. Iam uerò in superiorib. extrema totius ambitus spacia occupant exedræ, & pastophoria, domusq; in excelsum porrectæ, in quibus uel ædituí, uel hi quos appellabãt ἀγνοβόλοι, id est, qui se castificant, commanere solui erant. Porticus quoq; post hæc omnem ambitum quadratis ordinibus distinctæ intrinsecus circumibãt. In medio totius spacij ædes erat, preciosis edita columnis, & marmoris saxo extrinsecus amplè magnificeq; constructa. In hac simulacrum Serapis ita erat uastum, ut dextra unum parietem, alterum læua per stringeret: quod monstrum ex omnibus generibus metallorum lignorũq; cõpositũ ferebatur. Interioris delubri parietes laminis primò aureis uestiti, sup has argẽteis, ad postremũ ęreis habebãtq; mirabilẽ preciosiorib. metallis fortẽ.

De

De cuius origine diuersa fertur opinio paganorum. Alij lo uem putãt, cuius capiti modius superpositus: uel quia cum mensura modoq; cuncta indicet moderari, uel uitam mortalibus frugum largitate præberi. Alij uirtutem Nili fluminis, cuius Aegyptus opib. & fœcunditate pascatur. Quidam in honorem Ioſephi patriarchæ formatũ perhibent simulacrum, ob diuisionẽ frumenti, qua famis tempore subuenit Aegyptiis. Alij repertũ in historiis Græcorũ ueterib. ferunt, Apin quendã patrem familiãs seu regẽ in Aegypto Mẽphis positũ, cum famis tẽpore frumẽta apud Alexandriã defecisſent, ex proprio assatim ciuib. alimenta præbuisse. Quo defuncto, in honorẽ eius instituerint apud Mẽphis templũ, in quo bos quasi indiciũ optimi agricolæ nutritur, habẽs quẽdam coloris insignia, qui ex nomine eius Apis appellatur: σορὸν uerò, id est, sepulcrum, in quo corpus eius inerat, Alexandriam deduxerint: & foron Apis primò ex compositione Sorapin, pòst uerò ꝑ corruptionẽ Serapin nominarint.

Germani.

VINDELICI idolum Fortunæ certo loco collocabant, cornuq; mulso plenum dextræ eius apponebant. Prid. Cal. Decembris accubantes mensis, in communi prægustabant. Et si cornu repletum inuenissent, uberem seq. anni rerum prouentum sibi cum magno applausu pollicebãtur: sin minus, gemebant. Vincentius lib. 25. cap. 18.

VANDALIS, Lusatiam incolentibus, erat idolum, Flins nomine, qua uoce silicem appellant Saxones, silici prægrandi impositum, eam, qua mortis imago pingi solet, formã præ se ferens: sed longo pallio tectum, manu gestans baculum cum tumente suis uesica. At sinistro humero leo insidebat, per quem tandem à mortuis se excitandos credebant barbati. Chron. Sax. Germanicum.

In arce Hartzburg SAXONES coluẽre idolum Crodo. Saturnum dixẽre Latini. Erat senex, qui stabat in pisce, quem Persicum uocant: & tenebat rotam & urnam. Rota unionẽ populi, & urna rerum abundantiã significabat. Crãzius in Saxonia lib. 2. c. 12. & in Metrop. lib. 5. c. 3. Ab iisdẽ in arce Magdeburg aliud idolum colebatur. Stabat in curru nuda femina, myrtea caput cincta corona, ardentem faculam gestans in pectore, in dextera mundi figuram, in sinistra uerò mala aurea tria præferebat. Post eam tres puellæ, Charites Græci, Latini Gratias dixẽre, nexis manib. nudæ singula poma gestabant, auersis inuicem uultibus dona porrigentes. Iugales quadrigæ erant, gemini cygni, totidemq; columbæ. Venerem hac imagine figurabat gentilitas. Cranzius ibid.

Simulacrũ Hermanſal in Vestphalia Heroburgi, seu in castro Hermopoli, ut appellat Greg. Turonensis, à SAXONIBVS cultum, describit Cranzius in Sax. lib. 2. c. 9. Erat armati toto corpore effigies, cuius in dextera signum militare, nostri uexillum uocant, præferens rosam: cuius ut breue momentum, & facilis ortus & interitus, ita euentus prælioru. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantiũ sortem, facilẽ huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme ursum præferebat, internum bellatorum animũ insinuãs. In clypeo leo, q̃ bestiis imperitat, inuictũ ad fortia facta impetũ monstrat. Florib. consito campo, in quo stabat: ꝑ nihil iucundius solet uideri sortibus, quã in acie uirtutẽ ostendere. Originẽ istius nominis alij aliunde ducunt. Quidam Romanæ superstitionis per Drusum & Germanicum cõmunicatæ superstitione ab Hermete, id est, Mercurio: alij ab Hera Iunone, alij à Marte putant sic dici, hodie Mersborg: alij Iedermanns sul, quasi commune profugium & asylum omnium: & Martem commune, qui in prælio diu uagatur incertus, diu dubius quò ponat victoriã. Repertũ est diu pòst in loco Corbeia simulacrum cum inscriptione hac, Dux ego gentis Saxonũ, victoriam certã pollicor uenerantib. Sed Auentinus ab Hermione Germanorum rege, Hermansal, quasi Hermanni aula, & nomen & idololatriam illam esse uerisimiliter existimat, lib. 1. Annalium. De loco uerò an Mersburgi ad Lippã, ut Regino & alij Gallicani scriptores, an uerò Mersburgi ad Salam, simulacrum illud fuerit, dubitat Cranzius.

Sclaui.

Præ cæteris populis ad maris Balthici litus, RVGIANI Suantouitum coluerũt, cuius fanum primarium ipsaq; statua in metropoli Arcon fuit. De eo Saxo Grammaticus lib. 14. hist. Danorum. Ingens in æde simulacrum, quatuor capitibus, totidemq; ceruicibus, è quib. duo pectus, totidemq; tergũ respicere uidebantur. Cæterũ tam antè quàm retro collocatorum unum dextrorsum, alterum læuorsum aciem dirigebat. Rasa barba, crines attonsi, Rugianorum ritu. In dextra cornu uario metalli genere excultum gestabat, quod sacerdos, annuatim mero perfundere consueuerat, ex ipso liquoris habitu seq. anni copias prospecturus. Læua arcũ reflexo in latus brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens. Pedes humo contigui, eorũ basi intra solum latente. Haud procul frenum ac sella simulacri, compluraq; diuinitatis insignia. Quorum admirationem conspicuæ granditatis ensis augebat, cuius uaginam ac capulũ, præter excellentem cælaturæ decorem, exterior argenti species commendabat. Hęc ille. Diu superstitio eiusdem simulacri etiam inter Boemos uiguit, donec Venceslaus Princeps Boemiæ, impetratis ab Othone Cęsare D. Viti reliquiis, religionem mutauit. At ne sic quidem memoriã Suantouiti delere ex mente Boemorum quiuit: quippe nunc quoq; nullam magis solennem Boemi salutationem habẽt, quàm eam, quæ fit sub Viti nomine: excepturi enim uel hospitem, uel amicum, uel intimum quenquam peregrè aduenientem, Vitei Vitei ingeminant, uelut sospitari, à Suantouito concessæ congratulantes: quandoquidem ita euenit, ut pesse inter uicinos increbescente, ipsi duntaxat, qui Suantouitum colebant, à contagio integri & incolumes permanserint. Dubrau. lib. 3.

Apud RVGIANOS urbs Carentia trium deorum priuatorũ ædificiis insignis erat. Maius fanum uestibuli sui medio cõtinebatur: sed ambo parietum loco purpura claudebantur, tecti fastigio solis duntaxat columnis imposito. In templo ex quercu factum simulacrum erat, quod Rugiæuitum uocabant, deforme, in cuius capite septẽ humanæ similitudinis facies consedere, quæ omnes unius uerticis superficie claudebantur. Totidem quoq; ueros gladios cum uaginis uni cingulo appensos eius lateri artifex conciliauerat. Octauum in dextera districtum tenebat. Hunc pugno insertũ sic missimo nexu ferreus clauus adstrinxerat, nec manui, nisi præcisa, euelli poterat. Spissitudo illi supra humani corporis habitum erat, longitudo uiri staturam longè excedebat. Hoc numen perinde ac Martis uirib. præditum, bellis præesse credebant incolæ. In proxima æde Porcuithum simulacrum colebatur, quinq; capitib. instructũ, sed armis carens. Tertia ędes Porenutij idolo conspicua fuit. Hæc statua quatuor facies repræsentans, quintam pectori insertam habebat, cuius frontem lęua, mentum dextra tegebãt. Saxo lib. 14. Danicæ hist. & Cranzius de Vandal. rebus lib. 5. c. 12. & 13.

Proue ALDENBVRGESIVM Sclauorũ idolũ colũnę impositum stans, altera manu uomerem, quo innocentia probari solebat, altera uerò hastam cùm uexillo tenebat: tempora coronis redimita erant, aures prominentes, pedes ocreati, & sub alterius calce tintinnabulũ pendebat. Radegastia apud Obotritos MECHELBVRGA erat domicilium: pectus clypeus, cui nigrum bubali caput impressum erat, tegebat: manus securi militari armata, capiti auiculã insidebat. Simua dea POLABRORVM altera manuũ, quas tergo impositas gerebat, aureũ malũ, altera uuas uirenti pãpino adhęrentes gestabat: coma uerò ad suras usq; dependebat. Saxo niæ Chronicon.

Triglas idolũ triceps STETINENSES coluerunt. Apud eosdem & equus generosus nigri coloris, qui magno studio à quodam sacerdotum curabatur, in precio fuit, à quo in bellum ituri, rei euentum explorabant certa quadam ratione. Sacerdos, cui equi cura commissa erat, nouẽ hastas, spacio unius cubiti ab inuicem distantes, in terra disponebat: ac ꝑ transuersum freno equũ ter ducebat reducebatq;, ac si nullo pedum ad hastam offendisset, felicis belli omen erat. Auctor uitæ Othonis lib. 2. c. 20. & 22.

Moschi, Russi.

Distat NOVOGRODIA magna Occidentẽ æstiualẽ uersus à Moscouia CXX milliaribus, à Pskouia XXXVI, ab Iuanoua Gorod & Vielikie Luki XL. In hac ciuitate erat olim quoddam idolum, Perun appellatum, eo in loco, ubi nũc est monasterium, Perunski monaster ab idolo codẽ dictũ. Hoc à Nouogrodensib. adorabatur. habebat autem formã hominis, lapidem ignitum manu tenẽtis, similem fulmini. Nam Perun Ruthenis & Polonis fulmen significat. In huius laudem & honorem ignis ex quercubus, qui perpetuò die nocteq; arderet, constituebatur. Quòd si negligentia ministrorum, ad hoc officium obeundum designatorum, ignẽ extingui contingeret, tunc capitis pœna plectebantur. Guaginus in descript. Moscouiæ.

Tartari.

Vide paulo ante. Equa materia.

In OBDORIA regione, ad ostia Obbi fluuij, est antiquissimũ idolum è lapide excisum, quod Moscouitis Zolota Baba, id est, aurea anus dicitur. Statua est muliebris uetulę infantẽ in gremio tenentis, & alterum iuxta se infantem habentis, quem nepotem illius esse dicunt. Hoc idolum ab Obdorianis Iuhrificis & Vohulificis, aliisq; conterminis gentib. colitur, præstantissimasq; & maximi precij pelles Zebellinas ei offerũt, ceruos quoq; selectiores mactãt, eorũ sanguine os, oculos, & reliqua simulacri mẽbra perungũt. Intestina cruda sacrifici deuorant. Inter sacrificandum sacerdos idolum consulit, quid faciendum, quòue migrandum sit. Dicuntur etiam in montibus uicinis fontes perpetui audiri, in modum clangoris tubarum. Alex. Guagninus in descriptione Moscouiæ, Cranzius in Vandalia, Olaus lib. 3. c. 1.

MODI

MODI QVO COLVNTVR.

Quo ad κτῆσιν, Simulacra

Facta.

GRÆCI colũt statuas deorum διοπετῆς, id est, à Ioue missas. Sic enim, quò terrorem omnibus incutiant, eas statuas uocant, quasi omni humano artificio & sumtu præstantiores sint: eamq; famam spargunt, statuarijs uel occisis, ne eas manu factas dicant. Suidas in uoce διοπετῆς.

Adducta.

Herculis simulacrũ rati infertũ è Tyro mari delatum, incertã de causa, ut memorãt Erythræi Iones. Ea naui primùm ad Heram, quæ ẽ portu Erythræorum Chion soluentibus propemodum media est, delata, cùm iam terram attigisset, cõspecto signo, summis uiribus Iones & Chij certatim ad se illud pertrahere conati fuẽre, sed frustra. Donec cuiusdam Erythræi Phormionis, piscatoris cæci, somnio moniti sunt, oportere Erythræorum feminas comas tondere: è capillo earum si uiri funes contexissent, non difficulter quò uellent ratem pertracturos. Id cùm ciues feminæ recusarent, è Thracia MVLIERES, quæ uoluntaria seruitute, ingenuæ ortu cùm essent, uictum sibi apud Erythræos quæritabant, setondendas præbuerunt. Quare iam rate potiti Erythræi edixerunt, solis è Thracia mulieribus in Herculis fanum introire ut liceret. Pausanias in Achaicis.

SCIPIO Nasica iudicatus uir optimus non tantùm priuato testimonio, sed totius senatus sacramento solus dignus iudicatus est, ut Matris deũm simulacrum Pessinunte aductũ deduceret, exciperet, templũ magnificè struereret, eiusq; cultui sacerdotes dedicaret. Liuius lib. 9 Dec. 3 Valer. lib. 8. cap. 16. Ouid. lib. 4. Fastorum, Sillius libro 17. Solinus cap. 7. Polyhistoriæ.

Quo ad φυλακὴν.

METELLVS Pontifex per medias flãmas Palladiũ seruauit: Vide Tit. Pietatis præmia humana ethnicorum.

Quo ad χρῆσιν. Simulacra culta

Sacrificijs.

SINARVM incolæ suffitu tantùm & odoribus idola, quæ apud se habent, uenerãtur. Ad rem quamlibet auspicandam oracula per sortes exquirunt: eæ si tristes ducantur, idola tũ uapulant. Io. Metellus.

Ornatu.

PTOLEMÆVS rex rem diuinã facturus, deos semper, quos sibi conciliare uellet, helichryso coronasse dicitur. Alexan. lib. 4. cap. 17.

Curlarib. quos propriè Prestites uocãt ROM. assistebat canis, atq; isti sagis ex pellibus caninis uestiuntur? An præstites, quasi antistites sunt & præsides. Præsides autem domus custodes esse decet, formidabilesq;, ut est canis, alienis, blandos mitesq; domesticis. An potius, quod Romani nõ nulli aiunt, est uerum, atque ut opinio est Chrysippi philosophi; mala dæmonia uagari; quibus dij aduersus flagitiosos & iniustos publicis utuntur tortoribus & uindicibus: ita lares furiosi quidem sunt & ultores dæmones; obseruatores tamen morum & familiarum. Vnde etiam nunc tergis amiciuntur, canemq; habent assessorem, ut sagaces ad inuestigandum & multandum improbos. Plut. in quæst. Rom.

Pompâ.

L. FVRIVS Bibaculus circa secundum bellum Punicum prætor, à patre suo collegij Saliorum magistro iussus, sex hẽtoribus præcedentibus arma ancilia tulit: quamuis uacationem huius officij, honoris beneficio, haberet. Omnia nanq; post religionem ponenda semper Romana ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus uoluit. Quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerũ futura regimen existimãtia, si diuinæ potentiæ bene atq; cõstanter fuissent famulata. Val. lib. 1. ca. 1.

Stupro.

ALEXANDRIÆ simulacrum Satũrni religiosissimè colebãtur: cuius sacerdos, Tyrannus nomine, matronas eius ciuitatis quas elegisset, tanquam à deo accitas, noctu ad simulacrum ductabat, ibiq; extinctis repente luminibus cum eis rem habebat. Sic Tyrannus communis adulter libidinẽ explebat, dei mentitus personam. Ruffinus lib. 11. Ecclesiasticæ historiæ.

MONVMENTA, SEPVLCRA CVLTA.

Ex loco Mortuorum cultus hinc quædam, quatenus sepulcra propter mortuos colunturr.

THEBIS extat Zethi & Amphionis communẽ monimẽtum, terræ nõ sanè magnus tumulus. Ex eo qui Tithoream Phocensium incolunt, terram suffipere magnopere student. Eo uerò id agunt tempore, cùm sol Taurum permeat. Tunc si amotam ex eo tumulo terrã iniecerint, ager suus TITHORENSIBVS fœcundior redditur: Thebanis longè secus. Quare per eos dies diligenter sepulcrum custodiunt. Id ita esse ex uaticidiis Bacidis carminibus persuasum est utrique urbi. Pausanias in Bœot.

DONARIORVM CVLTVS RELIGIOSVS.

Ex loco superstitionis hinc quædam, transferantur exemplâ.

ETHNICORVM RELIGIO CONSIDERATA respectu INSTRVMENTI per quod colitur.

IN GENERE.

Princeps deus tribus colitur, adoratione, thuris sacrificio, hymnis. Et id utiq; tet, ex totidem hemisphęrii punctis, mane, uespere, meridie. Proinde legibus sancitis plerisq; nouimus, exortum ab adorantibus spectandum, quod est Pythagoricis obseruatũ, nec spreuit Christiana ueritas. Trimegistus ad meridiem conuersus, id ipsum obibat: Moses Iudæiq;, ad occidua. Ratio inde promi potest, quòd ab Oriente motus est diurnus: at planetæ, quos esse Ptolemęi doctrina statuit uelut cœlestium signorum animas, ab occasu uestigiis sumunt initia: sed uiuificum lumen à meridie per circuli redit obliquitatem. Adoratio, reuerentię cultum exhibet. Thus, suauissimæ cognitionis diuinæ distributionem complectitur. Hymnorum iucunditas cœlorum refert concentum, ut Pythagorici sanciunt, nec tacuit Mercurius: uel substantiarum harmoniam separatarum in laude intellectuali, ut Peripatetici. Cælius lib. 22. cap. 9 Antiquarũ Lectionũ.

IN SPECIE. HVC PERTINENT Ethnicorum

VOTA.

Ponti & PERSARVM regum uouendi mos erat, ut in excelsis iugis, & summo uertice montium pyram construerent, alteramq; desuper breuiorem: ipseq; ad pyram ligna rex inferat primus, Iouiq; militari lac & mel inspergat: & posteaquam uinũ, mel & odores infuderit, uelut propitiato deo, uota enunciet: pulmento q; præparato, quod astantibus datur, pyræ ignem inferat: quo incendio æstuante aere, uix illuc accedere permittitur. Alex. lib. 3. cap. 22.

Votũ à DVCIBVS exercitus Vulcano factũ de spoliis hostiũ ita soluebatur, ut fusis fugatisq; hostibus, scuta, gladios & arma, spoliaq;, nonnunquam bellorũ machinas, curruq; & inutiles naues, uno in loco aggerãt, pyraq; extructa, circumstante populo & frequentissimo exercitu, uelut disposita acie, dux more patrio discinctus, Vulcano, Marti & Palladi incendat: ipseq; dux indutus purpuram, primus ardentem facem sumere, ambasq; manus in cœlum tendere, deinde in pyram summittere debeat, toto circũ exercitu exultante, & percussis armis plaudente: pyraq; & armis exustis, sacra & rem diuinam faciant. tamẽtsi arma militaria non exuri, sed belli more cremari solita legamus. Alex. li. 3. c. 22.

PRECES, SVPPLICATIONES,

Cur suscipiantur. Causa scilicet

Boni Impetrandi.

SCIPIO Africanus posterior, Censor, cùm lustrum cõderet, inq; solito sacrificio scriba ex publicis tabulis, solenni eius precationis carmine præiret, quo dii immortales, ut P. R. res meliores ampliores q; facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. itaq; precor, ut eas perpetuò incolumes seruent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit. Qua uotorum uerecundia deinceps Censores in condendis lustris usi sunt. Valer. libro 4. cap. 1.

Boni Impetrati Gratias agendo.

Victoribus bello uiris, ob res feliciter ductu eorum gestas (in quibus grates diis agebant, mulieresq; eximios cultus, uiri

prætex-

prætextas atq; amplissima ornamenta sumebant) à senatu Rom. maximi muneris loco sæpe tributæ sunt supplicationes, modò plurium dierum, modò paucorũ, prout magnificè gesta, & prosperi successus postulabant. C. Iulio Cæsari in expeditione Gallica, contra quos multiplici clade dimicatum est, ob claras pugnas quindecim dierum supplicatio decreta fuit. Et D. Brutus ob profligatum Antonium bello Mutinensi (quod antea contigit nulli) quinquaginta dierũ supplicationes meruit. Cicero quoq; in senatu C. Octauio ob res feliciter gestas, per omnia templa phanaq; pariter quinquaginta dierũ supplicationes decreuit. In quibus grandes natu matres manibus amplexæ, & uiri semotim coronati procedere, & cum bonis precationibus & faustis ominibus ad templa conuenire, & diis gratias agere solebant. In his quoq; præcipuè ciues lætari, quod uitulari dixere, delubra patere, aras sacrificijs fumare, honoreq; ac donis cumulari, nonnunquam uinum & thus publicè dari legimus. Fuitq; supplicatio aliquãdo prærogatiua triumphi: nã quibus ob res bene gestas supplicationes decretæ sunt, haud multo pòst feliciter confectis bellis, à senatu speciosos triumphos datos comperimus. Alex. lib. 5. c. 30.

Mali deprecandi, auertendi.

Si terra ingenti concussa motu, aut urbs agriue contremiscerent, sæpiùs supplicationem in triduum decreuere ROM. Nomen dei cui sacrum fieret, supprimebant, quòd cùm tellutis motorem certum deum, qui eam uim haberet, uetereo non dignoscerent, illum qui huic rei præesset, nuncupare pontificales uetarũt libri: & ne ancipiti æstimatione ferrentur, aliumq; pro alio deo colerent, aut non offensum nomẽ placarent, satius duxere, dei nomen cui sacra fierent, suppriimere, quàm illum frustra aut perperàm nominare. Alex. libro 5. cap. 30.

Pro quibus suscipiantur.

ROMANI sacerdotes in omni precatione, cùm uota cõciperent, simul etiam senatui & Quiritibus bona precabantur: neq; fas erat in solenni prece sine altero alterũ nominare: sicut ATHENIENSES (ut refert Theopompus) quum uota dis effunderẽt, Chijs & sibi prospera precabantur, & in Panegyris, quæ singulis quinquennijs fiebant, per præconem sibi & Plataeensibus bona precari usurparunt. Deinde Philippo subirati, propter continuas clades & belli mala, decreto sanxerunt, ut quoties sacerdotes prospera Atheniensi populo locijsq; & exercitui precabantur, toties Philippum, liberos, terrestres nauales q; copias, atq; omnem Macedoniam exitiali carmine & diris imprecationibus detestarentur. NERO tamen dum Isthmi opus auspicatur, in præfationis carmine sibi tantùm & populo Romano bona precatus fuit, dissimulata senatus mentione. Alex. lib. 5 c. 30.

Quomodo suscipiantur.

Ex loco Sacrificiorum hic Modus precum accommodetur.

ROMANI in expugnandis urbibus interdũ deos euocabant tutelares, interdum uerò urbes deuouebant certis quibusdam sacris uerbis. In lib. 5 Rerum reconditarum Sammonici Sereni, utrunq; carmen se reperisse Macrobius testatur, quo dii illi se in cuiusdã Furij uetustissimo libro reperisse asserit. Est autem carmen huiusmodi, quo dii euocantur, cùm oppugnatione ciuitas cingitur: Si DEVS, si Dea est, cui populus ciuitasq; Carthaginensis est in tutela, teq; maximè ille, qui urbis huius populiq; tutelam recepisti, precor uenerorq;, ueniamq; à nobis peto, ut uos populum ciuitatemq; Carthaginensium deseratis, loca, cẽpla, sacra, urbemq; eorum relinquatis, abíque his abeatis: eiq; populo, ciuitatiq; metum, formidinem, oblitionem inijciatis: proditq; Romam ad me meosq; ueniatis: nostraq; uobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorq; sit: mihi quoq; populoq; Romano, militibusq; meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusq;. Si ita feceritis, uoueo uobis templa, ludosq; facturum. In eadẽ uerba hostias fieri oportet, auctoritatemq; uideri exterorum, ut ea promittant futura. Vrbes uerò, exercitusq; sic deuouentur, iam numinibus euocatis. Sed dictatores Imperatoresq; soli possũt deuouere, his uerbis: Dis Pater, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginẽ, exercitumq;, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis: quiq; aduersus legiones, exercitumq; nostrum arma relaq; ferent, uti uos eos exercitus, eos hostes, eosq; homines, urbes, agros q; eorum, & qui in his locis, regionibus q;, agris, urbibusq; habitãt, abducatis, lumine supero princeps: exercitumq; hostium, urbes, agros q;, eorum, quos me sentio dicere, uti uos eas urbes, agros q;, capita, ætates q; eorum deuotas consecratasq; habeatis, illis legibus, quibus quandoq; sunt maximè hostes deuoti: ensq; ego uicarios pro me, fide, magistratuq; meo, & pro populo Rom. exercitibus, legionibusq; nostris do, deuoueo: ut me, meamq; fidem, imperiumq;, legiones exercitumq; nostrum, qui in his rebus gerundis sunt, bene salues sinatis esse. Si hæc ita faxitis, ut ego sciam, sentiam, intelligam: tunc quisquis uotum hoc faxit, ubi faxit, rectè factum esto, ouibus attis tibus, Tellus mater, teq; Iupiter obtestor. Cùm Tellurem dicit, manibus terram tangit: cùm Iouem dicit, manus ad cœlũ tollit: cùm uotũ recipere dicit, manibus pectus tangit. In antiquitatibus autem hæc oppida inueni deuota, Stonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas inter Italiam: præterea Carthaginẽ & Corinthum. Sed & multos exercitus, oppidaq; hostium Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarumq; gentium, quas prisci loquuntur Annales. Macrob. lib. 3. Satur. cap. 9. Plin. lib. 28. cap. 2. ex Vertio Flacco notat idcirco occultatum, in cuius dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Arnobius uerò contra Gentes nomẽ Dei Tolum fuisse ait, quòd in arce caput Toliinuentum esset. unde Capitolium nomen traxit.

FLAGELLA. VVLNERA.

Vide supra, Sacrificiorum Materia, Sanguis.

PROSTITVTIO.

Apud BABYLONIOS, omnes mulieres indigenas oportet semel in uita, ad Veneris templum desidentes, cum externis uitis cõsuetudinem habere. Multæ uerò diuitijs tumentes, cùm sui copiam aliis facere apertè nolint, uehiculis tamen cameratis subuectæ, pro templo consistunt, relicta interim à tergo magna famulitij turba. Pleræq; autem hunc in modum faciunt. Ad templũ Veneris sedent, corollis temporã reuinctæ: è quibus dum aliæ seorsum abeunt, aliæ regrediuntur: nam transitus undecunq; sic funiculis distincti, aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuiq; libuerit deligendam. Cùm semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in gremium iniecerit, & cum eadem à fano seorsum abducta tem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego tibi deam Mylittam imploro Mylittam enim Assyrij Venerem appellãt. Pecuniam illam, quantulacunq; sit, non est fas reiicere, sed in sacrum conuertitur usum. Neq; mulieri licet hospitem aliquem repudiare: sed quicunq; is est, qui pecuniam obiecerit primùm, hunc illa sequitur citra delectum. Postremò ubi iam congressa fuerit cum externo mulier, dea expiata, domum reuertitur, ac deinceps facilè cuilibet commisceitur. Iam quæ forma sunt elegantiore, citùs expediuntur: quæ uerò deformes, diutiùs cogũtur desidere pro templo, antequam legi satisfaciant. Fitq; interdum, ut uno atq; altero anno, aut etiam triennio, atq; amplius, expectare oportet miseras. Alicubi, nempe in CYPRO similis quædam lex est. Herod. lib 1.

CONVIVIA. LECTISTERNIA.

Ludis secularibus, quos primus P. Valer. Publicola, qui cum Bruto consul fuit, fecit, lectisternium per triduum fuisse ait. Valerius lib. 2. & Censorinus de die Natali. L. Viues in lib. 3 August. de ciuitate Dei c. 17.

Liuius lib. 5. de ludis Secularib. ita scribit: Tristẽ hyemẽ grauis pestilens omnib. animalib. æstas excepit, paulo ante urbẽ à Gallis captã, cuius insanabilis perniciei quãdo nec finis imminebatur, libri Sibyllini ex senatusconsulto aditi sunt, duumuiri sacris faciundis lectisternio tunc primùm facto, per dies octo Apollinem, Latonamq; & Dianã. Herculem, Mercurium atq; Neptunum, tribus quàm amplissimè tum apparari poterat, stratis lectis placauere. Priuatim quoq; id sacrum celebratũ. Lectis enim antiqui cubantes epulabantur, & deorum uæ placandæ causa, in templis cõiuia concelebrabantur tribus dijs, Ioui, Iunoni, & Mineruæ, & simulacrum Iouis in lectulo ponebatur, Iuno uerò & Minerua in sellis consedebant: siquidem feminæ cum uiris cubantibus auctore Valerio, sedentes cœnitabant.

MENSA QVOTIDIANA.

Tradit interpres Aristophanis in Pluto, templũ Athenis fuisse τοῦ διὸς σωτῆρος, quem eundem quidam ἰκετήριον appellant. Eius mentionem facit Athenæus in Dipnosophistis, lib. 2. addens olim fuisse morem, ut cibis appositis mox uinum indilutum infunderetur: quo nimirum declararent, quantæ uis esset boni dei. Deinde cùm suo quisq; arbitrio diluisset, nomen Iouis Seruatoris præfabantur, innuentes ita temperatum uinum tutò citraq; noxam bibi. Ac idẽ lib. 11. propemodùm docet, & post cœnam à lotis manibus inferri solere calicem Iouis Seruatoris, qui idem fuerit cum eo qui dictus est ἀγαθοῦ δαίμονος, Diphilum adducens auctorem, qui scripserit in Sapphone:

Λαμβανε δοῦναι τοῦδε τοῦ μιταυπηρίδα
Μαλιστ' ἐὸν σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.

id est,

Archiloche sumito hanc tibi meraniptridem,
Plenam Iouis Soteris optimi dei.

Erasmus in Adagiis.

Antiquitus, ut auctor est in Symposiacis Plutarchus, inter res sacras habebatur & mẽsa quotidiana: proinde cibum sumturi, diis consecrabant τὰς ἀπαρχὰς, hoc est, primitias: ac deinde non indecorè neq; tumultuanter, sed religione quadam ad conuiuium accedebant, lotis manibus, non aliter quàm ad sacrum epulum.

VANDALI in conuiuiis & compotationibus suis pateram olim certis uerbis consecrabant, sub nominibus deorum, boni scilicet atq; mali: omnem prosperam fortunam à bono deo, aduersam à malo dirigi petentes. Malum deum lingua sua Zcerneboch, hoc est nigrum deum, appellabant. Cranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 37.

CVLTVS CORPORIS.

DODONEI oraculi pontifices, pedibus sempet illotis erãt, & tanquam sacrosancti super nudã humum cubare cogũtur. Alex. lib. 2. c. 8.

VESTITVS.

AEGYPTII laneas uestes templis non inferebant. Eapropter Linigeri dicti. Gyraldus Syntagmate 17. Deorum gentilium historiæ.

ETHNICORVM RELIGIO CONSIDERATA respectu FORMAE Primariæ. Huc

FIDES.

De Diis uariarum gentium opiniones, pete ex Alex. lib. 6. cap. 26.

BRACHMANES Indorum terna fila ab humero dextero in latus sinistrum gerunt, ut designent trinam in natura diuina rationem. Credunt Deum in specie humana latentẽ terras lustrauisse, ut humanum genus à peste sempiterna redimeret. Osorius lib. 2. rerum Em.

Tundi IAPONIORVM Episcopi sunt ac sectarũ Principes. Eæ uerò sectæ ferè duodecim numero sunt: quæ licèt cultu & superstitionibus inter se multum differãt, in tollenda tamen animorum immortalitate conspirant: & quamuis plebi uaria deorum nomina ad colendum proponant, ipsi tamen secum, præter ortum & interitũ, nihil esse constituunt. Ad hanc opinionem imis animi sensibus penitus insigendam, commentationes circiter bis mille & quingentas paratas habent. Quas qui diu multumq; secum perpenderit, omni tandẽ religione solutus, in illa cæcitate prorsus conquiescit. Io. Metellus.

DEVOTIO.

Bello Latino, cùm ex oraculo penes Rom. uictoriam fore didicissent Cõs. si cuius cornu laborare cepisset, sese pro exercitu deuouisset: & iam læuum cornu, cui P. Decius præerat, laborare inciperet: Decius consul ad M. Valerium conuersus, Deorum (inquit) Valeri, auxilio res Romana indiget. Agenunc, Romano populo Pontifex præfare carmen, quo me pro legionibus deuoueam. Pontifex illi prætextam togam primò induxit: indẽ uelato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super hastas pedibus subiectas stantem dicere iussit: Iane pater, Mars, Quirine, Bellona, Lares, diui Nouensiles & Indigetes, diui quorum est potestas nostrorum, hostiumq;, dij manes, uos precor, ueneror, ueniam peto, uti populi Romani Quiritium uim uictoriamq; prosperetis, hostesq; populi Romani terrore, formidine ac morte afficiatis. Ego sicut uerbis nuncupaui, ita pro Republica Quiritium, legiones, auxiliaq; hostium mecum diis manibus deuouco. Hæc ita precatus, lictores ire ad collegam iussit, ac nunciare, se iam deuotum esse (quod credo ideo factum, ne casu aliquo ille quoq; se deuouereti: atq; ita exercitus ducibus spoliatus, maius aliquod discrimen adiret) ipse Gabino ritu cinctus, armatus in equum insiliuit, seq; in medios hostes immisit, & Latinis & Romanis longè augustior humano, & quasi cœlo demissus repentè apparuit. Ita omnis terror pauorq; cum illo in hostes delatus, Latinorum signa primò turbauit: mox tota acies perculsa, quacunq; ille equi impetu ferebatur, haud secus quàm pestifero aliquo sidere ictì hostes pauitabant. Ad postremum eo cadente, consternatæ Latinorum cohortes, fugam ea parte fecerunt. Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. Liuius lib. 8. & Sabellicus lib. 4. Enneadis 4.

SACRIFICIA VNIVERsim considerata,

QVÆ QVIBVS INSTITVTA.

Hunc ordinem Lil. Gregorius Gyraldus in Hist. Deorum gẽtilium obseruauit: item Natalis Comes in Mythologia suaccum quæ quorum deorum sacra essent, per classes enarrarint: Consule etiam Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 8.

Saturno.

Vide infrà, Humanæ uictimæ.

In AEGYPTI regione sacra Saturno facientes, uinculis ferreis seipsos includebant, comamq; prolixissimam nutriebant, & uestitum sordidum & attritum gerebant: & quotidie suos nasos anulo includebant, & perforabant in honorem Saturni. Epiphanius lib. 3. tomi secundi, de fide catholicæ Ecclesiæ.

Ioui.

BOYΦONIA, festum apud Athenienses perantiquum, quod post initia Cereris in memoriam ueteris euentus celebrari dicunt. Nam in festo Iouis ferunt taurum sacras placentas deuorasse, paratas ad sacrificium: quem Thaulon quidam arrepta securi, ut tradit Androtion, statim interfecerit. Suidas. De eo sic Pausanias in Atticis: Athenis in arce, in Polici Iouis ara ordeum tritico permistum apponunt, neq; custodes adhibent. Bos ad sacrum comparata, dum ad aram accedit, fruges eas attingit. Ex sacerdotibus, is quem Buphonum, id est bouis percussorem nominant, securim in illum iaculatus (hic enim sacri ritus est) fugiens abit. Qui astiterunt, tanquam eum qui bouem percusserit, non uiderint, securim in iudicium ream citant.

Mineruæ.

AEGYPTII quotannis in honorem Mineruæ in Saim urbem sacrificatum conuenientes noctu sub dio uniuersi circum mœnia frequentes lucernas (λυχνίαι, ollas profundiores, ut Cælius lib. 6. cap. 18. A. L.) accendũt, imbutas sale & oleo plenas cum multo lychno, quod tota ardeat nocte. Cui festo nomen impositum est λυχνοκαΐα, Accensio lucernarum. Ad hunc conuentũ quicunq; Aegyptiorum non ictus, obseruantes sacrificij noctem, & ipsi lucernas accendunt cuncti: neque id in Sai modò, sed etiam per uniuersam Aegyptum. Herod. lib. 2.

Cereri.

Ceres ex Ioue Proserpinam genuit, quam Pluto rapuit è Sicilia, materq; eam quærens magnam orbis partem peragrauit: cumq; in Eleusin unum ex 12 oppidis Atticæ terræ uenisset, hospitio à Celeo, qui tum ibi erat princeps, est excepta, aluitq; dea Triptolemum recẽs ex Hyona Celeo natum, seu, ut Straboni placet, Ictino. Quisquis ille fuerit tam Ceteris amans, sacra instituit magnis ceremoniis peragenda, quæ dicta sunt Eleusina, & deæ Eleusinæ Ceres ac Proserpina: & quia Ceres legum inuentrix habita est, Thesmophoria. Eorum ritum descripsit enarrator Theocriti, de sententia Thelyci Methymnæi ex Bacchicis carminibus. Cùm prius Eleusine celebratẽtur, ea primus Eumolpus, Deiopes & Triptolemi filius, ad Athenienses detulit, uel, ut alii sunt arbitrati, quintus ab illo Eumolpus. Alii uerò dicũt Eumolpum ritum illum sacrificiorum inuenisse, quæ quotannis apud Eleusinos agebantur in honorem Cereris & Proserpinæ. Quòd uerò illa fuerit consuetudo, ut idcirco Eumolpidæ sacris Cereris initiarentur, essentq; eorum sacrificiorum sacerdotes, testatur Sophocles in Oedipode Coloneo. Herodotus tamẽ in Euterpe non à Triptolemo, aut ab aliquo Græcorum initium habuisse scribit, sed ex Aegypto ad Pelasgas mulieres primùm à Danai filiabus & ab Erechtheo rege fuisse delata. De illis Clemens Alexandrinus in προτρεπτικῷ ad Græcos, citatus etiam ab Eusebio in 2. Præparationis euang. & Greg. Nazianzenus in sermone festi Epiphaniorum, & Arnobius lib. 5.

Vulcano.

PROTERVIA erant sacra in honorem Vulcani instituta, in quibus nisi uictima & quodcunque superest igni detur, sacrificium pollui putabatur. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12.

Herculi.

HERCVLIS solennium, quæ ad Aram maximam Romæ iuxta Carmentalem portam & Forum boarium, in Capitolij faucibus fiebant, ritus, pete ex Alex. lib. 2. cap. 14.

Pani.

LVPERCALIA instituta ab Euandro Arcadum rege, in honorem Panos, propter Romulum & Remum nutritos à lupa in monte Auentino. Ea autem sacra expiationis gratia

instituta uidetur. Celebrabatur enim ea sacra, mēsis Februarij atris diebus, quem expiatiuum interpretari quis posset, eam quoque diem Februatam ueteres adpellabant. Ac uidetur id solenne peruetustum Euandrum ex Arcadia allatum instituisse. & hoc uulgatior fama tenet. Potest etiam nomē ipsum à lupa dictum uideri. Etenim solebant Lupercos inde cursum incipere, ubi Romulum expositum ferunt. Verùm eius, qui in ijs seruatur sacrificijs mos, haud facilè causam cōiectura assequi possumus. Iugulant enim capras, & duos ex nobili genere adolescentes ibi sistunt, quorū alij frontes cultro sanguine perfuso tingunt, alij statim lanam lacte madentem admouentes abstergunt: oportet etiā absterfos adolescentes ridere, deinde incisis in corrigias caprarum pellibus discurrunt, & si qui obstent scutieis cædunt. Mulieres ædulta ætate ultrò se ad uerbera offerunt, ratæ eam rem ad fœcunditatem conducere. Hæc Plutarchus in Romulo, & Problematis.

Vestæ.

Vestales VESTÆ casta mola & sale tuso, in ollam fictilē missō, & mox in aquam iniecto, sacra faciebant, calicibusq; fictilibus, qui Cululli dicti sunt, libabant. Alex. ab Alex. libro 5. cap. 12.

Fidei.

Solenne Fidei sacrum, sine cæde & sanguine uictimarum Numa instituit, eiq; albo panno uelatos sacra facere, & ad id sacrum FLAMINES curru arcuato, manu ad digitos inuolutā uehi iussit, solenni pompa: magno argumento, quo fidem rutandam & in dextris sacratam sanctamq; ostenderent: idq; propterea asserunt, quòd dextra iuncta denarium numerum, qui sacratissimus est, efficiat. Alex. lib. 2. cap. 22.

Carnæ.

L. Iun. Brutus CARNÆ deæ, quæ uisceribus humanis præesse & uitalia souere credebatur, sacra solennia & sacrificia instituit, quę à posteris quoq; studiosè obseruata sunt, ad Calendas Iulij, in quibus pulte fabacea & lardo, absq; uictima, sacrificabant: quas quidem fabas, nisi post Iulias Calendas adultæ forent, sacris adhibere nō licebat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22.

Termino.

TERMINALIA sacra, quòd Numa rex Ioui Terminali lapides sacrasset, terminosq; posuisset in agris, quò unusquisq; suis finibus contentus esset. Romani postea eius pietatis monimenta diu seruarunt, Terminos ipsos deos uocantes, ut fidos agrorum finium custodes: quibus sacrificabant, nō animal ullum immolantes (nam impium ducebant sacros cruentare lapides) sed liba fructuumq; primitias offerentes. Polydorus lib. 4. de Rerum inuentoribus.

Manibus.

☞ *Consule Tit. ἀναθεώρητον, illic Honorin, his Cadauerin, cui honor exhibetur, habetur ratio.*

Parentationes Græci κατείγματα uocant, & κρόθεσιν, ἔνατα, id est nona, τριακοστάδας, id est tricesimas. Sed & Necyia, ac Genesia. Nam Genesia, inquit Ammonius, diem nuncupamus, quo quis fato est functus: sicut Genethlia, quo est natus. Cælius lib. 17. cap. 21. Antiq. Lect.

LIBAMINA quædam in tumulum ad orientem aut occidentem conuersi fundebant ueteres. Erāt autem, ut uult Lucianus, uinum & mulsum: ut Aeschylus in Persis, mel, lac, uinū, oleum, aqua & farina. Ea Græci χοάς, ἐναγίσματα, μειλικτήρια, χύτλα, μειλίγματα χύτλων, τῶν φθιμένων κρατῆρα appellabant, quibus ad sepulcrū elici atq; euocari manes, credebat cæca antiquitas. Item edisserit Nicephorus Gregoras: μιᾶι δὲ τὸ κάτιπαλον τῶν τῶ θανάτω κεκρατη-μένων· γάλα δὲ, διὰ τὸ μίλιμα τῶ κόσμου· οἶνος δὲ, διὰ τὸ λύπαν· ὕδωρ δὲ, διὰ τὸν τοιαῦτον συγχύσιν συγκεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον. Porphyrius: κεκοίνωται ὑδὼ τὸ μιλι καὶ θανάτω σύμβολον· διὸ καὶ μίλιστα προσδίδω τοῖς χθονίοις θεοῖς. Herodotus in 3. Epigr.

Apud ALBANOS, manibus defunctorum parentare, aut insta persoluere, nulli permittitur, eò quòd defunctos nulla ope humana egere putabant.

In insula, quæ ABALOS dicitur, si quando homo mersus in flumen non appareret amplius, centum annis funus illi faciebant, & manes ita expiabant. AEGYPTII, dum manibus defunctorum parentant, post preces oppleti lacrymis, tumulum amplexantur & coronant. Alex. lib. 5. cap. 56.

GRÆCI paucis à morte diebus, feralia litabāt defunctis obsequia: obseruatumq;, ut reliquo corpore combusto, pleruq; digitum membrumue, aut crines seponerent, quibus tanquam cadaueri iusta persoluerent & parentarent. Alex. lib. 5. ca. 26. Mortuo principe, aut quouis alio magnæ auctoritatis uiro, duodecim hostes uelut uictimæ occidebantur: quemadmodum quondam Troianorum Patroclo contumulauit Achilles.

IIDEM in Pandemis, hoc est, popularibus diebus, deferebant ad monumenta mortuorum cibos ac potus: & edulia quidem prorsus exurebant, sed uina libabāt, & nomina sepultorum mortuorum proferentes acclamabant: Surge tū, comede, & bibe, & lætare. Epiphanius in Ancorato.

ARGIVORVM institutum fuit, ut defuncti affines statim ab excessu Apollini sacrificent, & trigesimo pòst die Mercurio, Apollinisq; sacerdoti ordeum dent, ignemq; extinguāt, & rursus accendant. &c. Alex. lib. 3. cap. 7.

DELPHI apud aram Epiymbiæ Veneris manes euocabant, & defunctis parentabant. IIDEM cùm Pyrrhi tumulū nullo honore antea coluissent, postea cùm didicissent illū contra Gallos pro Delphis adfuisse, Pyrrhi manibus in posterū parentarunt. Alex. lib. 5 cap. 26.

DELII pueri & puellæ, Hyperboreis uirginibus uita functis, tonsis crinibus parentasse dicuntur: quos fusis inuolutis, supra illarum monumentum puellæ deponunt, pueri uerò in sepulcris.

Apud PLATÆENSES manibus peremtorum ciuium dabantur inferiæ: & præcedente tibicine, uehicula multa lauro & myrto fusca cum coronis sequebantur: mox lactis uini & olei libationes succedebāt: facto sacrificio mariet aduocantur, & his poculo propinatur. Hoc modo defunctor, expiari putabant. Alex. lib. 3. cap. 56.

Ad TEREI sepulcrum si qui parentant aut immolant, ordei loco calculis utuntur. Ibidem.

Fiebat olim sacrificium pro mortuis, nono die, quo quis sepultus fuisset, quod dicebatur Nouendiale. Horat. in Epodo, Nouendiales dissipare pulueres. Item ludi qui in honorem mortuorum celebrabantur, nouendiales nuncupabantur. Testatur idem Seruius super 5 Aeneidos, en arcās illud:

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.——

ubi ait, apud maiores modum fuisse, ut ubicunq; quispiam extinctus fuisset, ad domem suam referretur, octauo die incenderetur, nono sepeliretur. Donatus quoque in commentario Phormionis dicit, in funere nonum diem uotiua bere instaurationem. Polydorus.

Sacra facturi, pares uictimas easque sinistra manu immolabāt: & cùm manes expiandi erāt, pocula libabāt, rogumq; uino, aut sepulcrum, conuersa manu inspergebant: nigras hostias immolabant, una effundebant, uasa in ignem mittebant, uiscera igni adponebāt, oleoq, inspergebant. Alex. lib. 5 cap 25.

ROMANI cùm dijs inferis immolant, pecudum spirantem cruorem in effossam terram mittunt, uinumq;, lac, & mel unā infundunt, uisceraq; cæsæ uictimæ ter circum aras ducunt, igne accensō. Alex. ab Alex. lib. 5 cap. 25.

IIDEM floribus ornare sepulcrum, sacrificio atq; epulo defunctis parentare solent, nonnunquam thure & mero supplicare sine tibicine. In acie cælis fuit tam ara quām annua parentatio constituta. Alex. lib 5. cap. 56.

TRAIANVS Imperator, in ea domo, in qua Alexander Macedo morte sublatus fuit, eius manibus parentasse, & sacra fecisse dicitur. Ibidem.

A QVIBVS CELEBRATA. Puta

A Persis.

PERSÆ sacrificant in loco mundo cum imprecationibus, & coronatam hostiam statuunt. Cùm uerò magus, qui sacrificio præest, membratim carnes in queuq; diuserit, abeunt nulla parte diis relicta. Dicunt enim Deum nihil uelle, præter hostiæ animam. Nonnulli (ut fertur) præcordiorum partem igni imponunt. Præcipuè igni & aquæ sacrificant, igni arida ligna imponentes, ademto cortice, & arunia superiniecta: deinde infuso oleo, succendunt, nō inspirantes, sed uentilantes. Quòd si quis inspirarit, aut mortium quiequā cœnumue in ignem immiserit, morte plectitur. Aquæ sacra peragunt hoc modo: In lacum uel flumen uel fontem uenientes, ferobem faciunt, ibiq; hostiam iugulant, cauentes ne quid proximæ aquæ sanguine contingatur, tanquam omnia polluturi. Postea carnibus super myrto, lauroue impositis, eas magi subtilibus uirgis comburunt: & factis imprecationibus quibusdā, oleum lacte ac melle mixtum inspergunt, non in ignem, nec in aquam, sed in terram. Imprecationes per multum tempus faciūt, fasciculum uirgarum myricinarum tenuium tenentes. Strabo lib. 15.

Ab Aegyptijs.

AEGYPTII pecude (quæ terra sigillari anulo impressa, cornibusq; affixa cum cannabe, munda esse denotatur) ad arā adducta, pyram incendunt. Deinde supra pecudem libato contra templū uino, deoq; inuocato, eā mactant: mactatæ caput amputant, illudq; diris execratū uerbis (ut si quid uel immolantibus, uel uniuersæ Aegypto malū futurū sit, id in caput istud cōuertatur) uel Græcis mercatoribus, si qui adsint, uendunt, uel in flumen abiiciunt. Herod. lib. 2.

A Scythis.

Apud SCYTHAS sacrificium in omnibus templis codē modo est institutum. Nam uictima primoribus implicita pedibus sistitur, cuius à tergo stans immolator, amota inprimis insula, pecudem ferit: eaq; concidente deum inuocat, cui illam mactat: deinde circundat laqueum collo, cum iniecto baculo circunducit, hostiamq; strangulat, nō incenso igne, non uotis nuncupatis, non sumtis libamentis: sed ubi pecudem strangulauit, eiq; pellem detraxit, ad cocturam se conuertit. Verùm cùm Scythica regio lignorum sit admodum inops, hoc ab illis ad carnem coquendam excogitatum est. Vbi uictimam pelle denudarunt, denudant quoq; ossa carnibus: dehinc illas in lebetes eius gentis Lesbijs createribus assimiles (nisi quòd sunt multo capaciores) inijciunt, & subiectis atq; succēsis ossibus hostiarum coquunt. Si autem nō adfuerit lebes, omnes carnes hostiarum in aluos illarum conijciunt, & cum aqua commiscent, atq; ossa succendunt. Quibus pulcerrimè ardentibus, & aluis facilè capientibus carnes ossibus separatas: ita fit, uti bos se ipse coquat, & item cætera pecora immolata, per semetipsum quodq; elixum fit. Coctis carnibus, is qui immolauit, earum atque intestinorum libamenta ante se porricit. Immolant autem cùm alia pecora, tum præcipuè equos. Herodotus libro 4.

A Sclauis.

RVGIANI insulani in ciuitate Arcone, Suantouito suo semel quotannis post lectas fruges solēne epulum religionis nomine celebrabant. Huius sacerdos, præter communem patriæ ritum barbæ comæque prolixitate spectandus, priditi quām rem diuinam faceret, sacellum (quod ei soli intrare fas erat) adhibito scoparum usu, diligentissimè purgare solebat, obseruato, ne intra ædem halitum funderet. Respirandi causa & anhelitum captabat, ac ad ianuam procurrebat, nedei præsentia, mortalis spiritus cōtagio polluereturn. Postero die populo præ foribus excubante, detractum simulacro poculum curiosiùs speculatus, si quid ex inditi liquoris mensura subtractum fuisset, ad sequentis anni inopiam pertinere putabat. Quo annotato, præsentes fruges in posterum tempus asseruari iubebat. Si nihil ex consuetæ fœcunditatis habitu diminutum uidisset, uentura agrorum ubertatis tempora prædicabat. Iuxta quod auspicium, instantis anni copiis nunc parciùs, nunc profusiùs utendum monebat Veteri deinde mero ad pedes simulacri libamentis omine defuso, uacuefactum poculum recenti imbuit, simulatoq; propinandi officio, statuam uenerans, tum sibi tum patriæ bona, ciuibusq; opum ac uictoriarū incrementa solennium uerborum nuncupatione poscebat. Qua finita, admotum ori poculum minta bibendi celeritate continuo haustu siccauit, repletumq; mero, simulacri dexterę restituit. Placenta quoq; mulso cōfecta, rotundæ formæ, grandis uerò tantæ, ut penè hominis staturam æquaret, sacrificio admouebatur. Quam sacerdos sibi ac populo mediam interponens, an à Rugianis cerneretur, percontari solebat. Quibus illam à se uideri respondentibus, ne post annum ab iisdem cerni posset, optabat. Quo precationis moren non suum aut populi fatum, sed futura messis incrementa poscebat. Consequenter sub simulacri nomine præsentem turbam consalutabat, eamq; diutius ad huius numinis uenerationem sedulo sacrificii ritu peragendam hortatus, certissimum cultus præmium, terra mariq; uictoriam promittebat. His ita peractis, relquum diei plenis luxuriæ epulis exigentes, ipsas sacrificii dapes in usum conuiuij & gulæ nutrimenta uertere. In quo epulo sobrietatem uiolare, pium æstimatū est: seruare, nefas habitum. Numus ab unoquoq; mare uel femina annuatim, in huius simulacri cultum, doni nomine pendebatur. Iidem quoq; spoliorum ac prædarum pars tertia deputabatur, perinde atq; eius præsidio parta obtentaq; fuissent. Hoc quoq; numeu trecentos equos descriptos, totidemq; sacellites in eis militares habebat: quorum omne lucrū, seu armis seu fœto quæsitum, sacerdotis custodiæ subdebatur: qui ex earum rerum manubiis, diuersi generis insignia ac uaria templorum ornamenta constabat, eaq; obseratis arcarum claustris mandabat, in quibus præter abundantem pecuniam, multa purpura uetustate exesa congesta fuerat. Hanc statuam, totius Sclauiæ pensionibus cultam, finitimi quoq; reges donis prosequebantur. Saxo lib. 14. Danorum historiæ.

A Mulieribus.

AMPHIDROMIA sacra prisca cōsuetudine, qb. mulieres q̄ in partu adfuissent, & in obstetricādo iuuissent, quinta pòst die manus abluere solebāt, ac puerū cursu Latibus circumferre. Eoq; die munuscula mittebantur à cognatis, sepiæ pleruq; & polypi. Decimo à partū die nomen indebatur infanti. De munusculis huiusmodi meminit & Terentius in prima Phormionis scena. Et Plautus in Truculento, in qua fabula Phronesium meretrix Dinarcho cupienti accumbere in sacrificio pro puero accitutio, iubet potius illud agat, quod quinto die fieri consueuit. Quanquam Hesychius & Amphidromiam septimo die scribit celebrari solitam. Plato in Theæteto, τὸ ἀμφιδρόμια, uocat genere neutro. Idem facit Ephippus apud Athenæum libro Dipnosophistarum nono. Eras. in Adagiis, & Cælius lib. 2. cap 12. A. L.

BONÆ deæ sacra apud Romanos talia erāt: Mulieres festum diem agentes pampinis tentoria contegunt, ac sacer draco ex fabula ad pedes deæ iacet. Eò uirum fas non est accedere, neq;, dum sacra aguntur, in domo ubi aguntur, esse Solę feminæ multa Orphicis germana memorantur in solenni peragere. Vbi festus dies instat, celebratur in ædibus consulis uel prætoris: ipsi autē domo omnesq; uiri cedunt. Vxor sola domum parat, peragiturq; ferè nocte per lusum peruigilio commistum inter magni concentum. Plut. in Cæsare.

A Rusticis.

Arationes tres sacras agunt ATHENIENSES: primā in Scyro, uetustissimum monumentū sementis, in Raria alteram, tertiam sub urbe, quam Coniugalem uocāt, omnium sacratissimam, quæ sobolis procreandæ causa celebratur. Plut. in Præceptis connubialibus.

Agrestis tuba in SAMOGITIA sacrificium quoddam solennesq; epulas gentili more sub finem mensis Octobris collectis frugibus quotannis celebrat hoc modo. Ad locum, conuiuio epulisq; sacris delectum, omnes cum uxoribus, liberis & seruis conueniunt, mentæ fœnum substernūt, desuper panes apponunt, & ex utraq; panis parte duo cereuisiæ uasa statuunt. Postea adducunt uitulum, porcum & porcam, gallum & gallinam, & cætera domestica iumenta exordine, mares & femellas. Inprimis augur siue incantator quispiam uerba quædam præferens animal uerberate baculo orditur: deinde omnes qui adsunt, fœnetum per caput pedesq; baculis uerberant, postea tergum, uentrem, & cætera mēbra cōcutiunt, dicentes: Hæc ubi ō Ziemienniek deus (sic enim illum dæmonem agrestis turba appellat) offerimus, gratiasq, tibi agimus, quòd nos hoc anno incolumes, & omnibus abundantes conseruare dignatus es: nunc uero te rogamus, ut nos quoq; hoc anno præsenti fouere, tueri ab igne, ferro, peste, & inimicis quibuslibet defendere digneris. Postea carnes iumentorum ad sacrificium mactatorum comedut, & ab unoquoq, fercule, antequam comedant, portiunculam amputant, & in terram omnesq, angulos domus proiiciunt dicentes: Hæc tu ō Ziemienniek nostra holocausta suscipe & comede benignus. Omnesq; tūc temporis lautissimè sollēniter & opipare epulantur. Hic i. lē mus gentilis etiam in Lituania Russiaq, ab agrestibus quibusdā in locis obseruatur. Guagninus in Lituania.

MATERIÆ RESPECTV. Quo ad

Victimas. Sacra quædam

Anaima.

AEGYPTII Serapin non cæde animalium, sed uerbenis, coronis & panificis placabant. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 22.

PYTHAGORAS nihil animatum diis immolandum censuit, sed usque ad farinam & mel terræq; fructus & flores offerendum. Itaq; cùm Thebis ad aram Apollinis Spodij (quæ ex sacrificiorum cineribus constructa erat) uenisset, rem diuinam facturus: frumento, ordeo & placenta sine igne sacrum fecit. Alex. lib. 2. c. 22 & lib. 6. c. 2.

Apollinij, qui in DELO insula oraculorū responsa dabat, nullum animal immolabatur. Deum enim incruenta uictima delectari putabant. Alex. lib. 6. c. 2.

In ATTICA erat Iouis ara, ad quā nihil cōueniebat animatū immolari: sed uariis libamentis & bellariis absq; uino sacrificabatur. Ibidem.

NVMA Pompilius, ut pleraque sacrificia libo, farina & fruge molaq; salsa fierent, uoluit. Termini uerò sacrificia ideo sine sanguine esse uoluit, quòd eum deum uelut pacis custodem putaret. Alex. lib. 2. c. 22.

TERRÆ sacrum fieri non uictima, sed frugibus, floribus, & lacte, plerique decere putarunt. Alex. lib. 2. c. 22.

GENIO in festis natalitiis nulla animalia mactabāt, nec cruore festa maculabant, sed pulte tantum, fritillo, mero, libis, floribus & thure sacrificia absoluebant Romani. Alex. ab Alex. lib. 2. cap 22.

ROMÆ Lari familiari, Calendis, Idibus & Nonis, corona in foco posita, pro aris focisq;, proq; familia, non sanguine uictimarū sacrificabatur: sed ex ordeacea pulte, libo, farre, uino & thure, cum sale & salitio, sacra ista fiebant. Idem ibidem.

Enaima.

In sacrificiis deorum fuit pontificalis obseruatio apud ROM. ut duobus hostiarum generibus dijs sacra fiãt: uno, in quo cum litabatur, uoluntas dei per extra exquirebatur: altero, in quo sola anima deo consecrabatur, quæ hostia animalis dicta. Hæc frequentes fuere, ouis, sus, capra, bos, gallina & anser: quas cùm immolabant, nisi puræ essent & lectæ, ad rem diuinam nõ proficere putabant. Fuit q; opinio, potiùs ex hœdis & agnis, quia mites sunt, quàm ex gallinaceis, suibus & tauris, quoniam animo abundant, deos cõsuli & futura prænosci. Ideo ouili pecoris hostiam non ab amplitudine, sed quia animi est placidioris, pontifices maximã duxerunt. Lectæ dicuntur hostiæ, maiores & uberiùs depastæ, quæ claudæ, morbosæ, aut uitiosæ non sunt, (quia pernosci, nisi ex sana uictima, futura non possunt) quæue fissam aurem, uel caudam aculeatam, aut linguam nigram nõ habent. Alexander lib.3.cap.12.

Libationem. Sacra

σπονδαι.

Seleucus apud Athenæũ lib.2. negat, apud ueteres fuisse morem, ut uini copia, aut aliud quidlibet deliciarum inseretur in sacrificia. Quum enim sacrificia deorum gratia peragerentur (unde & θυσιαι, & θυλιαι, ac μεθαι appellabant. θυειν, quòd deorum gratia uino uterentur: θυλιαι, quòd deorum gratia uescerentur, conuenirent q;: μεθαι uerò, quòd, ut indicauit Aristoteles, μετὰ τὸ θυειν, id est, post sacrificium uino uterentur) non conueniebat illic uentris negotiũ agere.

Νεφαλιος θυσια, id est, Nephalium sacrificium, apud ATHENIENSES exhibebatur Mnemosynæ, Auroræ, Soli, Lunæ, Nymphis, Veneri, & Vrantæ. Nam in eo non libabatur uinum, sed aqua melle diluta. Suidas. Meminit & Iulius Pollux lib. 6. cap.3. addens, νεφαλιουειν idem esse quod νηφαλια θυειν. Soli sacrificantes, ut auctor est Phylarchus lib. Historiarum duo decimo, mel libant, uinum non inferunt altaribus: quia æquum esse arbitrantur, ut deum ipsum, qui omnia continet, omnibus dominatur, semperq; mundũ circumuenit, ab ebrietate prorsus alienum esse credãt. Athen, lib. 15 cap.20.

Vestæ non uino, sed de Numicio flumine ROM. libant, quibus diebus mense Iunio molæ frumentariæ & asini fertis & pane coronabãtur: ad cuius templum iuxta forũ nisi nudo pede accedere non conueniẽt: sicut in æde Dianæ apud Cretenses, quam Britomartim nominant. Alex.lib.3.c.12.

συνεστιασις.

Epicharmus posterioris seculi mores collapsos notans apud Athen.lib.2.sic scribit: ἐν μὲν θυσίας θαίη, ἐν δὲ θοίνης κόσμε ἐγένετο, ἐν δὲ κόσμου κώμος, ἐν κώμῳ δ' ἐγένετο συνεστία, ἐν συνεστίᾳ δίκη, ἐν δίκῃ κακία δίκη, ἐν δὲ κακοῦσι κόδαι, καὶ σφάκελος, καὶ ξυμφορά. id est, Ex sacrificio epulum, ex epulis facta est potatio, ex potatione comessatio, ex comessatione facta est subatio siue ludus, ex subatione seu ludo lis, ex lite condẽnatio, ex condemnatione compedes, sphacelus, & multa Erat in Prou.

In sacris Horæ, quam Bonam deam nuncupant, cùm uinum libant, lac fuisse dicunt. Alex.lib 3.c.12.

Suffimenta.

ΘΥΣΙΑ, Porphyrio auctore, quę ex herbis fit litatio est, ab exhalatione dicta, quam θυμιασιν uocant. Itaque sanguinario cultu non conuenit proprie. Cælius lib.12.c 1.A.L.

ILIACIS temporibus, non thure, nec costo, sed cedri & citri fumo deis adolebant. Alex lib.4.cap.17.

AEGYPTII solo thure & precibus deos placãdos censent: uictimas & hostias pro piaculo ducunt. Herod.& Diod.

MODI RESPECTV. SACRA

Occulta.

OPERTANEA fuere sacrificia, quæ seorsim ab hominum conspectu in opeto fiebant Cereri & Apollini. Ad quæ sacra nigræ gallinæ ut impuræ non admittebantur. Alexan. lib.3.cap.12.

FINIS RESPECTV. CVR. Sacra

Cirata.

Fuit mos apud Persas, ut suum quisq; diem NATALEM pro facultatibus, multis sacris ac opiparis conuiuijs, coleret: unde ad Romanos fortitan fluxit, quibus in solis natalibus sacris, sese uanis etiã libidinis & intemperãtię uoluptatibus dare fas erat. Hinc Verg. in Bucolicis:

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola.

At in alis castę dies agebant, ac tam natali die, quàm funerum, in templa cibos pauperibus afferebant, ibiq; edebant. Manauit & ad Christianos institutũ, quãdo teste Tertulliano lib. de Militis corona, illis ipsis diebus oblationes faciebant, in templo q; unà epulabantur. quæ postea luxuries Nicenæ synodi decreto sublata est. Fuit autẽ uel Ambrosij tẽporibus talis diei cultus celebris, qui epistola quadam ad Felicem episcopum Comensem monet natalem diem uniciuique non Iudis uoluptatibus ue aliis, sed tantùm precibus agendum. Sed is dies, qui nobis primus illuxit, nunc prorsum apud nos in omnem uenit obliuionem, quò scilicet nostræ sordidæ infantiæ penitùs immemores, omnipore pòst insolentiores euadamus. Polydorus lib.6. cap.7. de Inuent.

Expiatoria, Lustralia. Causa

Vrbis lustrandæ.

Athenienses cùm peste aliquando laborarent, responso accepto à Pythia, urbẽ expiandam esse: Niciam Nicerati filium naui miserunt, qui EPIMENIDEM ex Creta aduocaret. Ille profectus Olymp.27. lustrauit urbem hoc modo: Oues sumsit nigro & candido uellere, duxitque in Areopagum, atq; inde quò uellent abire permisit, comitibus mandant, ubicunq; illæ accubuissent, singulas mactarẽt peculiari cuipiam deo. Sic quieuit lues. Hinc factum, ut per Atheniensium pagos passim aræ sine nomine inueniantur. Laertius. Qui fortè ignotus ille Deus est, cuius occasione D. Paulus Athenienſibus Christum prædicare cœpit. Pausanias certè in Atticis ararum etiam suo tempore Ignotis diis extructarum meminit.

AMBVRBIALIS uictima erat, cùm propter dira prodigia (ut si bubo uel lupus cellam Iouis uel Capitolium intrasset) redæ aut uictimæ, sulphuris & aquæ lustratione, urbs aut Capitolium purgaretur. Alex.lib 5.cap.26.

GALLIS lustrandi urbem usus erat, ut hominem purioribus cibis anno saginarẽt, ac festo die urbe tota circumducturn, extra pomerium educerent, eumq; mox lapidibus obruerent. Alex.lib 5 c.26.

Equestris ordinis ROMANA iuuentus, omnibus annis bis urbem spectaculo sui celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione. Lupercalium enim mos à Romulo & Remo, inceptus est tunc, cùm lætitia exultantes, quòd his annis Numitor rex Albanorum, eo loco ubi educati erant, urbem condere permiserat, sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Euander Arguius consecrauerat facto sacrificio, cæliq; capris, epularum hilaritate ac uino largiore prouecti, diuita pastorali turba, cincti omnes pellibus immolatarum hostiarum, iocantes obuios petiuerunt: cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Trabeatos uerò equites Idibus Iulii Q. Fabius tãtuchi institut. Val. Max.lib.2.cap.1.

Concionis purgandæ.

Moris fuit ATHENIENSIBVS mactare porcelum, & subsellia concionis sanguine illius imbuere, in honorem Cereris, quia fruges eius lædit, inquit commentator Achariensium Vnde Aeschines dixit: Postea quam piaculum circumlatum erit, & præco patria uota fecerit, tum iubet lex ad populum agi. Immolatus uerò ad expianda loca porculus καθάρσιον dicebatur: Aeschines contra Timarchum καθάρσιον uocat. Qui expiabat, καθαρτής: Cathio Petistarchus. Lex autem, ut inquit Dinarchus apud Demosthenem contra Timocratem, præconẽ cum bona ominatione precari iubet, ut populo de rebus à diis consilium traderetur. Cum uotis potrò execratio quoque coniuncta fuit, ut ex oratione Demosthenis de Emẽrita legatione colligitur: Recita execrationem, inquit, ex lege Execratio. Hæc pro uobis Athenienses, in singulis concionibus præco precatur, quæ constituta lege sunt. Videtur autem execratio huius sententiæ fuisse, quantum ex iis, quæ apud eum sequuntur, uerbis elicitur, ut qui contra Remp. sensisset. dixisset ue, ipse cum gente, domoq; sua à diis euerteretur. Sigon. libro 2. de rep. Athen. & Cælius lib.27.c.17.

CVRIAS & populum purgari accepimus, cùm excerptum ex bouis utero uitulum comburerent, & ex illius cinere, addito equi sanguine & fabatũ stipulis, suffimen facerent. Alex. lib.5 cap.26.

Agrorum.

Cùm in Azanæa Phrygiæ summa fames ob agrorum sterilitatem oborta esset, pastores q; tem diuinam frustrà faceret: EVPHORBVS quidam nouum sacrificii genus excogitauit, & uulpem & echinum immolauit. Qua bestia placatis diis, agros feraces esse cepisse, scribit Hermogenes, citante Stephano.

CANARIVM in antiquis libris dicitur augurium, cui agendo constituerentur dies, priusquam frumenta naginis exirent, & antequam in naginas peruenirent, à cane ducto nuncabulo. Siquidem rutilæ canes, id est, non procul à rubro colore immolabantur, ut ait Atreius Capito, canario sacrificio pro frugibus, deprecandæ tempestatis causa fidei is Canicula.

culæ. Legimus in Græcorum monumentis, exurente quandoq; Cycladas insulas cane, atque inde sterilitate multa accidente consequuta, qui in Ceo habitabãt, ex oraculo Aristæum Apollinis & Cyrenes filium accersiuerunt. Aduenit is, ex Arcadia secum quibusdam ductis, templumq; erexit Iouis, quem uocauit Icmæum, quasi tu pluuium dicas. Canem quoq; rebus diuinis operatus placauit, Ceisq; legem instituit, singulis annis eiusdem seruarent exortum cum armis, ac eidem rem obirent diuinam. Cælius libro 17. capite 27. A.L.

AMBARVALE sacrum nisi de porca fœcũda & grauida, aut uitula, fieri non consueuit, cùm arua & segetes solenni uictima lustrantur. Eam uictimam maturis frugibus ter circum arua ducere conuenit, omnesq; post eam clamantes sequi: ex quibus unus querna ornatus fronde, cum solenni saltatu, composito carmine Cereri decantabat laudes: ac postquam lacte, uino & fauo libassent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabãt: quæ Præcidanea dicta est. Alex.lib.3.cap.12.

Apud ROMANOS, agna coronata, messis, ager, fundus, terra, grex uel pecus ter circumlustrabatur: prosequente agrestium turba cum fistula, solẽniq; psaltu & clamoribus, dẽiq deamq; cui sacra fiebant, inuocante, uti morbos, calamitates & omnem intemperiem prohiberẽt, fructum agrorum, pastores, pecoraq; seruarent. Si ager lustrandus foret, Iuno ni & Iano uino libabant priùs: mox Martem patrem, ut sciens uolens q;, propitius adesset, inuocabant. Alexan. libro 5.cap.26.

Pecudum lustrandarum.

Quando OVES lustrabantur, pastor summo diluculo aqua illas inspergebat & sulphure, herbaque sabina & lauro igne succensis circa ouilia fumigabat: cumq; sacro carmine, milio & libo, cum lacte & sapa Pali sacra faciebat: quo suffitu pecora expiari, & morbos depelli, ac diras tabes exterminari putabant. Alex.lib.5.cap.26.

Insulæ expiandæ.

Anno sexto Peloponnesiaci belli DELVS insula ab Atheniensibus expiata. Expiationis ratio talis inita, ut cadauera ex tota insula refossa, in Rheniam sint asportata, constitutumq; utiam inde nemo ibi nasceretur moreretur ue, sed ut quæ ãtea laborare cœpissent, ac quo quo modo perituri, in eam insulam deportarentur. Est Rhenia adeò Delo propinqua, ut Polycrates Samiorum tyrannus utranque alteri cathena aliquando iunxerit. Manst in Delo lustrale sacrum, quod Athenienses cum circumiectis insulanis quinto quoq; anno deinceps celebrarunt. Sab.lib.6.En.3.

Exercitus lustrandi.

MACEDONIBVS inter diuisam hostiam, priorem ad dexteram, posteriorem ad læuam uiæ, aut discissæ canis uiscera, armatas copias & exercitum traducere, instructo paratoq; inimicis præcedere, & simulacrum pugnæ edere, cumq; cohorte regia & omni belli apparatu arma ab ultima origine regum proferre, & sacrum piaculare facere, lustrandi mos fuit. Alex.lib.5.cap.26.& Sab.lib.7 En.5.

Apud ROM. lustrari exercitum nisi sue, oue & tauris qui puri essent, nõ erat fas: qui postquam ter circum instructas acies ductijerant, præcedente pompa & gressu composito, Marti immolabatur. Alex.lib.3.cap.12.

Classis lustrandæ.

NAVIBVS olim teda lucida, ouo & sulphure lustratis, ad putificationes, preces solennes præfati, nomẽ indebant ethnicis sacerdotes, nec in totum exoleuisse antiquum ritum Massiliæ conspeximus. Brodeus in 2. Epigram.

NAVALES copiæ si lustrarentur, disposita classe in litore, arã mari abluebant, & cæsam uictimam atq; exta per classẽm circumferebant cum solenni carmine & precatione. Quo facto, hostiæ partem in mare proijciebant, partem etiã flammis comburebant: & eo modo classẽm lustrari & calamitates depelli putabant. Alex.lib.5.c.26.

Initiatoria.

Ex loco, Ordines sacri, huc quædam.

Supplicatoria.

De Precibus suprà per se. Hic, quatenus sacris iungantur.

SACRIFICIA SINGILLATIM SECVNDVM CAVSAS considerata.

Consule Lil. Greg. Gyraldum Syntagmate XVII. historiæ Deorum gentilium.

MATERIÆ RESPECTV CONiunctim, quo ad

Ortum. Sic offeruntur

Ver sacrum.

Fuit mos quondam cùm Italis alijs, tum ROMANIS, ubi res suas in periculo uersari cernerent, uouendi, quæcunq; proximo uere nata essent apud se animalia immolaturos: unde id Ver sacrum dictum est. Liuius lib.4. Decadis quartę. In hoc uoto, quicquid ex suibus, ouibus & agnis inter Calendas Martias & Idus Maias apud quenq; natum editumue fuisset, uoto contineri dixerunt: pueros quoque & puellas, teste Festo, qui inter hæc tempora editi fuissent, hauddubiè uoto comprehendi: sed quia immolare eos turpe ducerent, hoc piaculari sacro expiarũt, ut adultos uelarẽt, uelatosq; extra fines exigerent, qui Vernæ dicti sunt: quo piaculo liberi religione putabantur. Alexander libro tertio capite uigesimo secundo.

Primitiæ.

Frugũ primitias Cereri, Mustum uerò Baccho offerebãt olim. Omnium quæ nascerentur è terra primitias Dianæ offerri sõlitas, apparet ex his uersibus Euripidis:

—ὅτι γὰρ σύναυτος τέκοι
κάλλιστον, εὖξω φησὶ φέρων θύσειν θεᾷ.

Posteaquam deiecti sunt Titanes ab imperio, Iupiter optionẽ dedit Vestæ quod uellet capiendi. Hanc primũ uirginitatem postulasse inquiunt, & post illam, ut primitiæ omnium quæ sacrificarentur, sibi offerrentur ab hominibus. Ita uerò postea sancitum est in sacris, ut primũ omnium quę sacrificabantur primitias Vestæ offerrẽt. Istud ipsum innuit etiã Aristoph. in Vespis. Natalis Comes Mythol. libro octauo capite decimonono.

Decimæ.

Dionysius Halicarn. ait in primo Antiq. Iouem & Apollinem ob intermissas hominũ decumas sterilitatem & sterilitatem agris, fluminibus, animalibus, hominibus immisisse, donec decima sit reddita. Polydorus libro quinto capite octauo de rerum Inuent.

Gratiam.

Quod cuiq; deo gratissimum esset, id ad illius aras mactari solitum quidam aiunt. Iraq; equus Martis erat hostia. & quòd aper Adonim interfecisset, apro Veneri rem diuinam fieri nefas erat. Alij, quod quisq; deus odisset, eius potissimè illium cæde oblectati putabant. Iraq; Nocti sacrificabatur gallus gallinaceus, quòd cantu suo diem prouocare, noctem fugare uideretur: capra Palladi, quòd oleam insigniter lędere: porcus Cereri, quia semina pando Eruere rostro, spęq; interuertere anni Muretus lib.3 Var.lect.c.7.

Isidi Anser propria uictima dicata est, Pluroni Taurus, Proserpinæ Iuuenca, & Bos fuluus Auerno. Vlyssesapud Homerum ariete & oue nigra Erebo sacrificauit. Apud Aegyptios Lunę taurum & Libero parti suem, reliquis uerò dis omnibus, boues mares, uitulosq; & anseres immolabant. Alex lib.3.cap.12.

Aetatem.

Omnes bimæ Hostiæ apud ROM. bidentes dicebantur, corrupta uoce, pro bidennes, quasi biennes. Gell.lib 16 cap.6. ex P. Nigidij libro de extis. Cõsueuere Romani, rebus quas citò expedirì cuperent, ætate grandioribus hostijs: ubi uerò rem augere uellent & produci, iuniori uictima sacrificare. Si pro infantibus immolandum foret, non grandis, sed minor hostia mactabatur. Alex.lib.3.cap.12.

Sexum.

In omnibus sacris, feminini generis uictimæ potiores erant ROM. Iraq; si per marem litari non poterat, femina succidanea dabatur: non econtrà. Nam si per feminam hostiam minimè peritatum foret, succidaneam adhibere non licebat. Apud AEGYPTIOS secus: quibus feminam hostiam immolare est habitũ nefas. BARBARIS quoq; circa montem Caucasum, & apud DERBICES Pesicam gentẽ, feminium animal uictimam dare, aut eius carnibus uesci, sub graui documento uetabatur. Alexander libro tertio capite duodecimo.

Numerum.

HECATOMBAS nouere Græcis & Romanis antiqui moris fuit olim, cùm pestilenti contagio & graui morbo laborarent: quod à Laconibus primò inuentum fuisse dicunt. Cuius uoti obseruatio talis erat, ut centum aræ uno in loco aggesto cespite fierent: in eis q; centum boues, centum oues, centũq; sues uno tẽpore immolarentur: si uerò Imperatorũ uotum esset, centũ leones, centumq; aquilæ unà mactarentur. Balbinus & Pupienus Impp. cõtra Maximinos Hecatomben

bon uictoriæ causa uouerit. Alex.lib.3. cap.22. & Cælius libro 20.cap.6.Antiq.Lectionum.

Patris urbe Achaiæ est Laphriæ Dianæ fanum, cui anniuersarium sacrum faciunt, pyra circa aram in orbem extructa, & intra septum animalibus omnis generis coniectis, apris, ceruis, capreis, lupis & ursis: esculentis auibus, & arborum pomiferarum fructibus. Quæ omnia immisso igne cremantur. Sacerdos est uirgo, quæ ceruorum curru magnificè inuehitur. Pausanias testis in Achaicis.

Ordinem.

SVCCIDANEÆ hostiæ dicebantur apud Rom. quasi succedaneæ, quoniam si primis hostiis litatum non erat, alię post easdem ductę hostiæ cædebantur, quæ quasi prioribus iam cæsis luendi piaculi gratia subdebantur & succidebantur. Gel. lib.4.cap.6 Noct.Att.

PRÆCIDANEÆ hostiæ, quæ ante sacrificia solennia pridie cæduntur. Ibidem.

Vnam hostiam nunquam duobus diis aut incertis, sed certo numini immolabant: superisq; impares, inferis uerò pares. Alex.lib.3.cap.12.

☞ MATERIÆ RESPECTV SPECIATIM, quatenus offeruntur

Animalia. Nempe

Coturnix.

Athenæus lib.9.scribit, Hercules Iouis & Asterię filium in Libyam proficiscentem à Typhone fuisse interemtum: reuocatum autem in uitam odore coturnicis, illi ab Iolao admotę & ob eam causam Phœnices Herculi coturnice sacrificare. Erasmus in Adagijs.

Gallus.

PYTHAGORAS quandoq; Ioui gallũ albis plumis immolasse dicitur. Alex.ab Alex.lib 3.cap.12.

TROEZENII gallo albis alarũ pennis discerpto, Asiicum uentum è sinu Saronico agrum & uineas perflantem, nouosq; pampinos aceriter torrẽtem, placãt. Paus. in Corinth.

Pisces.

Syllæ cuidam in Symposiacis Plutarchi ἰχθύων θύσιμος οὐδὲς, οὐδὲ ἱερουργήσεις. Quam opinionem ualidis argumentis quasi ex professo labefactans Athenæus, Copaides anguillas ab incolis hostiarum in morem coronatas diis sacrificari probat, Dianæ mænides Eustathius. Ab Aegyptiis certè interdicuntur in sacris pisces. Brod.in primo Epig.

Boues.

Typhoni AEGYPTII boues russas mactabant. Plut.

SOLONIS lege de boue nulli deo sacrificari licebat, cũ animal sit innocuum, & agrorum cultui deditũ. Quippe uteribus tantæ uenerationis erat, ut æquè capitale esset bouem ac ciuem necasse. Alex.ab Alex.lib.3.cap.12.

HERCVLI mactabatur in ara apud Romanos maxima iuuencus indomitus: in quo sacrificio prętor aut põtifex, qui rem diuinam facit, sola lauro nec alia fronde coronabatur: cumq; mulieribus adesse sacris, & rẽ diuinam facere omnibus fœdè liceat, huic tamen sacrificio adesse, uel extra tangere, aut uesci, aut solennia etiam uidere, religio non permittebat. De hoc sacrificio & uariis eius cæremonijs lege Alexan. ab Alex.lib.2.cap.14.

Ioui à Flamine diali omnibus Idibus bos candidus & ex agro Falisco uel Meuania immolabatur. Idem lib.3.cap.12.

FORDICIDIA festa, in quibus hostias, quæ uterum ferunt, immolare solebant. Idem lib.5 cap.25.

HORDALES dies festi erant, in quibus hordæ, hoc est prægnantes immolabantur boues, etiam in diebus atris & nefastis, in quibus aliàs nullum sacrificium ritè fieri poterat. Alex.ab Alex.lib.4. cap.20.

Capræ.

Ferunt in PEDASIA, regione Cariæ, quum Ioui Lycæo stata die sacrificetur, capram è Pedaso sua sponte ad sacrificij locum uenire, & se immolandam sistere. Alex.lib.4.c 12.

Soli è Græcis omnibus LACEDÆMONII solenne habent Iunonem colere, quàm Aegophagam nominant, eidemq; capras immolare. Herculem quidem prodũt primum templum dedicasse, & deæ caprã mactasse. Id illũ fecisse, quòd contra Hippocoontis filios pugnãti nihil Iuno aduersi obiecerit, cùm petinde atq; in alijs certaminibus contra pugnatutam putasset: capram uerò fecisse, quòd aliæ uictimæ non suppeterent. Pausanias in Laconicis.

POTNIIS, urbe Bœotiæ, fuit olim Liberi patris ædes, cognomine Aegobolt, id est, Capram cædentis. Ira enim aliquando accidit, ut dum sacrificarent, per temulẽtiam cõ uæcordiæ processerint, ut ipsum Liberi patris sacerdotem occiderint. Quod piaculum cùm atrox pestilentia consecuta esset, ex Delphici Apollinis responso, puerum Libero iam pubescentem, mactandum acceperunt. Sed non multis pòst annis deum ipsum capellam pro puero suppositisse tradunt. Pausanias in Bœoticis.

Sues.

In THESSALIA, ubi Castniensis Veneris fanum est, & in STADA Pamphyliæ, in ASPENDO Argiuorum, & ARGIS quoq; in eo festo quod Hysteria dicitur, sues in sacrificijs mactare licebat. Alex.ab Alex.lib.3.cap.12.

Sus, ὕς, à uerbo θύειν, quod est immolare, quoniam à suillo genere pecoris immolandi initium sumtum uidetur. Cuius uestigia, quòd initiis Cereris porci immolãtur: & quòd initiis pacis fœdus cùm feritur, porcus occiditur: & quòd nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes uiri in Hetruria, in coniunctione nuptiali, noua nupta & nouus maritus, primùm porcum immolant. Prisci quoq; Latini & etiam Græci in Italia idem facitasse uidentur. nam & Rom. mulieres, maximè nutrices, naturam, qua feminæ sunt, in uirginibus appellant porcum, & Græcæ χοῖρον: significantes esse dignum insigni nuptiarum. Varro lib.2.c.4. Rei rust.

In Cereris Mysterijs ea fuit consuetudo, ut quisq; pro se Cereri porco faceret: seu quòd animal illud infestum Cereri crederent: seu quòd è suillo rostro arandæ & inuertendæ terræ ratio primùm accepta esset. Illud obseruabatur, ut & pra pinguis esset, & nulla sui parte mancus ac mutilus. quod etiam uniuersè in toto uictimarum genere seruabant. Ergo porcos mysticos aut mystericos uocabant, qui pinguissimi & integerrimi essent. Plautus sinceros sacres uocat. Quare Megarensis ille Aristophaneus, qui filias suas pro porcis uendere cuperet, iubet eis, ut sacrũ ingressæ ita grunniant, ut porci mysterici esse uideantur. Muretus lib.3 Var.lectionum, capite 7.

Domesticis Laribus rerum dabantur primitiæ, sæpe etiã porcus. Alex.lib.3.c.12.

Initiandi consueuerant immolare porcum. Suidas ex Aristophane citat in Pace,

Εἰς χοιρίδιόν μοι τωὶ δαίσασα τῆς δραχμῆς·
Δῶ γὰρ μυηθῆναί με, πρὶν τιθηνᾶσαι. id est,
Qui porcum emam mihi mutua nunc tres drachmas:
Initiandus sum priùs, ac mortem oppetam.

Item Plautus in Menæchmis, porcum sincerum & sacrem immolare iubet eum, quem mente captum significat. Adolescens. quib. hic precris porci uenerunt sacres, sinceri, nummum unum en à me accipe: Iubete piari de mea pecunia: Nam ego quidem insanum esse te certo scio. Opinor quòd uetterum usu, qui cuiuspiam irati numinis intemperijs ageretur, hoc piaculo se solerent purgare. Erasmus in Adagiis.

Apud PHOENICES ut in cœnis sic in sacrificiis à suibus abstinere præcipiebatur. Alexander ab Alexandro libro tertio capite duodecimo.

In MYSIA Abretani Iouis templum erat, in quo suem comesse, aut mactasse, piaculare erat. Alexan. ab Alexan. libro 3 capite 12.

Cameli.

ARABES pingues camelos in ara Ignoti dei, sicut nupturæ uirginibus camelis sacrificant. Heroibus uerò tauro, capro & ariete litant. Alexander lib.3. cap.12.

Equi.

MYSI, nisi immolato priùs equo, & litato, extisq; despaßis, nullo modo uota concipiebant. Alexander libro secundo capite uigesimo secundo.

Romæ Idib. Decembribus, à Iudis Circensibus, dexter equus, qui uicerat, sacer Martì immolabatur, præcisamq; caudam quispiam ad Reginam appellatam portabat, aramq; sanguine conspergebat. De capite quidam à Sacra uia, alii à Suburra descendentes depugnabant. Vtrum, ut aiunt non nulli, quòd equo captam arbitrentur Troiam, equum mulctant, ut qui

Troia mixta essent soboles præclara Latinis.

An quòd ferox, bellax, & martialis equus sit, gratissima & maxime congruentia diis immolant? Immolatur uictor, quòd uictoriæ auctor hic sit deus: uel potius, quòd stabilitatis opifex Mars sit: ac superant, qui locum tenent in acie, illos, qui deserunt locum & fugam capiunt: punitarq; ut timiditatis occasio permittas, discuntq; per ænigma eam fugientibus non esse salutarem. Plutarchus in quæstionibus Romanis.

Vnus ducũ MOESORVM, qui per M.Crassum uicti sunt, ante aciem postulato silentio: Qui uos, inquit, estis? Responsum mutuò: Romani rerum domini. Et illi, Ira (inquiunt) fiet, si nos uicentis. & statim ante aciẽ immolato equo, concepere uota, ut cæsorum ducum extis & litarent & uescerentur. Auentinus lib.1.Annalium Boiorum.

Solebant Gothi olim, processuri in prælium, EQVOS ad aras immolare, quorum abscissa capita, contisq; excepta, subiectis stipitibus distentos faucium rictus ante acies præferebant. Io. Magnus lib.1.cap.13.

Asini.

Lectum in historia est, ab HYPERBOREIS Apollini asinum immolari. cui sententiæ astipulatur Callimachus:

τίφτιον λιπαρὰ φοῖβον ὀνοσφαγίαι.

id est, pingues Apollinem oblectãt asinorum iugulationes. Sed & de Hyperboreis Pindarus in Pythijs:

πᾶς· οἷς ποτὲ περοσὸς ἰδαίσατο λαγίτας
δόματ' ἐσελθὼν κλέιτας ὄνων ἑκατόμβας.

Cælius lib.30. cap.21. A.L.

Muli.

ROMANI in Consualibus mulũ pro sacrificio immolabant, quòd id genus quadrupedum primum uehiculo iunctum fuisse diceretur. Alex.lib.5.cap.25.

Canes.

GYNÆCIÆ Romani pro his, qui domi nascuntur, canẽ immolant: sicut Græci Proserpinæ, & Dianæ Sabæi. Est autem Gynæcia, quam Romani Bonam deam uocant, quę ex corruptibilibus generationes facit. Cui quum res diuina fit, optant neminem bonum fieri qui domi nascatur. Plutarchus in quæst. Rom.

Apud LACEDÆMONIOS Neptuno immolabatur canis. Et BOEOTIIS, cane in duas partes dissecto per medium, iræ expiatio fuit. Idem & CARIBVS, ut cta canis diis offerre in usu haberent. inde prouerbiũ Carica uictima Plut. in quæst. Rom.

ROM. in Lupercalibus canẽ immolare mẽse Februario, quia lupo canis infensus est, & in expiationibus cane litari, legimus apud Plut. inde fortè, quòd Lupercos allatrarent & interpellarent canes per urbem discurrentes: aut etiã quia Pani, cui hoc sacrificium celebrabatur, acceptus esset ob caprarum greges canis.

Ad placandum Caniculę sidus frugibus inimicum ROM. mactabant canes: quas, si russæ non sunt, puras non putarunt: quod sacrum, Canarium augurium nuncuparunt. Pro frugibus quoq; & pecoribus, ut rubigo auertatur, lactenti catulo sacrum fieri conuenit: idq; Robigalibus per Quirinalẽ flaminem sacrum extra urbem fiertin quo super exta canis thus & merum infundere mos erat. Tales quoq; catulos tetens editos, tam in adijcialibus quàm deorum cœnis sæpe adhibuere. Alex.lib.3.c 12.

Mense Augusto PANEGYRIS canum à Romanis celebrari solita, quia ἀνύλακτοι, id est, sine latratu egerant, cùm Capitolium à Gallis occuparum esset, anseribus ampliter sonoreq; inclamantibus. Tunc ergo uiuas canes cruci sambucinæ affigebant, atq; inter ædes Iuuentutis & Sumani, singulis annis ROMÆ, ansere insidẽte, deferebantur. Alex.lib.3. cap.12.ex Plut. & Cælius lib.17.c.28.

Homines. Humanæ uictimæ.

☞ *Vide Titulum, Magiæ studium.*

PHARMACI in literis interioribus ferè uocabãtur, qui ad ciuitates suo interitu expiandas educebantur publicè. Erant uerò hi ignobiles quidã & inutiles, qui grassante in ciues peste, aut id genus morbo alio, immolabãtur, ut si quid in numen esset offensæ, piaculo eiusmodi parta facerent: ob idq; Catharmata consimiliter dicebantur, Græco uerbo expiationem significante. Nam Catharsia ratione eadem porculos nuncupabant minutulos, quibus conciones & theatra lustrabantur: qui mos Atheniensium erat uetus. Cælius libro 6.cap.12. Antiquarum Lectionum.

Apud ROM. cætera quidem sacra uiolare nefas, hominem uerò sacrum occidere fas erat. Eius ratio hęc: ueteribus is erat deorum metus & obseruãtia, ut sacrum dicatumq; animal prorsus in suis finibus esse haud paterentur, sed ad deorum abigerent loca, quibus id sacrum foret. Animas uerò huiusmodi sacratorum hominum, quos ἱερεῖς Græci uocãt, diis debitas omnino existimabant. Sed eas in cœlum mitti à se posse, & ad deos, ad quos iam pertinerent, alia ratione nulla uidebant, nisi corpore uiduaras. Igitur primo quoq; tempore, ut irent, eiusmodi hominem interficiẽdi cuilibet erat arbitrium. Morem hũc, uetustatis prudentissimus Maro expressit in Halęso, de quo paulò mox oppetituro ita scribit: Iniccere manum Parcæ, relisq; factarunt Euandro: in quo item diuini humaniq; iuris proprietatem esse exequutum, adnotauit Macrobius lib.3. cap.7. Saturnal. Quippe ex Manus iniectione mancipium designauit. Et Sacrationis uocabulo diuini iuris obseruantiam impleuit. Cælius lib.11.c.12.

Fuit Gehennon uallis in tribu Beniamin, ab impijs possessa, in qua filij uiui cremabãtur, & immolabantur dæmonio Moloch. Putatur autem Moloch fuisse Saturnus. Fit eius mentio Iosuæ 18. Et uocatur uallis filiorum Hinnon. Postea & ISRAELITÆ ad eum gentilem ritum defecerunt, sicut de Achazo scriptum extat 2. Paralip.28. Ipse est qui adoleuit incensum in ualle Ben Hinnon, & lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium, quos interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Vocatur is locus & Topheth, à tympanis, quę pulsabantur, ne ciulatus puerorum exaudiretur, 2 Reg.23. Abiit autem in consuetudinem, ut uulgari loquendi modo Gehenna pro loco tormentis perpetuis damnatorum deputato accipiatur in Sacris literis. Gehennam primus Saluator usurpauit in Euãgelio, quod Hieronymi proditum monumentis est, pro eodẽ loco, uel in quo prostium excarnificarentur impii. Beelphegor creditur Saturnus, qui dicatur Beel: nam Phegor, ubi is coleretur, loci appellatio est. Cælius lib.13.cap.23.A.L.

BELI tãta fuit apud ueteres religio, ut eĩ nõ solùm humanas hostias captiuorum ignobiliumq; mortalium, sed & suos liberos immolarent. Hieron. lib.13. com. in Esa. c.46.

MANASSEM Iudæ Regem, maximum sua ætate Magum, liberos suos diabolo sacrificauisse legimus. At is promissis de summa amplitudine ab eo acceptis, ab hostibus cõprehensus & dignitate deiectus est. Bodinus lib.4. Dæmon. c.4.

Apud AEGYPTIOS in Osiridis, ueluti frugum ac fructuum repertoris memoriam apud posteros immortalem, boues rufos, quoniam uidẽtur colore similes Typhoni, qui Osiridem necauit, immolari permissum. Et homines quoq; colore Typhonis antiqui reges ad sepulcrum Osiridis sacrificio, mactabant. Cũ autẽ pauci rufi Aegyptii reperiẽtur, externi plures: materia fabulandi Græcis data Busiridem hospites necasse. Diod lib.1.cap.7.

HELIOPOLI in Aegypto tres in die homines quos inquirebant, si mundi essent, Iunoni mactabant. Polyd.lib.5.ca.8. de Inuent.

Eusebius in Euang. præpar. ex Sanchoniathone theologiam Phœnicum recensens scribit: Saturnum regionis Palæstinæ regem, cùm hominem exuit, astrum illud, quod de eius nomine uocatur, induisse. Paulo pòst ANOBRETH nympham, quæ unicum habebat ex Saturno filium, ac ideirco Ieud appellatum (nã id est illi genti unicus filius) coactam eum immolare, quòd periculoso bello patria premeretur: esset q; moris peruetusti, filiũ principi carissimum, per eius modi dissimma dæmoni ulcisceti sacrificare, ad eius iram placandam.

CARTHAGINENSES à Phœnicibus oriundi, in grauibus Reip. casibus hominem mactabãt Saturno, cuius aliquando filius sic immolatus esset, uel ipsi hoc statuentes in Africa, uel institutum iam ex uetere patria secum transferentes in nouam. Pueri & infantes pro uictimis adhibebãtur aris, quæ ætas uel superbissimis hostibus solet miserabilis uideri. Clearchus, Plato in Protagora, Lactantius lib.1. cap.21. diuinarum institutionum, & Tertullianus. Erat autem apud eos ænea Saturni statua, quæ manus supinas in terrã inclinatas exponigebat, quibus deinde impositus puer, ignis uapore & calore cõtractus ac tortus, ridentis speciẽ exhiberet, inde deuolueretur in uoraginem quandam ignis plenam. Hinc uerisimile est Euripidẽ fabulosa illa mutuatum, de Tautico sacrificio, in quibus Iphigeniam ab Oreste sic interrogari facit: Quod nam sepulcrum mortuus fortiar? Ignem sacrum, qui intus est, & opacum terrę hiatum. Fabula, quæ à Græcis ex prisca fama tradita est, quòd uidelicet Saturnus suos filios è medio tollere sit solitus, apud Carthaginenses huiusmodi lege seruata uidetur. Diod. lib.20. Plutarchus in libro de Superstitione, in huius ipsius historiæ mentione, eos qui sine liberis forẽt omnino, à pauperib. puerulos coemere ad hunc usum solitos scribit, ueluti agnos aut auium pullos. Idem in more item fuisse tradit, ut assisteret mater ἀτύρτη ὀφθαλμοῖς, id est, citra lacrymas & gemitus. Quòd si illacrymari aut ducere suspiria deprehenderetur, precio pueri priuabatur, puer nihilominus immolabatur. In statuæ ambitu incinentium tibiis & tympana pulsantium modulis opplebantur omnia, ne qua exaudiri uox posset. Conducibilius porrò, inquit, Carthaginensibus fuerat, Cretiam initio, aut Diagoram legum sortiri latores, ac deorum nullum arbitrari, aut dæmonum, quàm eiusmodi obire sacra: pręstat enim deos non credere, quàm crudeles opinari & sanguinarios.

Iphigeniam AGAMEMNONIS filiam ad placandum numẽ iratum Calchas mactandam in sacrificio apud Aulidẽ censuit. Diana uero ceruam pro illa supposuit.

IONES, Dianæ Triclariæ quotannis uirginem & puerum immolabant, ut deam iratam placarent quam offenderãt. Melanippus adolescens & Virgo Dianæ sacerdos, stupro in æde sacra patrato: ita, ut summa terræ sterilitas, & miseranda hominum lues oborta sit. Pausanias in Achaicis.

Apud GRÆCOS in anniuersaria celebritate Baccho uiuos homines sacrificare mos erat: apud quos qui ita fuisset immolatus, maximam inter suos probitatis laudem ferebat. Alexander ab Alexandro lib.6.cap.26.

Olim Pireus insula fuit. In ea cùm Munychus principatum obtineret, templũ instituit Dianæ Munychiæ. Dein cùm ursus Dianæ sacer quidam ibi repertus, & ab Athenienſibus interfectus esset, fames ingruit. Respondit deus, Ita demùm finem mali futurũ, si quis filiam immolasset numini. Vnus autem repertus est EMBARVS, qui polliceretur, se filiam immolatutum, ea lege, ut sacerdotium in posteros suos traduceretur. Itaq; solenni ritu ornatã sacrificauit. Plutarchus in Collectaneis, & Erasmus in prouerbio, Embarus sum.

Cùm ad Salaminem GRÆCI cum Themistocle contra Xerxẽ pugnaturi essent, ad Themistoclem iuxta prætoriam triremem sacris operantem tres adducti sunt captiui, forma & uestitu insignes. Dicebãtur Sandauces regis sororis & Autarcti filij esse. Quos cõtuitus uates Euphrantides, ut simul & magnam hostiæ & lucidam flammam ediderant, ac bonum omen ſternutamento à dextera parte est datum: dextera Themistoclis complexus, adolescẽtes illos omnes iussit ut uictimam & hostiam Omesti Baccho uotis nuncupatis immolarent. Ita pariter Græcis salutem promiti & palmam. Stupente Themistocle eo uaticinio tãto & tam atroci, uulgus ut in grandibus solet periculis & rebus asperis, salutem potius ex absonis quàm consentaneis sperans, cœpit deum simul una uoce ciere, adductisq; ad aræ captiuis sacra ex præscripto uatis fieri coegit. Hæc philosophus, & historiarum non rudis Lesbius Phanias memoriẽ prodidit. Plut. in Themistocle.

LAODICEÆ, quæ Syriæ urbs est, Palladi uirgo immolabatur. Et apud ARABAS, in singulos annos puer immolatus sub ara sepeliebatur. Polyd. lib.5.cap.8.

CYPRII humana hostia Iouem placabant, ex instituto Teucri. Quod genus impietatis postea Hadrianus sustulit. Polyd. lib.5.cap.8. de Inuent. rerum.

CHII Dionysio Omadio humana litabant uictima. Idem.

In SASAMINE insula, homo Agraulæ Cecropis filiæ cædebatur: Diomedi similiter in templo Palladis, quod etiã ipsi Diomedi & Agraulę commune erat. Ab adolescentibus ter circum aram ductus, tandem à sacerdote hasta percussus, & in rogo impositus cremabatur. Polydorus lib. 5. cap. 8. de Inuent.

Ad tumulum Philopœmenis, Messenij captiui ab ACHÆIS à Dinocrate Messenio necati, lapidibus obruti & immolati sunt. Plut. in Philopœmene.

LEVCADII in Apollinis sacro, auertendæ deorum iræ causa, hominem de montis specula deijciebant, dijs rem gratam hac re facturos existimantes. Alex. lib.6. cap.26.

RHODII & CRETENSES ex instituto Curetum hominem epulis grauatum, ac pueros impuberes festis diebus Saturno mactarunt. Alex. lib.6. cap.26.

Quidam perhibent, apud SARDINIOS fuisse receptum, ut ex captiuis pulcerrimos quosq;, ac natu maximos, qui septuagesimum excessissent annum, Saturno mactaret, ridentes in morte, propterea quòd id forte ac uirile uideretur. Vnde prouerbium, Sardonius risus. Erasmus.

Saturnus in LATIO eodem genere sacrificij cultus est, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur, quod ex responso quondam factitatum, Varro auctor est, cuius responsi ultimus uersus erat, Et capita inferno & patri transmittite lumen: id est, hominem. Verùm id genus sacrificij postea ab Hercule est immutatum, ut pro ueris hominibus, imagines ex scirpo iacerentur, quod in Fastis Ouidius latè docet.

Bello ingruente Gallico, post primi Punici finem, ex uaticinijs librorum Sibyllinorum Græcum & Græcam, simulq; Gallum & Gallam in foro Boario, quod uocãt, sub terra uiuos demisere. quibus ad hunc usq; diem Græcis & Gallis sacra arcana & nefanda faciunt mense Nouembri. Plut. in Marcello. Plin. lib.28.c.2. In Pantheo statis diebus in sacris Herculis, mactabatur homo. Alex. ab Alex. lib.2.cap.14.

Masalmás Saracenorum princeps Pergamum obsidebat. PERGAMENI ciues magi cuiusdam instinctu prægnantẽ mulierem dissecuerunt: fœtuq; in cacabo elixato, quotquot militare uellent, exercando hoc sacrificio manicas dextrarum suarum tinxerant. Ea propter iusto Dei iudicio hostibus sunt traditi. Cedrenus.

CELTÆ pari suæ feritati impietate in deorum sacrificijs abutuntur. Noxios enim quinquennio seruatos, sudibus affixos dijs sacrificant, cumq; alijs primitijs super ingentes pyras immolant. Captiuos quoque sacrificant dijs. Quidam de hostibus capta animantia unã cum hominibus interfecta, aut in sacris comburunt, aut alijs afficiunt pœnis. Diodorus lib. 5. cap. 9.

Apud GALLOS si qui sunt affecti grauioribus morbis, quiq; in præliis periculisq; uersantur, aut pro uictimis homines immolant, aut se immolaturos uouent, administrisq; ad ea sacrificia Druydibus utuntur: quòd pro uita hominis nisi uita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publicaq; eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alij immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta uiminibus membra uiuis hominibus complent: quibus succensis, circumuenti flamma exanimantur homines. Supplicia eorũ qui in furto, latrocinio, aliáua noxia sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrãtur. Sed cùm eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Cæsar lib.6.

IIDEM hominem diuinationi destinatum in tergo ferientes, ex ipso impatientię afflictandiq; modo uaticinia concipiebant. quosdam etiam sagittis configebant, patibulo etiamnum in sacris ædibus suffixos. Cælius lib.18. cap.21. ex Polybio. De iis sic scribit Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensq; feris altaribus Hesus.

LVSITANIS uetus mos erat, ex intestinis hominũ extra prospicere, atq; inde omina & diuinatiões captare, abscissarq; captiuorum dextras pro munere diis offerre. Alexander ab Alexandro lib.6.cap.26.

ALBANI Asiani deos colunt Solem, Iouem, ac præcipuè Lunam, cuius templum Iberię proximum est, & sacerdos præficitur honore secundus post regem, qui sacris seruit, & sacræ regioni præest, quę multa est, & hominibus plena, & seruis multi numine afflati diuinant. Qui plurimùm numine correptus est, solus per syluas errat: hunc sacerdos comprehensum sacra catena deuincit, per annum sumtuose alens, postea ad deæ sacrificium cum aliis hostiis mactandũ producit. Sacrificii ritus est huiusmodi. Quidam huius negotii gnarus sacram hastam tenens, qua mos est hominẽ mactari, atq; ex multitudine procedens, eam in cor perlatus urget. Illo cadente, quædam diuinationis signa captant, atq; in commune proferunt, tum corpore in locum quendam delato, id omnes supergrediuntur, huiusmodi piaculo urẽtes. Strabo libro undecimo, & ex eo Bonfinius libro primo, Dec. primæ.

SCYTHÆ ex captiuis centesimum quemq; Marti immolant, quem sub specie acinacis colunt. Nam ubi eorum capitibus uinum libauerunt, ipsos ad quoddam uas mactãt: dehinc eisdem in congeriem sarmentorum sublatis, acinacem cruore perfundunt. Hæc quidem suprà conferunt: inferius autem ad templum illa faciunt. Virorum interemtorum omnes humeros dextros præcidunt, quos unà cum manibus in ærem iaciunt: quocunq; decciderit manus, ibi iacet, & seorsum mortuus. Cæteris deinde solennibus confectis, abeunt. Herod. lib 4.

Apud TAVROS Scythas in Ponto Diana hospitum qui illuc appulissent sanguine placabatur. Iphigenia illuc Aulide transuecta, Orestem fratrẽ & Pyladem aræ astantes ut mactarentur agnouit, raptoq; deæ simulacro in Græciam cum illis rediit.

THRACES Zamolxim, quem maximum deum putant, non aliter fieri propitium æstimarũt, quàm si ad aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam & diis gratissimam uictimam opinati. Alex. lib.6. cap.26.

GETÆ Martem, quem deum belli putauit antiquitas, apud se dicunt progenitum. Quod insignis poeta non ignorabat, dum diceret, Gradiuumq; patrem, Geticis qui præsidet armis. Eum Gothi semper asperrima placauere cultura, morte scilicet captiuorum: opinantes bellorum præsidem aptè humano sanguine placari. Cranzius libro primo Suecię, capite quinto.

Cataphryges & PEPVZIANI duo hominum genera, hæresis cumprimis perditæ ac desperatæ, infantis tenellum corpus soliti erant per omnia membra compungere, ut sic expresso sanguine farina maceraretur, qua cõficerent panem in eucharistię usum, ut Augustinus ad Quoduultdeum narrat. Simile quiddã EVCHETÆ & GNOSTICI faciebãt, ad dæmones pellendos, ut legitur apud Michaelẽ Psellum. L. Viues in librum decimumoctauum Augustini de ciuitate Dei, capite 53.

GERMANI, Mercurio humano cruore litare, religiosissimũ putabant. Alexander ab Alexandro libro 6.cap.26. ex Cæsare, & Tacito.

HAMBVRGI in templo Hammonis statua colebatur sacrificiis non modò pecudum, sed etiam uictimis humanis. Erat uerò huiusmodi. Regis simulacrum sedebat in sella, ex cuius ore ad latus unum exibat fulgur, ad alterum uerò ionitru: una manu sceptrum gerebat, altera gladium: ad dexteram eius assidebãt dii, Apollo, Mercurius, Neptunus, Mars, Vulcanus, Pluto: ad sinistrã deæ, Iuno, Ceres, Vesta, Venus, Minerua, Diana. Ioannes Petersius in Holiatorum Chronico. Id tamen Cranzius in Saxonia negat.

RVGIANI deo suo Sanctuito quotannis hominem Christianum, quem sors dedisset, immolabant. Helmoldus c.53. de rebus Sclauorum.

Cimbri, qui & Cimmerij, à Boijs ex Hercynia sylua Boemiæ, eo tempore, quo Gedeon Iudæis ius dicebat, exacti, maiore Europæ parte occupata, Asiam quoq; armis perdomitam uectigalem fecerunt. Erant inter illos sacerdotes diuinationis peritæ, quas patrio sermone ALRYNAS nuncupant. Hæ incinctæ zonis æneis, nudæ pedibus, canis capillis, linteaq; tunica & alba ueste, quæ subtus fibulis annexa erat, ãmictæ, captiuis per castra strictis occurrebãt ensibus, quos ad humum sternentes, ad æreum pertrahebant craterem: deinde eos in sublime tollendo, iugulum ferro aperiebant, & profluente tum sanguine in craterem, euẽtum belli uaticinabantur. Aliæ dissecto uentre ex intestinis uictoriam interpretabantur. Inter prælianduin uerò pelles ad carrularum uelamina extensas, crebris pulsabant ictibus, ut ingens strepitus cum horrore ederetur. Auentinus lib. 1. Annalium, ex Strabonis lib.7.

Apud GOTHOS olim in metropoli Vpsalia nouendiale sacrum Thoro deo suo faciebant, singulis diebus nouem animantium genera, & totidem humanas hostias. Homo autem quem sors immolandum obtulerat, in fontem, qui ad locum sacrificiorum scaturiebat, uiuus immergebatur. Qui si facilè efflaret animam, faustum renunciabant sacerdotes uotum, moxq; inde ereptum, in uicinum nemus (quod sacrum credebant) suspendentes, inter deos translatum affirmabant. Quo factum est, ut beatũ se crederet, qui ea immolatione excederet è uita. Accidit nonnunquam, reges ipsos eadem sorte delectos immolari. Quod quia faustissimum regno sacrificium æstimabatur, totius populi multitudo summa gratulatione tam insignem uictimam prosequebatur. Enimuerò sic defunctos nequaquam mori, sed tamillos, quàm seipsos immortales esse persuasum habebant. Ioannes Magnus lib.1. cap 12.

Apud GOTHOS & Sueones potissima uictima uir aliquis est, quem omnium primum in prælio ceperint: hunc nimium mactando, Marti sacrificant, ut quem deorum maximum ducant. Sed ea est apud hos immolandi consuetudo, ut non solùm hostiam mactent, sed in arborem unam hãc priùs suspendant, indeq; inter senticeta & uepres proiectã, sic uariis ac miseris modis excruciando conficiant. Io. Magnus lib.8.cap.35. ex Procopio.

GOTHI sue Getæ persuasissimũ habebant, eos qui uita functi essent, in alium quempiam locum amœniorem demigrare, in quo deum Bleyxen (uel Tamolxim) præsidere affirmabant: ad quem assiduè cum naue quinq; remigum nuncium quempiam ex seipsis sorte delectum mittebant, præcipientes, ut ea, quibus indigerent, à liberalitate numinis impetraret. Modus mittendi nuncij is erat. Quidam eorum aliquot lanceas acutas in altum tenebant: super quas alij ipsum, qui destinãdus erat, manibus pedibusq; correptum iniijciebant: qui si statim cadens extinguebatur, propitium sibi deum arbitrabantur, quòd nuncium facilè excepetit. Si autem secus accidisset, ipsum nuncium infimulabant malũ esse uirum, qui indignus esset ad deos destinati. Itaq; eo abiecto, alium mittebant, dantes adhuc uiuẽti mandata, quæ apud ipsum numen exequatur. Deinde præmissã iactatione extinctum marinæ uoraginì opera eorundem quinq; remigum tradebant. Olaus Magnus lib.3.cap.7.

LITHVANI olim ex bellis reuertentes manubias & unum aliquem de captiuis præcipuum & insignem uirum uictimæ loco igni consecrabant. Guagninus in descriptione Lithuaniæ.

In insula THVLE, quem omnium primùm in prælio ceperũt, sacrificarunt Marti: eumq; priùs uiuum in arborem, suspenderunt, indeque inter senticeta & uepres proiectum mirismodis cruciarunt: ut narrat Procopius de bello Goth. lib.2.

BRITANNIS longo tempore mos inoleuit, ut in supplicationibus captiuorum sanguine diis litarent. Alexander ab Alexandro lib.6.cap.26.

Cùm SCOTI à Britannis pulsi, in Hibernia recollectis uiribus, cum rege suo Keuthere in Albionem redirent, quem primũ obuium habuere hominem (more patrio bellicum sacramentum & præsagium uictoriæ præmittẽtes) trucidabant, sanguinem mucrone ori admotum degustabant, tensoq; in cœlum gladio uindictam precabantur. H. Boethius lib.2.

IVDÆI puerum Christianum singulis annis mactare soliti. Michael Neander in Erotematis linguæ sanctæ ex Fortalitio fidei lib.3. consid.7.

Solere OBSTETRICES magas pueros nuper natos sub pretextu curæ peculiaris extra cubiculum portam & sub camino foci in altum eleuatos principi dæmoniorum consecrare, sic ut absq; adminiculo per uncum lebetanum ascendere uideantur. Iacobus Sprengerus in Malleo maleficarum part.2. quæst.1. c.13. confirmat exemplo cuiusdam, qui cùm filiam tali consecratione usam animaduertisset, quantocyùs potuit puerum baptizari uoluit. Cùm ad aliam uillam, in qua parochialis erat Ecclesia, deferendus esset, & per pontẽ super flumen pertransire haberet: ille euaginato gladio filiam quæ infantem gerebat, inuasit, dicens: Nolo ut infantem per pontem deferas, sed ut per se pontem superet uolo. Nam quæ arte tua magica infantem in altum serri fecisti, fac etiam ut nullo deferente pontem pertranseat, aut in flumine te submergam. Ergo coacta, puerum super pontẽ posuit, & dæmonẽ inuocauit, & subitò ex altera parte pontis, infans cõspectus est. Baptizato inde puero, cùm iam pertestes filiam de maleficio cõuincere posset, qui primum facinus oblationis minimè probare potuisset, filiam cum matre accusauit, sceleristq; conuictæ igne pœnas dederunt. Iacobus Sprengerus parte 2 quæst.1. c.13. Mallei.

CATHARINA Darea Coparis die 2. Febr. M.D.LXXVIII. duas puellas iugulauit, unam suam, alteram uicinæ, cùm tamen ręi magicæ non fuisset infamata: hæc diabolũ confessa est hominis proceri & pernigri specie curauisse ut id faceret, posteà cremata est prouocare nolẽs: quamuis Copararum Præfectus licere exponeret: nam agnoscebat se hoc genus mortis esse promeritam. Bodinus lib.4. Dæmon. c.4.

Conuictus RAZIORVM Baro se octo infantes confessus est occidisse & sacrificasse diabolo, & sibi Satanã indixisse, ut suum ipsius puerum adhuc sacrificaret, auellens ab utero matris: quę rem subodorata est, itaq; iudicium in eum constituum. Ibidem.

Insula ab Hispanis inuẽta est, quam de principis nomine CAROLINAM uocarũt. In ea frequentes uiluntur statuæ deorum, quos gentes illæ colunt æneæ, intrinsecus caue, manibus iunctis, pastisq;, in quibus infantes & pueros, quos diis illis immolant, statuunt, ibiq; uruntur crudeliter, igne in cauis simulachri accenso, & ære eorum immodicum concipiente. L. Viues in lib.7. Aug. de ciuit. Dei c.19.

THEMISTITAN immanibus infantum puerorumq; quos ad uiginti millia quotannis diabolo immolabãt, cædibus fuit supra cęteras omnes totius orbis urbes infamis. Io. Metellus. Idola sanguine hominũ oblatorum conspersa fuisse, auctor est Ferdinandus Cortesius. Iouius lib.34. Historiarũ. Ante illius excidium ab Hispanis factum captiuus de more dæmonibus sacrificãdus, cùm fleret ubertim, Deumq; cœli inuocaret, affirit ei quidam, qui hortatus est eum, ne adeò mortem formidaret: Deum cœli misertum eius esse: annunciaret sacerdotibus, breui desituũ hoc genus sacrificij: uenire iam eos qui terram essent mundaturi. Sacrificarunt illum eo loco ubi nunc damnati suspenduntur, eoq; anno excidium urbis initium accepit: nam tertio post capta est ab Hispanis & direpta. Cardanus lib.13.c 79. de Var. rer.

Animalium Partes, Excrementa, Fructus. Vt est

Sanguis.

SPARTÆ Orthiæ Dianæ templum & simulacrum, è Taurica Chersonneso ab Oreste & Iphigenia furtim ablatum, religione sacrosanctum fuit. Cùm autem Limnaræ & Cynosurenses Spartani sacrum deæ facientes ad iurgium & cædes mutuas conuersi essent, reliquos subita uis morbi absumsit. Inde oraculum acceptum est, eam aram humano sanguine aspergi oportere. Quare cùm antè sorte ducereturimmolandus, sacri ritum Lycurgus ad puberũ plagas transtulit: quo fit ut hoc etiam ritu nihilo ferè minus sanguine humano ara imbuatur. Pausin Lacon. & Plut. in Lycurgo.

In ARCADIA fuit Dionysij templum, in quo sacrificij loco puellæ ad aram flagellabantur ad necẽ. Alex. lib.6. cap.26.

BELLONÆ sacerdotes non animali hostia, nec uictima, sed suo cruore sacrificant. Gladios enim districtos, utraq; manu tenentes, humeros sibi & lacertos tanquam fanatici dissecant, hoc sanguine litari & crimina expiari putãtes. Alex. ab Alex. lib.3.cap 12.

Lac,

Prodium memoriæ est, ROMVLVM nunquã uino in sacris, sed lacte libasse. Alex. lib.3.c.12.

Crines, Capilli.

Dedicabant uirgines ROM. maturæ uiro, compositum capillum Palladi. TROEZENE uerò puellæ Hippolyto crinem consecrabãt. In SICYONIA quoq; Sanitatis simulacrum fuit, cui uirgines crines resecare, & capillos dicare solebãt. ATHENIENSES cùm ex ephebis excessissent, primitias crinium Delphos deferebant: & cùm antiquiores comam circa tempora, aut posteriorem crinem Apollini & fluminibus tonderent, æuo succedẽte Theseus τὰς κόμας, hoc est, anteriorem capillum Delphis dedicauit. unde Theseis tonsura prodita est, cuius exemplo iuuenes, cũ primùm ex ephebis excessissent, anteriorem comam Phœbo & Aesculapio aut Libero obtulere primitias. Postea ROMANI adolescentes magnæ indolis, primæ lanuginis barbam diis consecrare usurparunt. Alex. lib.3.c.18.

Stercus.

KYRGESSI Tartari cateruatim in campis degunt, habentq; ritum gentilem huiusmodi. Sacrificus ipsorum quo tempore rem diuinam peragit, tunc sanguinem, lac & simum iumentorum, terramq; sumit, commixtioneq; insimul facta in uas quoddam infundit, & unà cum hoc arborem ascendit, ad populumq; circumstantem concionatur. Concione peracta, in stultam plebeculam prædictam commixtionem spargit: populus uerò in terram pronus prouoluitur, aspersiunculamq; hãc pro deo colit, firmeq; credit, nihil esse perinde salutare humano generi, ac terram, pecus, armentaq;. Guagninus in descriptione Tartariæ.

Oua.

Oua expiationibus apta monstrat Iuuenalis illud,
—nisi se centum lustrauerit ouis. Cælius lib.27.c.17.

Cerealia.

AEGYPTII in æstate Spicas Isidi offerebant, inuocantes & implorantes deam, ut fruges prosperarent. illa enim tritici & hordei inuentrix fuisse dicitur Diodorus Siculus.

VETERES in suis sacris ὁλοχύτας siue ὁλοχύτας semper præmittebant. Molas Latini uocant, ordeum molitum (quod ἀλὴ dicitur) & sal ordeo συγκεκομμένον, cõmistum: ut hoc ipso deorum erga homines benignitatem in frugum inuentione (inter quas ordeum primum fuisse traditur: quã ob causam κριθὴ Græcis dictum est, ἀπὸ τοῦ διακρίνειν, quoniam mansuetiore uictu homines usi, à belluina quoq; natura sensim segregati fuêre) & Rerumpub. constitutione (cuius symbolum est sal. quoniam sicuti ex uariis guttulis una salis mica solida, uictus quotidiani condimentum, nascitur: ita etiam ex multis ciuibus, quos mansuetior uitæ cultus in unũ, fugum inuctarum beneficio, reduxit, una ciuitas & Resp. oriretur) ob oculos ponerent, & suam quoq; gratitudinem testarentur: atq; ita tum beneficiorum recordatione, tum gratiarum actione deorum beneuolentiam porrò sibi compararent. Præmissis hisce molis, preces subiungebant, & sacrificia peragebant. Eustath. Iliad.α.

NVMA Popilius deos fruge coli, & mola salsa supplicari instituit: quã mola ex farre, sale & aqua cõposuit, sine qua nullũ sacrificiũ ratũ fieri censuit. Atq; id far, nisi rostũ esset, ad rem diuinã non esse purũ statuit. GRÆCI uerò nõ far, sed hordei primitias, libumq; & placentas ex hordeo diis offerti, hordeumq; sale inspersum in primis aræ infundi satius duxere, sine quo, saluis cæremonijs, nullum sacrum fieri poterat. Illum qui primitias eiusmodi colligebat, Crithologum dixere, teste Plut. in quæst. Græcis. Alex. lib.3.cap.12.

Legumina.

Aras dedicaturi olim, aut simulacra dei alicuius, legumina elixa pro primitiis offerebant dedicatis, ob memoriã grati animi de primo uictu. Aristophanes in Danais: Testor Iouis Hercei ollas, cum quibus ara dedicata est olim. Mercuriales uerò statuas pro foribus & alia sigilla dedicãtes, quò felicior esset erectio, ollas polentæ adhibebant. Suidas in uoce χύτραις ἱερεῖον, Ollis pax sancienda. Consule locum Festorum.

Suffimenta ex faba milioq; aspersa mulso diis offerti absque uictima, quo tempore uuæ, calente prelo premuntur, sæpe notatum est. Alex. ab Alex. lib.2.cap.22.

In LEMVRALIBVS Fabã noctu iacere usurpatũ est, Lemures se ex domo eijcere clamantes. Eam nigram esse conueniet: ipsamq; lotis manibus, & pede nudo per ora uersare, & post terga reijcere, æriscq; tinnitum facere: ut Lemures fabis redempti, domo abirent, nouies orare: idq; Maio mense tribus noctibus fieri donec solutis religione animis, manes expiatos ducerẽt. In Parentalibus assumere fabas usus obtinuit, sicut in peruigiliis cicer: ac ferales cœnas lentesq; & offas ad sepulcra illorum ferre, quibus parentare ius erat (quę etiam Feralia à ferendis epulis dicta sunt) & in defunctorum sepulchris super nudam silicem apponere. Alex. lib.3.cap.12.

Allia, Papauer.

MANIÆ, quę mater Larium fuit, in compitalibus à Bruto institutis, non humana uictima, ut olim (nam pro familiæ incolumitate antea pueros mactabant) sed alliorum & papauerum capitibus facere sacrificia Romani uoluerunt. Alex. ab Alex. lib.2. cap.22.

Rami arborum.

OSCHI. Vide, Festa Atheniensium, Oschophoria.

Mel.

In ASOPO, in æde Eumenidum, nisi mulso libare, & pro coronis floribus uti, permissum erat. Alex. ab Alex. lib.3.c.12.

Vinum.

ROM. ubi in sacris uina libare diis necessum erat, ex græca & imputata uite, seu fulmine tacta, aut quæ uulneratis pedibus calcata, uel immunditie polluta fuerat, aut iuxta quam homo laqueo pependerat, uina libare diis, infaustum erat. THASIIS uerò, nisi uino libaneo & odore thuris diis prolibabatur. Alex. lib.3.cap.12.

Thus.

BABYLONE in Iouis templo mille talenta thuris quotannis adolebantur. Herod. lib.1.

Sal.

Sine mola salsa nullum diis sacrificium antiquitus fiebat. in ea quippe efficaciorem uim placandis numinibus & commouendæ diuinitatis putabant, quòd Sal minimè omnium corruptioni esset obnoxium. Alex. lib.4.cap.17.

Calculi.

Ad Terei sepulcrum MEGARIS cùm sacrum fit, calculis pro ordeo utuntur. Alex. lib.4.cap.17.

Spolia, Arma.

Inter solennia uota fuisse traditur, quoties exercitus duces de spoliis hostium VVLCANO uotum fecissent. Id soluebatur, ut fusis fugatisq; hostibus, scuta, gladios & arma, spoliaq;, nonnunquam bellorum machinas, currusq; & inutiles naues, uno in loco aggerant, pyraq; extructa, circũstante populo & frequentissimo exercitu, uelut disposita acie, dux more patrio discinctus, Vulcano, Marti & Palladiincendatipsecq; dux indutus purpuram, primus ardentem facem sumere, ambasq; manus in cœlum tendere, deindein pyram summittere debeat, toto circum exercitu exultante, & percussis armis plaudente: pyraq; & armis exustis, sacra & rem diuinam faciant, tametsi arma militaria non cruri, sed belli more cremari solita legamus. Alex. lib.3.cap.22.

Victis ad Aquas Sextias Teutonibus, secundùm pugnam legit C. MARIVS ex armis & spoliis barbaricis elegantissima & inuiolata, quæ speciem ualebant triumpho magnificam præbere. Reliquorũ aceruo in pyram accumulato amplum sacrificium fecit: circumfusoq; in armis & coronato exercitu præcinctus de more atq; prætexta uelatus ardentem ferebat facem, eamq; ambabus manibus ad cœlũ sustollens parabat subdere pyræ: cùm accurrentes ad eum citatis equis amici, desilierunt ex equis, atq; eũ amplexi nunciauerunt læti quintum cõsulatum, literasq; ei de hoc reddidere. Ita cùm magna gratulatione solennitas cumulata esset victorialis: hinc exercitus exultans plausu quodã militari & armorum crepitu personault: hinc legatis alterum imponentibus coronam Mario, subdidit flammam pyræ & sacra peregit. Plut. in Mario.

Phiala.

MEMPHI est locus in Nilo, quem à figura uocant Phialam, omnibus annis ibi aureum pateram argenteamq; emergentes, diebus quos habet natales Apis: septẽ hi sunt, mirumq; neminem per eos à crocodilis attingi: octauo post horam diei sextam redire belluæ feritatem. Plin. lib.8.cap.46.

XERXES rex Persarum trãsmisso exercitu per pontem in Bosphoro, sole exorto ex aurea phiala libans in mare, apud solem uota concepit, ne quid sibi aduersi contingeret, quãm Europam totam subegisset. Phialam in Hellespontum abiecit, aureumq; craterem ac gladium Persicum, quem acinacem uocant. Incertum est, utrum Soli dedicans gladium dimiserit in pelagus: an Hellespontum, quòd eum flagellasse pœniteret, in compensationẽ gladio donauerit. Her. lib.7.

FORMÆ RESPECTV.

De modo sacrificandi ueterum uide Alex. ab Alex. lib.4.cap.17.

Ante actum.

Προτίκεια dicuntur ea, quæ fiunt aut dantur, priusquam perficiatur eorum aliquid, quæ ad rem diuinam pertinent. Suidas.

Personarum præparatio.

Apud AEGYPTIOS institutum erat, ut sacerdotes ad aram hostiis deductis, astante rege, magna uoce, audiente populo, ualetudinem prosperam, omniaq; bona optarent: natarent insuper peculiares regis uirtutes, in deos pietatem & religionem. Diodorus.

Apud ROM. moris fuit, ut qui rem diuinã facturus erat, ad suam leuandam culpam, se in primis reum dicere debeat, & noxæ pœnitere, ac fateri admissum, uulteumq; summittere, & ad omnem modestiam fingere: deinde ipse, aut publicus præco præcedens sacra, Hoc age, clamitet, uoceq; excitet populum, ac uirga turbam summoueat, quæ commentaculum dicta est: silentiumq; indicat, ne mala uox obstrepat, néue quid triste auribus accipiat, & sacris sauere, & intentos esse iubeat: nanq; in deorum sacrificiis taciturnitate in primis & intentis animis opus erat: quia si opus faciem sacerdos inter sacra uidisset, temerari & pollui putabantur religione inexpiabili. Ideò custos dabatur, qui sacra inspiceret, & alter qui linguis fauere iuberet. Græcis autẽ, ad sacrificium accessurus, hoc præfatur primũ, τίς τῇδε, hoc est, Quis hic? Qui uerò interfunt sacris, referunt: πολλοί, κἀγαθοί, Multi, & boni. Nam polluti homicidio, aut sanguine insecti humano, hominesq; turpissimarum sordium, sacris arcebantur: néue aras contingerent, aut sacrificio interessent, lege uetabantur. Alex. lib. 4.c.17.

Animalium præparatio, inspectio.

AEGYPTII linguam boui extrahunt, caudæ pilos exploũt, & si uel unum pilum nigrum reperiunt, hostiam tanquam impuram non admittunt. Alex. lib. 3.c.12.

GRÆCI cùm uictimas parant, prius tauros farina explorãt, capros cineribus, capras uerò frigida aqua, ne quicquã impuri deos offendat. Idem.

LECTÆ hostiæ dicebantur, maiores & uberiùs depastæ, quę claudæ, morbosæ & uitiosæ non sunt, quęue fissam aurem, uel caudam aculeatam, aut linguam nigram non habent. Ibidem.

Victimæ maiores apud ROM. dum immolantur, auratis cornibus procedunt: minores, coronatæ offeruntur. Ibidẽ, ex Plinio lib.33. cap.3.

In Actu. Nempe

In genere.

Ritus sacrificandi apud VETERES talis erat. Primũ lotis manibus, hostias pura aqua purgabant, fruges capitibus earũ inspergentes: deinde precabantur, uotaq; nuncupabant, aras manib. tenentes: unde dictæ Aræ, quasi ansæ, teste Varrone. Postea hostiarum tempora uectibus percutiebant, ac occidentes membratim diuidebant: ita primitias ex omnibus membris & exta collecta postquam farris inuoluissent farina, proiiciebant diis in altaria, focumue, aut aras, hoc est, uasa, quæ tripodes dicebantur: postremò succendebant uina fundentes. Homerus, & Halycarn. lib.7.

Adoratio, Gestus.

Cùm adorat qui rem diuinam facit, uelato capite, ne auersus animus à sacris fiat, dexteram ad osculum ferre, & se in orbem circumagere, prout Numa instituit, necessum habet. Alex. lib.4.cap.17.

Preces.

Plutarchus locis aliquot in Symposiacis significat, antiquitus fuisse morem, ut quoties uni cuipiam deo res diuina fieret, omnibus simul uota fierent, uidelicet ne Calydonij suis tragœdia renouaretur. Inuocantes autem deos, addebant hęc uerba ceu solennia, ἄμφω ποιῶ τοῖς θεοῖς βωμῶν. id est, unà cum phanis & aris. Erasmus in Adag.

Dicta.

Agonalibus Iano quinto Idus Ianuarias mactabatur aries: dictiq; Agonales dies, quòd sacerdos immolaturus à principe petiit, Agõne, id est, mactabõne. quod uerbum in solennibus frequens usurpatur. Propterea princeps gregis immolabatur ex Numæ instituto. Alex. lib.6. c.8.

Maledicta.

ATHENIENSES in festo, quod Lenæum uocant, sacrificantes, fœda conuitia per risum & iocum inuicem iactitabant, & contumeliis se lacessebant. Alex. lib.2. c.14.

ELEVSINIIS sacris, quæ Magna dicta sunt, mulieres mutuis probris conuitiisq; se incessere, & maledictis pugnare solebant. Idem.

LYNDII dum sacra Herculi faciunt, maledictis ludibriisq; uerborum Herculi litant, iunctis bobus. Si quid uerò honesti probiq; in sacrificio prolatum dictúmue fuisset, tanquã ominosum spretæ religionis crimen erat. Idem.

Apud SICVLOS sacrum Cereri decem diebus uerbis turpibus & obscenis celebrari produnt, magna uerborum licentia, arbitrantes ex obscenitate uerborum & iocorum lasciuia Cereris luctum mœrorem q; leuari, quem ex raptu filiæ conceperat. Idem lib.6.cap.8.

BONÆ deæ nocturno tempore sacra faciebant, canersq; immolabant, maledictis & probris deam incessentes; neminemq; bonum optantes fore, qui domi nasceretur. Idem.

Mores.

Cùm HECATOMBÆ uel publica uota soluebantur, populi luctus & mœror desinebat. Namq; in luctu uouere, erat mali auspicij & detestabilis. Alex. lib.3.c.22.

Musica.

TIBERIVS Cæsar quo primum die, post excessum Augusti, curiam intrauit: quasi pietati simul ac religioni satisfacturus, MINOIS exemplo, thure quidem ac uino, uerùm sine tibicine, supplicauit: ut ille olim in morte filij. Sueton.

Cursus.

In GRÆCORVM monumentis adnotatum est, morem sacrificandi seruatum diu, ut circum currerent aras, cursum auspicati ab læuo dextrorsum, zodiaci quadam imagine, cuius motio sit mundo diuersa ad exortum uergens: mox uerò ab dextris læuorsum procurrerent, quo motu cœlum rotari manifestum. Cælius lib.j. A.L. cap.10.

Verbera.

AEGYPTII immolata uictima, dum sacrificium ardet, omnes se diuerberant, & flagris afficiunt. Alex. lib.4.c.17.

Pugna.

In APHRICÆ partibus, dum Mineruam sacrificiis placãt, sine uictima, puellæ inuicem fustibus decernunt. Alexan. ab Alex. lib. 3. cap. 12.

Situs uictimarum.

Veteres quando sacrificabant diis superis, uictimarum colla obtorquebant, ita ut elata fronte cœlum intuerentur. Hinc Homerus Iliad.α. inquit, ὦ ἔφυσαν μὲν πρῶτα, Retro traxerũt, obtorserunt ceruices. At si diis inferis uel manibus, ut terrã prona inspicerent, conuertebant. Eustathius Iliad.α.

Perfusio uictimarum.

Qui Ruminæ sacra faciunt, apud ROM. uictimæ infundũt prolibamine lac, nec uinum adhibent. An quòd mammam Latini rumam uocarunt, Ruminalem dicunt nominatã, proeo quòd mammam Romulo lupa præbuit? Vtigitur Græci eas, quę nutriunt paruulas lacte, φιλοτάς ἀπὸ τῆς φιλίας uocãt: ita Rumina, quæ est nutrix, altrix, & educatrix, non admittit tanquam noxium infantibus uinum. Plutarchus in quæstionibus Romanis.

ROMANI fruges in caput uictimæ, aut molam ex farre molito & sale, inde nouum uinum aut costum, & mascula thura inter cornua fundebant. Alex. lib.4.cap.17.

Cædes uictimarum.

In SCYTHIA Marti sacrum fit, in quo uictima primis pedib. ligata, ad aram sistitur, cui laqueum in collo iniciũt, ac baculo circumducto strangulant, sine precatione & uotis. Alexand. lib.4.cap.7.

Diuisio.

Olim uictimæ pellem seruabãt in pompis ELEVSINIIS circumferendam, uel substernendam pedibus eorum, qui piaculo quopiam tenebãtur, ad expiationẽ. Erasmus in Adag.

GRÆCI ex cæsa uictima nonnunquam capite & uentre excepto cætera diis dabant, linguas uerò præconibus. Alex. ab Alex. lib.4.cap.17. Callistratus tradit olim in sacrificiis linguam exectam præconibus dari soliram. Nam alioqui sunt qui dicant, ex uictimis Mercurio deberi linguam.

Inspectio uictimæ.

Apud ROMANOS in sacrificiis deorum fuit pontificalis obseruatio, ut duobus hostiarum generibus diis sacra fiant: uno quidem in quo cùm litabatur, uolũtas dei per exta exquirebatur: altero, in quo sola anima deo consecrabatur, quæ hostia animalis dicta est. Alex. lib.3. c.12.

Coitio.

ERETRIENSES feminæ in Cerealibus cùm uictimam diis offerunt, carnibus non igne coctis, sed sole torridis uescuntur. Alex. lib.4. c.17.

LVSITANI ignitis lapidibus sacrificiales carnes coquebãt. Ibidem.

ATHENIENSES, ut in Horis testatur Philochorus, non assant cùm sacrificant, sed carnes ipsas elixant: cùm deas inquiant calores squaloresq; abhorrere. Athen. lib. 14.c. 27.

Comestio uictimæ.

Septuaginta Beli sacerdotes sub Cyro rege, quum Belo idolo quotidie siliginis artabas XII, oues XL, uini metretas sex proponerent, clauso inde & obsignato templo, per occultum aditum sub ara ingrediebantur, & omnia cum suis liberis & uxoribus absumebant, deum ea comedisse dicentes. At dolus ille per Danielem, qui pauimentũ cinere conspserat, in quo uestigia seniorum & iuniorũ apparuerũt, deprehensus fuit. Dan. 14.

Solis mẽsa apud AETHIOPES Macrobios talis esse memoratur. Est in suburbanis pratũ, omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere: ad eamque, ubi illuxit, cuilibet epularum licet accedere. Hæc ipsa à terra reddi assiduè, aiunt. Herodotus lib.3.

PERSÆ ex immolata uictima nihil diis adolent, sola anima deos contentos esse rati. Alex. lib.4.c.17.

Aeginensium, qui ad bellum Troianum profecti fuerant, multi perierant in pugna, plures tempestas absorpserat. Paucos igitur, qui domum incolumes redierunt, quum recepissent cognati, uidentes reliquos ciues ob desiderium suorum in luctu ac mœrore uersari, non arbitrati sunt conuenire, ut uel palãm lętitiam suam declararent, uel diis ob illorum salutem

lutem rem diuinam facerent: sed suos quisq; quos incolumes receperant, domi clàm, conuiuiis & gratulationib. excipiebant, ipsi ministrantes patribus, cognatis, fratribus, ac necessariis, neminem alienum admittentes. Hoc imitantes Aegineatæ, quum Neptuno sacrificant, dies sedecim gestantes Thyasos, quos uocant, clã apud sese conuiuia celebrant, neq; seruorum quisquam adesse sinitur. mox Veneri sacrificantes festum soluunt. Itaq; qui sic sacrificabant, χορτοφάγοι dicebantur. Erasmus in Adag.

GRÆCI satis habebãt femora hostię in duo frusta cõcisa igni subiicere, ut ex his holocaustũ fieret, uisceribusq; super prunas assis, pro ientaculo, mox carnibus ueru decoctis discũbentes uesci. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17.

DELPHIS moris est, ut immolantes uictimam, exclusis cæteris, uescantur, ad quam extraneos admittere nefas erat. Ibidem.

In sacris HECATES qui sacrũ faciunt, ij de sacrificio uesci nõ permittebãtur. Idem.

THYSETÆ in Asia & Argiui ossa uictimæ tantùm in ignem mittunt, & comburũt, ipsi autem uescuntur carnibus. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

In LARVM sacris id custoditur, ut libertini sacerdotes sint, q Augustales dicti, nihilque de sacrificio extra ædes mittatur foras, sed intra domesticos Lares omnia absumant.

Abiectio.

AEGYPTII sacerdotes, immolata uictima, caput abscindũt, illudq; diris carminibus execrati, in flumen deiiciunt, cum precatione solenni, ut si quid aduersi euenturũ foret, in caput illud redundaret. Alex. lib. 4. cap. 17.

Pastorum APRI ubi pro primitiis aurem pecudis præcidebãt, eam supra domum abiiciunt: hoc acto, cernicem eius auertunt. Herod. lib. 4.

Quæcunque diis immolarentur fœdarum causa, ea nemo cibi causa attingebat, sed inquilini quidem suas uictimas humi defodiebant, peregrini uerò in mare abiiciebant. Eustathius in Iliade.

Exuflio.

Scripsit Callistratus Linguas uictimarum solitas fuisse Mercurio in sacris offerri, ut testatur etiam in his: γλωσσοκαύστας δ' ἐν πυρὶ βαλόντες, Linguas in ignes iecerũt. Erat autem ultima pars sacrificiorum & finis cùm linguas in ignem iacerẽt. Quam consuetudinem primi MEGARENSES incœperunt. Nam reliquit Dirrechidas in rebus Megarensium, Alcathoum Pelopis filium ob Chrysippi cædem exulem Megaris in aliam ciuitatem habiturum profugisse. Qui cùm in leonem Citheronium Megarensium agrum uastantem incidisset, ad quem cædendum & alij à Megarensium rege missi fuerant, & illum ipsum cęcidit, & linguam eius cæsam in perã conicit, ac rursus cum ea Megaram se contulit. Deinde cùm dicerent, qui missi fuerant, se leonem occidisse, peram afferẽs, eos arguit mendacij. Quare quum rex præ lætitia diis sacrificaret, linguam postremam aræ imposuit, arque ita manauit ad posteros consuetudo. Natalis Comes Mythologiæ libro 5. cap 5.

SCYTHIÆ cùm rem diuinam Matri faciunt, uictimarũ carnes ipsarum mel ossibus comburunt. Alex. lib. 4. c. 17. ex Herod.

Apud ROM. cùm sacrum Vulcano fit, quod Proteruiam dixerunt, nisi uictima & quodcunque superest igni detur, sacrificium pollui putabant. Vnde celebratur illud Caronis festiuiter dictum in Albidium quendam, qui patrimonium uniuersum luxu absumserat, unis exceptis ædibus, quæ incendio conflagrarunt: Proteruiam, inquit, fecit: propterea q ea quæ comesse non potuerit, quasi combussisset. Macrobius lib. 2. Saturnalium.

Post Actum. Vt sunt

Adhortationes.

Apud AEGYPTIOS cùm rex tauro diis sacra fecisset, sacerdos quædam ex libris sacris clarissimorum uirorum consilia actaq; proferebat, quibus rex monitus, imperio piẽ & iustẽ aliorum exemplo uteretur. Diodorus Siculus.

Dimissio.

Re diuina & ceremoniis concelebratis, sacerdos tunc, ILICET, succlamabat. qua uoce illos, qui interfuerant, missos faciebat. Apud Græcos uerò functus mysterio sacerdos, sic renunciat, λαοῖς ἄφεσις, quasi populum missum faceret. Alexand. lib. 4. cap 17.

EFFICIENTIS PRINCIPIS RESPECTU, eius scilicet QVI Sacris præest, adest, interest. Ratione habita

Animi. Sic interfunt

Initiati.

Apud GRÆCOS legimus, sacra quædam ἀβίβηλα nuncupata, in quibus interesse profanis haud fas fuerat: uti βίβηλα, ad quæ etiam profani admittebantur. Itaq; ad sacrificium accessuros sacerdos, hoc primùm præfari solebat, τίς τῶδε, hoc est, Quis hic? Qui uerò intererant sacris, referebant, πολλοὶ μὲν βακχοί, quod est, Multi & boni.

Ad sacra Eleusinia Cereris nõ patebat aditus nisi initiatis, procoq; abesse profanos iubebat: atq; hinc sumsisse Verg. uersic. Procul ô procul este profani, auctor est Seruius. & Alcibiadi tantum negotium facessitum, quòd profanus interfuisse sacris Cereris diceretur. Primus qui hæc sacra euulgauit, fuit Numenius philosophus, quem ferunt paulo pòst uidisse per quietẽ deas Eleusinas habitu meretricio, quæ se adyto pudicitiæ suæ per illum extractas quererentur, uulgoq; prostitutas. Quod profectò indiciũ est, meretricia illis contineri. Nam si honesta & sancta, nunquam eas puduisset euulgari. Obliquè hæc perstringit Socrates, ut alia permulta apud Platonem, cùm iubet turpia fœdaq; à diis commissa sacris secretissimis occultari: & apud Aegyptios qui minatur, se Isidis, q̃ eadem est Ceres, sacra recondita æditurũ, cogit Isidem ipsam quæ is iubeat facere. Lud. Viues in lib. 7. August. de Ciuit. dei, cap. 20.

Scelerati.

Choum festum DEMOPHON rex Atheniensiũ statuit, Orestem Athenas profectum excipere uolens: cùm nollet tamẽ eum ad sacra accedere, aut eiusdem sacri esse socium, quia nondum fuerat expiatus, sacra concludi iussit, ac uini choã singulis apponi, ei inquiens, qui primus bibisset, se placentam esse daturum. Edixit pręterea, ne quis coronas postpotum deponeret, quibus coronabantur in sacris, quoniam cõtubernales fuissent cum Oreste: at ut omnes circa Choã deponerent, iussit: coronasq; ipsas sacerdori auferre in lucum, qui est in paludibus, reliqua in templo sacrificare: ex quo festum Choes dictum fuit. Athenæus lib. 10. c. 12.

Græca festa à ROMANIS ad quintum Calendas Aprilis annis singulis in honorem Cereris celebrabantur, quæ quòd è Græcia translata essent, & per Græcos curata, Græca dicta sunt. Fiebant autem luce obscura, sacerdotesq; facibus discurrentes, cursu fanatico sacra peragebant: à quibus uelut sanctissimis & impollutis, impij conscelerati, amouebantur uoce præconis. Alex. lib. 6. cap. 19. Suetonius in Nerone testatur, Præconis uoce impios & scelerato: summoneri solitos fuisse: eaque territum Neronem, interesse iis sacris ausum non esse.

Corporis. Quo ad

Sexum.

Hercules sacris arcentur MVLIERES. Macrobius lib. j. cap. 12.

Arcana sacra BONÆ deæ, quam Græci appellant Gynęciam, quotannis in ædibus consulis uxor eius aut mater uirginibus Vestalibus præsentibus uiris omnib. exclusis obit. Plut. in Cicerone.

Sanitatem. Integri, Mutilati, Morbo affecti.

A cõsecratione & sacris arcebatur manci, quiq. insignes debilitate corporis, aut membro non satis utiles erant, uelut indigni qui sacra tractarent. Propterea M. Sergius ob prauitatem imminutionẽq; corporis à sacris, ut mancus, amotus fuit, q sacra tractare nequisset. Apud PERSAS quoque morbo affectum, oculo, aut membro deficientem, dominari, uel sacris præesse inhibebat. Alex. lib. 6. c. 4.

Apud MAGOS qui essent lentiginosi, tanquã deis inuisi, ab aris summouebantur. Item qui clari reuixerant, quibusque iuuentibus exequiæ factæ fuissent, uelut profani, à sacris pellebantur.

Habitum, Vestitum.

Herculis apud Coos antistes ueste uelatus muliebri, capiti adiecta mitra, in Antimachia perperat sacrũ hanc ob causam. Hercules nauibus sex suis quum Troia soluisset, tempestate cõflictatus est in alto, nauibusq; fractis una sola ad Coos compulsus, apud locum Lacetetem appellatum est eiectus, nihilq; extra arma & uiros seruauit. Ibi incidens in oues, à pastore arietem petiit (fuit huic Antagoræ nomen) Qui uigens corporis robore prouocauit ad secum luctandũ Herculem, sese prostrauisset, latutum arietem. Vt cõgressus hic cum Hercule est, subsidiũ ferentes Antagoræ Meropes, Herculi Græci, acrem pugnam cõmisere: in qua fama est multitudine oppressum refugisse Herculem ad mulierem Tressam, atque amictu occultentem se muliebri fefellisse. Vtuerò pòst superauit Meropas, lustratusq; uxorem duxit Alcioni filiam, uestem pictam induit. Hinc rem diuinam facit sacerdos, quo loco commissa pugna fuit: sponsas autẽ sponsi stola muliebri amicti amplectuntur. Plut. de quæstionibus Græcis.

Apud Ethnicos olim SACERDOS qui uictimam faceret, pura in ueste & candida, plerunque intexuli tela, nec maioris operis quàm menstruæ, nonnunquam in purpura & auro comparebat. Pura autem & religiosa uestis dicebatur, ut Festus ait, & Seruius, qua rem diuinam facturi festo utebãtur die. Ea quidem erat soluta omni uinculo, nullis maculis, nec aliquo squallore obsita, nec funesta, aut fulgurita. Virg.

——fontemq; ignemq; ferebant
Vestiti lino. ——

Caper & Hyginus Limũ legi malunt, quòd hæc uestis dicatur, in extremo sui purpurã limã, hoc est, flexuosam habens.

In sacrificiis, quemadmodũ ait Plut. in Problematis, ITALI, auctore Aenea, obnubebant caput, q̃ is quum rem diuinã faceret, prætereunte Diomede, qui, teste Seruio, Palladium quod ex oraculo iussus erat reddere Troianis, tunc referebat, ne cognitus interrumperet sacrificium, caput uelauit, atque ita conspectum hostis euitauit. Commemorat rem hanc Helenus lib. 3. Aeneidos:

Et positis aris, iam uota in litore solues,
Purpureo uelare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes, in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbat.
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto,
Hac casti maneant in religione nepotes.

Polydorus lib. 4. cap. 13.

Quum in reliquis sacris qui rem diuinam facit, ueteri institutio, capite uelato immolet, & adorantes uestem ad aures usque attollant, ut se humiliores exhibeant diis, uel ne quid inter sacrificandum triste auribus aut oculis accipiant: Saturno tamen sacra facientes, uelut ueritatis cultori, capite aperto immolant & inuelato, quòd ueritas plerunq; tecta ignoratq; sit, sed eadem aperiatur tẽpore. Saturnus enim temporum auctor ac deus fingitur. Nam κρόνος Saturnus, χρόνος tempus. Plut. in Problem.

Honori quoq; & Opi ex uetere instituto dum sacrum fit, semper aperto capite & sine uelamento sunt. Apud aram quoque Herculis maximã, omnes aperto capite supplicare uetusto more seruatũ est: uel quia ipsius dei, qui capite aperto est, habitum imitari non liceat: uel quòd ante Aeneam, qui ritum uelandi capitis inuenit primus, aram maximam fuisse, uetustissimasq; illius ceremonias signarent. Alexan. libro 2. cap. 22.

In ATTIDE uirili ornatu mulieres, uiri autem muliebri indu ti, Veneri rem diuinam faciebant. Idem, cap. 14.

ROMÆ in Mutini sacello mulieres togis prætextatis uelatæ sacrificabant. Ibidem.

Ornatum.

THRACES diis sacrificia facientes, non solùm coronati, sed scuta & gladios hedera ornati in solennibus libant. Alex. libro 4. cap. 17.

Apud PERSAS non modò qui sacrificant, sed ij etiam qui sacrificiis interfunt, festa fronde ornantur. Idem.

SATVRNO rem diuinam facientes, apud Rom. ficis ornabantur, placentasq; mistitabãt, quòd mellis repertorem esse dicerent. Alex. lib. 2. c. 22.

CAPPADOCES ambrosia, DRVYDÆ nullũ sacrũ sine roboris fronde conficiebant. Idem lib. 4. c. 17.

Vrebantur in SICILIA in sacrificiis Cereris non floreis (quia ob memoriam raptæ filiæ colligentis flores fuerunt uetiti) sed myrteis coronis, & è smilace, uel narcisso, uel croco, ut ait enarrator Sophoclis.

Fortunarum. Quo ad

Libertatem.

COI rei diuinæ Iunonis honori operam dantes, à conuiuio prorsum seruos reiiciunt: propterea dicti hominum soli liberè sacrificare. Cælius lib. 13. c. 23. A. L. ex Athen. lib. 14. c. 17.

In CHÆRONEA sacerdotum tenens pro ædibus sacris Matutæ, id est, Leucothecæ, clamitabat: Seruum non ingredi, non seruam, non Aetolum, non Aetolam: iis enim sacrificio adesse eo loci nõ licebat. Gyraldus lib. 17. Deor. gent.

A quibusdã sacris ROM. mulieres innuptas, aut seruitio pressos, uel ære coemtos abesse oportebat: & propterea in sacrorum apparatu lictor præfari solebat: Hostis uictus, mulier uirgo exesto. Idem.

Existimationem.

Apud GERMANOS, iis qui scutum amisissent in acie, sacris interesse haud licebat. Corn. Tacitus.

Apud SCYTHAS, qui hostem nullum interfecissent in acie, in solennibus libare non poterãt. Gyraldus lib. 17. Deorum gentilium.

Patriam, Peregrini.

Sacris ELEVSINIIS interesse profanis & peregrinis non licebat: in quibus illud præcinebatur, ἐκὰς ἔκας ὅσοις ἄθεμιτος εἰμι· Procul procul quisq; profanus. id quod usurpauit Callimachus in Hymnis.

Officium.

Apud AEGYPTIOS subulcis omnib. tẽpla interdicta fuere.

Calamitatem.

Funestam familiam, aut hominem funere pollutum, nec ædes deorum dedicare, nec publica sacra facere posse, liquet, nisi in Lemuralibus & Parentalibus: in quibus inferis diis dare inferias usus obtinuit: quo tempore ædes deorum clausæ iacerent. Alex. lib. 3. cap. 12.

INSTRVMENTORVM RESPECTV.
Huc Sacrorum

Ignis. Ligna acrorum.

Sunt in Lydis, qui Peisici cognomine uocantur, urbes Hierocæsarea, & Hippæpæ: in templo utriusq; urbis amplissimo cellę cum aris, super his cinis alio longè colore à uulgari cinere. Huc ingressus Magus, ubi foco lignis impositis tiara caput uelarit, implorat cognomen dei, quicunq; ille sit (ex libro enim carmen recitat barbaricum) ubi peroranit, sponte sua è lignis nullo igne admoto purissima emicat flãma. Pausanias lib. 5. se hoc uidisse testatur.

MAGOS tradunt apud Persas dum sacrum fit, carnes super myrto & lauro appositas subtilibus uirgis adurere. Alex. libro 4. cap. 17.

PERSIS ligna arida, demto cortice, sacrificio apponere, desuperq; oleum fundere, & aruinam pinguem, ignemq; appositum non flatu sed uentulo excitare, in usu fuit. Idem.

Victis ad Plataeas Persis, GRÆCIS de sacrificio consulentib. respondit Apollo, Ioui Liberatori erigerent aram: at sacra antè ne facerent, quàm extincto per totam regionem igne, quòd esset per barbaros pollutus, purum Delphis ex communi foco accendissent. Itaq; magistratus Græcorum illicò circumuecti, subegerunt eos, qui igne uterentur, omnẽ extinguere. Ex Plataeensibus pollicitus Euchidas, quàm ocyssimè fieri posset, allaturum se à deo ignem, Delphos profectus est, lustratoq; corpore & lympha aspersio, laurea coronatus ignem sumsit ex ara, curreusq; retrò Plataeas contendit, & ante solis occasum reuersus est: eodem die mille stadiorum emensus. Salutatis ciuibus ubi ignem tradidit, concidit confestim, & paulo pòst expirauit. Sustulerũt eum Plataeenses, atq; in Eucliæ Dianæ fano funerauerunt, insteriq; ferunt, hoc tetrametrum:

Euchidas Delphos cucurrit, & die reuersus uno est.

Plutarchus in Aristide.

Aristionis tyrannide sacra lucerna extincta ATHENIS, & DELPHIS templo à Medis incenso, belloq; Mithridatico atque Romanorum ciuili, unà cum ara fuit deiectus ignis. Negant eum fas esse ex alio accendi igne, sed nouum & recentem parandum, eliciendamq; putant ac liquidam ex solę flammam. Succendunt eam scaphiis cauatis in æqualia latera orthogonia trigonalia, quæ ex circumferentia in unum centrum sunt deuexa. His soli obuersis radij undique flagrantes coguntur & contrahuntur ad centrum. Ita cùm ipsum area diuidũt attenuatum, tum leuissimum quodq; atq; aridissimum appositum fomentum inflammãt extemplò, quòd accipiãt reflexione radij corpus & ictum igneũ. Plutarchus in Numa.

Ex alba duntaxat POPVLO, neq; ex alia arbore, ad usum sacrorum Olympij Iouis ligna cędi patrius est Eleis ritus. Credo hunc honorem huic arbori præcipuè habitum, q̃ eam Hercules è Thesprotide propter amnem Acherontem repetit. Huc respexisse Homerum putant, cùm Acheroidem populum appellauit. Pausanias lib. 5.

SELEVCVS cùm in Pella Iouí sacra faceret, ligna ab is imposita ultro arserunt. Alex. lib. 4. c. 17.

IOSIDES licèt ex omni ligno incendant aras, spinas tamen asparagi aut stramina in sacrificiis cremare nefas habent. Ibidem.

Apud SICVLOS in colle Vulcanio iuxta Petrensium stagnũ dum sacrum fit, sarmentorum fasces super aras sua sponte ignem concipere, & nullo flante halitu incendium fieri fabulantur. Idem.

Solennib. Cereris ERETRIENSIVM coniuges non ad ignẽ sed ad solem carnes assabant. Plut. in quæst. Græcis.

Arma.

Δελφικὸν ξίφος, id est, Delphicus gladius: de re dicebatur ad diuersos usus accommodabili. Quemadmodum iissdẽ uasculis, & poculorum uice in cõuiuiis, & clypeorum uice in bellis utebantur. Nam Delphicus gladius ad eum modum erat fabrefactus, ut eodem simul & sacras mactarent uictimas, & nocentes afficerẽt supplicio. Meminit huius gladij cùm Euripides in tragœdiis, tum Aristoteles Polit. lib. j. differens, naturam non gignere singula ad plures usus, sed unumquodq; ad suum peculiarem proprium q; finem: ἐοίκασι δὴ φύσει τοιοῦτον, οἷον χαλκοτύποι μάχαιραν Δελφικὴν ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐν ἑκάστῳ. id est, Neque enim natura tale quippiam facit, quemadmodum ærarij fabri gladium Delphicũ quasi per inopiam, sed unumquodq; ad singula. Eras. in Adag.

Atticis in more est, ut cùm occiso boue reliqua omnia à cæde

libera pronuncient, singulis ordine iudicatis: solum ensem condemnent, & dicant illum cædis auctorem extitisse. Et eius diei, in quo hæc patrant, festum uocant Diipolia, & Buphonia. Aelianus de Var. hist.

Vasa.

Est simpulum, auctore Festo, uas paruum, nō dissimile cyatho. unde mulieres diuinis rebus deditæ, simpulatrices uocentur. M. Varro scribit, uas esse minutim fundens, in cuius locum successerit epichysis. Vnde ueteres res minutas, nulliusq; precij, simpularias appellabāt. Plin. lib. 35. c. 12. In sacris quidem etiam inter has opes, non myrrhinis crystallinisue, sed fictilibus prolibatur simpulis innocentius. Attestatur & M. Varro, cùm apud Nonium Marcellum ait, deos ipsos uili simpulo inuitari. Item Apuleius, In hodiernū, inquit, populus Romanus diis immortalibus simpulo & catino fictili sacrificat. Erasmus in Adagiis.

Fercula, quæ gestant. Vt sunt

Canistra.

Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte dicit AESCHINEM κιττοφόρῳ, id est, piciferi nomine ab anicularis compellatum: quemadmodum & λικνοφόρον, quòd picas & uānos capite baiularet. Nam his in mysteriis Bacchanalib. utebantur, quòd ea auis sacra sit Baccho: & uannus in omnib. mysteriis adhibebatur. Vnde Maro,

Et mystica uannus Iacchi.— Erasmus in Adag.

Phalli.

Hi in sacris Bacchi portabantur.

Faces, Lychni.

Cùm Ceres Proserpinam quærens uniuersum terrarum orbē perlustrasset, facibus ex Aetna Siciliæ monte accensis, ad illius imitationem SICVLÆ mulieres uel uiri, per noctē cū accensis facibus uociferantes, Proserpinamq; uocantes discurrebant: quare Tædiferos antistites appellauit Strabo libro decimo.

FINIS RESPECTV. SACRA OBITA CAVSA

Mali amoliendi. Sacra Expiatoria, Lustralia.

Sacra Expiationis causa fieri solita à Rom. Supplicationes, Solitauritia, Ambarbalia, Lustrationes naturales, Alex. lib. 5. c. 30. exequitur.

VETERES canem nec purum plane censebant esse: siquidē nulli ex diis superis sacratus est. At Hecatæ inferæ in cœnā mittitur ad triuia, & piaculorum uice fungitur lustralium. Canem omnes ferè Græci adhibebant olim uictimā in expiationibus: atq; Hecatæ canes cum piamentis aliis offerebant, caninisq; eos, qui expiatione haberent opus, pellibus abstergebant, quod genus lustrationis uocant κυνοκλαυστόμεν. Hinc non absurdè Flamini Diali, cuius partes sunt summo & purissimo deo seruire, familiarem & domesticum facere canem est prohibitum. Plut. in quæst. Rom.

Boni consequendi. Puta causa

Auxilij ab Hominibus.

Apud SCYTHAS si quis fortè læsus esset, neq; suppeteret ulciscēdi facultas, immolato boue carnes minutim sectas coquebat, ipse in tergore humi strato sedebat, manibus in tergum reductis. Idq; maximum supplicandi genus apud illos habebatur. Accedebat quicunq; uellet opitulari, & carnium potione gustata, dextroque pede tergori imposito, pollicebatur pro uitibus auxilio futurum. Atq; hoc fœdus apud Scythas sanctissimum habebatur. Lucianus.

Salutis, Sanitatis.

Cn. Pompeius ancipiti morbo Neapoli cōflictatus cōualuit. NEAPOLITANI auctore Praxagora, p incolumitate eius sacrificauere. Quos secutus uicinis, eaq; re totā peruagante Italiam, ciuitates tam paruæ quām magnæ ferias per multos dies egere. Plut. in Pompeio.

SACRIFICIA SINGILLATIM SECUNDVM ACCIDENTIA sua obseruata. Quo ad

LOCA. VT SVNT

Templa.

P. SCIPIO, qui primus tulit Africani cognomen, noctu Capitolium solus ascēdebat, adoraturus deos: ut uerò quidā autumant, Iouem consulturus. In quo subit illa reputatio admiratione digna, nunquam eum, tametsi antelucanus locum adiret, à canib. arcis custodib. allatratū. Sab. lib. 2. c. 4.

ANGERONIÆ deæ Pontifices Rom. olim 12. Cal. Ian. in sacello Volupiæ sacrum faciebant. Angeronia dicta, q angores hominum depellat, teste Verrio Flacco. Simulacrū eius ore obligato & obsignato in ara Volupiæ dedicatū, q qui suos dolores dissimulant, perueniant patientiæ beneficio ad maximam uoluptatem. Macrob. lib. j. Saturn. c. 10.

Aræ. Vel

Nullæ.

GRÆCOS nonnunquam sine ara, in nudo solo & pauimento, sacra peregisse compertum est. Alex. lib. 4. c. 17.

EVMÆVM super Escharam uictimam fecisse legimus apud Homerum lib. 13. Odyss.

Extructæ.

HERCVLES Thebanus Didymis in urbe Milesiorū aram extruxit luto subacto uictimarum sanguine. Pausan. lib. 5.

CLYMENVS Olympiæ arā extruxit, è cinere collecto ex adustis uictimarum femoribus. Idem.

DELPHIS in Phœbi delubro extitit olim cornea ara, inter septem mundi miracula decantata: quæ citra compagem ullam aliam & uinculum dextris solis commissa & constricta erat cornibus. Plut. in Compar. anim.

ARABES aruiam super terrā constituunt, in illaq; Soli immolare & thus adolere solent. Alex. lib. 4. c. 17.

ROMVLVM urbis conditorem, post urbem sacratam, sacra Græco Herculi, ara illi erecta quę Maxima dicta est, instituit, quæ ara tamen ante Romulum etiam religiosissima fuisse traditur, eamq; ipsum Herculem Ioui Inuentori, si amissas boues reperisset, dedicasse fama uulgauit. Idem.

ROMANA plebs cùm in montē seceßisset à patribus, indeq; Menenij Agrippæ prudentia reconciliati essent, aras ubi castra fuerant Ioui metum Soluenti erecta, ibique sacra peracta sunt: quæ res loco postea nomen dedit, ut mons Sacer diceretur. Sab. lib. 2. Enn. 2.

Exornatæ.

VETERES aras suorum numinū fronde ornare solebāt. Ioui enim esculo, Apollini lauro, Minerue olea, Veneri myrto, Herculi populo, Baccho hedera, Pani pino, Diti cupresso sacra faciebant. Alex. lib. 4. c. 17.

TEMPVS.

MAGI & PERSÆ mane sacrificia & preces absoluerunt: matutinum tempus sacrificiis idoneum existimātes, cùm deos tunc assidere templis, & matutinis salutationib. adesse opinio esset. Alex. lib. 4. c. 17.

INDI & Gymnosophistæ in meridie, & ubi multum diei processerat, immolare diis consueuerunt. Idem.

APOLLONII Tyanæi opinio fuit, summo diluculo cum diis uersari: procedente mox die, de diis loqui oportere. Idē.

Ab ATHENIENSIBVS seruatum est, ut mense Octobri, magnorum mysteriorum 14. Cal. Nouemb. solennis agatur dies, & Liber pater in Eleusinam ex urbe transmittatur. Nouembri uerò parua, Iunio autem rursus magna celebrentur mysteria, quæ Cereri sacra erant, parua Proserpinæ: in quibus maximè cognitum est, ut quā quis induisset uestē initiatus, eam ne amplius exueret, donec laceta & peritrita foret. In aliis mysteriis traditur mos, ut uestem, in qua quispiam initiabatur, templis & numinibus dicarent. Ea quidem mysteria cùm alieno tempore intueri nefas esset, Demetrius rex, ut illorum particeps fieret non suo tempore, Ianuariū & Iunium menses Nouembrem appellauit. Alex. lib. 3. c. 18.

Gellius Annalium lib. 15. & Cassius Hemina Hist. lib. 2. asserūt, anno ab V. C. 363. à Tribunis militum Virgilio Manlio, Cælio Posthumio, collegisq; eorum, in senatu tractatū, Quid esset, propter quod toties inter paucos annos malè esset affecta respub. Et ex præcepto patrum L. Aquinium aruspicē in senatum uenire iussum, religionum requirendarum gratia, dixisse, Q. Sulpitium Tribunum militū ad Alliam aduersus Gallos pugnatuū, rem sacrā dimicādi gratia fecisse postridie Idus Quintilis: item apud Cremeram, multisq; aliis temporibus & locis, post sacrificium die postero celebratum, malè cessisse conflictum. Res delata fuit ad collegiū PONTIFICVM. Hi statuerunt, postridie omnes Calēdas, Nonas, Idus, atros dies habendos: ut hi dies neque præliares, neque puri, neque comitiales essent. Macrobius lib. j. Saturnalium, cap. 16.

PRECIVM, SVMTVM. SACRIFICIA

Sumtuosa.

Consule locum Magnificentiæ, & Prodigalitatis.

Vilia.

LVCVRGVS tenuissima quæque & nullo paratu apud Lacedęmonios sacrificia fieri uoluit, ex herbis uidelicet, & his quæ semper in promtu essent rebus, ne quando difficultate parandi sacrificia omitterentur, uel pauperes quoq; multis sumtibus grauarētur. Alexander ab Alexandro libro secundo, cap. 22.

LVDI RELIGIOSI CONSIDERATI ut Totū: Perpendendo

QVIBVS DIIS consecrati. Puta

Ioui.

Olympici ludi omnium celeberrimi in Olympo monte apud Pisam & Elidē, oppida Arcadiæ, Ioui dedicati, celebrabantur. de quorum origine dubitatur. Quinq; fratres ex Dactylis Idæis, è Creta in Elidem uenerunt, Hercules, Pæoneus, Epimedes, Iasius, & Idas. Hercules Idæus utpote natu maximus, fratribus certamen cursus per ludum proposuit, & uictorem oleastri corona donauit. Hęc origo ludorum Olympicorum fuit, quos quinquennales esse placuit, propterea quòd fratres quinq; numero fuere. Alij Iouem cum Saturno hoc in loco colluctatum ludos instituisse dicunt. Alij de bellatis Titanibus, hos ludos à Ioue institutos, quib. Apollo Mercurium cursu superarit, Mars pugillatu superior fuerit. Hanc ob causam Pythici tibiarum modo salientib. quinquertionibus præcinebantur, quòd sacrū id carmen Apollini esset, qui primus Olympicas palmas tulisset. Clymenus L. annis post Deucalionis diluuium è Creta ueniens, cum aliis Curetibus, ludos in Olympia fecit, & Herculi Adiutori, suo proauo, aram dedicauit. Pelops autem omnium qui ante se fuissent maximè memorabiles Olympio Ioui ludos fecit, teste Pausania lib. 5. Hippodamiæ enim Oenomai filię fama & amore captus, in Elide apud patrem ausus est procinomen profiteri. Oraculo monitus ille exitium suū pendēre ex filiæ nuptiis, quib. artibus interitum effugere quæsit, sibi molitus est. Virginem petentibus proposuit, in biga rum certamine uictori filiæ nuptias, uicto mortem. Qua lege tredecim iuuenes interfecit: quemadmodum canit Pindarus, cuius interpretes etiam eorum nomina recensuēre. Pelops à Neptuno impetratis equis uictum Oenomaum in mare præcipitauit: Hippodamiam uxorem duxit, certamē uictoriæ monumētum instituit. Hæc ita gesta sunt ad Pisam Elidis: quæ à cognomine Endymionis filia sic fuit appellata. Hercules intermissum in Olympij Iouis honorem, uicto Augea Elidis principe de præda atq; manubiis instauraui. Scaliger lib. j. Poet. Hercules Amphitryonis F. Elide capta coronā Iolao aurigæ suo primū detulit, qui equas ab Hercule mutuatus in cursu cæteros anteierat (Antiquitus enim alienas equas ad certamen mutuabantur. Sic apud Homerum Menelaus Agamemnonis Aetha utitur in Patroclibus nebribus ludis) Iasius Arcas equo desultorio uicit, Pollux cæstibus. Post Oxylum uerò ducem Doriensium, qui in Peloponnesum redierūt, Olympia intermissa sunt usq; ad Iphitum, qui ea instauraui, & singulis Olympiadib. postea noua certamina sunt addita, uel antiqua reuocata. De quibus copiosè Pausanias lib. 5. Fuerunt uariis temporib. uarij modi in certaminib. Olympicis seruati. Nam præter homines, pueri etiam, & pulli equorū, & feminæ, & uaria uehiculorū genera admissa fuerunt, & iudices in singula certaminū genera delecti, pro quorū arbitrio præmia darentur uictorib. Postea uerò institutū fuit, ut grauioris armaturæ cursus peditum admitteretur, quòd eum ad rem bellicam nō inutilē fore existimabant, in quo certamine primus uictor declaratus est Demaratus Heræensis. Quòd armati currerent, facilè licet ex Epinicis cognoscere. Alij singulos ex Idæis Dactylis singulos ludos instituisse putauunt, qui quòd quinq; essent, à digitorum numero sunt uocati. Erāt autem quinq; ludorum genera, cursus, lucta, discus, saltus, pugillatus. Herodotus lib. 8. scribit Olympicum certamen gymnicū atque equestre fuisse, præmiumq; propositum κότινον oleaginā coronam, qua donabātur uictores. ἐλαίνῳ χλωνεφόρῳ dici testatur Pausanias. Quapropter Tigranes Artabani filius, eo tempore quo Xerxes bellum in Græcia gerebat, ut idem testis est, audiens præmium Græcis coronam esse, non pecuniam, generosam illam meritoq; laudandam sententiā dixit, Papæ Mardoni (is enim Xerxi persuaserat, ut in Græcos bellū moueret) in quos uiros induxisti nos ad pugnandū, qui non pecuniarū certamen agitant, sed uirtutis? Celebrabantur autem hi ludi quinto quoq; anno (uel quinquagesimo quoque mense, qui Parthenius uel Apollonius fuit dictus, ut inquit Pindari scholastices) sic, ut quatuor anni interessent à primo Olympiadis anno, ad initium & primum annum sequentis, quod Lustrū dicitur. Idq; tempus Olympiadem appellabant: ac deinceps apud Græcos tempora p Olympiades numerata sunt, ueluti apud Roman. per Coss. quorum magistratus annuus erat. Cælius lib. 13. c. 19. Pausaniam in compendiū contraxisse uidetur. Incipiebant Olympica die Lunæ XV transacto, peractis autē solennib. sacrificiis, atq; per dies quinq; agebantur: cùm ante id tempus p dies XXX exercerentur Athletæ. Scribit Strabo lib. 8. Olympia certamina post Troiana tempora incœpisse. Cuius rei illud facit argumentum, quòd nullam de Olympicis mentionem fecit Homerus, cùm meminerit tantū de nonnullis certaminibus funebribus. Nat. Comes lib. 5. Mythol. c. j. Olympia, inquit Suidas, uocatur apud Græcos certamen quarto quoq; anno celebrari solitum, ob diem qui quarto quoq; anno conficitur è senis horis, quotannis cursui Solis additis. Incoata est prima Olympias sub Solomone, ut festū Iouis in toto terrarum orbe ageretur. Olympicum conuentū Crotoniatæ uictis Sybaritis conati sunt dissoluere, cùm certamen opulentum argentei cōstituissent, eodem tēpore, quo Olympia celebrari cōsueuerant, ut hac ratione Athletas ad se uocarent. Alij hoc uoluisse Sybaritas malunt. Athenæus lib. 12. cap. 6.

Prope Platæas sepulcra spectantur Lacedæmoniorū & Atheniensium, qui contra Mardonium occubuerunt. Nō procul abest ara Iouis Eleutherij cum signo candido & lapide, ad quam quinto quoq; anno ELEVTHERIA faciunt, maximis de cursu propositis præmiis. Paus. in Bœot. Strabo l. 9. Plut. in Aristide, & Pindari Scholiastes in 3. Olymp. hymno.

CAPITOLINI ludi. Domitianus Ioui Capitolino triplex ludicrum posuit: musicum, equestre, gymnicum. Item in Alba nō Mineruæ, in quo certabant hymnis. In eo Papinius Statius ter uictor. Falsò igitur produnt Publiū mimographū in eo certasse, quippe sub Cæsare dictatore iam grandis natu floruerat, æmulus Laberij. At L. Mummius deuicta Corintho eidē Ioui Capitolino quinquēnales è Græcia ludos portauerat, quos omissos restituit Nero. Horum similes Caligula Lugduni ad Ararim, quos Miscellos nominauit. Victus uictoris laudes scribere cogebatur. Sunt qui addāt, eo actum eū scripta sua delere lingua. Scaliger lib. j. Poet. c. 34.

Iunoni.

Apud Elin templum Iunonis, Scilluntij ex Triphylia struxisse creduntur, octo ferè annis posterius, quām Eleis imperare exorsus est Oxylus. Quinto quoq; anno Iunoni peplū contexebant mulieres decem ac sex numero, quæ ipsæ agoni præficiebantur, quem dixēre ἀπὸ τῶν ἀγῶν HERÆA. Currebant uirgines ætatis utiq; non unius, prodibant principes natu omnium minimæ, sequebantur grandiores paulo, postremæ quę cęteras anteirent ætate. Currebant ueli sic: demittebatur illis coma, tunica subsistebat paulum supra genua, dexter usq; ad pectus retegebatur humerus. Stadium Olympicum erat cursui destinatus locus, sexta tamē parte demta. Victoriæ præmium oleaginta fuit corolla, & bouis portio Iunoni immolatæ. Certaminis uetustatē ad Hippodamiam producunt, quæ Pelopis adepta coniugium, sic Iunoni gratam se ostēderit, sex & decem allectis mulieribus, cum quib. ἐρᾶσθαι statuerit primā: tunc q; uicisse Chlorin Amphionis filiam. Ex Pausaniæ lib. 5. Cælius lib. 13. c. 34. A. L.

Rheæ, Matri deorum.

MEGALENSES Magnæ Matri deūm M. Iun. Brutus dicauit. Vnde & Græca nox Romano flexu. Ei ex Pessinunte auectę is honos habitus. Iuuenibus datum, ut ætatum atq; ordinū omnium mores, gestu atq; oratione effingerent. Ab umbraculis, in quibus hæc agerentur, Scenicorum nomen cōmunicatum. Nam certo nomine Scenici Libero patri peculiares erant. Ante deæ signū matronis spectatæ pudicitiæ psallere mos fuit. Seruis interesse nefas: quippe pro publica libertate, Roma exuta regum seruitio, primùm instituti. Presidebant Prætores. Scaliger lib. j. Poet. c. 29. De iis Herodianus in Cōmodo ita scribit: Veris initio stato solenniq; die, pompam Matri deūm Romani celebrabāt: in ea quę apud quenq; sunt diuitiarum præcipua, supellexq; pleraq; imperatoria materiæ aut artis spectandæ, præterit ante deam solent, passimq; omnibus ludendi licentia permissa, sic, ut personas induant quas cuiq; libitum, nullamq; non magistratuum quoq; imaginē, prout cuiusq; studium, repræsentent, ita ut non temerè à fallis ueros dignoscas.

Apollini.

Secundi Græcorum ludi erant PYTHII, in Apollinis honorem apud Delphos in Phocide, ubi templū Apollinis erat, celebrati. Scripsit Pausanias in Corinth. Diomedē à Troia redeuntem cùm effugisset tempestatem, Græcis ab Ilio reduntibus immissam, apud Troœzenios templum Apollinis Incēsoris dicauisse, & Pythios ludos in eius honorem instituisse. Latona ex Eubœæ Chalcide Apollinem Dianamque reportabat Delphos. Ad Pythonis speluncam admotis uestigiis, ab eo improuiso penē oppressi, nisi puello mater animos addidisset, ut sagittis quas habebat, pestem illam occuparet. Acclamatio fuit, ἰὲ παῖ ἰὲ παῖ. Vnde nomen ei factum aiunt certis syllabis additis, παιήων, παιάν, παιήονα. Narrant etiā lapidē à Latona intentatum. Alij dicunt Apollini porrectū, antequam animaduertisset illum cū telis esse. Eum postea lapidem in Delphis repositū sub ænei Latonæ signi pedib. Strabo ex Ephori historia Pythonem Iatronē fuisse tradit, qui infestis itinerib. infestam faceret prouinciā: quapropter Draconis cognomen indutū à maleficio. Tanta peste soluti Delphi, pro recepta libertate ludos quali beneficiatios celebrant.

tes. Tela breuiora uitis. Galeę æreę, cristis insignes penniscq; excultæ. Præibant choris uiri singuli saltationis & tripudij modum præmonstrantes, bellicos motus atq; uehementes proceleumaticis & rhythmis imitantes. Enoplia saltatio in his usurpata, quæ & Pyrrhica nuncupata est, à Pallade, ut creditur, reperta. Alij Curetes eius saltationis auctores arbitrati sunt. Enoplios choros, Satyriscorũ cœtus è uestigio sequebatur. Erant hi in Silenos & Satyros figurati, cauillabundo motu, ridicula in magnis imitantes. Atq; hunc demum ordinem tibicines alij & citharœdi, uario sequebantur concentu. Ibant inde qui passim thura & aromata thuribulis adolebant, multaq; odorum fragrantia. Deorum simulacra auro argentoq; cælata, uirorum humeris ferebantur. Tum demum Thensam, summi urbis magistratus, magna omnium ordinum caterua religiosè sequebantur. Sabell. lib. 9. Enn. 2. Circenses appellabantur, quasi circum enses: nam, teste Seruio super 3. Georg. quũ rudis uetustas nõdum loca huiuscemodi ludis apta ædificasset, inter enses & flumina eos celebrabat, ut ab utraque parte esset ignuis præsens periculum. Exin Circus, id est, locus muris septus, ab ipsis Circensibus denominatus, in quo ludi fiebant, ædificatus est. Equi curriculis iuncti è carceribus emissi quũ ad summum deuenissent, reuoluebantur, donec ad priorẽ metã redissent. Solennes deinde mansere huiusmodi ludi, Vnde Prasinæ & Venetæ factiones à colore uiridi & cæruleo. Edebantur præterea uenationes. Polyd. lib. 2. cap. 14. de rerum Inuentoribus.

QVALES. LVDI

Absq; cæde.

Tales plerique. Exempla è præcedentibus.

Cum cæde.

Vide suprà, Funeris causa, Gladiatorii.

QVA OCCASIONE INSTITVTI. PVTA, CAVSA

Voti.

VOTIVI ludi aut Sibyllinis uersibus, aut Augurum præceptionibus, aut promissis Imperatorum introducebantur: uel ante bellum, uel confecto bello, atq; hostibus deuictis. Ex iis illi fuẽre quos Magnos cognominarunt. M. Acilius in apparatu aduersus Antiochum eos celebrauit diebus decẽ, missis munerib. per puluinaria: non tum tamen primùm uotos, sed postquã ad Thrasymenũ pugnatũ est. Facti sunt æris CCCXXXIII. millibus, bobus albis quadringentis, aliisq; hostiis multis procurati. Sic etiã bello Sãnitico debellato eos populũ spectasse coronatũ. M. Crassus sua ædilitate coronas frondeas aureis bracteolis imitatus populo dono dedit. Ludis magnis Græco ritu uictorib. palmæ datæ: itẽq; populo epulũ ab ædilibus. Scaliger lib. 1. Poetices, c. 36.

Pestilentiæ.

L. Sulpitio Bætico, C. Licinio Stolone Coss. intoleranda uis ortæ pestilentiæ ciuitatem ROMANAM à bellicosis operibus reuocatã, domestici atq; intestini mali cura afflixerat. Iamq; plus in exquisito & nouo cultu religionis, quàm in ullo humano consilio positum opus uidebatur. Itaq; placãdi cœlestis numinis gratia, compositis carminibus uacuas aures præbuit, ad id tempus Circensi spectaculo contenta, quod primus Romulus raptis uirginib. Sabinis Consualiũ nomine celebrauit. Et hæc origo est ludorũ Apollinarium & Scenicorum. Verùm ut est mos hominum, paruula initia pertinaci studio prosequendi, uenerabilibus erga deos obsequis iuuentus, rudi atq; incomposito motu corporum iocabunda, gestus dedit: eaq; res Ludium ex Hetruria accersendi causam præbuit: cuius decora pernicitas uetusto ex more Curetum, Lydorumq;, à quibus Hetrusci originem traxerunt, nouitate grata Romanorum oculos permulsit: & quia Ludius apud eos Histrio appellabatur, scenico nomẽ histrionis inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarũ modos perrexit, à quibus primus omnium poeta Liuius, ad fabularum argumenta spectantium oculos & animos transtulit. Isq; sui operis actor, cùm sæpius à populo reuocatus, uocem obtudisset, adhibito pueri & tibicinis cõcentu, gesticulationem tacitus peregit. Attellani autem ab Oscis acciti sunt: quod genus delectationis Italica seueritate temperatũ, ideoq; uacuum nota est: nam neq; tribu mouetur, neq; à militarib. stipendiis repellitur. Valer. lib. 2. ca. 1.

Funeris, Funebres.

FVNEBRIVM origo longè uetustissima: quippe Aeneas ad Pallantis, Achilles ante eum ad Patroclì rogum mactauit inferias cum ludis. Iidemq; GLADIATORII: nam quum primùm captos ex hostib. iugularent, uitãtes fœdi spectaculi crudelitatem, captiuos inter se cõmiserũt: ut penes cosdẽ esset & facinus & suppliciũ: quibusq; sors & uirtus dedisset, superessent: alij placarent manes puris manib. parentantium. Scaliger. Pyrrhus super bustũ Achillis, inspectãte Græcorum exercitu, ei parentans, Polyxenam iugulauit. Zezes in Lycophronẽ. Q. Calaber lib. 14. Id moriẽtem Achillẽ iussisse narrat Seruius. Primus Romanorũ Iunius Brutus dicitur in defuncti patris honorẽ dedisse Romæ gladiatores. Alij Appium Claudium, & M. Fuluium Coss. An id uerũ sit, ambigo. Tunc enim primùm fuẽre sontes obiecti feris in arena, tanta immanitate, ut ab eo horrore matronæ publico edicto summotæ sint. Dabantur & à publicis magistratib, & à priuatis personis, & cum certaminib. & cum fabulis. In patrij funeris apparatu arenã inspersisse aiunt C. Cæsarem quum ædilis esset: qui postea dictator fuit. Claudius princeps ex arbitrariis statos fecit ludos funebres, quos ædiles ederent: ex pecunia publica de Quæstoribus, quos Gladiatorios appellauit. Verùm postea illorum pertæsus immanitatem sustulit. Priuatis tamen consuetudinis mansit ius. Cęterùm cùm ea profusione ad inopiam multi redacti essent: iam antea sub Tiberio S. C. factum fuerat, ut nemini idlicueret, qui minus quadringentis millib. in censu haberet, nã & emtis opus erat, & educatis: productis quoq; in arenã alij cadebant, alij petente populo manumittebantur. Gladiatorũ quoq; magistri, non sine magno precio, qui docerẽt eos, conducebantur, hos Lanistas appellabant. Tandem à Theodorico Gothorũ rege uniuersus usus sublatus est. Proposita paria Lanista indicebat quanti: iugulatorum precia accipiebat. Cum hastiq; ac rudibus prodibant: erat Rudis baculus gladiatorius, quo prima pugnæ rudimenta meditabantur: unde & nomen: ea manumissi propter fortitudinem simul cum libertate donabantur, propterea quòd sine cruore deinceps essent acturi uitam. Certaminis initio postquã inter se rudibus batuissent, ferro nudi transigebant. Fessis aut uictis alia manus substituebatur. Declarat hoc Martialis eo uersu: Hermes supposititicius sibiipsi: cùm indefessus esset, atq; inuictus, sibi ipsi succedebat. Ludibrium infelicitatis humanę Nero 400. Senatores, 600. Equites ad camoperam exhibuit. Alterum orbis monstrum Domitianus etiam feminarũ pugnas noctu edidit. Qui funebres curarent ludos, Designatores dictos autumãt. Apud Horatiũ pro eo, qui præest funeri, interpretãtur. Scaliger li. 1. Poetices, ca. 25.

Apud ROM. olim Imp. munere gladiatorio edito, uotiscq; pro uictoria in Capitolio nuncupatis, ad bellum exibant. Sunt qui eam uelut deuotionem quandam hostilis sanguinis fuisse existimẽt, ut si cruore dimicandum esset, Nemesis, id est quædam uis fortunæ urbano cruore placaretur. Alij per suasum habuerunt id à maioribus institutum, ut tyronum oculi ad bellum proficiscentium cruori & uulneribus assuescerent. Sab. lib. 6 En. 7. Romani, sicuti scribit Nicolaus Damascenus, ut est apud Athenæum, non in theatris modò & panegyri gladiatores exhibebant, morem à Tyrrhenis mutuati: sed & in conuiuis, duobus aut etiã tribus productis paribus, quæ dicit ipse ζεύγη. Quin & testamento cauebant nonnulli, uti pulcerrimæ etiam puellæ decertarent, aut qui in deliciis fuissent impuberes: donec iniquitatem non ferẽs populus, id irritum habuit. Cælius lib. 11. cap. 10. A. L.

Libertatis adeptæ.

PLEBEI ludi exactis regibus pro plebis libertate primùm Romæ dati, quos nonnulli post secessionẽ ad Sacrũ montẽ institutos ferũt, ob consociatos patrũ plebisq; animos: quos postea L. Sylla perdomitis hostibus, magna plebis expectatione restituit: quorũ ædiles plebis arbitri & moderatores erant, in quorũ celebritate seruatum meminimus, ut quotiẽs instauraretur, ab his ludorum causa epulum daretur. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 19. & Scaliger lib. 1. Poet. cap. 37.

VBI.

Sic Olympia, Pythia, Nemæa, Isthmia.

QVANDO. CELEBRATI LVDI ANNO

Quinto.

Sic Olympici & Isthmici.

Centesimo.

SECVLARIVM pro incolumitate pop. Roma celebratorum initium tale fuit, uti Val. Max. lib. 2. cap. 1. docet. Valesius quidam uir locuples, tribus quos habebat filiis pestilẽtia laborantibus, dũ antè focũ suos penates orat, ut saluis pueris in suũ caput id mali uertatur, ecce tibi, uox repentè audita, filios saluos fore, si Terẽtũ duxerit, ibiq; ex Ditis patris & Proserpinę ara petita aqua recreaꝛit. Pacer quãuis anxius, quòd longius sibi eundũ esset, (de Tarẽto enim urbe suspicabat) tamẽ ex sua uilla ire pergit, alteraq; nocte ad campũ Martium per Tyberim delatus, quum in naui non esset ignis, iuberur à gubernatore ire Terentum ad locum proximũ. Qui audito Terenti nomine, iam certò sciens eò se peruenisse quò deorum uocaret oraculum, aquam calefacit, datq; bibendam pueris. Illi epota aqua, salutari quiete sopiti, continuò omni morbo liberantur, uocatoq; parenti narrant se à diis adiutos, admonitosq; ut eo loci mactatis furuis, id est, nigris hostiis, lectisternia ac ludi nocturni ad aram Ditis & Proserpinæ fierent. Valesius maiorem in modum gauisus incipit primo quoq; die terram fodere, aræ erigendę causa. Sed ibidem reperta sub terra ara, Diti patri & Proserpinę inscripta, hostias mox immolat: tribusq; continuis noctibus, quia totidem filij morbo leuati fuerant, lectisternia atq; ludos facit, aramq; terra obruit, prout antè fuerat. Fiebant ad instar Cereris initiorum, cum carmine & hymnis, à pueris puellisq; patrimis & matrimis, in Apollinis ac Dianæ laudem, qualis extat hymnus Horatianus, & Catulli longè lepidissimus. Seculares dicebantur, quòd semel singulis agerentur seculis. Seculum porrò spacium est uitæ humanæ lõgissimum. Varij uario annorum numero deseribunt, ut est apud Censorinum. Romani centum annis, idq; interuallum inter ludos seculares, ut Valerius Antias, & Varro, & Liuius libro 136. Sed ex commentariis XV uirorum, & edicto Cæsaris Augusti, carmineq; Horatij seculari, decem anni huic numero adduntur, ut centesimo quoq; & decimo anno fiant. Tametsi carmen illud Horatij, Certus undenos decies per annos: non uideo cur legi non possit, Certus ut denos decies per annos: & sic nonnulli legunt. Sed & aliud carmen à Zosimo citatur Sibyllinum, in quo est: ἐς ἐτέων ἑκατονταέτηρις κύκλον ὁδεύων. Porro præco cùm ad hos ludos conuocabat, ad eos uti ludos uenirent dicebat, quos nemo ipsorum antea spectasset, nemo esset postmodum spectaturus: hinc illa Vitellij assentatio Claudio ludos seculares exhibẽti, Sæpe facias. Primus post Valerium hos ludos P. Val. Poplicola, primusque ex ea gente cõsul fecit anno ab V. C. CCXLIIII. ægrotantibus succurrendi causa. Secundi facti sunt ex libris Sibyllinis anno ab V. C. DII. P. Claudio Pulchro, L. Iunio Bruto Coss. undecimo anno primi belli Punici. Tertij, primo anno tertij belli Punici, M. Manlio, Marsio Censorino Coss. Quarti non expectato iusto tempore; L. Aemilio Lepido, L. Aurelio Oreste Coss. Quintus Augustũ & Agrippa fecerunt, Furnio & Syllano Coss. arbitratu suo reductos ad æquum tempus. Sextos Claudius Cæsar non tam ludos ab Augusti temporibus quàm Augusti errorem iteraui, neq; enim ampliùs LXIII annos interfuisse constat, quare præconis uocem irrisam Tranquillus scribit, inuitantis populum ad eos ludos, quos nemo uidisset, neque uisurus esset: quum multi adhuc uiuerent eorum, qui priores spectarant, aliquot etiam histriones, qui in illis egerant, in his producerentur. Septimos Domitianus, inita melius temporis ratione, seculo ab urbe condita septimo celebrauit. Octauos iusto tempore Septimius Seuerus, Chilone & Vibone Coss. Nonos Philippus Imp. anno post urbem conditam millesimo. in quibus fuerunt elephanti 30. alces 10. tygres 10. leones mansueti 40. leopardi mansueti 30. hyenæ 10. gladiatorum fiscalium paria mille: hippopotamus quoque, rhinoceros, arcoleontes, camelopardi, onagri & equi feri. Hæc ex Varrone, Valerio, Horatio, L. Floro, Festo, Zosimo, Herodiano, Suet. Capitolino, Censorino, Cassiodoro, Porphyrione, Acrone, Scaligero li. 1. Poet. c. 38. & Viue lib. 3. de Ciuitate Dei, cap. 18.

LVDI RELIGIOSI SECVNDVM PARTES considerati. Quo ad

MATERIAM. NEMPE QVO AD

Personas.

Hue pertinent Personarum Mores, Habitus, Patria, Ætas, Sexus, & similia alia.

Res. Vt est

Genus ludi.

In Isthmiorum ludicro præcipuè ttia edebantur, iaculorum certamen, cursus pugna, ac musicorum poetarumque congressus. Simonides:

ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φιλιστοῦ ἐνίκα,
ἅλμῳ, ποδωκείᾳ, δίσκοις, ἄκοντι, πάλᾳ. hoc est,

Isthmia Philonis Diophon & Pythia uicit,
Et cursu, & iaculo, saltibus, orbe, pale.

Et Pindari interpres:

ἅλμῳ ποδὸς, δίσκου τε βολῇ, καὶ ἄκοντος ἱερᾷ,
καὶ δρόμου, ἢ καὶ πάλᾳ, μία οἱ ἐκάτετο πᾶσι τελεθοῦσ.

Cum disci iactu, saltus pedis, impetus hastæ,
Atq; pale, & cursus, studium fuit omnibus unum.

Pausanias de ludis Olympicis sic ait: Duo certandi equis genera, Synorides & Celetes. Synoris erat biga è duob. equis: Celes singulari equo curiebat. Accesserunt & alia duo, κάλπη καὶ ἀπήνη, quæ postea decreto Eleorum antiquata sunt. Calpe certabat equabus, ita ut cursum extremũ assessores ipsi desiliendo apprehensis manu habenis perficerent. Deinde maribus utebantur equis. Apene mulas iungebant: quod animal execrabile habebant, nec in terra illa nasci poterat, cùm circà uel frequens earum fœtura esset.

Præmium, Corona.

Quæ singulorum fuerint præmia, uide suprà.

MODVM. TVM

Ante Ludos. Cuiusmodi est

Inuitatio ad ludos.

Fuerunt ludi seculares, ut Festus attestatur, in honorem Apollinis & Dianæ instituti centesimo quoq; anno, clamante præcone, Venite ad ludos, quos nemo mortalium uidit, neque uisurus est nam secũdũ C continet annos. Capitolinus.

Exercitatio athletarum.

Certaturi ante omnia per aliquot dies sese exercebant mãiore quàm postea labore: ueibi gratia, cursu certaturi, in arena cum oxeis per aliquot dies curebant: ut postea soluti, tãquam compedibus liberati, maiorem obirent operam. Item saltu certaturi, manibus halteribus oneratis assuescebant. Præterea carne uescebantur bubula, quæ fortiores redderet: abstinebant à coitu. Philostratus de Athletis.

In Ludis. Consideratur

Pompa Ludorum.

Plutarchus in com. de Diuitiarum studio, & de Osiride, ostendit hanc fuisse priscorum in ludis solennibus pompam, ut primo loco duceretur amphora uini, & clematis, id est fabę genus: post aliquis hircum trahebat: deinde nucum sportulam gestabat alius: postremo loco Phallus ferebatur, hoc est, effigies obsceni membri uirilis.

Olim inquilini & hospites Atheniis, ludis popularibus, in põpa incedebant, nauim gestantes: unde quoties hospitem, non ciuem significabant, σκάφιον ἀνεῳγμένον appellate cõsueuerant. Proinde uulgò sic minitabãtur, ποιήσω σοι συνομόσιον σκάφος: id est, Reddã tibi os occlusius scapha. etenim iis, qui in Rep. uiuunt non sua, multa sunt mussitanda. Nam uti non conuenit in aliena ciuitate curiosum esse, ita nec ciuitum est liberiorem esse linguæ. Erasmus in Adagiis.

ROM. olim uehabant loca, qua ueheretur pompa sacrorum. Causam tradit Verrius Flaccus apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6. qui scribit: quum P. R. pestilentia laboraret, esset que responsum id actidere, quòd dij despicerentur: anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum. euenisseque, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despexerit, & matri narrãrit quo ordine arcana pilentri, quod uehiculi genus est, composita uidisset. Qua re Senatui nunciata, tunc placuit loca uelis contegi, qua pompa sequeretur. Ac ita ex illo peste sedata, puer, qui ambiguitatem sortis absoluerat, prætextæ gestandæ munus impetrauit. Ambiguitas autem oraculi fuit in uerbo, Despicerentur: nam interpretabantur, deos & cæremonias negligi: quum tamẽ oraculũ intelligi uellet, deos deorsum uersum aspici, quod nefas erat, & ad pollutionem sacrorum pertinebat. Vnde & Christiani hodie in supplicationibus pueris & puellis ex fenestris uetant despicere. Polyd. lib. 6. cap. 11. de Rerum inuẽt.

Sortitio Athletarum.

Lucianus in dialogo, qui Erotinus siue de Dilectione inscribitur, monstrat, quonam modo sortes athletis obueniebant, quomodoue pares ad certamen iungebantur. Verba ipsa hæc sunt: Vrna, argentea sacra Apollini in medio aderat, ubi sortes inscriptæ erant magnitudine fabæ: hic in duabus A. scribebatur, in duabus B. in duabus C. & sic deinceps. Veniebãt certaturi, loui uouentes, ut idoneum & facilè cõparem sortirentur: deinde suam quisque educebat literam. Minister dei ibi assistens, antequam legerentur, sortes accipiebat: deinde eos conferebat ad ludum, ut illi quibus Autrisque euenerat, simul pugnarent: & sic de aliis. Si autem fortè impar numerus erat, illius, qui sine socio remanebat, (quem ἀσύζυγον, quasi insultorem & insensorem dixere) lite ia commiscebatur cum aliis compatibus: ut qui sibi sorte euenisset, expectaret, ut ille puius cum compare suo pugnaret: postea ipse consurgens, cum eo certaret. Magnaq; athletæ hæc felicitas iudicabatur, & uictoriæ certa pollicitatio, ut integer uiribus congrederetur cum iam lasso ac fesso.

Agon, Congressio Athletarum.

Pausanias scribit, Diotrẽũ athletã aconiti, id est sine puluere & labore Pythia uicisse: Heracidem uerò apud Olympia Pancratio: quòd neminem parem cum quo congrederentur inuenissent, cedentibus ob metum aduersariis. Plinius etiam dicit Dioxippum uicisse Olympia aconiti: Nemea uerò coniti. Hic ætate fuit Alexandri Magni, mortemq; sibi consciuit. Antiquus enim mos athletis erat, spargi priùs puluere corpora. Ouidius de Achelou pugna: Inq; uice fuluę tactu flauescit arenę. Martialis: Et flauescit aphe.

Agonothetarum locus, officium.

Spectatorum Locus, Applausus, Silentium:

Post

Post Ludos.

Iudicium de Athletis.

Corona, ἆθλον.

Victores sacrorum ludorum Hieronicæ & Paradoxi appellabantur, quasi opinione & sorte hominum maiores.

Conuiuia.

Pompa, Comitatus, Deductio, Triumphus, Statuæ.

Vide Tit. Statuarum, Comitatus & Occursus honorifici, sub Fortuitis.

ETHNICORVM RELIGIO CONSIDERATA RESPECTV FORMAE SECVNDARIAE. Quoad

SEIPSVM. CVIVSMODI EST

CONSVLTATIO. ORACVLORVM inquisitio.

Ex Titulis Oraculorum, sub loco Diuinationis.

Bello Medico uate Echecrate promisit uictoriam & palmam belli Græcis Apollo qui Tegyris colitur. Peloponnesiaco, ex actis insula sua Deliis, sortes Delphis autumant allatas, quæ præcipiebant, ut locum ubi fuit natus Apollo eruerẽt, ac certa sacra ibi facitarent. Mirantibus ac hæsitantibus, an non apud ipsos, sed alio loco esset deus natus? addidisse Pythiam, Cornicem ipsis locum indicaturam. Igitur concessisse eos illinc Chæroneam, atq; cauponam audisse, quæ cũ certis hospitibus Tegyram pergentibus de ista dictione loqueretur. Quam cùm hospites in digressu salutarẽt, appellarentq;, ut ei erat nomẽ, Cornicem: percepisse uaticinium, factaq; apud Tegyras re diuina, breui pòst patriæ redditos fuisse. Plut. de Defectu oraculorum.

Heliopolitanum Iouem TRAIANVS, hortantib. amicis, bello Parthico consuluit. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 23.

ADRIANVM Imp. ferũt in Daphne suburbio Antiochiæ, cũ folium Daphnes fonti immersisset, hausisse futurorum scientiam, in folio literis expressam. Vbi uerò Imperium nactus esset, fontem hunc obturasse, ne aliis ex eo, quæ futura essent, præscire liceret. Sozomenus lib. 5. cap. 19.

CONFESSIO.

LACONEM initians quidam percunctabatur, cuiusnam sacri maximè nefarij esset sibi conscius? Ille, Hoc sciunt, inquit, dij. Qui cùm insisteret uehementiùs ac diceret, Est omnino hoc tibi declarandum: rogauit eum uicissim Lacon: Cui est hoc, tibi an deo dicendum? Illo respondente, Deo: Ergo tu, inquit, hinc facesse. Plut. in Lacon. apoph.

ALIOS. VERBI CAVSA, Religiosa aliorum

CORRECTIO.

GENTILES, Christianos non admittebant ad sacra, nisi suæ priori professioni & fidei Christianæ renunciassent: & dæmones ἀποτροπαῖοι, id est malorum depulsores placassent: & purgationibus & uictimis cruentis, baptismũ ab Ecclesia acceptũ abluissent. quod Iulianus fecit ipse, & ut alij facerẽt mandauit. Theodoretus lib. 3. cap. 3. Sozom. lib. 5. cap. 2. & 5.

LIBRI QVINTI

TITVLI.

De MAHVMETANAE *religionis societate apud Arabes, primùm à Mahometo instituta, subinde per Saracenos Turcis, inde Persis communicata, agendum in*

- Genere, *quæ illius*
  - Institutio. Deductio.
  - Propagatio.
  - Professio, *Sectæ.*
- Specie, *ratione habita*
  - Personarum:
    - Pontifices.
    - Sacerdotes.
    - Monachi.
  - Rerũ, *quo ad Cultus ipsius*
    - Materiam. *Sic colunt*
      - Deum. Prophetas.
      - Imagines *& Simulacra.*
      - Monumenta *sacra.* Dies *festos.*
    - Formã. *Per*
      - Circumcisionem. Ludos.
      - Corporis
        - Ieiunia.
        - Cultum, *Lotionem.*

Voluminis Vigesimiseptimi Liber V.

De MAHVMETANAE Religionis societate.

MAHVMETANAE RELIGIONIS SOCIETAS VNIVERSIM CONSIDERATA.

INSTITVTIO.

Consule Tit. Pseudoprophetarum, item Superstitionum locum.

Duarum quarundam Indiæ gentium, quæ uocantur Zenchia & Albarachum, antiqua consuetudo fuit, nudos & decalua tos, magnisq; ululatibus personantes, simulacra dæmonũ circumire, angulos quoq; osculari, & proiicere lapides in aceruũ, qui quasi pro honore diis extruebatur. Hinc in lib. Salomonis dicitur: Qui proiicit lapidem in aceruum Mercurij. Faciebant autem hoc bis in anno, initio ueris & autũni. Hunc morẽ cùm ab Indis Arabes accepissent, in honorẽ Venetis MAHOMETVS retinuit, cũ cæteras idololatriæ præstigias remouisset, ut lapilli retrò, id est, sub genitalib. membris proiicerentur, eò q; Venus illis maxime partibus dominetur. Idq; adhuc hodie fit Mechæ in domo dei, quam uocant Illicitã, id est, ubi nihil licet nisi quod sacrum est. Vincẽtius lib. 23. cap. 60. ex disput. Christiani cum Turco.

PRO-

PROPAGATIO.

Ex Tit. Superstitionis propagatio armis facta.

PROFESSIO, SECTAE.

ISMAEL Sophus Harduellis reguli Persici F. paternam hæresim, religionis specie & uitæ simulata probitate, maximè promouit. Erat autem Harduelles ingenio & moribus prope diuinus, quum honores, diuitias, uoluptates, & cultioris uitæ commoda, ueras ærumnas fortunæq; ludibria existimaret, eaq; palam negere, mira animi fortitudine, quę pro publica continentia & doloris impatiẽs, mirari magis, quàm imitari posse confideret. Vulgata noua religione, immutatisq; prisca legis mysteriis apud Taurisium, illud ueluti diuino spiritu afflatus persuaserat, neminem ex his post mortem cœlestia regna petiturum, qui Mahometem colerent, nisi eos legis ritus sequerentur, quos Haly Mahometis interpres & socius, scribendo ac docendo posteris tradidisset. Ea erant magna ex parte diuersa atque aliena penitus ab persuasionibus atq; mysteriis, quibus Asia omnis & Asiica ea tempestate tenebantur. Nam Homarem alterum ex Mahometis discipulis, tanquam grauius & certius leges interpretantem, Halys doctrinæ præferebant. Paternam igitur hancce hæresim Mahometanæ inferens Hismael filius, uitæq; simulata probitate eam illustrans, tantam apud omnes gratiã adeptus est, ut Sophi cognomen meruerit, quod deorum interpretem sapientemq; significat. Cælius S. C. in Sabell. supplib. 2. ex Iouio. Cuspin.

HIRCANI hodie & Zagataiæ Bacchus à uitis capitum intergumẽto uocantur: sicuti PERSÆ propter noua superstitionis causam, Guselbasæ, hoc est, rubra capita, appellari consueuẽre. Sabell. Supplem. lib. 18. ex Iouio.

MAHVMETANA RELIGIO IN SPECIE CONSIDERATA, RESPECTV

PERSONARVM. Huc

PONTIFICES MAHVMETANI.

Calipharum seu Pontificum ISMAELITICÆ religionis tãta fuit maiestas, ut non modò legum ac religionum, uerùm etiam imperij & armorum, omniumq; possessionum, libertatis denique & seruituris, postremò uitę ac necis ius in omnes haberent. Sed ab eorum imperio Turcæ, Scythari progenies, ac Mamaluchi genere Circassij, primi desciuerunt, eosque de ueteri possessione deturbarunt. Ioan. Bodinus Methodi hist. cap. 5.

SACERDOTES TVRCORVM.

TVRCORVM sacerdotes in tres classes distincti sunt. Dariuisæ religiosiores cæteris, similes Obseruantibus Christianorum, solitudines incolunt, mendicantes uiuunt. Quos propter frequentia latrocinia Baiazethes Mahumeti F. ad internecionem deleuit. Hozæ fratribus conuentualibus Christianorum similes. Talasimani tertio loco, sacerdotibus secularibus nostratibus aliquo modo respondent. Penes hos tres ordines omnis sacrorũ administratio est. Marinus Barletius in uita Scanderbechi. Turcorum ecclesiæ à domibus non differunt communibus, ut nec sacerdotes à communi populo. Sacerdotes nec meditationibus, nec studis literarum uacant, sed uxoris solatio & filiorum communisq; familiæ fumenta enim curant, metiuntur, usuram capiunt in possessionibus, uenationi incumbunt, aucupio & canibus operam nauant: nihil est eis illicitum prohibitumue. Qualis enim lex ac cultus, tales & sacerdotes & ministri. Quamuis enim multam coram hominibus religionem simulant, clàm tamen omnibus se flagitiis immergunt. Literas pecunia corrupti scribunt libertatis, ut seruí capti fugiant. Magistras item uanitates literis signant, ne quis in prælio uulnerẽtur, aut ense aut sagitta: quas literas gentili lingua uocant Haymayly. Multis omnino nequitiis coinquinati. Cusp.

MONACHI MAHVMETANI.

TVRCI habent religiosos multos habitu exteriori differentes, & arte diabolica mirandà facientes: quibus rebus miserã plebem decipiunt. Quidam incedunt nudi, operientes uerenda tantùm: tantam præ se ferentes pauentiã, ut quasi impassibiles, neq; hyemis sæuitiã frigore, neq. æstatis ardorem calore sentiant: stigmata, cicatrices, incisiones cutis, ulcerationes æquè ferentes, si quis faciat, insensibiles penè. Quidã eò deueniunt abstinentiæ, & tantam induunt perfectionẽ, ut rarissimè cibum ac potum, nonnunquã penitus sine cibo & potu degant. Alij magnã paupertatem professi, nil de terrenis rebus cogitant, nec in crastinum aliquid reseruant. Alij rursus perpetuũ silentium tenent ut muti, Czamutlar dicti, nullam cum hominibus conuersationem habentes, ac ne pronocati quidem summis iniuriis ac tormentis ad loquendum cogi possunt. Dicunt alij se uisiones ac reuelationes, alij raptus ac extases supernaturales habere. Quicunq; autem in hoc statu degunt, Dermschler nominãtur, signaq; diuersa professionis gestant. Aliqui in capite pẽnas, quibus significant se meditationibus ac reuelationib. deditos. Aliqui in aures, quibus notant obedientiam in spiritu, propter raptus frequentiã. Nonnulli cathenas in collo aut brachiis, quibus uiolentiam, quã in extasi patiuntur, notificant. Nonnulli centones uariegatos, quo paupertatem repræsentant. Varios quoq; habent uiuendi ritus. Aliqui inter homines conuersantur, alij seorsum congregati in modũ uillæ, pleriq; in nemoribus ac locis desertis. Quidam in ciuitatibus aquã baiulãt in utribus, ad bibendum optimã, nihil inde mercedis exposcentes, sed hospitalitatis officiũ exhibentes. Habitant aliqui circa sepulcra mortuorum, & ex oblationibus populi uiuunt. Hi omnes non seruant leges Mahometis particulares, quia uxores, aliqui nõ habẽt, nec lotiones nec orationes secundùm ceremonias prædictas faciunt. Feminæ autem quædã his sese religiosis clàm commiscentes, dicuntur natos sine uirili semine parere, qui Nefesogli uulgò uocantur: quãquam diabolico id fieri suggestu feratur. Quorum semper duo in magna illa ciuitate, & ante Constantinopolim captam sede regia, quæ Bursia corruptè, Prusia ab antiquis dicta, capillis uel uestimentis suis omnes infirmitates dicuntur depellere: quia eorum & actio & uita mirabilis & supernaturalis cẽsetur. Ob id Christianis illudentes, minimè mirum esse dicunt, si Iesus Christus ex Maria uirgine natus dicatur. Omnes uerò religiosi illi, qui Dermschler uulgò nominantur, in magna habentur uenerationẽ, quasi sanctorum successores, regnique totius conseruatores, & amici Dei ac Mahometis. Horum opinio est, legem nihil prodesse, sed gratiam Dei qua hominẽ saluari oportet, quæ sine merito & lege sufficiens est ad assequendam salutem, quam ipsi Rach Matallach nominant. Sed nulla ratione, nulla auctoritate opinionem suã, prodigiis tantùm & signis asseruant: multos in sui fauorem trahentes, potissimùm qui spirituales & deuoti sunt. Sũt qui Czofiiat appellantur, quasi meditatiui uel spiritualibus exercitiis dediti. Hi quasi successores Prophetarũ, & patrum qui hanc sectam fundarunt, magnæ auctoritatis habentur, traditiones patrum allegantes, & per merum homines saluari afferentes, sine gratia & lege (quod Perel. etallach uocãt) intenti orationibus particularibus, exercitiis spiritualibus, uigiliis & meditationibus. Nunquã enim orationem intermittunt continuam, quam ipsi Izillaraitmach uocitant. Noctu conuenientes in circulo considẽt, ac commotione capitum per aliquod tempus repetendo dicunt Layllachillahach. Subiungunt deinde crebrò item repetendo Labu. Tãdem repetunt iterum Huhu, & quasi exanimes cadunt & obdormiunt. Hos maximè illi uenerantur, qui generis antiquitatem & stemma nobilitatis referunt, Ellher Embrieler dicti, quorum genus eorum alterius nationis commixtionem non accipit, nec à patrum sanctione huius sectæ unquam recessit. Cuspinianus.

Apud TVRCOS sunt religiosi, qui Horiſe, quod hæresim sonat, patria lingua dicũtur: asserẽtes quẽq; in sua lege saluari à Deo data, cùm tales æquè bonæ sint seruatibus, nec ulla sit alteri præferenda. Hi quasi schismatici & Turcis suspecti, nonnunquã deprehensi affligũtur: quandoquidẽ occultè docent, & Christianorũ ecclesias subeunt, aquaq; benedicta se conspergunt, signo se crucis muniunt, legẽq; Christi tam bonam quàm Mahometis asserunt. Cusp.

RERVM. QVO AD CVLTVS

MATERIAM. *Sic* COLVNT

Diuos.

TVRCORVM religiosi mortui in numerũ Sanctorũ referuntur, & signis quibusdã mẽdacib. plebẽ seducunt. In tota uerò Turcia primę uenerationis habetur, cui nomẽ Sedichasi, qd interpretatur sanctus uictor, uel uictoriosus inter sanctos. Cuius sepulcrũ est inter limites Caramãnorũ & Orthomãnorũ. Quẽ tanta religione colũt, ut neminẽ deliberatio suo fiau datũ, qui opẽ illius implorarit, cõstãtissimè credant: præcipuè si bellorũ ac uictoriæ uota fiãt. Ob quã rẽ maxima donaria à Principib. quotãnis uritim ad huius sepulcrũ deferũtur. Est alius apud hos sanctus Hattscipetteſch cognominatus, hoc est, pegrinationis adiutor, quẽ implorãt pegrini. Qui uerò Aſcik passã dicit, patronus amoris exstat, & in matrimonio iuuatur, plis causa, uel in partus periculo, uel maiorũ litigãtibus. Vair passã, discordãtibus concordię patrocinũ conferre dicitur, nunc se inuenẽ, nunc senẽ hominibus ostendẽs. Schleychpassã cõturbatis & tribulatis solatiũ præbere dicitur. Chridirelles uiatoribus necessitate pauentib. auxilio esse solet: quẽ in forma uiatoris equo insidẽtẽ apparere

inuocantibus aiunt. Coluntur etiam quidam, qui pecorum & cæterorum animalium curam habent, & qui pro pluuia aut serenitate assequenda inuocantur, quorum alter Goiuelmirschin, alter Bartscumbassa nuncupatur: his butyro litant & calido pane, quem passama uocant. Cuspin.

SELIMVS Turcorum Imp. Hierosolymam ueniens, ueterum Prophetarum monumenta suppliciter ueneratus, Mahumeto inprimis sacrificauit: & Christianis sacerdotib. loci præsidibus, tanquam piis probisq; hominibus, pecuniam & alimenta sex mensium largitus est. Iouius.

Imagines, Simulacra.

Monumenta sacra.

Lapidem quendam Chabar, hoc est caput Veneris dictum, ad orare & osculari solebant SARACENI, eo quòd Abrahã super illo cum Agar coiisset, aut camelum alligasset, sacrificaturus Isaacum. Damascenus, in libro de Cœtum hæresib.

Dies sacros.

Est apud TVRCOS dies Veneris celebris, quemadmodum apud nos dies Solis, quo attentius orant, non tamen uacãt ab ullo labore. Singulis autem ciuitatibus principale est quoddam templum, patria lingua Enemesgit appellatum, quo die Veneris omnes conueniunt: rex quoque inprimis, & alij principes. Oratione meridiana perfecta, fit prædicatio & eleemosynarum regalium distributio. Antoninus Tit. 13. capite 5. & Cuspinianus. Mahometus inquit in Alcorano: Quando die Veneris oratum uocatur, omnis bonus forum atq; negotium dimittat, & Deum inuocatum eat. Hoc enim est optimum, si sapitis. Oratione quidem terminata, disgregemini, uestra captatum commoda: Deumq; in singulis rebus inuocate atq; precamini, ut sic uestra negotia procedant. Azoara 72.

FORMAM. SIC COLVNTVR PER

Circumcisionem.

Heraclius Imp. oraculo monitus est, ut à circumcisis caueret. Omnes ergo Iudæos religioni Christianæ nomina dare coegit. Impetrauit illud idem à Dagobertto Francorum, & Sisebuto Vestgothorum regibus. Interim SARACENI, quorum opera contra Persas usus erat, dum illi stipẽdio se fraudari conquererentur, & quæstores eos tanquam canes maledictis incesserent, Damascum occuparunt, Aegyptum uastarunt, Arabiam subegerunt. Blondus Decadis 1. lib. 9. Regino lib. 1. Otho Frisingensis lib. 5. cap. 9. Cuspin.

Ludos.

Religiosi TVRCORVM festiuitates quasdam agunt, uel propter uota populi eis commissa, uel ad assequendam pluuiam, serenitatem, uictoriam, uel propter prædecessorum memoriam. Quæ quidem festiuitas Machia, ludus autem quẽ faciunt Czamach patria lingua dicitur. Congregãtur enim finitimi unius regionis, occidentes (si habent) animalia. Sin minus, ex leguminibus & oryza cœnam instituunt. Refectione peracta, qui primus inter eos est tympano accepto, modulatur, cæteri surgentes, ordine ludunt quadam regulata totius corporis agitatione, motibus honestis omnium membrorum & ualde decentibus, secundùm modulationẽ mensuræ instrumenti musici. Tum in modum uertiginis quodam motu uelocissimo circulatiter rotatione ac corporis reuolutione (in qua uis ludi consistit) ita celeriter reuoluuntur, ut homòne sit, an statua, haud facilè discernas: ostendentes se in hoc quasi supernaturalẽ habere corporum agilitatem. Licèt autem quispiam eos possit in cæteris ludi gestibus imitari, hanc tamen reuolutionis rationem, quantumuis agilis, nemo facilè sequetur. Finito ludo surgunt omnes, & ordine confuso imprecationis uoces pro salute eorum, à quibus eleemosynas acceperunt, emittunt.

[illegible]s.

Corporis cultum.

Præparant se TVRCI ad orationem lotione, quæ apud eos triplex est. Prima gentili lingua Zeoagirmeg uocitatur, quę perfusio est totius corporis cum aqua tam diligens accuriosa, ut nullus penitùs in uniuerso corpore locus illotus maneat, alioqui inualida esset lotio. Solent ob id radere pilos in omni parte corporis, barba in uiris excepta, & crinibus in capite mulieris. Quos tamen multo studio lauant, & pectinibus crebrò discriminant, ut aqua penetrare possit. Incidunt præterea ungues manuum ac pedum, & utuntur ob hanc rem circumcisione, ut hæc lotio non sit inualida, ne sub præputio sordes remaneant. Et hanc putant pernecessariam post quamcunque pollutionis maculam, uel etiam naturalem. Nec enim cuiquã loquitur, si possibile est, etiam uix ab ullo cernitur, nisi priùs in aqua mersus aut perfusus aqua mundetur. Sunt itaq; in ciuitatibus insignioribus balnea, quibus continuè utuntur. Vbi non sunt, secretum locum aliquem ad lotionem præparatum habent in domibus, ut possint aqua perfundi, priusquam domum exeant. Pollutum enimuerò si agnoscant, Tschump per contumeliam uocant, per quod immunditiam tanquam execrabilem reprehendunt. Altera lotio uulgò Tachriat dicitur, quę necessaria est, cùm opus naturæ exercetur, uel uentositates erumpunt: tum enim aliquo secreto loco uerenda abluũt. Maxima etenim solicitudine curant, tam domi quàm foris uel castris, tum naturæ opera perficiunt, ne corpus denudent. Vtuntur itaq; fœmoralibus amplis, quib. solutis (nam anteriori parte aperiuntur) reijciunt cuiuati in terrã uestes sine corporis nudatione, ut uix quid agatur deprehendinaleat. Erectum uel stantem naturæ opera exercere, pro piaculo habetur maximo. In primis tamen cauent, ne faciem in meridiem uertant hoc agentes, quò se orantes uertere consueuerunt. Tertia lotio Abdas dicitur, alij Aptam uocant, quinque sensuum organis pernecessaria: qua manus & brachia ad cubitos usque abluunt: dehinc os, nares & totam faciem ad aures usque. Tum manu cum aqua superducto capite, descendit ad pedes, ablutisq; cruribus ad tibias hæc lotio proficiscitur. In omni loco licitum est hanc facere, nec necessum ut præcedat unamquamque orationem, nisi immundicia aliqua hanc exigeret. Satis est enim una lotio ante orationes omnes, si caueatur immunditia omnis. Licèt aliqui ob maiorem deuotionem frequentius eam repetant. Cuspinianus.

VOLVMINIS VIGESIMISEPTIMI
FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vigesimum-octauum

DE

VITA Hominis POLITICA

QVATVOR LIBRIS differens.

Generosæ Stirpis
Viuiradici
D. GEORGIO à SEYN
LVDOVICI Herois
lectiss. F.
COMITI Vuitgenstenio, Homburgi DOMINO

Voluminis Vigesimioctaui
QVATVOR Libros

QVORVM

I. *POLITIAM veluti Totum considerat*
II. *Politiam secundùm CAVSAS examinat*
III. *Politiarum EFFECTA & ADIVNCTA perpendit*
IV. *Politiarum SINGVLARIVM Locos designat*

VTI
QVARTANAE sub editione horum
ΣΥΝ ΘΕΩ
iucundè tutò citoq. depulsæ
mon. extaret

THEOD. ZVINGERVS
Medicus
Galli Aesculapio debiti
ΑΝΤΙΒΑΛΛΟΜΕΝΟΝ
D

TOMI XXIIX LIBB.
DISPOSITIO.

- POLITICA *Vita longè lateq. fusa ut certis quibusdam terminis circumscribatur & delineetur, cõsiderabitur*
  - Vniuersim ut
    - Totum *quid. De* POLITIA *uniuersim ut* TOTVM *considerata.* LIBER I.
    - Partes *habet, quarũ alia rationem subeant*
      - Causarum. *De Politiis secundùm* CAVSAS *consideratis.* LIB. II.
      - Effectuum. *De Politia considerata secundùm* EFFECTVS. LIBER III.
  - Singillatim. *De* POLITIIS *Regionum & Ciuitatum singularibus.* LIBER IV.

LIBRI PRIMI
TITVLORVM
DISPOSITIO.

- POLITIA *uniuersim cõsiderata tanquã* TOTVM, *Hominis ætatem æmulatur, tũ quatenus*
  - Oritur. *Sic illius perpendenda Institutio:*
    - Quomodo. *Puta:*
      - A quo.
      - Legibus.
      - Armis.
    - Cur.
  - Est. *Politiæ*
    - Incrementum.
    - Conseruatio:
      - Quomodo. *v.c.*
        - A quo.
        - Legibus *nouis.*
        - Nuptiis.
        - Ciuibus.
        - Aedificiis.
  - Interit:
    - Qua *de causa.* Ob
      - Stuprum.
      - Auaritiam.
      - Iniustitiam.
    - Quo *progressu.*
    - In *quid. Sic corrumpitur:*
      - Tyrannis in
        - Regnum.
        - Aristocratiam.
        - Democratiam.
      - Aristocratia *in*
        - Tyrannidem.
        - Democratiam.
      - Democratia *in*
        - Tyrannidem.
        - Oligarchiam.

Voluminis Vigesimioctaui
Liber I.
De POLITIA uniuersim, quatenus TOTVM quoddam est, considerata.

POLITIA Oeconomicæ societatis filia, Religiosæ hospita, sui gremio ut caritates omnium, ita quoq; studia, facultates omnium complectitur. Subiiciuntur proinde illi & Religiosa & Academica & Oeconomica uita, non per se neq; primariò (sic enim ad sua singulæ Volumina pertinent) sed secundariò, quatenus scilicet & Religiosi & Academici & Oeconomici in Politicæ uitæ cõsortium uenere. Ita uicissim Religiosa societas quædã à Politico, quædã ab Oeconomo sumit: Oeconomica itidẽ à Religioso, à Politico: Academica deniq; uita à Politia, ab Oeconomia, ab Religione quædam mutuatur. Fines certè sunt distincti: etsi usus cõmunis est & promiscuus. Ratione proinde ea sunt distinguenda, quæ in exemplis confusè proponi uidentur.

POLITIAE IN VNIVERSVM ORTVS, INSTITVTIO, CONSTITVTIO.

Thucydides, Xenophon, Aristoteles, Diodorus lib. 15 & Plutarchus uno consensu tradũt, ATHENIENSES cum LACEDÆMONIIS annos amplius XXX. grauissima bella gessisse, ut alteri populares, alteri optimatũ status in tota Græcia stabilirent. Tandem uictis Atheniensibus, Lacedæmonij statum popularem euertérũt, optimates triginta, qui tyranni sunt appellati, summo imperio præfecerunt. Io. Bodinus Methodi hist cap. 6.

THEMISTOCLES bello Persico confecto, Piræum commoditate animaduersa portus extruxit, totamq; urbem ad mare accommodauit, contrariam quodammodo sectam in ciuitate ac ueteres Atheniensium reges instituẽs. Illi enim, ut ferunt, intendentes reuocare à mari ciues, atque ad relinquendas naues colendumque assuefacere agrum, dissipauerant illam de Pallade fabulam: ambigente, de illa regione Neptuno, cùm ostendisset iudicibus oliuam, causam eam obtinuisse. At Themistocles non, ut comicus ait Aristophanes, urbi commisit Piræum, imò urbem annexuit Piræo, & terram mari, quæ res uires populi aluit cõtra optimates, eumq; audacia inflauit, omni ad nautas, hortatores & gubernatores redundante auctoritate. Vnde suggestum, qui erectus in Pnyce erat, ut spectaret mare, conuertérũt post terram uersus triginta tyranni, imperium maritimum rati gignere populi potentiam, & paucorum principatu minus offendi agricolas. Plutarchus in Themistocle.

Cimon Miltiadis semper populum refrenauit. Verùm postquam iterum ad bellum gerendum nauigauit, tum semel effrenis plebs, duce PERICLE, confuso præsenti reipub. ordine, inuereratoq; iure, quo fuerat ad eam diem usus, eripuit duce Ephialte Areopago iudicia, paucis demtis, omnia, omnibusq; tribunalibus ad nutum suum reuocatis, rempub. potẽtia Pericles, qui partes sectabatur plebis, in merum demersit populi ditionem. Quapropter in Cimonem, qui à reditu ob auctoritatem illius consilij suggillatam stomachabatur, & reducere iterum eò enitebatur causas, illamq; sub Clisthene restituere optimatum potentiam, conspiratione facta, insurrexerunt. Plutarchus in Cimone.

Liberatis à tyrannide Dionysij Syracusis, accesserat Corinthios DION, quam in mente habebat, facilius illis præfectibus constituturum se reipub. formam sperans. Meditabatur autem, effusam populi potestatem (quòd ea non reip. sed rerumpublicarum esset, ut ait Plato, nundinæ) coercere, & Laconicam quandam Creticamque mistam formam et populari arbitrio & regno, in qua optimatum ius esset, hisque præsiderent, & maxima quæq; dispensarent, temperare & concinnare: cùm Corinthios quoq; reipub. cerneret peroptimates procurare, nec multa negotia tractare apud populum. At in medijs conatibus à Callippo Atheniense perdolum interfectus est. Plutarchus in Dione.

An. 337. mortuo Constantino Magno, CONSTANTINVS Iunior Galliæ, Hispaniæ & Britanniæ: CONSTANS Illyrici, Africæ & Italiæ: CONSTANTIVS Thraciæ, Asiæ, Aegypti, & Orientis Impp. ex pactis testamento. Constantinus, dum Constanti Pannoniam eripere conatur, acie cæsus est, tertio imperij anno.

CONSTANTIVS Chlorus à Maximiano, & GALERIVS à Diocletiano adoptati, imperium commune diuiserunt. Constantio Occidẽs, hoc est, Italia, Africa, Gallia, Hispania, & Britãnia obtigit: Galerio Asia, Oriẽs (hoc est Syria, Armenia, Arabia & Mesopotamia) Aegyptus & Illyricum (uidelicet Thracia, Mœsia, Dacia, Pannonia, Macedonia, Græcia & Dalmatia) Constantius tamen Galerio Italiam & Africam ultrò dimisit. Galerius duos filios Cæsares cooptauit: Seuerum Italiæ & Africæ, Maximinum Orienti, Asiæ & Aegypto præfecit: ipse sibi Illyricum reseruauit. Sigonius.

POLITIARVM CONSERVATIO.

QVOMODO FIAT. PVTA

LEGIBVS, TABVLIS NOVIS.

SOLON Atheniensis legislator Σεισάχθειαν legẽ scripsit, quasi tu dicas oneris abiectionem. Ea sanxit, ut debita remitterentur, & ne quis fœneraret deinceps in corpus. Androtion non condonatione æris alieni, sed usurarum alleuatos moderatione acquieuisse pauperes, atq; hoc beneficium Nouas tabulas nominasse, gratumq; fuisse scribit, quæ simul huic adiuncta fuerunt, mensurarum augmentum, & monetæ precium. Quippe minam, quæ fuerat antè septuaginta drachmarum, centũ fecit drachmarum. Itaq; cùm numero parem summam, ualore minorem præstarent: multũ accessit cõmodi magnum æs dissoluentibus, nihil creditoribus tamen detrimenti. Maxima pars, nouis tabulis aiunt semel fuisse pacta conuenta uniuersa circumducta: quibus cõsonare uidentur carmina Solonis: gloriatur enim in his, agri se antè pignori nexi fixos passim terminos remouisse: quæ pridem seruiebant, nunc libera esse: & ciuium ob æs alienum in nexum abductorum, partim in patriam reduxisse, linguæ Atticæ iam, ut qui per uaria loca errauerint, oblitorum: partim dura ibidem oppressos seruitute in libertatẽ asseruisse. Plutarchus in Solone.

NVPTIIS.

Furius CAMILLVS, quum censuram ageret, ut exhausta ciuitate propter assiduas bellorum clades ciues suppeterent, legem de maritandis ordinibus tulit: qua inter cætera pœnis coercuit illos, qui uiduarum nuptias, quarum uiri bello ceciderãt, deuitarent. Eos uerò, qui ad senectutem cœlibes peruenerãt, æra pœnæ nomine ad ærariũ ferre iussit. Quam legem Q. etiam Metellus Numidicus iterum in cẽsura promulgauit. Alex. lib. 3. c. 13.

C. IVLIVS Cæsar XXC ciuium millibus in transmarinas cõlonias distributis, ut exhaustæ quoq; urbis frequentia suppeteret, sanxit: Ne quis ciuis maior annis uiginti, minorue decem, qui sacramento teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: neu quis Senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregrè proficisceretur: neue hi, qui pecuariam facerẽt, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnesq; medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quò libentiùs & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit. Suetonius in Iulio.

ALFONSVS Albuquercius Indiæ prætor, Goa expugnata, eã Lusitani imperij in India metropolim esse uoluit, eaq; ciuitatis fundamẽta iecit, quibus nixa, non facilè de statu conuelli posset, sic ut iusti in ea exercitus conscribi & classes magnæ ædificari possent. Cùm uerò Lusitanas mulieres non haberet, quod unum remedium inueniebat, eas, quas bello ceperat, Christianis sacris expiatas, Lusitanis militibus matrimonio collocauit, eisq; possessiones in ea insula, Saracenis ob perfidiam iure detractas, assignauit, eosq; multis fauoribus atque præmiis ad eas nuptias allexit. Sic factum est, ut instar Romuli, qui urbem Romam condidit, aut Thesei, qui ciues Atticos è pagis in urbem compulit, aut aliorũ, qui urbium fundatores extitérẽ, illius urbis, quam armis atque uirtute ceperat, cõditor appellari posset. Osorius lib. 7. rerum Emmanuelis.

CIVIBVS.

Ex Vindonissæ urbis excidio fratres duo Romani euaserant. Quorum alter ad Argentinensem episcopatũ euectus, FRATREM pecunia ad ædificandam arcem prope Vindonissã impulit, quam Habspurgum uocant, tot regum & Imperatorum progenie inclytam: Episcopus arcem absolutam audiens, ad fratrem profectus, cùm ædificiũ rude & infimum esse uideret, primùm admirari hominis uecordiam, mox etiam pecuniæ collatæ rationes exigere cepit. Tum frater: At ecce propugnacula & rationes meas uidebis. Noctu interea nobiles & rusticos uicinos, quorum uel agros uel opera ea pecunia redemerat, armatos adesse iubet, & manè tanquam oppugnaturos ad arcem ascendere. Episcopus rei ignarus, multitudine ea territus, quasi hostium esset, à fratre admonitus est, Ferreos hosce muros suos esse, pecunia sua redemtos, lapideis longè præstãtiores. Hac ratione episcopo satisfecit. Stumpfius.

AEDIFICIIS.

Nemo est TVRCARVM omnium, aut Christianæ professionis ueterum incolarum, qui uel oppida, uel arces, uel denique pagos more Persarum possideat, aut paulò munitiores domos ędificet. Vetere enim edicto cauetur, ne quis uillam pinnato muro circumdet, nec ædificium supra primam cõtignationem, columbaria turricula altiùs, condat. Propterea Thraces, Græci, Macedones, Mysi, Epirotæ, Illyrij, cæteriq; populi barbarico subiecti iugo, neq; firmis opibus ualent, neque si Christiana arma alicunde perstrepãt, ad oblatam excutiendæ seruitutis occasionem sese cõmouere possunt. Singulæ namq; præfecturæ suos equitatus eo ordine in æstiuis atque hybernis pagatim dispositos continent, ut ubique contra uim subitumque tumultum parati, instructique armis, præstò adsint aduersus exarmatos & inopes, qui oppressi celeriter retertimi supplicii pœnam subeant. Sabellici supplementum lib. 4. ex Iouio.

POLITIAE INTERITVS. NEMPE

QVA DE CAVSA. OB

STVPRVM.

Vide Tit. Libidinis fructus.

AVARITIAM.

Ex loco Auaritiæ hunc quædam.

QVO PROGRESSV.

Iustinianus Imperator erepta Vandalis Africa, Gothis Italia, Parthorũ quoq; repressis incursionibus, imperij ROM. dignitatẽ summa cum militaris ac domesticæ disciplinæ gloria restituit. Hispaniam Gothis, Galliam Francis, Britãniam ac Germaniam superiorem incolis relinquens, imperij Græci limites Alpibus, Danubio, Euphrate & Africæ patentibus circumscripsit. In eo statu floruit imperium annis ferè centum ac uiginti, hoc est, usq; ad Constantem Heraclij nepotem, cuius temporibus Arabes Aegyptum, Syriam ac Ciliciam, pòst etiam Africam Romanis ademerũt, & in Italiã usq; exercitus & colonias transmiserũt. Ex altera parte Sclaui Pannonias & Illyricum inuaserunt, Antea Longobardi sedes in Insubria posuerant, & bonam Italiæ partem occuparant. Secuta sunt bella ciuilia pro imperio Græcorum, cùm alius à militibus, alius à Senatũ imperator eligitur. nã Leontius Iustinianum minorem in exiliũ egit: Abimarus Leontium naribus truncatum in carcerem compulit. Iustinianus Barbarorũm ope restitutus, aduersarios de imperio deturbauit: hunc Philippicus excepit, qui ab Artemio crudelissimè est excæcatus: nec tamen diuturnum fuit huius imperiũ. Paulo pòst à Leone Tiberius Imperator electus truncatur, maior etiã Constantini IV. crudelitas, qui expugnata Constantinopoli Artabasdum unã cum filijs excæcauit: sed maxima clade à Bulgaris accepta, miserè interiit, ex quo imperium ab Irene susceptum est, quæ filio excæcato Caroli Magni nuptias appetens, in Monasterium à Nicephoro truditur: ipse Imperator factus à Bulgaris postea cæsus est. Successit Michael uterq;, quorum postremus à Basilio crudeliter occiditur: quibus temporibus Imperium Græcorum angustis regionibus definiebatur, cùm Illyricum & Italiam penitùs amisissent, & bonam Asiæ partem Turcæ & Arabes occuparent. Ipsi uerò Græcorũ principes, mutuis odijs ac bellis ciuilibus tãdiu iactati sunt, quousq; Gallorum armis imperiũ occuparetur. His tamen sexto & quinquagesimo pòst anno pulsis, Græci rursus imperarunt, sed Palæologi & Cantacuzeni dissidentes, Turcas Asiæ dominos in auxilium euocarunt, à quibus sunt paulo pòst de imperio deiecti. Ioannes Bodinus Methodi historicæ cap. 6.

IN QVID. SIC CORRVMPITVR

TYRANNIS IN REGNVM.

PERSIDE liberata à fœda Magorum tyrãnide, cùm inter septem tyrannicidas de rerum summa consultaretur, & Otanes quidem democratiam, Megabyzus aristocratiam, Darius uerò Hystaspis F. regium statum amplectendum censuisset: Dario reliqui quatuor assenserunt. Qui paulo pòst astu equisonis Oebaris, rex Persarum fuit electus. Herod. lib. 3.

TYRANNIS IN ARISTOCRATIAM.

Cùm Hyperion Agamemnonis filius, qui postremus Megaris regnauit, propter superbiam & crudelitatem à Sandione occisus fuisset, non esse amplius uni parendum, MEGARENSES censuerunt, sed annuos magistratus, qui uicissim summæ rerum præessent, creandos. Quo tempore cùm Aesymnius auctoritate nemini inter Megarenses secundus, Delphos ueniens oraculum consuluisset, qui fieri posset, ut patria secũdis rebus uteretur: & alia accepit responsa; & illud inprimis bene euenturũ, si plurium cõsilio ciuitas usa fuisset. Quare cùm ad mortuos oraculum pertinere interpretati essent, curiam ædificandam, intraq; eius parietes heroum sepulcrum erigendum curarunt, quod Aesymnium appellarunt. Pausanias in Atticis.

Cùm stirps Lechi, primi ducis apud POLONOS, defecisset, monarchiæ ad tyrannidem declinantis pertæsi, duodecim ex omni proceruum numero, potentes & spectatos in primis uiros, deligunt: qui siue nouo cunc populi placito, siue usitato etiam sub principibus instituto, suæ quisq; regioni, diuisa in totidem regiones tota Polonia, præessent: & Voiceuodæ, hoc est, duces belli & copiarũ, uernacula lingua dicerentur. Cæterùm licentia horum subditis infesta, ad principatum unius denuò animum appulerunt, & Cracum elegerunt. Mansit nihilominus Voiceuodarũ (quos Palatinos Latinè appellare queas) honor, uerùm restricta aliquãtum potestate & iurisdictione. Cromerus lib. 2.

TYRANNIS IN DEMOCRATIAM.

Thrasybulus cognomento Tyrieus, ciuis Atheniensis, Athenis fugatus, auxiliantibus clàm Thebanis, Phylam occupauit, castellum apprimè munitum, distãs Athenis C stadia. XXX tyranni, nuncios ad illum mittunt, eiq; societatem tyrannidis offerunt, simul etiam potestatem decẽ exules, quos ipse elegisset, ab exilio reuocandi. At ille pluris se exilium suum facere respondit tyrãnide, neq, priùs positurum arma, quã populo omnia restituerẽtur. Inde confluentib. exulibus Piræum & Munychiam occupauit. Athenieuses triginta uiros urbe eiiciunt, eorumq; in locum decemuiros dictatoria potestate creant, qui ipsi dominatum inuasere, Lysandri subsidio. At Pausanias rex Lacedæmoniorũ Lysandro inuidens, cum magnis copiis Athenas profectus, ciues cum exulibus cõcilia uit: & ità demum Atheniensibus patria restitura est, atq; exinde suis legibus atq; institutis rem gerere administrareq; ceperunt. Diodorus lib. 14.

Mardonius Gobryæ F. Darij gener, in SICILIAM cum exercitu profectus, eiectis tyrannis, popularem ibi statum in ciuitatibus constituit. Herodotus lib. 6.

ARISTOCRATIA IN TYRANNIDEM.

SICYONIORVM ciuitas, ut primùm ex sincero & Dorico optimatum principatu, sicut confuso concentu in seditiones & concionatorum ambitiones impegit, non destitit ægrotare & tumultuari, tyrannum ex tyranno mutuans: quo ad interfecto Cleone principes Timoclidam & Cliniam legere uiros, inprimis inter ciues claros & auctoritate pollentes. Cùm iam uideretur aliquatenus composita respublica, Timoclidas fato functus est. Abantidas uerò Pasææ filius obtruncauit Cliniam, amicosque eius expulit: filium sororis Abantidæ septennem Aratum animo generoso Argos noctu dimisit. Post Dinias & Aristoteles dialecticus Abantidã, solitum, cùm disputationibus uacarent in foro, semper esse præstò, eorumq; se immiscere concertationibus, ubi in id studij coniecerunt eum, structis insidiis interfecere. Pasea autem Abantidæ patre, postquam ei in dominatum successit, dolo perẽto, inuasit tyrannidẽ Nicocles, quẽ Sicyone eiecit Aratus, & patriæ libertatem restituit. Plut. in Arato.

DEMOCRATIA IN TYRANNIDEM.

Auctor est Halicarnasseus Dionysius, corrupto ciuili ornatu in GRÆCORVM ciuitatibus, coactos fuisse nonnullos in urbes iterum tyrannicas regiasq; potestates inducere, nominibus uelantes decentioribus: ut Thessali archos, id est principes: Lacedæmonij harmostas, quum formidarent, reges eos & tyrannos appellare. Cœlius lib. 18. cap. 3. Antiq. Lect.

Captis à Lysandro Athenis 94. Olymp. ATHENIENSES ad pacem à Lacedæmoniis sub his conditionibus accipiẽdam capti sunt, ut urbis mœnia subruerent, ac patrio more respublica regeretur. Qui paucorũ statui studebant, pro uetusta institutione reuocanda, contendere ex patrum auctoritate & uetusta consuetudine cuncta paucorum ductu, administrari oportere. Parte alia, quibus popularia iura placebãt, quæ maxima turba erat, antiquam Reip. constitutionem pro comperto habebant eandem cum populari statu esse. Altercatione circa hæc per aliquot dies orta, quibus paucorum status quærebatur, ad Lysandrum Spartiatam legatos mittunt. Cuius cùm uidissent plerisque in urbibus auctoritate status paucorum fuisse constitutos, arbitrabantur se uoti illius opera compotes fore. Lysander hortatus est Athenienses, uti triginta uiros deligerent, quibus rempub. administrandam mandarent. Cui rei reclamante Theramene, fœderaq; inter se icta recitante, quibus conuentum erat, ut patria institutione rempub. haberent: grauissimum nefas committi, si uiolata iurisiurandi religione, libertas eriperetur: Lysander respondit, ab Atheniẽsibus fœdera soluta fuisse: quippe qui post statutũ diem diruissent mœnia. Theramenes cum populo perculsus pauore contiescere, simulq; ad ius populi dissoluendam condescendere coactus est. Igitur triginta uiri pro Lysandri sententia deliguntur, quibus reipub. gubernandæ cura demandaretur, nomine quidem administratores, sed reuerà tyranni, inter quos Theramenes quoq; fuit. Iis ius & potestas permissa est deligẽdi senatus, cæterosq; magistratus pro reipub. commodo instituendi, tum leges condendi, quibus ciuitatis moderatio, iuraq; uniuersæ plebis continerentur. Initio magistratu, præsidium à Spartanis impetrarunt, duce Colybio. Eo freti, pro libidine sua omnia agere, optimos quosq; & locupletissimos necare. Inter quos Theramenes, à Critia collega accusatus, & ab ara Vestæ abstractus, in carcere cicutam bibit: Niceratus item, Niciæ F. Atheniensium omnium locupletissimus. Necarunt quoque Autolycum, uirum liberali & intrepida confidentia. Postremò cunctos optimates, uel uindictæ, uel auaritiæ saturandæ studio proscripsere. Itaq; ut plus dimidia ciuium pars solo patrio exulauit. Diod. lib. 14.

DEMOCRATIA IN OLIGARCHIAM.

Pisander Alcibiadis exulis suasu, Antiphone & Theramene auctoribus, auctor fuit promulgandæ legis de populari statu ATHENIS antiquando. Quinque ciuitatis præsides lecti, qui centum legerent, quorũ singulis ternos sibi legere permissum est: atq; ita quadringenti, ueteri senatu abolito, curiam ingressi, de summa rei consultare ceperunt. In horum potestate erat, quum libitum esset, quinq; millia ciuium ad rerum discussionem uocare. Sicq; centesimo fermè anno, quàm Athenienses tyrannide Pisistratidarum liberati fuerant, populari administratione sublata, oligarchiam induxere. Verum non multo post accepta clade ad Oropum, oligarchia antiquata, quinq; millium ciuium est reipublicæ liberum suffragium restitutum. Decretum, ut Alcibiades, & qui cum eo exulassent, in ciuitatem reuocarentur. Pisander & Alexides oligarchia sublata, Deceleam ad hostes cũ suis concessere, uenti, ne reddenda esset siue ratio eorum, quæ dum paucorum potentia in urbe fuit contra multitudinem flagitiosè egissent. Sabell. lib. 8. Ennead. 3.

Re ab ATHENIENSIBVS apud Siciliam malè gesta, eorum contemni imperium cepit. Chij, Samij, Byzantij, ac multi populi alij, eorum societate relicta, ad Lacedæmonios defecerẽt. Qua perturbatione & pauore perculsus populus, spẽte statu populari relicto, tres uiros elegere, quibus tota reipublicæ cura demãdaretur. Igitur arbitrio & potestate iam ad paucos redacta, qui summæ rerum præerant, ædificatis pluribus triremibus, quadraginta eis prætores præfecere. Diodorus lib. 13.

Captis Athenis, SPARTANIS iam gẽtes omnes Græci nomini obtẽperaturę uidebãtur, terra matiq. Lysandrum proinde classis prætore crearũt, ut urbes omnes adiret, ac per singulas uiros constitueret, qui rebus ciuilibus & administrationi, custodiæq; sui quisq; oppidi præessent (qui apud illos Harmostæ appellantur) inde stipẽdia debellatis pro sua cuique facultate imponeret, uectigales faceret omnes. Diodorus Siculus lib. 14.

Post prælium ad Arginusas MILESII quidam ciues optimatum statum in urbe constituerẽ uolentes, iura populi euertẽrũt, Lacedæmoniis auxiliantibus. Ac initiò quidem cùm Dionysia celebrarentur per familias, quos inprimis aduersarios habebant, ad quadraginta numero, in domicilijs occupatos iugularũt omnes. Mox adducta in foro multitudine, delegerunt ad trecentos ex opulẽtissimis, hos quoq; neci dederũt. Primores, quib. popularia iura magis placebãt, perculsi metu, haud pauciores mille capitum, profugerunt ad Pharnabazum satrapam, quos clementer ille perhumanęq; excepit, datoq; in singulos auri põdo, Claudæ incolas constituit, quod castellum in Claudia habetur. Diodorus lib. 13.

LIBRI SECVNDI

TITVLORVM DISPOSITIO.



- I. Efficiẽtes, Personæ ciuiles, quæ tã actiu cõstituunt ciuitatem, cũ sideratæ quatenus
  - Regũtur tum Primariò, Magistratus scilicet ἀρχὰ, tã quam Principũ motus in re publica. tum Secundariò, Ministri, Officiales, qui ἀδέσποτα ἀρχαὶ dicuntur improprié. Magistratus considerari potest
    - Logice, secũdum genera, ratione habita
      - Genere.
        - Reges, Imperatores in
          - Officij. Arist. in Politicorum libris τὰς ἀρχὰς triplices facit, ἀναλογίᾳ, ἀρχικῶς proprié dictã, & πρόσῳ. uti etiam in corpore humano triplex Partiũ principatus, imitatione ternariij diuini. Magistratus enim est, præire aliis secũdùm Sapientiam, Voluntatem & Potentiã. Respectu Sapiẽtiæ, politiã continet Prudẽtia, in iis quæ Agẽda sunt Inueniẽdis, in iis quæ Acta sunt Iudicãdis. Respectu Volũtatis, politiam continet Imperium & Obedientia, quando Magistratus uoluntatem suam aliis communicat Imperãdo, q̃ eximie Ἀρχὴ, tã quam principium motus aliorum appellatur. Latinis Iurisdictio uniuersim. Respectu denique Potẽtiæ, ob quam Magistratus proprié dici uidetur, instructus sit interna & ueluti diuina Auctoritate atq; Δίκῃ, qua subditorum animi sponte ad parendum adducãtur: instructus sit etiam externa & ueluti humana Vacultate atque Δωρεὰς, ut Bona bene meritis tribuere, Mala malè meritis infligere possit. sic enim Iustitia per Præmium & Pœnam conseruabit ipsam Politiam. Ad hosce fontes, omnes Magistratuum differentiæ apud quascunq; gentes reduci possunt, aliæ quidẽ uti Principes, aliæ tanquam principibus Inseruientes. Sæpe etiam in unã eandemq; personam triplex hoc genus magistratus incidit: sed tũc ratione distinguẽda sunt, quæ reipsa confusa reperiuntur, uel saltem commixta. MAGISTRATVS considerati ratione officij. Huc
            - Caliphæ. Ephori. Dictatores. Consules. Tribuni. Prætores. Aediles. Duces, Marchiones, Comitẽs.
          - Legati aliò ad quæuis munia obeunda missi.
        - Spẽcie. Regiæ dignitatis
          - Acquisitio:
            - Quomodo. v.g.
              - Electione, Inauguratione.
              - Successione.
              - Vi.
            - Qui, quales: ratione habita
              - Generis, Cognãtionis.
              - Sexus.
              - Dignitatis.
            - Quando.
          - Possessio:
            - Quales imperarint. Nempe
              - Homines, uiri; uel
                - Docti, Sobrij, Peregrini, Pueri, Mulieres.
              - Bruta.
            - Quo habitu, uestitu, ornatu.
            - Qua auctoritate.
            - Quo successu.
            - Quanto tempore.
          - Depositio.
        - Præfẽti
          - Regni, Proreges, Exarchi Vicereges, Interreges.
          - Prouinciarum. Vrbium. Equitum.
          - Hospitum. Mansionum, Hospitiorum.
          - Cubiculi. Thesaurorum. Electionis.
          - Fœderum. Consiliorum. Iudiciorum.
          - Morum, Censores.
          - Libellorum, Codicillorum
            - Recipiendorum.
            - Scribendorum.
            - Custodiẽdorum.
          - Incẽndiorum.
      - Numeri. MAGISTRATVS à numero denominati. Puta
        - Triumuiri. Quinqueuiri.
        - Nouemuiri. Decemuiri.
    - Chronologicè, quo ad Ordinem & Seriem tempore circumscriptam. Propter Hominem quodammodo omnia, secundùm Arist. Quin potiùs propter Hominem absolutè omnia, non quemuis tamen, sed propter eum, qui Deus cum esset, Homo etiam propter Homines fieri uoluit. Ergo Tempus quoq; propter hunc ipsum hominem, in plenitudine temporum ad homines pro hominum salute missum, inter homines conuersantem, ab hominibus cognitum, repudiatum, cultumque, contra homines olim uenturum, in considerationem uenire debet: pariter quoq; Homines ipsi, in societates certas, quas Politias uocant, distributi; quarum historia ab eorum qui præsunt serie & successione deduci consueuit. Vide signum II.
  - Reguntur
    - Domi.
    - Foris. Prouinciales.

II. In

- II. In Principũ & Magistratuũ catalogo Politiarũ ordinẽ sequemur ut Politiarũ alia constituantur
  - Principes, ad Christũ incarnãdum, incarnatumue relatæ, tum
    - Piorum, Fidelium, HEBRAEORVM scilicet. Quorum quidẽ Politia
      - Integra XII. tribuum floruit sub
        - Iudicibus.
        - Regibus.
      - Diuisa est in regnum
        - Duarũ tribuũ, Iudæ et Beniamin; Iudæorũ tũ
          - Ante captiuitatem Babylonicam. Reges Iudæorum.
          - Post captiuitatem Babylonicam
            - Duces.
            - Reges.
        - Decem tribuum Israelitarum.
    - Impiorũ, Infidelium, Gentilium. Horũq; uersus uel ut populi Hebræi
      - Hospitum. AEGYPTIORVM.
      - Persecutoriũ ex
        - Asia
          - ASSYRIORVM regnum
            - Integrum.
            - Diuisum, in regnum
              - Medorum.
              - Babyloniorũ seu Chaldæorũ.
          - PERSARVM.
        - Europa
          - GRAECORVM, ex Macedonia propagata politia
            - Ante Alexãdrum, Macedonum prius regnum.
            - Sub Alexandro. Euerso Persarum imperio, Monarchia.
            - Post Alexandrum, diuisa in regnum
              - Macedonũ posterius.
              - Syriæ, Babyloniæ.
              - Aegypti.
              - Thraciæ.
          - ROMANORVM. Sub
            - Regibus. Consulibus.
            - Imperatoribus Imperio
              - Integro.
              - Diuiso in
                - Orientale, seu Constantinopolitanũ, seu Græcũ.
                - Occidentale.
  - Nõ principes, quibus propter Locorũ uel Tẽporum internallã nihil cum Iudæorum gente, tanquam cum Messiæ uenturi patria rei fuit. Sic Politiæ celebret aliæ ceperunt
    - Ante Christum, siue citiùs, siue tardiùs interciderint, aut etiam ad nostra usq; tẽpora propagatæ sint. Quales fuerunt politiæ
      - Troianorum. Lydorum. Tyriorum. Ponti & Bosphori. Pergamenorum.
      - Græciæ. Vtputa
        - Sicyoniorum. Argiuorum. Mycenarum.
        - Thebanorum. Corinthiorum. Messeniorum.
        - Elcorum. Arcadum.
        - Atheniensium. Lacedæmoniorum.
      - Italiæ. v.g.
        - Thuscorum.
        - Latinorum.
        - Albanorum.
      - Germanorum. Sueciæ, Gothiæ. Noruegiæ. Daniæ.
    - Post Christum in
      - Asia
        - Parthorum.
        - Persarum posterius regnum.
        - Hierosolymitanum regnum.
        - Scytharum, Saracenorum.
        - Turcorum. Tartarorum.
      - Aegypto. Sultanorum. Africa. Vandalorum.
      - Europa, himirum in
        - Italia
          - Longobardorum,
            - Ante Carolum Magnum, ipsorum Longobardorum.
            - Post Carolum Magnum, Francorum, Italorum, Germanorum.
          - Neapolitanorum. Venetorum.
        - Germania. Gallia.
        - Hispania.
          - Gothorum.
          - Asturum, Legionis, Castellæ.
          - Nauarræ. Arragoniæ. Portugalliæ.
        - Pannonia
          - Longobardorum.
          - Hunnorum.
        - Polonia. Boemia. Anglia. Scotia.

LIBRI TERTII

DISPOSITIO.

- Ea quæ in Societate Politica accidunt, considerari possunt
  - Per se, tanquam Effecta politicorum hominum.. Vide signum IV.
  - Respectu personarũ, ACCIDENTIA politiarũ respectu PERSONARVM cõsidera ta: nempe
    - Quibus accõmodantur. Videlicet
      - Magistratibus.
      - Ciuibus in
        - Genere. Huc Ciuium
          - Recensio
            - A quibus facta.
            - Quomodo. Cur.
          - Priuilegia. Munera. Onera.
        - Specie.
      - Pauperibus. Calamitosis. Aegris.
      - Peregrinis. Vt sunt Legati, Hospites.
    - Quapparte illis accõmodentur secũdum
      - Animum. Institutio in Literis, in Saltatione, in Arte militari.
      - Corpus. quo ad
        - Sanitatem.
        - Victũ.
          - Simpliciter.
            - Materia. Quis cibus & potus, E quibus.
            - Forma. Qualis:
              - Crudus, Coctus.
              - Calidus, Frigidus.
              - Elegans, Sordidus.
          - Cũ alijs. CONVICTVS. Respectu.
            - Personarum. Qui.
            - Modi
              - Ante conuictum
                - Sortitio.
                - Lotio.
              - In conuictu
                - Accubitus. Ordo. Habitus.
                - Colloquia. Compotatio.
              - Post conuictum
                - ἀπομαγδαλιαν.
                - Mensam tollere.
            - Temporis: Quando, Quoties.
            - Loci.
        - Exercitia. Balneæ. Tonstrinas.
        - Vestitum, in
          - Genere.
          - Specie, respectu
            - Aetatis. Sexus.
            - Ordinis, Professionis. Conditionis.
            - Elegantiæ, Sordutiei. Temporis.
        - Ornatum
          - Vestium.
          - Anulorum, Monilium.
        - Arma. Habitationem.
      - Fortunas. Huc Politica
        - OPVLENTIA cõsidera ta respectu opũ
          - Essentiæ. Vt sunt
            - Agri. Horum Acquisitio, Cultus, Conseruatio.
            - Annona. Metalla. Aedificia.
            - Pecunia cõsiderata quo ad
              - πόσον, quatenus fit. Pecuniæ
                - Materia.
                - Efficiens. Qui inuenerit, signarit.
                - Tempus. Locus.
              - χρῶμα. Vsus pecuniæ
                - Certus, respectu
                  - Materiæ.
                  - Formæ, Imaginis, Signi, Note, Characteris.
                  - Figuræ.
                  - Modi, numerãdo, uel appẽdẽdo.
                  - Vtentis.
                - Nullus.
          - Accidentis: nempe
            - Acquiruntur uel
              - Tributo, Vectigali
                - A quibus.
                - De quibus reb.
                - Quæ. Quo.
              - Mercimoniis. Dono. Rapina.
            - Conseruantur, & Thesauri dicuntur.
        - PAVPERTAS. Vt scilicet
          - Infligitur per Ignem, Aquam, Diceptionem.
          - Possidetur.
        - HONORES:
          - Qui.
          - Quomodo
            - Acquirantur.
            - Conferantur.
        - IGNOMINIA.
        - AMICITIA. tum
          - Amasiorum.
          - Sodalium in
            - Studiis.
            - Armis.
        - INIMICITIA.

IV. Acci

IV. ACCIDENTIA Politiarum per se considerata, uel sunt

- Seria. Politiarum Accidentia, siue Effectũ siue Adiunctorum nomine censeantur, uaria sunt: sed uidentur diuidi posse respectu duorũ Reip. temporum. nimirum
  - Pacis. Vide signum V.
  - Belli, quod cõuersationem inimicũ publicam significare uidetur. BELLICA politia considerata respectu
    - SVBIECTI. Versatur circa ea quæ amicorum sunt, & circa ea quæ inimicorum: siue Homines, putà Ciues, Domestici, Socij: siue Res, nimirum Fortunæ qualescunq; Regio scilicet, Vrbes, Arces, Naues, Equi, Stipendia, Commeatus; & similia alia, quæ uel conseruantur tanquam nostra: uel corrumpuntur tanquam hostilia.
    - EFFICIENTIS, tũ
      - PRINCIPIS. In
        - Genere. Exercitus Partes & Ordines.
        - Specie:
          - Duces. Horum
            - Ordo.
            - Officiã.
            - Numerus.
          - Milites. Horum
            - Genera:
              - Vniuersim.
              - Speciatim. Puta, Pedites, Equites, Classiary.
            - Collegia.
      - INSTRVMENTALIS, hoc est, Instrumentorum, per quæ agunt patiũtur. Huc
        - Castra. In his Locus, Dispositio, Portæ, Vallũ, Tabernacula, Mutatio.
        - Propugnacula.
        - Habitus militaris in
          - Genere.
          - Specie:
            - Arma in genere simul & specie.
            - Vestimenta.
        - Signa militaria.
        - Musica militaris. Naues, Machinæ, Tormenta, Stipendia, Præda militaris.
      - Formæ siue Modi cõuersandi cũ suis uel cum hoste
        - Ante bellum. Belli
          - Occasio.
          - Susceptio.
          - Denunciatio.
        - In bello, re spectu
          - Amicorum. Exercitum
            - Conscribere, Deligere.
            - Sacramento adstringere.
            - Educere. Ducere.
            - Lustrare, Recensere. Exercere.
            - Instruere. Seruare.
          - Inimicorum
            - Colloqui cum hostibus.
            - Loco se continere, non uagari.
            - Castigare. Punire.
            - Dimittere.
            - Pugnare.
            - Vincere. Capere.
            - Occidere. Seruare.
            - Vastare. Oppugnare.
            - Diripere. Excindere.
        - Post bellum, re spectu
          - Nostrorum
            - Præmia.
            - Honores. Triumphus. Ouatio.
            - Trophæa. Spolia.
          - Inimicorum, eos continere per
            - Compositionem.
            - Vim, Puniendo; Coercendo.
- Ludicra. LVDVS. Exercitium ludicrum
  - Actiuum, quando ipsomet ludo delectãtur ij qui ludicre exercentur. Huc uaria Ludorum genera. V. G.
    - Iactus
      - Testæ.
      - Tesseræ.
      - Sphæræ.
      - Disci.
    - Gestatio.
  - Passiuum, quando non is qui exercetur, sed alij, qui illum sese exercẽtem uident audiuntue, eiusmodi theamate uel acroamate delectantur. Hic considerentur
    - Species.
    - Locus, Theatrum, Subsellia.
    - Sumtus.
    - Præmia, Honores uictorum.

V. Inter

- V. Inter Pacis politicæ Effecta & Adiuncta connumerari possunt
  - Præcepta, Statuta. Huc
    - Lex cõsiderata quo ad
      - Κτῆσιν, uel
        - Posita
          - A quibus. De quibus.
          - Quot. Quomodo.
          - Quando.
        - Non posita.
      - Φυλακὴν.
      - Χρῆσιν. Legis
        - Auctoritas.
        - Obseruatio.
    - SENATVSCONSVLTVM.
    - Plebiscitum.
  - Delibera tiones, Consultationes, Consilia
    - Concionis COMITIORVM
      - Materia. Forma.
      - Efficientes: Personæ tum
        - Principes.
        - Adiunctæ.
      - Tempus. Locus.
    - Senatus. SENATVS
      - Materia. De quibus.
      - Forma. Consultationis
        - Propositio. Rogatio.
        - Dictio.
        - Suffragatio.
      - Efficiẽs: Personæ
        - Principes:
          - Qui.
          - Quales: quo ad
            - Officium. Mores. Aetatem.
            - Opulentiam. Patriam.
            - Comitatum. Dignitatem.
          - Quot.
          - Quandiu officio functi.
        - Adiunctæ.
      - Locus. Tempus.
  - Iudicia de
    - Contractibus. IVDICIA eximie dicta. Horum
      - Materia. De quibus
        - Personis.
        - Rebus.
      - Forma.
      - Efficiens
        - Princeps:
          - Qui: putà
            - Sacerdotes. Principes.
            - Delecti. Occulti.
          - Quales: quo ad
            - Mores.
            - Aetatem: Iuuenes, Senes.
            - Habitum. Auctoritatem.
          - Quot.
        - Non princeps: v. g.
          - Angeli. Actor, Rem.
          - Aduocatus, Patronus.
          - Vades. Testes.
      - Locus. Tempus.
    - Moribus. CENSVRA.
  - Ministeria. Cuiusmodi est
    - Scriptio.
    - Apparitio.
    - Nuncium.
  - Præmia.
  - TORMENTA.
  - SVPPLICIA. Horũ aliapertinere uidentur ad
    - Corpus uel
      - Absq; morte. Vt est Dolor ex
        - Labore. Fame, Siti.
        - Verberibus. Vulsione, Immissione.
        - Suspendio.
      - Mors, siue
        - Dubia, ancipitis periculi, Gladiatorum, Bestiarum.
        - Certa, Capitalis supplicij. Huius
          - Sententia, Pronunciatio, Condemnatio.
          - Irrogatio:
            - Quomodo. Supplicium illatum
              - Fame, Siti. Veneno. Igne.
              - Aqua. Cirtefe. Lapide. Culeo.
              - Cruce. Arboribus. Quadrigis.
              - Rota. Gladio. Calamis, Stimulis.
              - Scaphis. Fuste. Laqueo.
            - Quando.
    - Fortunas: ut est
      - Multa, Damnum.
      - Domus
        - Direptio.
        - Demolitio.
      - Ignominia.
      - Libertas erepta, Seruitus imposita
        - Conuersationis. Aqua & igni interdicere.
        - Loci. Exilium, Deportatio, Relegatio, Interdictio.
  - Contractus. Vide signum VI.

VI. Con-

- VI. CONTRACTVS politici alij pertinere uidẽtur ad
  - Viuos ut sunt
    - Fœdera
      - Inita
        - Cum quibus. Qua ceremonia.
        - Quibus conditionibus.
        - Quo tempore, locóue.
      - Conseruata.
    - Connubia. Clientela. Mutuum.
    - Fœnus, Vsura
      - Exercita.
      - Coercita.
      - Nulla.
    - Permutatio.
    - Emtio, Vendi tio. Ratione habita
      - Subiecti, Cuius rei: quoad
        - Substantiam
          - Agri. Domus.
          - Frumenti.
          - Hominum.
        - Possessionem. Emtio rei
          - Certæ
          - Incertæ.
        - Numerum. Emtio
          - Vnius.
          - Multarum rerum simul.
      - Formæ. Huc rei uenalis
        - Proscriptio, Præconium.
        - Licitatio. Indicium.
        - Conditiones, Pactum.
      - Efficientis Personæ, tum
        - Ementis.
        - Vendentis
          - Sua.
          - Aliena.
      - Temporis. Quando.
    - Testamenta
      - Facta, quo ad
        - Materiam legatorum.
        - Formam.
        - Personas
          - Legantis.
          - Legatarij.
      - Rescissa. Nulla.
  - Mortuos. Mortui cura, quandoquidem in uiuis esse desit, ea est, ut è uiuorum quoq; consortio ablegetur, & mortuis aggregetur. Quædã igitur spectanda
    - Ante ablegationem, respectu
      - Cadaueris:
        - Compositio cadaueris, Oculorum clausio.
        - Conditura.
        - Vestitus, Ornatus.
        - Circumgestatio.
        - Custodia.
      - Aliorum. v. g.
        - Denunciare mortem, Conclamare.
        - Imperare funus.
        - Euocare ad funus. Iudicare.
      - Loci. Domus purganda.
      - Instrumentorum necessariorum, ut parentur.
    - In ablegatione. Nimirum
      - Pompa funebris. Lampades.
      - Laudatio, Nænia, Musica.
      - Deploratio, Luctus.
      - Humatio. Suspensio.
      - Concrematio. Hic
        - Compositio.
        - Vestitus.
        - Pyra.
      - Parentatio, & Commorientes.
    - Post ablegationem: cuiusmodi sunt
      - Conclamatio. Lustratio.
      - Conuiuia, Cœnæ, Visceraciones funebres.
      - Certamina, Ludi.
      - Cinerum collectio.
      - Sepulcri
        - Ornatus.
        - Inscriptio.
        - Conseruatio, Defensio.
      - Imagines.

Volu-

Voluminis Vigesimioctaui Liber II.

De POLITIA uniuersim secundum CAVSAS considerata.

Politiarum Materia.

REGIO TOTA CONSIDERATA SECVNDVM

ACQVISITIONEM.

Alexãder VI.Pp. FERDINANDO Regi, & eius posteris Castellę Legionisq; Regibus, Cardinalib. adprobãtibus, in perpetuum pleneq; concessit, donauit, & attribuit omnes insulas, Continentisq; prouincias, repertas, & quæ in posterum à suis reperirentur Occidentem & Meridiem uersus: ducta ab Arctico Borealíue polo ad Antarcticum, hoc est, Australem polum, linea: Insulas etiam illas, & Continentis regiones inuentas, & quæ inuenientur, Indiam, uel quãcunq; partem uersus: ita quidem ducta, ut ea centum milliaribus distaret ab duarum insularum qualibet, Occidentem Meridiemque uersus, ab ea nempe insula, quæ uulgò Hispanis Azores à falconibus dicitur: & ab altera, quam nunc illi Viride Caput, antiqui autem Hesperides appellabãt. Quarum omnium insularum, & Continentis prouinciarum, quæsitarũ & quærendarum, idem Pontifex eundem Regem & eius successores dominos cum libera omnimodaque in iisdem potestate constituit. Io. Metellus.

DIVISIONEM.

Omnes HISPANIÆ (ut antiqui scriptores uolunt) sex habẽt prouincias: Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, Galliciam, sextam denique Trans pontũ, & in solo tenuæ Africæ, quæ Mauritania Tingitanica cognominatur. Sic Sextus Rufius. Isidorus etiam in Etymologiis eandem facit descriptionem, & Mauritaniam trans pontum in solo Africæ partem Hispaniæ asserit. Ex his sex prouinciis quinq; sunt otta regna. Primum atque præcipuum Hispanię regnum illud est, quod hodie Castellæ & Legionis uocatur, quod centrum Hispaniæ est, & à quo cæterorum regnorum reges usq; in hodiernum diem detinati sunt; ex sex prouinciis, quatuor ferè sub se continens, Carthaginensem scilicet, Lusitaniam, Bæticam, & Galliciam: à Pelagio, qui Gothorum reliquias contra Saracenos primus collegit an. 718. Secundum Aragoniæ Celtiberorum, cui accedit Valentia atq; Catalonia, anno 1017. cepit, Ranimiro, Sancij maioris regis Castellæ & Nauarræ, qui de Mauris eam recuperaret, filio primo rege. Tertium Nauarræ, Castellæ & Aragoniæ contiguum, ab Enequo Comite Bigorriæ Saracenis eiectum an. 961. Antiquis temporibus partem ex Cantabria, partem ex Celtiberia sumebat: Oceanũ aliquatenus attingẽs prope fontem Fabidũ. Quartum Portugalliæ & Lusitaniæ, quam uulgò Extrematuram uocant, cuius tamen bonam partem Gallecię antiqui adnumerabant. Eam Alfonsus VI. rex Hispaniæ, in dotem dedit Henrico Lotharingo comiti, eiusque F. Alfonsum Henriques ob victorias de Mauris regem appellauit. Quintum regnum Granata nuncupatus, adhæret Bæticis littoribus, à Mauris è Corduba pulsis constitutum, an. 1216. tandem iis ereptum. Rodericus Sanitius parte 1. hist. Hispan. cap. 6. & seq.

POLONIÆ regnum uniuersum in quatuor uelut regiones est diuisum. quas in orbem rex quotannis inuisit: singulis ternis mensibus alunt regem regumq; comitatum. Cæterũ si casu consilióue in una aliqua regni parte diutius restiterit, se persecuturum, nihil debetur illi amplius. Sab. li. 4. En. 10.

Carolus IV. Imp. Boëmiæ rex, BOEMIAM in regiones duodecim descripsit, quarũ uni duntaxat nomen à flumine Vltauia, quod Pragã inter fluit, indidit: reliquas undecim ab oppidis cognominauit, tam aspera pronunciatione, ut à nemo nisi Boëmus, aut sermonis Boëmi gnarus illa enunciare possit. Io. Dubrau. lib. 1. hist. Boem.

PROVINCIA. HVIVS

DIVISIO.

Memoriæ proditũ est, naturam situs, munitionemq; Aegypti ALEXANDRVM admiratum, eam in plures præfecturas, Nomos uocant, diuisisse, haud tutum esse ratum, imperij curam uni modò iniungere. Ac mihi quidem uidẽtur (inquit Arrianus lib. 3.) Alexandri consilium ROMANI esse imitatiuam eadem ducti ratione instituẽre, ut nemini ordinis senatorij prouincia Aegyptus, sed equestri tantùm uiro deceneretur. Cælius lib. 16. cap. 3. A. L.

CONSTANTINVS Magnus remp. ita descripsit. Cùm priores principes Imperium in duas partes tribuissent, atque unam Occidentis, alteram Orientis fecissent, inprimis eam & ipse rationem retinuit: illius Romam, huius Byzantium domicilium esse uoluit: atque utrunque Imperium in multas portiones siue diuisit, siue ab aliis antè diuisum paucis mutatis seruauit. Cæterùm Occidentalis partes duæ sunt constitutæ. quæ Italiæ & Galliarum nomine sunt appellatæ, atque ambæ in tres diœceses partitę: illa in Italiam, Illyricum, & Africam: hæc in Hispanias, Gallias, & Britannias. Prouinciæ porro Italiæ septemdecim factæ, Venetia, Liguria, Alpes Cottiæ, Aemilia, Flaminia cum Piceno annonario, Etruria cum Vmbria, Picenum suburbicarium, Valeria, Campania, Lucania cũ Brutiis, Apulia cum Calabria, Samnium, Sicilia, Sardinia, Corsica, Rhætia prima, Rhætia secunda. Illyrici uerò sex, Pannonia prima, Pannonia secunda, Sauia, Dalmatia, Noricum ripense, Noricum mediterraneum. Africæ quinq;, Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis. Hispaniæ septem, Bætica, Lusitania, Callæcia, Tarraconensis, Carthaginensis, Tingitana, Baleares. Galliæ septemdecim, Lugdunensis prima, Lugdunensis secunda, Lugdunensis tertia, Lugdunensis quarta, siue Senonia, Maxima Sequanorum, Belgica prima, Belgica secunda, Germania prima, Germania secunda, Viennensis, Narbonensis prima Narbonensis secunda, Alpes maritimæ, Alpes Graiæ. Aquitania prima, Aquitania secunda, Nouempopulana. Britanniæ quinq;, Maxima Cæsariensis, Valentia, Britannia prima, Britannia secunda, Flauia Cæsariensis. Iam uerò Orientalis Imperij partes item duæ effectæ, Orients, & Illyricum. Orientis diœceses quinq; institutæ, Orients, Aegyptus, Asia, Pontus, Thracia. Illyrici duæ, Macedonia, & Dacia. Prouinciæ porrò Orientis quindecim, Palæstina, Phœnice, Syria, Cylicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Euphratensis, Syria salutaris, Osrhoëna, Mesopotamia, Cilicia secũda, Aegypti sex, Libya superior, Libya inferior, Thebais, Aegyptus, Archadia, Augustamnica. Asiæ decem, Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria, Insulæ. Ponti decem, Galatia, Bithynia, quæ pòst Honorias dicta, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Pontus Pelemoniacus, Hellenopontus, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia salutaris. Thraciæ sex, Europa, Thracia, Aemi mons, Rhodope, Mœsia secunda, Scythia. Macedoniæ sex, Achaia, Macedonia, Creta, Thessalia, Epirus uetus, Epirus noua, & pars Macedoniæ salutaris. Daciæ quinq;, Dacia mediterranea, Dacia ripensis, Mœsia prima, Dardania, Prequalitana, & pars Macedoniæ salutaris. In primis autem cùm singulorum Imperiorum binæ partes essent, his etiam binos præfectos prætorio præposuit, ut essent quatuor (nam ante ipsum duo tantùm fuerãt) ac singulis suas diœceses attribuit. Ita fuere præfectus prætorio Italiæ, Galliarum, Orientis, & Illyrici. Patricios inde binos, in singulis Imperiis singulos fecit. Consulum numerum conseruauit, cosq; promiscuè ex utroq; Imperio legi uoluit. Præfectum urbis Romanę tãtùm reliquit, qui deinde Constantinopoli quoq; ascitus est. Senatum geminum instituit. Magistros peditum, equitumq; intulit, qui curam militum conscribendorum, instituendorum, & corrigendorum haberent: quæ antè præfecti prætorio fuerãt. Duces etiam uectigalia exigere statuit, & ex iis stipendia militibus numerare, quòd ante præfectus prætorio fecerat: prouinciarum uerò administrationẽ pristino instituto partim consularibus, partim præsidibus, partim etiam Correctoribus commendauit. Officia publica, Palatina, & militiæ ab Hadriano instituta, paucis mutatis retinuit. Sigonius lib. 8. Imperii occidentis.

SPECIES.

Quædam prouinciæ ROM. proconsulares fuere, ad quas soli mittebãtur proconsules: quædam consulares, nonnullæ præsidiales, pleræq; prætoriæ, quib. consules, præsides, prętores, q; præfecti erant. Nam Carthago proconsularis erat prouincia. Numidia, Lybia, & Asia citra Taurum, & Cyrenę, cõsulares. Tripolis, & utraq; Mauritania, atq; Aegyptus, sub præsidibus fuere. Cyprus, Iberia, Sardinia, Sicilia, Illyricũ, Achaia, Creta & Bithynia prætoriæ. Sardiniam & Corsicam, olim prætorias, postea sub præsidibus fuisse comperimus. Sult uerò Massilienses & Nemausenses ab onere prouincialis prætoriæ feruntur immunes. Cumq; omnis Hispania in sex prouincias diuidatur, ex his Bætica & Lusitania consulares fuerunt, reliquæ sub præsidibus. Alex. lib. 2. cap. 27.

TRANSLATIO.

Victi à Carolo Magno SAXONES & VESTFALI, cùm nec ueniæ facilitate reconciliari, nec armis uicti frangi, nec consortione religionis placari, nec æquis legibus flecti, nec iniquis domari, nec obsidibus oppignerari possent: & in tot Francorum occupationibus fortuna nouas semper rebellandi occasiones cupientibus pręberet, ut uix XXXIV post cęptum bellum anno penitùs edomari potuerint: Transalbiani omnes in Franciam translati sunt. Citra Albim decimus quisque migrare iussus in Germaniam: X millia hinc dispersa. Aemilius lib. 3. de eòdem sic scribit Cranzius, Carolus Magnus Hispanico bello peracto, Saxoniam totam, quæ nunc Vestphalia est subegit: ut Visurgo, nunc Veserã transmisso, sedes sibi facerent inter Vandalos, antiquis pulsis habitatoribus. Ex eo tempore cepta est habitari à Saxonibus prouincia trans Visurgum, quæ nunc est regio Brunsuicensis: adeoq; distimen factum Saxonum orientaliuni & occiduorum, qui ultra & citra Visurgum habitant. Cranzius libro 2. cap. 2.

VRBES, QVATENVS

CONDVNTVR.

Varro. Terra dicta ab eo (ut Aelius scribit) quòd teritur. Itaque Tera in Augurum libris scripta, cum R. uno. Ab eo colonis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, Territorium, quod maximè teritur. Seruius autem in illud lib. 5 Aeneid. —urbẽ designat aratro, ab eo quẽ Cato in Originibus dicit morem fuisse. Condituri enim ciuitates, taurum in dextra, uaccam intrinsecus iungebant: & cincti ritu Sabino, id est, togæ parte caput uelati, parte succincti, tenebant stiuam incuruam, ut glebæ omnes introrsecus caderent & ita sulco ducto, loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum. Vnde et territorium dictum est, quasi terribouium, tritum bobus & aratro. Hotom. de Verb. iur.

ALEXANDER, cùm in Aegypto urbem ædificare decreuisset, eis, quos negotio præfecerat, mirum ait, inter paludem & mare, quẽm locum ipse diligenter meratus, & ad regiones urbis ponendas partitus fuerat) eam extruerent, uoluitque Alexandriam de suo nomine appellari. Cuius positio commoda ualde electa est, ob uiciniatem portus Phari: tectę quein uicis disponendis illud fuit consideratum, ut omnes flatu uentorũ, qui annuersarij dicuntur, inspirarentur. Diodorus libro 17.

In condendis uibus prima ea cura esse debet, ut locus saluberrimus eligatur: alter, ut fertilissimus: tertius, ut commodissimus & ad negotiationes, & ad res bellicas. Id autem quod primum est, Physiologi certè studio perspici tantùm potest. Hinc Pallas sapientiæ dea Musæum Græciæ condidit, locum in Attica salubertimum & aëris tempestę optima præditum elegit. SPARTANI de colonia deducenda consulto oraculo, responsum accepẽre, Contra cæcos ædificarent. CROTONENSES loco salubertimo ciuitatẽ condere à deo iussi. Strabo lib 6. & Suidas.

Cùm urbium conditores mœnia signarent, incincti ritu Gabino, id est, toga reiecta circa humeros, taurum ad dextram interius, uaccam æneo aratro iungebant, stiuamq; tenentes incuruam, ita ut omnes glebæ in interiorem ruerent partem, perfecto sacrificio mœnia signabant. Vbi uerò portæ futuræ erant, id loci minimè sulcabant, sed aratrum suspendentes, portarum spatia reliquere intacta. Ideo quum mœnia signata solenni sacrificio, sancta sint: portæ, quia signati illas uel sulcati minimè decebat, sanctæ minime fuere: in quo id seruatum meminimus, ut fruges in subiectam foueã demittãt, & ex uicina terra exaggerẽt, bouesq; sulcatis mœnibus immolent. Macedones uero ubi primũ urbis mœnia futura erant, polentam inter solennia adhibuerę. Quod quidẽm aratrum non ædificandis modò urbibus, sed sitis fundius euertẽdis inducebatur, quasi segetes ibi mox futuras denotarent. Alex lib. 6. cap. 14.

TRANSFERVNTVR.

Venetos Pipinus Italiæ rex in paludib. adortus an. 810. magnã cladem accepit. BEATVS Dux Venetorũ cùm Metamaucũ excisum uideret, animum ad sedem in Rituum altum & Olivolam traducendam adiecit, eas propter magnitudinẽ suã satis amplas ad uicinorum populorum multitudinem, & reipublicæ, quam sibi pollicebatur, dignitatem recipiendam fore arbitratus: atque tribunis & primoribus insularum in consilium aduocatis, ex eorum auctoritate regiam eò traduxit. Beato uerò, antequam res ad exitum perduceretur, uita functo, Angelus Particiacus Dux substitutus incepta persoluere instituit. Itaque cùm Riuoaltum Ducí, Olivolam episcopo destinasset, prima Ducalis prætorij, quo loco nunc est, fundamenta iecit. Vrbs tota, Riuoaltum & Olivolam continens, pòst uno Venetiarũ nomine appellata. Hæc eius urbis & reipublicæ, quæ ad hunc usque diem opulentissima atque amplissima fuit, principia fuisse feruntur, quæ tum terminis à Grado ad Caput aggeris angustissimis claudebatur. Sigonius lib. 4 regni Italici, & Sabellicus libro 6. Enneadis 8.

CONTRAHVNTVR.

THESEVS mortuo Aegeo patre Athenienses sparsim & uicatim habitantes in unum collegit, omnibusque Prytaneis demolitis, unum constituit, unamque urbem, quam Aro nũcupauit. Athenas scilicet. Ipse se populo adæquauit, legum custodem bellique arbitrum se fore professus. Eagropter Homerus quoq; in Bœotia solos Atheniẽses δημοκρατουμένους uocat, ὡς νόμῳ καὶ ἑαυτῷ σωφρονουμένους. Primus discreuit seorsum patricios, agricolas, & opifices. Patricijs curam sacrorum, & magistratuum ex ordine suo dandorum permisit ius, legumque disciplinam, & interpretationem, quid ius fas esset. De cætero ciues adæquauit, quòd dignitate patricij, utilitate agricolę, artifices numero uiderentur præcellere. Plutarchus in Theseo.

Olymp 77. ELEI prius per multa tempora multis sparsi urbibus cùm uaria loca incolerent, in unam ex omnibus urbem commigrauere, quam Elim nominarunt. Diod. lib. 11.

EPAMINONDAS post Leuctricã victoriam Arcadibus auctor fuit, ut paruis oppidis, quæ facilè, cùm sine munitionibus essent, expugnari poterant, deletis, in urbem unam, quę est ab eo condita. & Megalopolis appellata, congregarentur. Pausanias in Bœoticis.

Pragentes sub LVDOVICO rege, seriùs licèt secum reputantes, quòd adunata quàm diuisa uirtus & fortior & tutior esset: duas ciuitates suas in unam contraxere, unum magistratum in utraq; ciuitate constituẽre, fossas cõplanauere, portas reseruauere, pœnamq; exilij perpetui cõtra eum sanciuere, quisquis constituta turbaret. Dubrauius lib. 23.

DIRVVNTVR.

Eo, quod cõtra Fidenates & Veientes commissum est, prælio, perierant Albanorum defectione, nisi uirtute sua se defendissent Romani. Post victoriam, de Albanę perfidiæ ultione inter patres consultatum, uariatumq; nonnihil opinionibus. Demùm in sententiam Tulli regis frequenter itum: ut Alba diruerẽtur, parcerẽtur ciuibus, supplicium de Metio sumeretur. Ergo M. Horatium, qui Curiatios uicit, cum centuriis aliquot peditum, maiore tamen equitatu, Albam misit, qui

qui parte urbem ingressus, ubi ciues in potestatem redegisset, oppidum à fundamentis diruit, pepercit templis, multitudinem omnem Romam traduxit. Tullus inde conuocata concione, ALBANIS iussis propiùs tribunal accedere, extremam concionem armis sepsit, ne quis tumultus oriretur, & Albanis stupentibus Albam euersam indicauit, Romam migrare iussit, Metium Dictatorem quadrigis dilaniari curauit. Sabellicus lib.4. Ennead.2.

Politicæ Personæ.

CIVIVM VARII ORDINES, TRIBVS.

QVI IN TRIBVS DIGESTI.

ATHENIS olim (referente Eustathio Iliad.β.) populum uniuersum (πᾶς ὁ σωνδεδεὸς πᾶς λόμος δῆμος) dictum) in quatuor φῦλαι diuiserunt (unde φυλέται dicti) φῦλον in tres φρατρίας, uti anni temporum quodlibet in tres menses. φρατρία igitur siue φρατρὺς, tertia pars erat populi: unde fortasis Latini Tribum uocarunt. φρατρία quæ liber in triginta γένη diuidebatur: & quemadmodum annus solis circuitus 360 dies habet, ita totᾳ populus 360 γένη. Hinc γενῆται dicti. Γενος quod libet 30 uiris constabat. Sic igitur tota ciuitas ex 10800 uiris constitit. Quē numerum Plato etiā in sua Rep. approbanit. Hæc ille. Populus Atheniēsis distributus erat in tribus duodecim ad mensium numerum: rursum unaquæq; tribus in triginta genera, quemadmodum uocant, ad dierum numerum: unde γενῆται uocabantur, non coniuncti sanguinis propinquitate, sed in eandem tribus partem adsciti. Hinc prou. γενῆτὸς μετωνὸς τὴν πλὺ τὰξιν. Erasmus. γενῆται dicuntur eiusdem generis societate coniuncti, non quidem ratione cognationis & sanguinis, sed propter familias in curias distributas: inter quos talis est cōmunitas, qualis inter municipes & curiales, constituta lege. Olim IIII fuēre tribus, imitatione quatuor anni temporum, distributæ in XII curias, instar XII mensium. Genera uerò XXX curiæ singulæ habuerunt, ut numerus dierum anni CCCLXV compleretur: & ex his generibus sacerdotes seu curiones cuiusque curiæ sorte deligebantur. γενῆται tradidit Philochorus, olim ὁμογάλακτοι, id est, collactaneos appellatos. Suidas.

ATHENIS decem tribus, quarum suffragiis, pacis bellique temporibus Respublica steterit, à regibus, qui imperitarunt, nomina sumfere: singulęque tribus in decem genera distinctæ fuēre. Ex quatuor enim tribubus, in quas olim ciuitas diuisa fuit, Clisthenes decem effecit. A Cecrope, qui primus regnauit, tribus Cecropis dicta, sicut Egis altera, tertia Erichthis, Pandionis, Athamanthis, Antiochis, Leontis (ex qua Themistocles fuit) Oenis, Acantis, Hippocoontis: quibus per subsequentes reges duæ additæ, Antigonis & Demetriias, ab Antigono & Demetrio: qui ex suis nominibus decem ueteribus illas adiecēre. Hanc Acantidem sernunt, quūm fortiter contra Mardonium & Persas pugnasset, ab Atheniensibus hoc proprium tulisse, ut soli illius tribules Spartgiticis nymphis sacrum victoriæ facerent quotannis impensa publica. Post quas fuēre, Alopecis, Athenonea, Pæanica, Decelensis, Specia, Acharnas, Agraleus, Alimusos (ex qua Thucydides) & Lacyas (unde Miciades) mox illis prioribus adiectæ, ex quibus iudices, qui iura darent in foro, deligebantur. Eratque constitutum, ut nisi Cypriorum princeps, tribus Atheniensium nemo forte educeret. Alexand lib.1.cap.17.

Sunt, qui ATHENIENSIVM tribus tradant non ab Iouis filiis, sed à generibus, in quæ distributa à primordio studia hominum fuerunt, nomina sortitas: ita bello deditos, appellatos Hoplitas: opeti Ergadas: reliquorum duorum agriculturæ incumbentes, Gedeontas: qui pecuariam faciebant, Aegicoras. Plut. in Solone.

Clisthenes Alcmæonides, liberatis ATHENIS à tyrannide Pisistratidarum, cùm populus Atheniensis fuisset antea exagitatus, postea quàm omnium auctoritatem ad suam unius redegit, tum tribuū nomina uetera à Iouis filiis, Peleonte, Aegicoro, Argadeo & Hoplete censuit immutanda: & plures ex pauciorib. faciendas, decē pro quatuor: & totidē Phylarchos, id est tribunos, à tribuū præfectura. Ita populo in trib. distributo atq; cōposito, multum superauit Isagoram Tisandri F. qui erat cōtrariæ factionis. Imitatus autē est Clisthenem Sicyonium, auum maternum. Herod. lib.5.

De MEGARENSIBVS traditū est, olim in quinq; tribus omnem regionem diuisisse, ut distinctio ordinis fieret: ex quibus alij Heraci, nonnulli Piraci, alij Megarenses, pleriq; Trapodicei, ultimi Cynosurci dicti. Alex. lib.5.cap.18.

ELEI cùm XII tribus forent, postea bello Arcadico parte agri amissa, in octo relapsi sunt: rursus restituto agro, eo uenere ut X. fierēt. Traditū quoq; est CORINTHIOS, postquā in unā ciuitatem ascti fuere, in octo tribus distinctos fuisse, quarum nomina prodita nō sunt. Spartæ uerò Aegida & Pitana præcipuę tribus fuere, ex qua Menelaus oriundus fuit. Sicut apud BOIOS tribus Sappinia. Alex lib.1.cap.17.

Clisthenes Sicyoniorum tyrannus, Argiis infensissimus, neferent eædē SICYONIIS tribus, quæ Argiis, nomina immutauit: ex quib Sicyones plurimū ridiculos reddidit. Quippe suis & asini cognomina tribubus pristinis imposuit, præterquam tribui suæ, cui à suo ipsius imperio nomen indidit, id est, ab Arche: itaq; hi tribules Archelai uocabantur. Cæterum alij Hiatæ, id est, suales: alij Oneatæ, id est, asinales: alij Choereatæ, id est, porcales. His tribuum nominibus Sicyonij & Clisthene imperante, & eo defuncto ad sexaginta annos usi sunt: quæ postea in alia transtulēdunt, Hylleas, Pamphylos, Dyamanates: quartę tribui, quā adiecerunt, impōsito cognomine Aegiales, ab Aegialo Adrasti filiō. Herod.

THVRIORVM urbs in decem pariter tribus diuisa fuit, quas ex gentibus, quæ in ciuitatem ascitæ fuerant, denominauit. Siquidem ex Arcadibus, tres Arcadicæ: reliquæ uerò, Bœotia, Amphictyonida, Dorida, Lyda, Athenaida, Euboida, & Mesyotis, nomina tulere. Alex. lib.1. cap.17.

ROMANÆ urbis Tribus, quas 35 fuisse constat, unde dictæ, quæq; singulis nomina fuerint, pete ex Alex. ab Alex. lib.1. cap.17. Blondus lib.3. Romæ triumphantis-

QVOMODO, CVR. RATIONE scilicet habita

EXERCITII, PROFESSIONIS, *Domi, Foris, Pace, Bellōue.*

Dicunt totā INDORVM multitudinē in septē genera distributi, quorū philosophi honore antecedūt, numero uerò paucissimi sunt. Hi ab omni opere immunes, neq; seruiunt cuiquā, neq; imperāt: recipiuntq; à priuatis & ea quibus sacra diis faciant, & quibus curā habeant defunctorū, tanquā cari diis, & quæ fiāt apud inferos præcipuè norint: propterea dona plurima honoresq; eis impenduntur. Multū uerò prosunt Indorū uitæ. Nā anni principio unā cōuenientes siccitates, pluuias, uentos, morbos prædicunt, cæteraq; quorū cognitio possit utilis esse. Futura enim audiētes cū populis, si rex, & futura declināt mala, & semper aliquid ad utilitatem suā præparant. Publicè uerò reges, in eo cōuentū, qui maximus apud eos fit, cū nouo anno incipiente philosophis cū rege ad uenationē exeunt, & quicquid quisq; cōposuerit, uel obseruauerit eo anno de fructib. de animalibus, de Republica, in medū proferūt. Vbi qui ter mendax deprehensus fuerit, ei per totā uitā ex lege silentiū indicitur: qui uera dixerit, immunis & omni tributo exemtus censetur. Secundū genus est agricolarū, qui plurimi sunt & paucissimi in maxima operandi licentia, & immunitate militiæ. Hi nec ciuitatem, nec publicū negotium, nec ullum aliud munus attingunt: quamobrē cōdē rēporg, & cōdē loco alij pugnāt, & cū hoste periclitātur: alij arāt uel fodiūt sine ullo periculo, cū illos propugnatores habeāt. Et cū regio tota sit regis, ipsi ea cōducti operātur, in quarta fructuū parte. Tertiū genus est pastorū ac uenatorū, quib. solis & uenari & pascere pecora & uendere, & iumēta locare licet: pro eo aūt, q; terrā bellis liberant; & ab auibus, quæ semina legūt, salario à rege cōpēsantur, & uagi errabundiq; uitā in tuguriis agūt. Priuato homini equū & elephantē alere non licet. Vtrunq; enim regis possessio cēsetur, suntq; corū curatores. Quartū genus eorū qui artes exercent, itē cauponarij, & quicunq; corpore operantur: quorū alij tributa pendūt, statuta munera exhibent: alij uerò, ut sunt qui arma & naues fabricant, alimēta & stipendiū ab rege habent, cui & soli operantur. Nam tribunus arma militibus præbet, & classis præfectus naues nauigantibus, & mercatoribus precio locat. Quintum genus est bellatorum, qui reliquum tempus otiosi agūt, in locis ab rege constitutis: ut cùm opus sit, citò eceant, nihil de suo afferentes præter corpora. Sexti autem præsides, Episcopi uel Ephori, quorum munus est, ut quæ aguntur inspiciāt, & regi omnia clām renuncient. Hi in urbe urbanas meretrices, aduitrices adhibent, in castris uerò castrēses. Hi sunt uiri optimi ac fidelissimi. Septimi sunt consiliarij, & regi assidentes, à quibus & magistratus & iudicia, & rerū omnium administratio fit, nec licet cum alio genere connubia contrahi, nec studium nec artem imitari, nec eundē plura exercere, nisi philosophus sit. Diod. lib.2. cap.10. & Strabo lib.15.

Sunt in AEGYPTO septē hominū genera, quorum alij sunt sacerdotes, alij Calasirics, & Hermotybies, hoc est, pugnatores: alij boum pastores, alij subulci, alij institores, alij interpretes, alij gubernatores nauales. Herod. lib.2.

Politia AEGYPTIORVM olim in tria hominum genera instituta, agricolarum, pastorum, opificum. Agricolæ parua quadā mercede à sacerdotibus regeq; aut militibus agros mercati, per omnem ætatem ab ipsa pueritia rei rusticæ sine intermissione uacant. Quo fit, ut agricultura cęteris tum ob doctrinam à parētibus perceptam, tum ob cōtinuum usum præstent. Norunt enim præ cæteris diligenter agrorum naturam, rigandi, serendiq; ac metendi tempora, & fructuum seruandorum commoditates, tum parētum obseruatione, tum sua diligentia cognita. Eodem modo & pastores cura atq; arte regendi pecoris à patribus accepta, semper in eo gubernando ætatem agunt. Multum eis conferunt quæ à progenitoribus de pecorū cultu ac pascuis audierūt, à nonnullis etiam quædam suo studio adinuenta. Nam qui aues & anseres nutriunt, præter earum quæ apud alios homines habentūr, procreandi naturā, adeò illis indulgent, ut in numerum dictu mirabilem auium euadant. Nō enim ouis incubant aues, sed ipsi ingenio & naturali arte ex ouis præter cæterorum consuetudinem, educunt fœtus. Artes quoque apud Aegyptios admodum excultas uidemus, & ad summum perductas. Nam soli Aegyptij opifices omissa rerum publicarum cura, nullum nisi aut legibus permissum, aut à patribus traditum opus exercent: ut neq; eos docēdis inuidia, neq; ciuile odiū, neq; aliud quid ab instituto impediat exercitio. Alijs in locis licēt artificibus, relicto priori opificio, cæteris se dedere, & hos cultui agrorum, hos mercaturæ, alios pluribus artibus operam præbere. Quidam in ciuitatibus, quæ à populo reguntur, ad conciones concurrūt, in perniciem ciuitatis precio corrupti. Apud Aegyptios si quis opifex ad Rempub. accedat, aut plures exerceat artes, magna multatur pœna. Diodorus lib.1.cap.6.

PANCHAEI Arabes politiam trifariam partitam habēt. Primum locum sacerdotes tenent, quibus adduntur artifices. Secundum agricolæ. Tertium milites, quibus pastores adijciuntur. Sacerdotes omnium sunt duces: quibus & controuersiarum iudicia, & publicarum rerum arbitria permissa sunt. Rustici agros colunt, fructus omnes in commune conferentes. Qui ex eis optimè uidentur agro colendo uacare, hi usq; ad numerum decem, ad cæterorum exhortationem distribuendo fructuum iudices à sacerdotibus legūtur. Pastores tum ea, quæ ad sacra pertinent, tum reliqua in publicum, alia numero, pondere alia cum omni ferūt diligentia. Nihil enim priuatum cuiusquā est, domo atq; hortō excepto: sed tum uectigalia, tum cætera sacerdotes percipiunt: æquè illa cęteris, prout usus fuerit, dispertientes. Milites patriam armis tutantur. Diodorus lib.5. cap 10.

HIBEROS apud Albanos in quatuor genera diuisos comperimus: unum ex optimatibus, ex quibus deligūtur reges, secundum ex sacerdotibus, tertium ex agricolis & militibus, quartum ex plebeijs & popularib. Alex. lib.5. c.18.

THESPIENSES in duo diuisi sunt genera, opifices & nobilitatem: nobiles adeo sordidas artes, & omnē quæstū auersati fuere, ut ministeriū aliquod didicisse, uel arno studuisse, polluere nobilitatem crederent: itaq; illorū paupertas maximè insignis fuit. Ibidem.

THESEVS in Athenarum institutione, & Hippodamus Milesius in cōstituendo optimo reip. statu, alijq; urbiū conditores, secretis ordinib. ingenua officia à seruilib. distinxere.

ATHENIENSES colonos Saitarū Aegyptiæ gentis esse, eo asserere nitūtur, quōd soli Græcorum urbē appellent Asty, translata appellatione ab Aegyptiæ urbis uocabulo. Præterea ciuitatem Athenienſem eandem ordinationem ac partitionem habuisse cū Aegyptia, in partes tres distributa. Et primum quidem gradum fuisse nobilium, qui præ cæteris doctrinæ dedati, maiore honore digni habebantur: in ea re sacerdotibus Aegyptiis perisimiles. Secundum eorum, quibus agri erant assignati, ut armis intenti essent pro patriæ defensione: illis similes, qui in Aegypto agros tenentes, milites ad bellum subministrant. Tertius plebis erat, atq; opificum, qui artibus mercenariis intenti, necessarias operas præberent. Diod. lib.1. cap.2.

ROMVLVM constat in duos ordines populum diuisisse, plebeium scilicet & senatorū: illorumq; progeniem Patritios seu Optimates, exemplo Atheniensium, quos Apatridas uocant: humiliores uerò & inopem uulgum, Plebeios nuncupasse. Et quidem ingenuas artes reliquisse patritijs, militiā scilicet & magistratus gerere, sacra facere, ius dicere, publica & urbana negotia administrare: plebeijs aūt militiam & agrorum curam, pecoriscq; depascēdi, reliquasq; ingenuas artes demandasse, satis constat: mercaturam, sordidas pudendasq; artes, ut popinariam, & quæ manuales sunt, ad usum mortalitatis, aduenis, & his qui recens aduenerant, delegasse: Romanos uerò seruile ministerium & laboriosa negotia exercere noluisse. Proinde omni quæstu sordido illis interdixit: adeoq; quæstus omnis patribus indecorus uisus. Alex lib.5.c.18.

IDEM urbe iam condita, iuuentutem in militares ordines centuriauit. Singuli ordines peditum habebant terna milia, tricenos equites. Quia uerò ex omnibus bellicosi lecti erant, Legio dicta. Hinc reliquum cœtum habuit & dixit Populum. Centum præstantissimorum delegit consiliū, eosq; Patres uocauit: collegium Senatū. Plut. in Romulo.

SERVIVS Tullus Rom. rex, instituit pacis opus, ad rem militarem utilissimum, ut quemadmodū Numa sacrorum, diuinicq; iuris fuisset auctor, ita ipse omnium ciuitatis discriminum. Res eò spectabat, ut belli pacisq; munia, non uiritim, ut antea, sed pro pecuniarum habitu fierent. In classes igitur & centurias, omnem ciuium multitudinem partitus est. Quorum ordinum ratio fuit, ut ij, quorum res centum millibus æris censerentur, in prima classe essent, quæ centurias habuit octoginta, pari numero iuniorum seniorumq;, ut hi ad urbis custodiam præstò essent, iuuenes foris bella gererent. Arma utrisq; imperata, galea, clypeus, lorica, ocreæ, & hæc, quæ corpus tegerent. In hostes, hasta & gladius. Additæ huic classi duæ Fabrūm centuriæ, qui in bellum machinas ferrent, & ob id inermes. Altera classis ex uiginti facta est centurijs, quarum census ab quinq; & septuaginta millibus, ad centum millia extendebatur. Arma illis, scutum, galea, ocreæ, lorica duntaxat ademta. Tela in hostes, eadem. Idem ætatis discrimen. Tertij ordinis census in quinquaginta millia descendit, totidem centuriæ, nec in armis quicquam præter ocreas uariatum. Par centuriarum numerus. Quartæ classis census adhuc minor: quippe qui à quinquaginta millibus in summam dimidio minorem contraheretur, nihil his datum præter hastam & uerutum. Triginta centuriæ quintam expleuēre classem, fundam his & lapides missiles ferre in pugnam iussum est, & in his Accensi, Cornicines, & Tibicines, in tres centurias distributi undecim millibus est hæc classis æstimata. Minor deinceps census reliquam habuit multitudinem, cui ob inopiam, militiæ munus, tributumq; Tullus remisit. Et hæc fuit prima cēsus æstimatio, per eos ipsos qui possiderent ab initio facta. Adeò simul ciues iuramento singuliq; sua bona æstimare, quibus parentibus orti essent, quos filios haberent, cuius ipsi ætatis, cuius uxores, liberiq;, quæ illorum nomina, quo urbis loco, aut quo regionis pago domicilium haberent, proposita ijs qui fallerent pœna, ut ademtis bonis ipsi uerberibus cæsi uenderentur. Peditum numero in hunc modū distributo ex primoribus ciuitatis nouos scripsit equitum ordines, ut cum ijs, quæ fuerant sub Romulo inauguratæ, quæq; illis postea à Tarquinio additæ, duodeuiginti essent centuriæ, dena millia æris singulis ad emendos equos data ex publico, & ad eos alendos duo millia in annum constituta, uiduæ equitibus attributæ, quæ annuam pecuniam penderēt. Tullus perfecto censu edixit, ut pedites equitesq; suis quisq; ordinibus prima luce sibi in campo, qui postea Martius cognominatus est, armati adessent, uincula & mortem comminatus, si quis dicto minus audiens esset, instructum ibi exercitū Seruius recognouit, lustrauitq; oue, sue, tauro: Dionysius pro sue hircum scripsit. Id Romani conditum lustrum dixere, quia censendi sit tum finis factus, censa sunt octoginta ciuium millia. Fabius Pictor uirorum, qui arma ferre poterant, eum fuisse numerū prodidit. Sab. lib.5. En.2. Tubero in Historiarum primo scripsit, Tullum cùm illas quinq; classes iuniorum census faciendi gratia institueret, pueros esse existimasse, qui minores esset annis septendecim: atq; inde anno decimoseptimo, quos idoneos iam esse Reipub. arbitraretur, milites scripsisse: eosq; ad annum quadragesimum sextum Iuniores, supraq; cum annum Seniores appellasse Gellius lib.10. cap 28.

Quū duo ordines, Plebis scilicet & Senatorius, Romæ à principio editi fuissent, EQVESTRIS ordo, qui medium teneret locum, postea adiectus est: quibus purpura, ut patritijs & senatorijs, uti non licebat: ius tamen anulorum aureorum, quo insigni à plebe secernebātur, & medius ordo notabatur, publicè tributum ferunt. Quod quidē ius nō equitibus modò, tanquam bellicæ uirtutis insigne, sed & senatoribus & militiæ primoribus datum fuit. Is tamē ordo etsi senatorio minor, magnę tamen amplitudinis uigorisq; habitus est: quippe erat auctus amplissimis honoribus, & senatorio penè par. Nam cùm à principio originum, eiecto Tarquinio, & depulso metu regio, in libertatē se urbs uindicasset, Brutus primus ex equestri ordine senatum supplevit, trecentosq; delegit senatores, quorum cōsilio & auctoritate niterentur. Lapsis deinde temporibus, C. Gracchus Tiberij frater, & haud multo pòst Liuius Drusus tribunus plebis, uberiori compendio eum aliquando ordinem cum senatorio cōfundere decreuerunt: utq; plus dignitatis ferret, ut in senatum uenire, & sententiam dicere liceret, lege sacrata, deinde plebiscito sanxerūt. Cœpit etiam in senatuſ-

consultis post populum Romanum equester ordo adiici, ita ut senatus populusq; Romanus & equester ordo publica decreta edictaq; testarentur. Eoq; dignationis ordo processit, ut Mecœnas equestri gradu uelut amplissimo fastigio contentus, ad senatorium transire non curarit. Cui postea sequuti Cæsares, laticlauum, distinctum tamen à senatorio uelut honoris ornamentum tradidere. Cautumq; fuit, ne quis huic ordini ascisceretur, néue ius anulorum aureorũ daretur, nisi ipse ingenuus, pater & auus ingenui forent, cuiq; sestertia quadringenta, quod peculium equestre habitum est, census fuisset, quod etiam Tiberij edicto caueba tur. Flos ordinis equestris Fabius Rutilianus inter ornatissimos fuisse proditur, qui magister equitum cum Papyrio Cursore aduersus Samnites militauit. Quo tempore, perpetuo senatusconsulto cautum fuit, ne cui pater, auus, aut maritus, eques Romanus fuisset, quęstum sui corporis faceret, aut indignis artibus se polluereret. Alex. lib. 2. cap. 29. Equites apud Rom serò tandem, M. Tullij patrocinio, tertium corpus in Rep. facti sunt, medij inter plebem atq; patres. Sub Romulo Celeres appellati, deinde Flexumines, postea Trosfuli, capro oppido Tuscorum eius nominis, sine ullo pedium adiumento. Gracchi primi omnium ordinem hunc iudicum appellatione separari instituere, in contumeliam senatus. Post eos auctoritas nominis circa publicanos subsistit, & aliquandiu tertiæ uires publicani fuêre, ad Ciceronẽ usq; Plin. lib. 33. cap. 1.

Apud CHALCIDENSES tanta ratio peculij habita est, ut qui essent locupletes, Equitum nomina ferrent. CRETENSES quoq; equitum ordinem, & uetustate & dignitate longè præcipuum, in magno precio habuere. ACHÆIS equester honor, uelut præcipuo semper munere præcellunt, sicut GERMANIS qui Bataui dicuntur. Et CAPVÆ equitibus plerunque est honos habitus, quibus ciuitas data est, quòd bello Latino à Romanis non desciuissent. Maximæ uetò celebritatis apud GADITANOS hic ordo fuisse traditur. Siquidem uno censu quadringenti Gaditani bello egregij, hunc ordinis censi traduntur. Qui etiam numerus in equestri dignitate Patauij fuisse proditus est. Teste Strabone lib. 3. & 5. Alex. lib. 2. cap. 29.

Nero Cæsar ordinem AVGVSTANORVM equitum primus instituit, reliquis per eum ordinibus offensis, & ferè destitutis. Alex. lib. 2 cap. 29.

Paulò ante obitũ suum LYBVSSA, Premislai Boemorum ducis uxor, discreto per ordines populo, nobilibus quidem magistratus atque honores capiendi potestatem fecit: colonos uerò & opifices intra suam quemq; eorum pelliculam continere se iussit. Dubrauius lib. 7.

SINARVM populi in India regem quasi quoddam cœleste numen colunt: qui tamen ratũ admodum se conspiciendũ exhibet. Resp. in tres partes est distributa. Principatum ij, qui in disciplinis, & iuris studio ualdè profecerunt, obtinent. Secundus honoris gradus militibus assignatur. Postremi ordinis sunt, qui artes fabriles colunt. In studiis quãtum quisque profecerit, iudicio eorum, qui maximis artibus præsunt, examinari solet. Sunt autem ordines horum iudiciorum gradatim instituti, ita ut ei, qui infimi ordinis approbationem consequutus est, si uelit ad altiorem locum dignitatis aspirare, sint grauiora doctiorum hominum iudicia subeunda. Qui plurimis & doctissimis probatus extiterit, is ampliores in Rep. honores consequitur. Osorius lib. 11 rerum Emmanuelis.

AETATIS.

PERSARVM ad centum & uiginti millia ferunt esse. Horum nemo lege ab honoribus magistratibusq; retcitur, sed cuiuis ius est liberos suos ad iustitiæ magistratorum ædes publicas mittere. Mittunt autem, qui alere liberos suos in ouo possunt. Hoc qui præstare nequeunt, non mittunt. Eis sanè, qui publicos apud magistros institui fuerint, post 16. annũ ætatis inter ephebos adolescentiari licet: id quod illis haud fas est, qui institutionem hanc non sunt adepti. Qui autem inter ephebos ea, quæ præscripta legibus sunt, constanter præstiterunt, eis uigesimosexto ætatis anno uirorum in contubernio agere licet, ac magistratuum dignitatumq; participes fieri. Sin qui uel inter pueros, uel adolescentes non uixerunt, hi ne perfectorum quidem in numerum admittuntur. Quòd si qui porrò inter ephebos inculpatè se gesserint, ij post annum 1. seniorum in ordinem cooptantur. Atque hoc modo seniores constituuntur, qui omnibus in pulcris honestisq; rebus uersati fuerunt. Xenoph. lib. 1. Pædiæ.

OPVLENTIÆ, PAVPERTATIS.

SOLON Atheniensium legislator cùm magistratus omnes penes locupletes, ut antè, statueret relinquere, reliqua autem munia Reip. quorum plebs exors erat, facere promisset, censum ciuium egit. Ac quorum facultates aridorum simus & liquidorum fructuum mensuras quingentas redderent, hos primæ classis fecit, uocauitq; Pentacosiomedimnos. Secundæ classis eos, qui CCCC medimnorum, qui equum alere aut trecentas ualerent efficere: atque hos ordinem equestrẽ nuncupauerunt. Hi principiò fuêre DC. post auctò ciuitate, MCC. Vnde in festiuitatibus & pompis eorum sacrificia θυσίαι ἱππάδες dicebantur, id est, equestria sacra, eisq; licuit honores petere, & comam alere. Zeugitæ, seu Zygitæ, quasi opifices, tertiæ classis ciues dicti, quibus modus utriusq; generis simul erat ducentarum: quorum bini, si opus esset, unum equum præberent. Reliqui omnes appellati Thetes, id est, capite censi. His nullum magistratum permisit: cæterùm hactenus in societatem ueniebant hi Reip. ut suffragium in concionem & calculum haberent in iudiciis: quod initiò nihil esse, tractu apparuit ingens. Quippe magna controuersiarum pars recidit ad iudices. Plutarchus in Solone, & Suidas in uoce ἱππάδες.

Symmoriæ Athenis erant uelut tribus aut classes, in quas dites modò, quiq; conferendis sufficerent tributis, conijciebantur: unde symmoriæ, ceu contribules. Extat Demosthenis oratio περὶ συμμοριῶν. In Symmorias distributi Atheniensis sunt, Nausinico Rempublicam gerente, quod Philochorus scribit, & in Lexico rhetorico repetit Harpocratio, ut de Suida taceam. Cæl. lib. 12. cap. 19. A. L.

Thetes ordo Athenis erat quartus, census ratione: nam principe loco fuere pentacosio medimni, ab medimnis quingentis: uelut quingenumedimni, qui necessitate urgente, talentum pendebant, id est, aureos sexcentos, aliàs tributi expertes erant Athenienses, ut indicat Thucydides. Dicebantur autem sic, quòd tot terræ metra, id est, mẽsuras ararent. Secundi ordinis habebantur ἱππεῖς, id est, equites, quoniam alere equos possent: hi metia arabant trecenta, seminalentum pendebant. Zeugitæ metra colebant ducenta, ab equiti dictis inferioribus, minus hi decem conferebant. Thetes ordo postremus erat locus, qui opifices intelliguntur, ab gerendis magistratibus remoti, & tributorum exsortes. Cælius libro 25. cap. 18 A. L.

Seruius Tullius Rom. rex, pop. Rom. in sex classes diuisit. Prima classis erat eorum, qui centum milia assium in censu haberẽt, aut plura: tametsi illo rege cẽsus maximus fuit CXM. ut tradit Plin. lib. 33. Secunda, qui censum intra centũ & septuaginta quinq; grauis æris milia essent professi. Tertia eorum qui quinquaginta. Quarta, qui quinq; & uiginti milia. Quinta, qui undecim milia. Hic una centuria fuit immunis militia, tenuium hominũ, proletariorum, & capite censorum. Proletarii erant, qui mille & quingentos asses in censum deferebant, plus minus: qui solùm in ciuitate sufficiendæ proli, nulli alteri uiderentur uacare publico munerĩ: unde a prole proletarii nũcupati. Capite censi tenuiores erãt, qui 375. asses haberent in censu: qui quoniam pecunia non uiderentur censi, capite suo censebantur. numerum ciuium augentes. Hæc duo hominum genera immunia fecit militia Seruius Tullius, non quòd arma ij sis turò non committerentur, aut quòd nullum haberent uelut obsidem in patria, qui pro eorum forti opera sponderet, qualẽ putabant uel præcipuam pecuniam: sed quia bellicos sumtus ferre non possent. Illis enim tẽporibus milites de suo se alebant. Fieri potest, ut post tributum institutum uetus mos remanserit, & causæ, cur illi homines non militarẽt, tales sint pop. Rom. uisæ, qui omnia pecunia metiebatur. Nã eas Valerius & A. Gellius reddunt. Proletarii iam aliis temporibus militarunt: capite censis primus arma dedit C. Marius bello Iugurtino: teste Salustio & Valerio. Idem Quintilianus tangit in milite Mariano. Hinc ipse Marius imperator Capitecensus nuncupatus est. Viues in lib. 3. Aug. de ciu. Dei c. 12.

Qui in plebe Romana tenuissimi pauperrimiq; erant, neque amplius quàm mille quingentum æris in censum deferebant, PROLETARII appellati sunt: qui uerò nullo, aut perquàm paruo ære censebantur, Capitecensi uocabantur. Extremus autem census capite censorum, æris fuit 375. Sed quoniam res pecuniaq; familiaris, obsidis uice pignoris, apud Remp. uidebantur, amorisque in patriam fides quædam in ea firmamentumq; erat: neq; Proletarij, neque Capitecensi milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur, quia familia his aut tenuis, aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquãto & re & nomine, quàm Capitecensorum fuit. Nam & asperis reip. temporibus, cùm iuuentutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur, armaq; iis sumtu publico præbebantur, & non capitis censione, sed prosperiore uocabulo, à munere officioque prolis edendæ, appellati sunt: quòd cùm re familiari parua minus possent rempublicam iuuare, sobolis tamen gignendæ copia ciuitatem frequentarent. Capitecensos autem primus C. Marius, ut quidam ferunt, bello Cimbrico difficillimis reipublicæ temporibus, uel potius, ut Salustius ait, bello Iugurthino, milites scriptisse traditur, cùm id factum antè in nulla memoria extaret. Gell. lib. 16. ca. 10. Noct. Att.

Apud

Apud Rom. CLASSICI dicebantur ciues, κατ' ἐξοχὴν, primæ classis homines, qui CXXV milliarij ampliuue censi erant. Infra classem autem appellabantur cæteratum omnium classium, qui minore summa æris censebantur. Gellius libro 7. capite 13.

NOBILITATIS.

Nobilitas splendorẽ significat nominis, comparatum meritis uel propriis (sic iuxta Satyricum—nobilitas sola est atq; unica Virtus) uel alienis, quam Græci ἐυγένειαν dicũt, & Aristoteles esse definit antiquam maiorum uirtutem. Vt troius modo distinguuntur Nobiles à Plebeiis, quatenus Reip. sunt partes: non secus atq; in humano corpore membra seu partes Principes à Non principibus.

AEGYPTII, GRÆCI, SCYTHÆ, PERSÆ & LYDI, omnes, qui artificio incumberent, pro ignobilibus ducebãt: qui uerò militiæ, generosos. Alex. lib. 5. c. 18.

Nobiles ROMÆ dicebantur, quorũ patres aut maiores magistratum curulem gesserant: & Nouis hominibus opponebãtur, siue ij patritij essent, siue plebeij. Sed cùm duas hasce subiectas species haberet nobilitas, accidit, qd' in aliis plerisq;, ut altera species generis sui nomẽ retineret: & specialiæ, proprio nomine Nobiles dicerẽtur, q plebeiæ gẽtis cùm essent, maiores tamen curulibus magistratibus honoratos habuerant. Itaq; Pedianus perspicuè ac diluciдè Patricios à Nobilibus distinguit. Hotoman. de Verbis iuris.

ROMANORVM patricij lunulas in pedibus habebant, hoc est, fibulas eburneas corniculantes instar lunæ, quod à Numa institutum ferunt, (Alex. lib. 5. cap. 18.) ne nimis extollerentur indulgentia fortunæ fauentis: sed admonerentur instabilitatis rerum humanarum: exemplo lunæ, quæ modò clarissima nitet orbe pleno, modò omni splẽdore induata, ad nihilum redit. Guido Bitur. Nõ sine specie prouerbij Ciceroni dictus est mutasse calceos, qui nullo suo merito senatorium dignitatẽ usurpauit, cuius insigne erat nigro calceo addita lunula circa talum. M. Tullij uerba sic habẽt: Est etiam Asinius quidam senator uoluntarius, lectus ipse à se. Apertam uidit curiam post Cæsaris mortem, mutauit calceos, pater conscriptus repentè factus est. Quemadmodum clauus aureus in toga signum erat senatoriæ dignitatis, ita nigra aluta circa talos addita, declarabat eandem dignitatem. Erasmus.

NEAPOLITANI, qui præ cæteris Italis nobilitatem præ se ferunt, eam in desidia atq; ignauia collocare uidentur. Nulli enim præterquam inerti otio intenti, ex suis possessionibus uitam degunt. Nefas est nobili, rei rusticæ aut suis rationibus cognoscendis operam dare. Sedentes in atrius, aut equitando tempus terunt. Etiam si improbi fuerint, dummodò priscis domibus orti, se nobiles profitentur. Mercaturam ut rem turpissimam uilissimamq; exhorrẽt, adeò fastu nobilitatis tumẽtes, ut quantumuis egenus atq; inops, citius fame interiret, quàm filiam uel opulentissimo mercatori matrimonio collocaret: maunlq; sutis & latrocinio, quàm honesto questui uacare. Scio uirum quendam equestris ordinis, genere atq; opibus præclarum, quòd aliquando, ut patremfamiliãs decet, uina ex uariis prædiis collecta simul uendere esset solitus, pro mercatore uelut infamem habitum, filiam etiam grandi dote uix nuptui dare potuisse, adeò mercaturæ nomen apud ignaros atq; inertes turpe atq; obscœnum putatur. Huic contraria est VENETORVM consuetudo, inter quos nobilitas ueluti factio quædam ab reliquo populo distincta, mercaturam omnis exercet, ea quo que equestris ordinis insignio potitur. Omnes enim, qui reipub. muneribus funguntur, quiq; ex ordine senatorio sunt, nascuntur, atq; appellantur nobiles. ROMANI qui appellãtur nobiles, mercaturam ut rem uilem atq; abiectam contemnunt, cultui agrorum & rei rusticæ uacare, gregis atq; armentorum curam gerere, re pecuaria opes quærere, quæstum honestum & uiro nobili dignum putãt, idq; eis, qui possunt agere, etiamsi recenti sint familia, hoc lucri genere patefit aditus ad nobilitatem. Est apud hos honesta, licet rusticana nobilitas, longè distans à Neapolitana. ANGLI nobiles in ciuitatibus morati ignominiæ loco putant, rura, syluis ac pascuis seclusa inhabitant, nobiliorẽ ex censu iudicant, rem rusticam curant, uendentes lanam & armentorum fœtus, neq; turpe existimant admisceri quæstui rusticano. Multos quoq; aliquod præstans in bello facinus, acceptis à principe donis, nobilitauit. HISPANIA duplici nobilitate utitur. Nam & qui in suis ciuitatibus antiquo genere orti cæteris præsunt diuitiis præditi, & qui in campis commorãtes nutriuntur ex prædiorum censu, eum ornatiore quodam uiuendi ritu, quæ cæteris præstent, nobilium nomen tenent. Hos inter omnes equester ordo primum nobilitatis locum habet. Apud GRÆCOS quicunq; ad Imperatoris aulam uocati seruitio eius insistunt, quantumuis abiecti generis ob principis consuetudinem ac familiaritatem, nobilitatis titulo potiuntur, appellantuq; deinceps nobiles. AEGYPTIIS ac SYRIS nulla habetur, nisi eorum qui militiæ dedũtur, qui soli excellunt ac dominantur, reliquis seruorum loco habitis. At hos omnes constat esse emptitios seruos, qui postmodum præfecturas equitum prouinciarumq; sortiti, usq; adeò fortunæ beneficio extolluntur, ut ex eis potentior regnum occupet, uiribus armorum fretus. TVRCAS & superiores Sarmatas arma nobilitant. Nam ordines ducũt, ditati prædiis nobiles ducuntur, & ipsi quoque ex seruitio maiori ex parte ad militiam asciti: pueri enim emti precio militiam condiscunt, in qua excellere parit nobilitatem. Poggius de Nobilitate.

Apud TVRCOS nullum est discrimen generis ac nobilitatis; longa ex serie maiorum: sed qui fortior in bello præclariores res ediderit, generosior ac nobilior cæteris habetur (quod & apud Romanos obseruatum est) præmiaq; plura & maiora fortitur, quò quis strenuè magis manũ cum hoste conseruerit. Ob id iussi per æqua & iniqua uadunt præcipites, profunda & uorticosa tranant flumina, abruptos superant montes, non uitæ, sed Imperii memores. Peruigilii, inediq, laborum omnium tolerantissimi. Rara seditio inter eos, rarus tumultus: qui mox si acciderit, multatur tumultus auctor. Cuspinianus.

AVCTORITATIS.

SCYTHIS & THRACIBVS, qui in ótio degunt, honestissimi habentur, qui prudẽtia & auctoritate anteibant cæteris.

LIBERTATIS.

Triplex in ciuitatibus cõditio, Seruilis, Libertina, & Ingenua. Ingenuorum triplex ordo, Plebeius, Equester & Patritius. Sabellicus.

Ingenuus est is, ait Imp. qui statim, ut natus est, liber est: siue ex duob. liberis matrimonio editus est, siue ex libertinis duobus, siue ex altero libertino, & altero ingenuo. de Ingen. in prin. Hotoman. de Verbis iuris.

GRÆCIS dissimiles & longè dispares libertatis species fuêre: siquidem non pari libertate fruuntur, aut uectigali & tributo premuntur omnes: quippe Tenedij & Hæmii uectigales erant: Chii tributorum immunes & liberi, nauibus tantummodo præstandis obnoxii: Cythera Laconiæ insula hoc tantùm premebatur onere, ut è Sparta præfectum quotannis reciperet, ad reddendum ius: Lacones præter amicorũ ministeria aliud nihil tributi nomine pendebant. Alex. lib. 4. cap. 10.

Proditum memoriæ est, quum in dubium ueniret, qui liberi essẽt populi, quinè stipẽdiarii, à M. Antonino Imp. Publicos tabellarios institutos, ut si in prouincia quispiam caufam libertatem diceret, per eos testationes libertatis, & alia immunitatis documenta Romam ferrent. Minorem uerò libertatem, seu mediam, ij assequi dicebantur, qui manu à prætore emissi, non Romani ciues, sed Latini nominis tantùm, ex lege Iunia Norbana fiebant: uel suprema uoluntate domini testamẽto, si eum hoc expresso manumisisset: aut si inter amicos dextra apprehensum, ad se conuertens, liberum esse iussisset. Hi enim his immunitatibus, quæ Latinis populis societate & fœdere iuncta indulta erant, fungebantur. nam & in urbe ut Latini censebantur: & in castris ut milites ex Latinis coloniis, non ut externi aut seuium armorum auxiliari, stipendia merebant. Fuitq; obseruatum, ut qui ius ciuitatis haberet, si Latinas colonias incoleret, non ideo solum uenisse, aut ius ciuitatis amisisse putaretur. Et quamuis in Romanis castris, qui militabant, si quid deliquissent, si externi, flagellis & uirgis, si uerò Romani ciues forent, uitibus cædeiebantur: tamen Liuius Drusus, & C. Gracchus tribuni pl. neliceret quempiam Latini nominis uirgis afficere, sed uitibus, plebiscito sanxerunt, in hac re Latinos populos Romanis coæquantes. Tertiã deniq; libertatem, quam minimam dixere, assequuntur hi, qui manumissi, nec ciuitatem, nec ius Latii habentes, deditionũ numero censentur: qui nullis priuilegiis fulti, uiuẽntes liberi erãt, & ueluti ingenui munia publica priuataq; obire, magistratusq; & cætera dignitatis ornamenta, quæ libero debentur, assequi poterant: morientes autem, uitam unà & libertatem amittebant: ideo decedentes, neque testati poterant, neq; post obitum de bonis disponere, præter patroni uoluntãtem, adeò ut eorum bonis, quasi serui peculio, manumissores potirentur. Quod etiam cum Latinæ libertatis nominibus multi commune dixerunt. Fuere autẽ deditirij, qui uicti armis, & in fidem recepti, tantũ ne seruirent, neuę sub mancipio essent, immunes facti sunt: cuius etiam generis seruntur serui, qui post admissa crimina, suppliciis subditi, aut publicè pro criminibus cæsi, uel in quorum facie notæ seruitutis impressæ fuerant. Diuq; hæc discrimina libertatum & dissimiles species fuere: donec sequuti principes, pertæsi multiplices uariasq; libertates dari, ueteribus legibus

bus abrogatis, nouisq; adscitis & cooptatis, exæquato omnium iure, statuerunt, ut manumissi apud prætorem, plenam assequerentur ciuitatē & libertatem. Inde abusus inualuit postea, deprauatis moribus, ut multi serui per rapinas & furta quæsitis pecuniis libertatē à dominis emerent, statimq; liberi & ciues Romani fierent. Alex.lib.4.c.10.

GENTIS, PATRIÆ.

ITALIÆ populi ex Arcadibus, Troianis, Sicanis, Gallis, Græcis, Gothis, Hunnis, Vandalis, Herulis, Longobardis, Pœnis, Normannis missi sunt & confusi. Itaq; colluuies quædam omnium gentiū de Italia triumphantium in Italia fæcis instar resedit, & pulcerrimam regionem sibi parere coegit. Io. Bodinus Methodi histor. cap.9. Sed ex hac fæce spiritus generosos admodū summus ille Chymista Deus per multos iam annos elicuit.

QVADORVM regionem cùm Lechus frater Czechi occupasset, eam Poloniam à campestri planitie, quam uernacula lingua Pole dicunt, appellauit: duraùitque illi hoc nomen, quamdiu sub ditione Polonorū fuit. Postremò Boemi illam nacti, quum uiderent præter Polonos, Milnios quoq; ac Pomeranos, Marchitasq;, & aliam miscellaneam turbam illò uelut irrepere, à serpendo Slesitas natiuo suo sermone appellare cœperūt. Nunc Sylesitæ uocari maluerunt, patriamq; Sylesiam. Dubrauius lib.8.

MVNICIPES, COLONI.

Differt Colonia à Municipio, quia ex ciuitate colonia aliò traducitur, municipes uerò aliunde in ciuitatem ueniunt. In quo animaduertendum, plura fuisse Coloniarum genera: namque aliæ Latinæ, aliæ ciuium Romanorum dicēdæ sunt, aliæ ex utrisq;: nonnullæ ex peditibus uel equitibus, quum in agrum bello captum stirpis augendę causa mittebantur: siquidem Bononia, colonia Latina fuit: Mutina & Parma ciuium Romanorum: Placentia equites solos habuit Latinos: licēt Cicero Placentiam municipium, non coloniam dicat esse. Eratq; constitutum, ut singulæ coloniæ annuam pensionē populo Romano penderent. tametsi Liuius Drusius trib.pl. duodecim colonias sine onere pēsionis deduxisse legatur. Gell.lib.16.c.13 & Alex.lib.4.c.10.

VENETOS Celtarū populos à Venetis Paphlagoniæ stirpē traxisse, perspicuum est: eos uerò qui sinum Adriaticum tenent, à Venetis Celtarum deriuat Strabo libro quinto: tametsi Liuius aliter sentiat. Ioannes Bodinus capite nono Methodi historicæ.

Politiarum Forma.

COMMVNITAS POLITICA PRIMARIA.

NIMIRVM

IMPERII, MAGISTRATVS: RATIONE HABITA EORVM qui participant

QVANTITATIS. SIC' IMPERIUM est penes

Vnum, Puta in

Regno.

Sub id tempus, quo regnum Israelitarum à Samuele prophēta est in Syria constitutum, aut certē non multo prius, in ea parte Europæ, quæ Apie primò, mox Pelasgia, nouissimè Peloponnesus est dicta, SICYONIORVM regnum esse desijt, quum annos duos & sexaginta supra octingentos esset ille regnatum. Zeuxippus sextus ac uigesimus ab Aegialeo, qui id regnum condidit, omnium postremus ibi est rerum potitus. Sabellicus lib.8. Enneadis primæ.

Primæ regni ITALIÆ origines à Lōgobardis inductę, accessiones à Frācis additæ sint: quæ relinquūtur omnia, beneficio Germanorum debentur: qui rerum Italicarum potiti, uetera Francorum instituta magna ex parte retinuerunt, regnumq; ipsum nouis institutis ac legibus temperarunt. Sigonius lib.7. regni Ital.

Tyrannide.

Ex locis Tyrannorum hic plerq; omnia.

Paucis. Vt in

Aristocratia.

THEBÆI tempore Nini Assyriorum regis imperabant Aegyptiis, quorum dominatus ὀλιγαρχία dicebatur, aristocratiæ similis, quòd potentiores nobiliores q; Rempub. administrarent. Eusebius circa annum mundi MMMCLXXXV.

RHODII plebis curam habent, nō tamen à plebe gubernantur, sed retinere pauperum multitudinem uolūt. plebs uaq; ab eis nutritur. Nam diuites patria quadam consuetudine pauperes accipiunt: pauperes uerò ab illis enutriti, munera quædam ciuitatis peragunt. Vnde simul & ipsi uictum habent, & ciuitas necessarius ministeriis non fraudatur, præsertim ad res nauales. Strabo lib.14.

MASSILIENSES rem urbanam per optimates & Aristocratiam regentes, omnes legum æquitate superant, consilium DE exuitis instituentes, qui quoad uita superst, id honoris genus habent, quos τιμοῦχοι. id est, honore præditos, appellāt. Quindecim uero senatus sunt principes, quibus quæ in dies accidunt, moderari ac regere datum est. Rursum ex hisce quindecim tres sunt præsides, quibus plurimum potestatis attribuitur. Verùm ex his nemo timuchus creatur, nisi liberos habeat, & de ciuium sanguine tertiam per generationem ortus sit. Eorum leges Ionico more sunt publicē propositæ. Strabo lib.4. Geographiæ.

Omnes. Videlicet in

Democratia.

Nullam nouimus populare remp. magnos habuisse progressus, ATHENIENSIBVS exceptis, qui & præcipua quadā prudētia cæteris Græcis præstiterunt, & suas religiosissimè omnium leges obseruarunt Pausanias in Messeniacis.

QVALITATIS. RESPECTV

Professionis.

THEBANIS lex data est, ut ad publica munera nemo accedat, nisi annis X à mercimonijs cessarit. Adeò exosam habuerunt usuram, quam Reipublicæ pestem esse putabant. Alex.lib.4 c.6.

Ciuitatis.

PERICLES, Atheniensium dux, legē scripsit, ut nemo ad gubernandā rempub. accedere permitteretur, nisi qui utroq; parente ciue natus esset, quem tamen ipsum legis ultio attigit. Nam duo filii Paralus & Xanthippus, cùm peste absumerentur, legitimo thoro nati, nothi superfuere tantum, quibus rempublicam administrandi potestas patris lege erepta erat. Aelianus lib 6. de Varia historia.

Lege Papia fuit ROMÆ constitutū, ut nemo ad honores magistratusue admitteretur, nisi ciuis effici, aut ciuitate donari antea meruisset. Propterea Perpennæ probro obiectum fuit, falsoq; consul fuisse creditus est, quòd contra legem Papiam, priusquam admitteretur ad ciuitatem, consul factus esset. Alex.lib.4.c 22.

CONSILII, SVFFRAGII.

Nō omnes qui in ciuitatē ROM. adscriti erant, protinus suffragii ius in trib habuerūt, uel ad magistratus & honores admissi sunt: quia nisi ius suffragii à populo his impartiretur, atq; in tribus admissi descriptiq; fuissent, ad dandos honores promouendosq; magistratus, ius suffragii non habebant: siquidem multis dabatur ciuitas sine suffragio, plerisq; ius Quiritum, nonnullis libertas, aliquibus ius municipii & fœderis, pluribus ius Latij: alii tanquam coloni, alii stipendiarij & uectigales habiti, nonnulli sponsione in amicitiam recepti fuere. Alex.lib.4.c.10.

In quatuor urbanas tribus Q. FABIVS Rullus omnem forensem factionem Censor coegit: quod adeo populo gratum dicunt fuisse, ut ex hoc Maximi nomē assequi meruerit. Lapsis inde tēporibus, cùm Cn. Manlius tribunus plebis perniciosissimas leges ferre uellet, ut libertinis in omnibus tribubus assciribi & suffragari liceret: ira à Cn. Domitio prætore truci oratione contractus fuit, ut sublata rogatione, turpissimè desiterit. Demū Clodius tribunus plebis, dum infensis animis patricios insectatur, ut libertini, qui in tribus solùm tribub. suffragia ferebant, in urbanis quoq;, quæ ingenuorum sunt, suffragari possent, legem tulit & promulgauit: quod aliquandiu mansit. Alex. lib.1.c.17.

IVDICII.

Ex Tit. Iudicii, Qui legantur, hic quædam, diuersa tamen respicēs.

COM-

COMMVNITAS POLITICA SECVNDARIA.

Huc pertinet Communitas

SOCIETATIS CIVILIS. Ciuitatis ius uel

DATVM

Quibus. Verbi causa

Peregrinis.

Ex quo Romani in regni societatem & in ciuitatem ITALOS uocarunt, decretum est & Gallis Cisalpinis, & Venetis idē honoris impartire, uniuersosque Italos Romanos uocare. Strabo lib.5 Geographiæ.

CLAVDIVS Cæsar multas barbaras gentes dōnauit ciuitate Romana: dicens, nihil magis fuisse Lacedæmonijs & Atheniensibus exitio, quàm quòd in societatem ciuitatis nunquam recepissent, quos uicissent armis. Mox sub Hispanis & Afris & Thracibus & aliarum nationum Cæsaribus paulatim integræ prouinciæ, & totum denique imperium donatum est iure ciuitatis Romanæ. Et cùm initiò reliqui omnes præter Græcos dicerentur Barbari, etiam Romani ipsi iam domini, pòst Latini & Itali, ea sunt nota exemti, donatis prouinciis omnibus ciuitate: illiq; soli nomine barbarici sunt notati, qui sub Romano imperio non essent: & hic est sensus Herodiani, Spartani, Eutropii, & recentiorum historicorum, cùm de Barbaris loquuntur. Ita Rhenus duas dicebatur habere ripas: hanc citeriorem Romanam, illam ulteriorem Barbaram. Donatis ciuitate multis gentibus, etiam in senatum ex illis complures sunt ascripti, fuerunt q; senatores, tametsi Romam nunquā uenissent: ut ciues alij, qui Romam nunquam uiderant.

Anno Sal 1342. VENETÆ urbi, præcedente terræmotu, noua uis pestilentiæ inguinariæ incubuit adeò lethalis, ut ex omni languentium numero uix centēsimus quisq; mortem euasserit. Ex Scythia primùm orta dicitur, inde per orā Pontici maris & Hellespontum grassata, per Græciam demùm & Illyricum Italiæ insinuatur. Hanc credo esse pestilentiam, quæ Italiam humano cultu insigniter deformauit. Veneti in tam fœda urbis uastitate edictū proposuere, ut quicunq; hominum Venetias cum coniuge & liberis peterent habitandi causa, perseuerarentq; biennio in nouo incolatu, pro ciuibus haberentur. Sabellicus lib.8. Enneadis 9.

Exulibus, Artificibus.

Solō pegrinos ATHENIENSIVM recipi ciuitate uetat, nisi qui sint in perpetuū exilio patria sua exacti, aut cū toto domicilio Athenas artis suæ exercendæ gratia commigrauerint. Quod statuisse ferunt eum non tam summouendorum causa alienigenarum, quàm inuitandorū Athenas, spe certa in communicationem se ueuturos ciuitatis: simul fidos existimans fore hos, quòd consultò, illos quòd coacti patriam suam repudiauissent. Plutarchus in Solone.

Quo modo. Nimirum

Mercede.

BYZANTINI, cùm lex esset, ne quis admitteretur ciuis, qui non esset parente utroq; ciue natus, fanxerunt, Quicunque esset soluendo libras triginta, fore ciuem. Arist. in Oecon.

SAMII à tyrannis exhausti, ob pauciratem ciuium, ius ciuitatis quinis statēribus seruis concesserunt, ut tradit Aristoteles in Republica Samiorum. Vnde prouerbium, Samiorum populus, de ignobili plebe. Suidas.

Meritis.

Vide Titulum, Ciuitatis ius Honoris ergo datum.

NON DATVM, DENEGATVM.

In genere.

Ciuitatem à principio pōcissimē populus Romanus dabat. Quippe Crasso & Scæuola consulibus, ne ius ciuitatis in colluuione & quasi promiscuum foret, cautum fuit, ne hi, qui ciues Romani non essent, pro ciuibus fierent. Alexan. lib.4. cap.10.

In specie Ratione scilicet

Natalium.

PERICLES legem tulit, ut hi solùm in ciuitatem reciperentur, qui utroque parente Athenienſi ciue nati essent. Cuius inhumanitatis pœnas luit, utroque filio pestilentia orbatus, sic ut pro magno habuerit negotio, lege abolita spurijs quoque ex peregrina natis mulieribus ciuitatis conciliare. Plut. in Pericle.

Vitæ, Morum.

Sub ipsam VENETÆ urbis originem, cùm undique magnis pollicitationibus ad nouam urbem incolendam homines, rei maritimæ nauales q; fabricæ periti, accesserentur: neque seruilis fortunæ quenquam, neq; sicarium scelestumue aliquem in eam receptum affirmant. Ex quo manifestē apparet, uiros illos optimos, urbis conditores, noluisse nascentem ciuitatem praua ulla conuenarum colluuione contaminari. Quod ipsum non modò non fecerunt illustrium urbium conditores quidā, sed ultrò flagitiosissimum quenq;, aperto ad hoc ipsum asylo, in ciuitatem euocauerunt. Verùm illi frequentiæ, hi morum sanctitati nobilitatiq; suæ consultum uoluēre. Sabellicus lib.1. Decad.1.

Peregrinationis.

THEBANI nouos incolas & peregrinam stirpem non admisere in ciuium numerum: sed omne ius ciuitatis & urbis usum peregrinis interdixerunt, uictosq; armis pro alienis arcuēre. Alex.lib.4.cap.10.

LACEDÆMONII Lycurgi legibus, & THEBANI, nouos incolas & peregrinā stirpem non admisere: sed ius ciuitatis & urbis usum peregrinis interdixere, uictosque armis pro alienis arcuere. Alexander.

SOLON Atheniensis, præter eos qui sacra, genus aut stirpem antiquissimam haberent, ius ciuitatis nullo peregrino dari mandauit. Alex.lib.4.cap.10.

Cùm ius ciuitatis passim & sine delectu etiā infimæ sortis hominibus daretur, idq; fœdum, neq, ex imperij maiestate uisum foret: lege PAPIA cautum est, ut peregrini urbe Romana uti prohiberentur, ad camq; alienigenæ non admitterentur. Alex.lib.4.c.22.

AVGVSTVS Cæsar magnum existimans, sincerum atque ab omni colluuione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum: & ciuitatem Romanam parcissimè dedit, & manumittendi modum terminauit. Tiberio proceliente Græco petenti rescripsit: non aliter se daturū, quàm si præsens sibi persuasisset, quām iustas petendi causas haberet. Et Liuiæ pro quodam tributario Gallo roganti, ciuitatem negauit, immunitatem obtulit: affirmans, Se facilius passurū sico detrahi aliquid, quàm ciuitatis Romanæ uulgari honorem. Suetonius:

CLAVDIVS Cæsar prohibuit peregrinæ conditionis homines, gentilia Romanorum nomina assumere: ciuitatemq; Romanam usurpantes, securi percussit. Alexan. libro 4. capite 10. ex Suetonio.

Seruitutis.

AVGVSTVS Cæsar, uindex maiestatis Romanæ, ne unquam tortus aut uinctus, ullo libertatis genere ciuitatē nancisceretur, edita lege statuit: ipsamq; parcissimè & uelut magnū operæpreciūm largitus fuit.

ERREPTVM, AMISSVM.

ΔΙΑΨΗΦΙΣΙΣ dicitur, quando singulorum municipiorum ciues apud ATHENIENSES conueniunt, & clàm suffragia ferunt de peregrinitatis suspectis. Qui si pluribus suffragiis absoluti fuerint, absq; controuersia ciuitatem retinent: sin minus, amittunt, eaq; iam ἀπόψηφισις dicitur. Suidas.

Excussio apud EOSDEM, quam illi ἀνάκρισιν appellarūt, fuit, cùm eos, qui se pro ciue gerebant, aut ut legitimos probarunt, aut ut adulterinos repudiarunt. Solon enim ab initio sciuit, ut tam nothi, quàm legitimi filii ciues à patribus scriberentur: nothos autem uocauit eos etiam, qui è matre peregrina, non ciue Attica, essent suscepti. Vnde Themistocles, quia matrem habuit Thracem, pro notho, teste Plutarcho, habitus est. Post annos autem aliquot Pericles, cùm propter magnam auctoritatem ac potentiam in rep. dominari uideretur, legem, ut idem testis est, tulit, ut soli ciues Athenienses essent, qui ex duobus ciuibus Athenienſibus orti essent. Itaq; Plutarchus, hac lege lata, cùm quæstiones acerbè in eos, qui se pro ciue ferrent, essent habitæ, paulò minus quinque millibus damnatos tradit: quatuordecim autem millia, & quadraginta esse retenta. Addit idem, Periclem ipsum postea, cùm à populo uix impetrasset, ut filium, quem unum, legitimis omnibus amissis, nothum habebat, lege sua solutus in ciuium tabulas referret, eū inter curiales retulisse, ac Periclis nomine affecisse. Suffragia uerò, scribit Pollux, frondibus, in quibus uerò falsosq; ciues inscripsissent, tulisse: unde ἀποφυλλοφορήσεις fuit, frondium suffragio ciuitate mouere. Iudicia uerò populorum talia ἀψηφήσεις uocata sunt. Car. Sigonius libro 2. de repub. Athenienſium.

CIVEM Romanum sine auctoritate Senatus, ciuem esse desinere fas nō erat, nisi capti ab hostibus fuissent: tunc enim quoad captiui erant, ius ciuium & ciuitatem amittebant:

qui si in urbem postea redirent, iura ciuitatis & libertatis postliminio recipiebant: itaque liberi & ciues Romani fiebant. Fuitq; memoriæ proditum, ut quem pater aut populus uendidisset, uel pater patratus hostibus dedisset, si ab hostibus receptus susceptusq; fuisset, cum eo nullum postliminium foret. Quòd si is, quem pater patratus deuouerat, receptus non sit, cum eo postliminium esse, consentiunt omnes: quum nec deditio, nec donatio sine acceptione intelligi possit. Ciuitatem Romanam amitti, si Romanus ciuis urbis alterius iura adsciuerit, multi cēsuere, quum duarum ciuitatum iure ciuili nemo censeatur ciuis. Alexan. libro 4. cap. 10.

AVGVSTVS cùm ciuitatem Romanam seruis contaminari uideret (quod etiam Dionysius Halicar. lib. 4. conqueritur) eos multis difficultatibus à libertate iusta remouit. Nam & de numero, & de conditione, & differentia eorum qui manumitterentur, curiosè cauit: ut Suetonius in eius uita testatur. Hinc nata lex Aelia Sentia, hinc Furia Caninia, hinc lunia Norbana, quatuor post eius mortem annis, imperante Tiberio, à M. Iunio Silano, L. Norbano Balbo Cos. lata: qua cōstitutum est, ut ij serui, qui neq; causa, neq; uindicta, neq; testamēto, sed aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierent, non ciues Romani, sed eodem iure quo Latini coloni essent. Vlpianus autē in Institutionibus dispersè uarijs in locis declarat, eos neq; testamenti faciendi, neq; connubij, neq; patriæ potestatis, neq; tutelæ recipiendæ ius habuisse: eosq; Latinos Iunianos ad Colonorum similitudinē appellat. Hotom. de Verbis iuris.

NON SVSCEPTVM.

Antipater in libro de Cleanthis & Chrysippi discrepantia, noluisse scripsit ZENONEM & CLEANTHEM, ne lædere patrias suas uiderentur, ciues Athenienses fieri, cùm tamen Athenis uiuerent: non aliter atq; si uxore relicta, cum alia uiuas, unà dormias, atq; liberos tollas ex alia: nec instrumenta tamen dotalia conscribas, ne facere priori iniuriam uideare. Plut. de Stoicorum pugnis.

LEGVM COMMVNITAS.

MVNICIPES sunt ciues Romani ex municipiis, suo iure & legibus suis utentes, muneris tantùm cum pop. Rom. honorarij participes, à quo munere capessendo appellati uidentur, nullis aliis necessitatibus, neq; ulla pop. Rom. lege astricti, cùm nunquam populus eorum fundus factus esset. Primos autē municipes sine suffragij iure Cærites esse factos, accepimus: concessumq; illis, ut ciuitatis Rom. honorem quidem caperent, sed negotijs tamen atq; oneribus uacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisq;. Hinc tabulæ Cærites appellatæ uersa uice, in quas censores referri iubebant, quos notæ caussa suffragiis priuabant. Sed COLONIARVM alia necessitudo est. Non enim ueniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus niituntur, sed ex ciuitate quasi propagatæ sunt, & iura institutaque omnia Pop. Rom. non sui arbitrij habent. Quamtamen conditio, cùm sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen & præstabilior existimatur, propter amplitudinem maiestatemq; Pop. Rom. cuius istæ coloniæ, quasi effigies paruæ, simulacraq; esse quædam uidentur, & simul quia obscura obliterataq; sunt municipiorum iura, quibus uti iam per ignorantiam non queunt. Hinc factum, ut Præneslini maximopere à Tiberio Imperatore petierint, ut ex colonia, in municipij statum redigerentur. Id illis Tiberius pro referenda gratia tribuit, quòd in eorum finibus sub ipso oppido, ex capitali morbo reualuisset. Gell. lib. 16. cap. 13.

HABITATIONIS COMmunitas.

Hæc ea quæ ciuibus omnibus intercedit, Locorum publicorum imprimis, tam Sacrorum quàm Profanorum, communio.

OPVM COMMVNITAS quo ad KTHCIN.

AGIS, Lacedæmoniorum rex, non solùm augendi fortunas suas desiderio abstinuit: uerùm renouatis quoq; Lycurgi legibus, uoluit ut inter ciues omnes fortunæ æquarentur, & ut à se huius rei exemplum proficisceretur, omnes opes suas in commune trāstulit, atq; aliis Lacedæmonijs se opibus æquauit. Plutarchus in eius uita.

XPHCIN. V. G. COMMVNES

Putei.

Hinc φεατρεῖα Atheniensium denominatæ uidentur tanquam φρεατίαι quædam.

PLATO suis in Legibus licere noluit alicui sumere aquam è puteo uicini, atq; ita omnibus horis diei molestum illi esse, nisi priùs ipse aquam sedulò suis in fodibus conquisiuisset, & usq; ad cretam demū solum fodisset. qui uerò hoc priùs fecisset, nec laborem ullum sumtumq; declinasset, cùm omnia frustrà expertus esset, liberè poterat uti aqua propinquæ domus. Cretam uerò terminum esse aquæ notum est, quia solidam eam terram duramq; penetrare illa non potest, unde in ea tanquam in poculo uaseq; aliquo aqua diu seruatur. Plin. lib. 31. figulari creta semper spē putei adducit testatur. Victorius lib. 31. Var. lect. cap. 15.

Ignis.

Ab ignis communione Πύργοι Græcorum, & Burgi Germanorum. Hi ab illis, an illi ab his? Platonis testimonio πῦρ uox est barbara. Si Græcis igitur nomen à Germanis, etiam rem ipsam desumserunt.

HONORVM COMMVNIO.

Cærites Tabulæ quæ dicantur, Gellius lib. 16. c. 13. his docet uerbis: Primos municipes sine suffragii iure Cærites esse factos accepimus: concessumq; illis, ut ciuitatis R. honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atq; oneribus uacarent: pro sacris bello Gallico receptis custoditisq;. Hinc Tabulæ Cærites appellatæ, uersa uice, in quas referri iubebāt, quos notæ caussa suffragiis priuabant. Pedianus in Diuin. Qui plebeius erat, in Cæritum tabulas referebatur, & ærarius fiebat: ac per hoc non erat in albo centuriæ suæ, scilicet ad hoc ut ciuis esset, sed tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Hotoman. de Verbis iuris.

MAGISTRATVVM CERTOrum communio.

Erat ROM. uetus mos, ut qui ius Latij haberent, alios sumere magistratus aut præsides non tenerentur, nisi Romanos ciues. Nemausenses etenim, quū ius Latij obtinerēt, ædilitatem & quæsturam aliosq; honores, nullos nisi Romanos ciues admisere. Alex. lib. 4. c. 10.

LIBERTATIS.

Magistratus Logice considerati.

REGES, IMPERATORES.

IN GENERE.

REGIVM nomen tam Græcis quàm Romanis longo tempore inuisum fuisse, & à nullis in Græcia usurpatum, nisi à Philippi & Alexandri posteris, memoriæ proditum est. Ex Alexandri ducibus, Eumene adhuc uiuente, neminem regium nomen sibi uendicasse, satis cōstat: sed præfectos appellari solitos. Eumene defuncto, Athenienses Antigono & Demetrio immodicè obsequentes, inter plurimos honores regiū illis nomen, uelut altius fastigium, detulere. Licèt apud Sicyonios primum Aegialeum regnū in Græcia tenuisse multi asseuerent. Alex. lib. 4. cap. 23.

Imperatoris prænomen decreto est C. IVL. Cæsari à Senatu datum, quod cupidè accepit: non (ut Dion scribit) tanquā maximæ alicuius pugnæ victori, neque summa dignitate prædito, sed uelut omnium rerum domino, à quo cæteri Imperatores nomen prætexuere: ab illoq; Imperatores Romani ac Cæsares nuncupātur, tanquam à primo qui in Romana Rep. obtinuit principatum, & primùm monarchiam (ut Suidas dixit) arripuit. Cuspinianus ex Suetonio.

CÆSARVM olim declaratio erat, non imperij dignitas, sed quæ gradum ad imperium faceret, ut uelut per manus, ab eo qui Augustus & Imperator fuisset, Cæsares imperij regimen acciperent. Polyd. lib. 2 hist. Angl.

ACQVISITIO. NEMPE

QVI, QVALES. ratione scilicet habita Generis, Cognationis.

Mortuo Fergusio I. Scotorū rege, cùm alij in liberos eius gratitudinis ergò deferendum putarent regnum, alij potiorem Reip. habendam rationem: tandem in eam est sententiam itum, sanciturnq; publica auctoritate, ut decedente rege, filio relicto impubere, qui genere proximus esset summæ rerum

sum potiretur: eo demum uita functo, regiæ proli, siquidē per ætatem regnare posset, deferretur regnum. Hanc regis dicendi rationem Scoti aliquot secula sunt sequuti: experti tamē sēpius patruos nepotibus, nepotes patruis, & patruelēs sibi mutuo regnandi cupiditate necem intentasse, multasq; inde cædes subsequutas. Hector Boethius lib. 2.

Leges nouæ creandi Scotorum Regis, à Kennetho II. rege, ut familiæ suæ regnum assereret, latæ sunt. Rege uita functo, proles uirilis sexus natu maxima, filius nepósúe qualiber ætate cōstitutus, etiam posthumus futurus, in regnum succedito. Nepotem ex regis filio prognatū, ei quem filia peperit, in hæreditate adeunda præferto. Eademq; lege cum regis nepote ex germano procreato, collato ad eum qui ex sorore natus est, agito. Cunctis ex Scotorum gente in hæreditatem succedentibus, idem ius seruato. Rege adhuc impubere, insignem uirum prudentia simul & opibus, qui ad quartumdecimum regis annum in regni sit administratione, communi primorum cōsensu dicito. Eo anno emenso, Rex ipse liberam regni administrationem adsumito. Cæterorum hæredes patribus defunctis, ad alterum supra uigesimum ætatis annum, sub tutoribus curatoribusque continento: eoq;, nō prius, anno hæreditatem adeundi ius esto. Cæterùm interfecto Kennetho Constantinus Culeni regis F. præterito Malcolmo Cumbriæ principe, Kennethi F. rex dictus est. Eo cæso à Malcolmi fratre Kennetho, Grimus Duffi regis ex fratre nepos regnum obtinuit, cum Malcolmo pactus, uti regnū dum uiueret obtineret: regnaret inde Malcolmus, & Kennethi familia. Oh tyrannidem postea excitus à procerib. Malcolmus, Grimum uicit, nomen tamen & insignia imperij priùs accipere noluit, quàm legē creandi regis à patre Kennetho latam denuo cuncti firmarent, eiusq; perpetuæ obseruationi dicto sacramento sese astringerent. H. Boethius lib. 11.

Sexus.

PANDÆ Indorum gens fœmineo sceptro parent. Vna Herculi sexus eius genita, ob idq; gratior, præcipuo regno dotata fuit: ab ea originem deducētes imperant CCC oppidis, peditum CLM. elephantis D. Plin. lib. 6. cap. 20.

ANTIPATER moriens hortabatur Macedones, ne unquam permitteretur mulieri præesse regno. At eo mortuo, Olympias Polysperchontis auxilio ab exilio reuersa, retumque potita, crudeliter administrauit omnia: ut tandē licēt serò, Macedones uerborū Antipatri, ueluti oraculi, recordarentur, Mulieri regnū nequaquā permittendū esse. Dio d. lib. 19.

Lex Imperij GALLICI omnium antiquissima dicitur esse Salica, quæ feminas summouet à regni successione: quamquam dubiū est, lata fuerit nec ne. Neq; uerò huius imperij propria est, sed cōmunis Assyriorum, Persarū, Hebræorum, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, Abissinorum, Pœnorum, Germanorū, Scytharum: qui feminas ab imperio longè repulerunt. Ioan. Bodinus Methodi hist. cap. 6.

Edouardo III. Anglorum rege ius regni Franciæ à matre Isabella, quę Phillppi Pulcri F. fuerat, ad se traducēte, post obitum Caroli Pulcri fratris, Francorū proceres resistebant, ius regni Franciæ in feminas ex lege Salica nū transferri dicentes. Aemil. li. 8. & Polyd. li. 9.

Dignitatis.

Mortuo sine liberis Humberto Delphinatium principe, qui Ioannem Francum regem testamento hęredem fecerat, Carolus Ioannis filius, primus Delphinus creatur. Vnde mos natus, ut regum filij, quibus regni uentura esset hæreditas, DELPHINI uocarētur. Hanc olim Galliæ partē Allobroges tenuerūt, cuiꝰ caput est Vienna. Polyd. li. 19. & Aem. li. 9.

Reges Aragonum, quos GERVNDÆ principes ereant, illi in regnum successuri sunt. Valla lib. 3. Histor.

Henricus I. Anglorū rex in Normanniā profectus, eius regionis Gullelmum filium ducē fecit, uniuersumq; populum in eius uerba iurare iussit. Hinc mos serpsit, ut reges Anglorū deinceps filium maiorē natu, quem sibi successorem optassent, NORMANNIÆ principatu donarent. Polyd. lib. 11.

Henricus III. Anglorum rex Edouardum filium, ut maturiùs ad res gerendas grauiores experiens redderetur, VVALLIÆ principem creauit. Vnde natum, ut deinceps unusquisq; rex hoc secutus institutū, filium maiorē natu Vuallię principem facere consueuerit. Polyd. lib. 16.

QVOMODO. VTPVTA

Electione, Inauguratione.

Leo III. pontifex à CAROLO Magno restitutus, eiq; aliquā gratiam relaturus, cùm uideret Imperatores Constantinopolitanos ægrè id nomen tueri, ac ob eam rem urbē & Italiā ipsum magnas calamitates passim, in basilica Petri post solemnia sacra, populi Romani scito ac precibus, ipsum Carolum magna uoce imperatorē deuorpit, ac diademate donat, ter acclamante populo Romano: Carolo Augusto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori uita & victoria. Pontifex item hominem inunxit unā cum Pipino filio, quem Italiæ regem solenni decreto pronunciauit. Platina.

Qui BOEMORVM rex euasit, in creãdo Cæsare, septimi suffragii progatiua & potẽs & insignis efficitur, adeò ut quũ Germani sex proceres, ad quos comitiorum ius potestasq; pertinet, ex pari numero utrinque terni dissident, additodemum, utri libuerit, suffragio suo Boemus cũ magna gloria. Cæsarem pronunciat. Iouius lib. 30. Hist.

Pulso Alexio Murziphlo, & Byzantio recepto, conuenit inter proceres Latinos, ut quindecimuiri crearentur, quibus Imperatoris eligendi potestas foret: atq; illud expressum, ut si Veneti nominia Imperatoris declaratus non esset, quem ipsi uellent suæ gentis antistitem urbis crearent. Veneti ex electorum numero quinos dedere: Flandrensis & Pauli Comites totidem: Bonifacius Montferratensis & Allobrogum duces numerum expleuerũt. Horum igitur suffragio BALDVINVS, Flandrensis Imperator est declaratus: cui Veneti Thomam Mauroceuum priuo suffragio antistitem subiecerunt. Principes interea expeditionis Sacræ studio & liberalitate incredibili nouum Imperatorem prosecuti, dimidio urbis, prouinciarum, uectigalium, rerumq; omnium quas ex fœdere sortiti erant, donauere. Nec huiusmodi cõtenti officio, illud præterea munificentiæ est additum: ut qualcunq; Græcanici imperii uiros, castella, uicos, postea recepissent, uelle se Balduini, nomine, epidoti recepta, Scribunt quidam, quartam imperii partem illi datam: inde quod reliquum [illegible] partes diuisum: quartam alteram Venetis [illegible] Sabel. lib. 8. Dec. [illegible]

Hen[illegible] VRATISLAVM [illegible] armis uictum, Boemiæ ac Poloniæ [illegible] capitanis impositis, quibus diademata hodie adhuc utuntur. Cuspinianus.

In [illegible] parmaxima NOVOGARDIA, metiso [illegible] ius populo dicit: sed ratiò regia potestas in annum apud unum mansit, sæpe in unam diem duo tresúe regnauere. Surgit enim ex populo, qui clientelis se satis armatum existimat, regemq; deturbans lapide, locum eius inuadit, atq; uestigiò rex salutatur. Haud absimilẽ & ipse casum subit, si quis eo fortior adueniens regni cupidus. Aen. Syl. com. in Panor. lib. 2. & cap. 27. Europæ.

POSSESSIO, EXERCITATIO. Perpendendum

QVI, QVALES, PVTA Homines. ijq. uel

Docti.

Vide Tit. Doctorum principum.

Sobrij.

Non licere, inquit Ctesias, apud INDOS regi fieri ebrio. At apud Persas id uno die regi conceditur, cùm Soli sacrificat, Persicoq; more tripudiat. Ex aliis uerò nullus est in Asia qui tripudiet eo die, sed omnes solent abstinere. Athenæus libro 10. cap. 11.

Peregrini.

PETEVM Mnesthei, qui ad Troiam militauit, pareem, cùm esset Aegyptius, postmodum Athenienſium ciuem & regem factum, duplicis naturæ extitisse aiunt: quoniam duplicis politiæ, Græcæ scilicet & Barbaræ, quarum altera partem feræ habet, hominis alteram, particeps fuerit. Diodorus libro 1. cap. 2.

Pueri.

HENRICVM puerum XI annorum regni successorem reliquerat Alfonsus IX. Hispaniæ rex. Eius tutelam Berengaria soror, Legionis regina, quia resistere non poterat, Aluaro Nunii Comiti permiserat. Id indignè ferentibus alijs, & Berengariam ad recipiendum puerum incitantib. bellum ciuile excitatum fuit, quoad puer inter ludendum regulæ ictu periit. Rodericus Toletanus lib. 9. rerum Hispaniæ.

Mulieres.

Hæc Tit. Mulierum quæ populos rexere.

Bruta.

Gentem esse aiunt apud AETHIOPAS, inter quos canis regnat. Salutatur rex. Sacra & honores ei deferuntur regum. Viri ducum & magistratuum munera obeunt. Plut. aduersus Stoicos.

QVO HABITV, ORNATV, Vestitu.

ZOFALENSES Aethiopes regem incredibili superstitione uenerantur. Rex duo regiæ maiestatis insignia gestat. Vnũ est, parnus quidam ligo cum eburneo manubrio: alterum iaculis duobus haud ita magnis continetur. Ligone subditos ad terræ cultũ adhortatur, ne propter ignauiam atq; desidiam terram deserant, & fame coacti latrocinẽtur. Vno uerò ex iaculis significat, se scelerum uindicem futurum. Olaus lib. 4. rerum Eth.

QVANTO TEMPORE.

ARGIS licèt unus rex foret, tamen annis singulis amouebatur. Alex. lib. 4. cap. 23.

Vt Romæ Consules, sic CARTHAGINE quotannis annui bini Reges creabantur. Probus in Annibale.

Ferũt olim SAXONIÆ prouinciã administrari solitã per duodecim proceres alternis uicibus: quem uerò grande bellũ in administratione occupasset, cum regem habebant ad finem usq; belli. Inde factum est, ut uenière Carolo Magno in prouinciam, cùm Vedekindus dux Anglariæ (Angariam uocant) in administratione esset, pro rege illis fuerit durãte bello, ac proinde in nonnullis codicibus rex Saxonũ nominetur. Finito autem bello redire cogebatur in ordinem, reddita administratione comparibus suis. Sed id Vedekindo nõn fuit permissum, alternata & in speciem aliam traductã totius prouinciæ gubernatione. Quamuis autẽ pũtificibus fuerit à Carolo permissa potestas gubernandi, non tamen amisere primores penitus suam administrationem: eoque factum est, ut secularis potestas ab omnibus, bello finito, citra Visirgũ illi delata fuerit. Cranzius libro 2. Saxoniæ, capite 22.

GALIPHAE MAHVMETANORVM.

Ma[illegible] nobil[illegible] maximam nobiliſ[illegible] occupasse, hostes nostri [illegible] habuerant summum uirum, qui [illegible] quem summa rerum consilio [illegible] redieri. Deinde, ut qui necesse in [illegible] optimi gente, auctore secessionis à Chaldaicis, qui iidem atq; Baldacenses erant. Ille iura Orienti dabat, hic non multis initio gentibus imperitabat. Paulatim hæc Regia uniuersam Africam, ac maximam Hispaniæ partem in potestatem redegit. Ex rebus secũdis imperioq;, superbia negligentiaq;, atq; inde socordia segnitiesq; orta. Tandem Caliphiæ luxui dedi cœpti, hos institutum erunt, qui Sultani ab Aegyptiis uocitantur: Romana enarratione procuratores summæ rerum dici possunt. Aemilius lib. 4. Paruit aliquandiu Aegyptus post lapsum Rom. imperii Græciæ Imperatoribus. Circã uerò annum salutis septingentesimum quartum, Aegyptii Græcorum uel superbiam, uel auaritiam pertæsi, ad Saracenos deficiunt, principem sibi creant ex ea gente, & à Mahometo prognatum, Caliphum, id enim fuit illi nomẽ. Quæ postea appellatio in posteros propagata est, quicũq; in ea terra regnum tenuere, per annos tercentum circiter & quadraginta. Postremò bello ab Almerico Hierosolymorũ rege ipsi genti illato (anno salutis 1153.) cùm is cepisset plura ex hoste loca, Caliphus suis omnibus diffisus, à Syriæ rege, quem Sultanum plures dicere maluerunt, auxilium implorat. Mittitur à rege in Aegyptum Saracon uiri fortis cum exercitu, ad res Caliphi tuendas. Horũ armis Christiani ex Aegypto abscedere coacti retrò abierũt. Tum Saracon tanquam sibi non Aegyptio uicisset, Caliphum in potestatem redactum in uincula conijcit, regnũ occupat, se Sultanum uocat. Sic Saracon Medus natione, primusq; eius gẽtis regno in Aegypto est potitus. Saraconi Saladinus filius successit, omnium qui in ea terra postea regnarũt fortissimus. Is Hierosolymitanum regnum euertit. A' Saladino eius fratres per manus regnum acceperunt. Sunt inde horum filii Imperiò potiti, ac longa serie alii non pauci numero, usq; ad Melechsalam, quo Aegypti regnum tenente, Tartari Comanos Cappadoces bello subegere. Comani à Melechsala emti & armis exercitati, cæso rege regnũ obtinuere, quod Mamaluchorum dixere, à Selimo Turcorum Imp. euersum. Sab. lib. 5. En. 9.

EPHORI SPARTANORVM

De Ephoris uide Alex. lib. 6. c. 24.

LYCVRGVS Lacedæmoniorum legislator, cùm intelligeret obedientiam maximũ esse bonum, cùm in Repub. tum etiã militiæ & foris, Ephororum potestatem constituit: quibus eam dedit potestatem, ut quemcunq; uelint, etiam regem, pœnis afficiant, extemplò transfigant, in magistratu constitutos intra tempus abrogent, in carceres coniciant, & in uitæ periculum adducant. Xenophon in Repub. Laconum. Stobæus serm. 42. de Legibus.

Apud SPARTANOS octo & uiginti Seniores duobus Regibus assidebant, ne nimium uel democratia uel regia potestas increscerent prouidentes. Addita deinceps post multos annos Ephororum potestas huic paucorum administratio nieſtq; quasi frenũ concilio illi interiectum. Accidit id centesimo à Lycurgi interitu anno, quum Theopompus regnaret. Cui post primum Ephorum creatum, quum ei ab uxore exprobraretur, fore ut filijs humilius esset regnum relicturus, quàm à patre ipse accepisset: Imò maius, inquit, atq; eo melius, quo diuturnius. Sabellicus libro primo Enneadis secundo. Bellum cũ Messeniis gerebatur diutinum. Distecti igitur expeditionibus reges, delegerunt ad iudicia reddenda certos amicos, eosque reliquere ciuibus uicarios, qui dicti Ephori fuerunt. Longo æuo hi primùm regum administri fuere, deinde sensim summam sibi usurpaunt potestatem, atque ita clàm peculiarem suum magistratum reddiderunt. Indicio est mos, qui obseruabatur, ut accersentibus regem Ephoris semel atque iterum contradicat, tertiò uocantibus surgat, & pergat ad eos. Qui hunc magistratum princeps illustrauit & ampliauit, Autiopus multis post ætatibus ephorus fuit. Hæc Cleomenes Leonidæ F. qui tyrannidem Ephororum sustulit, facti sui causam populo reddens, narrat apud Plutarchum in Cleomene.

Ineunte magistratu omnibus ciuibus Ephori edicebãt κείρεσθαι τὸν μύστακα, id est, radere mustacem, quemadmodum Aristoteles scribit in Politicis, non aliam ob causam, quàm ut ciues intelligerent eorum iussis obediendum esse. Plut.

DICTATORES.

Dictatura magistratus erat regius, à quo non erat prouocatio, cui consules ceteriq; magistratus dicto audientes erant. Sex mensibus lege finiebatur, & in solis periculis reip. creabatur à cõsule, in terra Italia, silentio noctis. Populi magister nominabatur, sibi q; Magistrum equitum asciscebat. Anno Vrbis con. 252. hic magistratus in urbem est introductus, sed post Cæsaris mortem lege M. Antonij Consulis propter inuidiam Cæsaris perpetui Dictatoris in perpetuum sublatus.

Latini à Rom. societate defecerant, impellente Octauio Mamilio Tarquinii genero, octauo uel XII. anno post expulsos reges. Quia autẽ plebs alieno ære degrauata militiam detrectabat, ingens cura patrum animos incessit, qua ratione militaris ætas in officio contineri posset, disceptatumque sententiis inter M. Val. & Appium Claudium in senatu de alieno ærè remittendo. Eò tandem decursum, ut ad plebis terrorem, quando à consulibus ad populum prouocatio fieret, magistratus aliquis crearetur, ab cuius imperio nulla esset prouocatio. Ac tum primum T. Largius Dictator creatus, nomenq; id ei inditum à dictando: quæ uellet potestate ex sua sententia, non ex senatusconsulto, uel plebiscito (uocant autem Romani decreta magistratuum Edicta) ut Plutarchus in uita Marcelli. siue à dicendo potius, quia non populi suffragio, non Senatus consulto, creari contigisset, sed ab illo esset dictus, qui tum summum in urbem imperium haberet. Neque enim potestas, alioqui formidolosa, parumq; à tyrannide distans, inuidioso fuit nomine oneranda. Non poterat nisi à Consule dici, neq; alio tempore nisi oriente nocte & silentio, ut Liuius lib. 8. tradit. Attamen, teste eodem, libro quarto, quum aliquando Veientes castra Romana cepissent, A. Cornelius Cossus Tribunus militum, Mamercum Aemilium Dictatorem dixit, quòd Augures consulti, urgente necessitate, eam religionem exemissent. Polydorus libro secundo capite tertio de Inuentoribus rerum. Hunc creandi Dictatoris morem uideri possunt Ro. à Græcis accepisse, ut Dion Halicarnasseus libro quinto putat, quibus, ut Theophrastus tradidit in libris, quos de regno scripsit, in certum tempus sibi tyrannos, quos Aesymneras Mitylenæi, Harmosten Lacedæmonii, Thessali Archum dixerunt, legerè moris fuit: & Mitylenæi Pittacum aduersus exules simili potestate creasse traduntur. Macer Licinius ab Albanis & morem ipsum, & nomen ad Ro. fluxisse arbitratus est, quippe qui regia stirpe post Nomitorem sublata, ibi annuum magistratum crearunt eximia potestate, quem Dictatorem dixere. Carthaginenses etiam dictatorem habebant, teste Trogo. Dictator igitur Sp. Cassium magistrum equitum dixit. Sumtis deinde fascibus, ut in medium processit, unica nouaq; magistratus specie terribilis ciuitati uisa est, propositoq; edicto, ut omnes sua liberorumq; ac coniugum nomina cõsestim darent, quinquaginta millia ciuium capita ac septingẽta promiscuè, omnis sexus & ætatis, in censum retulit. Victis Latinis, & reductis copiis, magistratu se abdicauit. Quæ uere candida potestatis ultro deponendæ, quadringentis fermè annis, utiq; ad L. Syllæ tempora, in posteris seruata est. Ille primus perpetuam induit dictaturam, nullo finiendi hoporis præstituto tempore, sed ipse quoque etsi scio, deposuit tamen. C. Cæsar, dictaturam semel receptam, non nisi cum morte deposuit. Quo accidit, ut salutaris magistratus, & in extremis reip. remediis quæsitus, infamis & execrabilis sit factus. Ex Plut. Marcello Sab. lib. 8. En. 2. Dictator geminum habet magistratum, qui apud Romanos etiam Bisconsul dicitur. Suidas.

Dictatorem, à quo prouocare non licebat, quemq; summum Romæ imperium tenuisse certum est, non modò laborante republica & trepidis in rebus, cùm aut de communi libertate ageretur, metusq; de summa rerum esset, quod ultimum erat consilium: sed ex uariis euentis, diuersisq; rerum causis creari solitum accepimus. Nam & claui figendi, & senatus legendi, aut magistratus coercendi causa, nonnunquam quæstionib. exercendis, plerunq; comitiis habendis, sicut res tempusq; postulabant, etiam florẽte republica & procul à belli tumultu, creatũ fuisse liquet. C. Genutio, & L. Aemilio Mamerco cõsulibus, & sæpe aliàs, cùm graui morbo ciuitas affecta esset, senatus L. MANLIVM Imperiosum, dictatorẽ clauũ figẽdi causa dici iussit: qui dictator dictus, clauũ pauxit, isq; clauus dextro lateri ædis Iouis optimi maximi in Capitolio fixus fuit. Post quẽ cùm Romæ de ueneficijs quæreret, & aliquot matronæ dãnatæ forẽt, eaq; res prodigij haberetur loco: ut mentes alienatæ, sui cõpotes fierẽt, simili memoria ex annalibus repetita, clauũ figendi causa dictator creatus CN. QVINTILIVS fuit, qui lixo item clauo; cùm eo piaculo ciuium mentes sui compotes fecisset,

fecisset, discordesq; animos conciliasset, dictatura se abdicauit. Eos autem clauos fuisse æneos, notasq; numeri annorum, quibus tunc tempora designabant, habuisse, idq; à Vulsiniis emanasse ferunt, quibus in usu erat, clauos indices numeri annorũ, habere fixos in templo Nurciæ Hetruscæ deæ. Comitiorum uerò causa, si quando neuter consulum bello abesse poterat, uel morbo, aut alia necessitate comitiis præsse nequirent, senatum absentibus cõsulibus dictatorem, qui comitiis præsset, dicere censuisse, sæpe compertum est. Dicebat enim consul dictatorem comitiorum causa in castris uel ubiubi terrarum erat, cùm ipse à bello auocari commodo reipublicæ non posset, Sp. Melio imperium populi Romani affectante, cùm nullius imperio magistratus cogi posset, senatus ut nefarios ipsius conatus reprimeret, utq; clandestinas insidias à capite & ceruicibus dimoueret, dictatorem creari exacta ætate Q. CINCINNATVM uoluit: qui re explorata, sumto de reo supplicio, dictatura se abdicauit. Et cùm occultas principum coniurationes, conciliaq; clandestina, Capuæ fieri peretebuisset, senatum quæstiones, ueri inquirendi causa, decreuisse, dictatoremq; quæstionibus exercendis dici censuisse, multi adnotarunt. Nec me præterit, legendi quoq; senatus, cùm patres in demortuorum loco suffici, ordinemq; senatorium suppleri opus foret, ut esset qui nouos legeret senatores, quiq; senatum sufficeret, plerunq; dictatorem fuisse. Quo tempore illud euenit, ut duo simul dictatores, quod nunquam antea factum, creati, M. scilicet IVNIVS, qui castris dictator tunc præerat, & M. FABIVS BVTEO, qui ordinẽ senatorum, eò quòd multi bello ceciderant, sufficeret, legeretq;. Quanquam & feriarũ causa, cùm terra prodigia nunciarentur, propter eaq; feriæ indicendæ forent, ut esset qui ferias indiceret, quiq; ludis Romanis, aut quadrigis mittendis præesset. Nonnunquam ut illorum contumaciam cohiberet, qui functis honoribus, magistratu abire uel senatus dicto parere nollent. Interdum, qui flaminem proderet, dictatorem fuisse legimus. Qui quidem magistratus nõ Romæ tãtùm, sed & Albæ, & Lauinii, & in toto ferè Latio fuimus erat. Id quoq; non prætercundum, quòd siue belli gerendi, siue cuiusuis muneris exequẽdi causa, dictator dictus foret, nisi uirum consularem, quiq; consulatum antea gessisset, & nocte silente, atq; in agro Romano (is autem Italiæ terminabatur) dici licuisset ac ultra sex mẽses, ante Syllam, dictaturæ munus quempiam exercuisse, præter FVRIVM Camillum, cui iam exacto semestri, cùm consternata republica laborarent ancipiti metu, ne tumultus urbani fierent, neue urbe relicta Romani Veios migrarẽt, senatus in anni dictaturã inuito prorogauit. Atq; hic Camillus fuit, qui uindex maiestatis Romanæ, dictatura quinquies, triũpho quater potitus est, consulatũ uerò nunquã attigit: tametsi lege ueteri de dictatore creando primùm lata, id sanciũ fuerit, ut nisi cõsulares uiri, quiq; consulatũ antea gessissent, nulli dictatores haberentur aut fierent. Alex. lib. 1. cap. 6.

FLORENTINI Ludouici XII. Gallorum regis auxilio ab Alexãdri VI. Pontificis eiusq; filij Valentini ducis iugo imminente liberati, quando ob crebram magistratuum mutationem in eam difficultatem se coniectos uidebant, decreuere, ut Iustitiæ Vexillifer, Reipub. princeps, quiq; cum semestri in duos tantùm menses creabatur, in posterum toto uitæ suæ tempore eum magistratum gereret, ut perpetuis cogitationibus reipublicæ inuigilaret, & publicum bonũ procuraret, ne respub. neglecta deinceps in tot pericula rueret. Qua lege lata in maioribus comitiis, Petrus Soderinus, uir ætate matura, satis amplis opibus, nobili genere, integritatis, continentiæ fama celebris, quiq; in publicis rebus plurimum laboris insumserat, & quod ad ambitionis occasionem uitandam magni erat momenti, liberis carens, magno ciuium concursu atq; consensu Vexillifer creatus est. Anno sal. 1502. Quo tamen post per seditionem electo, imperitæ multitudinis furore sub Medicorum iugũ Respub. recidit. Guicciardinus lib. 5 Iouius lib. 2. uitæ Leonis X.

CONSVLES, PROCONSVLES.

A consulendo dictos esse consules, constat. Sed cùm consulere significet multa, dubium est, à qua mente sit dictus consul. Quintilianus lib. 1. Sit ne consul à consulendo, an à iudicando: nam & hoc consulere ueteres uocauẽre: unde ad hucremanet illud, Rogat boni consulas, id est bonum iudices. Quin & Liuius consulem olim iudicem esse dictum tradit. Sed ego cum Varrone nomen ministerij puto esse Consul: ut admoneretur, nihil eum habere in repub. uirium potestatis, sed admonitorem solùm positum senatus & pop. ut eos, quid fieri placeret, consuleret. Nihil enim in Senatu antiquitùs fieri solebat, nisi consulente & referente consule. Vnde illa tam crebra apud rerum scriptores: Petiit à Coss. ut de hoc aut illo referret. Lud. Viues in lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 12.

Erant ROMÆ bini consules potestate pari, sicut apud Iberos bini deliguntur reges: alter qui iura daret, alter qui populis præesset: & Carthaginensibus duo annui reges præfuere, Suffetes dicti. Hi etsi pari honore essent, non tamen simul insignia consulatus, aut imperium habebant. Nam postquã Iunius Brutus, eiecto Tarquinio & regibus exterminatis, cum Collatino consul creatus est, licet omnia iura & insignia quæ apud reges erant, populus consulibus concessa uoluerit: tamen ne duplicatus terror uideretur, si apud utrunq; consulem fasces uideret, cautum fuit ut apud alterũ, cum uideliceet qui imperium haberet, fasces essent. Ideo alternis mensibus, modò ad unum, modò ad alterum consulem fasces transire uoluere. Idemq; sequutis temporibus, dum imperium & respublica stetit, seruatum est. Sed tamen quo, mense fasces non habebat, accensus apparebat consuli, lictores uerò sequebantur: quod intermissum diu, postea Cæsar reuocauit denuò. Et quamuis consuli antiquiori fasces darentur prius, ueluti canitiem & annos uenerantes: postea lege Iulia cautum fuit, ut ei qui plures liberos quàm collega haberet: aut si numero pares essent, qui maritus foret præferretur: aut si omnia essent paria, antiquior fasces acciperet: eos tamen qui secundum gererent consulatum, alteri nouum inuenti, præferri haud dubium est. Erant ergo consulatus insignia duodecim fasces, lictores totidem, purpurea prætexta, curulisq; sellæ. Erat consulis officium, domi forisq;, ac belli pacisq; temporibus toti reipub. consulere, inq; custodienda regendaq; republica totis incumbere uiribus: omni deniq; studio, consilio, fide, gratuitate, & robore animi, pro commodis reipub. pugnare. Legatis undecunq; in curiam admissis, solus ex auctoritate senatus responsa dabat, legemq; ad populum ferebat. Is tamẽ quum de capite ciuis agebatur, pœnam, capitalemue noxam inferendi ius nõ habebat, lege edita qua cauebatur, ut à consulibus (ne per omnia regiam potestatem sibi uendicarent) impunè prouocatio esset, neue in caput ciuis Romani, nisi populi iussu, animaduertere possent. Tunc enim qui noxæ capitis reus, sceleris coarguitur, ad populum produci debebat, & dicta causa, ex populi iudicio de capite ciuis cognitio dabatur. Nam soli dictatori & populo, ius de nece ciuium datum est. Tametsi legamus Opimium consulem, contra instituta maiorum, primum dictatoriam sibi uim usurpasse, Caiumque Gracchum & Fulvium Flaccum aliosque ciues, absque populi iudicio necasse. Si tamen consuli Senatus permitteret (quod in summis reipublicæ casibus & magna mole periculorum fiebat) ut caueretur, ne quid respublica detrimenti caperet, tunc de nece ciuium decernendi, illosque omnibus modis coercendi, belli gerendi, domi forisque summum imperium habendi, iuridari censebatur. Ipsi tamen consuli Romanum ciuem, etiam senatorem, in carcerem duci iubere, & multam irrogare, facultas erat. Quòd si quis parum iusto iudicio multam irrogatam, aut indigno iniuriam factam queretur, alterius consulis opem implorare, ad eumque prouocare licebat: ipsique collegæ intercedendi, inhibendiq; ne quid secus fieret, ius erat atque potestas. Post binos consules, quos ab initio exactis regibus continua serie creatos nouimus, semel apud unum imperium consulare stetit, tunc cùm urgente dissidio Pompeii & Cæsaris, Senatus ne quid respublica detrimenti caperet, unicum consulem Cn. POMPEIVM dicere coactus fuit. Iterum Syllæ temporibus, Cinna interemto, solus CARBO gessit consulatum. Alexan. lib 3. cap. 3. Anno urbis 709. cùm C. Iulius Cæsar consul V. Dictator IIII. & M. Antonius cos. & Magister equitum esset, Idibus Martijs 23. uulneribus in Pompeii curia interfectus Cæsar, & anno sequenti A. Hircius, C. Vibius Pansa Coss. fuerunt. Triumuiri postea Remp. inuaserunt, M. Antonius, M. Aemilius Lepidus, & C. Cæsar Octauianus, qui cum Q. Pedio Cæsaris hærede ex quadrante, consulem se constituit. Posteaquam uerò Octauianus imperiũ occupauit, & hostes uicit, atque adeò monarchiam ex democratia constituit: consulũ quidem nomen mansit, ita ut Cæsares quoque cõsulatum inirent, & collegas honoratios sibi annuatim asciscerent: uerùm potestas omnis penes Cæsares erat.

Anno

Anno urbis 387. plebs Romæ euicit, ut consulatus populo quoq; communicaretur: quod ipsum multo antè obtinere frustra conlupinerat. Creati igitur consules ex patribus L. Aemilius Mamertinus, & ex plebe L. SEXTIVS Lateranensis. Patricii tamẽ pro concesso plebi altero consulatu, duos sibi quæsiuere honores, Præturam & Aedilitatem curulem. Vbi finito magistratu annuo, non expediret consulem prouincia decedere: illi, ne sine honore esset, imperium sæpe prorogabatur, ut eam prouinciã PROCONSVL, non ut consul administraret. Sæpe ad sex menses, modò ad annum, aut donec debellati hostes, uel reuocati à Senatu forent, prout ex republica esse uidebatur. P. enim Philo consul narratur primus, cui prorogatum imperium fuisset, & ex eo proconsulare officiũ cœpit, ꝑ munere dari. Scipioni deinde Aphricano in Aphricam profecto, ne finito consulatu, incommodo reipublicæ prouincia decederet, imperiũ consulare, donec debellatum esset, prorogatum fuit. Nonnunquam stantibus consulibus, si qui in prouincia tumultus, aut motus oriretur, pluresq; prouinciæ oporteret præesse: nouos proconsules Senatus, nunc iisdem, nunc aliis decretis prouinciis creauit, ipsisq; plerunq; legiones & exercitus commisit & mandauit, poteratq; non modò consuli, sed prætori pro consulare munus dari: sicut exemplis pluribus extat. Sempronio enim Graccho, & Q. Fabio Maximo cõsulibus, quũ Hannibal Italiam omni cladẽ belli peruastasset, Cl. Marcellus ex prætore proconsul designatus, uires Hannibalis multis prælijs ita fregit & comminuit, ut facilè uinci posse documentum daret. Habebatq; proconsul proconsulatus insignia eadẽ quæ & consulatus: lictores, fasces, secures, prætextam, curulem q; sellam: nisi eam adiret prouinciã, in qua consul præsens foret: tunc enim sine imperio aut insignijs erat: proconsuli enim portam Romæ ingresso, minuebatur honor, priuatusq; & sine imperio censebatur. Hoc tamen intercerat, quòd proconsules aut proprætores auspicia non habebant, quippe inauspicati erant: quum consules prætoresq; auspicia haberent maxima. Tandem post Hadrianum Imperatorem, & ordo & honor proconsularis desiere. Siquidem M. Antoninus Imp. prouincias ex proconsularibus consulares aut prætorias, pro belli necessitate fecit: ipse pacatas imperij prouincias, & ab hostili tumultu otiosas, populo Romano regendas dedit, sibiq; tumultuantes & operosas, aut hostium incursionibus inquietas desumsit: ad quas modò proconsules, præsides aut præfectos cum imperio, modò præsidia & exercitus, nonnunquam legiones & auxilia destinauit. Tiberius quoq; Achaiam & Macedoniã onera deprecantes, proconsulari imperio exemit, sibiq; illas regendas asciuit. Alex. lib. 2. c. 27.

An. 928. Hugone rege; qui Marociæ Marchionissæ Rom. connubio Roma potitus erat, ob colaphum Alberico Marociæ ex Alberto Marchione F. inflictum urbe eiecto, ALBERICVS consulari potestate ciuitatem administrauit. Proinde Romanos, regib. pontificibusq; contemtis, nouum statum ciuitatis inuexisse, argumento est, quòd Ducis aut Magistri militum magistratus (à quibus, Exarchis & Pontificibus ciuitatem tenentibus, urbs Romana dũ est gubernata) per ea tempora celebrari desijt, ac pro eis Præfectus urbis, Consules & Tribuni plebis inducti sunt, qui Decarchonum nomen tulerunt. Sigonius lib. 6. regni Ital.

TRIBVNI, TRIBVNI MILITARES.

De Tribunis, uide Alex. ab Alexandro. lib. 5. cap. 2. ut de Tribunis militum lib. 6. c. 18.

TRIBVNOS plebis, quos plebe à patribus discedente, & ad Sacrum montem secedẽte, sacrosanctos sibi plebs creauit, an. V. C 260. secundùm Contiũ, Posthumo Comincio Aurunco II. & Sp. Cassio Viscellino II. Coss. anno post reges exactos XVI. nec iuri dicundo, nec postularis ciuium nouendis, sicut alios magistratus, sed ut auxilii latio aduersus consules esset, & illos qui insolenter in plebem insultarent, utq; præsides libertatis custodes q; forent, creatos accepimus. Ideo nec in sella curuli sedere, nec purpuratos incedere, nec lictorem ut consules prætores q;, sed uiatorem habere illos satis constat. Causa autem hæc est, quòd tribunus plebis, populi Romani magistratus non est. propterea cùm consulum, prætorum, & ædilium, reliquorumq; magistratuum, creato dictatore, iurisdictio cesset & conniueat, solos tribunos plebis in potestate esse liquet. Ex reliquis præterea magistratibus, cùm multi uocationem & cognitionẽ habeant, apud tribunos tantùm prehensionem esse absque uocatione, memoriæ datum est. Prehendere enim tribuno plebis licet, & in carcerem mittere, iure sacrosanctæ potestatis, etiam consulem, prætorem, censoremq;. M. DRVSVS tribunus plebis, Philippum consulem, quia concionantem interpellarat, præcipitem egit in carcerem, ita ut non modicauis sanguinis è naribus effluueret. Etiam ab iniuria quæ coràm fieret inhibere, multamq; indicere consuli, dictatoriq;, & reliquis magistratibus, tribunus pro imperio poterat. Intercessiones quoq; aduersus reliquorum potentiam magistratuũ, apud tribunos plebis tantùmmodo sunt. Contra uerò dictatoris imperium, à quo non est prouocatio, tribunis intercedendi facultas non est: quamuis plerq; contra dictatoris iussum, tribuni intercessionem ualuisse contendant, Q. FABII exemplo, qui cùm magister equitum esset, & in eum, quòd contra uetitum pugnasset, L. Papyrius dictator animaduertere uellet, M. Fabius pater, qui ter consul dictatorq; fuerat, tribunos plebis, & populum appellauit, qui intercessione sua, etsi precariam præstitisset opem, reum tamen supplicio eximere. Ab uno quoq; tribunorum ad reliquos tribunos prouocare licere, ipsosq; intercedere posse, non est controuersia. Neq; enim leuis est unius tribuni in prohibendo potestas. Siquidem uno aliquid fieri negante, nihil cæteri, etiamsi plures numero sint, decernere ualent, teste Plutarcho in Catone minore. Id tamẽ lege cautum erat, ne ultra mille passus ab urbe ad tribunos prouocatio foret. Ideo si quid sublata intercessione tribunorum, per populum agi uellent, extra urbem ultra mille passus comitiis indictis, & Senatu euocato, decernebant. Tunc enim sine imperio tribunus censebatur. Capitis etiam diem dicere dictatori uel consulibus, postquam abiere magistratu, & reliquis magistratibus dum in honore sunt, tribunorum apud Rom. potestatis est. Illud certè satis constat, neq; tribunum plebis diem integrum ab urbe abesse licere, ne auxilii latio cùm opus fuerit, ciuib. desit: sicut Heduis in more fuit, ut qui summum gerit imperium, finibus excedere non posset, Neq; cum qui parentem superstitem habeat, tribunum plebis esse oportere. Propterea Seruilius, qui tribunatũ gesserat, falsò tribunus esse creditus est: quòd patrẽ, quẽ obnisse mortẽ opinio inualuerat, uiuere constabat. Quia & illud animaduertimus, tribunis quoties oportere uitium fuit, habendi & dissoluendi senatus, nonnunquã, ne consularia comitia fiant, intercedendi ius potestatemq; fuisse. Ipsis tamẽ, cùm sicquẽs habeut senatus, intra limites curiæ adesse nõ licebat: sed positis ante curiæ fores subsellijs, quæ ad populum pertinerent, senatusconsulta excipere: quæ si probarẽt, Tibera subscribere solebant. Si autẽ minimẽ rata esse uellent, poterat senatusconsultũ per intercessiones tribunitias impediri. Tametsi æuo posteriore, tribunũ frequenti curiã, de his quæ ad populum pertinerent, senatum sæpe consuluisse, ibiq, subsellia habuisse, inter exẽpla inueniamus: donec Atilio plebiscito Tribuni plebis senatores effici meruere Posse etiã plebem cõsulere, & rogationes ad populũ ferre, ac super his leges promulgare, quæ plebiscita dicta sunt, tribunitiæ potestatis esse nemo dubitauit: quod quidẽ cum in æde Vulcani sequẽtes habuere, ibiq, sigua turbulenta cõsusio esset, in qua cõsulto opus foret, plebem adnocare, & concionẽ frequentissimo concilio habere, assueuerant. Tribuni plebis domum cuiuis patere, foresq, illius per diẽ, perq; noctem reclusas esse oportebat. numium ut congressus faciles ad se præberet, & neminẽ aditu arceret. Nam soli tribuno, noctu pariter & die cuiuis opem implorãri prestò esse, & ius auxilii sui expedire, atq; à cuiusq; magistratus nimia potentia plebem tueri, fas est. Alex. lib. 1. c. 1.

An. Vrbis 296. C. Horatio Pulullo II. & Q. Minutio Augurino Coss. seditione orta, decem tribuni primi creati fuerunt.

TRIBVNI militũ primum creati tres fuerũt anno urbis 309. consulari potestate, priorisanni consulibus existentibus M. Genutio Augurino, & C. Curtio Medullino Fuso. Creati autem sunt L. Atilius Longus, T. Cloelius Siculus, & A. Sempronius Atratinus. Qui ante finem anni magistratum deponentes, locum denuò Coss. fecerunt, ut post quartum ferè mensem eligerẽtur Coss. L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus Rufus anno 315. Trib. militares tres creati. Postea etiam usus obtinuit, ut quatuor, quinq;, sex, prout necessitas postulare uidebatur, createrentur.

Cùm Sylla tribunos plebis sustulisset, Cn. Pompeius restituere eos plebi in animo habebat. Nihil enim pop. Rom. infaniore cupiditate prosecutus est, neq; ullum magistratũ recuperare, atq, eum, desiderauit ardentiùs: ut Pompeius pro magna felicitate reputaret illius actionis occasionẽ, quòd beneficium repertũ non putaret se aliud, hoc si alius prepriipisset sibi, quò ciuium repensatet fauorem. Itaq; tribunos plebis populo reddidit, permisitq, ut iudicia iterum lege transferrentur ad equites. Plut. in Pompeio.

VENETIARVM ortus anno 621. cùm Atila Hunnorum rex Italiam per Forum Iulium irrumperet. Variæ insulæ uicinæ habitatæ. Iam postquã Agilulfus Longobardorum rex Patauium excidit, nobilissimi quiq; eò cõfugere. A principio bini insulatim fuit annui tribuni creati alii singulos scribunt,

bunt, qui suis popularibus ius dicerent, capitaliaq; exercerent iudicia, ac si qua de summa rei cõsultatio incidisset, celebris conuentus indiceretur omnibus insulanis. At cùm Tribunorum discordia insulani Longobardorũ & prædonum iniuriis impunè expositi essent, Ducem creari placuit. Christophori Gradensis Antistitis consilio, cui summa rerũ domi forisq; committeretur. Et sic circa annum sal. 700. primus Dux creatus est Paulus Heracliensis. Sab. En. 8. lib. 7.

PRÆTORES.

Prætor AEGYPTIIS loco censoris erat, cui portoria exigendi munus impendebat. ACHÆIS bini prætores longo tempore imperitarunt, mox unum accepere. Apud MACEDONES, Sagũtinos & Syracusanos, domi forisq; iura dabant: in quo magistratu cum esset Dionysius, gradũ ad tyrannidem fecit. Apud THEBANOS summã imperij tenebant, sicut fuit Epaminondas: & nisi præsente eo magistratus eligi nequibant. Sardium prætor de bellis consultabat, & fœdera iniebat. Aetolis cum de bello aut quouis negotio senatum consuluisset, dicendæ sententiæ ius non habebat. Epirotis & ATHENIENSIBVS prætor, Thesinotheta, & belli dux, singulis annis sortito creabantur. Is autẽ si quando bella mouenda, & armis decernendum foret, militum delectus habere, legionesq; & turmas conscribere solebat, quam præturam Nicias cum Pericle aliquando gessisse fertur. Nonnunquam Athenienses decẽ prætores militiæ præfecere, qui per uices castris & legionibus imperitarunt. In quo magistratu cum esset Aristides, Miltiadi cessit, ne in pugna Marathonia aduersus Darium Darij præfectum, in dissidium ueniret, quum multitudine prætorum, patriæ discrimen impenderet. Ibidem.

Ab ortu Vrbis, ad annum ferè CCCXC PRÆTOR, qui ius in urbe diceret, nullus Romæ fuit. Erat enim hoc consulis munus, & illorum, qui in summo erant magistratu, superiore cõtrouerso respondere. Sed quia à iure dicundo, ingruente bellorum tumultu, persæpe eos auocari oportebat, prætore ac proprio magistratu, qui ius in urbe diceret, opus esse uisum fuit. Igitur quo tempore tribuni militum consulari potestate esse desiere, quum iam de consulibus ex plebe creandis magnis cõtentionibus agitari cœptum esset, eaq; res inuisa patribus infamisq; haberetur, neq; aliter sedari uideretur posse, rum primùm leniendæ multitudinis causa, ut consul etiam de plebe fieret, à patribus est impetratum, inuicemq; ipsa plebs, ut prætor unus ex patribus crearetur, qui ius in urbe redderet, haud dubiè assensit. Fuit enim is Spurius Furius Marci filius primùm prætor ex patribus, eiq; ut aliquibus honoris insignis conspicuus foret, curulem sellam, ut consuli dictatorique, & eadem auspicia esse uoluere. Nec diu apud patritios honos iste mansit. Nanq; haud diu post, Q. Pub. Philo primus de plebe, auersante senatu, prætor factus est: communicataq; tam prætura, quàm consulatus cum plebe fuit. Sed cùm prætores magis ex usu reipublicæ uiderentur, breui illorum numerus auctus fertur. Quippe latius propagato & aucto imperio, quo tempore Attilius Calatinus primo Punico bello dictator extra Italiam duxit exercitum, cùm obire tantum munus solus non posset, duo prætores creati, exq; his alter urbanam, alter peregrinam iurisdictionem sortiti fuere. Et quia plerunque usu ueniebat, ut urgentibus hinc inde hostibus, & multiplici bello ingruente, ferro & armis decernendũ foret, prætores sicut consules prouincias sortiri, hisq; & exercitibus cum impetio præesse cœpere, ibiq; non solùm ius dicendo, sed armis imperitando imperium exercuere. Ipsis enim licèt ad ius dicendum creatis, nõ tamen à belli cura uacatio dabatur. Quj tametsi in imperio essent, iura tamen prouinciæ sine decreto senatus, aut populi iussu mutare nõ poterant. Neq; diu pòst, primo Punico exacto bello, cùm Galli transalpini in Italiam irrumperent, quatuor prætores creati sunt, Bebia fuere: quæ iubebat, à ternis ad quaternos creari licere. Mansitq; hic numerus ad primum ferè Macedonicum bellum, quibus & belli summa cõmissa fuit, illorumq; auspicijs egregiè res gestæ plerunq; sunt. Tunc quoq; additis prouincijs, & magno incremento rebus auctis, cùm M. Cato Sardiniam obtineret, Siciliaq; & Hispania imperio accreuissent, magisq; indies prætores ex usu forent, illorum numerus auctus fertur, ut seni crearentur. Post temporũ uerò curricula, quibus Cornelius Sylla rempublicam in dominationem uertit, cùm plures de parricidijs, de sicariis, de falsis leges tulisset, ut essent qui eas tuerentur, quatuor qui de criminibus inquirerent, ueteri numero adiecere, ita ut decem crearentur. Mox Iulius Cæsar numerum ampliauit: nam præter hos annonæ & rei frumentariæ præfecit duos, ad inuehendos commeatus, qui Frumentarii seu Cereales dicti: quibus ut ne quid commeatus fiumentiq; urbi deesset, præuidere prouidere; negotium erat. Et mox alios, qui ærarii curam ageret, adiecit. Diuus deinde Augustus sedecim expleuit numerum, tametsi præturæ candidatos duodecim ab Augusto editos, auctores sint: quem numerũ non excessurum Tiberius iureiurando firmauit. Demùm diuus Claudius alios constituit, qui deficientium uoluntates tuerentur, & de fidei commissis ius dicerẽt, quos fideicommissarios uocauit: quo tempore ad decem & octo prætores, quod nunquam antea factum, exercuit numerus. Et quum pupillis tutores à consulibus antè poscerentur, Marcus Antoninus Philosophus, omni doctrina homo eruditus, cuius pleraq; extant egregia facinora militaria, ut diligenti disquisitione tutores pupillis darentur, proprio magistratu eam curam demãdauit, qui tutelaris dictus est. Deniq; nullo præfinito numero tot fuère, quot expedire reipublicæ uisi sunt. Alex. lib. 2. cap. 15.

ÆDILES.

Quo tempore exactis regibus, & cõsulibus creatis, plebs contentione maxima cum patribus certauit, & tandem ut alter ex consulibus plebeius foret, obtinuit: patres pro communicato plebi consulatu, ædilitatem simul & præturam uendicarunt. Igitur curuli AEDILITATE creata, illam Cn. Quin. Capitolino, & P. Corn. Scipioni ex patribus dederũt: postea alternis annis, modò ex plebe, nunc ex patribus ædiles creari cœpti, munusq; promiscuum fuit: donec curulis ædilitas ad libertini generis homines delata est, tunc quum Cn. Flauius Appij scriba, libertino patre natus, cum Q. Anitio Prænestino, haud multo antè hostes populi Romani, ædilis curulis ius ciuile in penetralibus pontificũ diuulgauit, diesq; fastos in albo proposuit, ac ædem Concordiæ cum non mediocri inuidia nobilũ dedicauit. Demùm dissidente plebe à patribus, ut duo essent plebis ædiles, sicut duo patritij antea fuerãt, plebi est à patribus concessum. Lapsis inde temporibus, cùm Iulius Cæsar rerum potiretur, tunc primùm sex ædiles creati, duo patritii, qui Cereales dicti, qui curam gererent annonæ forensis, copiæq; cibariorum: reliqui ex plebe, quorũ præcipuum munus erat, urbis, ædiũ factarum priuatarumq; curam agere, ad eosq; absentibus uel impeditis consulibus summa rerum, & maiestas consulatis imperij sæpe delata est. Hi præcipuè curabant, ut ædificia publica priuataq; fierent, utq; templa, theatra, stadia, fora, porticus, curiæ, & basilicæ, atq; mœnia magnificis opesibus efficerentur & ornarentur. Ad eos etiam senatusconsulta & scita plebis, ut in ædes sacra conderentur, deferebantur: præparandò conuehendoq; frumento & oleo, ne urbs penuria annonæ, neue caritate laboraretutq; commeatus, quæq; bello usui forent, in castra deferrentur, ædilium munere erat. Ideo Manius Martius & Trebius ædiles plebis, quòd in summa caritate frumentum populo in modios assibus dedere, commeatusq; inuexere, statuas in Capitolio & Palatio cum titulis honorum meruere. Et M. Seruilius T. filius ædilis curulis, quòd olei denas libras singulis assibus præstitit, celebri memoria dignus fuit. Etiã in eos qui plus quàm lege definitum erat, agri possiderent, diem dicere, matronas probri accusare, fœneratores coercere, popinas & ganeata obsonia inhibere, in facta dictaq; inciuilia atq; improba animaduertere, ædilitiæ potestatis erat. Circa religionem, ne qui nisi Romani dii patrio more colerentur, neue à neruiis cæremonis decederent, ædilibus præcipua cura fuit. Munera etiam magnificentissima & ludos apparasse nos, ad conciliandũ populi fauorem, per ædiles plebis aut curules, nunc Romanos, nunc plebeios, nonnunquam scenicos, publica uel priuata impensa, aut ex multa tuia pecunia, curari & instaurari plerunq; adnotauimus: in quibus uenationes beluarum, quæq; mira spectatu & insolita sunt, nonnunquam gladiatorũ paria, qui digladiarentur, spectaculis exhibuere. Quæ munera cùm magnificentissimè per ædiles edita fuissent, gradus ad amplissimos honoris magistratusq; fecere. Horum exemplo EPHORIA cedæmonis fuere, & in Thessalia ædiles, quibus uirgas liæ præferebant, quorum munus erat annonam & forum cupedinis curare. Apud Græcos & Aetolos AGORANOMI, quorum edictis uendentium & ementium rabies cõcebatur: qui hoc etiam sibi arrogarunt, de uenditarum emptarumq; rerũ usu & cõmercio, deq; cõuentionib. & pactis cognoscere. In tantumq; honoris culmẽ ædilitas prouecta fuit, ut urbe peste laborante, maiestatẽ consularis imperii ad ædiles deciditse, Liuius auctor sit. Duo Crassi, & Q. Mutius, & Pub. Lentulus, & Scaurus summis honoribus functi, ædilitatem magnificentissimè gessere, illamq; magni muneris loco executi fuere. Paulus quoq; Aemilius, cùm duodecim magnis competitoribus in petitione ædilitatis prælatus fuerit, pro summo honore duxit. Alex. lib. 4. c. 4.

DVCES, MARCHIONES, COMITES.

Autharis Longobardorum regno, quod adhuc & uitiis imbecillũ, & dignitate parum speciosum fuerat, multum & amplitudinis ad decus, & opum ad potentiam addidit. Instituit, ut Reges Flauij nomine antiquo Imperatorũ exemplo appellarẽtur, & ut à singulis DVCIBVS (XXX autem post mortem Clephis regis creati erant) uectigalium suorũ dimidium ad regiam tuendam amplitudinem conferretur. Is census tertio quoq; anno in Palatium regium à Iacobo Gualla scribitur esse illatus. Illis uerò usum urbium, dominio & iure sibi retento, reliquit, neq; successores tradidit, ni si aut uitili extincta stirpe, aut conflata defectione. Sigonius lib. j. regni Ital.

DVCES initiò & COMITES ab Regibus Francorum præficiebantur gentibus ciuitatibusq;, ac cùm uideretur, dimittebantur. deinde inueterauit cõsuetudo, ut nisi sceleris conuicti abire imperio non cogerentur: idq; postremò, ut quisque eo munere donabatur, iureiurãdo Regum cauebatur. Quod exemplum etiam ad Magistrum militiæ, ac eum peruenit, quem Maiorem Magistrumue domus Franci uocitabant. eundem Comitẽ stabuli, uoce etiam à Iustiniano Cæsare, ac nescio an & antè usurpata, dicunt: Magistrum equitum appellamus. Aemilius lib. j.

Clemens VI. in cõtumeliam Ludouici Bauari creauit VICECOMITES, Imperij uicarios: uicissim Ludouicus in Ecclesiæ ditione uicarios creauit Imperij. Cranzius lib. 9. Metropol. cap. j.

VICECOMITES patricij Mediolanenses, in partiũ sanguinaria dissensione, qua Italia uniuersa Gibellinorũ & Guelforum appellationib. erat incensa, pullis ad extremũ Guelfis, qui antè partis unius in sua ciuitate capita erant, totius ciuitatis dominatum occuparunt: quem cùm multos annos tenuissent, communi tyrannorum more, ut quod iniuria erat, iure occupatũ uideretur, corroborare primùm uetis coloribus, mox amplissimis appellationibus suam fortunam illustrare studuerunt. Idcirco ab Impp. Romanis, Capitanei primùm (sic enim uulgò uocantur militum ductores atq; præfecti) pòst Vicarij imperatorij nomine impetrato: tandem Ioannes Galeacius (attestante Platina) qui à Ioanne Galliẽ rege socero suo in Gallia accepto comitatu, ab oppidi nomine Virtutis comes appellabatur, à Venceslao rege Romanorum, suo & masculæ stirpis suæ nomine, ducis Mediolanensis adeptus est dignitatem: quem duo eius filij Ioãnes Maria, & Philippus Maria cõtinuata successione sunt secũti. Verùm in Philippo mascula deficiente prole, quamuis Alfõnsum Aragoniæ & Neapolitanorum regem necessitudine arctissima ex illa liberatione, qua eũ, relictis Andiuinis, quibus antea semper studuisset, à Genuensibus in pugna nauali ad Caietam captum, liberum abire permisit, contracta, impulsus: ac multo magis ne Mediolanẽse imperium à potentissimo principe defensum, à Venetis, ad id tam manifestò aspirantibus, occuparetur, testamento hæredem fecisset: Franciscus tamen Sforcia, uir eius ætatis in re militari princeps, nec pacis artibus, quã belli inferior, multis simul tum concurrentibus casuis adiutus: nec minus quàm apud eum plus regnandi cupido, quàm fidei obseruantia ualuit, Mediolanense imperium, quasi ad Blancam mariana uxorem suam, Philippi uerò haud legitimam filiam, spectãret, armis subegit: quem fama est nõ magna pecunia ab Federico III. Imp. priuilegium obtinere potuisse: sed ratus se quibus artibus principatum illum sibi pepererãt, iisdẽ posse conseruare, in eo Cæsaris auctoritatem contemsisse. Itã sine priuilegio Galeacius eius filius, & Ioannes Galeacius nepos imperarunt. Sed Ludouicus simul & in uiuum nepotem sceleratus, & in pattis fratris q; sui mortuorum memoriam iniurius, ausus etiam neutrum ipsorum legitimum fuisse Mediolani ducem affirmare, priuilegium, quasi principatus ad imperij iura deuoluti, à Maximiliano I. habere uoluit: quamobrem se non septimum, sed quartum Mediolani ducem appellauit: quæ tamen res ad paucorum, quoad uixit nepos, notitiam peruenerũt. Dicere præterea, Cyri, qui Artoxerxis Persarum regis frater minor natu fuit, exemplo, atq; id plurium iurisconsultorum auctoritate roborans, solebat, se Galeacium fratrem anteire non ætate quidem, sed nascẽdi felicitate, quòd primus esset patri iam Mediolanensium duci natus: quæ ratio unà cum priore expressa in priuilegio Imperatoris fuit: cui separatis literis, ad Ludouici tegendam cupiditatem, ridiculo tamẽ colore, adiunctum, Non esse in Romani Imperij more, cuiquam principatum aliquem conferre, qui eum priùs aliorum auctoritate possedisset: idcirco Ludouici preces de priuilegio Ioannis Galeacij nomine impetrando, à Maximiliano non fuisse auditas, quòd is primùm Mediolanense imperium, eius populo acceptum, retulisset. Guicciardinus lib. j.

BORSIVS Nicolai Estensis Marchionis filius ex concubina Ptolemæa Senensi, cùm Cæsarem Fridericum III. Romam petentem, & inde reuersum magnificẽtissimè accepisset, super Mutinam & Regium ciuitates ducatus honorem accepit, primusq; omnium in Estensi familia dux appellatus est. Platina in Pio II. Aeneas Syluius cap. 52. Europæ.

Fuit olim Mantua, Imperij libera ciuitas: pòst autem, uarijs agitati motibus atq; ciuilibus malis, ad Ludouicum Gonzagam, propter eiectam Passerini tyrannidem, rei summã deferunt, anno Domini MCCCXXVII. huius abnepotem, IOANNEM Franciscum, Sigismundus Cæsar creauit Marchionem, anno MCCCCXXXIV. additis Imperij signis, & Barbaram Ioannis Marchionis Brandenburgensis filiã, Ludouico Ioannis Francisci filio spopondit in uxorẽ: quæ nuptiæ honestare familiam Gonzagam sunt uisæ, & quòd Sigismundo Imp. puella affinitate coniuncta erat, & quòd pater Ioannes potestatem ineundi suffragia ad creandum Imperatorem habebat. Platina. Tandem Carolus V. Imp. Fridericum ducem creauit, anno MDXXX. Sleidanus lib. 7.

ANGLIS mos est, ut Ducatus & Comitatus tituli arbitratu principis dentur, etiam sine possessione locorum, è quibus ipsi tituli petantur. Nam rex solet iis, qui nihil in eo comitatu habeant, ex suis uectigalibus dare quotannis aliquã pecuniæ summam, in possessionis loco. Polydorus libro 19. & 23. Anglicæ hist.

PRÆFECTI VARII. PVTA

REGNI, INTERREGES, PRO REGES, VICEREGES.

Quo tempore Romulus ad Capreæ paludem humanitatem exuisse fertur, satis cõstat Patres conscriptos de regni successore solicitos, decem decuriis factis, singulisq; in singulas decurias creatis, ut decem imperitarent, unusq; cum insignibus imperij & lictoribus esset, interreges creauisse, quod imperium per orbem ire, & quinq; dierum spacio terminari iusserunt. Alij per ternos quaternosq; dies, interregni spatium per singulos iuisse, atq; anno uno senatores, qui CXX numero erant, imperium tenuisse ferunt. Plerij; asserunt; cùm è senatores essent, à patribus fuisse constitutũ, ut per quinõs dies singuli, qui fasces & imperij insignia habebant, imperitarent: functusq; imperiò primus, secundo, & reliquis deinceps regni curã munusq; tradẽret. Nonnulli putant, quòd cùm CL patres essent, singuli cum fascibus prodeuntes, sex noctis fiotas & sex diei Quirino imperitarunt, & sacrum ferunt, tantundem Tatio, qui regni consors erat, annuumq; interuallum fuisse: donec Numa Pompilio rege creato, Romulo regni successor datus est. Mansitq; mos post exactos reges, ut si qua fortuna aut casu consules creari ne quirent, uel uitio creati forent, aut si qua turbulenta confusio & necessitas premeret, donec de consulatu deciniretur, aut dictator reip. daretur, interreges præessent, qui populo uice consulum iura darent. Quinetiam si contentio inter patres & plebem foret de magistratibus creandis, aut absentibus consulibus comitia haberi non possent, uel uitio creatis magistratibus auspicia renouari oporteret: uel consulib. morte sublatis, de comitiis & creãdis consulib. contentio esset, interreges creari compertum est, ut essent qui comitia haberent, magistratuumq; munia obirent. Qui quidẽ interreges sine populi suffragio, ad concilium plebe non admissa, à patribus tantùm auspicato creabantur. Quotiesq; per interregem comitia fiebant, in patrum potestate euentũ comitiorũ fuisse liquet: quippe nemo interrex, qui auctor comitiorum foret, nisi ex patribus erat. Dicebat uerò consulem plerunq; interrex ex patrũ decreto, quem ipsi uoluissent (quod officium prodendi interregem oratoris fuisse autumãt) poteratq; non modò prætor, sed consul aut dictator interrex fieri. Et si quando proditus interrex, munus pro quo dicebatur exequi nequiret, exacto dierum quinq; spacio, alius succedebat qui uices susciperet, donec per singulos in orbẽ irent, ut modò tertius, nunc quintus, aut quartus, nonnunq; quartusdecimus, plerũq; uigesimus proditus interrex, consules magistratusue faceret, aut comitia haberet. Quos quidem interreges, dum honori præerant, consulum uice gerere, idemq; iuris & potestatis habere, haud dubiũ est: donec absoluto reipubl. munere, interregum potestas finiretur. In quo id plerunq; euenisse comperimus, ut proditus interrex, comitiis, quæ ipse habuisset, cõsul crearetur: sicut de L. Post-

humio Metello traditur, qui his comitiis, quib. inter ex prę-
erat, cum Iunio Bubulco consul factus est. Illi autem tantæ
potestatis erant, ut legem ferre possent, senatum consulere,
& consulis munia obire. Hoc quoq; dicere haud piget, sine
causa interregē dicere haud liceret: sed cùm turbulentæ con
fusiones, aut tumultus comitia impedirēt, & nisi ad IV. Cal.
Feb. creari non licuisse. Et si quando comitiorū causa inter-
rex proditus esset (quod plerunq; usu ueniebat) nunquā ab
eo qui primus, ꝓderetur, sed qui secūdò aut tertiò ac dein-
ceps in urbem essent, uel comitia haberi, uel dictatorem dici,
aut consulē uel tribunū creari. Fertur uerò Sylla, cū sum-
mæ esset potentiæ, consulib. morbo sublatis, per senatū in-
terregem creari mandasse: scilicet qui non consulū comitia
exemplo uetteri indiceret, sed ut se dictatorem ad imaginē
antiquitatis indictis comitiis crearet. Neq; negauerim, Cæ
sarum temporib. nullum interregnū fuisse, cùm unius impe
rio occupata rep. senatus esset negligens & remissus, & uix
ulla foret libertatis imago: nisi post Aurelianū, cùm de prin
cipe deligendo senatus opinione uaga duceretur, & cū mi-
litibus tumultuantib. non consentiret, per sex menses deli-
gēdo principi interregnū fuisse: donec Tacitus in imperio
assumtus fuit, qui summi principis spem ostendit. Tametsi
morte sublatis Cæsarib. quoties de principe deligendo am
bigebatur, ad senatum Romanam rem pertinuisse, multipli
ci exemplo probatum sit: quod Traianus facere destinarat,
ut si quid ei accidisset humanitus, principem Reip. senatus
daret. Alex. lib. 3. cap. 6.

SYRENAS suprematæ dignitatis apud Parthos post regem no
men est, teste Cuspiniano in Cæsaribus, & Plut. in Crasso.

LVPVS Symenius primus Prorex Siciliæ dictus. Vide Tit. Gra
titudinis pro beneuolentia & constanti fide.

Apud IAPONIOS Indos præfecti duo summa cum potesta-
te sunt: quorum alter honorib. alter iudiciorum & causarū
cognitioni præest. Honoris Præfectus, quem Voonē nomi-
nant, stirpis successione delectus, in deorū numero colitur.
Hunc terram pede contingere, religio est: si tetigerit, magi-
stratu depellitur: domesticis suis b. nunquam egreditur, nec
temere in conspectum se dat. Domi uel lectica uehitur, uel
ligneis foceis ubiq; prædits ambulat. In sella dum sedet, ex
altera parte pugionem, ex altera arcū & sagittas habet. Ex-
teriore tunica rubra, fertico tenui, uti uelo, obducta: interio-
re autem nigra utitur. Pileum gerit in capite pendentib. uit-
tis, ad instar pontificalis tiaræ. Frons rubro candidoq; co-
lore depicta est. Cibum è fictilibus capit. Io. Metellus.

PROVINCIARVM. EXARCHI, CATAPANI, THANI.

Tametsi ad reliquas prouincias præsides & magistratus RO-
MANI cum lictore & fascibus mittebant, tamē Alexandriā con-
sulares fasces accedere, aut urbē inire uetabatur: q̄ diuinis
carminibus prædictum esset, tunc demūm Aegyptum fore
liberam, cùm ad eam Romani fasces aduentarent. Alex. li-
bro j. cap. 27.

Sub Iustino Imp. primùm excogitatus est magistratus, qui di-
ctus est EXARCHATVS, ut quodāmodo Imp. uicarius in
Italia foret, cuius sedes erat Rauenna, ea auctoritate, ut pō-
tifex Romæ creatus ab eo probaretur. Incœpit autem anno
DCXX. ut quidam scribunt: licēt is annus nō cadat sub Iu
stino, sed Heraclio: & duauit annos CLXIV, quoad Aistul
fus Longobardorum rex Rauennam cepit. Cuspinianus. Vi
de Tit. Amor urbium. Longinus Natseti à Sophia Augusta
successor datus, post suū in Italia accessum semper se tenuit
Rauenna, Romam ne uidere quidem dignatus est, aut cer-
tè ob Natletem in humanis agentem non est ausus. Attulit
is secum in Italiam nouum regiminis nomen Graiæ super-
bię plenum, ut Exarchus diceretur. Idem primus uetere ad-
ministrationis formam tota Italia sustulit, ut non cuiq; pro
uinciæ regionisue suus esset magistratus, sed singulis urbib.
singuli, qui potestate præirent, & ius ciuib. simul dicerent,
ducesq; appellarentur. Magistratum tamen, quem unū Ro-
mæ constituit, Præsidem appellauit. Sed qui postea secuti
sunt, Duces dici maluerunt. Quo cōrigit, ut multis inde an-
nis Romanus Ducatus sit dictus. Fortassis & aureus num⁹,
qui Romæ cudebatur, inde nomen adeptus. Sicq; tum de-
mum Romæ & reliqua Italia uetus administrationis forma
cum magistratuum nominib. interiit: quæ cōtumeliæ ratio
nomen Romani Populi apud exteras gēres, maiestatemq;
ad nihilum redegit, cùm per tot alio qui clades, quot aliq; tu
per alias CLX annorum spacio à prima imperij inclinatio-
ne rem Romanam afflixerant, nescio quōnam modo decus
illud uetus, & maiestas nominis, magis hominum opinio-
ne quām re adhuc nigeret, ueteris imperij umbra potius, q̄
q̄ aliquid superesset administratione dignum. Nam & Nar-
ses consul Rom. creatus fuit cum Basilio. Sabel. lib. 5. Enn. 8.

Græci Impp. Apuliam & Calabriā sub Germanis Impp. adhuc
tenebant, iisq; præfectum dabant, qui CATAPANVS di-
cebatur, unde regio quædam ab illo Catapanatæ nomen
inuenit. Indicant noua multa à Catapano ipso oppida ædi-
ficata, ut Troia, quæ pòst Apuliæ caput fuit, Draconarium,
Florentinum, & alia. Sigonius lib. 8. regni Ital.

CAROLVS Magnus euerso Longobardorū regno populos
ac ciuitates in Regno, hoc est in Liguria, Aemilia, Venetia,
Tuscia citeriore, & Cottiis alpibus sitas, ita gubernare insti-
tuit. Regni limites atq; oppida Comitibus administranda
commisit, atq; eis omnem publicam & priuatā iurisdictio-
nem mandauit. Limites Marchas uocarunt: unde præfectis
mutum, marchatū Comites, ac Marchiones dicti. Extra ordi
nem autem legatos quosdam in Regnū maiore, quàm Co-
mites, cum potestate misit, quos Missos uocauit. Sigonius
libro 4. regni Italici.

THANVS apud Scotos, præfecturæ dignitas est. Boethius.

VRBIVM.

De præfecto Vrbi Romanæ, uide Alex. lib. 6. capite 28.

AETOLIS polemarchus, claudendarū portarum & urbis cu-
ram gerebat, clauesq; noctu habebat: interdiu autem custo
diis portarum assidebat. Alex. lib. 3. c. 16.

Fridericus I. Imp. euerso Mediolano, anno MCLXII. Brixiæ,
Bergomo, Placentiæ, Como Germanos prætores dedit,
quos Potestates Imperatorias appellarunt. Sigonius lib. 9.
regni Italici.

EQVITVM. MARESCHALLI, CHARTVLARII.

Regalium equorum curatoribus præpositus, à Constantino-
politanis olim Chartularius dicebatur. Cusp. in Leone III.

Gallici MARESCHALCHI muneris est ordinarium, regis
equitatum inspicere moderariq;, & in arduis prælijs primā
aciem ductare. Iouius lib. 35. Hist.

Apud TVRCOS equitibus uniuersis duo magistri equitum
præsunt, qui Bellerbechi, hoc est, Domini dominorū, supe-
ba appellatione uocantur. Asiaticus ad Cutheiam Galla-
tiæ urbem, Europeus ad Sophiā Mysiæ inferioris, sedes ha-
bent, cōstituūtq; tribunali b. inter milites ius dicunt, quem-
admodum Cadi, qui sunt statutorum & legum periti, præco
ria auctoritate incolarum controuersias finire solent. Bel-
lerbecho parent Sanzachi, Latinè alarum signiferi: Sanza-
chis Subali obediunt, qui centenarias turmas ductant. Sa-
bell. Supplem. lib. 4. ex Iouio.

HOSPITVM.

PROXENI apud Græcos erant hospitib. excipiēdis præfecti,
qui ex ciuitatibus aduentarent: propterea ciuitatum pro-
statæ dicūtur & Phrontistæ. Herodotus tradit, Spartanis fu-
isse decorū regibus, quem noluissent demonstrare, qui pro-
xeni obiret functionem. Cœlius lib. II. c. 10. A. L.

MANSIONVM.

Καταμονῶν, præfectus ꝓuinciæ, mansionum curator, hospitiorum fidelitas in comitatu principis aut legati ducis in exercitu. Itidem ex Plut. A. Commend. quæst. 1. præfectus conuiuii.

CVBICVLO. SILENTIARII.

Magnus Silentiarius Zenonis Imp. fuit ANASTASIVS, qui
ei in imperio successit, hoc est, quietis minister. Erat enim di
gnitatis gradus, Silentiarij apud Imp. titulo honestatus, a-
pud Iureconsultum Vlt. clarissimus iuris palatij nuncupatur,
honor mediocris. Cuspinianus.

THESAVRORVM. QVAESTORES.

De hac, quatenus operam præstant mechanicam, inter Mechanicos quoq; egimus. Hic Munus ipsum politicum considerabimus.

HELLENOTAMIÆ, qui pecuniam tributorum asseruabāt,
quam olim Græci communiter in Delo reponebant. Nam
Athenienses, sociis uolentibus, Pausaniæ regis Lacedæmo
niorum odio, suscepto Græcorum principatu, constituerūt,
quibus Græcis urbibus naues, quibus pecuniæ præbendæ
essent, ad uiciscendum Barbarum, & prouincias eius uasta-
das. Tributum autem descriptum fuit ab Aristide talentum
CCCCLX. Suidas.

A Tullo Hostilio QVAESTVRAM primò inuentam fuisse au-
tumant. Constat P. Val. Poplicolam, qui cum Bruto consul
fuit, cùm Saturni ædem & ærarium condidisset, duos quæ-
stores, q̄ publicæ pecuniæ præessent, suffragiis populi crea
ri uoluisse. Fuere autē hi, P. Veturius & M. Minutius, qui pri-
mi ex patribus quæsturæ munus curiatis comitiis cœperē.
Plutarchus in Valerio. Quæ res cùm bene & prosperè reipu
blicæ cessisset, & plebs cum patribus tumultuata, quæsturæ
se participem fore contenderet, eo deducta est, ut ex duob.
quatuor

quatuor quæstores fierent: duo, qui urbanis negotiis & ę-
rario præessent: duo, qui consulibus ad belli ministeria prę
stò forent: liberumq; esset, ut hi possent populi suffragio ex
plebe uel patribus creari: quo tempore tanto certamine in
quæsturam plebs inuasit, ut ex quatuor uix uni patritio, Fa
bio scilicet Ambusto, locus relictus foret. Interiecto deinde
tempore, quo Picentes assiduis cladibus fatigati, in populi
Romani societatem asciti sunt, quęstorum numerus auctus
fertur, ut seni crearentur. Coniectari licet, quòd auctis po-
puli Romani uectigalibus, & quæstu uberrimo ex prouin-
ciis proueniente, illorum numerum, qui id munus exeque-
rentur, quibusq; curatio hæc demandaretur, augere opor-
tuisse: donec Syllana lege intercursu temporum, ultra XX
excreuisse dicuntur. Consules prætoresque in prouincias
profecturi, singulos quæstores, quorum curæ captiua præ-
da, & quicquid auri argentique inde aduenirет, appensum
adnumeratumque demandaretur, apud se habebant. Quo-
rum munꝰ erat, uectigalia populi Romani in prouincia exi
gere, stipendia præbere militibus, singulaq; accepta expen-
saque rationibus inferre: multas quoque pecuniarias, tam
Romæ quàm in prouinciis exigere, & in publicas tabulas
notare: omniumque rerum pecuniarumque notas, & illus-
tres rationes dare: illasq; confectas & consolidatas, abso
luras q; per suos scribas, in ærarium deponere. Licèt autem
quæstura ex minoribus magistratibus, in urbe foret, eius ta
men dignationis erat, ut quisque egregius & bonæ indolis
adolescens, ex illa gradū ad reliquos honores faceret. Nan-
que hinc aditum reliquis adeundis magistratibus auspica-
bantur: siquidem primis experimentis, quæsturæ initiati,
qui nullis antè honoribus usi erant, inculpatæ uitæ testimo
nio, ad ædilitatem, mox præturam, & demùm consulatum,
euehebantur. Alexan. lib. 2. cap. 2. Post Cannensem cladem,
propter ingruentem ærarij & multum inopiam, Triumuiri
conquirendæ pecuniæ monetales seu mensarij creati sunt
æris, argenti, atq; auri flatores: quorum munus erat, numis
mata probi auri & argenti, iustique ponderis examinare: &
alios legendæ iuuentutis, qui militiæ idoneos per oppida
conquisitos adtiberent: quod quidem, ingruente bellorū
tumultu, sæpè fieri animaduertimus. Quo enim tēpore ad
Cannas magna clade pugnatum est, consternata repub. tri-
umuiris datum negotium fuit, ut non ingenuos modò, sed
seruos ære coemtos, & mancipia ad quatuor & uiginti mil
lia sacramento adigerent. Alex. lib. 3. cap. 16. & Sabell. lib. 3.
Ennead. 5.

ELECTIONIS IMPERII.

Ex CAROLI IV. Imp. instituto, in sessione publica Imperato-
ris, archiepiscopus Treuerensis archicancellarius per Gal
lias (hoc est, omnem Imperij prouinciam ultra Rhenū, quæ
olim non parua fuit) & regnū Arelatense, è diuerso à fron
te Imperatoris considet. Moguntinus autem in prouincia
sua & cancellariatu per Germaniam, à dextris: & item Co-
lonienſis, in prouincia & cancellariatu suo à dextris Impe-
ratoris: & uicissim à sinistris, alter è duobus. Nam ut Mo-
guntinus per Germaniam, sic Coloniensis per Italiam pri-
matum tenet. Rex Boemię à dextris archiepiscopi, & illum
sequitur eodē latere Comes palatinus Rheni. A sinistris ar-
chiepiscopi dux Saxoniæ, & illi Marchio Brandenburgēsis.
In publicis autem processionibus eodem ordine incedunt:
Treuerensis ante Imperatorem, & alij archiepiscopi à late-
re, iuxta modum dictum. Rex Boemiæ sine medio sequitur
Imperatorem. Quòd si Imperialia deferuntur insignia, dux
Saxoniæ ensem portans, statim ante Imperatorem, medius
inter ipsum & Treuerensem: à dextris Ducis Comes Palati
nus aureum malum: à sinistris Marchio cum sceptro. Nam
Ducem marescallum uocāt, hoc est, belli administratorem,
Palatinum dapiferum, Marchionem cametarū. Officia sua
in regis coronatione exequuntur hoc ordine. In regia uel
imperiali curia, quæ ꝓ magnificentia regni uel Imperij pu-
blicè & solēniter instituitur, primus dux Saxoniæ marescal
lus plurimam auenam publico loco iubet effundi: eam iu-
mento sedens ingressus, argenteam mensuram, cum cylin-
dro è simili metallo, simul duodecim argenti marchas
pendentem præfert: primus auenam mensurat: eam tradit
primùm uenienti. Abiens Dux uicemarescallo (is est senior
domus de Pappenheym militarium) equum cum mensura
& cylindro, usibus eius & lucro deputanda relinquit. Mar-
chio deinde camerarius equo uectus insigni, iumento desi-
liens, lauacrum ex argento duodecim in pondere marcha-
rum argenti tenet, aquamq; dat manibus regis uel Impe-
ratoris. Tollit mox uicecamerarius de Franckensteen equū
& lanacrū suis usibus. Inde Palatinus dapifer iumēto inue-
ctus, quatuor argenti scutellas duodecim marcharū infer,
& de iumento descendens corā principe inclinās ponit. Ma
gister coquinæ de Nortenberg iumentum suis usibus & scu
tellas tollit. Demum rex Boemiæ si adsit, equo similiter
inuectus, poculum argēteum duodecim marcharū præfert
regi uel Imperatori, & inclinās porrigit: sine mora excipiēs
uicepinceina de Limborg militaris, regis equum cum po-
culo suis usibus reseruat. Sedēte iam rege ad mensam, pro-
cedunt tres archiepiscopi, is medius, in cuius prouincia res
geritur, cæteris latera eius stipantibus: prę se ferētes baculū
argenti marcharum duodecim pondere, in quo sigilla re-
galia uel Imperialia ad præsentiam accubantis præferunt:
quæ ille accipiens, reddit ei maius, qui rem medius gessit,
quod ille appensum collo gestat in hospitium. Baculus Im-
periali cancellario cedit: & ad eundem quoq; sigillū defer-
tur ab archiepiscopo. Quòd si uicarij prænominati non
adsint, cedit absentium prouentus consuetus curiæ mini-
stris. Mensa regalis uel Imperialis, sex pedibus sublimior cę
teris. Si adsit regina uel Imperatrix, eius est à dextris accū-
bitus, tribus cæteris sublimior gradibus. Electorum ex or-
dine septem mensæ, sic æquali passu statuuntur, quomodo
est consessus eorum. Ad eorum principum mensam nemo
accedit, nec licet cuiquam accumbere, quandiu fuerit ali-
quid superagendum, ex comprincipibus. Cranzius libro 9.
Saxoniæ, cap. 29.

FOEDERVM.

Fecialium originem, numerum & officium, Alex. libro 5. capite 3. persequitur.

Feciales à Numa primùm institui sunt, è nobilissimis familiis
delecti, qui eo munere per omne uitæ tempus fungerentur.
Dionysius libro 2. eorum procurationem septem in partes
describit. I. Vt uiderent, ne populus Rom. ulli fœderatæ ci-
uitati bellum inferret. II. Vt ab exteris nationibus res iniu
ria ademtas repeterent. III. Vt postulata facere recusanti-
bus bellum indicerent. IV. De iniuria contra fœdus illata
cognoscerent, & qui noxam nocuisset, dederent. V. De le-
gatorum iniuriis cognoscerēt, & ut fœderum conditiones
seruarentur, uiderent. VI. Pacem facerēt: eam, quæ minus
rectè facta esset, rescinderent. VII. De eo, quod imperator
cōtra iusiurandum fecisset, cognoscerent. Varro de Vita po
puli Rom. Itaq; bella & tardè & nulla licentia suscipiebāt:
quòd bellum nullum, nisi pium, putabant geri oportere: &
prius quàm indicerent bellum iis, à quibus iniurias factas
sciebant, fecialē legatos reperiū mittebāt quatuor, quos
Oratores uocabāt. Si eius legati uiolati essent, qui id fecis
sent, quamus nobiles essent ut dederentur ciuitati, statue-
runt: Fecialesq; XX. qui de his rebus cognoscerent, iudica
rent & sanirent, constituerunt. Horon. de Verbis iuris.

CONSILIORVM, IVDICIORVM.

Consule locum Iudicum.

AMPHICTYONES, ex urbib. & populis selecti iudices. Fuit
enim concilium Græcanicum ad Thermopylas. Sic autē di-
cti sunt, uel ab Amphictyone filio Deucalionis, uel q̄ circū
Delphos habitarent. Qui cùm rex esset, hos duodecim po-
pulos connocauit: Iones, Dotienses, Perrhæbos, Bœotios,
Magneres, Achæos, Pythiotas, Molienses, Dolopes, Aenia-
nes, Delphos, Phocenses. Suidas.

Apud ATHENIENSES Ἐπιστάτης dicebatur unus è Senatori
bus, hoc est, amistes seu præses, cui id forte euenerat, nec li-
cebat eundem bis esse præsidem. Custodiebat autē templi,
in quo ærarium erat, claues, & publicum sigillum. Cùm ue
rò Senatores, qui βουλευταὶ dicebantur, quiq; Rempubl. ge-
rebant (neq; enim omnes Senatores eodem tempore, sed ꝓ
uices negotia publica tractabant) Senatum aut populū co-
gebant: epistates proceros nouem, quasi præsides dicas,
sortiebatur, è singulis tribubus singulos, ea excepta, quæ tū
Rempubl. gerebat: & rursus ex iis nouem, unum Epistaten
sortiebatur, & negotia ei tradebat: ipse uerò actiones da-
bat in iudiciis, curabatq; ut ex legibus omnia gererentur,
neq; prætermitteretur quicquam quod ad iudices edocen-
dos pertineret. Suidas.

Apud TVRCOS purpurati Bassæ numero quatuor grauissi-
mum rerum consilia præsunt, & per singulas hebdoma-
das quatuor continuis diebus in regia cocunt, supplicibus
libellis respondent, lites dirimunt, ipso Imp. ex protecta ue-
lo fenestella cunctas controuersias querelasq; populorum,
& Bassarum responsa intentis auribus excipiente: ut tantā-
rum rerum iudices censorē pœna & præmio cuncta expen-
dentem adesse intelligant. Huius ordinis antiquior princi-
pis sermo gemmaq; potitur, appellaturque Vesir, & scribis
atq; notariis decreta dictat. Sab. Supplem. lib. 4. ex Iouio.

MORVM. CENSORES.

ZHTHTAI, Quæsitores, magistratus quidam Athenis, certis
temporibus creari solitus, si quando rempub. lædentes in-
quirendi erant: aut ij defraudi, qui pecuniam ciuitati de-
biram non soluerant. Suidas.

Censura apud SICVLOS magni nominis fuit: nam cùm omnes Siculi ex censu tributa conferãt, omnis potestas æstimationis faciundæ censori permittitur. Hanc etiam institutionẽ CARTHAGINENSIBVS fuisse accepimus, ut illi præfectum morum & uitæ magistrum habeant: quem ferũt in Hamilcarem animaduertisse, congressumq; cum Hasdrubale tunc in primo flore ætatis uetuisse, quia multi obloquebantur, quòd parum integra fama esset. Alex.lib.3.c.13.

Censura fastigium quoddam est honorum omniũ, & quodãmodo omniũ in repub. actionũ consummatio apud ROM. præfulgetq; cùm ingenti alia auctoritate, tum morum & uitę iudicio. neq; enim uel matrimonium, uel sobolis procreationem, uel quotidianum uictum, uel conuiuium solutũ & liberum indagine, quæ cuiusq; libido & institutum sit, arbitrabantur prętermittendum. Quòd autem longè ex his acutiùs, quàm ex publicis & ciuilibus actionibus mores hominum perspici putarent, custodem & moderatorẽ, correctoremq;, ne quis ad uoluptates deflecteret, aut excederet patria & ueterа instituta, designabant unum ex nobilitate, alterum ex plebe. Censores hos appellabant. Potestas erat iis equum adimendi, senatu mouendi eum qui uitam agebat turpem & libidinosam. Hi etiam censum agebant, atq; ex eo ordines & munera distinguebant, aliarumq; rerum habebat is magistratus arbitriũ. Plut. in Catone. M. Geganio Macerino, & T. Quintio Capitolino Coss. primi in urbe Censores creati: mentione primùm in senatu facta magistratu opus esse, cui seribarum ministeriũ, tabularum cura, censendi formula subiiceretur. Res parua à principio, sed quæ procedente tempore multo maiora, quàm ab initio credibile fuerit, habuit incrementa. Tanta mox dignatio secuta est, tantaq; auctoritas, ut omnis morum ciuilisq; disciplinæ ratio Censorum esset: regimen adhæc senatus, equitum, centuriatum, omne decoris & ignominiæ discrimen: horũ priuata publicaq; loca recognoscere, uectigalia populi Romani suo arbitrio locare. Primi omnium creati Sempronius Atracinus, & L. Papyrius Mugillanus. Fuitq; hic annus, qui primos habuit censores, trecentesimus ab urbe condita ac duo decimus. Sab. lib. 3. En. 2. tametsi Seruium Tullii, à quo iura militiæ constituta sunt, primum censorem fuisse, nonnulli credant, q; populum Rom. primus censuisset. Hic magistratus etsi à principio quinquennalis, postea à Mamerco Æmilio dictatore cautum fuit, ut annua & semestris censura fieret. Cuius rei causa ipse Æmilius, quòd ueterem censuræ statum citra præfinitum minuisset, à proximis censoribus tribu motus & ærarius factus est. Ad quam licèt à principio admittere entur patritij solũm, postea P. Philone dictatore alter censorum, deinde Q. Pompeio & Metello consulibus, uterq; ex plebe censores creati. Demum eò dignationis uenit, ut nisi clari illustresq;, post triumphos & consulatus illã expeterent. Hi censendi populi & lustri faciendi causa, ab initio creati, eò processere, ut maximarũ minimarũq; rerum, præcipuè circa morum disciplinã, cognitionem animaduersionemq; haberent. Nam de iuramento cognoscere, & in periuros animaduertere, epularũ sumtus cohibere, senatores legere & cooptare, summotis indignissimis, & honestissimis allectis: principem senatus constituere, immo ritesq; propter turpitudinem sordesq; uitæ, senatu uel tribu amouere, notisq; & ignominiis afficere, aut in ceritũ tabulas referre etiam ædilem quæstoremq;. Tum illos qui agium malè colerent, aut incuriosè haberent, perditosq; & profusos nepotes, parumq; honestis moribus uiuentes, aut uerbis inciuilibus loquentes, ærarios facere, censoriæ potestatis erat. Legis censoria uerba sunt hæc: Censores populi soboles familiasq; cẽsento, pecuniasq; urbis, templa, uias, ærarium, uectigalia tuento: populiq; partes in tribus distribuunto, & pecunias in ciuitatis ordines partiũto, equitum peditumq; prolem distribuunto, cœlibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto: bis sunto: magistratum quinquenniũ habento: reliqui magistratus annui sunto, eaque potestas semper esto. Exceptis consulibus, præfecto urbis, rege sacrorum, & Vestalibus uirginibus, circa disciplinam moriũ in omnes magistratus censere & animaduertere poterant. Animaduersum est, de nulla re censores, quàm de iureiurando seuerius iudicare consuesse. Nimiam Censorum potestatem esse rati, mucronem censorium multis remediis retuderunt, & ne impunè insolescerent, censuræ extenuatis uinbus, grauibus edictis coercti sunt. Quare P. Clodius in tribunatu plebiscito sanxit, ne quem censores notarent, nisi antea legitimè accusatus, & utriusq; censoris iudicio damnatus foret: in tantum ut Metello censori, quòd minus iustè pœnã irrogasset, aqua & igni interdictũ fuerit. Inter opera censoria in primis cibatus anserum, qui peruigilem curam gerunt in Capitolio, quòd olim fuere urbis custodes & imperij, louemq; miniandum: ex uectigalib. uerò lacus Lucrinus eruendus boni ominis causa, locari consueuit: quibus censorib. incumbebat locationis leges dicere. Sicut Athenis apodectę, qui collationibus & uectigalib. præerant, quorũ iudicio quicquid controuersiæ erat in publicis collationibus, decernebatur. Cura etiam horologij inter opera cẽsoria nõ in postremis erat. Hi qui censoria nota antea notati fuere, licèt censores possent creari, & quò minus crearẽtur, cẽsoria nota minus officiat: tamen hi qui censurã gessissent, quamuis laudabiliter, iterũ censores creari, aut ad munus censoriũ admitti, nullo modo poterant. Idq; exemplo C. Getæ, qui à L. Metello & Cn. Domitio censoribus, senatu motus & ignominia notatus, haud lõgo post interuallo, oblita memoria dedecoris, & gemulsis ciuiũ animis, ad censurã euectus fuit. Alex. lib. 3. c. 13.

Veneti Censorũ loco tres ADVOCATORES creant, quorũ censura leges in primis obseruati præcipiũtur: ut si quid cõtra eas ab aliquo uel tantillum attentatum fuerit, ipsi simul tres, uel singuli, ius habeant summũ intercedendi, deducendiq; crimen ad se delatum, uel ad Quadragintauirale consilium: uel, si quid grauius contra leges admissum fuerit, ad Senatum referãt: ut tamen, si eis etiam id uideatur, in maiori consilio totius ciuitatis interim agant: ut cùm ipsis Advocatoribus intercedendi potestas summa concessa traditaq; sit de capite req; aliena referendi, nihil tamen per se statuere ipsi ualeant ad extremum, sed consiliariorũ arbitrio suffragationeq; reus aut condemnetur, aut absoluatur. Egnatius lib. 2. cap. 4.

LIBELLORVM, CODICILLORVM SCRIBÆ, CANCELLARII.

Aemilius Probus tradit, apud Romanos SCRIBAS mercenarios fuisse, apud Græcos maiore dignatione, nec ad officium admissos nisi honesto loco, & fide & industria cognita, quòd necesse fuerit omnium consiliorum eos esse participes. hunc q; locum officij amicitiæq; apud Macedonũ reges extitisse. CANCELLARII nomen Arcadio & Honorio Cæsaribus iam à Latinis (ut tunc literæ erant) receptum fuisse, ex eorum sanctionibus, quæ in Iustiniani libris legunt, apparet. Vt nunc apud Francos res habet, nescio an quẽ ipsi Cancellarium dicunt, rectè præfectum iuris dicere possimus, uoce etiam à Liuio usurpata. Burgundiones, cùm eis Allobroges contribuebantur, tantum honoris nomini habebant, ut etiam regni sui Archicancellarium haberent, uocitareq; auderent. & Eustathij Bononiensis Comitis frater Andreas historicus non regis Cancellarium, sed Francię uocitat. Magnitudinem uirorum qui eo munere fungebãtur, uires decusque illi attulisse crediderim, ut ab exiguis initiis ad tantam maiestatem peruenerit. Et magistratum amplissimum esse necesse erat, quem apud Francos Godofredus pontifex Parisiorum regiæ urbis sub Philippo I. apud Burgundiones archiepiscopus Viennensium gerebant. Aemilius libro tertio.

INCENDIORVM PRAEFECTI.

STHENOBARCHOS dici, auctor est Dion, quasi præfectos angiportubus, qui aduersus incendia constituebantur ex plebe, quibus uelle uti permissum est principali, & duos habere lictores in locis sui iuris. Factum hoc imperij stationem tenente Augusto. Cælius libro 2. capite 3. Antiquarum lectionum.

LEGATI.

Legatorum nomen latissimè patet, & pro quouis magistratu sumitur, cui obeundi muneris alicuius, foris præsertim, officium delegatur. Sic Legatos appellabant Romani eos, qui consulibus consultorum loco addebantur, in prouincias proficiscuris. Interdum quoque Legati ipsi, consulum loco prouincias administrabant, bellaq; conficiebant. Et priores quidem illi ad Cõsultores proprie pertinent: posteriores uerò inter Reges, Duces, Consules, connumerari debent, quorum personam sustinent: hodie uulgò Vicereges, Viceduces, Vicarij, Locumtenentes appellantur. Iam qui cuinscunq; negotij oratemus expediendi alis mittuntur, communi iidem nomine Legati, proprio Oratores dicuntur.

Apud GRÆCOS, nisi præconibus adhibitis, legatos minimè hostium fines ingredi decebat: neq; legationis munere fungi quenquam, ni priùs infusa aqua ab iisdem, manus abluisset, louiq; coronatis poculis propinasset. Alex. lib. 3. c. 5.

ΕΠΙΣΚΟΠΟΙ & Φύλακες, Inspectores & Custodes dicebãtur ij, quos Athenienses in suæ ditionis urbes, ad statum rerum cognoscendũ & constituendũ, mittebãt: sicut ἀρμοστά, id est, coagmentatores seu cõpositores, quos Lacedæmonij. Suidas, & Cælius lib. 18. cap. 3. Antiquarum lectionum.

Apud ROMANOS, si qui legati, qui iure gentiũ sancti erant, uiolati essent, ut hi dederentur, qui iura gentiũ temerè uiolassent, per fœciales cauebant. Erat enim ueteribus ius legatorum sanctum & inuiolabile, cùm hominum præsidio munitum, tum diuino iure defensum, quod etiam inter bella & hostium tela incolume seruabatur. Vnusquisq; consulũ, suum habebat legatum, quo præcipuo consultore ac ministro consiliorum in rebus gerendis, delectuq; habendo, totaq; administranda prouincia utebatur. Alex. ab Alex. libro 6. cap. 3. ubi multa de legatorum munere & officio doctissimè disserit.

Q. Fuluio Consuli graui uulnere affecto, cùm exercitui & castris prœesse nequiret, aduersus Hannibalem, ex patrum decreto III. legati additi fuere. Idem.

Cn. Pompeius bello Piratico, contra tot prædones & communes hostes omni genere rapinarum grassantes, quum solus superesse nequiret, XXV legatos accepit, tametsi aliquando solus ipse legati munus obiret. Alexander ab Alex. libro 6. cap. 3.

C. IVL. Cæsari Imp. (cuius in re militari præcipua uirtus fuit) dum contra efferas gentes bellum parat, X legatos consilij socios decreuit Senatus, quibus adiutorib. & ministris magnas res gessisse fertur. Idem.

MAGISTRATVS A' NVMERO DENOMINATI.

De Duumuiris, III uiris, IVuiris, Vuiris, VII uiris, Xuiris, XV uiris & Cuiris Rom. uide Alex. lib. 3. c. 16. Nam quoties aliquod munus factu difficile reipub. impendebat, in quo præcipua aliquorum opera fidesq; exquirebatur, ubiq; multum studij curæq; opus erat: modò duumuiros, nunc triumuiros, aut quatrumuiros, quinqueuiros, sexuiros aut decemuiros creauere: quorum ope consiliorũ, iniuncta munera sæpe executi sunt: ipsiq; negotio absoluto, pro quo dicti creatiq; erant, ab iniuncto munere quiescebant.

NOVEMVIRI.

Nouemuiri Athenis sortiò creabantur annis singulis, quos ARCHONTES nuncupabant: inter quos primus archon, primarius archontum & longè princeps erat: à quo Athenienses, sicut Romani à cõsulibus, & Lacedæmonij à tribunis, annos & tempora dinumerabant. Eum honorem, qui summus erat magistratus, Hadrianus Cæsar dum Athenis ageret, & mox Galienus gessisse fertur. Secundus, à regia dignatione BASILEVS: tertius, à belli ductu POLEMARCHO: reliqui, à legum latione THESMOTHETÆ dicti sunt, ætate & usu docti, qui domi iura dabant, querelas accusationesq; cognoscebant: decq; controuersiis æquo examine decernebant. Alex. lib. 3. c. 16.

DECEMVIRI.

DECEMVIRI consulari potestate, sine prouocatione creati, Coss. abdicatis, qui leges Athenis allatas constituerunt, & in XII Tabulas redegerũt, anno Vrbis, secundùm Contiũ, CCCII. cũ Appius Claudius Crassinus, & T. Genutius Augurinus consulatu sese abdicassent. Vixdum tamẽ duobus annis exactis, propter Appij Claudij triumuiri libidinẽ, qui Virginiam L. Virginij cẽturionis F. stuprare uolebat, Decẽuiratus sublatus, & Coss. denuò creati.

Ducentesimus & quadragesimus agitur annus, ex quo DECEMVIRALIS magistratus pro Reipub. salute præcipua Venetiis creatus est: cui tria præcipuè uindicanda scelera sunt commissa. Primum quidem illud fuit, ut ne quis cõtra libertatem patriasq; leges noui consilij moliri posset. Alterum ne falsam monetam quispiam uilo modo excuderet. Tertium ac supremum, ut cauerẽt decemuiri, ne quis temerario incœpto masculam uenerem attentaret, ut ipsa pudicitia omnibus mortalibus constaret: quæ sanè crimina capitalia forent hisce, qui conuicti decemuirali sententia forent. Egnatius lib. 6. c. 5.

Magistratus Chronologicè considerati, quo ad ORDINEM & SERIEM successionis.

De Regum & Principum apud quoscunq; populos successione agere, Politici est, & huius proinde loci propria: præter id quòd ut Sol mundi oculus luce sua illustrat, suo motu distinguit omnia: ita Regum quoq; & summorum in unaquaq; Repub. principum series non publicas modò, sed & quæ publicarũ uelutipartes sunt, priuatas actiones & passiones tum splendidiores tum grauiores reddit. Itaq; uel Chronici ordinis ergò (qui Historiæ proprius est, neq; in Exemplis, secundum Bonorum & Malorum humanorum diuersitatem digestis, nisi longis circuitibus, obseruari potest) Regum & Principum maximè illustriũ continuatam successionem ex Chronologis (quorum hoc studium proprium est) crasso filo deductam, tradere operæprecium fuerit, ex qua lumen Exemplis, alioqui propter annorum defectum obscuriorib., inferatur, quodq; in moneta principum effigie insignita accidere uidemus, & auctoritas & fides maior comparetur. In tanta autem Regnorum & Imperiorũ uarietate non antiquitatis tantùm, sed & dignitatis ordinem sequemur. D. Augustinus Hipponensis præclaris illis de Ciuitate Dei libris duas ciuitates facit, iam inde à primis duobus fratribus Abelo atq; Caino deductas, alteram Dei & Piorum, alteram Diabo li & Impiorũ: in quarum utraq; religiosæ primùm, deinde etiam profanæ Societatis ratio habeatur: cùm Politiæ quo ad Homines quidem Iustitiæ, quo ad Deum uerò Pietatis siue Religionis hospitia sint & appellari debeant. Atq; ut societatis piorum hospitium politia fuit Iudaica, ita societatis Impiorum numerosæ aliorum populorum (quos à multitudine Gentes dixere) respublicæ: ex quibus quatuor præ cæteris insignes atq; potentes, populo Dei negotium exhibuere: quas prophetico spiritu Daniel præuidit, & ad Christum opt. max. accõmodauit: ut quando à lege eius ceremoniæ omnes Iudæorũ obliterandæ erant, ab eusdem quoq; incarnatione, & cum hominibus conuersatione, Monarchiæ omnes Gentilium circumscriberentur definirenturq;. Messiæ θεανθρώπου gloriæ (qui se κατ' ἐξοχὴν Hominis filium appellauit, quòd ratione diuinitatis ἀνθρωπος, ratione humanitatis ἀνθρωπος esset) superbissimus Dæmon inuidens, secessione facta à cœlo in Tartarum præcipitatus est. Herodes Iudæorum regis natiuitate audita conturbatus, eum adorationis prætextu tollere studuit. Sic Iudæorum populo omnes in uniuersum Gentiũ reges, occulto Dæmonis instinctu, propter regem Iudæorum ex ea gente nascituum, infesti, sed quatuor monarchæ potissimùm infestissimi fuere. Primus Templum Solomonis excidit. Secundus Templum secundum quantum in se erat impediuit. Tertius idipsum profanauit. Quartus ipsam æterni Templi ideam Christum occidit,

sedem certè religionis Iudaicæ deleuit. Ergo sacrorum auctoritatem secuti, Iudaicæ primùm Politiæ successionem describemus: subinde quatuor Monarchias Babylonicæ politiæ seriatim deducemus. Iam quando pro diuinæ prouidẽtiæ arbitrio in uniuersum orbem Veritas æterna sub Romano imperio, longè latè patente, propagari debuit (quà sanè occasione religio Christiana non uni ampliùs certo loco affixa, sed per omnes terrarum fines euagata, omnes in spiritu & ueritate Deum adorantes, gremio Ecclesiæ complexa, Catholicæ appellationem iure meruit) eapropter successionem Romani imperij tum integri, tum bifurcati ad suum cuiusq; stirpis interitum usq; persequemur. Reliquas inde politias & monarchias omnes, sine uetustissimas, sive nouæ illæ sint, sive ueterum uiuiradices aut insitiones, monarchiæ certè illius spiritualis uel hospitia uel ergastula, tum ante Christum, tum post Christum, consequenter pro diuersitate populorũ enarrabimus: ut quemadmodum priores illæ quatuor, ob Iudæorum regis temporalem aduentum Ad homines, in Sacris locum meruere: sic posteriores istæ ob spiritualem eiusdem Intra homines aduentum, ad exemplorum christianam fidem stabiliendam memorentur: donec tandem diuinus eiusdem Contra homines aduentus, ut ciuitati Satanicæ finem, sic ciuitati Piorum æternæ beatitudinis coronam imponat.

HEBRÆORVM IMPERII INTEGRI PRINCIPES, ex G. Mercatoris Chronologia.

DVCES, IVDICES XII TRIBVVM.

A.M.		Reg.
2454	Israelis posteri anno 430 post datam Abrahæ promissionem ex Aegypto exierunt, ductu Mosis. In deserto XL annis.	40
2494	IEHOSVAH duxit Israelem in terram Sanctam, uicit reges XXXI. Vixit CX annis. *Israel* seruit Chusanrathaimo regi Mesopotamiæ annis VIII.	
2511	OTHONIEL Cenozi fratris Calebi F. cuius anni annis Iosuæ annumerantur. Liberauit Israelitas à iugo Chusanrathaimi. *Israel* seruit Eglon regi Moab an. XVIII.	40
2551	EHVD siue AOD F. Geræ, liberauit populum à rege Moabitarũ Eglone. Post quem SAMGAR F. Anathi, occidit sexcẽtos Philistæos pedo pastorali. *Israel* seruit Iabin regi Chananæorum annis XX.	80
2631	DEBORA mulier uates, Lapidothi coniux, BARACVM Abinoami F. Nephthalentem delectum X millium suorum habere iussit, & Sisaram ducem Iabini regis Chananæi ad internecionem cæcidit. *Israel* seruit Madianitis annis VII.	40
2691	GIDEON, qui & Ierobaal.	40
2711	ABIMELECH F. Gideonis ex Droma concubina, occisis LXX fratrib. tyrannidẽ inuasit.	3
2714	THOLA Phuæ F. de tribu Isachar. Pax perpetua.	23
2737	IAIR Galaadites, XXX habuit filios. Pax florida. Seruierũt *Israelitæ* Ammonitis an. XIIX.	22
2759	IEPHTHA Galaadites nothus, liberauit populum ab Ammonitis.	6
2765	IBZAN uel ABEZAN Bethleemita. Quidã hunc BOOZ esse putãt, patrem Isai, auum Dauidis.	7
2772	ELON Zabulonites.	10
2782	ABDON Ephraimites, Hillel F.	8
2790	SAMSON F. Manoæ, Danites, liberat populum à Philistinis, quibus XL. an. seruierant.	20
2810	HELI sacerdos summus, capta arca, è solio præceps corruit, annorum XCIIX.	40
2850	SAMVEL propheta, Ephraiteus, Leuita. Cuius anno XXXIIX cùm populus regẽ peteret, Saulum elegit Samuel, Domini iussu.	40

REGES XII TRIBVVM ISRAELITICARVM.

A.M.		Reg.
2888	SAVLVS Beniamita.	2
2891	DAVID ex tribu Iuda septem annis cum dimidio Hebrone imperauit Iudæis, deinde occiso Isbosetho Sauli F. etiam reliquis Israelitis annis XXXIII.	40
2931	SALOMO Dauidis F.	40

HEBRÆORVM IMPERII DIVISI PRINCIPES.

Mortuo Salomone, cùm Roboam tyrannide sua populo molestus esset, diuisum est regnum in duo. Et Roboam Iudæ & Beniamin, Hieroboam decem tribubus imperauit. Ordine igitur reges Iudæorum recensebimus, Israelitarum post subiungemus.

REGES DVARVM TRIBVVM, IVDA & BENIAMIN, *quos Iudæorum reges uocant, ante captiuitatem.*

A.M.		Reg.
2971	ROBOAM F. Salomonis, sub quo Sesachus rex Aegypti Hierusalem uastauit.	17
2988	ABIAM Roboami F. uicit bello Hieroboam.	3
2991	ASA iustus Abiami F. idola cõfregit, annis X pacem habuit, Zara Aethiopem uicit.	41
3033	IOSAPHAT Asæ F. iustus & pius.	25
3035	IORAMVS à patre Iosaphato rex designatus, cùm ipse auxilium Achabo ferret. Colico periit.	8
3063	OCHOZIAS siue Ioatham Iorami F. à Iehu interfectus.	1
3064	ATHALIA, Ochozia F. occiso, rabie incitata, omnem regiam Dauidis stirpem interemit. Ereptus est Ioas infans.	7
3070	IOAS anno ætatis VII. à Ioiada põtifice ungitur, Athalia occiditur. Mortuo Ioiada cũ in idololatriam lapsus esset, & Zachariam propheram Ioiadæ F. lapidasset, tandem à seruis suis occisus est.	40
3109	AMAZIAS Ioæ F. captus à rege Ioas. Conuiratio facta contra Amaziam. Loco patris regnauit Ozias annis XI. Tandem interfecto Amazia in Lachis, regnauit filius eius	29
3138	AZARIAS, siue OZIAS solus, primò iustus, dein idololatra: lepra percussus est, Iothamo F. eius loco populo ius dicente. Eo mortuo	52
3191	IOTHAMVS pius Ammonitas tributarios fecit. Cuius anno secundo cœperunt Olympiades.	16
3207	ACHAS Iothami F. impius, regem Assyriorũ adorauit, templum clausit.	16
3223	EZECHIAS iustus & religiosus, F. Achas, duobus annis cum patre regnat.	29
3252	MANASSES Ezechiæ F. impius, in Babylonem abductus, pœnitens reuertitur.	55
3307	AMMON Manassis F. à suis interemtus domi.	2
3309	IOSIAS Ammonis F. anno ætatis IIX, Dauidis imitator, cum Pharaone Neco congressus, ex uulnere obiit.	31
3340	IOACHAZVS Iosiæ F. à Pharaone Neco captus, & in Aegyptum ductus. M.3.	
	ELIACIM alter Iosiæ F. à Pharaone rex constitutus, & Ioacimus dictus, capta urbe à Nabucodonosoro Babylonio occisus.	11
3351	IOACHIN Ioacimi F. siue IEKONIAS, spontè Babylonem abiit cum proceribus, plebe relicta. Menses III. D.X.	
	SEDECHIAS, Ioachini patruus, rex tributarius à Nabucodonosoro constitutus, priùs Mathanias dictus. Cùm à rege defecisset, urbe cum templo incensa, excæcatus, cum omni populo Babylonẽ abductus est. Captiuitas Babylonica 70 annis durauit.	11

PRINCIPES IVDAEORVM POST *captiuitatem Babylonicam.*

DVCES.

A.M.		Reg.
3432	ZOROBABEL à Ioachino genus ducens, à Cyro libertate donatus, cũ populo rediit, Olympiad. 60. an. 4. & templum restauraruit. Esdras inde sacerdos, & Nehemias Iudeæ præfectus, qui muros urbis restituit.	38
3490	RESAMENSVLLAM F. Zorobabel.	66
3556	IOANNA Ben Resa.	33
3609	HYRCANVS I. dux Iuda.	31
3640	IOSEPHVS.	7
3647	ABNER Semei.	11
3658	MATATHIAS Eli.	12
3670	ASARMAHAT.	9
3679	ARTAXAT Nagid.	10
3689	HAGAIHELI.	8
3697	MASSLOTH Naum.	7
3704	AMOS Syrach.	14
3718	MATATHIAS Siloah.	10
3728	IOSEPH Tobiæ F. honoratus à Ptolemæo Euergete, sub quo Iesus Syrach floruit. Iosephus ei tribuit annos 22. quibus Syriæ uectigalibus præfuit.	60
3787	IANNA, Hyrcanus II. Iosephi F. ultimus princeps ex gente Dauidis. Arabes multis præliis uicit. Antiochum Epiphanem metuens, seipsum occidit. Hierololymæ direptæ.	16
3803	MATATHIAS menses aliquot.	

DVCES SIMVL ET PONTIFICES.

A.M.		Reg.
3804	IVDAS Machabæus, Matathiæ sacerdotis F. Asmonæorum primus, templum ab idolo Antiochi purgauit. A' Bacchide occiditur.	6
3810	IONATHAS frater Iudæ, à Tryphone occisus.	17
3827	SIMON frater Iudæ, dux & Pont. max. à Ptolemæo genero occisus.	8
3835	IOANNES, qui & Hyrcanus III. Simonis F. sub quo tres Hebræorum sectæ ortæ.	31

REGES SIMVL ET PONTIFICES.

A.M.		Reg.
3866	ARISTOBVLVS Hyrcani filius Antigonum fratrẽ occidit. Post captiuitatem Babylonicã an. 481. M.3. primus diadema sumsit.	1
3867	ALEXANDER, qui Ianneus, & propter crudelitatem Thracida, Aristobuli frater.	27
3893	ALEXANDRA, uxor Alexandri, Hyrcanum F. sacerdotio præficit, & Pharisæis Remp. committit. Eusebius Salmam uocat.	9
3902	ARISTOBVLVS II. regnum inuadit, fratrẽ Hyrcanum pontificem, cui regnum ætatis prærogatiua debebatur, priuatum uiuere cogit. A Cn. Pompeio captiuus Romã missus, cum Antigono & Alexandro liberis. Iudæi uectigales facti.	4
3905	HYRCANVS sacerdotio præficitur à Pompeio & Gabinio.	2
3907	ALEXANDER Aristobuli F. qui Põpeij manus euaserat, Iudæam inuadit, Gabinio se dedidit.	3
3910	ARISTOBVLVS Roma cum filio profugus Iudææ regnum inuadit & pontificatum, annis 3. M.6. Parthorum auxilio.	10
3920	HYRCANO pontificatum confirmat C. Iul. Cæsar, & Antipatro Idumęo Iudeæ turelam committit.	5
3925	HERODES & Phasellus Antipatri FF. ab M. Antonio Tetrarchæ creati.	2
3927	ANTIGONVS Aristobuli F. Parthorum ope regnum recipit, Phasellum occidit, Hyrcanum auribus mutilat. Triennio pòst ab Antonio securi percussus. In eo defecit stirps Asmonæorum.	3
3930	HERODES Antipatri F. Ascalonita, seu Magnus, à Rom. rex dictus, primus ex alienigenis. Cuius anno 20. Maria uirgo nata, anno ultimo Messias.	40
3970	ARCHELAVS patris successor, ab Augusto dimidij regni Herodis, Idumeæ scilicet & Iudeæ, tetrarcha constitutus. Fratres eius tetrarchæ Herodes Antipas Galileæ, Philippus Gaulonitidis & Trachonitidis tetrarchæ. Archelaus decennio pòst relegatus, Viennæ Galliæ obiit, pœnam dans innocentum puerorum interfectorum. Iudea in prouinciam redacta, & Syriæ adiuncta.	32
4003	AGRIPPA Magnus, Herodis Magni nepos, Aristobuli F. à Caligula duarum tetrarchiarum, Philippi & Lysaniæ rex constituitur, per annos quatuor. Deinde à Claudio Iudeæ etiam & Samariæ, per annos tres.	7
4010	AGRIPPA Agrippæ F. à Claudio donatus Philippi tetrarchia & Batanea, à Nerone etiam Galileæ parte. Euersa Hierosolyma, & Iudæi dispersi.	26

REGES ISRAELITARVM X. TRIBVVM, *qui primùm Sichemæ, dein Thersæ, tandem Samariæ habitarunt, unde reges Samariæ dicti sunt.*

A.M.		Reg.
2971.	HIEROBOAMVS aureos uitulos erexit.	22
2992	NADAB ultimo anno Hieroboami patris regnare cœpit.	2
2994	BAASA Ahię F. Isacharianus Hieroboamitas omnes necauit.	24
3016	ELA Baasæ F.	2
3018	ZAMBRI equitum quadrigariorum dux, interfecto Ela, septimo die necatus est. Seditione orta, AMBRI contra Thebnin confirmatus: emtoq; monte Schamor, Samariam regni caput ædificauit.	12
3029	ACHAB Ambri F. cum Iezabele Sidoniorũ regis F. Postremis duobus annis OCHOZIAM F. regem designans, contra Benadadum Syrum occubuit.	22
3051	IORAM Ochoziæ frater à Iehu cum rege Iudæorum Ochozia interfectus.	12
3064	IEHV dux exercitus, ab Elisæo unctus, ut stirpem Achabi deleret, Iezabelem præcipitauit, Achabi filios 60 trucidauit, Ochoziam Iudæorum, & Ioramum Israelitarum reges Iezraele necauit.	28
3092	IOACHAS F. Iehu, quem miserè afflixit Hazael Syriæ rex.	17
3107	IOAS Ioachæ F. Amasiam Iudæorum regem cepit, Hierosolymæ muros diruit.	16
3123	HIEROBOAM II. Ioæ F.	41
3177	ZACHARIAS Hieroboami F. sexto mense à Sellumo interfectus. SELLVMVS Iabis F. uno mẽse regnãs, à Manahemo interfectus.	10
3177	MANAHEMVS Gadis F.	
3187	PHACEA F. Manahemi, à Pekah triumuiro interfectus.	2
3189	PEKAH F. Romeliæ	20
3210	OSEA Elæ F. interfecto Peka, tyrannidem inuasit per annos nouem. Inde legitimus rex factus, totidem annis regnauit. Cùm ab Assyriis defecisset, à rege Salmanassare cũ decem tribubus in Mediam, in terram Arsareth abductus est, anno septimo Ezechiæ regis Iudæorum. Et sic Israelitarum regnũ defecit, cùm durasset annis 240. M. 7. D. 7. post exitum ex Aegypto DCCCCXLVII annos. Iosephus lib. 9. Antiquit. cap. 15. & 4. Regum 17.	

AEGYPTIORVM REGES.

DECEBALVS uictus à Traiano, ultra Danubiũ redit, in societatem acceptus.

OSTROGOTHA, ob negata stipendia Mœsiam inuasit sub Philippis. Fastidam Gepidarum regem uicit.

CINNA Iordani, aliis Omba uel Echina, uel Ouida, Decium Imp. cum F. occidit ad Hæmi radices. Gallus Imp. tributarius factus. Sub Galieno Pontum, Asiam, Macedoniam, Græciam depopulantur, Ephesium templum incendunt. A' Claudio Imper. ad Martianopolim cæsi ad CCCM.

CANNABAS siue Cannabandes, Cinnę F. ab Aureliano Imp. cæsus.

HIL-

A.C. Reg.

HILDERICVS Cannabæ F. contra Licinium pro Constantino Magno uti stipendiarius pugnauit, Ariatico & Atharico ducibus. Cum Rom. pacem coluit.

GEBERICVS Hilderici F. Pax cum Rom. Vandalos sedibus suis eiecit.

ARMANARICVS ex Amalorum familia. Scythiam & Vandaliam subegit. Reb. gestis in Septentrione Alexandro Magno comparatur. Vixit annos CIIII. Hunni eius imperium inuaserũt, transmissa Mœotide. Cæsus ex insidiis. Hac occasione Gothorum regnum diuisum. Alios reges Ostrogothi, alios Vestrogothi habuere, Orientales scilicet & Occidentales, in Thracia primùm & Mœsia, deinde etiam in Italia, Gallia & Hispania.

☞ OSTROGOTHORVM IN THRACIA, *Mœsia, usq; in Italiam.*

A.C. Reg.

VINNITARIVS Armanarici ex fratre nepos, solis Ostrogothis imperauit in Thracia. A' quibus Hunnorum bello pressis, sese Vestrogothi separarunt. Ostrogothi relictis sedibus ad Ponti litora redeunt. A' Balambro (Cranzio Valamber) Hunnorum rege cæditur. Ostrogothi Hunnos pro socis recipiunt.

HVNIMVNDVS (Cranzio Hummundus) Armanarici F. Sueuos uicit.

TORISMVNDVS Hunimundi F. Gepidis uictis casu equi perit.

Interregnum per annos XL. Nam Geremundus Torismundi F. Hunnorum fœdus perosus, maluit sub Theodorico Vestrogotho militare, quã patriæ seruienti Hunnis imperare. Interea Attila Hunnorum rex Ostrogothis in belli societatem adductis, Europam miserè uastauit, cùm Ostrogothorum ex Amalorum gente rex esset.

VALAMIRVS, Vandalarici F. Vinitarij N. Theodemiri & Vindemiri frater (quos Cranzius Dietmarum & Vitimarum uocat) Post mortem Attilæ ab Hunnis desciuit. Valamiro cæso à Sueuis.

THEODEMIRVS frater, Sueuos, Pãnonas, Sarmatas & Illyrios subegit. Cum Leone Imp, fœdere icto, Theodericum F. obridem dedit, quẽ etiam regni hæredem moriens reliquit.

VINDEMIRVS à Theodemiro fratre in Italiam missus, in ipso ingressu obiit.

VINDEMIRVS Vindemiri F. à Glycerio Imper. Galliæ Narbonensi præfectus, illic cum Vestgothis, sese iunxit.

493 THEODERICVS Theodemiri F. Zenonis Imper. uoluntate quinto anno regni imperium Italiæ Ostrogothis peperit.

☞ *Successores pete ex Catalogo Gothorum regum in Italia.*

☞ VESTGOTHORVM REGES, IN THRACIA, Gallia, usque in Hispaniam.

☞ *Vestrogothi post mortem Armanarici regis, Hunnorum armis pressi, qui Ostrogothos in belli societatem adsciuerant, à Valente Imp. sedes in Thracia & Mœsia impetrarunt, simulq; Arianam religionem ab eo susceperunt per Vlphilam episcopum, suumq; illud uirus Ostrogothis & Vandalis quoque communicarunt. Duces illorum tres,*

A.C. Reg.

FRIDIGERNVS, ALATHEVS, & SAFRA. Valentem Imp. acie uictum in tugurio cremarunt. Gratianus Imp. pacem cum iis fecit.

ATHANARICVS Fridigerno successit. Qui Cõstantinopoli cum Theodosio Imp. amice congressus obiit. Theodosius Gothos sua humanitate ita sibi deuinxit, ut etiam sine rege cum ipso aduersus Arbogastum & Eugenium tyrannos militarint, per annos XXV stipendia à Roman. accipientes. Quibus denegatis, Stiliconis perfidia, Honorio & Arcadio Impp. rex eligitur in Pannonia à Gothis

RADAGAISVS. Alij uerò ALARICVM exuetusta Balthorum familia oriundum malebant. Ergo res sic composita, ut Radagaisus in Italiã descenderet, Alaricus in Pannonia maneret. Radagaisus cum CC millibus suorum in Fesulanis montibus à Stilicone inclusus, captus, cæsus, anno Sal. 409.

ALARICVS I. cum CC millibus Italiam ingressus, ab Honorio Imp. sedibus in Gallia impetratis, perfidia Stiliconis exacerbatus Romam diripuit.

415 ATHAVLFVS uel Athanulfus Alarici consanguineus, Romam denuò uastauit. Per Honorij Imp. sororem Gallam Placidiam uxorem conciliatus, relicta Italia in Gallias migrans, Sueuos, Alanos & Vandalos in Hispaniam expulit. E Gallia per Constantium Comitem pulsus, Hispaniam occupauit. Seditione suorum occisus.

420 SIGERICVS uel Singericus ob pacis studium à suis occisus. 1

421 VALLIA pacem cum Honorio fecit, & Galliæ Aquitaniæ partem obtinuit à Constantio Cæsare, quam Vestgothiam, nunc corruptè Vasconiam dicunt, Tolosæ regni sedem constituit. Vandalos Hispania in Africam expulit. 22

442 THEODERICVS I. aliis Rodericus, in Catalaunicis campis contra Attilam & Hunnos victor occubuit. 13

456 TORISMVNDVS Theodorici F. æger à seruo interimitur, fratris insidiis. 3

459 THEODERICVS II. Torismundi frater. Riciarium Sueuorum regem in Hispania occidit. 13

☞ *Successores pete ex Vestgothorum regum in Hispania Catalogo.*

NORVAGIORVM, EX SAXONE ET CRANZIO.

A.C. Reg.

SVIBDAGERVS filiam Grami Danorum regis rapuit. Eo cæso, Daniæ simul & Sueciæ regna obtinuit. Ab Haddingo Grami F. una cum Asmundo filio in acie occisus.

Interregnum, cùm Danorum regibus Norwagia pareret. Tandem potentiores reliquos proceribus

GEVARVS regnum arripuit.

COLLERVS ab Hormendillo Iutiæ præfecto, dum Daniæ Roricus præest, interfectus.

Interregnum, Regna in Ducatus diuisa.

FROGERVS à Frotone Danorum rege singulari certamine uictus.

GOTARVS à Frotone Danorum rege genero cæsus.

ROLLERVS Erici Disserti frater à Frotone rex constitutus.

HASMVNDVS à Fridleuo Danorum rege uictus ob denegatam filiam.

HELGO Ingelli Danorum regis F. Starcateri opera regnum obtinuit.

HASMVNDVS, Haldani Danorum regis ex Thorilda Norwega F.

REGNALDVS à Gunnaro Sueorum regulo cæsus. Canis regis loco datus Norwegis. Regnum distractum.

A.C. Reg.

HASMVNDVS ope Haraldi, Haldani Danorum regis F. in regno confirmatus, oppressa sorore.

OLO Haldani ex filia nepos, oculorum fulgore terribilis. A' Ringone Sueorum rege Danis præfectus, occiso Haraldo rege. A' Starcateio in balneo cæsus.

OMVNDVS Olonis F. Daniæ rex, cæso Ringone socero etiam Norwegiam obtinuit.

800 GOTHO liberalitate clarus.

830 BIORNO à Regnero patre Danorum rege præfectus, sub Ludouico Pio. Normanni Gallis inuitescere cepere, Norwegi scilicet cum Danis.

HARALDVS Gunildæ F. Aquino cœlitus interfecto.

OLAVS in mari mersus. Eo uicto

SVENO Danorum rex.

S. OLAVVS ex insidiis cæsus à Canuto Danorũ rege.

SVENO Canuti Dani F. à patre rex dictus.

MAGNVS Olaui F. à proceribus electus, Daniæ regnum, mortuo Canuto Canuti F. ex fœdere tenuit.

HARALDVS S. Olaui frater, ab exilio Constantinopolitano reuersus, in Anglia mortuus.

MAGNVS Haraldi F.

A.C.		Reg.
	MAGNVS Magni F. ab Haraldo Hyberno captus & attonsus.	
	HARALDVS Hybernus, Magni se filium dictitãs, à Siuardo in uenere cæsus.	
	MAGNVS è cœnobio à Siuardo reductus, ab Haraldi filiis occisus.	
	INGO, Haraldi F. Gibbosus, glaciali prælio submersus.	
	AQVINVS quidam regnum occupat: ab Erlingo cæsus.	
	ERLINGVS procerum unus MAGNVM F. regem creat.	
1240	AQVINVS filij interfector.	
	OLAVS bellum cum Germanis mercatoribus gessit.	

A.C.		Reg.
	ERICVS.	
	AQVINVS Erici frater.	
	MAGNVS rex Sueciæ, Aquinum occidit.	
1326	AQVINVS Magni F.	
	MAGNVS Sueciæ rex, Aquini frater.	
	AQVINVS Magni F.	
	OLAVS Aquini F.	
	MARGARITA Daniæ hæres, mortuo Olao F. Noruagiam accepit: capto deinde Alberto Sueonum rege etiam Sueciam occupauit.	
	ERICVS Pomeranus à Margarita adoptatus.	
	CHRISTOPHORVS Bauarus.	
	CHRISTIERNVS I. Daniæ rex.	
	IOANNES Christierni F. itidem. Vide Danorum reges.	

DANORVM, EX SAXONE GRAMMATICO, IO. MAGNO, ET FVNCCII CHRONOLOGIA.

A.M.		Reg.
	DAN & Angul, Humbli FF. Ab hoc Anglia uetusto nomine, Britannia pòst dicta: ab illo Dania.	
	LOTHERVS Dani F. Humblum fratrem expulit. Cæsus à suis.	
	SKIOLDVS Lotheri F. optimus princeps.	
	GRAM Skioldi F. à Suibdagero Noruegiæ rege cæsus.	
	GVTHORMVS Grami F. à Suibdagero uictore præfectus, mox sublatus.	
	HADINGVS Guthormi frater, Suibdagero cæso, Sueciæ & Daniæ rex, inde etiam Asmundo Suibdageri F. Suspendio periit. Magus insignis.	
	FROTHO I. Hadingi F. Fusios domuit. Britanniam inuasit, Cunetes subegit. A Suanhuita sorore, Regneri Sueconum regis uxore, cæsus.	
	HALDANVS I. Frothonis F. Roen & Scatum fratres interfecit, crudeliss.	
	ROE & HELGO Haldani FF. Roe à Suecis cæsus. Helgo Suecos eiicit, Hodbroddum regem interficit. Tandem sibimetipsi manus intulit.	
	ROLVO Helgonis ex filia Vrla F. ab Hiarthuaro Sueciæ præfecto cum optimatibus per dolum cæsus.	
	HOTHERVS Hodbroddi regis Sueciæ F. regno paterno recepto Daniam inuadit. Cæterùm	
	BALDERVS, Othini F. Selandiæ regulu, sà Danis eligitur. Eo tandem cæso Hotherus regno potitus, à Boo Balderi fratre uincitur.	
	RORICVS Hotheri F. Sueones rebellantes uicit.	
	HORVENDILLVS Iutiæ præses à Rorico deficit.	
	FEVGO Horuendillum fratrem occidit.	
	AMLETVS Feugonem necat.	
	VIGLETVS Amletum interficit.	
	VERMVNDVS Vigleti F. Attilo II. Succorum regi tributarius.	
	VFFO Vermundi F. Saxones subegit. Olauus Mãsuetus dictus.	
	DAN Vffonis F. degener.	
	HVGLETVS uel Hugulinus Botuildum Sueeum regno eiicit.	
	FROTHO II. Fortis, siue Vegetus, Progerum Noruegiæ regem uicit, à Gotharo Gothorum rege cæsus.	
	DAN Frothonis F. Saxones cædit.	
	ADVLFVS cæso patre Gothiæ & Daniæ rex.	
	ALGOTHVS Adulfi F.	
	ERICVS Algothi F.	
	LINDORMVS Erici F. à rebellibus electus.	
	FRIDLEVVS I. Celer, è regia stirpe.	
	FROTHO III. Fridleui F. septennis. Sclauos subegit. Gotaro Noruego cæso, Rollero Erici defetti sororij sui fratri regnum largitur, Ruthenos & Hunnos uincit. Sueonibus subactis regem dedit Ericum. Sub eo Christus natus, pace triennali. A uenefica peremtus. Mors integro	
A.C.	triennio à proceribus dissimulata.	
	FRIDLEVVS II. Frothonis F. occiso Hianuone occupatore regni.	
	FROTHO IV. Liberalis, Fridleui F. legitimus, Olauum Parcum fratrem nothum habens, XII. ann. puer patri succedit. Saxoniam Starcathero opera subegit. A Suertingo Saxone per dolum cæsus.	

A.M.		Reg.
	INGELLVS Frothonis F. degener. A Starcathero ad meliorem mentem conuersus.	
	OLAVVS I. Ingelli F.	
	FROTHO V. Olaui F. HARALDVM I. fratrem regni socium clam sustulit. Ab Haraldo & Haldano nepotibus in regia exustus.	
	HALDANVS II. Haraldi F. athletica insignis, cùm triennium imperasset, relicto regno fratri HARALDO II. Sueciam inuadit. Ericus Sueonum rex uicissim Daniam petens, Haraldum occidit. Haldanus classe Erico uicto captoque, Sueoniam Daniæ adiunxit.	
	VNGVINVS Gothensium rex, ab Haldano hæres relictus, à Regnaldo cæsus.	
	SYVALDVS I. Vnguini F.	
	SIGARVS Syualdi F. ab Hacone fratrem necem ulciscente occisus.	
	SYVALDVS II. Sigari F. ab eodem acie uictus.	
	Tota stirpe regia excisa, præter unam Gyuritham, Assi F. Sigari neptem: Dani creatis ex plebe principibus, OSTMARVM Scaniæ, HVNDINGVM Sialandiæ præficiunt, HANONEM Fioniæ, RORICVM & HATERVM Iutiæ. Nubit interea Gyuritha HALDANO Borcari Dani F. ex Drota Noruegiorum regis filia.	
	HARALDVS I. Haldani F. regulis omnibus oppressis, regnum Daniæ integritati suæ restituit. Victoriis clariss. L. an. pace nobiliss. A Ringone rege Sueonum ingenti prælio uictus, ab Othino dæmone trucidatus est. Dania in Sueonum cessit potestatem.	
	HETHA bellicosa mulier à Ringone Danis præfecta. Cæterùm muliebre imperium perosis Danis, regnum inuadit	
	OLO Scaniæ præfectus à Ringone constitutus, ob crudelitatem conspiratione proceũ à Starcathero in balneo trucidatus.	
	OMVNDVS Olonis F. Ringonem Noruagiæ regem cædit, Noruagiam subigit.	
	SYVARDVS I. Omundi F. à Gotaro Sueonum rege uictus, in acie occubuit, Dania tributaria facta, Iarmericus filius à Sclauis abductus.	
	IARMERICVS Syuardi F. Sclauis elapsus regnum recipit, Gotaro oppresso Sueoniam occupat. Bicconis consilius oppressus ab affinibus.	
	SYVALDVS III. Iarmerici F.	
	SNIO Syualdi F. sub quo Longobardi, duce Aggone & Ebbone, è Dania sunt egressi. Eo cæso a Biornone Gotho, regnarunt postea Succorum reges.	
	BIORNO.	
	RAVALDVS.	
	SVARTMANNVS.	
	TORDO. Haraldus Danus exul regnum inuadit, ope Germanorum & Anglorum. Tordone superato regnum arripit	
	ARTHVRVS Anglorum rex. Variis inde uicinorum armis pressa est Dania. Tandem regnum arripuit	
	BIORNO, & Erici IIII. Gothorum regis iugum excussit.	
	HARALDVS II.	

A.C.		Reg.
	GORMO I. Haraldi F. naturæ inuestigator.	
	GOTRICVS Gormonis F. alias Godefridus, impius, Germanis & Sueonibus tributum imposuit. Contra Carolum Magnum bella gessit.	
	OLAVVS II. Gotrici F.	
	HEMMINGVS Olaui F. cum Ludouico Pio fœdus icit.	
	SYVARDVS II. Ring, Gotrici ex filia nepos, uicto Ringone consobrino ex uuluere periit.	
	REGNERVS Syuardi F. robore & uictoriis clariss. Haraldum tyrannũ uicit: primus baptisma suscepit. Ab Hella Britannorum rege serpentib. deuorandus obiicitur.	
869	SYVARDVS III. Iuarus & Biornus, patris Regneri necem ulti, tyrannos duos occidere. Syuardus tandem solus imperauit in alta pace.	
	ERICVS I. Syuardi F. puer, ab Erico Haraldi fratre regno pulsus: Erico rursus à Guthormo Haraldi F. cæso regnum recepit, & Ansgarii suasu pietatem Christianam profiteri cepit.	
	CANVTVS I. Erici F. ex Guthormi filia. Eius puericiæ tutor Ennignupus datus.	
880	FROTHO VI. Canuti F. ab Agapeto Pp. doctores periit.	
	GORMO II. Angliæ rex, Frothonis F. dum Daniam recipit, Angliam amisit.	
887	HARALDVS III. Gormonis F.	
902	GORMO III. Haraldi F. piorum persecutor. Senex mœrore periit.	
926	HARALDVS IV. Gormonis F. Othonis I. Imper. arma sensit, religionem suscepit, Noruagiam subegit. A Suenone F. oppressus.	
	SVENO I. F. Suenotto dictus in baptismo, patrẽ Haraldum expulit. Ab Erico Victorioso Gothorum rege pulsus. A fide Christi desciuit.	
	ERICVS Victoriosus Gothorum rex, Daniam septennio rexit. Eo mortuo, regnum recepit	
	SVENO, & Christi fidem sincerè complexus est. Sigritham Victoriosi uiduam duxit.	
	CANVTVS Suenonis F. omnium Daniæ regum potentissimus, Angliam subegit, & occiso per insidias S. Olauo rege Noruagiam occupauit.	
1014	OLAVVS Suenonis F.	
	CANVTVS II. Suenonis F. Angliæ regnum mortuo Eduardo obtinuit, Noruagiæ item & Sueciæ. In expeditione Rothomagense mortuus.	
1038	CANVTVS III. Canuti F. Anglos in officio retinens moritur.	
1042	MAGNVS D. Olaui Noruagiorum regis F. ex fœdere succedit. Suenonem æmulum fudit. Equi præcipitio periit.	
1055	SVENO II. Canuti II. ex sorore Estritha & Vluone Sueco (Vlfi semiferi nepote) nepos, Angliæ regno ab Haraldo exutus, Danorum regnum obtinuit, idemq; contra Haraldum Noruagiæ regem defendit. Senex obiit.	
1067	HARALDVS V. Suenonis spurius. Biennium regnauit. D. Canutum fratrem expulit.	2
1069	D. CANVTVS IV. A Fionibus in templo cæsus.	10
1079	OLAVVS III. uel NICOLAVS, Canuti frater, è Flandria ubi exulabat uocatus. Fames perpetua. Eo mortuo	10
1090	ERICVS II. Bonus, Canuti frater, ex Suecia exul euocatus. Abundantia summa. In Cypro obiit Hierosolymam petens.	13
1102	HARALDVS Erici F. Daniæ præfectus.	2
1104	NICOLAVS Erici frater, minimus natu. Ob cæsum à Magno Nicolai F. Canutum, Erici II. F. rex dictus ERICVS, Canuti frater, sæpe uictus, tandem uictor. Cæsò in acie Magno, Nicolaus à Slesuicensibus populari tumultu interfectus.	30
1132	ERICVS III. Erici II. F. Haraldum fratrem à Nicolao successorem designatum occidit. A sicario interfectus.	
1140	ERICVS IV. Haquini F. Erici II. ex filia nepos, tutor Valdemari Canuti F. Olauum Haraldi F. æmulum occidit.	
1150	SVENO III. Erici III. F. à Sialandensibus & Scanis, CANVTVS Magni F. à Iutis rex creatur. Tandem Friderici I. Imper. opera Canutum in gratiam recepit Sueno, Sialandiæ præfectura data. Mox cùm Canutus iterum & Valdemarus & arma & regni titulum sumsissent, tandem post triennale exilium regni pars Suenoni data. Qua non contentus, cùm per insidias Canutum sustulisset, à Valdemaro uita & regno exuitur.	
1165	VALDEMARVS D. Canuti F. Noruagiæ rex dictus. Sclauos domitos ad Christianismum traduxit. Canutum F. collegam adsciuit. Canutum patrem in diuos retulit. Febre obiit.	24
1185	CANVTVS V. Valdemari F. Haraldum Sueonem profligauit. Bogislaum Sclauum sibi subiecit. In hoc Saxo Grammaticus desinit.	18
1203	VALDEMARVS II. Canuti frater. Primus salutatus est rex Danorum & Vandalorum.	40
1243	ERICVS VII. Valdemari F. à fratre Abele dolo cæsus.	9
1252	ABEL, cæsus à Frisiis rusticis.	
1253	CHRISTOPHORVS I. frater.	7
1260	ERICVS VIII. Christophori F. à suis cæsus.	27
1287	ERICVS IX. Erici F.	34
1321	CHRISTOPHORVS II. Erici frater.	12
1334	VALDEMARVS III. Christophori F.	42
1376	MARGARITA Valdemari F. Noruagiæ regina, cum F. Olauo annos 12. & capto Alberto etiam Sueciæ.	35
1411	ERICVS X. Pomeranus, Daniæ & Sueciæ, à Margarita adoptatus.	28
1439	CHRISTOPHORVS III. Bauarus, Daniæ & Sueciæ.	9
1448	CHRISTIERNVS I. Comes de Aldenburg, Dicues cognomine, trium regnorum rex.	34
1482	IOANNES Christierni F.	32
1514	CHRISTIERNVS II. Ioannis F. ob crudelitatem pulsus.	9
1523	FRIDERICVS I. Ioannis frater, Danię & Noruagiæ, Gostauus Suecorum rex salutatur.	11
1535	CHRISTIANVS, Friderici F.	
1561	FRIDERICVS II. Christiani F.	

PERSARVM POST CHRISTVM.

Post salutarem Christi ortum Ceserosachus Persarum rex primus omnium à Romano defecit imperio, estq; à suis Asiæ Imperator dictus. Imperauit is non solùm Persis, sed Armenis etiam & Medis, quæ duo regna suis opibus adiecit. Suntq; per hæc Persæ rerum potiti annis trecentis undeuiginti. Saraceni orientis imperium Persis ademere, anno Salutis 632. hi multò latius quàm illi dominati, sedem imperij fecere Baldacham urbem, quæ olim Babylon, ad Euphratem sita. Mansit inde his regnum incolume annis quadringentis ac duodeuiginti. Turci, quos nunc Turquos, nunc Turquimanos Armenius Aytonus uocat, sunt inde rerum potiti, cœpitq; illorum imperium anno Salutis 1051. Corasini, gens Scythica, Perside occupata, imperij imaginem sibi effinxere. Sunt Turcorum ab his arma parum feliciter tentata, mox & Syria non multò felicius inita, per hæcq; non una clade afficti breui imperium amisere. Tartari dein (& hæc gens Scythica) Hoccotæ regis ductu, Turcorum opes afflixere, suntq; Asiæ imperium adepti anno 1294. Ceperunt & Syriam ex Saracenis, Memphitico rege intra Aegypti paludes fluentaq; compulso. Inde uariè utrinque bellatum, mansit tamen summa imperij apud Tartaros, Tamorq; sextus eius gentis Imperator in Cathaiano sibi regno fixit sedem, & in Aegypto ingens mutatio postea facta est, ut serui Tricassi, Mamaluchi dicti, imperare cœperint. Nec ita multo pòst res Turcorum in antiquam fortunam restitui captæ sunt, miroq; successu creuere. Sabellicus lib. 6. Enneadis 10. Cùm Persarum regum posteriorum in historiis neotericis multa sit mentio, eorum seriem ex Funccio, & G. Mercatore, Agathiam secutis, ab anno quarto Alexandri Seueri Imp. hic adducere placuit, quando Artaxerxes rex Persarum, Artabano Parthorum rege interfecto, regnum Persis restituit, anno 4199. Mundi, Christi ducentesimo uigesimoseptimo.

A. C.		A. M.
227	ARTAXERXES.	14 10
242	SAPORES, qui Valerianum Imp. cepit.	31
273	ORMISDATES.	1
274	VARARANES.	3
277	VARARANES II. aliis Narseus.	17
294	VARARANES III.	0 4
295	NARSES.	7 9
302	MISDATES.	7 9
310	SAPOR II. in utero matris coronatus.	70
380	ARTAXERXES, Saporis frater.	4
385	SAPORES III.	5
390	VARARANES III. siue Cermazat.	11
401	ISDIGERDES, tutor Theodosio Iuniori relictus.	21
422	VARARANES IV. aliis Barrabanus.	20
442	VARARANES V. Varraranis F.	17 4
459	PEROZES.	20
479	VALENS.	4
483	CAVADES Perozæ F.	11
494	LAMBAZES uel Zãbades Perozæ frater, Procopio Blases dicitur.	8
502	CAVADES iterum, uxoris opera è uinculis ereptus.	30
532	COSROES Cauadis F. à Iustiniano Tiberij duce uictus. Vltimis septem annis Hormisdam F. consortem imperij asciuit.	48
580	HORMISDA solus, à filio captus & occisus.	8

A. C.		A. M.
588	COSROES Hormisdæ F. ab Heraclio uictus. Mahometum Pseudoprophetam profligat.	39
627	SIROES uel Sirochus, Cosrois F.	1
629	ADHESIR Sirois F.	7
630	SARBARAS uel Barazas, occiso Adhesire regnauit.	6
	BARAME Cosrois F. ei suffecta M. 7. Aliis BORNARIM Cosrois F.	
630	HORMISDA uictus à Saracenis, Mahometi superstitionẽ suscepit. A Mahometano Caliphatu Persarum regnum absorptum.	
	☞ *Incerta & obscura post hæc historia, nisi quòd memoratur*	
	GEMPSA Parthorum maximus Sultanus, qui ad Bactrianos & Aracosios usq; imperiũ tenuit. Multis inde interiectis, ultimus ex ea stirpe	
	MOLAONCHER.	
	ASSIMBEIVS Vsuncassanus Armeniæ præfectus, Molaonchere interfecto regnum occupauit.	
	IACVPPVS Assimbei F. Harduellem sororium suum prophetam nouum interfecit, qui genus suum ad uetères reges referebat.	
	ALVANTES Iacuppi F. pulso fratre Moratchamo, cæsus ab Hismaele Sopho.	
1499	HISMAEL Sophus Harduellis F. regnum occupat, patriam religionem introducit.	

PARTHORVM REGES.

☞ *Fuerunt* PARTHI, *quo ad primam originem, Scytharum exules, id quod nomen ipsum attestatur: qui seditione domo pulsi, Cyaxare Medis imperante, modicam terram inter Hyrcaniam, Dahas, Arcos, & Parthenos furto occupatam ab initio tenuère. Terra ipsa nemorosa, montana, & inops frugum, quippe quæ regium non posset alere exercitum, atque ob eam rem cursu regionem Arsacidæ præteribant. Pars eius circa Rhagas siue Phageam terræmotibus infesta. Media pars illi ad Occasum finitima: à Septentrione Hyrcania: ad Ortum Aria prætenditur: qua ad Meridiem uergit, Carmania deserta. Gens ipsa Assyriis Medicis q; temporibus obscurissima, regno q; Medis ad Persas translato, uelut uulgus sine nomine, uictoribus prædæ fuit. Postremò Macedonibus seruierunt. Post Magni Alexandri tempora Seleucus primi Seleuci pronepos bellum cum Antiocho fratre de regno diu confertum habuit: quam temporum occasionem nactus Theodotus Bactrorum præfectus seu Euthydamus, ut quidam scribunt, à Seleuco defecit. Secuta inde Parthorum defectio. Arsaces Scytha, latrocinio uiuere suetus, cum Danorum manu, qui & Parini nuncupati sunt, Mandragora præfecto Seleuci ui oppresso, Parthiam inuadit, circa primi belli Punici tempora, Romæ L. Manlio & Attilio Regulo Coss. Sabell. Ennead. 6. lib. 6. Itaque Asia maior Parthis cessit, post Alexandri mortem anno CLXXII. atque ita imperium ab Arsace usque ad Artabanum cum magna gloria militaris disciplinæ floruit annos circiter D. Plinius XIV. numerat Parthorum regna. Trogus his Orientis tribuit imperium, uelut orbis diuisione cum Rom. facta. Hinc Artaxerxes Persa, cæso Artabano, regnum suscepit: id q; Persæ tenuerunt annos amplius CCCC. quousque Homarus princeps Arabum, Persiam & Syriam inuasit. Io. Bodinus Methodi historiarum capite 6.*

ARSACES I. A' quo reges omnes Parthorum Arsacis nomen traxere.
ARSACES F. contra Antiochum Seleuci F. duxit equitum XX. peditum C M.
PAMPACVS Arsaces, uel Priapatius.
PHARNACES, aliis Phraates, Pampaci F. Mardos domuit.
MITHRIDATES Pharnacis frater. Bactrianos subegit, imperium à Caucaso monte ad Euphratem fl. propagauit.
PHRAATES Mithridatis F. Scythico bello à suis destitutus periit.
ARTABANVS Phraatis patruus, cæsus à Colcharariis.
MITHRIDATES Artabani F. Magnus ob res gestas. Pulsus ob crudelitatem.
HERODES, uel Hyrodes, uel Orodes, Mithridatem fratrẽ captum necat. M. Crassum cecidit.
PHRAATES Herodem patrem ueneno sustulit.
TERIDATES pulso Phraate.
PHRAATES II. Orodis F. signa Romanis reddidit. A' Phraatace spurio interemtus. Phraatace cæso, à populo uocatus ex Arsacidarum gente
ORODES II. qui propter crudelitatem in uenatione occisus est.
VONONES Phraatis F. Roma, ubi obses fuerat, aduocatus, propter ignauiam à Parthis derelictus.
ARTABANVS Medorum rex Vononem uicit.
VARDANES Artabani F. patri mortuo succedens, propter bellum contra Rom. motum à subditis cæsus.
GOTARZES Vardanis frater per insidias sublatus.
VOLOGESVS tertius frater, fratribus suis Pacoro Mediã, Tiridati Armeniam distribuit.
VOLOGESVS sub Commodo Armeniam uastat.

HIEROSOLYMITANI REGES CHRISTIANI.

☞ *Sub Philippo Henrici F. Francorum rege, expeditio in terram Sanctam instituta, ductu Petri eremitæ, & Hierosolymæ captæ. Latinorum procerum delectu habito, rex creatus primus*

A. C.		Reg.
1099	GODOFREDVS dux Bononiensis uulgò Bolionius, Godofredi Gibbosi Lotharingiæ ducis F.	1
1100	BALDVINVS I. fratre pestilentia mortuo.	18
1118	BALDVINVS II. patrueli successit.	16
1134	FVLCO gener Balduini, in uenatione ab equo lapsus periit.	8
1143	BALDVINVS III. Fulconis F. tredecim annorũ puer regnum init.	20
1163	ALMERICVS comes Ascalõis, alter Fulconis F.	10
1173	BALDVINVS IV. Almerici F. leprosus.	2
1184	BALDVINVS V. Gulielmi Montisferrati Marchionis & Sibyllæ Almerici filiæ, puer auunculo successit, tribus uix mensibus superstes, malo Christianorum fato.	
1185	GVIDO Lusinianus à Sibylla uxore, mortuo Balduino priuigno, rex creat^r, capitur à Saladino, Hierosolyma amittit^r. Ipse, p iure regni Hierosolymitani regnũ Cypri à Ricardo Anglo accipit.	
1188	HENRICVS Campaniæ Comes, Elisa Balduini V. sorore ducta, dotali iure, conciliante Anglo, rex salutatur.	7
1195	IOANNES Brennus, capta & mox amissa Damiata, in Italiã uenit, & Iolen F. Friderico II. Cesari, Siciliæ regi, desponsit. Hinc reges Siculi etiã regni Hierosolymitani titulũ assumsere. Christiani Syria & Hierosolymis à Saladino pulsi.	

ARA-

ARABVM, SARACENORVM AMIRÆ SIVE REGES. EX CEDRENO, FVNCCIVS & G. MERCATOR.

A. C.		A. M.
621	MAHOMETVS pseudopropheta dux Arabũ factus, tyrannidẽ inuasit, an. Mundi 4887. Heraclij X. E Mecha pulsus à Iudæis incolis, latrocinari primùm, inde iusto exercitu grassari cepit. Hanc Alhegiram, h. e. fugam uel peregrinationẽ uel expeditionem appellãt, & ab ea computant annos Saraceni.	10
631	EVBOKARA, uel ABVBACHAR, uel Ebubeczer, cognomine ABDALLA.	2 6
634	AVMAR siue OMAR. Censum fecit populi. Hierosolyma capta, Persis occupata.	10 6
644	ODMEN, Hoam, siue Hotman.	12
656	HALY.	4 9
661	ALHATEM.	0 6
	MOAVVI, siue Muhauias. Syracusæ captæ, Sicilia uastata.	19
681	EZID siue GIZID.	3 8
684	HABDALLA tyrannidem inuadente, electus est post mortem Ezid	
	MARVAN uel Maruem.	0 9
685	HEDIMELECH uel Habdimelech Maruanis F. Africa occupata.	22
706	VLID, Izethus Cedreno. Hispania uastata.	9
715	ZVLZIMIN, aliis SOLYMAN.	3
718	HAVMAR, uel Vmar.	2 4

A. C.		A. M.
721	EZID uel GIZID II. Abdiramo duce Burdegala direpta. Saraceni à Carolo Martello cæsi quieuerunt.	4
724	EVELID, Gizidis F. Isanus Cedreno.	18
742	VVALIDVS.	1
743	GIZID III. à suis occisus.	1
744	MARVAN II.	6
755	HABDALLAS II. Eius anno nono Turci Caspias portas egressi, Armeniam inuasere.	21
776	MADY siue MVHAMAD.	9
785	MOYSES Mady F.	1
786	AARON Moysis frater.	23
809	MVHAMAD Aaronis F.	5
814	HABDALLAS III.	17
831	MVHAMAD, Cedreno Mamunus.	40
	☞ *Saraceni cum Persis bella iterarunt. Persæ Tiarcorum auxilio uicerunt. Tiarcæ sensim & Persicis & Saracenicis regnum abripuerunt. Tiazolipaxe Musaiere Sultano primum Persarum dicto an. M. 4858. Christi 874. & qui cum fecerit fuit Sultanus omnes deinde fere, ita uarios principes, per occasionem dum Iacum prouinciarum, dum ipsi quoq; ad Eidem Monarchiæ Saracenicæ fuit. Ab hominum fundamenta iacta fuere ab Othomano, an. M. 5267. Christi 1301.*	

TVRCORVM REGES.

☞ *Anno Mundi 5013. Christi uerò 1051. TVRQVINIANI Asiæ regnum occuparunt. Ex Funccio, & Mercatore, & Drechsle o, & P. Iouio. Eorum primus dominus*

A. C.		Reg.
	SADOR, cui successit	
	DOGRISSA.	
1077	ASPASALEM. Cuius nepos Solimannus Cappadociam subegit, ibique Turcorum regnum coauit.	
1086	MELECHA. Cuius auctoritate Solimannus & Artot Metoporamiæ Sultanus Antiochiam Syriæ occuparunt, & Cæsaris Imperatoribus Asiæ regnum eripuerunt.	4
1095	BELCHIAROK. Eo mortuo, fratrem illius Turcæ interemerunt. Armenij Turcos seditione agitatos è Persidepellunt. Fugiunt illi ad Solimannum Cappadociæ Soldanum. Et sic res Turcorum in minori Asia plurimum sunt auctæ.	5
1300	OTHOMANNVS Turcorum imperium suscepit, Bithyniam domuit.	28
1328	ORCHANES Othomanni F. in expugnatione Prussiæ Bithyniæ à Tartaris cæsus.	22
1350	AMVRATHES Orchanis F. in Europam traiecit, uocatus à Ioanne Cantacuzeno Imperat. Constantinopolitano per Bosphorum Thracium. A Senno Lazari Despotæ Seruiæ in cãpis Cassouiis cæsus.	12

A. C.		Reg.
1373	BAIAZETHES Amurathis F. fratrem Solimannum interemit. Bulgariam domuit, octo annis Byzantium obsedit, Christianos ad Nicopolim uicit. Tandem à Tamberlane captus, & in cauea ferrea circumductus.	26
1398	CALEPINVS siue Cyrtcelebes Baiazetis F. natu maximus.	6
	ORCHANES F. quem MOYSES patruus & tutor pupilli oppressit.	
1403	MAHOMETVS Baiazethis tertius F. qui primus Danubium traiecit.	14
1419	AMVRATHES II. Mahometi F. Fratrem Mustaphum acie uicit.	31
1449	MAHOMETVS II. Amurathis F. Thasinem & Calepinum fratres in eunus interfecit. Constantinopolim cepit.	32
1481	BAIAZETHES II. Mahometi F. Zyzimum fratrem ad Rhodios fugere compulit. In mensa stenum detrusus, ueneno perit à Selimo F. dato.	31
1512	SELIMVS fratres Achmathum & Corcuthum strangulauit.	8
1520	SOLIMANNVS Selimi F.	46
1566	SELIMVS Solimanni I.	

TARTARORVM REGES.

☞ *Horum ut barbara, sic incerta est successio, nisi quantum ex Haytono Armeno colligi potest.* CHANGIVS *Cham, quem Sabellicus Canguistam uocat, Tartarorum Imp. creatus, anno Sal. 1205. abrogato dæmonum cultu, ad Caspium usque mare processit, Turquiam maiorem Asiæ occupauit.* HOCCOTA *Changij F. per Caucasias portas egressus, Asiam occupauit, anno 1242. Eius filij tres: Iachtis, Batho & Tayladais, imperium longè latè propagarunt.* GVISGA *Hoccotæ F.* MAGO *pater Metu Cangye consanguineus, ab Haytono rege Armenio ad Christianismum conuersus, per Haadonem fratrem, Persarum Calipham sustulit: & nisi morte sublatus fuisset, Hierosolymam Christianis restituisset. Anno 1260.* COBILA *Magonis frater.* TAMBERLANES, *qui anno 1405. periit, Orientem totum torrentis instar suis armis inundauit & obruit, Baiazethem Turcarum principem uicit.*
Successere ei filij felicitate dispares.

VANDALORVM REGES IN HISPANIA ET AFRICA, EX FVNCCIO.

A. C.		Reg.
382	MODOGISILVS uel Gondogisilius, Vandalorum rex, cùm illi, suis tertis relictis, alienas inuadere cœperunt.	30
412	GVNDERICHVS Hispanias occupat.	16
418	GIEZERICHVS. Vandali uocati à Bonifacio præfecto Africam mutadunt. Visegothi relictam à Vandalis Hispaniam occupant. Cum Vãdalis Valẽtinianus pacem fecit. Atq; ita Vandali per XXCV annos Africam obtinuerunt.	
476	HONORICVS in Africa.	8
484	GVNDAMVNDVS.	12
496	THRASAMVNDVS.	27
523	HILDERICVS, pius uaide erga catholicos.	7
530	GILIMER fraude regnum occupat. Victus à Belisario, finem Vandalico regno in Africa imposuit.	5

ggGgg ITA-

ITALIAE PRINCIPES POST CHRISTVM.

GOTHORVM, EX G. MERCATORIS Chronologia.

A.C.		A.M.	
476	ODOACER Herulus primus Barbarorũ rex in Italia. A Theoderico Ostrogotho Rauennæ cæsus.	16	6
493	THEODERICVS Amalus, Theodemiri F. à Zenone Imp. adoptatus, Odacro regnum eripuit.	33	6
526	ATHALARICVS Eucherij F. ex AMALASVENTA Theoderici filia.	8	
534	THEODAHATVS ab Amalasuenta in regni thoriq; consortium receptus. Ea perfidè interfecta regno deiectus.	2	
539	VITIGES, Mathasuenta Amalasuntæ F. uxore ducta Captus à Belisario.	4	
540	ILDOVALDVS uel Ildibaldus uel Theudibaldus uel Hildebrandus, Cranzio Ildomandus, in conuiuio à Builla occisus.	1	
541	ATARICVS Rogus uel Eutarius uel Araric⁹, à Gothis occisus ob fœdus cum Græcis initum.	0	3
	TOTILAS Badulla, Ildoualdi nepos, Tarusij natus, Romam bis cepit. A Longobardis Narseti militantibus cæsus.	11	
552	TEIAS Fridigerni F. dux fortissimus, à Narsete uictus.	1	

Gothorum regnum sublatum, Rauenna regia capta, Gothi in Italorum nomen abiere, cùm in Italia regnassent an. 77. bellum sustinuissent Belisario & Narsetis per an. 18. Roma Orientali imperio addita, Narses Proconsulis loco Italiam rexit.

GRAECORVM EXARCHI RAVENNATES in Italia, perennes Vicarij quidam Imperatorum Constantinopolitanorum, ex G. Mercatore.

Victis Gothis, Italiam pro Imp. Græco rexit NARSES *eunuchus. At cùm à Sophia Iustini Imp. uxore per contumeliã ad gynæceũ ad telam texendã euocaretur, Longobardos in Italiã euocauit, ut belli necessarium prætextum haberet. Albouinus itaque Longobardorum regnum in Italia fundauit. Mortuo Narsete, Græci Imp. Exarchum ei parti Italiæ præficere, quæ à Longobardis occupata non fuerat. Sedes Exarchatus Rauenna constituta.*

A.C.		Reg.
569	LONGINVS Patricius.	
584	SMARAGDVS.	
587	ROMANVS.	
603	SMARAGDVS iterum.	
611	IOANNES Lemigius.	
616	ELEVTHERVS. Io. Campsinum tyrannum Neapoli interfecit. Tyrannidem arripiens, Luceolis à militibus cæsus.	
619	ISAACIVS.	
643	THEODORVS Calliopa.	
649	OLYMPIVS cubicularius.	
653	CALLIOPA iterum.	
687	IOANNES Platon.	
702	THEOPHYLACTVS Patricius.	
710	IOANNES Tizocopus.	
715	SCHOLASTICVS Patricius.	
725	PAVLVS Patricius à Rauennatibus cæsus.	
727	EVTYCHIVS.	

Rauenna à Longobardis capta an. 751. Exarchatus sublatus. Aistulfo premente Exarchum Græcum & pontificem Stephanum. Constantino Copronymo Turcorum incursionibus in Oriente occupato, Pipini Francorum regis auxilio Lõgobardi repressi. Pentapolis & Acmilia pontifici data à Pipino, confirmata à Carolo Magno, quod nudgo patrimonium D. Petri nocant.

LONGOBARDORVM, EX MERCATORE & Sigonio.

Euocati à Narsete eunucho in Italiam Longobardi. Albouinus regnauit an. 26. Saluti 568. ex Pannonia migrauere.

A.C.		A.M.	
568	ALBOINVS, Andoini F. ethnicus, occupato Mediolano regis titulum sumsit, an. 573. Ducatus duos Forouiliensem & Spoletanum instituit. A Rosimunda uxore sublatus.	2	9
571	CLEB uel Clepho uel Clephes à famulo iugulatus ob crudelitatem. Sigonius annum habet 574.	1	6
573	*Interregnum* annorũ 10. Duces Lõgobardorum XXXVI singillatim singulas urbes administrauere. Francorum arma à Mauricio excitorum metuentes, ad regem rursus animum adiecere. Creatus ergo		
586	ANTHARIS uel Autharis dux, Clephis F. qui ducatum tertium Beneuentanum cõstituit, & Flauij nomen sumsit, posterisq; reliquit. Veneno periit. Arianus.		
588	AGILVLFVS, siue Ago, Taurinatium dux, à Theodelinda Autharis uidua in thori regnique societatem acceptus. Orthodoxus.	25	
614	ADOALDVS uel Adelualdus, Agilulfi F. à patre rex creatus, uenenato poculo ad amentiam redactus, cum Theodelinda matre in exilium pulsus. Suffectus	10	
624	ARIOALDVS Tauinatiũ dux, Arianus, absque liberis.	12	
636	ROTHARIS Harodus, à Gundeberga Atioaldi uidua susceptus. Arianus.	15	4
651	RODOALDVS Rotharis F. in adulterio interfectus. Arianus.	3	
656	ARIBERTVS, Gondoaldi Theodelindæ fratris F. Gatibaldi Boiorum reguli nepos. Catholicus. Huic Sigonius an. 5. tribuit. Mercator an. 9.		
661	PERTHARITVS & GVNDEBERTVS Aripetri filij: ille Mediolani, hic Papiæ. Gundebertus Grimoaldum Beneuentanum ducẽ acciuit ad fratrem eiiciendum.		
666	GRIMOALDVS, Arichis Beneuentani ducis F. Gũdeberto occiso, Pertharito fugato, Græcos uicit. Phlebotomia periit. Sigonio an. 11. Mercatori 9.		
675	GARIBALDVS, Grimoaldi F. puer, à Pertharito pulsus an. 672 Sigonio.	0	3
	PERTHARITVS reuersus.	18	
683	CVNIBERTVS, uel Gundebertus uel Chunibertus, à Pertharito patre in consortium regni acceptus. Sigonius an. 690. ponit. Ab Alachi duce Tridentino pulsus regnũ recepit.	12	
705	LVITBERTVS, Cunibert F. ochimestris.		
706	RAGVMBERTVS dux Taurinatium, Gundeberti regis F. Asprandum Luitperti tutorem uicit.	0	1
	ARIPERTVS II. Ragumberti F. Luitpertum captum occidit. Submersus.	12	
718	ASPRANDVS tutor, Baioariorum auxilio regnum occupat. Ei suffectus uiuo	0	3
	LVITPRANDVS Asprandi F.	25	7
743	HILDEBRANDVS, Luitprando patre mortuo pulsus: suffectus Forouiliensium dux		
744	RACHIS, Remmonis F. Abdicauit, monach⁹ Cassinas factus.	5	6
749	AISTVLFVS, Rachisij frater. Rauenna capta Exarchatum sustulit: sed coactus Francorum armis pontifici cessit. Ex equo præceps periit.	7	
756	DESIDERIVS Comes stabuli, dux Tusciæ, cum ADALGISO F. Desiderius Papiæ à Carolo Magno captus: Adalgisius in Græciam fugit. Hic finis regni Lõgobardorum in Italia, anno postquam Italiam occuparant 206. Christi 774. Translatum inde ad Francos.	18	

FRANCORVM EX SIGONIO.

A.C.		Reg.
775	CAROLVS Magnus. In societatẽ regni assumtus	
782	PIPINVS filius. Eo mortuo, successor patri dat⁹	
817	BERNARDVS, à Ludouico Pio Imp. patruo ob conspirationem luminibus orbatus.	
818	LVDOVICVS Pius Imp. A quo adlectus	
823	LOTHARIVS F. Imp. & Franciæ rex. Ab eodem adlectus	
847	LVDOVICVS II. F. Sine liberis.	
875	CAROLVS Calnus, Franciæ rex, Ludouici patruus, Imp. Eo mortuo	
877	CAROLOMANVNS, Baioariorũ rex, Ludouici Germanorum regis F. Calui nepos, Italiam inuadit. E diuerso Ioannes Pp. à Romanis pulsus in Gal-

A.C.		Reg.
	in Galliam fugit. Ab eo Rex & Imper. dictus est.	
	Trecis.	
	LVDOVICVS Balbus Franciæ rex, Calui F. utro que mortuo.	
880	CAROLVS Crassus Germaniæ rex, Imp. dictus, & rex Franciæ. Substituto Arnulfo præ mœrore periit.	

ITALICORVM, EX SIGONIO.

Mortuo sine liberis Crasso, Berengarius Forouiliensis & Veronensis dux, Vido dux Spoletanus, Hadrianõ III. Pp. decrete, ne regnum Italiæ Barbaris pateret amplius, subuixit, illo quidem Italiæ, hic Franciæ regnum inuasit. Ergo

A.C.		Reg.
888	BERENGARIVS Papiæ regni sedem fixit: VIDO ab Eudone Caroli Simplicis tutore repulsus, Berengarium expulit, Papiaque occupata, rex dictus, a Stephano V. Pp. etiam Imperator. Ab Arnulfo rege Germanorum pulsus, & restitutus Berengarius an. 894. Mortuo interim Vidone, factiolis principibus LAMBERTVM, Vidonis F. Spoleti sequentibus, Arnulfus secundùm in Italiam uenit, Romæ imperij titulum à Formoso Pp. sumsit. Eo domum reuerso, Lambertus à contraria factione Imp. dictus, dormiens interficitur, anno quarto regni Berengarius Papiã recipit. Factioli LVDOVICVM Bosonis regis F. Prouinciæ regem euocant. Sed ut ctum de nunquam repetenda Italia iurare cogit Berengarius. Secundò in Italiam euocatus, Berengarium an. 902. expulit. Cæterùm ab eodem Veronæ captus, & excæcatus est. Exinde per XXII. an. pacatum regnum habuit Berengarius, Imp. titulo à Ioanne X. exornatus. Anno 921. à factiosis euocatus RODVLFVS Burgundiæ rex Papiæ coronatur: Berengarius triennio post à sicariis Veronæ interficitur.	
921	RODOLFVS Burgundiæ rex accitus Papiam, Berengarium Veronam fugauit.	
926	HVGO Comes Arelatensis, à Lamberto Mediolanense archiepiscopo contra Rodulfum euocatus. Berengarius Berengarij regis ex filia Gisla nepos, Adelberti Marchionis Eporædiæ F. regnum inuadit. Pace facta, titulus regni penes Hugonem & LOTHARIVM F. fuit, potestas omnis penes Berengarium. Hugone mortuo	
948	LOTHARIVS F. solus. Phrenesi obiit.	
950	BERENGARIVS II. cum ADELBERTO F. ab Othone Magno uictus, sed restitutus.	

GERMANORVM.

A.C.		Reg.
961	OTHO I. Magnus à Ioanne XII. Pp. euocatus, regni & imperij titulos assumsit. Othonem F consortem dignitatis fecit.	
973	OTHO II. F. mœrore periit.	
984	OTHO III. secundi F. ueneno sublatus, absque liberis.	
1002	ARDOINVS Dodonis F. Eporædiæ Marchio, Papiæ coronatur. Contrà Arnulfus archiepiscopus Mediolanensis	
	HENRICVM Bauariæ ducem, regem Germanorum, designat. Eo uerò domesticis bellis occupato, uix tandem an. 1013. in Italiam uenit, Papiam occupauit, Imp. huius nominis II. Romæ creatus. Ardoinus monachum induit.	
1024	CONRADVS II. Imp.	
1039	HENRICVS III. Imp. Conradi F.	
1056	HENRICVS IV. annorum quinque. A Gregorio VII. mirè agitatus ob inuestituram dignitatũ sacratum. Cui Clementem III. opposuit, ab eo Romæ coronatus. Ab Vrbano II. contra eum excitatus	
1094	CONRADVS F. regnum Italiæ obtinuit. Eo mortuo, iterum regnauit	
1101	HENRICVS pater. Regno deiectus à pontificia factione, & substitutus	
1106	HENRICVS V. filius, à Paschali II. per uim coronationem impetrauit. Tandem inuestituræ dignitatũ sacratũ per uitgã & baculũ renũciauit. Eo sine liberis mortuo, à principibus eligitur	
1126	LOTHARIVS Saxoniæ dux. Cui cùm ab aliis oblectus esset	
	CONRADVS Sueuiæ dux, Henrici ex sorore nepos, posteaquam Lotharium ab Innocentio Imperatorem designatum audiuit, an. 1134. titulum regni deposuit. Eo mortuo creatus rex	
1138	CONRADVS iterũ. Imperij coronã nõ suscepit.	
1152	FRIDERICVS dux Sueuiæ, Conradi ex fratre Friderico nepos. Alexandri III. Pp. studio uaria fortuna Italicæ urbes libertatem adeptæ. Ab eo regni Italici socius adlectus	
1184	HENRICVS VI. F. Imp. Siciliæ rex. Relicto filio Friderico puero cum Constantia uxore.	
1197	PHILIPPVS Henrici frater, Dux Tusciæ, cum insignibus imperij à fratre acceptis in Germaniã abiit ad regnum occupandum. Contra eum electus Otho dux Saxoniæ. Vt proinde integro decennio nemo nec regni Italici nec Imperij titulum habuerit. Philippus Tusciæ ducatum pontifici Innocentio III. dimisit. Innocentius Fridericum & Constantiam Siciliæ reges dixit.	

VENETORVM DVCVM.

Anno Sal. 421. qui litus Venetum incolebant, ueriti ne quod prius à Gothis, tunc etiam ab Hunnis, qui duce Atila aduentare dicebantur, pati cogerentur: in stagna per otium transmisere uicina, & in iis cùm alias insulas, tum inprimis Gradum Aquileienses, Riuum altum Patauini, ubi nũc Venetiæ sunt, insedere. Consulari potestate gubernari cœpta Respubl. Autũæ inde sub aduentum Atilæ coloniæ, Tribuni pro Coss. creati annui, per annos 230. & amplius, qui ab Heraclia Heracliani sunt dicti. Insula fuit in Iesulanis finibus, quam Opitergini, euersa à Rothari Longobardo patria, insedere, continenti proximam, & in gratiam Heraclij Imp. Heracliam urbem à se conditam dixere, teste Petro Marcello, & M. Ant. Sabellico. Tandem cùm Tribunorum discordia Resp. parum ab externa ui tuta esset, Christophori Gradensis Antistitis suasu noua Reip. forma introducta, & Dux creari cœptus.

DVCES.

A.C.		A.M.	
697	PAVLVTIVS Anafestus Heraclianus.	20	6
717	MARCELLVS Tegalianus Heraclianus.	9	
726	HORLEVS Hypatus, cognomine Vrsus. Rauenna Longobardis erepta, Exarcho restituitur. Heracliani & Iesulani intestino bello fessi, Vrsum odiorum fomitem occidunt.	11	

MAGISTRI MILITVM.

Occiso Vrso, in sex annos placuit nono uti magistratu. Creati ergo Magistri militum hoc ordine Heraclia.

A.C.		Reg.
	DOMINICVS Leo.	
	FELIX Cornicula.	
	THEODATVS Vrsi ducis F.	
	IVLIANVS Ceparius, uel Hypatus.	
	CIANVS, siue Ioan. Fabriciatius, excæcat⁹ à pop.	

DVCES.

Recepti Duces quinquennio nondũ exacto.

A.C.		Reg.
742	THEODATVS Vrsi F. Medoacẽsi conuentu dux declaratur, & ibi postea sedes fuit ducaria. A Galla excæcatur, falsò obiecta tyrannide.	13
755	GALLA Medoacensis excæcatur.	2
756	DOMINICVS Monegarius excæcatus.	5
764	MAVRICIVS Galbaius, Heracliensis, cum Ioanne F. Venetij à Carolo Magno & Nicephoro Imperatore liberi pronunciantur.	23
787	IOANNES Mauricij F. solus, inde cum Mauricio F. Ob præcipitatum Gradensem antistitem in exilium acti.	16
804	OBELERIVS Antenorius, siue Anafestus cum Beato fratre. A Valentino fratre in exilium eiecti, Pipinum Caroli Magni F. contra patriam cõcitant. Metu Gallorum in Riuum altum migratum. Heraclia euersa. Orphano Canali nomen à Gallorum cæde datum.	5
809	ANGELVS Particiatius cum Iustiniano F. Heraclia instauratur.	18
827	IVSTINIANVS Angeli F. Corpus D. Marci Venetias defertur.	
828	IOANNES Iustiniani frater. A Carossio pulsⁿ, in de re-	

A.C.		A.M.
	de reuocat⁹, tãdẽ Gradi in monachũ attõsp.	8
836	PETRVS Tradonicus Polẽsis cũ Ioanne F. Protospatharius à Michaele Imp. dictus, LX tri remes contra Saracenos in Crotoniate sinu amisit. A Lothario libertas Venetis cõfirmata. A suis cæsus.	29
864	VRSVS Particiatius cum Ioanne F. Protospatharius à Basilio Imp. creatus.	17
881	IOANNES Vrsi F. cũ Petro, inde cũ Vrso fratribus. Quibus mortuis, ultrò se dignitate abdicauit.	6
887	PETRVS Candianus à piratis Narentanis cæsus. Ioannes dignitatem recepit, quoad dux creatus est	0 5
888	PETRVS Tribunus. Hunni Riuum alæum obsidentes uicti.	19
909	VRSVS Badoarius. Cœnobium ingreditur. Eius F. Petrus Protospatharius.	19
932	PETRVS Candianus, siue Sanutus, Petri F. Eius F. Protospatharius. Istri raptores uirginũ oppressi. Iustinopolis capta.	7
939	PETRVS Badoarius Vrsi F.	2
941	CANDIANVS Petri F.	11
952	PETRVS Candiani F. ab exilio reuocatus. Ob tyrannidem cum F. trucidatus. Ducariũ cum æde D. Marci conflagrat.	18
976	PETRVS Vrseolus. Inuitus suscepit, inuitis ciuibus deposuit, peregrinatione sacra suscepta in Aquitania obiit.	2
978	VITALIS Candianus Petri F. cœnobiũ intrat.	1
979	TRIBVNVS Memus monachus factus. Maurocenorum & Calopirinorum rixæ.	12
991	PETRVS Vrseolus. Immunitas uectigalium à Basilio & Alexio Impp. impetrata. Istri & Dalmatæ in fidem recepti.	18
1009	OTHO, Petri F. Geizæ Vngarorum regis F. uxorem duxit. A Dominico Flabanico captus, rasus, relegatus.	5
1024	PETRVS Centranicus, siue Barbolanus. Vrsi Gradensis Antistitis astu raditur, ablegatur. Remp. capessit VRSVS: Flabanicum exulare iubet: Othonem fratrem reuocari curat. Fratris morte cognita, se pro ducatu abdicat. DOMINICVS Vrseolus ducatum inuadens, postridie in exilium pellitur.	4
1034	DOMINICVS Flabanicus ab exilio reuocatus. Vrseolorum familia in exilium eiicitur. Collega Duci in posterum negatus.	10
1044	DOMINICVS Contarenus.	26
1060	DOMINICVS Sylnius. Normannos ad Dyrrachium primùm uicit: mox uictus, magistratu à pop. priuatur.	13
1083	VITALIS Falerius. Dalmatia & Croatia Venetis ab Alexio Imp. concessa.	13
1096	VITALIS Michael I. Classis in Syriam missa CC nauium, ad Hierosolymam recuperandam. Smyrna capta. D. Nicolai corpus adductum. Pisani æmuli ad Rhodum uicti.	4
1101	ORDELAPHVS Faledrus. Classis in Syriam. Ptolemais & Sidon expugnata. Priuilegia Venetorum in Syria. A Pannonibus ad Iaderam cæsus.	19
1120	DOMINICVS Michael. Classis in Syriã. Victi ad Ioppen Turci. Tyrus expugnata. Rhod⁹, Chius direpta, ob Caloioannis Imp. pfidiã.	11
1131	PETRVS Polanus Dominici gener. Emanuel Græcus Imp. contra Rogerium Siciliæ regẽ defensus. Corcyra capta, Sicilia uastata.	18
1148	DOMINICVS Maurocenus. A Gulielmo Siculo Venetis data priuilegia.	2
1156	VITALIS Michael II. Pisani reconciliati. Emanuel Imp. ueneno pestilentiam classi Venetę immittit. Dux reuersus, ciuitate eo contagio infecta, per seditionem cæsus.	17
1173	SEBASTIANVS Zianus. Otho Friderici F. uictus, Imp. Alexandro, III. reconciliatus. Aurea ædes D. Marci extructa.	7
1178	AVREVS Mastropetrus à XL electus. Classis in Syriam. Ptolemais recepta. Cœnobium ingreditur.	14
1192	HENRICVS Dandulus ab Emanuele Imp. olim excæcatus. Pisani æmuli uicti ad Polam. Latinorũ auxilijs Dalmatæ subacti, Iadera recepta, Byzantiũ bis captũ, Balduinus Imp. creatus, Thomas Maurocenus patriarcha.	

A.C.		A.M.
	Creta Venetis attributa, quã Genuenses extorquere frustrà conãtur. Byzantij moritur.	13
1205	PETRVS Zianus Sebastiani F. Prætor primus Venetorũ Byzãtij Murinus Zenus. Ionij & Ægei maris insulæ subigũtur. Patauini uincũtur. Cõstantiã Tãcredi Siciliæ regis F. ducit. Missa in Cretã, quæ ter defecit, colonia.	22
1228	IACOBVS Teupulus. Cretensium quarta defectio. Byzantium bis obsidione leuatũ. Cõtra Fridericum II. pro pontifice terra mariq; Iadera, quæ quintùm defecerat, recipitur.	20
1248	MARINVS Maurocenus nouo more eligitur. Patauinus Ecelini tyranni iugum adimitur.	4
1252	RAYNERIVS Zenus. Ob templum Ptolemaidis cõmune, bellũ Ligusticũ primũ ortũ, XI. annis. Veneti Balduino exuli, Genuenses Michaeli Palæologo, qui Byzantiũ occupauit, fauent, & totã Syriam suis factionib. implicatã labefactant. Victi Genuenses ad Ptolemaidem, ad Drepanum. Pax cum Genuensibus.	17
1268	LAVRENTIVS Teupulus. Bellum Bononiense, Padani uectigalis causa.	6
1274	IACOBVS Contarenus. Istri qui defecerant recepti. Anconitanum bellum, ob uectigal Padanum. Abdicat se sponte ob senium.	6
1280	IOANNES Dandulus numum aureũ primus cudit. Tergestum frustrà obsessum.	10
1290	PETRVS Gradonicus. Bellũ secundũ Ligusticũ V annis. Pera Genuensiũ colonia exusta. Veneti ad Corcyram nigram & in Hellespõto uicti. Pax facta. Præda ingens à Græcia adducta. Ferraria occupata. Veneti anathemate perstricti. Baiamontis Teupuli cõiuratio.	22
1312	MARINVS Georgius, Sanctus cognomine. Iadera rebellat.	1
1313	IOANNES Superantius. Anathemate liberatur ciuitas Fr. Danduli opera. Creta rebellat. Patauium à Mastini Scalani iugo liberatum.	16 6
1330	FRANCISCVS Dandulus, Canis dictus. Classis contra piratas Syros. Fœdus contra Mastinum Scalanum. Patauium Scalini tyrannide iterum liberatum. Marsilio Carrario administratio urbis concessa. Tauisium captũ. Pax Mastino data.	9
1339	BARTHOLOMÆVS Gradonicus. Creta rebellat.	2 9
1342	ANDREAS Dãdulus Comesinus dictus. Classis cõtra Turcos infelix. Cõmerciũ mercatorum ab Aegyptiis impetratũ. Iadera septima defectio. Terræmotus & pestilentia ingens. Bellũ Ligusticum III. annis quinq;. Ad Caystum uicti Genuenses, in Bosporo Veneti. In Caralitano sinu prope Sardiniã amissa omni classe Genuenses se Io. Vicecomiti Mediolanensi dediderẽ, ne Venetis seruirent.	12
1354	MARINVS Faletius. Victi ad Sapientiã Veneti, imperiũ amisissẽt, si Genuẽses victoriã psequi fuissent. Tyrannidẽ affectans Marinus suspẽdio necat⁹. Marcus Cornarius Produx.	0 9
1355	IOANNES Gradonicus, Naso cognomine. Pax cum Genuensibus. Bellum cum Ludouico Vngariæ rege.	0 14
1356	IOANNES Delphinus. Pax cum Vngaro. Dalmatia cessit Venetus.	5
1361	LAVRENTIVS Celsus. Cretenses patricij, Veneti coloni, ob tributum imperatum deficientes, Duce nouo creato, pœnas luunt.	3 10
1365	MARCVS Cornarius. Cretenses populariter deficiunt ad Græcos.	2 8
1368	ANDREAS Contarenus. Tergestini deficiũt. Frãciscus Carrariensis uictus. Bellũ cũ Leopoldo duce Austriæ & Ludouico rege Pãoniæ. Propter Tenedũ occupatã à Venetis bellũ Ligusticum IV. oritur, per annos VI. conspirantibus in Venetos Ludouico Pãnonio, Carrariensi & Aquileiensibus. Petrinus Cypri rex restituitur in regnum, pulsus à Genuensibus. Victis ad Polam Venetis, Clodiam Genuenses occupant: inde Iustinopolim & Vergestum. Tauisium Veneti sponte Leopoldo Austrio dedunt. Pax ab Aimone Allobrogum duce facta, Tenedi arx euersa.	14 0 4
1382	MICHAEL Maurocenus.	
	ANTONIVS Venerius è Creta, ubi ducatu fungebatur, accersitus. Cum Galeacio Vicecomite	

A.C.		A.M.
	comite Fr. Carrariẽsem Patauio eiiciunt, Tauisium recipiunt. Mox Frãcisco Nouello Carrariensi Patauium restituunt.	18
1400	MICHAEL Stenus. Victi ad Methonem Genuenses, possessione maris perpetuò decedunt. Vicentini sese dedunt. Verona & Patauium captum. Carrarienses in carcere strangulati. Iadera redemta. Bellum contra Sigismundum Imp. in Carnis.	13
1413	THOMAS Mocenicus. Forumiulij occupatur. Ducarium ædificatur.	10
1423	FRANCISCVS Foscarus. Fœdus cum Florentinis. Bellum primum in Philippum Vicecomitem. Brixia capta. Bergomum traditum, pace facta. Bellum alterum. Veneti in Pado uicti à Philippo, uincunt Ligurem in Rapalitano sinu. Verona amissa, mox recepta. Benacus lacus subactus. Victi ad Caruaagium Veneti. Bellum cum Alfonso, mox pax contra Sfortiam per annos V. Foscarus ob decrepitam ætatem dignitate priuatur.	34
1457	PASCHALIS Maripetrus. Terræmotus. Pax.	0 6
1462	CHRISTOPHORVS Maurus. Bellum cum Turco propter occupatam Peloponnesum. Chalcis amissa.	9 6
1471	NICOLAVS Thronus. Fœdus cum Vsuncassano Persarum rege. Cyprus Veneto accessit imperio. Attalia & Smyrna captæ.	1 8
1473	NICOLAVS Marcellus. Scodra cõtra Turcos defensa.	1 3
1474	PETRVS Mocenicus. Naupactus, Lemnus defensa.	1 2
1475	ANDREAS Vendraminus. In Forum iulij irrũpunt Turcæ. Ad Sontium fl. Veneti cædũtur.	1 8
1477	IOANNES Mocenicus Petri frater. Turcæ Forumiulij inuadũt. Pax cum Turcis, Scodra & Lẽno deditis. Bellum pro Florentinis contra Pontificẽ Sociale & Alfonsum. Bellum Ferrariense, & mox omnium Italorum contra Venetos. Ducarium conflagrat. Facta pax.	7
1485	MARCVS Barbadicus. Ducarium reficitur.	0 9
1486	AVGVSTINVS Barbadicus fratri nouo exemplo succedit. Bellũ Germanicum finiũ causa.	15
1501	LEONARDVS Lauretanus.	19 8
1520	ANTONIVS Grimanus.	1 10
1522	ANDREAS Grittus.	15 7
1557	PETRVS Landus.	6 9
1544	FRANCISCVS Donatus.	
1553	M. Ant. Triuisanus. Die annua defunctus.	1
1554	FRANCISCVS Venerius.	
	LAVRENTIVS Priulus.	
	HIERON. Priulus, Laurentij frater.	

NEAPOLITANI ET SICVLI PRINCIPES.

Ex Pandulfo Collenutio, & Michaele Ritio.

COMITES.

Rollonis (qui Robertus in baptismo dictus est) primi ducis Normaniæ abnepotes Ricardus & Robertus in Italiam profecti, Salernitani ducis stipendiis militarũt, circa annũ Christi 900. Quibus defunctis, Normannorum reliquiæ TRISTANVM *quendam cognomine Cistellum sibi præfecerunt. Huic successere* RAIMVNDVS *Auersæ conditor,* CAROLVS *Capuæ princeps,* IORDANVS *Caroli F. &* RICARDVS *Caroli mox*

A.C.		Com.
	GVLIELMVS Ferribrachius dictus, Comes Altauillæ, Normannus origine, Tancredi F. cũ XII. fratribus præstantissimis omnem ferè Flaminiã, quã uulgò Romandiolã uocant, obtinebat. Hic inito fœdere cũ Salernitano & Campano principibus, itẽ cũ Malocho Græci Imp. in Apulia legato, Pœnos Sicilia eiecit. At cũ Malochus contra pacta præsidiis suis oppida omnia firmasset, Gulielmus dissimulata iniuria Melphim urbem Apuliæ cepit, & Græcis ꝓlio uictis, bona regionis parte potitus, Comitẽ se Apuliæ dixit. Ipse simul & fratres, qui cũ sunt secuti, Apuliã & Calabriã Græcis, Saracenis Siciliã XIIX annorũ spacio eripuerunt, mirabili uictoriarum cursu.	
	DROGO Gulielmi frater, uictor, à Græcis cęsus.	7
	HVNFREDVS Drogonis frater, Comes Apulię.	7
	GODOFREDVS Hunfredi frater.	
	BELEGARDVS uel Bagelardus, Godofredi F.	

DVCES.

A.C.		Duc.
	ROBERTVS Guiscardus Godofredi frater, indignè ferẽs contra morẽ sibi prælatum nepotẽ in Comitatu, quẽ paribus auspiciis fratres acquisiuissent, Belegardo ui eiecto, à Nicolao I. Põt. Calabriæ Apuliæq; dux declaratur. Res in Siciliã, Epiro, Piceno gessit maximas.	
1071	ROBERTVS I. Guiscardi F. Siciliã recepta, Comes Siciliæ appellari uoluit: cùm Boemundus frater, occupata Melphi, de impetio cum fratre certãs, Hierosolymitana expeditionẽ suscepta, Antiochiæ princeps ob uirtutem creatus esset.	25
	GVLIELMVS II. Rogerij F. dum Alexij Imp. Cõstãtinopolitani filiã in Græcia ambit, à Rogerio Comite Siciliæ, suo patruele, Ducatu exutus.	

REGES.

A.C.		Reg.
	ROGERIVS II. Rogerij Gibbosi F. fratris Guiscardi, Regem Italiæ se dixit, Innocentiũ II. Pp. cepit, Neapolim obtinuit. Ab Anacleto Antipapa titulum regis Siciliæ citra & ultra Phatũ obtinuit. Pulsus à Lothario III. amittit Italiã. Ea recepta, confirmatur ab Cælestino II. Constantinopolim oppugnat. Moritur anno ætatis 59. imperij 24. Salutis 1149.	
1152	GVLIELMVS III. Malus dictus, primogenitus Rogerij. A' põtifice Adriano II. diris deuotus, mox in gratiam receptus, Tunetum diripuit: ob tyrannidem captus à proceribus, & ROGERIVS III. eius F. Panormi in regẽ creatus. Quem dũ populus mutabilis deponere denuò studet, fortuitò intermit. Gulielmũ misericordia motũ è carcere eductum restituunt. Anno 21. imperij.	
1162	GVLIELMVS IV. Bonus dictus, Gulielmi secundogenitus, pietate, prudẽtia, auctoritate summus, obiit anno Sal. 1186. regni 26. absq; liberis. Regni proceres, metu ne Papa regnum hęredẽ destitutum inuaderet, TANCREDVM Rogerij II. nothum regem creant, cum Rogerio filio paruulo. At Cælestinus III. Henrico VI. Imp. Constantiã Tancredi sororẽ iam anum è cœnobio exemtã despondit, & regni hæredẽ nũcupauit. Imperator Apuliã acquirit. Tancredus Neapolim occupat, Constantiam capit. Præ mœrore amissi Rogerij, obiit anno nono imperij.	
	GVLIELMVS V. Tancredi F.	
	HENRICVS VI. Imp. occupata Neapoli, capto & castrato Gulielmo rege.	
	FRIDERICVS II. Imp. Henrici F. Ducta in uxorem filia Ioannis de Brenna Hierosolymorũ regis nouissimi, ius Hierosolymitani regni consecutus est. Vnde reges Siciliæ se postea reges quoq; Hierosolymorum scripsere.	
	CONRADVS Friderici F. Imperator.	
	CONRADINVS Henrici F. à Conrado patruo hæres declaratus. Cuius morte simulata Mãfredus Friderici Imp. spurius regnum occupauit, contra quem Vrbanus IV. Carolum Andegauensem è Gallia exciuit. Is Manfredo primùm, deinde Conradino cæso, regnũ occupauit.	
1269	CAROLVS Andegauensis comes Ludouici VIII. Gallorũ regis frater. Tredecim annis pòst conspiratione Siculorũ Galli cæsi, & PETRVS Aragoniæ rex susceptus.	
	CAROLVS II. Caroli F. Salerni princeps, captus à Rogerio Aragoniæ classis præfecto, ius regni Siculi Iacobo Petri regis F. resignat, sibi Neapolitanum seruans.	
1308	ROBERTVS Caroli F. ex Maria Vngara.	
1347	IOANNA Roberti ex Carolo neptis, Andreæ Vngaro sobrino suo nupsit. Eum suspendio enecari curans, Ludouico Tarentino principi Roberti regis ex Philippo F. nepoti nupsit. Pulsa à Ludouico Andreæ fratre Vngariæ rege: sed pòst restituta, & Ludouicus maritus à Clemẽte VI. rex creatus.	
	CAROLVS Dyrrachij dux, Andreæ à Ioanne necati F. mortuo Ludouico Tarentino regno potitur, reginam captam strãgulat. Ludouico Vngaro patruo abliq; liberis mortuo, ab Vngaris ad regnum euocatus, in comitiis trucidatur.	
	LADISLAVS Caroli F. simul etiam Vngariæ rex.	

A.C.		Reg.
	Ei mortuo, successit	
	IOANNA II. Ladislai soror, uidua Geldriæ ducis. Iacobo Marchiæ comiti ex Borbonioruũ familia nupsit. A' quo primùm capta, non multo pòst illum cepit, trucidatis Gallis omnib. & Tarenti obsessum in Galliam fugere, cœnobiumq; ingredi coegit. Ipsa à Martino V. coronata, & mox ab eodẽ diris deuota est, & Ludouico Andegauẽsis III. Siciliæ rex declaratus. Eo metu perculsa, Alfonsũ Aragoniũ adoptauit. Verùm illius pertæsa, Ludouicũ Andegauensem adoptauit. Alfonsus Gallorum & Philippi Mediolanẽsis armis regno eiectus. Mortua Ioanna, cùm alij Renatum Andegauensem Ludouici fratrẽ, alij Alfonsum reuocarent: Alfonsus ad Caietã nauali prælio uictus & captus à Genuensibus, Philippo Mediolanẽsi traditus, ab eoq; liber dimissus, Renatum regno eiecit.	I
1442	ALFONSVS Ferdinandi F. capta Neapoli.	
1458	FERDINANDVS Alfonsi spurius, contra quem euocatus Ioãnes Renati F. Lothatingiæ dux, & à Pio II. coronatus, post uaria bella è regno tã dẽ pulsus est. Ludouicus Sfortia Carolũ VIII. Gallorum regẽ in Italiam euocat ad Neapolim ex Andegauẽsium successione sibi debitam asserendã. In ipso belli apparatu Ferd. moritur.	
1495	ALFONSVS Ferdinandi F. facinorum conscientia seipsum regno abdicauit. Substituitur	
1497	FERDINANDVS filius, qui à Carolo VIII. duobus ferè mensibus regno eiectus est. Nec multo pòst reuerso in Galliam Carolo, à Neapolitanis receptus, sine liberis obiit.	
1499	FRIDERICVS Ferdinãdi patruus reliquias Gallorum sustulit.	

IMPERATORES FRANCI ET GERMANI.

Carolus Magnus uicto & in exilium acto Desiderio Longobardorum rege an. sal. 774. ob egregia in Romanam sedem merita à Leone III. Imperatoris Occidentis nomine cohonestatus, Augustusq; consecratus est. Romani proinde imperij maiestas, quæ per 325. an. iam inde ab Augustulo conciderat, reuiuiscere uisa.

A.C.		Imp.
800	CAROLVS Magnus, Pipini F. Francorum rex, an. M.4767.	13 1
814	LVDOVICVS pius Caroli F.	26 5
840	LOTHARIVS Pij F. à quo Lotharingia, olim Austrasia.	15 3
855	LVDOVICVS II. Lotharij F.	19 10
875	CAROLVS II. Calnus rex Francorum.	2 2
877	LVDOVICVS III. Balbus, rex Francorum.	1 6
879	CAROLVS III. Crassus, Pij nepos ex Ludouico rege Germaniæ. Abdicauit.	8 6
887	ARNVLPHVS Crassò substituitur, F. Carolomanni regis Bauariæ, nepos Ludouici regis Germaniæ.	12 1
899	LVDOVICVS IV. Arnulphi F. coronam nunquam accepit in quo Caroli stirps apud Germanos defecit.	12
911	CONRADVS I. Cõradi F. Franconię dux, coronam nunquam accepit, à Germaniæ principibus desertus.	7 6
919	HENRICVS I. Auceps, Othonis ducis Saxoniæ F. qui urbes Germaniæ muris cinxit, & exercitia bellica instituit.	17
936	OTHO I. Magnus dictus, Henrici F. Berengarium regem Italiæ domuit.	25 10
958	OTHO II. Magni F. Rubeus & Sanguinarius dictus ab æmulis, rex Germaniæ à patre appellatus: cum patre an. 15. solus an. 10.	25 6
983	OTHO III. secundi F. Mirabilia mũdi dictus.	17 2
1001	HENRICVS II. Claudus, Iunior, Sanctus, Hũgarorũ Apostolus, Bauariæ & Saxoniæ dux, primus ab Electoribus electus, quẽ primum huius nominis quidam faciunt.	23 5
1024	CONRADVS II. dux Frãcorũ, Saliq; dict.	14 11
1039	HENRICVS III. Niger, Conradi F.	17 4
1056	HENRICVS IV. Nigri F. Senior uulgò.	49.10
1077	RODOLFVS Sueuiæ dux anticæsar electus ab Henrico oppressus.	3 6
1091	CONRADVS, Hẽrici IV. F. in Italia regnauit, Aquisgrani coronatus, contra patrem. Eo mortuo	9
1101	HENRICVS V. quarti F. Iunior, contra patrẽ. Eo uiuo an. circiter 8. inde mortuo an. 18. An. IV Romæ coronatus.	26 3
1125	LOTHARIVS dux Saxoniæ.	13 1
1139	CONRADVS III. Friderici Sueui F. dux Franconiæ.	12 10
1152	FRIDERICVS I. Barbarossa uel Aenobarb⁹, Friderici Sueui F. fratris Conradi III. Submersus in Asia.	38 3
1170	HENRICVS VI. aliis V. Barbarossæ F. rex Roman. creatus cum patre an. 20. solus 8.	28
1199	PHILIPPVS Henrici VI. frater. Ab Othone Vitilspachio interfectus.	9 3
	OTHO IV. dux Saxoniæ anticæsar excommunicatus, quòd terras Ecclesiæ occupasset.	19 2
1210	FRIDERICVS II. dux Sueuiæ cõtra Othonẽ.	40
1222	HENRICVS Friderici F. puer rex Rom. creatus, cum patre regnauit an. 12. obiit in carcere an. 1235.	
1234	CONRADVS à Friderico patre rex Rom. di	

FRANCORVM REGES IN GALLIA.

Sicambri à regina Cambra, Franci à rege Franco. Eorum ortus & successio miris uetustatis inuoluta tenebris. Trithemius utrunq; deducit à Scythis ad ostia Rheni: hinc sensim in Galliam, quam tandem pulsis Romanis occuparunt: cumq; per Duces annis XXVI regnum administrassent, cœperunt inde Reges creari. Quorum hæc est successio, ex P. Aemilio, ab anno Christi 420.

A.C.		R.
420	PHARAMVNDVS dux orientalium Frãcorum, omnium Francorum cõsensu rex declaratur.	11
431	CLODIVS Pharamundi F. magnam Galliæ partem subegit: item Germaniæ.	18
449	MEROVEVS Clodij F. Aetio contra Atilam fert opem.	10
459	CHILDERICVS patri succedens, ob libidinem regno pulsus, substituto Aegidio Romano: sed postea restitutus.	26
485	CLODOVEVS primus Christianã suscepit religionem. Syagrio Suessionum præfecto pulso, Romani penitùs Gallia eiecti. Imperij fines dilatati.	30
515	CHILDEBERTVS cum fratribus regnũ diuisit. Childeberto Parisij, Theodericio natu maiori notho Austrasij siue Mediomatrices annis XXIII. Theodebertus eius F. annos XIV. pòst Theobaldus an. VII. moriens regnum relinquit Clothario. Clodomiro Aurelij annis VII. CLOTHARIO Suessiones annis L. Clodomirus à Gundemaro Burgundo cæsus. Childebertus & Clotharius Burgundiam occupant, Theodebaldum & Guntarum nepotes in diuisione præteritos Clotharius sua manu necat, exulat. CHILDEBERTVS & CLOTHARIVS simul regnant. Childebertus sine liberis moritur.	45
560	CLOTHARIVS solus.	5
565	CHEREBERTVS Clotharij F. cum fratribus Ei Parisij obuenere, CHILPERICO Suessiones, an. 22. GVNTHRANNO Aurelij, an. 33. SIGEBERTO Mediomatrices, an. 14. Cherebertus luxu obiit. Sigebertus & Chilpericus Athanagildi Visigothi FF. ducunt, ille Brunechildẽ, hic repudiata Andouera (è qua tres susceperat liberos, Theodebertum, Meroueum & Clodoueũ) Galsontam, cui necatæ Fredegundem pellicẽ superinduxit.	9
574	CHILPERICVS Sigebertum bello occupatum contra Hunnos aggreditur. Theodebertus Chilperici F. acie cæsus. Sigebertus à sicariis astu Fredegundis occiditur. Meroueum F. ob ductã Brunechildẽ necat: Clodoueus itidem nouercę insidiis perimitur, Chilpericus à Landrico Mag. equitum ad ultero necatur.	14
588	CLOTHARIVS II. Chilperici F. quadrimestris. Gunthranus patruus Rector Franciæ, tutorem instituit Landricum. Childebertũ Sigeberti F. Mediomatricum regem id ægrè ferentem pacis causa hæredem instituit. Childebertus cum uxore eodem die perit, relictis Theodeberto & Theodericio liberis, quorum tutrix mãsit Brunechildis. Fratres hi duo Clotharium patruum profligant, & inter se digladiantur. Theodebertus in acie cęsus, ueneno sublatus Theodericus, Clotharius solus rerum potitur.	44
632	DAGOBERTVS Clotharij F. Ariberto fratri Aquitaniam concedit.	14
646	CLODOVEVS II. siue LVDOVICVS I. Sigebertus Fr. natu maior Austrasia contentus. Fames maxima. Mortuo Sigeberto Childericus Ludouici F. secũdus succedit, pulso Ildeberto Grimoaldi Mag. eq. F.	17
668	CLOTHARIVS III. Ludouici F. natu maximus.	4
667	THEODERICVS Ludouici F. tertius post Clotharium regnans Ebroini Mag. eq. auctoritate, ob scelera pellitur, Ebroinus in monasterium truditur.	
668	CHILDERICVS II. ex Austrasia accersit⁹, Clotharij F. secũdus. Insidiis Bodilli cęsus.	12
680	THEODERICVS reuocatur. Leudesius Ercẽbaldi F. Mag. eq. ab Ebroino necatus. Tandem Pipinus Crassus dux Austrasianus Ansigisi F. Mag. eq.	14
694	LVDOVICVS II. siue Clodoueus III.	4
698	CHILDEBERTVS II. Ludouici Fr. natu minor. Carolus Tutis, id est, Martellus, Pipini F. dux Austrasianus.	18
716	DAGOBERTVS II. Childeberti F. Sigeberto Clodoueus dicitur. Huius Mag. eq. Theobaldus: Chilperici fratris Ramanfredus.	4
720	Mortuo Dagoberto, Theodericus & Chilperic⁹ Dagoberti filij infantes in cœnobium trudunturur. Carolus Martell⁹ CLOTHARIVM quẽdam regem facit, Chilpericum uincit. Clothario mortuo, reuocatur per Mattellum	2
722	CHILPERICVS II. Childeberti F. prius sacerdos, Daniel dictus. Carolus Martellus Saxonibus, Bauaris, Alemannis uictis Francorum princeps.	5
727	THEODERICVS Cala. Saraceni bis magna strage à Martello cæti, qui obiit, relictis Carolomanno Austrasiæ, & Pipino Breui Franciæ præfectis.	15
742	CHILDERICVS Stupidus in cœnobium detrusus.	9
751	PIPINVS Breuis Stephani Papæ beneficio, quẽ ab Aistulfo Longobardo pullum restituerat, consensu nobilium rex creatus. Filios Carolũ Magnum Suessionibus, Carolomannum Noniodunensibus reges dat.	18
769	CAROLVS Magnus. Euersis Longobardis, anno regni 33. Imp. à Leone Pp. creatur. Carolũ Pannonij, Pipinum Italiæ, Ludouicum Aquitaniæ præficit. Mortuo Carolo & Pipino, Bernardum nepotem Italiæ regem facit, Ludouicum uero F. Cæsarem.	46
815	LVDOVICVS Pius à Stephano Pp. Imp. coronatus. Reges FF. creat, Lotharium Italiæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludouicum Noricorum. A' filius capitur, sed restituitur. Carolum Caluũ natu minimum regem facit Neustriæ.	26
841	CAROLVS Calnus primus Francici sanguinis, cùm præcedentes Germanicum quid referrẽt. Bellum inter fratres atrox die Resurrectionis ad fontoniacum Icto fœdere Carolo Frãcia, Ludouico Germania, Lothario imperium cũ Italia, Prouincia & Austrasia, quæ ab eo Lotharingia dicitur. Pipinus & Carolus Pipini fratris FF. in cœnobium detrusi. Lotharius cœnobium ingressus, filios reliquit, Ludouicum Italiæ, Carolum Prouinciæ, Lotharũ Lotharingiæ. Calnus biennio ante mortem Imp. faluratus, Bossonem Iudithæ Augustæ fratrẽ regẽ creat Prouinciæ. Veneno sublatus Mãruæ.	38
879	LVDOVICVS Balbus, à Ioanne Pp. Augustus creatur. Obit uxore grauida, Peperit Carolum Simplicem. Cui relictus tutor Odo Roberti Andegauensis F.	2
881	LVDOVICVS & CAROLOMANNVS Balbi FF. nothi.	5
886	CAROLVS Crassus Augustus accersitus anno imperij sui sexto ob Normãnorum motus. Ei curator datus Arnulfus patruus.	5
891	ODO Andegauensis, tutor Caroli Simplicis, regnare iussus, ne Arnulfus regnum occuparet. Ab æmulis in Aquitaniam ablegatur. Mortiẽs regnum pupillo iubet restitui.	9
900	CAROLVS Simplex Balbi F. anno ætatis XII. inũgitur. Eius anno XIII. Rollo primus dux Normanniæ. Captus, regnum resignare cogitur Rodulfo Burgundo Ricardi F.	35
927	RODVLFVS Burgundus.	2
929	LVDOVICVS IV. Simplicis F. Transmarinus, quod patre capto, ad auunculum Anglum cũ matre profugisset. Contra Rodulfum Laudunj faciatur: Nono anno post mortem Rodulfi solus regnat.	27

A.C.		R.
956	LOTHARIVS Ludouici F. Carolo ei⁹ fratri Otho II. Imp. Lotharingiæ ducatũ dono dat. Id ægrè ferente rege, Otho Galliã miserè uastat.	31
986	LVDOVICVS V. Lotharij F. ultimus è stirpe Caroli Magni, ueneno sublatus.	1
988	HVGO Capetus primus Gallus rex diademate non est usus, consecratus tantùm & inunctus. At secundo regni anno filiũ Robertum coronauit.	9
997	ROBERTVS solus, literatus, pius.	34
1031	HENRICVS Roberti F. regnum armis contra fratrem Robertum asseruit.	30
1061	PHILIPPVS Henrici F. nouennis. Sub tutela Balduini Flandriæ Comitis. Gulielmus nothus Normãnus Angliæ, Godofredus Bollionius Hierosolymorum regnum occupant.	49
1110	LVDOVICVS Crassus, Philippi F. Initium primi belli Anglici. Philippus Iunior Crassi F. collega regni, à scrofa equo deiectus perit.	27
1138	LVDOVICVS Iunior Crassi F. Hierosolymis reuersus Leonoram Aquitanam uxorem repudiat. Illa nubit Henrico Andegauensi futuro Angliæ regi, dotem ferens Aquitaniam. Hæc causa maximi belli Angl.	42
1181	PHILIPPVS Augustus, Adeodatus, Ludouici F. Hierosolymam proficiscitur. Bellũ Anglicum. Normannia recepta an. 260. ꝗ Rolloni data fuerat. Victoria Bouinensis.	43
1224	LVDOVICVS, Diui pater, Philippi F.	3
1227	D. LVDOVICVS. Blãcha mater regẽs Galliæ an. 7. An. 22. bello Sacro à Saracenis capitur, expugnata Damiata. Carolus comes Andũ, frater regis, regnum occupat Neapolitanum. Cum tribus FFF. rex in Africã traiicit, Tunetũ obsidet an. 43. Obit pestilentia.	44
1271	PHILIPPVS, Diui F. quidam Audacem uocant, αὐτοφόνευτον. Bellum Tarraconense, ob Vesperas Siculas.	15
1286	PHILIPPVS Pulcher Philippi F. Secundũ bellum Anglicum. Bellum Flandrum pro pace Anglos. Clades Curtracensis. Sedes pontificia Auenionem transfertur an. 21. Templarij aboliti.	28
1314	LVDOVICVS Hutinus Pulchri F. solus, tumultuosus & perturbator.	2
1316	PHILIPPVS Lõg⁹, rex Nauarræ, Pulcri Fr.	5
1321	CAROLVS Pulcer Longi Fr. iustus & seuerus. Isabella soror Eduardum II. Anglorũ regem maritum filio cedere cogit. Regina posthumam parit Blancam.	7
1328	PHILIPPVS Valesius, Catholicus, Caroli comitis Valesij F. qui frater fuit Philippi Pulcri. Sacra expeditio. Bellum Anglicum funestiss. ob defectionem Roberti Atrebatis. Clades naualis ad Clusas. Pugna Cresciacensis. Delphinatus Viennensis.	22
1350	IOANNES Valesij F. magnanimus, sed infelix. Captus ab Anglo, per an. 4. Regnum factione Caroli Nauarri Carolum Delphinum oppugnãtis miserè agitatur. Obsidum liberandorũ causa in Angliam profectus rex Londini moritur.	14
1364	CAROLVS V. Sapiens, Ioannis F. primus Delphinus. Aquitanis deficientibus ab Anglis, bellum Anglicum redintegratur. Bertrandus Gesquinas Mag. eq. Papa Romam redit. Rex togatus, consilio domi, armis foris, ab Anglis pleraq; recepit.	16
1380	CAROLVS VI. Bene amatus, puer. Ludouico Andium dux patruorum maximus, Franciæ Rector. Seditiones ob fisci angustiã. Bellum Flandricũ. Ludouicus Aurelianensis regis Fr. à sicariis immissis à Io. Burgundo occisus, relicto F. Carolo. Clades ad Dagincurtum ab Anglis accepta. Regina cũ filia Catharina, relicto rege insano, Burgundo se cõmittit. Carolus Delphinus Burgundum per sicarios occidit. Philippus Io. F. Hẽrico V. Angliæ regi se iungit, Catharinam regis F. ei despondet. Anglus Franciæ Rector.	42
1423	CAROLVS VII. Sexti F. ductu Ioannę puellæ Anglos Aureliis repellit. Henricus VI. Anglus Lutetiæ rex Gallię coronatur. Rex Burgundo in suas partes pertracto, Lutetiam & Normanniam recipit. Ludouicus Delphinus pro Austriæ duce in Basilienses & Heluetios. A patre deficiẽs, ad Burgundum confugit.	38
1461	LVDOVICVS XI. Caroli F. Bellum, Bonũ publicum, ob regis auaritiam. Pugna ad montem Lethericum cõtra Carolũ Burgundũ comitẽ Caroliesium. Ludouicus Lucenburgensis Mag. eq. Cæso Burgũdo Heluetij primũ à rege stipendiũ accipiunt. Nobiles Galli iugum regis subeunt.	23
1484	CAROLVS IIX. Delphinus 13. annorum. Anna soror Regens. Id ægrè ferens Ludouicus Aurelianensis, bello moto capitur. Rex Margaritam Maximiliani F. repudiat, sponsam Maximiliani Annam Britannam rapit. Neapolim acquirit, & amittit. Obit repentè absq; liberis.	14
1498	LVDOVICVS XII. Aurelianensium & Valesiorum dux, Annam Caroli uiduam ducit, repudiata Ioanna Ludouici XI. F. Mediolanum capitur. Rursus amittitur.	17
1515	FRANCISCVS I. Valesius, Ludouici per Claudiam gener.	33
1548	HENRICVS II. Delphinus.	12
1559	FRANCISCVS II. Delphinus.	2
1561	CAROLVS IX. Aurelianensis, Francisci Fr.	
	HENRICVS III. Poloniæ rex.	

HISPANIAE REGES.

Funccius Tubalem Iapeti F. Celtiberorum regnum anno M.1800. condidisse scribit. Subnectit reges alios, Iberum, Tagum, Betum, Hispalum, Hispanum, Hesperum, Lusum, quorum nomina ciuitates ab iis conditæ seruãt. Cæterùm quia non Chronologiam scribere, sed exemplis tantùm lumen addere instituimus, ut ustis illis propter confusionem & incertitudinem omissis, ad recentiores ueniamus. De Hispaniæ imperio Carthaginenses & Romani inter se diu multumq; dimicarunt. Victores tandem Romani, eius possessionem multis annis obtinuere. Pulsi demùm à Vandalis: hi in Africam exacti à Sueuis, qui Galitiam gubernarunt (ut Nauclerus Vol. 23. testatur) per regem Emmericum, Rixillam, Rixarium, Masdrugum, Armisuindum, Theodomirum, & Mirum. Hunc occidère Vestgothi, & regnum ad se transtulere: quorum reges ex Roderico Santio parte secũda hist. Hispan. secundùm annos Christi, & Roderico Toletano lib. 2. rerũ Hisp. secundùm æram Hispanicam, & Io. Magni historia Gothorum, & Alberto Cranzio deducemus: & quoniam numeris multum inter se differunt, Rodericum tanquam domesticum scriptorem sequemur usq; ad Gundamirum: deinceps uerò Magnum.

VESTGOTHORVM.

A. C.		R.
344	ATHANARICVS. *Interregnum* an. 28. Toletanus Radagaisum interserit.	13
356	ALARICVS.	23
411	ATHAVLFVS primus Hispanias ingredit.	6
417	SIGERICVS, Athaulfi consanguineus.	1
418	VVALIA, Vandalos Hispania expulit.	3
421	TENDEREDVS, uel Theudoredus, ab Atila cæsus.	4
425	TVRISMVNDVS, Tenderedi F.	31
434	THEVDERICVS Aquitanię rex, Turisinũdi F. (Toletano Fr.) Italia occupata, Riciarium Sueuorũ regẽ in Hispania interfecit, ab Eurico fratre cæsus.	10
467	HENRICVS Theoderici Fr. Toletano & Magno EVRICVS, an. 473. Legislator.	17
485	ALARICVS II. Henrici F. à Clodouco Frãcorum rege cæsus. Magno 491.	22
508	GESSELARICVS, Gisaleicus, Henrici nothus (Toletano Alarici) tyrannus. Magno an. 511.	4
512	THEODERICVS Ostrogothus, Italia occupata, Amalarici auus maternus uel patruus, Gessalarico à Francis cæso, uxoris loco regnum administrauit, & randẽ nepoti cessit.	10.7

AMALA-

A.C.		R.
524	AMALARICVS, Alarici F. ex Amalasuenta.	5
532	TENDIVS, uel Teuda, uel Teudius, Alarici consobrinus. Toletano ab Amalasuenta regno & thoro dignatus.	17
549	THEVDISCLVS dux, Tendij consanguineus (Cranzio Rendegisilus & Tendegislaus) ob stupra cęsus, Magno an. 3.	1
550	AGILA, Agilaus, & Agelilantus. Magno an.	5
555	ATHENAGILDVS tyrannus, Agila cæso. Gothi & Alani in unam gentem coaluere, dicti Catalani.	14
569	LEMBA uel Luiba (Crãzio Lemnia) Magno an. 565. Fratrem regni consortem facit.	3
572	LEONEGILDVS uel Leouigildus, Luibæ pater, Arianus, Andeca rege ucto regnum Sueuorum post 177. an. quàm in Hispania ceperat, sustulit.	18
590	RECAREDVS I. Leonegildi F. Catholicus.	15
606	LVIBA II. Recaredi F.	2 5
607	VITERICVS, uel Victerícus (Cranzio Bectegicus) Luiba cæso.	7
614	GVNDAMIRVS, Gundemarus, Gũnarus.	20
630	SISEBVTVS (Cranzio Sisebodus) rex pius, Hispanos à Romanis in solidum liberauit.	10
640	Ricardus, uel RECAREDVS II. Sisebuti F. puer, uix sex mensibus imperauit.	
641	CINTILA I. uel Suintilla, uel Santilla (Cranzio Sintila, Recaredi I. F.) dux Sisebuti, primus Hispaniæ monarcha, RECHIMIRVM F. regni collegam fecit.	3
644	SISENANDVS, uel Sisecundus, Cintilæ F. secundogenitus, fratricida.	7
651	CINTILA II. (Cranzio Chutilan) Suintilæ primogenitus.	4
655	TVLGAS Cintilæ F. (Cranzio Tolgan) princeps optimus.	2
657	CINDASVINDVS (Cranzio Chintasind⁹) Tulga in monachum attonso, regnum occupatum præclarè administrat.	10
667	RECINSVINDVS Cindasuindi F. (Crãzio Flauius Refcindendus.)	18
680	BAMBA, Paulum tyrannum uicit. Fit monachus.	8
689	EVRIGIVS, uel Eruingius, uel Eryngius, Recinsuindi nepos uel consanguineus, per uim regnum occupat, THEOFREDO Bambæ F. pulso.	7
696	EGITA, uel Egica, Bambæ consobrinus, Eurigij gener, tyrannus.	7
703	VITISA Eurigij (Santio Egicæ F.) Theobertum excæcat, à Roderico & Acosta Theofredi filius necatur.	9
712	ACOSTA uel Costa, Theofredi F.	5
717	RODERICVS Acostæ Fr. (Santio Theofredi Fr.) Qui cum Iuliani Comitis filiam stuprasset, à Muza & Tarif ducibus Miramomelini regis Africani à Iuliano euocati cæsus est, & regnum Vestgothorum deletum in Hispania. Reliquiæ Christianorũ apud Astures regem sibi fecere Pelagium.	

Saraceni biennio totum occuparunt Hispaniam, præter Astures & Cantabros (qui contra Saracenos inuicti perstiterẽ) & regem cõstituere BELLAZIM *Mauræ F. Post illum XV. reges intra XX. an. fuere, à suis interfecti. Tandem* ACABET *Lageti F. interfectis proceribus regnum stabilitat. Deductum inde regnum in plura, in Cordubense, Hispalense, Carthaginense.*

ASTVRVM ET LEGIONIS ET CASTELLÆ REGES.

Prima ciuitas Legionensis Mauris erepta, inde Legionis reges dicti. Post cùm Santius Maior, rex Nauarræ, filiam Santii comitis Castellæ duxisset, dotem auctus, rex Castellæ dici cepit. Ioannes Magnus Pelagij iustum pontificatum an. 720. Rodericus Santius an. 712. Rod. Toletanus secundùm æram Hispanicam an. 752. Nos Santium sequemur.

A.C.		R.
712	PELAGIVS Theofredi F. Recensuindi regis nepos, uel frater Roderici, Christianorum reliquias apud Astures collegit.	20
730	FAFILLA Pelagij F. ab urso interfectus.	2
731	ALFONSVS uel Aldefonsus Catholicus, gener Pelagij.	19
752	FROILA Alfonsi F.	13
766	AVRELIVS interemto fratre regnum inuadit an. 6. VEREMVNDVM fratris F. regẽdi parricidij gratia successorem fecit.	6
770	SILO, pulso Veremundo, solus regnat, cùm sororem Aurelij Egimondam uxorem haberet.	8
	MAVREGATVS Alfonsi spurius, ope Saracenorum regnum occupauit.	5
783	VEREMVNDVS Bilmarai F. Alfonsi Catholici nepos. Monachus factus.	2
805	ALFONSVS II. Castus, Froilæ regis F.	41
823	RAMIRVS I. uel Ranimirus, Veremundi regis F. Garsiam fratrem collegam facit.	8 9
827	ORDONIVS I. Ramiri F.	10
833	ALFONSVS III. Magn⁹, Ordonij F. Fratres excæcat. A filio coactus abdicauit.	40
883	GARSIAS Alfonsi primogenitus.	3
887	ORDONIVS II. Garsiæ Fr. Castellani à Legionensibus defecere, Comites loco Iudicum elegere.	8 6
894	FROILA II. Ordonij Fr.	1 2
895	ALFONSVS IV. Froilæ F. Monachus fact⁹.	5 7
901	RAMIRVS II. Alfontum fratrem regnũ repetentem excæcat.	19 2
920	ORDONIVS III. Ramiri F.	5
	ORDONIVS IV. Malus, Alfonsi IV. F. à Santio pulsus.	
926	SANTIVS I. Ordonij III. Fr. Crassus.	13
937	RAMIRVS III. Santij F. quinquennis.	25
962	VEREMVNDVS II. Ordonij III. F. Podagricus dictus, ab rege Almansore exagitatus.	7
979	ALFONSVS V. Veremundi F. quinquẽnis.	27
1006	VEREMVNDVS III. Alfonsi F. à Fernando Santij Maioris Castellæ & Nauarræ regis F. cæsus.	10
	Santius Maior rex Nauarræ, Eluira Comitis Castellæ F. in uxorem ductâ, primus rex Castellæ hîc inseritur. Abauitis uerò	
1017	FERDINANDVS eius F. cùm Santiam sororem Veremundi in uxorem haberet, regna Legionis & Castellæ coniunxit: cæso item Garsia fratre regnũ Nauarræ obtinuit.	40
1037	SANCIVS II. Fernãdi F. Castellę & Nauarræ rex, Aldefonsum fratrem Legione, Garsiam fratrem Gallicia pellit. Per insidias cęsus.	6
1068	ALDEFONSVS VI. eius Fr. exul regnum repetit, Toletum occupat. Imperator Hispaniæ dictus.	43
1108	ALFONSVS VII. Imp. Alfonsi nepos ex filia, qui rursus diuisit regna, Santio Castellam, Fernando Legionem dans.	51
1159	SANTIVS III. Debiteratus, Alfonsi primogenitus.	1
1159	FERNANDVS II. Santij Fr.	31
1160	ALFONSVS IIX. Bonus, uel Nobilis dict⁹, Santij I. etiamnum infans à Ferdinando Legionenie patruo regno propemodum exutus, illud feliciter recuperauit. Saracenos ingenti strage affecit.	53
1200	ALFONSVS IX. Fernandi regis Legionis F. gener Alfonsi IIX. Castellæ & Legionis regnum coniunxit iterum, HENRICO I. Alfonsi IIX. F. inter ludendum ictu tegulæ mortuo.	28
1216	FERNANDVS III. Alfonsi IX. F. Saracenis Cordubam eripuit.	35
1252	ALFONSVS X. Fernandi F. astronomus & Imp. Regi Portugalliæ Dionysio, nepotisuo ex filia spuria, tributi immunitatẽ concessit.	32
1284	SANTIVS IV. Alfonsi F.	11
1295	FERNANDVS IV. Santij F. nouennis.	15
1310	ALFONSVS XI. Fernandi IV. F. CC Saracenorum M. orcidit. Peste obiit.	40
1350	PETRVS I. Alfonsi F. crudelissimus.	19
1369	HENRICVS II. Fr. rex dictus, per biennium uaria fortuna. Post suapte manu Petrum confodit.	12

IOANNES

A.C.		R.
1379	IOANNES I. Henrici F. equi casu periit.	
1390	HENRICVS III. Ioannis F. duodecennis, optimus.	16
1407	IOANNES II. Henrici F. duorum annorum.	47
1454	HENRICVS IV. Ioannis F.	22
1475	FERDINANDVS V. Magnus, regnum Hispaniæ cum Alfonso Portugalliæ diuisit.	41
1516	CAROLVS V. Imp.	
	PHILIPPVS Caroli F.	

NAVARRAE & ARAGONVM *reges matrietate magna à Roderico Toletano, & Roderico Santio & Tarapha enarrantur. Concilier, cuius otium est.* 15

PORTVGALLIAE *ex lib. 7. rerum Hispan. Roderici Toletani, & Roderici Santii historia Hispanica.*

A.C.		R.
	HENRICVS Comes Lotharingus, Tarasia Alfonsi IIX. Asturũ & Castellę regis F. in uxorẽ ducta, Saracenos ex Portugallia eiecit.	
	ALDEFONSVS Henrici F. Ducis titulum usurpauit, pòst etiam Regis ab Eugenio II.	
	SANCIVS Aldefonsi F.	
	ALDEFONSVS II. Sancij F.	
	SANCIVS II. Capello, Aldefonsi F.	
	ALFONSVS III. Alfonsi X. Hispaniæ regis spuriam uxorem duxit.	
	DIONYSIVS Alfonsi F. ab Alfonso auo regni immunitatem obtinuit.	
	ALFONSVS IV.	
	PETRVS.	
	FERNANDVS.	
	IOANNES miles.	
	EDVARDVS Ioannis F.	
	ALFONSVS.	

PANNONIAE REGES VARII.

LONGOBARDORVM.

Longobardi, ex Scandia insula egressi, fame urgente maxima, Vandalos sedibus eiecerũt, inde Pannoniam occupauere, uiclus Herulis. Tandẽ in Italia pedem fixerunt. Cranz. lib. 3. Daniæ. Egressi sunt ex Scandia circa an. Christi 382. ducib. HACONE & HIBBONE. Eato functis duobus rex creatur

A.C.		R.
393	AGELMVNDVS Aionis ducis F. Rugiam occupauit. A' Bulgaris interfectus.	33
424	LAMISSVS	3
429	LABE uel Lethu.	40
469	HELDEHOC, Lethi F.	4
473	GODOHOC, ad ulteriorem Danubij ripam sedes collocauit, & Rom. prouincias inuasit.	12
485	DAPHAON, Diacono Classo uel Classo dictus.	6
490	THANTVS, Diacono Thadus (Cranzio Tanto) Classi F. Herulorũ regem Rodulfum, profligauit.	10
500	VVACHO (Cranzio Vvalcarius) patruum Thantum interemit. Gepidas & Sueuos bello uicit.	18
518	VVALTHARICVS Vuachonis F.	7
525	ANDOINVS (Cranzio Adonius) in Pannoniam eos introduxit.	18
543	ALBOINVS Andoini F. Cunimundum Gepidarum regem occidit. Anno regni 26. à Narsete euocatus.	

HVNNORVM. HVNGARIAE PRINCIPES.

Hunnorum decies centena & octoginta millia ex Asiatica Scythia in Europam transierunt, & Martino præfecto Pannonum cum Theoderico Veronense profligato, Pannoniam occuparunt. Ex Abrahami Bakschay Pannonii Chronologia.

A.C.		R.
401	ATILA primus Hunnorum rex, anno M.4363. Regni sedem in urbe Sicambria posuit, quæ Buda uetus est, à Buda fratre Atilæ dicta. Hic toto ferè terrarum orbe uictoriis subacto tandẽ pertæsus laborum, uirginẽ Hildico uel Mykolth Bactrianorum regis filiam in uxorem ducens, nocte apoplexia extinctus est. Aetatis CXXIV.	44
446	Atilæ duo filij ALADARIVS & CHABA succedunt. Illis de imperij successione dissidentibus, Aladarius ab Ardarico Gepidarum rege bello petitus occiditur, Chaba in Scythiam redit.	

Hunni, qui in Pannonia manserant, per legatos è Scythia suos euocant gentiles. Itaq; Hunnorum ingens multitudo secundariò ingressa est Pannoniam, anno Christi 744. sub septem ducib. quorum primus fuit Arphad filius Albni, qui est prognatus ex Belendo filio Vgek: Vgek ex Edo, Edus ex Chaba filio Atilæ. Deinde Zabolch, Gyula, Keuund, Lebel, Berbulchu, & Vurs. Hi se Hunnis Pannonicis adiunxerunt, & consederũt in Transsyluania, positis ibi septem castris: unde etiam prouincia Sibenburgen, id est, Septem castrorum nomen habet. Arphadi posteri Pannoniũ usq; ad tempora D. Stephani regis possederũt & gubernarũt. Ex Arphad enim dux Zultan processit: ex quo Toxõ, pater Gayzæ & Michaelis. Gayza genuit D. Stephanum regem: Michael uerò Ladislaum Caluũ, & Vuasul. Ladislaus Calusus genuit Andream, Belam & Leuẽte. Gayza primus inter Hungaros fidẽ Christi amplexus est, suscq; baptismum à S. Adalberto episcopo. Moritur an. Christi 997.

REGES CHRISTIANI.

A.C.		R.
997	S. STEPHANVS I. filius Geyzæ, dux an. trib. postea rex factus. D. Emericus F. maturè obiit.	37
1038	PETRVS Alemannus, filius Gulielmi, fratris Sigismundi Burgundiorum ducis, ex sorore S. Stephani nepos, propter crudelitatem regno pulsus.	3
1041	ABA Hungarus, sororius S. Stephani, ob crudelitatem prope amnem Tibiscum occisus.	3
1044	PETRVS Alemannus in regnum ab Henrico Imp. reductus occiditur. Hungari à fide deficiunt.	3
1047	ANDREAS I. primogenitus Ladislai Calui, Salomone E. puero collega adscito, bello contra Belam occiditur.	12
1059	BELA I. uicto fratre Andrea, idololatras fustulit. Geyzam, Ladislaum & Lampertum filios reliquit.	3
1062	SALOMON, Andreæ F. ab Henrico Imp. socero restitutus. A' Geyza & Ladislao patrueli bus regno exutus monachus obiit Polæ.	11
1075	GEYZA I. primogenitus Belæ I.	3
1078	S. LADISLAVS I. Fr. Geyzæ. Dalmatiam & Croatiam subigit. Fames.	19
1096	COLOMANNVS, filius Geyzæ. Almum fratrem cum F. Belo excæcat.	19
1114	STEPHANVS II. Colomanni F. Fulmen dictus, monachum se fecit.	18
1132	BELA II. Cæcus, Almi ducis F. Borichum Colomanni nothum profligauit.	10
1142	GEYZA II. Belæ II. F. Germanos profligauit.	20
1162	STEPHANVS III. Geyzæ II. F. Venetos & Græcos uicit. Imperium sibi usurpaũt LADISLAVS II. filius Belę cæci, uiuo Stephano p sex mẽses. Eo mortuo, STEPHANVS IV. Ladislai Fr. M.5. à Stephano uictus.	12
1173	BELA III. Geyzæ II. F. Latrones domuit.	23
1191	EMERICVS Belæ III. F.	9
1204	LADISLAVS III. Emerici F. per sex mẽses.	
1202	ANDREAS II. Belæ III. F. Hierosolymitanũ, ob Sultanum uictum. Ex Gertrude Germana Belam, Colomannum, Andreã, & D. Elizabetham suscepit. Ex secunda uxore Stephanum. Priuilegia nobilibus concessit.	31
1235	BELA IV. Andreæ II. F. Tartari Hungariam diripiunt triennio. Rex à Rhodiis equitibus restituitur.	39
1274	STEPHANVS V. Belæ IV. F. Boemos domuit, Bulgaros fecit stipendiarios. Liberos habuit Ladislaum, & Mariam Carolo Claudo Siciliæ regi nuptam, matrem Caroli Martelli, qui Carolum F. genuit.	3
1278	LADISLAVS IV. Stephani V. F. Kunnlazlo nominatus. Tartari biennio Hungariam diripuere. A' Cumanis interfectus.	13
1291	ANDREAS III. Andreę II. ex Stephano F. N. cognominatus Venetus. Austriam subegit.	11
1302	VENCESLAVS, Hũgaris Ladislaus, filius regis Boemiæ ab Hungaris adscitus, cùm alij Carolo Martelli F. alij Othoni Bauaro fauerent. Quietis causa in Boemiam recessit.	3
1304	OTHO dux Bauariæ, à Ladislao Vayuoda Transsyluaniæ captus.	2

CARO-

A.C.		R.
1307	CAROLVS I. Caroli Martelli F. potentiss. Ludouicum, Andream & Stephanum liberos habuit.	19
1342	LVDOVICVS I. Caroli I. F. à Polonis etiam rex creatus. Moldauos & Ruthenos domuit, Cumanos conuertit, Iudęos regno expulit. Eius F. Heduigis Poloniæ regnum adiit.	40
1383	MARIA, filia Ludouici I. cũ matre Elizabetha regnat annos IV. Contra eam euocatur Carolus II. Partuus, rex Neapolitanus, Ludouici I. ex fratre Andrea nepos, in arce Budẽsi occisus. Nupsit Maria Sigismundo Caroli IV. Imp. F.	
1387	SIGISMVNDVS Imp. & rex Boemiæ, Mariæ sponsus.	15
1438	ALBERTVS Imp. archidux Austriæ, per Elizabetham Sigismundi F.	2
1440	VLADISLAVS Lituaniæ dux, regis Poloni Fr. ab Hungariæ proceribus reginæ uentrem expectare nolentibus euocatus. Interea regina filium edit Ladislaum, corona legitima inaugurat in cunis, coronam cum F. ad Fridericum III. patruũ pueri deferit. Vladislaus diademate de D. Stephani capite desumto coronatur. Ad Varnam ab Amurathe cæsus.	4
1445	IOANNES Corninus Huniades, Vayuoda Transsyluaniæ, gubernator regni creatur. Cùm Fridericus Ladislaum cum corona restituere nollet, Auſtriũ populatur. Georgiũ Seruiæ Despotẽ uincit.	7
1452	LADISLAVS V. Alberti posthumus, anno ætatis XII. restituitur Hungaris. Io. Coruinus ab Alba Græca repellit Mahometum. Ladislaus, patre mortuo, ob cæsum Vlricum Ciliæ comitem gladio obtruncatur: Mathias frater Pragam captiuus abducitur. In nuptiarũ apparatu Pragæ Ladislaus rex moritur.	7
1459	MATHIAS Coruinus, Ioannis F. à Georgio Podebradio Boemo è carcere dimissus, ab Hungaris rex creatus, Orientis & Occidentis terror.	32
1491	VLADISLAVS II. rex Boemorum, Casimiri Poloniæ regis F. ab Hungaris electus.	26
1517	LVDOVICVS II. filius Vladislai in cunis rex declaratus, Mariã Maximiliani Imp. neptẽ uxorẽ ducit. Anna Ludouici soror Ferdinando Austrio desponderur. A' Solymanno uictus in fuga periit.	10
1526	IOANNES de Zapolia, Vayuoda Transsyluaniæ, & Comes Septiensis rex salutatur. Vicissim	
1527	FERDINANDVS Austrius hæreditario iure regnum occupat. Solymannus Ioannem Budæ regem constituit. Mortuo Ioanne, anno MDLX. IOANNES Ioannis F. ex Isabella Sigismundi Poloni filia Solymanno commendatur.	
1562	MAXIMILIANVS II. Ferdinandi F.	
	RODOLFVS II. Maximiliani F.	

POLONORVM REGES.

Lechus & Cichus uel Czechus fratres, Sarmatæ, siue Slaui, à Cimmerio Bosporo egressi, uacuas à Vandalis relictas sedes occuparunt, circa an. 550. & Cichus quidẽ Boemis, Lechus Polonis dux fuit primus. Lechi progenies ad 700 usq; Christi annum regnauit. Interregno ad XI. Voiewodas siue Palatinos administratio regni translata. Quorum tyrannidẽ exosi subditi, Principem creauerunt Cracum, Cuconiæ conditorem. Ex Martino Cromero de gestis Polonorum, & Alex. Guagnino.

A.C.		R.
700	CRACVS Cechi Boemi N. Pòst LECHVS Craci F. Cæso fratre Craco II. pulsus.	
730	VENDA Craci filia.	
	Interregnum. XII Palatini iterum.	
760	LESCVS I. antea Præmislus aurifaber.	
780	*Interregnum tertium.* LESCVS II. humili loco ortus.	
804	LESCVS III. Lesci F. filius Poloniam diuitir.	
815	POPIELVS Lesci III. F. Ottenio Germanis dictꝰ.	
823	POPIELVS iunior à murib. deuoratꝰ. Guagninus an. 830.	
843	*Interregnum quartum.* PIASTVS rusticus.	
	ZIEMOVITVS Piasti F.	
902	LESCVS IV. Ziemouiti F.	
921	ZIEMOMYSLVS Lesci IV. F.	
962	MIECISLAVS I. uel Miesko Ziemomysli F. Christianam religionem suscepit. triẽnio pòst frustrà à Benedicto VII. regium diadema petiit.	37
999	BOLESLAVS Miecislai F. Chrobri, hoc est, Acris, Boemos, Morauos, Russos domuit. Ab Othone III. Imp. rex creatus.	
1025	MIECISLAVS II. Boleslai F. ignauus. Rixa uxor regina pellitur cum filio Casimiro I. Sexennio monachus miserè agitatur Polonis.	9
1040	*Interregnum quintum.* Reuocatur CASIMIRVS I. F. Cluniacensis monachus.	18
1059	BOLESLAVS II. Casimiri F. Audax. Ob D. Stanislaum interfectum, in exilio periit.	20
1081	VLADISLAVS I. aliàs Hermannus, Boleslai Fr. regem se appellari non est passus.	21
1103	BOLESLAVS III. Vladislai F. ob oris carbunculum Criuoustus dictus, princeps bellicosiss.	36
1140	VLADISLAVS I. Boleslai F.	6
1146	BOLESLAVS IV. Crispus, Vladislao fratre eiecto ob tyrannidem, Conrado Imp. reconciliatus.	28
1174	MIECISLAVS III.	4
1178	CASIMIRVS II. Iustus, fratri tyrano substitutus.	17
1195	LESCVS V. Albus, Casimiri I. pulsus, tandẽ à Suatopelco Pomeraniæ præfecto cæsus.	
	MIECISLAVS senex iterum, pulso Lesco.	
	LESCVS iterum, pulso patruo.	
	MIECISLAVS iterum, pulso Lesco.	
1202	VLADISLAVS II. Lakonogus, à gracilitate cruruum dictus, Miecislai F.	
1206	LESCVS Albus iterum, cedente Vladislao.	
1228	BOLESLAVS V. Pudicus dictus, Lesci F. De cuius tutela Conradus dux Masouiæ, & Henricus Barbatus ciuilia bella gessere. Tartaris Poloniã miserè uastantibus, cum suis in Hungariã fugit. Deserta Rep. princeps creat BOLESLAVS Calus, Henrici Pij Silesiæ ducis, à Tartaris cæsi F. Conradus dux Masouiæ principatum inuadit. Reuocatur Boleslaus.	1
1280	LESCVS VI. Niger, Boleslai Pudici ex patruele N.	10
1290	*Interregnum sextum.* De Cracouiensi dominatu contendentibus, Boleslao Masouiæ duce, HENRICO Probo duce Vratislauiæ, Vladislao Loctico, Præmislo, Venceslao Boemo, tandem uocatus ad regnum	
1295	PRÆMISLVS II. maioris Poloniæ dux, regiũ nomen CCXV annis intermissum repetiit. A' Brandeburgensibus cæsus. M.7.	
1296	VLADISLAVS III. Loctico, id est, cubitalis, à breui statura, dux Siradiensis (Cranzius lib. 8. Vandaliæ Lakoldum uocat) non Regem, sed Hæredẽ Poloniæ se dixit. Ob ignauiã deiecto sufficit	
1300	VENCESLAVS Boemorum rex. Eo mortuo,	
1305	VLADISLAVS Locticus iterum. Regni titulũ usurpauit, coronatꝰ Cracouiæ anno MCCCXX. Et ex eo tempore ius coronandi reges Gnesna Cracouiam translatum.	
1333	CASIMIRVS III. Magnus, Vladislai F. stirpis Miecislai ultimus.	38
1371	*Interregnum septimum.* LVDOVICVS Hungarię rex, à Casimiro auunculo adoptatus, q Sigismundũ Marchionẽ Brãdeburgẽsem, generu ex Maria F. successorem declarauit. Eo à Polonis spreto, fuit	
1383	*Interregnum octauum.* Multis regnum ambientib. tandem HEDVIGIS Ludouici filia natu minor regina salutat: eiq; repudiato Gulielmo Austrio, desponderur.	
1386	IAGELLO Lituanus, qui cum baptismate VLADISLAI IV. nomen accepit, Cranzio Boleslai, cùm prius Iagail diceretur.	
1434	VLADISLAVS V. Iagellonis F. etiamnum puer. Accitur postea quoq; ad regnum Hungariæ. Cæsus ad Varnam à Turcis anno ætatis XX.	
1445	*Interregnum nonũ.* BOLESLAO Massouię duce rege creato, & rursus deiecto, eligitur	
1447	CASIMIRVS IV. Vladislai Fr. dux Lituaniæ. Cruciferos Prussos sibi subiecit.	46
1493	IOANNES Albertus Casimiri F.	9
1502	ALEXANDER Alberti Fr. Lituaniæ dux.	5
1506	SIGISMVNDVS I. Augustus Alexandri Fr.	42
1548	SIGISMVNDVS II. Sigismundi F.	
	HENRICVS Galliæ rex.	
	STEPHANVS Bator.	

BOE-

BOEMORVM PRINCIPES.

Ex Aenea Syluio, Martino Cromero, & Funccij Chronologia, potissimùm uerò ex Ioannis Dubrauij historia Boemica.

A.C. — DVCES. — R.

ZECHVS Slauus genere ex Illyria (quæ hodie Croatia) patratò homicidio, domò profugus, eam Germaniæ partem occupauit, quam Boemiam postea appellarũt. Frater eius Leches planiciem Orientalem, Poloniã dictã, à Pole, hoc est, planicie. Eo mortuo, & multis imperiũ ambientibus, tandẽ
CRACVS uel Croccus, magus, Polonorum princeps, ob iustitiam etiam à Boemis eligitur, Cracouiæ conditor. Quam Mescho Polonus diu pòst Boemis eripuit.
LYBVSSA Czaci filia, fatidica. Nupsit PREMISLAO rustico. Sub quo Valasca uirago cum uiginibus Boemos grauiter afflixit septennio integro.
NIMISLAVS uel Nezamislus, Premislai ex Libussa F. ignauus, sed pacificus.
MNATHA Nimislai F. uenator.
VORCIVS uel Voren uel Vogenus, Mnathę F. Moranos & Misnios domuit.
VINSLAVS uel Vnesslaus, Vorcij F. Cromer⁹ habet Grezomislum, cui Boemiæ ducatus obtigit: Vratislao fratri Lucensis principatus, qui pòst Zacensis dictus est. Cõtra Carolum Magnum res gessere.
GREZOMISLAVS uel Creuomyslius, Vinslai F. degener, quẽ Vratislaus patruus bello persecutus est. Interfecto patruele Vratislao principatum redintegrauit.
NECLAN Creuomyslij F. imbellis.
HOSTIVITIVS, Neclan F. Iam Myslibogio Gurimensem regionem concessit.
BORIVORIVS I. uel Borsuoius, Hostiuitij F. Christum amplexus, sponte ad Moranos in exilium abit.
STOYMIRVS ab Hostiuitio in exilium pulsus, e Bauaria reuocatus, ob linguæ patriæ oblitionem pellitur.
BORIVORIVS post X. menses reuocatur. Sponte abdicat.
SPITIGNEVS I. Boriuoij F.
VRATISLAVS I. Spitignei Fr.
S. VENCESLAVS, Vratislai F. ab Othone I. regio titulo ornatus, eo nunqua uti uoluit: à fratre Boleslao occisus.
BOLESLAVS I. Sæuus. Huius filia Dãbrouua, Miecislao nupta, Polonos conuertit.
BOLESLAVS II. Pius, Sæui F. Cracouiam occupat.
BOLESLAVS III. F. secundi, à Polonis ex cæcatus. Boemia Polonis tributaria facta.
IAROMIRVS Boleslai F. à Cochano proditore telis confixus superuixit. Poloni Praga ab Vdalrico fratre eiciuntur.
VDALRICVS frater Iaromirii excæcat. Sed mox in regni societatem recipit.
1050 BRETISLAVS I. uel Bisetislaus, uel Predislaus, Vdalrici F. bellicosissi. Polonos tributum pendere coegit.
1082 SPITIGNEVS II. Bretislai F. ex Iupo agno.

A.C. — REGES, PRINCIPES, ET INTERREGES. — R.

1086 VRATISLAVS II. Spitignei Fr. ab Henrico V. primus regio titulo exornatus.
CONRADVS Vratislai F. M.y. Hic uariant scriptores. Nos Dubrauium sequemur.
BRETISLAVS II. Vratislai F. Hungarorũ ope mortuo patruo regnũ occupat. A' Lothario Imp. inuestitus.
BORIVORIVS II. Bretislai Fr. Vdalricum Conradi regis F. Germanis suffultũ reprimit. A' Suatopluco patruele regno pellit.
SVATOPLVCVS uel Suentopelcus, Orhonis marchionis Osiomo-censis fratris Vratislai II. F. A' ficario lagitra transfixus.
OTHO Suatopluci Fr. ab Henrico V. princeps datus, sed à Boemis repudiatus, & VLADISLAVS Boriuoij Fr. electus. Interea ci-

A.C. — R.

BORIVORIVS exul Pragam proditione recepisset, bellumq; ciuile exortũ esset, Cæsaris auctoritate Vladislaus confirmatus est, Boriuorius in uincula cõiectus, Sobieslaus Fr. repressus, & in exiliũ pulsus. Tandẽ Boriuoriũ sponte in regni societatẽ admisit. Sed is post biennũ rursus in exiliũ abiit.
SOBIESLAVS I. ab Vladislao fratre moriente princeps dictus, Othone fratre sublato, bello paceq; clarissimus.
VLADISLAVS II. Sobieslai ex Vladislao fratre N. Cõradum patruelem repimit. A' Friderico I. Imp. Rex dictus secũdus. Fridericus filius in regni societatẽ acceptus, declinandæ inuidiæ causa in Hungariam exulatum abit.
SOBIESLA⁹ II. primi F. à Friderico eiect⁹.
FRIDERICVS Vladislai I. Friderici Imp. ope regnum recipit. Conrado Znoymæ principi æmulo reconciliatur.
CONRADVS II. Vladislai Fr. succedit. Neapoli peste obiit.
VENCESLAVS II. Henrici Fr. Pragã occupat. Tertio mense in Germaniam fugit.
PREMISLAVS II. Vladislai F. pulso Venceslao cognato, post mensem unum Cæsare metuens in Moranam fugit.
HENRICVS episcopus Pragẽsis cõsensu ordinũ principatũ inuit⁹ suscipit. Eo mortuo
VLADISLAVS III. e carcere ad principatũ euehitur. Sed eo post quinq; menses sponte cedente, exul suscipitur iterum
1199 PREMISLAVS II. Fr. à Philippo Cæsare rex creatus tertius. & OTHOGARVS dictus. Eius successores oẽs Regium titulũ habuere. Ab eo sequentes etiam Othogari dicti.
VENCESLAVS III. Premislai I. Othogar⁹ primũ, inde Monoculus dictus, Rex quartus. Tartarorum irruptio.
1248 OTHOGARVS Venceslai F. uel Fr. Premislaus alioqui III. Rex quintus. A Rodolfo I. Imperatore cæsus.
1278 S. VENCESLAVS IV. Othogari I. octennis. Rex sextus. Eiusdem datus Otho Marchio Brandenburgensis, Imperium oblatum respuit. Rex Poloniæ fit. Regnum Hungariæ sponte repudiauit.
1305 VENCESLAVS V. filius degener. Iunior dictus. Rex septimus. A ficario cæsus.
1307 HENRICVS Carinthius, Annæ sororis Venceslai maritus, Interrex. Eum pellit
RODOLFVS Mitis, Alberti I. Cæsaris F. Ex dysenteria moritur. Itaq; regnum recipit Henricus.
1312 IOANNES Luceburgensis, Henrici VII. Cæsaris F. ducta Elizabetha Annæ sorore, Hericum eiicit. Ad Crestiacum cæsus. Rex octauus. A quo deinceps constans Regum appellatio.
1346 CAROLVS IV. Imp. Ioãnis F. opt. & felicissi.
1361 VENCESLAVS VI. Imp. Ioãnis F. ignauis. Apoplexia perit. Sub eo Hussus.
SIGISMVNDVS Imp. & Hungariæ rex, Venceslai Fr.
1438 ALBERTVS Austrius Sigisinũdi gener, Imp. Boemiæ & Hungariæ rex. Eo ex lienteria mortuo, quum Fridericus III. Imp. Ladislai pueri, Alberti filij, tutelam suscepisset, neque Boemiam tutoris nomine administrare uelles, quòd id sine magna pecuniarum profusione facere non posset, sed Baronos Boemos ipsos per se regnum administrare sineret, donec pueri adoleuisset: electi Gubernatores, inter quos primi fuere Mainardus Nonę domus princeps, & Petrico, hic Hussitarum, ille Catholicorum dux. Mortuo Praefecto, Georgius Poggiebracę⁹ Mainardi capta Praga in carcere cõiicit, ipse regnũ Ladislao rege administrat.

LADIS-

A.C. — R.

LADISLAVS Alberti posthumus XII. annorum coronatur. Anno sexto pòst fatis concessit, Pragæ pestilentia extinctus in ipso nuptiarum apparatu, & Poggiebracio regnum commisit. Rex salutatur
1462 GEORGIVS à Cunstat, Podiebradij arcis dominus, è gubernatore regni rex ab Hussitis dictus. Iersicus uulgò dictus, Cranzio.
1470 VLADISLAVS Casimiri Polonorum regis F. à Boemis electus. Mortuo Matthia Coruino

A.C. — R.

æmulo, Beatrice uidua eius ducta, Hungarorum quoq; rex creatus: Albertum fratrẽ, Ioannem Mathiæ nothum, Maximilianum Cæsarem æmulum superauit.
1516 LVDOVICVS Vladislai F. undecim annorum. Ad Mohazium à Turcis uictus. 45
1527 FERDINANDVS Austrius, Vladislai ex Anna gener. 9
MAXIMILIANVS II. Ferdinandi F. Cæsar.
RODOLFVS Maximiliani F.

BRITANNORVM REGES.

Britannia (Albion olim dicta, propter albas ripes, quæ circa litus sunt, sic ut ex Gallico litore, claris præsertim diebus, facilè cernatur) post Diluuium proculdubio habitata, tandem à BRITONE *filio Syluij, Ascanij nepote, occupata & denominata. A quo usq; ad Cassiuellaunum à Iulio Cæsare uictum anni numerantur ab Eusebio* MXL. *Ex Polydori Vergilij hist. Anglicana. H. Boethius in Scotia, à Coilo rege incipit, à Pictis & Scotis ductu regis Fergusij cæsis: subiungit Oenum, qui Scotorum regem Reutherem & Pictos intestino bello attritos in Orcades & Hibernia fugere coegerit. Hinc Sisellium, sub quo Reuther regnum recuperauit: mox Cassibilanum à Cæsare uictum. Incerta ante Christum historia. proinde in hunc locum reiicere reges ipsorum uisum est.*

A.M. — R.

BRITO, Syluij F. Latinorum regis.
LOCRINVS Britonis F. à Guindelona uxore ob pellicem interfectus.
MADAN Locrini F.
MEMPRICIVS Madani F. Manlium fratrem occidit.
EBRANCVS Mempricij F. Eboraci conditor.
BRITO, Viride scutum dictus, Ebranci F.
LEYLVS Britonis F.
RVDVBRAS Cantuariã & Vintoniã condidit.
BADVDVS Bathoniæ cõditor, mag⁹ insignis.
LEYRVS Badudi, Lecestriam extruxit.
CORDILLA Leyri filia, à Morgano & Conedagio furorum filiis capta.
CONEDAGIVS Margano fratre interfecto. Inde RIVALLO. Post GVRGVSTIVS seu Gorgontius, SILIVS, IAGVS, CHINEMARCVS, GORBODIO.
PORREX Gorbodionis F. Ferrece cæso, à matre interfectus.
Interregnum seditiosissimum. Tandem ad quinq; tyrannos summa rerum peruenit. Quorum intestinis bellis liberatur Resp. & rex creatur à populo
GINTOLINVS, eoque mortuo uxor Martia. Pòst
SICILIVS Gintolini F.
CHIMARIVS. DANIVS.
MORVIDIVS à fetis deuoratus, tyrannus.
CORBONIANVS Moruidij F. frugi.
ARCHIGALLO frater à nobilibus eiicitur.
ELIODORVS Pius dictus, nobilibus auctor restituendi Archigalli.
ARCHIGALLO iterum annis X.
ELIODORVS fratre mortuo.
VIGENIVS & Petydorus Eliodorum fratrem eiiciunt. Is morbo absumitur
ELIODORVS tertium princeps creatur.
Secuti postea reges pace nobiles fuere. Nimirũ REGINVS, Morganus, Eunanus, Iduuallo, Rynio, Geruntius, Catellus, Coylus, Porrex II. Cherinus, Fulgentius, Eldalus, Androgeus, Vrianus, Eliud. Tandem
DVNVALLO Molmicius, militarem artem restituit, legesq; nouas Molmicinas condidit.
BELLINVS filius patri succedit. Brennus frater in Gallias profectus, Senonibus se cõiunxit, & Romã cepit. Bellino successere ordine
GVRGVNTIVS II. F. Merianus, Blandanus, Capenus, Ouinus, Silius, Bledgabredus, Archemalus, Eldolus, Rodianus, Redargius, Samulius, Penitellus, Pyrrhus, Caporus, Dinellus, & Helius, principes delides & ignaui.
LVD statum Resp. recognouit, Londinum exornauit.
CASSIVELLAVNVS eius frater (H. Boethio Cassibilanus) Androgeo & Theomantio Ludi filiis pueris existentibus tributarius factus C. Iul. Cæsari, ante Christi aduentũ anno circiter LX. cùm à Britone per MXL. annos nullius externi iugum pertulissent.
THEOMANTIVS Ludi F.
CINBELLINVS (Boethio Cimbelinus) Theomãtij F. sub Augusto Cæsare stipẽdia fecit.

A.C. — R.

GVINDERIVS (Boethio Guiderius) Cinbellini F. rebellis, à Plautio Claudij Imp. legato cæsus. Multi interim in uariis locis reguli. Sed principes
ARVIRAGVS Guinderij frater, à Claudio Imp. uictus, sed tamen rex dictus, moriẽs filias duas & Cæsarem hæredem fecit.
Cati procuratoris Romani insolentia Voada regina pulsata, filiæ constuprataæ. Deiectio insulanorũ. Clades magnæ. Paulinus Suetonius sub Nerone insulã recepit. Rex dictus
72 MARIVS à Romanis, Arviragi F. cui uictiũ obtulerat, in uxorẽ ducta. Sub hoc Pictos Albionem inuasisse Polyd. scribit an. 87. 48
121 COYLVS Marij F. Rom. semper amicus.
169 LVCIVS Coylli I. à Fugacio & Damiano ad Christianismũ traductus. Eo mortuo, cùm regiũ nomẽ Seuerus Imp. penitus sustulisset, Fulgentij ductu rebellio secuta. Quam Imp. armis compescuit, illicq; obiit anno 211.
CARANTIVS siue Caurassius, ob Findoci fratris Scotorum regis cædem profugus (ut uult Boethius, Polyd. Diocletiani ducem facit) militari fortitudine ad Germanici Oceani defensionẽ à Maximiano Herculio cũ classe missus, Pictis & Scotis coniunctus, cæso Q. Bassiano legato, regnum arripuit. 7
ALECTVS Romanus legatus, cæso per dolum Carantio, tyrannidem inuasit. Cæterùm ab Asclepiodoto præfecto prætorij cæsus est, & insula Romanis restituta sub Diocletiano. Non multo pòst 3
COEL ex ueteri regum prosapia oriundus cæso Asclepiodoto rex dictus. A' Cõstantio profligatus, Helenaq; filia eidem desponsata, regnũ Romanã benignitate accepit. Natus inde Constantinus.
C. Herculeus Constantini legatus tyrannide sua defectionis ansam præbuit. OCTAVIVS Tegenus, coniuratorum dux, cæso Herculeo, Londinũ occupat. Pulsus à Trahero Herculei successore, Scotorum auxilio regnum recipit. A' Trahero uictus iterum ad Norwegios fugit. Cæso populari tumultu Trahero, tertiò regnũ obtinuit, benignitate Cæsaris confirmatum. Deiectione denuo facta, cũ Maximus Constantij legatus uicisset Britannos, Octauius triduo pòst ex mœrore obiit. Octauius F. in Monam insulam confugit.
Maximus interea uictis Scotis purpurã sumsit (à quo tẽpore etiamnũ Britãnos reges diademate imperiali uti Polyd. affirmat) & imperio inhiãs orbis, cæso Gratiano Imp. tandem ad Aquileiã à Theodosio oppressus est. Interea OCTAVIVS è Galliã reuectus Britanniã recipit: & post uaria prœlia eandem ad uitæ usq; exitum Cæsaris benignitate obtinuit.

A.C. R.

Missi à Theodosio in Albionē duo legati, Martius Londinum, & Victorinus Eboracum. Martius à GRATIANO Britanno qui regnū inuaserat cęsus. Ei suffectꝰ CONSTANTINVS, sumta purpura in Gallia à Constantio Honorij Imp. comite interfectus. VICTORINVS postea purpurā sumsit, ab Heracliano Honorij legato captꝰ. Heracliano Placidus, Placido successit Castius: quo à Scotis Pictisq; cæso DIONETHVS Octauij F. paternū regnū recepit, à Maximiano Valētiniani III. legato pulsus. MAXIMIANVS, Dionethi filia Otilia ducta, tyrānidē arripuit: eiusdēq; propagādæ causa in Galliā traiecit, Armoricam deletis incolis Britānis frequētauit, Britanniam minorē appellauit. Mortuo Dionetho, Scoti & Picti coniunctis armis Britannos sibi uectigales fecere, anno Christi 436. à Britonum regno per Brutum condito 1603.

Britanni seruitutis pertæsi, CONSTANTINVM Androeni Britanniæ minoris regis F. aduocant, regem designāt. Is Dongardum Scotorū regem occidit. A' Pictorū sicariis obtruncatus in cubiculo, Boethio. At Polydoro ad Arelatem à Constantio Honorij Imp. duce cæsus.

CONSTANTIVS Cōstantini F. ex monacho rex, astu Vortigerni Britanni à stipatorib. Scotis cæsus, Boethio. Polyd. Viennæ à Gerontio Comite interfectum scribit, & sic Britannia à ab Honorio Imp. receptā. Verùm absumto Britannicæ iuuentutis flore Scotos ex Hybernia insulam inuasisse (quos multo antè eam occupasse Boethius scribit) & cum Pictis fœdus iniisse. Aetij Valentiniani Imp. ducis auxilio frustra implorata, Britānia à Rom. post D ferè annos quàm à Cæsare adita erat, auulsa, an. Sal. 443. Ambrosio & Vtero Constantij fratrib. impuberibus in Armoricā fugientibus, rex dictus

VORTIGERNVS uel Vortigerius. Scotorū & Pictorum armis pressus, Saxones, Hengisto & Vrso ducibus, in auxiliū uocat. Roxienā Hengisti filiā in uxorē ducit, repudiata coniuge. Merlinū magum familiarem habuit. A proceribus in carcere coniectus, & substitutus

VORTIMERVS F. fœdere cū Scotis & Pictis icto Saxones expulit. Roxienæ fraude ueneno sublatus.

VORTIGERNVS è custodia eductus regno restituitur. Hengisti è Saxonia reuersi dolo capit, truncidatis nobilissimis, & in Cambriam (Vualiā hodie dictam) ablegatur. HENGISTVS rex Londini dictus.

498 AVR. Ambrosius cum Vtero fratre, Constantini F. ex Armorica regnum repetit, Vortigernū obsessum incendio absumit, cùm 17. annos cum Vortimero regnasset. Scotorum & Pictorum ope Saxones expulit, Hengistum suapte manu occidit. Occam Hengisti F. reuersum cū Passentio fratre uicit. A Copa Saxone medico ueneno potionatus. 7

504 VTERVS, Pendragon dictus, Aurelij frater. Occę Hengisti F. post aduersam pugnā, eam Britanniæ regionem, quæ Germanico alluitur Oceano, concessit, cui Angliæ nomē, quasi Hengistilandiæ indictum. Occæ successit Occa Oisti fratris F. bellicosis. Londinum cepit. Vter ueneno sublatus in Vualia. 18

ARTHVRVS Vteri nothus, Saxones uariis prælijs superauit, regnū recepit. A Scotis & Pictis cæsus. 23

541 CONSTANTINVS Corneiæ princeps. A Saxonibus reuersis in Valiam pulsus. Tandē monachus factus. Hunc secuti Aurelius Conanus, Vortiporius, Maglocunus, Carentius Caduanus, & Cadouallo, uaria fortuna cum Anglosaxonibus pugnantes.

588 CADOVALLADRVS Cadouallonis F. fame, peste & principum seditione exagitatus, cum suorum non exigua manu in Britanniam Galliæ traiecit. tandem anno DC remisit suos in patriam, quos Angli Vualos, propter linguæ & religionis diuersitatē dixere: ipse Romæ peregrinatus obiit. Angli tota insula, præter ea loca quæ Scoti & Picti tenebant, potiuntur.

ANGLORVM SAXONVM IN BRITANNIA REGES.

A Vortigerio Britanno cōtra Scotos & Pictos è Germania euocati Anglosaxones anno CCCCXLIX. re bene gesta pro mij loco Cantij sedes, permissu regis, fixere. Sensim inde maioribus è patria uiribus auēti, Britannis imminere, & imperium insulæ usurpare cœpere: ut quam quisq; partem bello ademisset, eam iure belli obtineret. Itaq; uarij reges, præter Britannorum regem, inter ipsos Anglos exorti, nimirum cùm alij Cantiorum, alij Orientalium, alij Australium, alij Occidentalium Anglorum reges essent. Ex Polydoro.

CANTIORVM REGES, TEMPORE, ET DIGNITATE PRIMI.

A.C. R.

449 HENGISTVS, qui Anglosaxones primus è Germania in Britanniam duxit, ab Ambrosio cęsus.

OSCA Hengisti F. Boethio Occa, regnum repetit, Vtero uicto concedente, In acie cæsus.

OTHA Oscæ frater. Occo Occæ nepos, ex fratre Oisto, Boethio. Pictos, Scotos, Britannos uicit. Ab Arthuro uictus.

HIMERICVS, Bedæ Iurminricus, post obitū Arthuri redit, Constantinū uincit, regnū occupat.

569 ETHELBERTVS, qui Cadoualladro exule, suū regnū contra reliquos Anglos augere cœpit, & Christianā religionē primus Anglorū suscepit. 56

625 EDBALDVS Ethelberti F. 25

650 ERCOMBERTVS Edbaldi F. 25

676 EGBERTVS Ercomberti F. Ethelbertum & Ethelbrittum patrueles interfecit.

LOTHARIVS Egberti F. à populo cæsus.

EDRICVS Ethelbritti F. in seditione perijt. 2

Interregnum per septem annos. Tandem

VITHREDVS alter Egberti F. cui successerunt filij tres, Edbertus, Ethelbertus & Alricus. His reges degeneres superuenere, Ethelbertꝰ, Cuthredus, Baldredus, & postremꝰ Etheluolfus ab Egberto occidentali rege captus est, & regnū Cantianū Occidentali adiunctum. per CCCLXIII annos, ab Hengisto per XIIX reges deductū.

AVSTRALIVM SAXONVM.

A.C. R.

481 ELLA Saxo Britannis uario bellorum motu fatigatis, paulatim Australem insulæ partem occupauit. Post hunc regnatunt

SISCA, Ethelualchius, Berutius, &

ALDINIVS, ab Ina Occidentalium rege uita pariter & regno exutus.

ORIENTALIVM ANGLORVM.

A.C. R.

VFFA primus regulus. TITVLLVS.

REDOVALDVS religionem Christi suscepit, sed mox defecit, uxoris suasu.

CARPVALDVS Redoualdi F. à Paulino baptizatus.

SIGEBERTVS Carpualdi patruus. Religionem promouit, Cantabrigiensem scholam instituit. Cœnobium ingressus.

EGRICVS Sigeberti cognatus. A Penda Mercionum rege cum Sigeberto cæsus.

ANNAS à Penda interfectus. Hunc secutus est Ethelherius, Ethelualdus, Aldulfus, Eluoldus, Beornas, Ethelredus, & postea

ETHELBERTVS Ethelredi F. rex sanctiss. Hunc Offa Merciorum rex nuptiarum cum filia contrahēdarum causā accitum perfidè interfecit.

Regnū deinde Oriētale modò à Merciis, modò ab Occidētalibus, aliquoties à Cantianis regulis possessum est, donec illud tenuit

EDMVNDVS rex sanctus. à Dacis interfectus. A

855 Dacis occupato regno præficitur 16

GVTHORMVS. Deinde

872 ERICVS, ab Anglis cæsus. Cæterū postea Orientales partim à Dacis ulciscendi cupidis, partim ab Occidentalib. regnandi libidine exagitati, Eduardo Seniori Occidētaliū regi sese dediderc.

ORIENTALIVM SAXONVM.

A.C. R.

Diuersos hos ab Oriētalib. Anglis fecit Beda. Alii unum regnum, à duobus tantùm regulis administratū. Caput gentis Londinum, quo postea Ethelbertus Cantianus potitus est. Primus regulus fuit

ERCHENVINVS,

SLAD-

A.C. R.

SLADDA. SIBERTVS.

SERREDIVS Siberti F. cum Seuardo & Sigeberto fratribus, ab Occidentalibus cæsus.

SIGEBERTVS patruus, Seuardi F.

SVTHELINVS. SIGERIVS. SIGEHARDVS.

OFFA Sigerij F. Romæ in peregrinatione obiit.

COLREDVS. SVTHREDVS ab Egberto Occidentalium rege regno exutus.

MERCIORVM SIVE MEDITERRANEORVM SAXONVM, *amplissimum & opulentissimum.*

A.C. R.

CRIDA Saxo primus regulus.

VIBBAS Cridæ F.

CEARLVS.

PENDA Vibbæ F. Osualdū Northūbriū interfecit.

PĒDA Pendæ F. primus Merciorum Christū agnouit, uictus & coactus ab Osuuio Northumbro.

VVILFERVS Pedæ frater.

ETHELREDVS Vuilferi frater, tutor Chenredi, monasterium ingreditur 30

CHENREDVS Vuilferi F. Romā cum Offa Orientalium Saxonum rege profectus monachus fit. 5

762 CHELREDVS.

ETHELBALDVS à Beruredo cæsus. 40

BERVREDVS.

OFFA Beruredum interfecit, Roma reuersus obiit.

EGFREDVS Offæ F. sine liberis quatuor menses.

CENVLFVS hæres ab Ogfredo institutus. 24

CHENELMVS Canulfi F. puer sanctiss. sororis opera à tutore suo interfectus. Regnum manifestè inclinare cœpit. Secuti

CEVOLFVS. BERNVLFVS. LVDICENVS.

VTHLACVS ab Egberto Occidentaliū rege uictꝰ.

BERTVLIVS à Regnero Daco uictus, exul in Galliam abiit. Dacis crudeliter dominantibus, illorum permultitudo coeruit.

BVRTHREDVS regio sanguine natus, p XX annos. Quo interfecto, Dacis denuò rerum potitis, præficitur Mercius

CEVOLFVS Burthredi seruus, homo sordidus & ignauus. Eo uicto, Aluredus Occidentalium rex Merciorum regno potitus est anno DCCCXX.

NORTHVMBRORVM, AD SEPTENTRIONEM, *diuiditur in Berniciam, quæ ad Scottam pertinet, & in Deiram. Initium sumsit anno 88. post primū Anglorū aduentū.*

A.C. R.

508 IDAS, Lothum Pictorum & Conranum Scotorum reges uicit 12

ADDAS Idæ F.

CLAPPAS. THEODVLFVS. FREODVLFVS. THEODORICVS. ETHELRICVS.

ETHELFREDVS Ethelrici F. impius, à Redoualdo rege Orientalium Anglorum acie cęsus, & ab eodem in regnum restitutus

EDVINVS Allæ regis Deiræ F. ab Ethelfredo antè pulsus, Christianam religionem suscepit, à Paulino baptizatus. A Cadouallone Britannorū rege in acie cæsus, anno 633. Regnū Northumbriæ diuisum inter OSRICVM & ENFREDVM Ethelfredi filios. Huic Bernicia, illi Deira obuenit. Quibus utidem à Cadouallone cæsis, successit

OSVALDVS tertius Ethelfredi F. Cadouallonem superauit, Anno regni nono à Penda Mercio occisus. Iterum diuiditur regnum.

672 OSVVIVS Osualdi frater Berniciæ, OSVINVS Osrici F. Deiræ præfuit. Osuinū Osuius (Boethio Osuneus) sustulit, Pendam interfecit, & Mercios fecit Christianos.

700 EGFREDVS Osuuij F. à Pictis cæsus. 15

716 ALFREDVS Egfredi frater spurius. 19

OSREDVS.

CHENREDVS.

OSRICVS.

CEOLOVLFVS, cui Beda Opera sua inscripsit. Cœnobium ingressus est. 8

EGBERTVS Ceoloulfi patruelis. Cœnobium similiter ingreditur. 22

OSOVLFVS à suis cæsus.

ALTREDVS pulsus. 10

ETHELBERTVS regno deturbatus.

ASVALDVS seditione oppressus. 11

OSREDVS regno sponte cessit. 1

ETHELBERTVS seu Adelredus à suis occisus.

Interregnum per XXX annos, nemine id petere ausu, ob infelicem regum priorum exitū. Daci illud interea occuparit. Quibus uictis, Egbertus Occid. Saxonum rex Northumbrios deditione suo adiecit regno, anno 827. Postea Aluredus rex præfecit iis Gormonem Dacum. Tandem Adelstanus prouinciam rursus barbaris eripuit, & suæ ditioni adiunxit.

OCCIDENTALIVM SAXONVM, *anno 72. post aduentum Anglorum in Britanniam cepit. Quod deinceps ANGLORVM regnū dictum est.*

A.C. R.

521 CERDICIVS, qui ultimus omniū è Germania suis auxilio uenit.

CENRICVS filius. CEAVLINVS.

CELRICVS & CEOLOVLPHVS, siue QVICHELMVS, cōcordes regnāt, Christiani facti.

CYNIGILLVS. Sub quo Berinus episcopus Occidentales conuertit.

CENOVALCHIVS. 30

ELCVINVS & CENTVINVS fratres.

CEDOVALLA Romæ à Sergio baptizatus, & Petrus appellatus, obiit.

INAS Australium Saxonum regnum occupauit, regnum suum pontifici tributarium fecit. Monachus Romæ periit.

ETHELHARDVS Inæ consanguineus.

CVTHREDVS.

SIGIBERTVS exul à suario interfectus. 1

CINEVOLFVS à Cineardo Sigib. fratre cæsus.

784 BRITRICHVS. 16

800 EGBERTVS, Cantianos, Northumbrios, Orientales Saxones sibi subiecit, & delero Britannico & Saxonico nomine, uniuersam gentē Anglos in posterum appellari, edicto sanxit. 37

837 ETHELVOLFVS Egberti F. 20

857 ETHELBALDVS Ethelualfi F. 5

863 ETHELREDVS Ethelbaldi frater à Dacis cęsus 9

872 ALVREDVS Ethelredi frater, Danos expulit (Boethio Alatudus) ab Honorio Romæ anno DCCCLXXII coronatus. Mercios domuit. 28

901 EDOVARDVS I. Aluredi F. Orientales Anglos domuit, uicto Erico rege Dano, item Mercios. 24

925 ADELSTANVS Edouardi F. ex concubina Scotos uicit, Northumbria potitus est. 16

941 EDMVNDVS Edouardi F. legitimus. 6

947 ELDREDVS Edmundi frater. 9

955 EDVINVS Edmundi F. 4

959 EDGARVS Eduini frater. 1

975 EDVARDVS II. Edgari F. legitimus, Alfredę nouercæ insidiis cæsus. 3

978 ETHELDREDVS (Boethio Elredus) Edgari ex Alfreda nothꝰ, baptisma stercore polluit. SVENO rex Dacus regnum insulæ obtinuit, anno MXIV. Etheldredus in Normanniam ad soorium confugit. Mortuo Suenone, succedit HERALDVS F. Eum Etheldredus occidit, à CANVTO Danorum rege Heraldi fratre interfectus. Hinc 38

1016 EDMVNDVS Etheldredi F. per monomachiā in regni societatem Canutum recepit. (Boethio an. 4.) Eo mortuo 1

1017 CANVTVS II. Dacus toto regno potitus, in regem consecratur. 20

1036 HARALDVS Hairfuet Canuti spurꝰ. (Boēth. 2.) 4

1040 CANVTVS III. Boethio Hardicanutus, Canuti II. F. legitimus. Eo mortuo, Angli Dacos omnes insula eiecere, decreto edito, ne quis Dacus in perpetuum rex crearetur.

1042 D. EDOVARDVS III. Ethelredi F. exul è Normannia uocatus, in Diuorum numerum relatus. Eo sine liberis mortuo, 24

1066 HARALDVS Godwini Cantianorū Comitis F. ex sorore Canuti III. regnum occupat. A Gulielmo Normanno uita & regno exutus. Sic regnum ad Normannos unico prælio transiit. 1

1067 GVLIELMVS Conquæstor, uel Nothus, Normanniæ dux. Scotorum regem in sua uerba iurare coegit. 22

1088 GVLIELMVS Rufus eius F. 13

1101 HENRICVS I. Bellus clericus uulgò dictus, Rufi frater natu minor. Roberto fratre uicto, Normanniam Angliæ regno adiecit. Cum Ludouico Crasso Gallorum rege bellum cepit. In hoc

A.C.		R.
	Normannorum stirps defecit. Mathildem F. cum liberis ex Gaufredo Andegauensi susceptis, hæredem fecit.	35
1136	STEPHANVS Blesensis Comitis F. Henrici ex sorore Adela nepos, regnum occupat.	9
1155	HENRICVS II. Mathildis F. Andegauēsis. Hyberniam regno adiecit. Ab Henrico F. quē regni consortem fecerat, bello petitus, uictor euasit.	35
1189	RICARDVS I. Henrici F. Cor leonis dictus. Ioppē instauranit. Regni Hierosolymitani ius permutata Cypro ad se transtulit.	11
1201	IOANNES Ricardi frater, pulso Arthuro Britānīæ duce, quem ex fratre Gaufredo nepotē Ricardus hæredem fecerat. Normanniam amisit. Angli Ludouicum Philippi Gallorū regis F. regem dicūt. Ioannes regno exutus mœrore perit.	17
1217	HENRICVS III. Ioānis F. nouem annorum puer à proceribus rex creatur, Ludouico electo.	56
1274	EDOVARDVS I. Langscanx dictus, Henrici F. Alio qui quartus foret. Sed initium sumunt à Gulielmo Normanno. Scotos subegit.	34
1308	EDOVARDVS II. Carnātiuanus à loco natali dictus, princeps Vuālliæ, primi F. captus ab uxore, in carcere necatur. Substituitur	19
1327	EDOVARDVS III. F. Ioannem Gallorum regem cepit.	51
1377	RICARDVS II. Edouardi ex Edouardo F. nepos. Captus ab Henrico Lancastrio nepote ex fratre, in carcere periit.	22
1399	HENRICVS IV. Ricardi N. ex fratre Ioanne.	14
1413	HENRICVS V. quarti F. Normanniam recepit, regens Franciæ constitutus Philippi Burgundi opera.	9
1422	HENRICVS VI. quinti F. etiamnū puer, mortuo Carolo VI. rex Angliæ & Franciē renunciatur, & Lutetiæ etiam coronatur. Normanniam & Aquitaniam amisit. Ab Edouardo Merchiæ comite regno priuatus in Scotia exulat.	38
1461	EDOVARDVS IV. deiecto Henrico regnum occupat, Ricardi dūcis Eboracensis F. Henricus opera Varuicensis comitis in regnum restitutus, sexto pòst mēse iterum captus, in carcere gladio percussus est.	23
1483	RICARDVS III. Edouardi frater, tutor nepotū, iis interfectis regnum arripuit. Ab Hēnico Richemondiæ Comite, qui solus ex Lancastria familia supererat, cæsus. Ergo	2
1486	HENRICVS VII. ducta in uxorem Elizabetha Edouardi IV. F. Lancastriorum & Eboracensium principum simultates sustulit. Conspirationibus mirificè exagitatus.	23
1509	HENRICVS IIX. Henrici F.	
	EDOVARDVS V. Henrici F.	
1553	MARIA Henrici F. Philippo Hispaniarum regi nupsit.	
1558	ELIZABETHA Henrici F.	

SCOTORVM REGES.

Ex Hectoris Boethi Scotica historia: à quo multum uariat, quo ad gentis antiquitatem, Polydorus Vergilius in rebus gestis Anglorum. Cæterum quia historia ante Christum obscura est, inter ea quæ Christum secuta sunt regna retecimus.

A.M.		R.
	FERGVSIVS I. Ferquhardi Hiberniæ regis F. dux Scotorum, Britanniæ partem occupauit, anno ante Christum 330. Mari periit.	25
	FERITHARIS frater, nepotū tutor, Ferlegi nepotis insidiis cæsus.	15
	MAINVS, Fergusij F. religiosus.	29
	DORNADILLA, Maini F. uenator.	28
	NOTHATVS Dornadillæ frater, ob tyrannidē cæsus à Doualo.	20
	REVTHER (Bedæ Reuda) Dornadillæ F. substitutus. Ciuili inde bello principibus Scotorū & Pictorum acie cæsis, Picti à Britannis in Ordades, Reuther rex cum Scotis in Hiberniam fugere coactus, reparatis demum uiribus regnum recepit.	26
	REVTHA, Reutheris patruelis, nepoti ętate maturo regnum restituit.	17
	THEREVS Reutheris F. ob tyrannidem pulsus Eboraci consenuit. Interrex creatus CONANVS. Mortuo rege, deposuit magistratū, creatusque	12
	IOSINA, Thereci frater, optimus.	24
	FYNNANVS Iosinæ F. Druydum sedem in Mona insula constituit.	30
	DVRSTVS Fynnani F. tyrānus, à suis acie cęsus.	9
	EVENVS I. Durfti patruelis, exul accersitur.	19
	GILLVS Eueni nothus, Durfti filius per insidias cæsis, regnum occupat. Ob tyrannidē pulsus.	2
	CADALLVS interrex, hoc est, regni gubernator. Suffectus	
	EVENVS II. Fynnani regis ex fratre nepos. Cadalli opera Gillum in Hibernia interfecit. Ab eo moriente rex dictus	17
	EDERVS Durfti regis F. cuius anno quarto Iul. Cæsar in Albionem traiecit, sed coniunctis Pictorum, Scotorum & Britannorum armis primùm repulsus est. Secundò reuersus, Britannos priore victoria elatos, & Scotorum auxilium respuentes, tributarios fecit.	48
	EVENVS III. Ederi F. scelestissimus, à pop. captus, in carcere strangulatus.	7
	METELLANVS Ederi nepos ex fratre Cairano, modestissimus. Cuius anno X. Christus natus est.	39
A.C.	CARACTACVS Metellani nepos ex sorore. Romanis per nouennium fortissimè restitit, tandem ab Osorio Scapula uictus, Romā missus, fideq; data in Scotiam remissus obiit.	22
54	CORBREDVS I. Caractaci frater, bellicosissimus. A Paulino Suetonio Neronis legato magnis affectus cladibus.	18
71	DARDANNVS Metellani pronepos, Grossus dictus ob proceritatem. ob tyrannidē, & q̄ Corbredi filiis necem struereret, acie uictus, dimissus, in cloacam præcipitatus.	4
75	CORBREDVS II. Corbredi F. Galdus dictus, q̄ à Voada matre Britanna peregrinis moribus institutus esset. Tacito Galgacus. Contra Petilium Cerealem Neronis legatum infeliciter pugnauit. A' Iul. Agricola Domitiani legato nō semel uictus. Cui cum Cn. Trobellius successor missus esset, cōtra exercitus uoluntatem, occasione ea usus Galdus, tribus prœliis ad XL. millia Romanorum cęsis, ad turpis pacem adegit, L. annorum bello finem imposuit, patriam liberauit.	55
103	LVGTHACVS Galdi F. scelestiss. crudelissimus. à populo trucidatus.	3
106	MOGALLVS Galdi nepos ex filia. L. Antenoum Adriani legatum magna clade affecit. Tandē tyrannus factus, in Hebridas fugiēs à suis cōfodit.	36
148	CONARVS Mogalli F. patri similis, in uincula conicitur. Gubernator regni designatur Argadus, Atgatheliæ Princeps. Mortuo in carcere Conaro	14
162	ETHODIVS Mogalli nepos ex sorore, à tibicine strangulatus.	33
194	SATRAHEL Ethodij frater, ob ignauiā & improbitatem noctu suffocatus.	4
197	DONALDVS Satrahelis frater, Fulgentianæ rebellionis socius, à Seuero Imp. uinci. Pace accepta ad Christū cōuersus est. Primus pecuniā signauit.	21
216	ETHODIVS Ethodij F. ignauus & auarus & stupidus, à stipatoribus cæsus.	16
231	ATHIRCO Ethodij F. optimus primū. octauo imperij anno tyrānus factus, à Natholoco Argathelio nobile filiarum stuprum persequente ad inferendas sibi manus compulsus.	8
242	NATHOLOCVS rex dictus, ob procerum cędem, quos Athirconis liberis fauere suspicabatur, conuiurationem metuens, à Morauo quodam intimo confossus est.	12
252	FINDOCVS Athirconis F. ex Pithlandia, ubi exulabat, uocatus. A' transfugis duobus in uenatione cæsus.	10
263	DONALDVS II. Findoci frater, à Donaldo tyranno in Morauia cæsus.	1
	DONALDVS III. Hebridum tyrannus, metu Scotos proceres in officio continuit. A' Crathlintho confossus.	12
273	CRATHLINTHVS Findoci F. Carantij patrui opera Pictis reconciliatus, ad Romanos è Britannia pellendos socius.	24
322	FINCORMACVS, Cormachi Crathlinti patrui F. Octauium Britanniæ regem contra Traderum Rom. legatum defendit, regnoq; restituit.	47
368	ROMACHVS Crathlinti regis ex fratre nepos, fugatis patruelibus. Ob tyrannidem cæsus.	3
371	ANGVSIANVS, Romachi patruelis, ex Hibernia ubi exulabat uocatus. Pictos Romachi cædē ulturos uicit. Ab iisdem uictus & interfectus.	2
373	FETHELMACVS tertius patruelis, uictis Pictis, eorundem insidiis clam cæsus.	3
376	EVGENIVS I. Fincormaci regis F. è Mona, ubi exulabat, uocatus. A Maximo legato Britānīæ Pictis opē ferente cæsus. Scoti è Britannia pulsi, an. Sal. 379. regni 712. Eugenij frater Ethodius in Daniā exulatum abiit.	3
379	FERGVSIVS II. Ethodij ex Ertho F. nepos, Alaricum Gothū secutus, Romæ expugnatorē, prædonustus in Daniā reuersus, à Pictis Romanā tyrānidē ægrè ferentib. accersitus, icto cū Pictis fœdere, regnū Scotorū 44 pòst anno q̄ euersum fuerat restituit. Cōtra Victorinū legatū bis infeliciter pugnauit. Placidū Honorij Imp. legatū ad pacē adegit. A' Maximiano Valētiniani III. legato cæsus.	9
430	EVGENIVS II. Fergusij F. Pictorū auxilio Britannos à Romanis destitutos uicit, & uectigales fecit. Aureum deinceps sub eo seculum.	30
460	DONGARDVS Eugenij frater. A Constantino Britannorum rege cæsus.	5
465	CONSTANTINVS Eugenij II. frater ignauus, strangulatus.	17
482	CONGALLVS Dongardi regis F. contra Saxones pro Britannis fortiter pugnauit.	20
501	CONRANVS Cōgalli frater, aliis Goranus. A coniuratis cæsus.	35
535	EVGENIVS III. Cōgalli regis F. cū Pictis Arthurū occidit.	34
569	CONVALLVS Eugenij frater religiosissimus.	10
579	KYNNATILLVS Cōualli frater, empyemate piit.	2
580	AIDANVS Conrani F. Bedæ Aidanides. Saxones uicit.	27
608	KENNETHVS Keyr, Conualli F. 4. mēse mortuus.	
	EVGENIVS IV. Aidani F. Aliis Brudus dictus.	15
620	FERQVHARDVS I. Eugenij F. tyrannus, in carcere sibi manus intulit.	13
632	DONEVALDVS IV. Ferquhardi Fr. Submersus.	14
646	FERQVHARDVS Ferquhardi F. ex optimo pessimus factus. Phthiriasi periit.	18
664	MALDVINVS Donealdi F. strangulatus ob pelicatum.	20
684	EVGENIVS V. Malduini nepos ex fratre Dongardo, Egfredum Northumbrum uicit.	4
688	EVGENIVS VI. Ferquhardi F.	10
697	AMBIRKELETHVS Eugenij V. F. uel nepos, spurcissimus. Insidiis sublatus. Hūc Polydorus an. 722. regnum iniuisse ait.	2
699	EVGENIVS VII. Ambirkelethi frater.	17
716	MORDACVS Ambirkelethi F. pacis studiosiss.	16
731	ETHFINVS Eugenij VII. F. optimus.	30
762	EVGENIVS IIX. Mordaci F. ob tyrānidē cōfossus.	3
765	FERGVSIVS III. Ethfini F. Eugenio similis, ab uxore strangulatus.	3
768	SOLVATHIVS Eugenij IIX. F. bonus princeps.	20
807	ACHAIVS Soluathij Fr. felix princeps, cū Carolo Magno fœdus icit contra Anglos. Polyd. an. 742.	12
819	CONVALLVS uel Congallus Achaij patruelis, Donualli Ethfini regis fratris F.	5
824	DONGALLVS Soluathij regis F. Submersus.	6
839	ALPINVS Achaij regis F. Feredethū Pictorū regē interfecit. A Brudo Pictorum rege decollatus.	4
844	KENNETHVS Magnus, Alpini F. Pictorū euersor.	20
855	DONALDVS IV. Kennethi Fr. ignauiss. ab Anglis captus, magna agri parte multatus, in custodia sibiipsi manus intulit.	6
869	CONSTANTINVS II. Kennethi F. in acie cęsus à Danis.	13
874	ETHVS, Constantini Fr. Alipes dictus, ob ignauiā in custodiam coniectus. Suffectus	2
876	GREGORIVS Dongalli regis F. opt. & bellicossiss. legislator, ab Anglis, Britannis atq; Danis recuperauit omnia. Hiberniam subegit.	18
893	DONALDVS V. Constantini II. F.	11
903	CONSTANTINVS III. Ethi F. Monachus factus ob infelicem pugnam.	40
943	MALCOLMVS Donaldi regis F. à sicariis cæsus.	15
959	INDVLFVS Constantini III. F. à Danis cęsus. Polydoro an. 949.	9
968	DVFFVS Malcolmi F. pius, à Donealdo Morauo iugulatus.	4
972	CVLENVS uel Culmus, Indulfi regis F.	5
976	KENNETHVS II. Duffi Fr. à Fenella muliere sagittis cōfixus. Regni successorē Malcolmū F. Cumbriæ principem & regni successorem dixit. Cæterùm à proceribus	25
1000	CONSTANTINVS Culeni regis F. Caluus creatus. Quō in acie à Malcolmo cæso, fugit cessit	1
1001	GRIMVS Duffi regis nepos ex fratre. Ob tyrannidem desertus, & acie uictus est. Victor	9
1010	MALCOLMVS II. Kennethi F. ut regia dignitas deinceps hæreditaria esset obtinuit. Iustissimè imperauit. Danorum & Anglorum regis Sueno nis duces multis pręliis uicit: leges dedit: Regnū in Baronias diuisit. Mutata uita à cōiuratis cęs.	30
1040	DVNCANVS Malcolmi nepos ex Beatrice F. A' Maccabæo consobrino clam necatus.	7
1046	MACCABÆVS uel Machabeda, Malcolmi ex filia nepos, tyrannus, à Malcolmo cæsus.	16
1061	MALCOLMVS III. Cammoir, Duncani F. ex Anglia exul, Eduardi p Margaritā F. gener. Religiosissimus. A sicario Anglo cæsus. Luthlath fatuus Maccabæi F. cum affectis occisus.	36
1097	DONALDVS Banc, Malcolmi Fr. Gulielmi Rufsi Anglorum regis ope regnum inuadit.	1/2
	DVNCANVS Malcolmi nothus. Eo per insidias cæso regnum recipit	1 1/2
	DONALDVS. Eum in prælio cepit	2
1101	EDGARVS IV. Malcolmi III. F. Anglorum auxilio. Primus pontificia unctione regnum accepit. Hebrides à Noruegis occupatæ.	9
1110	ALEXANDER Fers, id est fortis, Edgari Fr.	17
1125	DAVID I. Alexandri Fr. optimus.	29
1153	MALCOLMVS IV. Virgo ob castitatem, Dauidis ex Henrico filio nepos.	12
1165	GVLIELMVS Malcolmi Fr. Leo cognomine ob iustitiam. Captus ab Anglis. Miraculis clarus.	49
1214	ALEXANDER II. Gulielmi F.	35
1249	ALEXANDER III. Alexandri F. nouennis. Hebrides recuperauit. Ab equo præceps ruit. Orbus.	37
	Interregnum per Gubernatores administratur.	6
1286	IOANNES Baliolus, Roberto Brusio cōpetitori (utercq; à Gulielmi regis fratre Dauide genus ducebat, sed ille maternū, hic paternū) ab Eduardo I. Anglo, arbitro delecto, prælatus, ab eodem captus & deiectus. Scotia ab Anglis subacta.	3 1/2
1296	EDVARDVS I. Scotiæ & Angliæ rex, Scotos subigit, lapidem fatalem è Scona Londinū trāsfert.	6
1306	ROBERTVS Brusius se regē appellat. Variis calamitatib. affectus. Tandē mortuo Eduardo I. cōtra Eduardū II. rē gessit, regnū recepit, cum Hibernia. Cum Gallis fœdus renouat. Lepra obit.	24
1329	*Interregnum.* Thomas Ranulfus interrex.	2
1331	DAVID Roberti F. octēnis. Thomas Ranulfus regni gubernator opt. ueneno sublatus. In Galliā fugato Dauide,	
	EDVARDVS Io. Balioli F. ope Eduardi III. Anglorū regis regnum occupat.	
	DAVID è Gallia reuocatus. Ab Anglis captus. Baliolus ius suum Scoticū in Eduardum transfert.	39
1370	ROBERTVS II. Stuart, Dauidis ex sorore nepos, felix bello.	19
1390	ROBERTVS III. Roberti F. Ioānis nōmine abiecto, clementiss. Iacobū F. in Angliam securitatis causa missum Angli retinent. Rex mœrore obit.	16
1406	ROBERTVS IV. Stuart Roberti Fr. regni gubernator. Inde Mordac? F. Tādē dimissus ab Anglis	13
1424	IACOBVS I. Roberti III. F. doctiss. à cōiuratis cęs?.	13
1436	IACOBVS II. F. sexennis, procerū factionib. misere exagitatus, bombardæ ruptura extinctus.	23
1460	IACOBVS III. secundi F. A cōiuratis acie cæsus.	28
1488	IACOBVS IV. tertij F. 14 an. In acie ab Angl. cęs?.	25
1513	IACOBVS V. quarti F. Magdalenam Francam uxorem duxit.	29
1542	FRANCISCVS II. Gallorum rex, ducta in uxorē Maria Iacobi V. F.	
	HENRICVS, Matthæi Stuart Comitis Lenossensis I. Mariam Francisci uiduam duxit.	

Voluminis Vigesimioctaui Liber III.

De POLITIARVM Accidentibus, hoc est, EFFECTIS & ADIVNCTIS.

NE quid Lectorem turbet, Dispositionem Tertij libri, è Secundi Dispositione petat. Ferat interim σφάλματα ἀταξίας, dum corrigantur: & primus locus detur Accidentibus pacis per se consideratis Serijs: secundus Ludicris: tertius Accidentibus Bellicis.

LEX. LEGIS

KTHCIS. NEMPE

LEX POSITA

A Quibus.

Consule Volumen Sextum, de Legislatoribus. item Legislatores prudentes.

CAROLVS IV. Imp. cùm uideret multa in cõuentu Imperij sine ordine geri, multa constituit, quæ usq; in hodiernũ obseruantur, & aureo sigillo appenso, appellari iussit constitutionem Imperialẽ, Bullã auream. Cranzius lib. 9. Saxon. c. 29.

De Quibus.

Hinc omnes Leges, uel insolentia, uel utilitate sua celebres.

Lex apud RHODIOS fuit, ut si qua rostrata in portu nauis deprehensa esset, ea publicaretur. Cicero lib. 2. de Inuent.

Inter fabulas adeò est comœdia abiecta & illepida habita apud ATHENIENSES, ut lege sanctũ fuit, ne quis comœdiam componeret Areopagita. Plut. de gloria Atheniensiũ.

LVCANORVM rex est κληροδοτικός, in eos qui peregrinos, post solis occasum hospitium petentes, non exciperent. Aelianus lib. 4. Var. hist.

Cùm apud AMYCLEOS (est id oppidum Italiæ, inter Caietã & Terracinam) subinde nunciaretur hostium aduentus, idque falsò, & ob eam rem ciuitas frequenter inani terrore quassaretur: lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nunciaret aduentum. Atqui post euenit, ut uere iam aduenirent hostes. quod cùm nemo nunciaret, propter legis interdictum, ciuitas de improuiso capta est. Eras. in Adagiis.

REVTHA Scotorum rex, quòd complures aut uulneratos, aut morbo correptos medicorum inscitia periisse scirer, ne quispiam, nisi longa experientia, medici nomen deinceps assumeret edixit, capitis pœna proposita in non obtemperantes. H. Boethius lib. 2.

Quomodo.

Apud ATHENIENSES tabulæ quædam erant quadræ, in quibus leges descriptæ proponebantur, præterea uariæ delinquentium pœnæ. Has illi κύρβεις appellant: apud Lucianum ἄξονες dicuntur. Erasmus in Adag.

Quot.

Charilaus, Lycurgi fratris filius, interrogatus de paucitate illius legũ, respondit: Quj uerbis non multis uterẽtur SPARTANI, hos nõ multas quærere leges. Plut. in Lycurgo.

Quando.

Lex trinundino ferebatur, apud ROM. nec alio modo ritè ac iustè dicebatur, nisi trino promulgata nundino. Est autem promulgare, quasi prouulgare, hoc est, in uulgus edere, ut Festo Pomp. placet, & trinundinum, à ternis nundinis dicitur. Nundinæ uerò, mercatum significant: quoniam octo diebus rustici in agris uersabantur, in opere faciundo occupati, & nono quoque die in urbem ueniebant, rerum permutationes facturi, lites compositurj, ac suffragia senatusconsulto concessa, si opus esset, laturi. Primis nundinis, & item secundis, lex promulgabatur, ut à singulis atq; uniuersis (quod ait Macrobius) facilè nosceretur. Tertio foro seu mercatu, cùm omnis & urbana & agrestis adesset turba, rogatio fiebat, præco uerba legis scriba subiiciente recitabat: & si populus sciebat, lex ferebatur, hoc est, in æs incidebatur, & in ærario reponebatur, & tunc demùm lata dicebatur. Tempore promulgationis, hoc est, primis & secundis nundinis, interdicere, hoc est, contradicere, licebat: cùm uerò lata fuerat, minimè. Quam rem significat Cicero in Antonianarum, dicens, leges duas ab Antonio nulla promulgatione latas, nempe quòd trinundino populo recitatæ nõ fuerunt, nec licuit illis contradicere, uel ut magis intercedere. Antonius Garro de Orig. iuris.

LEX NON POSITA:

Aristot. lib. 10. Ethicorum Nicomachiorum Cyclopicam uitã appellat, ubi nullis publicis legibus uiuitur, sed quisq; suo arbitratu res gerit: ὡς οὐ τοῖς πολίταις, εἰ πολλοὶ ἐξαμάρτοιεν τῷ τοιούτῳ, μὴ ζῆν ἐκεῖνος Θ., ὅτι βούλεται, κυκλωπικῶς θεμιστεύει παῖδας καὶ γυναῖκας. id est, In cæteris autẽ ciuitatib. super his, hoc est, educatione liberorum, nulla est habita cura, sed quisq; uiuit ut uult, Cyclopum ritu de liberis & uxore fas nefasq; statuẽs. Cyclopes enim sparsim habitare feruntur in montibus, nulla specie uitæ ciuilis, sed in suo quisque antro facit quod lubet. Ne religio quidem apud illos ulla. Erasmus in Adag.

SOLON ἐρωτηθεὶς, διὰ τί κατὰ πατροκτόνου νόμον οὐκ ἔθηκε, φησὶ τὸ μὴ γενόμενον εἰπεῖν. id est, Rogatus, quam ob causam non tulisset legem in parricidas, respondit, Quòd nõ sperasset futurũ parricidam. Idem.

XPHCIC. LEGVM

AVCTORITAS.

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. quærenti, Quis Spartæ præesset? Leges, inquit, & iuxta leges magistratus. Plut. in Apoph.

PITTACVS Cræso percõtanti, Quo dnã esset maximum imperium? Νόμοις ξύλοις, respondit, Varij ligni, hoc est, tabularũ in quibus leges describuntur.

OBSERVATIO.

Sub loco Iustitiæ, de Legum obseruantia egimus.

PLEBISCITA.

LYCOPHRON Lycurgi, Butadæ, promulgatione proscripta postulat sibi ius epulandi in Prytaneo scisci, quod donatum à populo fuit Lycurgo Butadæ, Anaxierate archõte: ex tribu Antiochide in Prytania. Stratocles Euthydedæ filius Diopithensis promulgat: Quando Lycurgus Lycophronis filius Butades, accepta à maioribus suis gentilitia iam inde antiquitus aduersus populum beneuolẽtia: cuius maiores Diomedes & Lycurgus cùm uiui honores à populo consecuti sunt, tum defunctis uirtutis ergò dedit populus publicam in Ceramico sepulturã: ipse etiam remp. gerens Lycurgus multas patriæ & præclaras leges tulit: quæstor à ciuitate creatus Panathenæa concessit, dispensatisq; ex uectigalibus publicis XIIX millib. nongentis talentis, magnaq; pecunia à priuatis fide sua sumta impensaq; in usum ciuitatis & populi ad DCL talentorũ summã, quia omnia hæc constabat rectè cum atq; ordine administrasse, identidem est à populo coronã donatus: præterea ad eam rem à populo designatus, magnam uim pecuniæ in arce cõegit, parauitq; Mineruæ mundum, Victorias ex solido auro, uasa ad pompas aurea & argentea, mundum aureum ad centum canephoras: præfectus apparatui bellico armorum magnum numerum, telorum quinquaginta millia cõportauit, triremes ad deducendum in aquam aptas parauit quadringentas, quarum partim refecit, partim nouas ædificauit: insuper cura incoatorum operum suscepta, naualia, armamentarium, & theatrum Dionysiacum absoluit, effecit circum Panathenaicum, gymnasiumq; & Lyceum instruxit, multisq; aliis opificiis urbem exornauit: Alexandro regi, qui totam subiugauerat Asiam, totiq; semel Græciæ imperare parabat, cùm Lycurgum ille, quòd conatibus suis obsisteret, exposceret, non est illius terrore adductus populus, ut eum dederet: ac cùm actionum suarum rationes frequenter in libero & populari ciuitatis statu dedisset, integer & abstinens perpetuò mansit: Quo cognoscant omnes, populum eos, qui actiones suas ad publicam libertatem & ad conseruandam popularem remp. dirigere student, & uiuos in summo honore habere & defunctis gratiam immortalem referre: quòd felicè faustumq; sic, uisum populo est Lycurgum Lycophronis filium Butadem, uirtutis & iustitiæ causa celebrare, ac locare ei in foro statuam ex ære, nisi quo loco interdictum est lege non locare: donare etiam epulandi in Prytaneo ius stirpis Lycurgi maximo natu in omne æuum: utq; rogationes eius ratæ sint, referatq; scriba eas in columnas lapideas, publiceq; proponat & statuat in arce iuxta dedicata ibi ornamenta. Vt hæc in columnas perscribantur, quæstor populi quinquaginta drachmas numeret, ex ea pecunia, quæ expensa populo in plebiscita refertur. Plutarchus in Vitis Decem.

DEMOCHARES Lachetis filius, Leuconthẽsis, postulat Demosthenis Demosthenis filio Peaniensi statuam ex ære in foro, ius in Prytaneo epulandi, & primum subsellium ei & ex sobole eius semper natu maximo, quòd beneficus in populum Atheniensem, auctorq; multorum & bonorum consiliorum ei fuit, facultatesq; suas in usum publicum conuertit, intuitutq; talenta octo & tiremem, cum populus in libertatem Euboeam assereret: alteramq;, quando in Hellespontum cum classe nauigauit Cephisodorus: alia, quando Chares & Phocion prætores Byzantium cum imperio missi à populo fuere: & quòd multos eorum, qui Pydnæ & Methonæ & Olynthi in Philippi potestatem uenerunt, ære suo redemit, sumtumq; classicis subministrauit: quando impariibus ad sumtus suscipiendos Pãdionidis impensas præbuit: armauitq; ciues eos, qui impares erant: in muros reficiendos impendit ex sua liberalitate ei operi præfectus à populo tria talenta: Piræeum suo sumtu duplici fossa cinxit: sub prælium Chæroneuse talentum est largitus: ad annonam comparandam, cùm laboraretur fame, talentum: quòd populo Athenienſi socios inducendo, benè merendo, & consulẽdo, qua ratione perpulit eos, assciuit Thebanos, Euboeenses, Corinthios, Megarenses, Achæos, Locros, Byzãtios, Messenios, copiasq;, quas populo Atheniensi & sociis adiunxit, peditum decem millia, equites mille: quòd ad conferendum stipendium legatus perpulit socios plus quingẽta talenta: quòd largienda pecunia & legatione suscepta, ne Alexandro Peloponnesij ad Thebas suppetias ferrent, obstitit: multorumq; aliorum & egregiorum consiliorum populo auctor fuit, remq; pub. præter ætatis suæ reliquos ad tuendam libertatem & populi principatum gessit optimè: quòd etiam populo paucorum ui oppresso cessit: Athenis, uitamq; Calauriæ propter beneuolentiam in populum Atheniensem deposuit, missis ab Antipatro in eum militib. in beneuolentia erga plebem & caritate perstitit: & cùm in potestatem uenit inimicorum, nihil in ipso discrimine populo Atheniensi egit indignum. Archon Pytharatus. Idem.

LACHARIS Democharis filius, Leuconẽsis, postulat à senatu & populo Atheniensi donum Demochari Lachetis filio Leuconensi, statuam ex ære in foro, & ius in Prytaneo epulandi, atq; ex eius sobole semper natu maximo, primumq; in omnibus ludis subsellium: quòd beneficus in populum Atheniensem, eiq; optimorum consiliorum auctor fuit: hęc benefacta apud populum collocauit in legationibus, rogationibus, & actionibus publicis, murorum ædificationem, armorum, telorum, machinarum apparatum: quòd urbem bello quadriennali munitit: pacem, inducias, societatẽ cum Thebanis sanxit: quorum causa ab illis, qui ciuitatem profligauerant, actus in exilium fuit: reuocatusq; Archonte Diocle à populo, compressit primus actiones tam eorum, qui facultatibus suis pepercerant, quàm legatorum ad Lysimachum: donum parauit populo triginta talentorũ argenti, iterumq; centum: rogationem tulit de mitteda in Aegyptũ ad Ptolemæum legatione, qua legati, qui missi eo fuerant, talenta argenti quinquaginta populo reportauerũt: ad Antipatrum legatus XX talenta argenti accepit, sacra Cereris Eleusinia recepit, horum auctor fiscendorum populo fuit, hæc gessit, resp. causa in exilium iuit, paucorum potentiæ nunquam se aggregauit, populo oppresso nullum magistratum cepit: solus ex iis, qui sua memoria remp. tractauerunt, nulla actione resp. statum mouere tentauit alia, nisi auctoritate tuenda populi: iudicia, leges, tribunalia, patrimonia Athenienſibus omnibus in tuto actionibus suis collocauit, nihilq; neq; uerbo, neq; facto aduersus populi principatum est molitus. Idem.

Q. Hortensius tribunus pl. deinde Philo dictator legem tulere, ut PLEBISCITA omnes Quintes tenerẽt, utq; leges à populo latæ, ante promulgatæ non essent, nisi post initum populi suffragium, patres auctores fierent. A primo uerò Vrbis ortu, post exactos reges, de nulla re populus diiudicasse, aut suffragia tulisse traditur, nisi ex cõsulto senatus. Prius enim iubebat populus, deinde confirmabat senatus. quod æuo subsequente fieri desiit est: nã de his quæ plebs sciuit, nõ senatus, ut prius, diiudicabat: sed deprauato usu, de his quæ senatus cognouerat, populus iudex erat. Alex. l. 4. c. 11.

COMITIA. HORVM

MATERIA. DE QVIBVS REBVS.

Apud LACEDÆMONIOS sententiam, quam senatores regesq; censuerant, populo decernendi corrigendiq; facultas fuit, iubente Lycurgo, qui cooptandi senatus, & legendi quos uellet magistratus, ius populo dederat. Alex. lib. 4. ca. 11.

FORMA. QVOMODO.

SPARTÆ candidati per campum comitiorum transeuntes, populi applausum captabant. Iudices seorsim considentes, clamoris magnitudinem diligenter obseruabant, & annotabant. Cui plures acclamassent, is uincebat competitores. Aristoteles in Politicis.

Cùm magistratus per liteas sorte crearẽtur, & DIONYSIO contigisset litera M, dicenti cuidam per iocum, μωροὶ λογεῖς, id est, Morio es, Dionysi: Imò, inquit, μοναρχήσω, monarcha ero. Adeptus magistratum, protinus imperator electus est à Syracusanis. Plut. in Apoph.

Suffragia apud ROMANOS & alibi quomodo ferri solita, uide apud Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

Priusquam repertus est usus calculorum, quos Græci ψῆφος appellant, suffragia nigris & albis fabis ferebantur. Vnde fabis uicitare dicebãtur, quib. hinc erat quæstus. Erasmus.

PERSONAE PRINCIPES.

Ἀμφικτυονικὸν συνεδρεῖον, id est, Amphictyonicus consessus, in prouerb. abiit de frequenti grauium uirorum conuentu. Amphictyon Deucalionis filius, cùm rerum potiretur, gentes Græcanicas dicitur conuocasse. Theopompus historiarum lib. 8. attestatur Pausanias in Phocaicis: Populi qui cõuenire solebant, numerabantur duodecim, Iones, Dores, Perrhæbi, Bœoti, Magnetes, Achæi, Phthij, Molienses, Dolopes, Aeneanes, Delphi, Phocenses. Alij nomen inditum putant, quòd undecunq; ad id consilium ex omni Græcia cõuenirentur. Erasmus in Adagiis.

Apud Aristophanem in Cõcionatricib. queruntur feminę, populum ATHENIENSEM non conuenire ad concionem, nisi dato singulis obolo, quum antè suo uictu consultarent de Rep. Erasmus in Adagiis.

GALLI & GERMANI in publicis consultationibus armati conuenire, & quid facto opus esset decernere solebãt. Alex. lib. 4. cap. 11.

Apud TYRIOS si quis cum telo concioni interesset, capite luebat. Alex. lib. 4. cap. 11.

Quibus ius suffragij apud ROMANOS concessum fuerit, uide apud Alexandrum ab Alex. lib. 4. cap. 10.

ROMANI cùm habebant LX annos, tum deniq; erant à publicis negotiis liberi atq; otiosi. Ideo in prouerbium quidam putant uenisse, ut diceretur, Sexagenarios de ponte deici oportere: id est, quòd suffragium non ferant, quod per pontem ferebatur. Varro lib. 2. de Vita pop. R. & Victorius lib. 15. Var. lect. cap. 7.

PERSONAE ADIVNCTAE.

Athenienses omnibus publicis conciliis MANTES sacerdotes, qui sacra facerent, adhibebant: ut deos iusti & æqui curatores in rebus consultandis ductores haberent.

Apud ATHENIENSES populus in tribus erat distributus, unusquisque tribus tertia pars φυλετὴς dicebatur, & huic præfectus φυλετάρχης. In comitiis, si quis canis intercurrisset, continuò petebatur à populo. Hinc prouerbium, Ἀγέμβροτος ἀφ' φυλετάρχου κύων, id est, Ductus per Phratores canis.

nis. ubi quis inciderit in eos, quibus prænas det. Erasmus.

Apud GALLOS & GERMANOS tumultum Comitiorum armatorũ Druydę cõpescebāt, silētij indictione. Alex. l. 4. c. 11.

TEMPVS. QVANDO.

Apud ATHENIENSES Ἐκκλησίαι, id est, Conciones ordinarię fuerũt singulis mẽsib. ternę, Calēdis, die decimo, & trigesimo, quę κύριαι dicebātur. σύγκλητοι, Indictę, cùm populus extra ordinẽ propter urgētia negotia cõuocabatur. Suidas.

LOCVS.

Est mons Albanus inter Albam & urbem Romam tractu ferè pari disiunctus, ubi templum à Tarquinio superbo IOVI Latiali constructum, feruntq; sacrum institutum: ad quod Latini populi numero septem & sexaginta, stato tempore, nonnunquam noctu ad lumina frequentes conuenirent, ibiq; nundinas haberent, utque alij agnos, alij caseos, nonnulli lac, pleriq; molam ad commune epulum afferrẽt, & unà taurum immolarent, concordi suffragio statutum erat: tauroq; immolato, & cæsa uictima, riteq; sacrificio perfecto, ut quisq; populus qui ad sacrum accesserat, & quæq; ciuitas carnem posceret, de tauroq; partem acciperet, prisci moris erat. Principatus uerò sacri & publici concilij caput, haud dubiè penes Romanos fuit. Et sicut hoc sacrum in Albano, sic VENERIS templum Lauini celebre Latinis populis erat: ad quod conuenire, & annua sacra stato facere assuerant, quorum Ardeates (qui antistites templi erant) præcipuā gessere curam. Mansitq; in posterum, ut si quod nomini Latino impenderet bellũ, uitandæ iniuriæ causa, in Albano, aut ad lucem Ferentinæ, quid facto opus foret, cõmuni concilio decernerent. Anagnini aũt concilium Hernicis populis in Circo, quem maritimum uocant, indicebāt. Græcis uerò conuentum AMPHICTYONVM ab Amphictyone Heleni filio inuentum, quod fuit sanctissimum Græciæ conciliũ, huius instar sacri tenuisse dicunt, ad quem duodecim florentes Græciæ urbes initio Veris & Autumni cõuenire, & Cereri sacrum facere, deq; maximis rebus cõmuni decreto decernere solebant: quod ad Thermopylas indicebatur, & Pylaicum uocant. Fuere aũt populi, qui exciti sedibus illuc confluebant, Iones, Dorij, Perrhębi, Bœoti, Magnetes, Achæi, Phthij, Melienses, Dolopes, Aenianes, Delphi & Phocẽses. Præter quos, HOMOLOCTOS populus huius sacri imaginẽ prætulisse tradũt. dissecto enim in minimas partes boue immolato, fœdus iũgebāt, & sacrũ faciebāt. Nec desunt, qui DIANÆ templũ, quod est in Lacõniæ finibus, huius figurã obtinere dicãt. Illic enim Laconẽs & Messenij statuto sacrificio, quod in diem certũ quotãnis faciunt, crebra concilia indicunt, & aduersus maximos conatus de summa rerum consultant. LVGDVNI quoq;, ubi Arar Rhodano cõmiscetur, cõmunis ara finitimos conciuit populos numero sexaginta: ad quod sacrũ singuli euocati, ingenti coacta manu, aduentabant, deq; rebus magnis indicto concilio decernebant. Concilium quoq; Aetolorũ, quod PANÆTOLIVM uocãt, magni nõminis fuit, in quo nisi in Panętolico & Pyrrhiaco concilio de bello uel pace decerni nihil poterat: In Palladis Ioniæ templo PAMBOEOTIA sacra, concurrente Bœotia tota, & concilia populorũ magno conuersu ad omnes hostiũ motus frequentia fiunt. Et PANEGYRES Athenis quinto quoq; anno, atq; in Neptuni tẽplo Heliconij ab uniuersis Ionibus conuẽtus & sacrũ fit, quod uocant PANIONIA. Fuitq; alter conuentus Amphictyonũ in TROEZENE templo Neptuni incipto, quo ex septẽ ciuitatibus populi ad commune sacrũ pati usu & commercio coibant. hæ fuere: Athenæ, Prasium, Epidaũrus, Aegina, Nauplia, Orchemenus & Mynius. Apud Cares aũt Chrysaorei IOVIS tẽplũ omnibus Caribus communis concilij locus erat: Et Sybaritis Omarij IOVIS delubrum, in quo Sybaritæ, Caulonitæ & Crotoniatæ conueniunt. Et Eoriis in Epitropto APOLLINE, ad quẽ conuenientes cũ uxoribus & liberis sacrificant, ibiq; ex omnibus oppidis & uicis, si qua consultatio fieret, ciues & incolę cõcilio adesse assuerant. Prę cæteris uerò SENONVM cõuentus fertur immanissimus, quo oẽs eiusdem sanguinis, statuto tempore in syluã religione sacram conueniunt: cæsoq; publicè homine, barbara feritate uictimã faciunt, & bellis consultant. Præter quos fuit conuentus in OLYMPIA Dianæ Alpheoniæ iuxta Alpheũ: sicut Elaphiæ & Daphniæ ac Laureæ, qui annis singulis stato die celebrantur. Alex.

SENATVS. PERPENDATVR

MATERIA.

ROMANVS Senatus adeò semper magni religionem fecit (quemadmodum M. Varro ad Cn. Pompeium scribit, in libro ubi ratio locusq; habendi Senatus ostenditur) ut nil aliud priùs quàm quod ad religionẽ pertineret proponeretur: nullaq;, quanquam grauior causa, uel quæ celeritatem requireret, hunc morem antecederet.

FORMA CONSVLTATIONIS.

ROGATIO.

Apud ATHENIENSES in frequenti senatu pro cuiusq; ætate sententiæ rogabantur. Alex. lib. 4. cap. 11.

LYCVRGVS, cùm essent adolescentes loquaciores, & in conciliis obstreperent, cauit edicto, ut nemo in foro, nec in publico cõsessu diceret, nisi regibus permittentibus. Idem.

Apud HEDVOS fuit constitutum, ut qui in senatu sententiã dicit, ex eadem familia neminem rogare posset, quid esset sententiæ & opinionis suæ. Idem.

Romæ ante legẽ, de Senatu habẽdo, latam, ordo rogandi sententias uarius fuit. Aliàs primus rogabatur, qui à Censoribus princeps in Senatum lectus fuerat: aliàs qui designati Cossẽrant. Quidã è COSS. studio aut necessitudine aliqua adducti, quem iis uisum erat, honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. Obseruatũ tamen est, cùm extra ordinem fieret, ne quis quenquam ex alio quàm ex consulari loco sententiã primam rogaret. C. Cæsar in consulatu, quem cũ M. Bibulo gessit, quatuor solos extra ordinẽ rogasse sententiam dicitur. Ex iis quatuor, principẽ rogabat M. Crassum. Sed postquã filiam Cn. Pompeio desponderat, primum cœperat Pompeiũ rogare. Testis Tyro Tullius M. Ciceronis liberrus, qui hoc se ex patrono suo audisse scribit. Idipsum Capito Ateius in libro de Officio senatoris, confirmat. Gellius lib. 4. cap. 10.

AVGVSTVS sentẽtias de maiore negotio, nõ more, neq; ordine, sed prout libuisset, prærogabat: ut perinde quisq; animum intenderet, ac si censendum magis quàm assentiendum esset. Suetonius.

DICTIO.

ATHENIS præconе pronũciante in theatro uel curia, stãtes singuli decernebant, quid suæ opinionis foret. Alex. l. 4. c. 11.

SYRACVSANIS nemo sentẽtiam dicit rogatus, sed ut quisque ætate & honore anteit, ita sua sponte, quid sui consilij sit, in medium affert, non rogatus: aut si tacent omnes, sorte dicere cogũtur: quib. in usu erat, ut in cõcionẽ proditurí, per literarum elementa sorte educerentur. Quare Dionysius proditurus, cùm M sortitus fuisset, futuram sibi monarchiam cauillatus est. Alex. lib 4 cap. 11.

ROMÆ ius senatori erat, ut rogatus sententiã, perpetua oratione, & quàm uoluit diu, dicendo diem absumeret: adeò, ut nonnullos horis septem, plerosq; dies totos concionem in senatu habuisse tradant. Alex. lib. 4. cap. 11.

SVFFRAGATIO.

REGIBVS Lacedæmoniorum binos calculos ponendi, cùm sententiam dicunt in senatu, facultas erat: tertium uerò, si quid pro se decerni uellent. Alex. lib. 4. cap. 11.

Pedarij senatores ROM. dicebantur ij, qui in senatu quidem sedebant, uerùm sententiam non rogabantur, sed in aliorũ sententias pedibus discedebant. Vnde referente Festo Pompeio in dictione Pedarius, à Lucilio dicti sunt Agipedes, quòd pedum discessione dicerent sententiam. Gellius noctium Atticarum lib. 3. cap. 18.

Veteri consuetudine, quoties ingens erat turba suffragia ferẽtium, pedibus discedebant in sententiã. Liu. decadis 1. lib. 7. Vbi sententiã meam uobis peregero, tũ quibus eadem placebunt, in dextrã partẽ taciti transibitis: quæ pars maior erit, eo stabitur consilio. Et aliquanto pòst: Quibus hæc salutaria uidentur, agite dum in dextrã partem pedibus transite. Omnes transierunt, uadentemq; per intermissa custodiis loca Decium sequuti sunt. Erasmus in Adagiis.

Qui uultu ac gestu significant se assentiri, Toto corpore in sententiam discedere dicuntur.

Suffragiorũ genus, quod porrectis manib. peragitur, Græciuocãt χειροτονίαν, & χειροτονίαν, quã uocẽ usurpãt & sacrę literæ. Vopiscus in uita Aureliani Imperatoris indicat & manuũ porrectione sententiam alienam comprobari solere.

EFFICIENS PRINCEPS, Senatores

QVALES. Quo ad

Officium.

A' Lycurgo Spartanorũ legislatore SENIORES constituti, qui de republica cum regibus, qui duo erãt numero creati, consultarent. Is ordo uelut arbiter fuit inter regiã potestãtẽ & uim multitudinis, ne aut hæc contumacia sæuiret, aut imperio illi. Octo & uiginti seniores (tot enim Aristoteles fuisse scribit) duobus regibus assidebant, ne nimium Democratia inualesceret prouidentes: & rursus ne qui regnum tenerent, tyrannicum quippiam molirentur. Quæ hic ordo decreuisset, cætera multitudo ut sciret, necesse erat. Sab. lib. 1. Enneadis 2. Hi autem ueluti præsides & reipub. custodes, tantæ

tantæ auctoritatis fuere, ut si populus regem aut magistratum quempiam iussisset, id sic ratum foret, si senatus auctor fieret. Leges quoq; à populo latæ haud aliter ratæ fuerunt, quàm si patrum consensu approbarentur. In reliquis uerò ita præscripta senatus potestas erat, ut iudicium populi auctoritate senatus rescindi non posset. Alex. lib. 4. cap. 11.

ROMÆ si, cùm senatus cogendus foret, ad consulis edictum non conuenirent, aut contumaciùs parerent, pignoribus & multa plectebantur. Si qui tamen senatores quintum & sexagesimum annum ætatis excessissent, eos cogi inuitos, aut contumaces pignore uel pecunia plecti non licebat. Alex. lib. 4. cap. 11.

Mores, Virtutem.

Pacuuius Calanus, senatus CAMPANI periculum, quod ei à plebe Hannibalis opibus post uictos ad Thrasymenum Romẽ fauenti imminebat, ingeniosè discussit. Namq; plebẽ de perdendo Senatu morem se gerere uelle ostendit, ut tamen antè de alio sufficiendo Senatu paciseretur. Cùm ergo senatorum damnatione incepta, ipsius plebis iudicio non inueniretur, qui honestè in Senatu legi posset, deteriorumq; electionis puderet, atq; res eò uergeret, ut nihilominus omnes in damnatorum locum suffici se cuperẽt: quia alia ratio tollendæ contentionis, meliorumq; habendorũ non erat, de Senatus mutatione integra res relicta est. Fulgosius lib. 7. cap. 3.

CONSTANTINVS Magnus Imp. uicto Maxentio tyranno, Romano senatui auctoritatem pristinam reddidit, ac dignitatem eius in perpetuum curæ sibi fore spopondit, optimatibus in Senatorium ordinẽ ex omnibus prouinciis lectis, ut senatus non tam nomine, quàm re, illustrior esset, cùm ex totius orbis flore constaret. Sigonius lib. 3. Imp. occid.

Sexum.

Lege sancitum fuit ROMÆ, ne mulieres cuiusuis negotij causa senatum aut curiam adirent, nisi quòd Heliogabalus Senatulum mulierum in colle Quirinali cõstituit primus: qui præter mores institutaq; maiorum, ut ordine senatorio mater admitteretur à senatu, peruicit. Alex. lib. 4. cap. 11.

Claudij & Neronis Imp. tempore, cùm non pro dignitate uideretur, Agrippinam patrum consultationibus admitti, decreuere patres, ut à tergo abditis foribus starẽt, uelo discreta, quod uisum arceret, auditũ admitteret. Alex. lib. 4. c. 11.

Aetatem.

Apud BITHYNOS, minorem annis triginta in Senatum adscisceré nequaquam licebat.

Senes Lycurgus primùm eos qui cœpti fui fuerant participes designauit SENATORES, numero 28, iisq; duos addidit reges. Deinde in locum demortui suffici iussit eum, uirtute qui esset præstantissimus iudicatus, sexaginta annis maior. Plutarchus.

AVGVSTVS Cæsar liberis Senatorũ, quò celeriùs Reip. assuescerent, protinus uirilem togam, latum clauum induere, & ciuitiæ interesse permisit. Suetonius.

IDEM, ut nisi exacto quarto & uigesimo ætatis anno in Senatum neminem admitterent, præter admodum paucos, ob egregiam uirtutis indolem, edicto cauit.

ROMANI pueros patricios cum parentibus in Senatum ducipermittebant, ut consiliis sapientum iam inde à teneris assuescerent. Durauit ille mos usq; ad Papyrium Prætextatum. Macrob. lib. 1 Saturn. cap. 6. & Gellius lib 1. cap. 23.

VENETI, in festo die diuæ Barbaræ, iuuenes aliquot patricios, qui uigesimum ætatis annum impleuerint, in patrum principisq; collegium sorte extrahunt, qui in maioribus comitiis ius ferendi suffragia habeant. Alioqui enim ante 25. annum in Senatum non admittuntur. Egnatius lib. 3. cap. 2. & Sabellicus de Magist. Ven.

Opulentiam.

Census senatorius apud ROM. olim ad numos octingentorum millium fuit: quem Cæsar Augustus & sequuti principes ad duodecies centies sestertium auxerunt: & ne quis eorum inops aut egens foret, illos largo uiatico & magnis muneribus prosequuti sunt. Alex. lib. 4. cap. 11.

Allecti, inquit Festus, dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum erant numerum assumti. nam Patres dicuntur, qui sunt patritij generis: Conscripti, qui in senatu sunt scriptis annotati. Hotomannus de Verbis iuris.

Patriam.

MANTONINVS Philosophus, ut senatores peregrini quartam bonorum & fortunarum saltem in Italia possiderent, lege sanxit. Alex. lib. 4. cap. 11.

Dignitatem, Censum.

Romulus condita urbe, omnes spectata uirtute uiros, & quibus tum filij essent, pollerentq; inter alios opibus, ab ignobili multitudine discretos, PATRES appellauit. Eorũ progenies Patricij deinceps dicti. Patres dictos ferunt, quòd liberorum ingenuorum essent parentes: alij, quòd parentes suos laudare possent: quod ex colluuie illa ciuitatis prima licebat paucis. Sunt, qui à patrocinio, Patronem quendam, qui secutus fuerat Euandrum aduenam, defensorem inopũ & uindicem, huic rei nomen arbitrantur tribuisse. Verius uidetur, Romulum, principum & potentissimorum censentẽ parteis esse, ut patria cura & sollicitudine complecterentur demissiores: simulq; docentem plebem, ne timerent præstãtiores, néue inuiderent honoribus eorum, sed uterentur iis cum beneuolentia, ac ducerent patres appellarentq;, id nomen his dedisse. Nam nunc quoq; senatores, cum amplissimo & honoratissimo, tam minimè inuidioso nomine, Patres Conscriptos uocant: principiò Patres tantũm, pòst numero amplificato (uel cùm Sabini à Tito Tatio sunt Romã traducti, & in Senatum allecti: uel quando L. Tarquinius Priscus centum allegit, qui Minorum gentium patres sunt dicti, & CCC facti, qui priùs CC fuerant) Patres Conscriptos appellauẽre. Atq; eo tam uenerando uocabulo populum à senatu distinxit. Cæteros deinde, quibus maiores erant opes, secreuit à plebe, appellauitq; Patronos illos, hos Clientes. Plut. in Romulo.

AVGVSTVS Cæsar comitiis Tribunitiis, si deessent candidati, Senatores ex equitibus Romanis creauit: ita ut potestate transacta, in utro uellent ordine manerent. Suetonius.

Comitatum.

Senatores ROM. olim, qui curulẽm magistratum gessissent, curru in curiam uehebantur, honoris gratia, in quo curru sella erat, supra quam considerent. Otium cum sceptris, si duces aut uiri consulares fuissent. At qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus in curiam ibant: & propterea Senatores pedarij nominabantur. Hæc C. Bassus in suis Commentariis. At M. Varro in satyra Menippea scribit, in Senatu Romæ alios fuisse Senatores, qui sententias rogabantur, utpote à censoribus iam in Senatum lecti: alij non erant, nondum tamen in Senatorium ordinem à censoribus lecti, in Senatum tamen ueniebãt, eo quòd honoribus populi usi essent: neq; sententias rogabantur, sed quas principes dixerant, in eas descendebant. Et propterea Pedarij fuere dicti. Attestatur huic rei Laberij uersus, Caput sine lingua, pedaria sententia est. Gell. lib. 3. cap. 18. Noct. Att.

Fuit uetus ROMÆ constitutum, ut adolescentes senatorum filij, primo flore ætatis, parentes & necessarios in uestibulo curiæ operiant, illosq; senatu egressos domum reducant & comitentur. Alex. lib. 4. cap. 11.

QVOT.

CRETENSES decem habuere præfectos Senatorum loco, qui de rebus maximis decernebant. Apud EPIDAVRIOS centum & octoginta rempublicam administrabant, ex quibus nobilissimos popularium deligebant Senatores, quos Artinos uocabant, & Conipodes. Alex. lib. 4. cap 11.

MASSILIENSES rem omnem urbanam per optimates & aristocratiam regentes, omnes legum æquitate superabãt: consilium ex sexcentis uitis instituentes, quos Timitos, id est honorificos appellabant. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Strabo libro 4. Timuchos uocat.

In GNIDO sexaginta prefuere ex optimatibus, Amnemones appellati, ad quos res maximas & graues referebant. Alex. libro 4. capite 17.

Senatus ATHENIS fuit quingentorum, qui unà cum tribunis & quæstoribus, senesq; cum iunioribus de rebus singulis decernebant. Alex. lib. 4. cap. 11.

Apud SERES maximus ordo ex quinq; millibus consiliariis cõstabat, qui in apparatu belli elephantẽ singuli prestare tenebantur. CROTONIATÆ congregato mille uirorum lectissimorum numero, de rebus grauioribus consultabãt. Alexand. lib. 4. cap. 11.

Apud ARGIVOS octoginta uiri, item apud MANTINENSES: in Elide aũt LX Senatus uice fungebantur. Idem.

Senatores à Romulo centum creatos fuisse, qui ob honorem PATRES dicti sunt, quorum consilio Respublica domi fuisq; niteretur: & deinde urbe cum Sabinis & Tatio cõmunicata, centum alios additos fuisse, scribit Liu. lib. 1. Dec. 1.

Primus P. Val. Poplicola, post exactos reges, Patrum numerũ à Superbo cædibus imminutum expleuit, & amplissimum ordinem auxit, quatuor & sexaginta supra centum ex equestri ordine in consilium cooptatis, ita ut trecentorum numerum faceret, qui Adlecti dicti sunt. Quos enim post exterminatos reges, ætate graues, spectataq; probitatis uidebant, senatui tanquam grauissimo sanctissimoque concilio adscribebant. Quibus quum alij in locum decedentium suffecti, & in senatum literis adscripti essent, Cõscriptos uocarunt, modò plures, modò pauciores: ita ut frequens senatus, & quicquid erat patrum, ex ferè trecentis senatoribus constaret. Alex. lib. 4. cap. 11.

Cùm C. Iul. Cæsar supra mille senatores, belli casibus imminuto ordini adsciuisset, AVGVSTVS Octauius selectos & purgatos

purgatos duabus lectionibus, remotis indignissimis, in pristinum decorem reuocauit. Suetonius.

QVANDIV.

Senatorib. ROM. ad plebē transire, & iura patrū amittere, & plebeia subire Romæ licuit: quod præter M. Manlium, qui primus à patribus ad plebem defecit, aliis pluribus datum & permissum fuit. Alex. lib. 4. cap. 11.

TEMPVS.

PERSÆ de rebus maximis inter uinum consultant, quas ipsi firmiores putant, quàm quæ in sobrietate fuerint deliberata. Strabo lib. 15.

Plutarchus in Symposiacis, decade septima, problemate nono, citat Platonem, qui scripserit, apud LACEDÆMONIOS (ni fallor) fuisse νυκτερινὸν σύλλογον, id est, Nocturnum cōuentum grauissimorum, ad quem difficillimæ causæ relicie bantur. Addit apud ueteres noctem ἐυφρόνην fuisse uocatā, παρὰ τὸ φρονεῖν, à bene sapiendo. Erasmus in Adagiis.

AVGVSTVS Cæsar, ut Senatores lecti probatiq; & religiosius & minore molestia senatorio munere fungerentur, sanxit, ut prius quàm consideret quisquam, thure ac mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur: & ne plus quàm bis in mense legitimus Senatus ageretur, Calendis scilicet & Idibus: néue Septembri, Octobrique mense ullos adesse alios necesse esset, quàm sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent: sibiq; instituit consilia sortiti semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis antè tractaret. Suetonius.

IVDICVM. IVDICIORVM

MATERIA. NEMPE

DE REBVS.

Actionum publicarum & priuatarum species apud ATHENIENSES, Sigonius lib. 3. de Rep. Athen. commemorat.

Apud ATHENIENSES & MACEDONES lege cauebatur, ut haud secus aduersus malè meritos ingrati actio detur, ius iudiciumq; dicatur, ac si ære alieno, aut graui crimine nexi forent: nam beneficij memoriam (auctore Demosthene) qui recipit habere debet: qui uerò dedit, statim obliuisci. PERSÆ quoq; illum qui accepto beneficio, gratiā, quū possit, non refert, graui pœna prosequuntur, in eumq; lege agere licet, tāquam magno esset scelere pollutus. GERMANI contrà: nam collati beneficij merito nihil sibi deberi putant, neq; acceptis obligantur. Alex. lib. 5. cap. 1.

Βεβαιώσεως actio ATHENIS erat, quam intendunt emtores uenditori, si alio quopiam rem uenditam sibi uendicante, uenditionem non confirmet. Interdum etiam arabone tantùm dato, si uenditor controuersiam mouisset, is qui arabonem dederat, confirmationis litem mouebat ei qui illum accepisset. Suidas.

Ἐφέται XXC iudices capitalium causarum, quinquagenariis maiores, & singulari opinione probitatis: dicti EPHETÆ, quòd ab eis non esset prouocatio. Dicebant autem ius uel in Palladio, uel in Prytaneo, uel in Delphinio, uel in Phreate. Suidas.

ATHENIS magistratus fuit, cui Zeteta nomen: apud quem si quis integrum æs debitum non soluisset, conueniri lege poterat. Alex. ab Alex. lib. 1. cap 7.

Si quis apud ATHENIENSES inconsultæ cædis reum fecisset, eumq; nocentem esse apertè ostendisset, pòst autem ei ignouisset, atq; remisisset, non amplius eiiciendi eius potestatem retinebat. Neq; enim, si qui passus erat, ei qui fecerat, ante obitum cædem remiserat, reliquorum cognatorum ulli ius actionis habebant. Sed quos eiici, & exulare, si conuincerentur, & morte afficī leges iuberent, hi si semel sibi ignotum esset, omnibus periculis exoluebantur. Sigonius l. 3. de rep. Athen. ex Demosthene aduersus Pantæpetū.

LOCRIS, cùm duo adolescentes de seruo contenderent, euenerat ut apud alterum (quem placeat Primum appellare) plusculum antea temporis moratus & educatus esset: interea quoq;, ut cùm Secūdus rus abiisset, seruus sese à Primo in domum Secundi subduxisset, & ibi domino absente & ignorante biduo permansisset. Re cognita, Primus ad ædes Secundi se contulit, hinc seruum abstrahit, ducit in ius, suū esse ait: imò ille suum. Interim de possessione oritur controuersia. Primus satisdationem offerebat, Rem, si ita iudicatū erit, restitutum iri: etenim ex Zaleuci lege, hunc tantisper rei, de qua lis est, quandiuq; iudicium agitur, possessione, uindiciis atq; interdicto superiorem esse, apud quem litis ordinatæ tempore seruus moratus, educatus esset. Secundus ex aduerso dicebat, legem pro se ipso facere: nam seruum apud se nouissimè educatum esse: ibi postremò seruitutem seruiuisse: quod uel ex eo manifestum est, quòd è domo sua familiaq; in ius ad magistratum tractus, abductus sit. Igitur apud se, potissimùm pendente lite, commodum possessionis esse oportere: cæterùm fideiussores dare se paratum esse. Primus etsi concedebat ex ædibus suis hominē in ius non esse adductum: nihilominus aiebat hunc sese etiam antea è domo sua subduxisse, neq; alio iure in possessionem Secundi peruenisse. Eum qui ui rapuerit, traxerit, duxerit, etsi pro possessore possideat, iure tamen possidere nō uidetur: nec iustam hanc educationem esse, quæ non pacifica fuit, sed controuersa. Iudices admisso & cōsulto Cosmopolide (quia de interpretatione legis agebatur) ita pronunciarunt, Educationem semper eos præstitisse uideri, apud quos id, quod in disceptationem uenit, postremò quidem uel aliquo tempore, sed sine controuersia fuerit: nunquam uerò possessionem uiolentam ulli agenti proficere, qui ab aduersario ui, clàm aut precariò possideat, quò magis postremò possedisse uideatur. Secūdus Patres appellauit. Cosmopolidem iudicio prouocat, cum Zaleuci legibus incongruam interpretationem attulisse: nec eam mentem legislatoris esse, quam non ex uerbis legis, sed ex ambagib. collegerit. Cosmopolis de sententia legis cognosci non recusabat, modò sub Zaleuci conditionibus: quæ erant huiusmodi, ut ei undiq; adstantibus militibus laqueus imminereret, si uideretur deteriorem uerbis legis interpretationem populo attulisse. Sed facetè adolescens respondit, iniquam esse cōditionem: nam Cosmopolidi grandæuo, si uictus fuerit, biennij aut triennij: sibi adolescenti, maioris meliorisq; ætatis periculum, damnum iacturamq; fore. Itaq; hoc etō faceto & urbano elusit quidem iudicij seueritatem, cæterùm patres pro Cosmopolide pronunciarūt. P. Aerodius ex Polybij lib 12.

Centumuiri apud ROM. de hæreditatibus, testamentis, usucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, alluuionib. nexis, mancipiis, & stillicidiis quàm maximè ius dicebant.

Si in Prouincia Proconsul, Legatus, Præses, Quæstor, aliusue magistratus Populi ROM. iniuriam à prouincialibus accepisset, aut eis contrà intulisset, querela Romā deferebatur, eratq; Senatus de hac re iudicium, siustrà omnino opposita à Prouincialibus fori præscriptione: ut in causa M. Aurelij Scauri iudicatum est. Nam eo postulante, quòd is Ephesi se Quæstorem ui prohibitū esse dicebat, quò minus à fano Dianæ seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret: Pericles Ephesius homo nobilissimus Romam euocatus est, quòd auctor iniuriæ illius esse diceretur. Cicero Verrina 2.

Inter populum Carthaginensem & regem Masanissam, inire præsenti disceptatores ROMANI de agro fuerunt. Ceperat eum à Carthaginensibus Gala pater Masanissæ. Syphax rex Numidarum Galam inde expulerat: posteaq; in gratiā soceri Asdrubalis, Carthaginensibus dono dederat. Rursus cùm Masanissa Carthaginenses agro expulisset, haud minore contentione animorum, quàm cùm ferro & acie dimicarent, apud Romanos res acta est. Dicebant Carthaginēses, quod primò maiorum suorum fuisset, deinde à Syphace ad se peruenisset, id se meritò repetere. Ex aduerso Masanissa, paterni regni agrum & se recepisse, & nunc iure gentiū possidere: isto; modo se & causa & possessione superiorem esse. Legati possessionis ius non mutarunt, causam integram ad Senatum reiecerunt. P. Aerodius ex Liuij lib. 10. Dec. 4.

Olim ad Ecclesiasticos iudices, non autem ad laicos, cognitio de Magis in GALLIA pertinebat: quam in sententiā, perfequente Episcopo Parisiensi, decretum Parlamenti factū est, anno MCCXXCII. Postea uerò iudicibus laicis cognitio attributa, Ecclesiasticis ademta est, sancto Parlamenti eiusdem decreto, anno MCCCXC. Deinde Pullalerius, Laodunensis Tribunus militum, captis complurib. Magis, cùm de iis uellet cognoscere, impeditus est decreto Curiæ: quo tempore sic architectabatur Satanas, ut quicquid de Magis prædicabatur, ,,p fabulis haberetur. Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 5.

DE PERSONIS.

CAIVS Imperator seruis, si quid quererētur de dominis, palsim accusandi, & contra eos lege agendi facultatem dedit. Alex lib. 3 cap. 20.

Fuit aliquando in usu, ut de seruis in dominos nec quæstio haberi, nec iudicium dari posset (Quod TACITVS Cæsar cauit edicto, ut ne maiestatis quidem causa contra dominorum capita seruis admitteretur, aut per eos inquirerent magistratus) Tiberius, ut contra Libonem per seruorū quæstiones inquireret, fraudē legi fecisse dicitur, quòd illos emancipari, & deinde per tormenta inquiri iussit.

Fuit DVX Carinthiæ uenator imperij, ad quem lites uenatorum omnium deferebantur: uocatus ab aliquibus coram Imp. accusantibus, non nisi Slauonica lingua respondere tenebatur. Aeneas Sylvius cap. 20. Europæ.

Omnes Aquilonarium mercatorum controuersiæ, quantum attinet ad ius naufragandi, à VISBYCENSIS urbis Coss. è Gothlandia insula diriminntur. Olaus Magnus lib. 2. cap. 24.

FORMA.

Apud ueteres AEGYPTIOS iudicia nō uulgari cùm diligentia fiebant: existimabant enim sententiarum lationes maximi esse ad communem uitam momenti in utranq; partem. Nam punire nocentes, auxilium ferre oppressis, optimā ad prohibendā mala facinora uiam putant. Pœnam uerò delicti aut pecunia aut gratia tolli, existimabant confusionem uitæ cōmunis fore. Quamobrem ex urbibus clarioribus, ut Heliopoli, Memphi, Thebis, uiros optimos eligebant, quos iudicijs præficerent: qui iudicum consessus neq; Athenarū Areopagitis, neq; Lacedæmoniorū senatui cedere uidebantur. Postquam hi conuenerant triginta numero, inter se eligebant optimum uirum, quem iudicij principem cōstituebant: in locū cuius ciuitas alium iudicem substituebat. His omnibus uictus, sed principi opulentior, à rege dabatur. Is aurea catena signum uarijs ornatum lapidibus à collo suspensum, quod appellabāt Veritatem, gestabat. Cœptis iudicijs, ac signo Veritatis à principe iudicū proposito, omnibusq; legibus, quæ octo libris cōtinebantur, in medio eorum cōstitutis, mos erat accusatorem scribere ea in quibus alium accusabat, modumq; patratæ iniuriæ, aut damni facti, quantiq; eam æstimarer. Reo autem dabatur tempus rescribendi ad singula, aut se id non fecisse purgandi, aut iniuriam uel damnum minoris æstimandi. Rursus accusato tireoq; inuicem respondendi locus erat. Ita bis auditis litigatoribus, cùm iudices de cōtrouersia quæsissent, princeps signo Veritatis in partem ueriorem uerso, sententiam ferebat. Hic mos iudiciorum apud Aegyptios erat, existimantes accusantium excusantiumq; altercatione & scriptis ueritatem maximè elici posse. Diod. lib. 1. cap. 6.

Senatus AREOPAGI, qui causas de cæde iudicat, hic mos est patrius, ut ubi in pagum ascenderit, de cæde aut uulnere exindustria, aut incendio iudicaturus, potestatem dicendi faciat utrique litigatori. Ita separatim dicunt accusator, & reus, aut ipsi, aut patronos adducunt. Æquo animo, & cū silentio audit Senatus. Quòd si quis exordio colligendæ benuolentiæ causa utatur, aut misericordiam, aut indignationem alicunde commoueat, qualia multa oratores aduersus iudices compararunt, statim per præconem silere iubetur, non permittentem eos audiente senatu nugari, & rem uerbis inuoluere, ut facta nuda Areopagita inspiciant. Sub dio autem iudicium exercebatur, ne iudices in eundem locum conuenirent atq; illi qui manibus essent impuri. Summo item silentio iudicabant. Sigonius lib. 3. de rep. Athenienſium, ex Luciani Hermotimo & Anacharside.

Πρωτοδικεῖον dicitur Iustiniano, iudicium, quum quid reo absentem disquisitionem uenit, superq; iure controuerso mota lite, solus actor nullo se opponente exercuit, cōtraq; reum, indicta causa, lis data fuit: κατὰ τὴν ἐρημίαν, hoc est, solitudine, eo quòd solus actor, nullibi reo comparente, nec signis collatis (ut aiunt) obtinuit. Cōtra quod Rescissionem plerunq; dari leges uoluere. Alex. lib. 4. cap. 15.

Apud ROM. olim inter quos erat de agro aut simili re controuersia, in rem præsentem ueniebant, & apud prætorem uindiciarum causa manus cōferebant, hoc est, alter alterius manum corripiebat. Sed quum propagatis Italiæ finibus, gratuarentur prætores uindiciarum causa longius proficisci, institutum est, ut litigantes non ex iure apud prætorem manū consererent, sed ex iure manu consertum uocarent, hoc est, alter alterum ex iure ad conserendū manum in rem de qua ageretur uocaret: simulq; profecti in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, aut unā glebam in ius in urbem ad prætorem deferrent, & in ea gleba tanquā in toto agro uindicarent. Gellius lib. 20. cap. 9.

Centumuiri apud ROM. quum iura daturi erant hasta posita in unum coibant, illorumq; iudicia in duas hastas diuisa erant. Ideo centumuiralis hasta sermonibus celebratur.

Iudicium de nocente sic fiebat ROMÆ, ut prætor tribunal in primis ascenderet, noxio post terga ligatentur manus, misso præconio silentium fieret, legitima deinde prætoris proferrentur uerba: classicum ad spectaculum postea canerent, suppliciumq; de noxio sumerent. Quod plerunq; non statim sumebatur: quippe senatusconsulto Tiberij tempore, & per alias constitutiones actum fuit, ut damnatorū pœna in decimum semper differretur diem. Alex. lib. 3. c. 5.

Annandus præfecturam primam in Gallia gesserat cum magna popularitate, secundam uerò cum maxima populatione. Onere inde alieni æris oppressus, metu creditorum successuros sibi optimates æmulabatur, omnium colloquia detidebat, consilia explorabat, officia contemnebat: donec odio publico flagrans, & priùs cinctus custodia, quàm potestate discinctus, capi ab Imperatore, & ROMAM duci est iussus. Eum Arueruorum primores publico nomine accusarunt. Subitò igitur iure geminā præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus gesserat, spoliatus, & plebeiæ familiæ redditus, publico carceri adiudicatus est. Inde iudicio comperendinato capite multatus, in insulam est coniectus, ubi usq; ad inimicorum dolorem deformatus ex senatusconsulto Tiberiano triginta dierum uitam post sententiam traxit, uncum, & gemonias, & laqueum carnificis in horas expectans. Hæc Sidonius & Cassiodorus an. 469. Sigonius lib. 14. Imp. occid.

CIMBRI olim iuris dicundi iudicijque exercendi hunc habebant morem. Erat uniuersa ditio in certas parœcias siue curias diuisa. Hæ statis temporibus locisq;, pro se quæque seorsum, suis cum armis patente sub dio in campis conueniebant, aderantq; eiusdem loci uiri nobiles, qui uelut testes iudicio assiderent. Ibi in medium prodibant, qui contra alios litem habere se existimarent: auditisq; & cognitis partis utriusq; actionibus defensionibusq;, conuentus uniuersus in consilium ibat: iidq; temporis spacium, quod interim deliberando terebatur, Curam uocabant. Expensis diligenter & uelitatis in partem utramq; controuersijs, in contessum redibant, uocatisq; litigatoribus de iure pronunciabant. Si quis stare iudicio non uellet, ad duodecim constitutos siue iudices siue arbitros, & ab his ad uniuersæ ditionis conuentum prouocare ei licebat. Hæc minuendarū litium iudicijq; consuetudo semel quotannis obseruabatur. Et est in hunc usq; diem locus non procul Rendesburgo, qui annuæ trabis nomen ab eo iudicij more etiamnum retuetur: sollentq; illic nunc quoq, terminandis controuersijs nonnunquam conuentus haberi: ac fuerunt præterea in alijs Chersonnesi partibus similia loca, quorum memoria longinquitate temporum intercidit. Auctor belli Dithmarsici lib. 1.

REGNERVS Danorum rex statuit, ut omnis controuersiarū lis, remotis actionis instrumentis, nec accusantis impetitione, nec rei defensione admissa, duodecim patrum approbatorum iudicio mandaretur. Saxo lib. 9.

CANVTI II. Danorum regis lege, si quis commilitonū suorum quempiam manu, ferro, uel fuste læsisset, aut si quicquam uiolenter eius manibus extorsisset, comámue alieni capitis uiolasset, postremò si maiestati insidias struxisset, tanquam capitalis criminis reus, clientela amotus, militari munere priuabatur. Is nanq; qui iniuria affectus fuerat, regem sella posita ius militi dicere postulabat: deinde reum, ut in concionem ueniret, tertio citatorum ordine prouocabat. Vnumquenq; bini duntaxat commilitones explebant. A' quibus si reus in quæstionē publicam deducendus rem familiarem possedisset, domi semel, bis in curia apud discubitus sui locū præsens absensue postulari solebat. At si fundo careret, eo loci, ubi in aula accubare cōsueuerat, ter spōsione prouocandus fuerat. Concione inita, qui prouocauerant, sincerè se reum postulasse, nihilq; in ea causæ dictione sauoris aut offensæ respectui indulsisse iurabāt, simulq; & citatorum & testium partibus inserebant. Consequenter in reum principalis facti testimonium à duobus denunciandum restabat, iuramēto præfari iussis, nec actoris animo re, nec rei odio quicquam se præter oculis aut auribus explorata dictutos. Nam in quæstione læsæ maiestatis propensior auditui fides haberi consueuerat. Cæterum testimoniū in oculis reponebatur. Præterea obiecta defensionis præsidio repellere non licebat. Siquidem testium criminatio, neque alieno patrocinio, neq; propria cuiusquam repulsione subrui poterat. tantū quippe auctoritati ipsorum pondus inerat, ut assertionis eorum fidem eleuare, proxima sacrilego demētia putaretur. Ita reus aduersum testimonij fulmē, nec culpam nec innocentiam ullo argumento tueri potuit. Sed neq; ei si sponsione prouocatus fuisset restipulatione uti licuit. Rationē testium dictrita iudicum insequebatur auctoritas, reum ucluti cuidēter noxium, nihilq; iam pro se recusantem, honore, opibus, patria, atq, omni demum militari functione damnantium. Hostibus eius honos atq; impunitas adiudicabantur. Luxtà in præsentē absentemq; sententiæ ferebantur. Sua nulli longinquitas præsidio esse poterat, quò minus & accusatio testibus, & damnatio sententijs instrueretur. Quarum utraq; plenè partes suas exhibente, reo defensionis amplecti præsidium non licebat. Tum demum rex cognitione suscepta, an ea cæteris pronunciatio placuisset, interrogabat. ipse enim auditoris tantū partem exequens, militiæ iudicationis mandabat arbitriū, deformè ratus damnare uiros, quos ipse fouisset. eaq; propter in eos, quorū egregia opera usus fuerat, aspere pronunciare uetitus, quæstionem ad se delatam, ad curiæ cognitionē relegabat, silentiumq; moderationis suæ fidem, quam sententiam seueritatis testem esse malebat. Cùm demum, audita militū responsione, totus concionis suffragia iudicationi consentanea noscerentur, qui damnatus fuerat interrogari solebat, terreno an maritimo secessu fugam petere decreuisset. Quod si reus mari se credere delegisset, eō commi-

commilitonum frequentia prosequendus, dataque naue, remigijs, commeatu, uasculo egerendis aquis idoneo, tandiu in litore operiendus fuerat, donec remi, si eis nauigatio geereretur, uel si uelis, antennæ extra conspectum abijssent. Tum deniq; qui profugerat, superiori ab omnibus sententia repetita, amarissimorũ maledictorũ uerberibus laceratus, tristissimis totius militię suffragijs damnabatur. Qui si tempestate in litus relatus fuisset, continuò ut hostis habitus violatę societatis pœnas pendebat, discrimenq; capitis eius funesto damnationis incursu cupide à commilitonibus expetebatur. At si terra fugere maluisset, ad nemus usq; pari militum cura comitandus erat, cũctis tandiu in eius abitu expectantibus, quousq; procul ipsum abesse cognoscerent. Ac tunc demum ter ualidè edendus clamor, ne fugiturus ullo ad eos errore referri posset. Tunc demum districta etiam inexorabilis omniũ seueritas, cunctis solennì iure completis, ne de indemnato supplicium sumere uideretur, supremam reo damnationem intendit, effecitq;, ut qui se à specioso militiæ conuictu abruperat, turpiter uagã uitam prosertiptus exigeret. Ita militaris disciplinæ rei, iudicialis ignominiæ grauitate in abiectissimorũ conditionem relegabantur. Adeò enim rex contumeliã sontium non sanguinẽ sitiebat, ut eos probroso castigationis genere quàm cruento punitiores putaret. Si quis autem ei postmodum commilitonum uno telo aut comite superior obuio peper cisset, ipsius se contumeliæ participem præbuit, cuius culpã uindicta prosequi formidauit. Quòd si reus ab actore testimonio superari nequiret, sex secum commilitonibus in iusiurandum accitis, culpæ quæ objiciebatur alienũ se fuisse monstrabat. Ac si commilitonum quis eum quem militiæ consortem nescisset iniuria per ignorantiam affecisset, ad conciliandam errori suo fidem, prædictũ sodalium numẽrum in sacramẽti societatẽ contrahere debuit. Saxo lib.10.

Apud VNGAROS legale iudicium breue quidem, & formidolosum est. Quicunq; huc tribunal accedunt, hastam subire coguntur: perorata utrinq; causa, in cuius caput hasta diminitur, is capitis reus habetur, præsentaneoq; supplicio multatur. Bonfinius lib.6.Dec.4.

Apud RVSSOS iudicia exercẽt duodecim numero uiri. Vnus aliquis è collegio cognoscit causam crimeu'ue: id cognitũ ad collegas defert, interdum & ad regem, si res maioris est ponderis, quàm ut pro collegio uindicari possit. Si reus nequeat conuinci, parumue liqueat factum, cum accusatore cogitur de uita dimicare, atq; ita victor duplici pecunia donatur, quàm lis fuerit æstimata. Sab.lib.3 En 10.

EFFICIENS PRINCEPS, IVDEX. IVDICES

QVI. Puta

Sacerdotes.

Apud ISRAELITAS, ex Domini præscripto, si quæ causæ difficiliores essent, quàm ut deijs possent iudices decernere, petebãt Hierosolymam, & à sacerdotibus atq; pontifice controuersiam sibi explicari postulabant. Quæcunq; illi statuissent, oraculi loco habebantur. Qui non paruisset, morte plectebatur. Deuter.18.

Apud AEGYPTIOS Iudices quondam fuerant, qui & sacerdotes. Aelianus lib.14.

Delecti.

Regij IVDICES Persarum ex toto populo deliguntur: suntq; perpetui, nisi delicti alicuius rei fuerint. Hi ius dicunt, & legum sunt interpretes. Herod. lib 3.

Occulti.

Carolus Magnus Saxones (siue Vestphalos) auctore & concitatore Godefrido Danorum rege rebellãtes, acie uictos, ac in potestatem redactos, omnes Transalbianos, cum liberis, uxoribus, mãcipijs in Franciam transtulit. Eorum sedes Abroditis, Venedisq; antiquissimis & cõuaratissimis Francorum socijs attributæ sunt. Citra Albim decimus quisque transmigrare iussus est: deceniq; tum millia Saxonum liberorum, cum paruis pignoribus, coniugibus, seruis per cætras passim Germanias distributa sunt. In quorum domicilia, grauissimi quiq; delecti, uitæ & morum probitate insignes, ex omni Germania translati, penes quos foret arbitrium & potestas animaduertendi etiã indicta causa, in pacis fideiq; uiolatores, religionisq; desertores. Inde ius, ut uocant, Vuestphalense deriuatum, silentio & taciturnitate sacrosanctum. Iudices, quos CONSCIOS (die Wissende) nuncupant, nescio quibus ceremonijs initiati se inuicem agnoscunt. Porrò profanis ritum prodere, religio est, & pro piaculo habetur. Neq; quisquam omnium adhuc inuentus est, qui huiusmodi mysteria euulgarit. Saxones quidem hac libertate animaduertendiq; libidine in officio terenti, explosa auita & scelerata superstitione, facta Christiana receperunt: ipsiq; in amicitiam & societatem Francorum adsciti, unus cum eis hactenus censetur populus. Auentinus libro quarto Annalium Boiorum, & Aemilius libro secundo, & tertio. Id iudicium usq; ad nostram duratætatem, uocaturq; VETITVM. Qui ei præsunt, SCABINI appellantur. Secretos habent ritus, & arcana quædam quibus malefactores iudicant. Ea nondum quisquam repertus est qui uel precio uel metu reuelauerit. Ipsorum quoq; Scabinorum magna pars occulta est, qui per prouincias discurrentes criminosos notant, & inferentes iudicio accusant, probantq;, ut eis mos est: damnati describuntur in libro, & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignaro suæ damnationis, ubicunq; repertus fuerit, supplicio afficitur. Aen.Syl.cap.36, Europæ. & Sab.lib.8.En.10.

QVOT.

In HELIÆA Athenis qui ius dicebant, mille uiri, aut mille quingenti, publica negotia disceptantes, è binis auterenis coacti prætorijs, Heliastæ, triobolum accipiebant, post iurisdictionem. Vnde ab Aristophane Trioboli cognati dicuntur. Omnes Athenienses olim dabant iusiurandum Heliasticum. Suidas.

Centumuiri, amplissimum iudicium, iura populo aliquandiu dixere apud Rom. à quibus nulla erat prouocatio: quorum iudicia centumuiralia dicta. Ex singulis enim tribubus tenì iudices selecti, populo ius dicebant. Et quãuis ex quinque & triginta tribubus, supra centum superessent quinq; usus obtinuit, ut ipsi centumuiri, eorumq; iudicia centumuiralia dicta sint. Alex.lib.3.c.16.

QVALES. QVO AD

Animũ, Mores.

AEGYPTIORVM sacerdotes olim etiam Iudices erant. Et quidem inter eos princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat. Eum omnium hominum esse iustissimum & sincerissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphyro gemma confectam gestabat, quæ uocabatur Veritas. Aelian.lib.14.de Var.histor.

Solon legislator Atheniensium, AREOPAGITAS instituit, quorum consilio leges ac maiorum instituta seruarentur. In hoc consilium publicum admittebantur Prætorij uiri duntaxat, & qui antea fuissent ἄριστοι. neq; item cò adoptabantur omnes sine delectu: sed quorum uirtus, fides, atq; integritas in rebus regendis, administranda Rep. iuuenq; dicundo, cui libet ciui cognita esset ac perspecta. Eorum mores quales fuerint, exponit Isocrates, & declarant pritica illa uersa: Sanctior Areopagita, Grauior Areopagita, Integrior Areopagita. Quin uel ipsum solum nomen Areopagita, proueti bij uice utiurpatur, de incorrupto iudice. Nemo enim in consilium illud cooptatus est, cuius mores spectatissimi non fuerint, & qui non probitatis suæ multa edederit documenta. Nec ullus ex omni memoria (dictu mirabile) repertus est, qui si quid uel ingenii haberet uitij, non illud, simul in Areopagum lectus esset, abijceret: tanta aliorum erat uirtus, ut nemo usq; adeò uitium aliquod perdità amplecteretur, quin eum puderet inter tantam puritatem solum apparere maculosum.

Ætatem: Iuuenes. Senes.

Nemo ATHENIS iudicabat, nisi annos natus circiter 60. Qui uerò integra ætate erant, concionem quidem ingrediebantur, sed non iudicabant. Demagogi itaq; impetrarunt à Repub. ut ijs, qui conciones frequentarent, palãm aliquid è publicis uectigalibus daretur. Post Cleon id effecit triobolum, captandæ auræ popularis gratia. Senex uerò concionem non ingrediebatur. Suidas.

Apud ROM. fuit urgintiuiratus causis dijudicãdis, quod munus magnæ indolis iuuenibus conferri solebat: illinc enim gradum ad reliquos honores auspicabantur uiri excultiingenio & doctrina. Ad quos Tiberius Neronem Germanici filium promoturus, quod quinquennio maturius peteret, quàm per leges liceret, illum Senatui commendauit, & ueniam petijt. Alex.lib 3.cap.16.

Habitum.

βακτηρία, καὶ σύμβολον, Baculus & symbolum. Qui sorte in IVDICVM numerum asciti erant, à publicis seruis accipiebant baculum & symbolum, arq; ita ius dicebant. Prætorium autem erat baculo concolor. Symbolum uerò, facto iudicio, reddentes, triobolum auferebant: quæ erat iudicij merces. Suidas.

Auctoritatem.

Consilium in AREOPAGO, Solon ex annuis magistratibus constituit. Et ut omnem ciuilis discordiæ occasionem in futurum tolleret, ne temeraria multitudo incertis (ut solet) ijs iudicia turbaret, ex quatuor tribubus, quæ Athenis erãt, quadringentos legit uiros ex singulis centum. His permissum, ut quæ Areopagitę decreuissent, si æqua uisa foret, probarẽt: si minus esset placita, pari potestate rescinderẽt. Atq; ita, uelut duabus anchoris nixus, aduersus omnes fluctus immobilis mansurus ciuitatis status uideri potuit. Sabellicus lib.5. Enneadis 2. Illius certè Senatus tandiu floruit auctoritas, donec eam Ephialtes ac Pericles, ut in eo soli omnia possent, imminuerũt: uidelicet inprimis Senatoribus statuentes iudiciorum mercedem: postea quoq; uiolantes omnem illius honoris adipiscendi gradum, uti sua quidem gratia & opibus ad hoc fastigiũ adduẽti Areopagitæ, iam ex eorum nutu, uoto & arbitrio agerent, transigerent, iudicarent omnia. P. Aerodius lib.1. Decretorum.

Centumuiri apud ROM. quum propter turbulentam confusionem in longissimum lites traherẽt, perraroq; causas deciderent, diuus Vespasianus ex tot iudicibus selegit quosdam, qui breui curriculo, nec longo circuitu causas definirent. Domitianus quoq; centumuiralia decreta & constituta, uelut ambitiosè edita, rescidisse fertur. Alex.lib.3.c.16.

EFFICIENS NON PRINCEPS. Vt sunt

ANGELI.

Hebræi uetères affirmabãt angelos Dei interesse iudicijs. Bodinus lib.3.Dæmon.c.4.

Franciscus Aluarezius scribit, iudices in AETHIOPIA insidentes subsellijs relinquere uacuas in editiore loco cathedras XII, & dicere has sedes Angelorũ esse. Bodinus lib.3. Dæmon.cap.4.

ACTOR. REVS.

Scholia quæ feruntur in Aristophanem, tradunt ATHENIS duas fuisse naues, usui publico destinatas, è quibus Salaminia subueheret ad iudicium euocans, Paralus aueheret. Nã Theoris eos uchebat, quoti aut religionis ergò Delphos aut aliò quopiam proficiscerentur. Erasmus in Adagijs.

ATHENIS, teste Plutarcho in Alcibiade, reus absoluebatur, qui necdum conuictus fatebatur. Sed lex ista non obtinuit, quia consequebatur ex ea maleficiorum impunitas.

παρεγγυᾶν, additio decimæ partis æstimatæ litis. ATHENIS, qui actionem instituebãt aduersus Rempublicam, de publicata pecunia quorundam, & qui de hęreditatibus aut pupillorum bonis aduersus homines priuatos litigabant, aliquid pecuniæ deponebant, & hac priuabantur, si causa cecidissent. Ac in causis publicis constat, quintam partem controuersæ pecuniæ deponi solitam esse. Suidas.

Ἀντιγραφή, cùm accusator & reus, furti aliquos criminantes, iurant. Quod cùm sæpe frustrà fieri animaduersum esset, legem tulerunt ATHENIENSES in eos, qui aliquos in carcerem ob furti crimen conijcerent, ut conuicti M drachmas soluerent. Sed & ij, qui bona ciuium tanquam publicata proscripsissent, calumniæ conuicti, tantidem & ipsi multabantur. Suidas.

ROMANI in denuncianda lite, aut aduersario in ius ducendo, Antestabantur, hoc est, testibus utebantur, quòd iudicij causa denunciarent, uel in ius raperent. Solebant enim aliquem de præsentibus antestari, hoc est, auriculã illius tangendo ter uellere, & dicere, Licet ne antestari? Si respondisset ille, Licet: tunc lis denunciata erat: atq; etiam qui uadatus fuerat, manum in eum, qui non paruisset, mijcere, & in iudicium ducere poterat. Aliter si iniecisset manum, iniuriarum poterat accusari. Acron & Porphyrius in Satyrã 9.lib.1. Sermonum Horatij,

—Et quò tu turpissime? magna
Exclamat uoce, &, Licet antestari? Ego uerò
Oppono auriculam. Rapit in ius.

Sic Plautus in Curculione:

—Licet'ne antestari? M. non licet.
Phi. Iupiter te malè disperdat miles, intestatus uiuito.

Item in Persa, Leno ad Satyrionẽ parasitum. Nonne antestatus? & parasitus, Tua'ne ego causa, carnifex, cuiquam mortali libero aures atteram?

SICVLI hoc iure erãt olim, ut quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiusdem ciuitatis, ut de eo prætor iudices, ex P. Rutilij decreto, quod is de decem legatorum sentẽtia statuit (quam legem Siculi Rutiliam uocant) sortiatur. quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur. cùm alternæ ciuitates reiectæ sunt, quod ciuis Rom. à Siculo petit, Siculus iudex datur: quod Siculus à ciue Rom. ciuis Romanus datur. Cęterarum rerum selecti iudices ex ciuium Rom. cõuentu proponi solent. Inter aratores & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt. Cicero lib.4.in Verrem.

ORIENTIS partibus actores sine uiatorũ opera prehendentes, oram uestimenti eorum, quibuscum iure experturi sunt, dicere solent, Adeamus iustitiam Dei. Bodinus lib.3. Dæmonom.cap.4.

ADVOCATVS. PATRONVS.

PROSTATÆ dicebantur Athenis, inquilinorũ patroni. Necesse enim habebant omnes inquilini, ciuem aliquem Athenienſem adsciscere patronum. Suidas.

Athenis in AREOPAGO praeco dicturis in cõtioue, ne uel præfatione, uel affectibus uterentur, rẽ modò exponerent, κοῦδ' ἀστρεμίων καὶ παθῶν, id est, Absq; procemijs & affectibus. Vt aliquot locis indicat Lucianus.

ROMANI adolescentes primæ indolis experimenta à causis centumuiralibus auspicabantur. Et quum antea ne nobilissimis quidem pateret aditus, nisi à consulari uiro magno fauore producerentur in foro uiri præclari, magnæq; eruditionis: postea deprauato usu obtentum est, ut ad declamandum transirent pueri extremæ sortis, nullo discrimine aut delectu, in quibus nec facundia esset, nec eruditio. Alexan.lib 3.cap.16.

ROMÆ apud columnã Meniã sordidi rei, ueluti fures, aut seruì nequã apud Triumuiros capitales iudicabantur: & adhibebantur tantùm sordidi causidici: Erasmus in Adagijs.

VADES.

Varro de lingua Lat. V. Vas, inquit, appellatus, qui pro alterò uadimonium promittebat. Consuetudo erat, cùm reus parum esset idoneus in cœptis rebus, ut pro se alterum daret. Porphyrion: Vades, inquit, sponsores dici notum est: quòd qui eos dederit, uadere, id est discedere interim liceat. Morem hunc uetteribus fuisse, ut qui litem uellet intendere, aduersario denunciaret, ut in ius ueniret: si nollet, uel eum cogeret, uel sponsorem acciperet, fore, ut constituto se die sisteret. Illa autem denunciatio, Vadatio dicebatur. Nam & qui denunciabat, & cui denunciabatur, Vadari dicebatur. Ergo qui litem alicui intendere uolebant, à Prætore postulabant, ut eum uadari liceret. Est autem Vadari, uades postulare, id est, locupletes fideiussores, qui aliquem certæ pecuniæ sponsione uadimonium obiturum præstabãt. Quòd si quis uades dare nollet, & uadimonium promittere, qui uadabatur, aliquem eorum, qui aderant, accepta eius auricula, interrogabat, Licéne antestari? Si ille responderet, Licet: iniecta manu aduersarium ad Prætorem trahebat. Hotoman. de Verbis iuris.

TESTES.

Ex MANTVANA consuetudine, si testes quatuor cõmunem famam à se auditã dixerint, in criminibus singulis capitalibus quæstionem legitimum est adhiberi. Bodinus libro 4. Dæmon. cap.4.

LOCVS.

Dũ percutitur fœdus ab Agamemnone, aduocatur apud Homerum sol, ut fœderum custos & inspectrix omnium. Hinc BITHYNOS scribit Arrianus, iudicia ex aduerso solis exercere sedentes consuẽsse, quasi in conspectu Dei omnia uidentis iustè iudicaturi. Eustath. Iliad.γ. Cælius libro 24. cap.12.A.L.

In PIRÆEI maritima parte gurges quidam est, ubi qui in exilium abeunt, si quod nouum fuerit in eos crimen conflatũ, è naui, iudicibus in litore consistentibus, causam dicunt. Ac Teucrum aiunt primum omnium eo in loco Telamoni patri se purgasse, cùm de Aiacis fratris cæde culpa uacaret. Paus. in Atticis.

Inuenio in Græcorum thesauris, fuisse in Attica iuri dicundo stationem, siue iudiciale forum, quod diceretur ἐν φρέατι, id est, in PVTEO. In eo causæ reorum agitabantur, qui cædis inuoluntariæ semel accusati, rursum sponte admissi facinoris iudicium subirent. Erat uerò in mari locus is & forma iudicij inusitata. Naui illuc uectabatur reus, ex qua etiã causam dicebat ita, ut nusquam terram attingeret. Imò nec ullis anchoris nauigium licebat infrenare, nec pontem mittere. Cælius lib.10. cap.17.A.L.

DELPHINIVM Athenis, inquit Pollux lib.8. dicasterii erat, id est statio iuri dicendo, ab Aegeo constructum. Iudicium in eo primum Thesei factum est, dum interfectos quidem à se latrones fateretur, sed iure diceret interfectos. Cælius lib.8.cap.6. Lect. Antiq.

HELIÆA, maximum prætorium Athenis, sic appellatum, quòd sub dio sit, & solis radijs feriatur. Suidas.

Ἄρειος πάγος, AREOPAGVS, id est, tumulus Martius, prætorium Athenis, in quo duo senatus erant: unus Quingentorum, qui singulis annis sorte creabantur: alter Areopagitarũ, perpetuus, qui causas capitales disceptabat, & alia Reipublicæ negotia magna grauitate administrabat. Areopagus autem dictus est Pagus, quòd in tumulo & edito loco situm est id prætorium: Arius à Marte, siue quòd is cædibus præest, quæ ibi iudicabãtur: siue quòd hastam is ibi defixit, in iudicio aduersus Neptunum de Halyrrothio, quem occiderat, cùm Alcippæ, filiæ ipsius & Agrauli Cecrope natæ uim intulisset. Suidas. Eius meminit Pausanias quoq; in Atticis & historia prima Hellanicus, & declamatione pereleganti Libanius est persequutus. Id & Plinius significauit li-

bro septimo:sed,ut solet, breuitatis inuoluit tenebris. Insequentibus item temporibus ex materna cæde subijsse iudicium ORESTEM ferunt, absolutumq; Pallados ἀγάλμα excitasse aram. Dignum relatu fuisse, in quibus rei accusatores ésse consisterent, argenteos lapides:unum, ὕποπτον dicunt: alterum ἀνυπόδετον,id est iniuriæ impudẽtiæq;.In propinquo sacellum erat dearum,quas Atheniences σεμνὰς dicũt, Erinnyas Hesiodus in Theogonia:quibus esse in capite cum crinibus dracones, Aeschylus commẽtus est princeps. Cælius lib.12.cap.19.A.L.

Asconius Pedianus in primam Verrinam indicat, apud columnam MENIAM sordidos reos, ueluti fures, aut seruos nequã,apud Triumuiros capirales solere iudicari. Cognomen autẽ inditum à Menio, qui quum domũ suam uẽderet Catoni & Flacco cẽsoribus,ut ibi basilica ædificaretur,excepérat ius sibi unius columnæ, super quã tectum proũceret, & pẽuoluantib. tabulatis, indelipse & posteri eius spectare munus gladiatoriũ possent,quod etiã tum in foro dabatur. Hinc Meniæ cognomen. Ad tales autẽ causas quę illic agebantur,adhibebãtur sordidi causidici. Erasmus in Adagijs.

In ueterum libris cõperio,in comitio Romæ in gradibus ipsis ad læuam curiæ , fuisse Actii Nauij statuam , capite uelato, quo in loco is cotem nouacula discideritq; quilocus, inquit Dionysius, uocatur à Romanis PUTEUS , ubi ara est subterranea. Cicero autem in Diuinationibus: Cotem,inquit, & illam nouaculam defossam in comitio,suprãq; impositum puteal accepimus. Est uerò puteal, sicuti apud Iureconsultum obseruauimus Pomponiũ,Digestis de actionibus emptorum & uenditorum,quo putei operiuntur: hoc est,uelut umbella quædam aut petasus,qualem pyramidibus impositum , Plinius scribit. Qui locus cùm in comitio esset ab bone positus, ibi iudicia exercebantur, illicq; fœneratores coibant.Cælius lib.10.cap.17.Ant.Lect.

Augustus Cæsar Tyburi in PORTICIBVS Herculis templi persæpe ius dixit. Suetonius.

TEMPVS.

AREOPAGITÆ cognoscebant noctu, & in tenebris, ne a spectus uel agentis uel rei affectum aliquem excitaret, ne posset illorum aliquis à rectitudine iustitiæ deflectere.

Προδικασία, præiudicium. Qui cædis rei fiebant, in Prytaneo apud ATHENIENSES tres menses agebant ante iudices, quibus utrinq; argumẽta proferebantur: idq; præiudicium dicebatur. Suidas.

TORMENTA.

Apud Aethiopes Macrobios, fontes omnes aureis CATHENIS uinciuntur.Est enim apud illos rarissimum ac pretiosissimum æs.Herod.lib.3.

Achemenidion plãta colore electri sine folio, nascitur in Tardastilis Indię,cuius radice in pastillos digesta,in diecq; pota in uino,noxii per cruciatus nocte cõfitentur omnia per uarias numinum imaginationes.Eandem hippophobada appellat Pythagoras, quoniam equæ præcipuè caueant eam. Plinius lib.24. cap.17.

ROTÆ tormenti meminit Aristophanes in Pluto:

ἐπὶ τῦ τροχῦ γὰρ δῆτ' ἐπὶ τρεῦδόμενον
ἀκεῖν, ἃ πεπωκὼς τυγχάνω.

Rota torqueri te illic,necesse est, ut exsculpatur, quod perperam fecisti. Cælius lib.10.cap.5.A.L.

KYΦΩN, collare seu circulus ferreus,quo colla noxiorũ uinciuntur.Arist.lib.5.Polit. & Aristophanes in Pluto, ὃ τύμπανον καὶ κύφωνας, καὶ τὰ κύπλια,ab incutiendo.

NURVVM appellabant ferreum uinculum, quo impediretur pedes.Plautus eo quoq; ceruices uinciri ait.Hinc apud Gellium Catonis festiuum adagium , Priuatorum fures in nerui & compedibus ætatem agunt,publici in auro & purpura uiuuntur. LORA, quibus noxii uinciuntur Laura etiam dicuntur, quòd captiui ab lauream gestantibus ducibus in triumpho ducerentur.

FIDICVLAS accipiunt pro tormẽto, quo ab tortore fontes funibus,alligatis manibus à tergo,torquentur uulgò. Eius certatim meminerunt omnes, Seneca, Fabius,cæteri. γρῦμος à Græcis dicitur genus id cruciamẽti,aut cõpar.Cælius.

Infandum tormenti genus esse aiunt , si plantæ pedum muri uel aqua salsa optimè perfricentur. Admouetur capra,quæ salso sapore allecta , lingua aspera incredibilem doloreciciat , & risu Sardonio deliquium hominí inducit. Eo genere tormenti Draculam apud Transyluanos usum uiduit Bonfinius.

Apud quosdam MVRES uiuos famelicos uentri nudo admouent:ollam imponunt,ne elabi possint.Clausi mures,& fame rabidi, acutissimis dentibus uentrem miseri cum summo cruciatu erodunt.

SVPPLICIA.

Suppliciorum alia summa sunt,alia mediocria,alia minima. Summa sunt,crux,crematio,decollatio. Mediocria, metallum,ludus,deportatio. Minima,relegatio,opus publicum,uincula. Hæc Paulus libro Sententiarum.5. cap.17.Hotoman. de Verbis iuris.

CORPOREA SVPPLICIA NON CAPITALIA. VT DOLOR QVI percipitur ex

LABORE.

METALLVM , genus pœnæ mediocris memoratur à Paulo lib.Sent.5.c.17. cùm nocentes ad eruendas metallorum uenas damnabantur. Inter eos autem qui in metallum,& eos qui in opus metalli damnantur,differentia in uinculis tantùm est:quòd qui in metallum damnantur,grauioribus uinculis premũtur: qui in opus metalli,leuioribus:quo ddq; refugæ ex opere metalli in metallum dantur, ex metallo grauius coercentur.lib.8.§.4.D. de pœn. Hinc Metallici, qui ea pœna damnati sunt. Hotom.de Verbis iuris.

Ad AVRIFODINAS & lapicidinas condemnabantur, qui uinculi perpetuò opus facerẽt. Miseriam eorũ, qui ad Aegyptimetalla damnantur,pete ex Diod.Sic.lib.3 cap.2.

FAME, SITI.

FAME atq; SITI nullum potentius tormentum.His torquentur nonnulli, hoc modo. Arentibus siti, situla uel aqua uel uino plena ostenditur, liquor ipse de uase in uas transfunditur, sic ut internam cupiditatem & uisus & auditus exterior magis accendant. Qui ergo cupiditatibus suis frenum inijcere nequeunt , ut Esaus ius primogenituræ pulmento, sic isti infelices uitam suam aquæ haustu commutant.

VERBERIBVS.

FVSTIBVS cædi , pro fascibus bacillorum , cuiusmodi olim ciuitate libera magistratibus præferebantur , Iurisconsulti, opinor, dixerunt.Itaq; liberorum hæc hominum pœna posteriorum Imperatorum tempore fuit : quum serui flagellis cæderentur. Hotoman. de Verbis iuris.

Romanis peruulgata pœna fuit, ut leuiter delinquentes , nudatos VIRGIS cæderent:aut in Latomias darent, qui erat locus custodiæ destinatus crudelissimus , iuxta Tullianum & forum Piscatium , in quem iam morti destinati conijciebantur. Alex.lib.3.cap.5.

Theopompus scribit apud Chios uinũ primò nigrum esse inuentum. Quin eosdem omnium principes colere uites ab Oenopione didicisse.Quibus mox tantus accesserit honor, ut etiam in delictis pœnam honoratẽt , quoniam ueteri de suppliciis lege Romana sancitum,ut ciues non uirgis enerberarentur, sed VITIBVS. Quod à L.Floro, ac T.Liuio libro quinquagesimoseptimo , relatum scio , & à Scipione Africano, qui Numantiam sustulit, seruatum. Sed & Lucillium centurionem ioco militari cognominatum Ceto alteram , Tacitus scribit , quòd fracta uite in tergo militis, alteram clara uoce,ac rursus aliam poscebat. Meminit supplicij in Galba Plutarchus. Nam & Macrobius uitem appellat centurialem. Martianus Digestis de re militari:Si miles, inquit, uitem tenuit,militiã mutat: si ex industria fregit,uel manũ cẽturioni intulit,capite punietur. Cælius lib.26.c.ult.

HABENA cædi impuberes seruos pro quæstione, testatur Vlp.in l.1.§.impuberi, D.ad S.C.Syllan.& Horat.lib.Epist.1. de puero seruulo ad Iulium Florũ scribens: In scalis,inquit, latuit,metuens pendentis habenæ. Hotom.de Verbis iuris.

VVLSIONE, IMMISSIONE.

ΠΑΡΑ'ΤΙΑΜΟΣ apud Atheniences supplicium adulterorũ pauperum, quibus expilabatur sedes. Ditiores enim pecunia sese redimebant. Eorundem erat ἀπογραφεὶς ὢνος, quum in anum intruderentur rhaphani, aut quid eiusmodi, ut est apud Catullum. Cælius lib.10.cap.5.Antiq.lect.

SVSPENDIO.

Inter reliqua supplicia à scelerato HONORICO Vandalorũ rege Catholicis illata hoc etiam erat: ut spatulis nimio suspendio uulsis, caput, quod eminere solebat, in medio scapularum haberent demersum, dum in altis ædibus suspendio cruciati, agitatis funibus , per aerem errantes inanem penderent. ex quibus nonnulli,disruptis funibus,ex illa altitudine procidentes,aut cerebrum cum oculis affixerunt, aut confractis ossibus uel subitò , uel post paululum expiraruntVictor lib 3.hist.Vandal.

CORPOREA SVPPLICIA CAPITALIA DVBIA, CVM PERICVLO ancipiti Gladiatorum, Bestiarum.

LVDVS pœnę genus mediocre numeratur à Paulo lib.Sent. 5.c.17. Duplex autem fuit:Venatorius, & Gladiatorius. Venatorius erat, cùm ludicra bestiarum uenatio exhiberetur: qua pœna iuniores affici solere,scribit Vlpian.in l.aut damnum,8.§.9.&10. D.de pœn. Gladiatorius autem fuit , cùm serui inter se populo inspectante pugnarent: quæ pœna à Constantino sublata est l.1. C. de gladiat. Hotoman. de Verbis iuris.

Ad BESTIAS damnabantur nequissimi serui , aut hostes infestissimi,plerunq; homines perniciosi & immanes,qui ob multiplicia crimina defectiones q;,indigni uenia fuere: quibus in theatro, ut cum immanissimis belluis depugnarent, negotium datum est, inde Bestiarij dicti.Alex.lib.3.cap.5.

FERRÒ damnati, uel Ad ferrum damnati dicũtur apud Vlp. cap.Inst.1.& l.8.D. de testam.non qui ad bestias damnantur (hæc sũt l.8. perspicuè hæc separantur) sed qui,ut cum gladiatoribus pugnent, damnantur.Itaq; Suetonius de munere gladiatorum loquens in Nerone: Exhibuit,inquit ad ferrum etiam quadringentos Senatores.Dicitur hæc pœna & Ad gladium. Id autem supplicij genus à Constantino abrogatum est,in l.1.C. de gladiat.Hotoman.de Verbis iuris.

AGRIPPA rex Iudæorũ in amphitheatro Beryti extructo,ad ostentandum magnificentiam,inductis plurimis gladiatorum paribus , uolens spectatores oblectare etiam cæteruatim commissis pugnatoribus , ex maleficis in hoc destinatis duas cohortes fecit septingentorum quamq; hominũ, ut illis per imaginem belli decernentibus,pœna noxiorum in pacis uoluptatem uerteretur. Atq; ita omnes mutuis absumti sunt uulneribus.Iosephus lib.19.cap.7.Antiq.

CORPOREA SVPPLICIA CAPITALIA CERTA. CAPITALIS supplicij

SENTENTIA, CONDEMNATIO.

Legem,qua Antiphontem ATHENIENSES damnarunt,asseruit ex Cæcilio Plut.in uita Antiphontis: Visum est senatui uigesima prima die prytaniæ : Demonicus Alopecensis scriba erat. Philostratus Ephestratij ait:De uitis,quos defecerunt prætores , legatos profectos in perniciem reip. Atheniensis Lacedæmonem fuisse,ex castrisq; in naui hostili nauigasse,ac pedibus per Diceliam iter fecisse,ut Archeptolemus,Onomacles,& Antiphon,prehendantor, atq; in carcerem cõdantor,quò supplicia præbeant.Prætores eos exhibento: decemq; ex curia,quos prætoribus uisum, sibi alleganto : ut de his , ubi præientes fuerint, cognoscatur. Eos Thesmothetæ cogento postero die,ac iudicium constituento: postquam in iudicium uocati erunt, perduellionis postulãto eos caulidici antedicti & prætores , & licet alij præterea uisum sit. Qui à consilio damnatus fuerit , in eum ex lege,quæ de perduellionibus lata est,consulator. Hoc tub scriptum decreto fuit : Perduellionis damnatio . Peracti rei sunt Archeptolemus Hippodami Agrylethẽsis prẽsens,Antiphon Sophili Ramnusius præsens. His est lis æstimata, ut undecim uiris dedentur, & pecunia eorum in publicum redigãtur, Minerũæ decima pars sacra sit : tecta eorum dissipentur,areæ terminentur,eiq; inscribatur:Archeptolemi & Antiphõtis perduellionum. Demarcho domus de publico ædificetur: nec liceat Archeptolemũ & Antiphontem Athenis hũmare, neq; in finibus, qui iuris sint Atheniensis: infamẽs sint Archeptolemus & Antiphon, eorumq; progenies tam notha quàm iusta : si quis quem ex Archeptolemi & Antiphõtis familia adoptauerit, infamis sit qui adoptãuerit.Hæc in pila ærea incidantur: & ubi rogationes de Phrynicho,ibi & quæ de his sũt lata,locãtur. Plut.in eius uita.

IRROGATIO SVPPLICII, Modus. Quomodo.

Suppliciorum capitalium species uarios habent fontes: Effectus est Mors ipsa. Huius consideretur Modus & Efficiens: Modus,ut quod Exinanitione,Repletione,Suffocatione,Extinctione,Resolutione fit. Efficiens uero tum Princeps, tum Instrumentalis.Princeps,quoniam uel seinetipsum confecit,uel ab alio conficitur,tum hominibus,tum bellua,ut qui ad bestias damnãtur.Instrumẽtalis uarietate insignis,siue natura,siue arte constet: putata Ignis, Aer, Aqua,Cibus, Venenum, Arbores, Saxa, Gladius,Securis,Crux,Culeus,Laqueus,Scapha,Sedes ferrea,Taurus æneus,Rota,& similia multa.

Fame,Siti.

FAME necare, impiuni censebatur: quo nomine in uinculã coniectis ut morerentur, cibi aliquantulum apponebatur, ut sic aliquo modo expiarentur: quod in Antigone significat Sophocles,& adnotauit Interpres. Sed & in Vestalium pœna sciõ memoratum.Cælius lib.26.cap.1.

Veneno.

In Elephantina Aethiopia , fontes OPHIVSAM herbam bibere cogebãt: qua pota,ita terroribus & falsis imaginibus afficiebantur,ut mortem sibi cõscisserent. Alex.lib.3.cap.5.

Venenum cicuta temperatũ in ciuitate MASSILIENSIVM publicè custoditur, quod datur ei, qui causas fexcentis (id enim Senatus eius nomen est)exhibuit,propter quas mors sit illi expetenda.Val.lib.2. cap.1.

Igne.

SEDES ferrea, Agathoclis tyranni, ad necandos homines, nota est ex historijs.

TVNICA molesta dicebatur, quia ignium alimentis illita & intexta,ut Seneca docuit,ac mox succensa, cruciabiliter obuolutos nocentes , qui sceleris comperti grauioris forent, amburebat.Cælius lib.10.cap.5.A.L.

Genus supplicij Auidius Cassius Imperator primus excogitasse legitur, ut STIPITEM prælongum poneret, pedum centum uel octoginta , & è summo usq; ad imum damnatos ligaret , & ab imo focum apponeret , incensisq; alijs, alios fumi cruciatu , timore etiam necaret . Sic Verconium Thurinum Alexander Seuerus fumi uenditorem necauit. Lampridius.

Duo inprimis supplicij genera fuisse apud antiquos Romanos inuenimus . Aut enim puniebantur more maiorũ , qui capitalem fraudem admisissent: hoc est, pendẽtes FVRCA nudis corporibus, & ad mortem uirgis cæsi, ut interpretatur Trãquillus in Nerone. Aut ad SCALAS Gemonias trahebantur,hoc est inferto gutturi unco producebãtur in harenam,ubi post ea pendentium cruta frangebantur, & igni iniecto ardebant.Sicuti in Claudio Suetonius commemorat : & Nero exercuit in Christianos : quibus ardentibus in usum luminis est usus. Domitianus etiam faces per obscena immitti iubebat.Cælius lib.10.cap.5.A.L.

Stephanus II. Vngariæ rex plerosq; adactis per obscena FACIBVS, aut ardentissima cereorum destillatione iniecta, immaniter cruciauit. Vide Tit.Tyrannorum.

Aqua.

IN PVTEVM demergi consueuisse, qui cruciabiliter puniretur,ex Plautino penulo ceer agnoscere,in quo & lammas ardentes adnotauimus : quarum etiam Gellius meminit & Eusebius.Cælius lib.10.cap.5.A.L.

Apud Athenienses HYPERBOLVS lapis dicebatur, qui collo noxiorum aquis summergendorũ suspendebatur , ut est apud Aristophanem Cælius lib.16.cap.21.A.L.

CRATIS supplicium.quum quis deiectus in aquam,crate superne iniecta,laxisq; congestis mergebatur.

Cinere.

Apud Berrhœenses CINERIS supplicium. Vide Tit. Pœna apostaliæ,sub nomine Menelai.

Lapide.

In Perside uenefico ui eò compellebant, ut in amplo LAPIDE caput impingerẽt: rursusq; alio superinducto, illud effringerent. Alex.lib.3.cap.5.

Macedones & Lusitani parricidas & matestatis reos , qui in principem aliquid moliti essent, obruunt SAXIS: nec modò facinoris reos , sed omnium sunt denota capita, qui illãs quouis gradu contigissent. Alex. lib.3. cap.5. & Cælius lib.10.cap 5.

Thuroni Longo athletæ fortissimo & pudicitiæ muliebris defensori acerrimo statua apud OSTROGOTHOS ad plectendum adulterium posita fuit , clauam humero gestans, saxis duobus cathena colligatis è claua dependentibus. Olaus lib.14.cap.16.Septentrioneg.

Culeo.

M.Malleolus , matre interemta , Romanorum primus parricidij dãnatus, insutus CVLEO , in mare præcipitatus fuit. L.deinde Hostius post secundum Punicum bellum,parricidij insimulatus, pari supplicio necatus & excruciatus, pœnas dedit.Culeo gallus gallinaceus,simia,& uipera cũ homine insuitur , & in flumen uel mare deiticitur : ut in tixa infensorum animaliũ & fœda laceratione corporis, ob tanti sceleris immanitatẽ diro cruciatus uulnere interimatur: utq; ab omni elemento repudiãtum cadauer, irrequieto laborẽ & perpetuis fluctibus agitetur.Alex.lib.3.cap.5.

Cruce.

CRVX olim sontium supplicium erat , & id quidem infamis: quod ideo Seruator noster subire uoluit, ut qui mitis adueniret,& humilibus & infirmis opem ferret,& omnibus spẽ salutis ostenderet, quando nihil ei in morte separatim ab alijs accidisse certerent. Proinde eo genere mortis afficiendus fuit,quo humiles & infimi solẽt,ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari.Huic rei postea honor accessit. Eusebius libro Ecclesiasticæ historiæ nono,auctor est.Constantinum Imperatorẽ eo die, quo cum Maxentio ad pontem Miluium conflixit,sereno puroq; cœlo crucem uidisse;

camq; coluisse, ac auditam superne uocem, Constantine, in hoc signo uinces. Non defuit oraculo euentus: uicit cùm hostem insigniter, tũ cæteris bellis quæ deinceps gessit felicitas adfuit. Helena post hæc, eius mater, religione insigni ac pietate mulier, per quietem monita, Hierosolyma petijt, quæsitum Dominicam crucem. Ita fortè accidit, ut Veneris simulachrũ eodem esset loci ab impijs Christiani nominis inimicis collocatũ, quò omne Dominicæ passionis monimentum aboleretur, Christianiq; Venerem loco Seruatoris colerent. Cæterùm loco ruderibus purgato, crux reperta est, & cum illa duæ aliæ, unde duo pependerant latrones: sed titulus ille, Iesus Nazarenus, rex Iudæorum, etsi uetustate propemodum abolitus, indicio fuit, ut crux uera internosceretur, quæ admota mulieri mortuæ uitam illico restituit. His Constantinus princeps motus, edicto uetuit quenquam deinceps eo supplicio necari. Sic res quæ antea mortalibus probro fuerat, ueneratione esse cœpit. Idem postea uoluit Theodosius seruari, qui (ut in Codice iuris ciuilis est) lege prohibuit, signum Seruatoris in solo uel in silice aut in marmore humi posito insculpi, ne hominum pedibus tereretur. Polyd. lib. 5. cap. 6. de rerum Inuentoribus.

Crucis supplicium apud VANDALOS usitatum idololatras, posteaquam conuersi sunt, ab Adolfo II. Holsatiæ comite sublatum fuit. Cranzius lib. 4. Vandaliæ, cap. 26.

Arboribus.

DISPHENDOMENA, supplicij genus, apud Derbices Persarũ gentem in usu erat: qui proceris curuatis arboribus, & criminoso in deflexis cacuminibus alligato, illisq; repentè laxatis, laceru corpus in diuersa distrahebãt. Alex. lib. 3. c. 5.

Quadrigis.

Quanquam à principio urbis Rom. seuerissimum de Metio Suffetio sumtum supplicij legamus, qui QVADRIGIS distentus, in diuersa discerptus fuit: tamen illud, uelut immite præterq; legum humanitatem, in exemplum deductum non est. Alex. lib. 3. cap. 5.

Rota.

Interpretes in Aristophanis Pluto adnotarunt, rotæ supplicium, seruile fuisse. Rotæ inferũtur noxij, & membratim rotatum conuulsi radijs lentitudine mortis maximo cruciatu perimuntur. In Nicia Plutarchus scribit, tonsorem rotæ alligatum amplius torqueri cœpisse. Cælius lib. 10. c. 5. A. L.

Instrumẽtum quatuor Rotarum à IO. Basiliade magno Duce Moschorum pro cruciandis hominibus adinuentũ. Ad primam rotam una manus, ad secundam altera, eodem modo uterq; pes ad reliquas duas rotas alligatur. Singulas uerò rotas quindecim uiri in diuersa trahunt, & membratim dilacerant. Ipse autem præsens hoc supplicij genus spectare solet, cumq; iam aliquis eo inspiciente sic distrumpitur, gentili uoce saltando, Hoyda hoyda proferens, uociferari solet, quasi aliquod opus egregium perfecerit. Omnisquoq; nobilium & plebeiorũ circũstans turba eadem uoce Principi suo correspondere manibus complaudendo solet. Quòd si aliquem lugubri tristiq; uultu sub id tempus conspexerit, uel si aliquis illi Hoyda hoyda uociferanti, congratulando particula non respondeit, statim satellitibus eum arripere & dissecare mandat, dicens: Perfide, & tu sentiebas cum hoc iniimico meo: cur ei condoles? quare de nece eius constaris? Alexan. Guagninus in descript. Moschouiæ.

Gladio.

Decentissimum genus mortis fuisse CAPITIS resectionem, scribit Xenophon αἰκίσασιν β. Cælius lib. 3. cap. 23. A. L.

Suppliciũ more maiorũ apud ROM. à Cicerone in Pisonẽ intelligitur, quum securi caput præciditur. Morem autem uerberandi, & de cõdemnatis summum supplicium sumendi, è Græcia manasse ad Romanos, auctores habemus certissimos. Mox uerò Porcia lata lex est, sicuti Cicero in quadam quoq; oratione innuit: & leges item aliæ paratæ, quibus exiliũ damnatis permittebatur. Verberasse aut necasse Romanum ciuem, impium censebatur. Nam & pro Q. Ligario M. Tullius significat, Externorũ esse, morte damnare. Hinc celebres historici scribunt, Syllam primũ Romanorum esse inuentum, qui morte multaret. Cælius lib. 10. cap. 5. A. L.

Calamis, Stimulis.

Attilium regulum Coss. Rom. Carthaginenses palpebris resectis MAGHINÆ, in qua undiq; præacuti stimuli eminebant, inclusum, uigilantia pariter & continuo tractu doloris, crudelissimè necauerunt. Tormenti genus passo indignum, inuentoribus dignissimum. Cic. lib. 3. Officiorum.

Aegyptij parricidas insectari iunt, ut eos per singula membra acutis CALAMIS impeterent, mox minutissimis ictibus consauciatos, super spinarum acetuos comburerent. Alex. libro 3 capite 5.

Scaphis.

SCAPHARVM supplicium apud Persas Derbices tale est, quod σκαφεισμὸν uocant. Scaphas duas inter se congruentes accipiunt. In alterã supinum eum, qui pœnæ est destinatus, locant: inde inducũt alteram, & coaptant ita, ut caput, manus, & pedes exerantur, reliquum sit inclusum corpus. Tum cibũ homini præbent, quem si reiiciat, compellunt eũ oculos fodicantes sumere. A' cibo mel & lac cõfusum eiad potum infundunt. tum ad solem obuertunt assiduè oculos eius, ut incubantium examine muscarum tota integaturfacies. Cùm autem intus faciat, quæ homines, qui edunt & bibunt, necesse habent: tineæ & lumbrici ex tabe & putredine excrementorum proueniunt, à quibus corpus in uiscera penetrantibus consumitur. Postquàm constat expiratse hominem, ablata superiore scapha carnem cernunt corrosam, & eiusdemodi uermium examina mordicùs affixorũ uisceribus eaq; adedentium. Ad hunc modum Mithridates qui Cyrum regis fratrem in prælio uulnerauerat, & huius facti gloriam sibi, non regi uendicabat, septendecim dies tabescens tandem interijt. Plut. in Artoxerxe.

Hetrusci Italiæ populi uiuorum corpora CADAVERIBVS aduersa aduersis alligata, atq; constricta ita, ut singulæ partes membrorum singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebãtur, amari uitæ pariter ac mortis tortores. Vide Verg. libro Aen. 8. de eorum rege Mezentio:

Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora
(Tormenti genus) & sanie taboq; fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Fuste.

Polybius auctor est in libro de Trib. politijs, duo inprimis supplicijorum genera fuisse in militiæ disciplina: Decimationẽ, id est, δεκατευσμὸν, & FVSTVARIVM. Fustuarium quidam fustigationem interpretantur. Modestinus quoq; Iureconsultus inter pœnas militares fustium castigationem recenset. Id supplicium eiusmodi est: accepto fuste, tribunus uix tantùm attingit damnatũ. quod ubi est factum, omnes quin castris sunt. cædentes fustibus lapidibusq; plerosq; in ipsis castris conficiunt. Ac si qui euaserint. nec sic quidem seruari possunt. Etenim quónam pacto? quibus neq; in patriam redire licet, neq; aliqui ex necessarijs domi excipere auderent. Fuste cæditur quoq; qui furto quippiam ex castris sustulerit, quiq; falsum testimonium dixerit, & si quis ætatis flore abutatur. Cælius lib. 10. cap 5. A. L.

Laqueo.

Pœna LAQVEI omnium uilissima, fœdissima, & ignominiosissima est: & id genus mortis passim apud scriptores Infame appellatur. Plinius lib 2. cap. 25 Nat. hist. hanc pœnã scitè præposteram uocat: quia scilicet includitur spiritus, cui debet quæri exitus. Quem secutus Sex. Aurelius: Maximianus, ait, Herculius à Constãtino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere præpostero fractis laqueo ceruicibus luit. Et hanc sanè pœnam ueluti grauissimam & infamissimam iussit Deus O. M. quibusdam idololatris sacerdotibus infligi. Num cap. 25. Atq; etiã Iosue iudex princepsq; Iudæorum hac pœna, ut atrocissima, plurimos reges ethnicos affecit, Iosue 7. itemq; 10. Hęc Tiraquellus cap. 20. de Nobilitate.

Apud Rom. more tradito uirgines strangulari nefas erat. Proinde Tiberius ne legi fraudem faceret, constupratas priùs à carnifice strangulari iussit. Suctonius.

SINVALDVS Britonum rex cùm contra datam fidem rebellasset, captus à Narsete eunucho de trabe suspensus est. Sigebertus.

LATRONEM quendam, qui se regio prognatum stemmate clamabat, & propterea socijs plebeijs minimè cõnumerandũ, Canutus Danorũ rex, cõsanguinitati regiæq; dignitati hoc se largiturũ, pessus, nõ de furca, ut cęteros sed de nautica pinu eum suspendi curauit. Helmoldus cap. 50. Chronici Sclauorum.

Tempus, Quando.

Quos AREOPAGITÆ capitis agebant, tacentes ipsi & nulla tenui oratione aut efferati odio sententiis afficiebant: ipsasq; litium cõtrouersias noctu & obscura luce, nunquam die iudicabant, ut procul ab omni affectu, qui animos in diuersum agit, tantummodo facta cognoscerent, personas non uiderent.

Quoscunq; LACEDÆMONII morte plectendos censent, eos noctu plectunt, interdiu neminem. Cùm ergo essent in Minyas animaduersuri, exorati sunt ab eorũ uxoribus, quę ciues erant, & primorum Spartanorum filiæ, ueniam ingrediendi carcerem, & cum suo cuiusq; uiro colloquendi, nullum in illis dolum esse suspicantes. Illæ ingressæ carcerem, omni uestę, quam gestabant, uiris tradita, illorum uestes sumserunt. Ita Minyæ muliebri uestę amicti, è carcere prodierunt. Herod. lib. 4. Val. Max. lib. 4. cap. 6. & Sab. lib. 8. En. 2.

SVPPLICIA QVO AD FORtunas. ut est

MVLTA, DAMNVM.

MVLTÆ pecuniariæ certus fuit modus præfinitus, quẽ transcendere minimè fas erat. Quippe de multarum æstimatione, tam consulibus quàm tribunis plebis, sæpe senatusconsulto, sæpe populi rogatione cautum fuit, quibus maxima erat multa trium millium & uiginti assium, quia plus triginta bobus, & duabus ouibus quempiam multari non decebat, æstimabaturq; bos centussibus, ouis uerò decussibus: minima uerò, oue taxabatur una. Romani reges sępius homicidij conscios, arietis damno multabant, quam in sacrificijs deorum expendere cõsueuere. Siquidẽ prisca paupertas ex noxiorum bonis sacra dijs exhibuisse fertur: quare Supplicia dicta. cautumq; fuit, ne quis multam indicendo, bouem prius quàm ouem nominaret, ut innotesceret, Romanis mitiores semper placuisse pœnas. Apud Athenienses uerò seruitorum inuenimus, ut multas in aram Iouis Seruatoris dedicarent: quam semel illatã remittere non decebat, licèt pœnas iure debitas, pecunia redimere fas foret, Platonis exemplo, qui singulis delictis denariã multam constituit, ut pro criminis excessu decuplũ penè penderetur. Germanis quoq; homicidium certo pecorum numero luebatur: leuiora uerò crimina, pecoris uel equi damno. Trallianis, ut qui Minyam aut Lelegẽ occidisset, si leguminis modium defuncti cognatis exoluisset, à cæde expiatus foret. Alex. lib. 3. cap. 5.

MVLTAM, quæ appellatur suprema, Gel. scribit institutam in singulos dies duarum ouium, triginta boum, pro copia scilicet boum, proq; ouium penuria. Sed cùm eiusmodi multa pecoris armentiq; à magistratibus dicta erat, adigebantur boues ouesq;, aliàs precij parui, aliàs maioris: eaq; res faciebat inæqualem multæ punitionem. Ideirco postea lege Aterina constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris cẽteni. Minima autem multa est ouis unius. Suprema multa est eius numeri, cuius diximus: ultra quã multã dicere in dies singulos, ius nõ est: & propterea suprema appellatur, id est, summa & maxima. Quando igitur nunc à magistratib. Pop. Rom. more maiorũ multa dicitur uel minima uel suprema, obseruari solet, ut oues genere uiri appellentur. Atq; ita M. Varro uerba hæc legitima, quibus minima multa diceretur, concepit: M. Terentio, quando citatus neq; respondit, neq; excusatus est, ego ei unum ouem multã dico. ac nisi eo genere diceretur, negauerunt iustam uideri multam. Hotoman. de Verbis iuris.

VESPASIANVS Cæsar ad luxuriam nepotum coercendam auctor fuit Senatui decernendi, ne filiorum familiãs fœneratoribus exigẽdi crediti ius unquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. Suetonius.

CALPHVRNIA lege his, qui mercede corrupti, aut munere deliniti, candidatis obuiam issent, quiq; precio illos sectarentur, aut si prandium ad captãdos animos, aut quid muneris exhibitum foret, præter pœnas legibus constitutas, etiam pecuniaria multa dicta fuit. Alex. lib. 3. c. 17.

Florentini quos ærarios faciunt, Redigere AD SPECVLVM dicuntur. Vide Tit. Prodigalitatis cuiuscunq; pœna.

DOMVS VEL

Direpta.

MAZZA Vallesiani improbos ciues castigare solẽt. Vide Tit. Inimicitiæ politicæ inter ciues.

Demolita.

Ex loco Ignominiæ, Domus demolita tyrannidem affectantium.

IGNOMINIA.

Scribit Plut. ANCHORAM ferream solitũ fuisse Pausaniam ceruicibus eorum, quos crudelius castigaret, subnectere, ac totum diem ludibrio stare coegisse.

Infignioris notæ censetur, si quis CAMELO insidens, ac per urbem circumductus, uisendũ se omnibus præbeat. Quod contumeliæ genus Byzantij in Artaxem Armenium, proditionis cõuictum, permisit quandoq; Imp. Iustinianus. Cælius lib. 7. cap. 18. Antiq. Lect.

CORBIS ignominiosum suppliciũ apud Bœotos. Vide Tit. Perfidiæ in ære alieno pœna.

Plato de Legibus iubet, τὸν κατηλεκτότα τὴν φυγὴν. id est, qui excubias deseruisset, in foro propalàm describi, infamiæ notæq; causa, tanquam is, quod in ipso erat, rempublicam omnem prodiderit loco relicto. Erasmus in Adagijs.

LIBERTAS ABLATA, SERVItus imposita. eaq. uel

Conuersationis.

AQVA & IGNI interdicebatur apud Rom. illis, quibus commercium societasq; hominum, & ne quis eos urbe, mensa, tecto, aut lare reciperet, uetabatur. Quod genus hodie EXCOMMVNICATIONEM uocant. Cercetæ & Druydæ Gallorum populi illos, qui crimen quodcunq; cõmiserunt, templis arcent. Si quis autem nauim gubernans aberrarit, singuli accedentes, in faciem eius inspuunt. Nicol. de Moribus gentium. Stob. serm. 42. & Alex. lib. 3. cap. 5.

Loci. Exilium, Proscriptio, Relegatio.

VT Cicero scribit pro Cæcinna, exilium nõ suppliciũ erat Romanis, sed perfugium, portusq; supplicij: nam qui uolebãt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatẽ, solum uertebant: hoc est, sedem ac locum mutabant. Itaq; nulla, inquit, in lege nostra reperietur, ut apud cæteras ciuitates, maleficum ullum exilio esse multatum. Sed cùm homines uincula ignominiasq; uitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt quasi ad aram, in exilium: qui si in ciuitate legis uim subire uellent, non priùs ciuitatem quàm uitam amitterent. qui nolunt, nõ adimitur his ciuitas, sed ab his relinquitur atq; deponitur. Sic Cæsar in oratione de coniuratis apud Sallustium, Eodem illo tempore maiores nostri, Græciæ morem imitati, uerberibus animaduertebant in ciues: de condemnatis summum supplicium sumebant. Pòst autem lex Porcia, aliæq; leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Hotom. de Verbis iuris.

EXILIVM duplex, uel liberum, ita ut cui liberum sit ubilibet degere, præterquam in hoc loco: quã Ammianus Marcellinus Latam fugam appellat. uel non liberum, sed certo loco circumscriptum, quem excedere prohibetur, uel perpetuò (& hęc Deportatio dicitur) uel ad tempus, & Relegatio appellatur. Cælius lib. 10. cap. 5. Antiq. lect.

Exilij apud ROM. triplex genus erat, auctore Martiano. Aut enim omnium locorũ interdicebatur accessus, præter unũ: aut in insulã deportabantur: aut, sicut Claudius Cæsar quosdam multasse dicitur, ultra tertium lapidem ab urbe egredi uetabatur. Tandem Claudius Cæsar lege sanxit, ut hi, quibus prouincia interdictum esset, urbe quoq; summouerentur. Alex. lib. 3. cap. 20.

Quicunq, siue sua sponte, siue pœnæ ignominiæúe causa extra solum suum habitant, EXVLES dicuntur. quorum tamen tria genera reperio. nam alij Interdicti, alii Relegati, alii Deportati nominantur. Interdicti dicuntur, quibus interdictum est certi loci aditu commercioq;. ueluti si quis Roma abesse iubeatur à Consule: ut L. Lamia eques Rom. quem P. Gabinius Cõsul iusserat ab urbe abesse millia passuum ducenta. Item si cui à præside prouinciæ, ueluti Siciliæ, aditu suæ prouinciæ interdicatur. Relegatorũ duo genera sunt: alii namq; propriè Relegati dicuntur, cùm in locum aliquẽ ab hominibus amicis & notis remotum amandantur: ut Ouid. qui in Pontum abire iussus est: sic Cic. lib. de Offic. 3. Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegatum, & ruri habitare iussum scribit. Alii uerò improprè Relegati dicuntur, qui non modò non amandantur aliò, sed certum in locum quodammodo includuntur, & quasi circumscribuntur. ut cùm præses damnat aliquem, ne domo sua prodeat: in l. ult. D. de interd. quod fecisse Verres dicitur à Cicerone, Verrina IV. qui iudicem illum, qui secundùm Heraclium iudicarat, in senatu esse, locisq; & commodis publicis uti uetuit. Suetonius in Claudio: Ipse quosdam nouo exemplo relegauit, ut ultra lapidem tertium uetaret egredi ab urbe. Item cùm quis patria excedere uetatur, iubeturq; certis in uicis morari: qua de re loquitur Vlp. in l. 7. §. solet. eod. eaq; esse uidetur, quã Marcianus latam fugam appellat in l. 5. eod. cùm omnibus locis interdicitur, præter certum locum. φόβωλὸ scilicet intelligens, id est, exilium ab omnibus locis præterquam ab uno: quasi dicas, hominem ab omnibus locis præterquam ab uno aliquo fugatum. Deportati dicebantur, qui ciuitate sua multati, uincti (ut uerisimile est) neruo, aut compedibus, in nauim aliquam imponebantur, seruisq; publicis, ut eos in insulam transferrent, tradebãtur: idq; atrocissimum exilii genus erat, quod ius omne ciuitatis & agnationis adimebat l. 6. D. de eo d. l. 4. D. de gradib. l. sunt quidam, 17. D. de pœn. & l. 1. D. de hæred. inst. Itaq; neq; capere quicquam ex testamento ciuis R. deportati poterant, neq; ius ullum in sua pristina ciuitate retinebant. l. eius qui, 8. D. de testam. l. si pater, 9. C. de sent. pass. deniq; mortuorum loco habebãtur. §. cùm autẽ. Quibus mod. ius pat. Successit autẽ deportatio in locũ aquæ & ignis interdictionis. l. 2. §. 1. ff. de pœn. l. 3. ff. ad leg. de pec. Proinde triplex inter Deportationẽ & Relegationẽ differentia est. Deportati capite minuuntur: itaq; & ciuitatem & bona omnia amittunt. Relegati uerò non minuuntur: sed & ciuitatem & bona iuraq; omnia retinent. Altera differentia est, quòd Deportati perpetuo exilio damnantur: Relegati uerò, sæpe ad tẽpus. Tertia, quòd Deportati, ut uerbi uis declarat, seruis publicis traduntur uincti, ut eos in nauim impositos in solas terras

transferant:ut loquitur Terẽtius. Relegati uerò exire iubentur his uerbis, ILLVM prouincia illa, insulisq; eis relego. excedereq; debebit intra illũ diem. Hotom. de Verbis iuris.

In SERIPHO insula, & apud nonnullas circa Caucasum gentes, pro criminib. maximis nullũ morte affici, sed exilio mulari, urbeq; & agro exterminari, legimus. Alex. lib. 3. c. 5.

Heraclides ab Hippia tyrãno, Pisistrati filio, aduersus eos, qui tyrannidẽ appeterẽt, Ostracismum & Exostracismũ institutũ scribit: Aelianus uerò à Clisthene, qui libertatẽ Atticã aduersus tyrãnos multis institutis sepsit, ad eorũ, qui se excellentius in rep. gerere uiderẽtur, frangẽdos spiritus, decẽ annorum exterminationem. Assentitur Heraclidi Arpocratio, qui scribit reperiri in monumẽtis Androtionis, Hipparchũ quendam, Pisistrati propinquum, in exilium pulsum esse ea lege, quæ tũ primùm de ostracismo lata erat. Aelianus autem, Clisthenem primum sua lege damnatum prodit. Forma iudicij talis erat. Forum cancellis sepiebatur, ita ut decem tantùm aditus relinquerẽtur, per quos populus in tribus diuisus ingrederetur. Tum Archontes & Senatus, qui iudicio præerant, uniuersam, quæ conuenerat, multitudinem numerabant. ne minus sex millibus esset. Suffragium autem erat ὄστρακον siue testula, in qua quisq; nomen potentis ciuis alicuius inscripserat, cuius ipse præsentis, & remp. tractantis magnitudine offenderetur. Qui autem à maiore conuocati populi parte notatus erat, is urbe extemplò cedere, & per decennũ abesse, integris tamen bonis, incolumibusq; fortunis, cogebatur. Hoc enim inter Ostracismum & Exilium interesse uoluerunt, quòd exules bonis multabantur, nec tempore aut loco circum scribebantur. qui uerò testulis erant damnati, ij & bona retinebant sua, & certo tempore, & certo loco definiebantur: & exilium quidẽ flagitij pœna fuit, ostracismus uerò quædam nimiæ potentiæ diminutio. Hoc iudicij genere pulsus est Aristides, quòd Iusti cognomẽ offenderet, pulsus Damon Periclis magister, quòd prudentiæ opinionem haberet. Postremò cùm ignobiles & flagitiosos homines exterminare cepissent, quòd nobilis pristina cõsuetudo sordesceret, prorsus Ostracismus extabuit. Cùm enim Alcibiades & Nicias inter se seditiosè contenderent, populusq; inductis ostracismo comitijs, alterum eorum sine dubio expulsurus uideretur, illi facta inter se coitione Hyperbolum Chremidis, hominem non uirtutis, sed improbitatis magnitudine intolerabilem, eiscientes curarunt. Quam rem adeo iniquo animo tulit populus, ut ostracismi iudicium posthac in nullum exercuerit. Sigonius lib. 2. de rep. Atheniens.

Syracusanis PETALISMVS exilij genus fuit, teste Diodoro, quo efferentis se ciuis audaciam uirtutemq; comprimerẽt. Hi enim non testula, sed in oleæ folijs siue πετάλοις suspecti ciuis nomen inscribebant: & cuius folia plura existerent, illum quinquennali exilio multabant. Alex. lib. 3. c. 20.

Apud Græcos olim qui homicidium per imprudentiam commisissent, ΑΠΕΝΙΑΥΤΙΣΜΟΥ, hoc est, annui exilij pœnam subibãt, quã Latinè ABANNATIONEM dicere possemus. A' qua uoce Bannitos dici putat Alciatus libro 2. Parergon cap. 2. At rectius fortasse Zasius à Banno, hoc est, à finibus, extra quos eiciũtur, deducit. Quam uocem Germanicam Longobardi cũ multis alijs in Italiam inuexere.

Apud ANGLOS forma exilij indicendi, ut reus intra quadraginta dies & duodecim horas (eo enim temporis spatio bis se æstus Oceani ex alto incitat) Anglia patria iureiurando repudiata, quãm primùm nauem conscendat, in perpetuum exilij iturus, olim à diuo Edouardo, cuius lex decreto extat, introducta fuit, & hodie etiam seruatur, quotiès quis delicti reus ad templum cõfugeit: excepto, quòd usq; ad litus crucem manu gestat, ueluti signũ seruatæ uitæ per religionem. Polydorus lib. 10. hist. Angl.

CONTRACTVS PVBLICI. VT SVNT

FOEDERA. VEL

INITA.

De hu sub loco Amicitiæ.

Cum quibus.

Erat ROMANIS constitutum, ut nunquam cum hoste armato conditionem fœderis acciperẽt, neq; cum aliquibus pacato imperio, ut prius omnia tradidissent, & præsidium accepissent, aut denique fœdere adstricti essent. Alex. lib. 5. c. 3.

Quibus Ceremonijs.

Fertur ARISTIDES, ut ictum fœdus cum omni Græcia firmaret, post diras execrationes, accensos ferreos orbes, in mare deiecisse, adiurans, ut ita extinguerentur cum omni stirpe & gente qui contra fœdus iterent. Alex. lib. 5 c. 3.

Zenodotus prodidit, HOMOLOTTOS populos, dissecto in minimas partes bouc, fœdus iungere. Hinc Bos Homolottorũ, puerbio dicebatur, in plurima distractus negotia. Morẽ hũc Scythis etiã fuisse testatur Lucianus in Toxari. Erasm.

Vtebantur ARABES lapide in feriendis fœderib. Hector. lib. 3.

Senatusconsultum ROM. percutiendi fœderis in hæc uerba fiebat, ut pijuas uerbenas priusq; lapides prætorem posecerent: qui uerbenam ex arce & sagmina (herbæ id genus est) ac lapidem silicem ex templo Iouis Ferretrij daret, fœcialesq; ea secum ferrent, ac porca adhibita, uetere præfatione, prisci carminibus, ad præstitutam diẽ in foro, seu ubi cõuenerat, enunciatis, fœcialis sceptrum manu tenens, pro Iouis simulacro, tanquã is fœderi adhiberetur, filo lanę capite uelatus, & uerbena coronatus, louem, Martem, cæterosq; obtestari deos, & dira obsecratione precari debebat, ut si quis eorum fœdera uiolasset, aut illa sciens fallere, ita illum Iupiter ferire, quemadmodũ ipse porcam percuteret. Quibus obtestationibus quãm sanctissimè prolatis, secundũ rem diuinã precationemq;, lapide silice porcam percutiebat: mox aqua & igne in sacris adhibitis, illã immolabant: qua cæsa, iura pacis & fœdera conuenta, ita esse ritè putauere, hanc fidem socialem & sanctissimum fœdus esse arbitrati, quo nihil sanctius firmiusq; fuit: idq; ante meridiẽ & primo diluculo: nã post meridiem eas precationes facere, aut fœdus percutere nõ licebat. Alex. l. 5 c. 3.

Quibus Conditionibus.

In fœderibus cum Hannibale factis continebatur, ne Celtæ Carthaginensibus exprobrent Carthaginensũ hipparchos atq; duces esse iudices: neq; Celtis Carthaginẽses obijciãt, Celtarum mulieres iudicare. Polyænus lib 7.

Prodium memoriæ est, in fœdere cũ Hannibale & GALLIS icto caueri, ut societas staret eo iure: quòd si Carthaginensis aliquod admissum pateretur à Gallis, eius rei iudicium penes Gallicas mulieres foret: si uerò Gallus à Carthaginensi, penes magistratum Carthaginensem. Alex. lib. 4. c. 11.

Quo tempore.

Ferunt ATHENIENSES nunquam nisi in ueste pulla, & mallis uictos, pacem & fœdera iniisse. hoc est, non nisi ultimis ductos necessitate pacem petere. Alex. lib. 5. c. 3.

CONSERVATA.

Fœdera pactionesq; postquam cum exteris & ultimis gentibus inita erant, ROMANI in templo Capitolini Iouis, columnæ aut æneis tabulis insculpebant. Ibid.

GRÆCI fœdera in Iouis Olympij templo, & in arce Athenis, tanquam in adyto quodam: plerunq; tabulis ex antiquo ære, ut essent testata monumentis, sancta & sacrata habuere: nonnunquam in Isthmo aut ludis Pythijs, fœdera icta & leges dictas, pactiones q; erectis tabulis perpetuo tempore duraturis publicabant Alex lib 5 c. 2.

CONNVBIVM.

Ex Oeconomicis, hoc proprie Communitas uxorum. Vide item bonum Amicitiæ coniugalis.

TVTELA.

Ex Tit Fidei & Perfidiæ tutorum hue quædam.

Fuit apud THVRIOS lege cautum, ut bonorum & fortunarum pupilli, agnati proximi curam agerẽt: ipsius uerò educatio & morum institutio, maternis affinibus daretur. Solonis tamen lege cautum fuit, ne is tutor esset, ad quem post obitum pupilli bona redundarent, ne qua fraus, neu quis dolus compositus pupillo exitio forent. quæ tutela Fiduciaria dicta: quippe fiduciã is habere dicitur, cui res aliqua mancipatur & creditur, ut haud multo post illã mancipanti reddat. Eos Lacedæmonij ἀνεύθυνος nũcupãt, q alterij tutelã curãt; suscipiũt. Apud INDOS lege cauetur, ut parte defuncto, filijs tutores duo, pegrini, nõ ciues dẽtur. Alex. l. 6. c. 10.

Datiui tutores propriè sunt, qui neq; lege, neq; testamẽto instituti, sed à magistratu dati sunt, Attiliani scilicet & Iuliani. Hotoman. de Verbis iuris.

FECENIÆ Hispalæ meretrici, ob detectam Bacchanaliorum turpitudinem, data sunt à Senatu Rom. inter reliqua ornamenta etiã centena millia æris, & tutoris optio ut esset, quasi ei uir testamento dedisset. teste Liuio lib. 9. Dec. 4. Nã Romanæ mulieres, nisi uiri testamento tutorem obtinuissent, non sponte legendi potestatem habebant, sed à prætore cogebantur accipere.

CLIENTELA.

Feudum genus est clientelę, quo uel dignitas, uel uectigal, uel prædium aliquod ea lege alicui datur, ut & ipse, & ipsius posteri atq; hæredes, beneficij auctorẽ perpetuò agnoscãt, & quasi pro patrono colant: eiusq; caput, existimationem, & fortunas tueantur. Illius enim causã & origo hęc fuit, ut uictores cũ gratiam suis ducibus, præfectis, ac militibus pro opera in bellis ac prælijs egregiè nauata referrent, honoribus & fortunis Italorum in illos transferẽdis: tum etiã certos sibi deuinctos & tanquã dexterios clientes haberẽt, quorum opera, bello partam regionẽ in posterum, si opus esset, tueri possent: quos sua lingua modò Valuasores, modò Vasallos appellarunt. Vnde tres Feudorum gradus facti sunt, summus, medius, infimus. Summus ordo est principũ ac procerum, qui lingua illorum Capitanei regni, Duces, Marchiones, & Cõmites appellati sunt: & à Rege tum illis honorib. afficiebantur, tum etiã Italiæ oppidis ac uicis, locupletum etiam uictorum artib. ac uillis donabantur. Quæ Feuda quia partẽ aliquã Regiæ dignitatis obtinebant (qui enim Duces & Marchiones nunc appellantur, Reguli olim fuerunt) iccirco olim Regalia dicta sunt. Itaq; potestas eis data est cudendæ pecuniæ, creandorum magistratuum, salinarum & fodinarum exercendarum, caducorũ, confiscationum, earumq; functionum quæ Angariæ & Parangariæ appellantur: quæ iura, uulgò iura Regaliæ (pro, Regalia) nominantur. Medius ordo eorum fuit feudorum, quę principis illius ordinis proceres, Regis cõcessu, ea lege aliis inferioris dignitatis hominib. dabant, ut Vasalli ipsos secundùm regẽ eius beneficii auctores ac patronos agnoscerẽt, & pro capite ac fortunis ipsorum, fiusus ferret, pugnarent. Quo in numero ij, qui uulgò illorũ lingua Barones, ac Majores Valuasores, siue Vasalli appellantur, fuerunt: qui patronos quidem illos agnoscebant, sed tamen, ut iam dixi, secundùm Regẽ Infimus ordo eorũ fuit, q̃ à secũdi ordinis Vasallis in priuatos cõferebãtur: siue illi nobiles esset, quã nobilitatẽ armis pepererant: siue ignobiles: nã utriq; eadẽ qua superiores iurisiurãdi formula obligabantur: ut cliens patroni sui caput, fortunas, cõtra quẽcunq; aduersariũ, solius Regis maiestate excepta, tueatur. Hotom. de Verb. iur.

MVTVVM.

Consule Tit. Fidei & perfidiæ in mutuo.

Mos est apud AEGYPTIOS, defunctorum parentum corpora dare in pignus creditori. Summa illos qui non redimunt sequitur infamia, & sepultura carent. Diod. lib. 1. cap. 8.

Asiriaci in repẽtina principum necessitate è ciuibus pro census ordine pecuniam mutuò accipere solent. quod tamen prouincialium iniussu fieri non licet. Ad Nouum tritici burgum, cõuentus è quatuor hominũ ordinib. habetur, sacerdotum, procerum, nobiliũ & equitũ. Bonfinius lib. 7. Dec. 3.

FOENVS, VSVRA. TVM

EXERCITA.

Calendarium dictus codex pecuniarum occupatarum, id est, fœnori collocatarum: quia Calendis fœnori dabantur: & patresfam. Calendarum nomine præscripto, debitorũ nomina perscribebant. Hotom. de Verbis iuris.

Quemadmodum collocabantur Calendis pecuniæ, sic etiam exigebantur: qua de causã tristes & celeres appellãtur Horatio Sat. 3. lib. 1. & Ouid lib. 2. de Remed. amoris.

Vsurarum species ex Assis partibus denominãtur. Sors omnis semper ad centenarium numerum reuocatur. Summa autẽ usura est, cùm pars sortis centesima singulis mensibus persoluitur. Et quoniam ista ratione summa hæc usura duodecim aureos annuos in cẽtenos efficit, duodenarius numerus Iurisconsultos monuit, ut Assem hunc usurarium appellarent. Quemadmodum autem hic As non ex mensibus, sed ex annua pensione æstimãdus est, similiter omnes eius partes ex anni ratione intelligẽdæ sunt. Vt si unus in centenos annuatim pendatur, Vnciaria usura: si bini, Sextans: si terni, Quadrãs: si quaterni, Triẽs: si qui, Quincunx: si seni, Semis: si septeni, Septunx: si octoni, Bes: si nouẽ, Dodrans: si deni, Dextans: si undeni, Deunx: si duodeni, As. Hinc Vsura centesima (qui est As usurarius) dicitur, quũ pars sortis centesima singulis mẽsib. penditur. Romani enim Græcorũ morem imitati (qui facilioris & commodioris doctrinę causã quamuis summam sortis ad Minam, quæ centũ drachmas ualebat, perpetuò redegerunt) quantumcunq; sortem similiter ad numerum centenarium reuocaũt. Itaq; Vsura centesima, ex parte sortis centesima, sicuti apud Græcos Drachmalis à Drachma, quæ pars est sortis ad minam redactæ centesima, nomen inuenit. quapropter eam Plutarchus in Lucullo ἡμιτοβολὶον appellat. Hotoman. de Verbis iuris. Centesimas usuras omnium uidetur intellexisse minimas Cæcilius Epistolarum octauo. Cælius lib. 28. cap. 29. A. L.

Apud Iurisconsultos usuræ nauticæ dicuntur centesimæ magnæq;. Negotiatori sortem interdũ accipiunt mutuo. quoniam autem qui nauticã exercent negotiationem, se luaq; uentis & undis committũt, fœneratores maiorem usuram exigebant. Interdum accipiebant mutuum in una ciuitate, quod in alia redderent. Hoc genus negotiationis, quod utriusq; periculo fit, à Græcis dicitur ἀμφοτερόπλοον. idq; mutuum uocabatur ὁλόκυκλον ναυτικὸν: dicebatur & ἐκδοσις, quòd sortis daretur. Modestinus uocat Traiectitiam pecuniã, Vsuras maritimas. Erasinus in Adag.

COERCITA.

Vide Tit. Magistri anarritiæ uitandæ circa Fœnus.

PATAVINI Monte pietatis, uulgò dicto circa an. MCCCCXCI. instituto; Iudæorũ XXII mensas fœneratorias, quintam sortis annuatim exigentes, sustulere: Monte uigesimã tantùm accipiente. Bern. Scard. lib. 2. hist. Pat. classe 5.

NVLLA.

INDI ad usuram pecuniam non locant, neq; accipiunt, neq; syngraphã aut depositũ faciunt. Aelian. lib. 4. de Varia hist.

PERMVTATIO.

VETERES mercibus res inuicem cõmutare, uel corijs boum numorum loco, aut bobus pecudibusq;, ac ferreis uirgis usos comperimus, Homeri testimonio, qui res centũ & æstimatione dignas, nõ pecunia, sed boum & pecudum numero taxauit: & ACHIVOS nõ pecunia, nec ære signato, sed rudi massã ęris uel ferri uinum mercatos, & cum mancipiis permutasse scribit. cuius autoritate Vlpianus de contrahenda emptione, etiam sine pecunia fieri emtionem asseuerat. ARMENI, SCYTHÆ, SERES & SARMATÆ, nõ intercessu pecuniæ res emere, sed rerũ commercio permutare, assuerãt. Deserta enim & uacua cultorib. loca, hominibusq; inficquẽtia, magis quãm urbes incolebãt. MASSYLI uerò in Aphrica populi, pecora & mapalia pecuniæ loco habuisse feruntur, cũ quib. merces sæpe mercatores cõmutabãt. In BRITANNIA gẽs inhospita, iuxta Scylin insulã, permutandũ dabat necessaria & accipiebat. Alex. lib. 4. c. 15.

Negotiatores olim in mediterranea falem imponẽtes, mancipia reportabant à barbaris. Et THRACIÆ gẽti peculiaris erat mos, mãcipia sale cõmutare. Vnde comicus quidã,

Θρᾷξ ὤνησάς τι, σὺ δ' ἀνὸς ἠγόρασας ἅλας. id est,
Generosus es Thrax, sale redemtus scilicet.

Ex Zenodoto Erasmus in Adagijs.

EMTIO, VENDITIO.

De contractibus Emtionis & Venditionis Alex. lib. 4. cap. 15. Vide Tit Fidei & Perfidiæ in Emtione & uend.

CVIVS REI. QVOAD

Substantiã. Venditio

Agri.

HIERMIAS propheta, obsidentib. Hierosolymam Babyloniis, iussus agrum emere Hanameelis patruelis sui à Domino, indicii ergò, quòd licet excisa à Chaldæis urbe nihilominus in integrum restitueretur: appensis XVII argenti siclis agrum emit, & præsentib. testib. Baruch scriba, & minister Hieremiæ, libros duos emtionis, alterum obsignatũ, alterum apertum, hunc cognitionis, illum fidei ergo, sicuti ollæ indidit, uti uel sub terra defossa instrumẽta conseruarentur. Hieron. lib. 6. com. in Hieremiæ c. 32.

Domus.

Domus uenditionis leges apud ISRAELITAS Leuitici c. 25.

Frumenti.

Apud ROM. fuit Hasta salutis, ubi in summa inopia hasta posita, publicè frumentum uæuit. Alex. lib. 3. cap. 16.

Hominum.

Confer locum Seruitutis.

Caius (ut Boetius auctor est) ita scribit: Mancipatio est imaginaria quædam uenditio, quod ipsum ius Romanorum est ciuium. c. a. q. res ita agitur. Adhibitis non minus quinq; testibus ciuib. Rom. puberibus, & præterea alio eiusdem cõditionis, qui librã æneam teneat, qui appellatur Libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritũ meam esse aio. isq; mihi emtus est hoc ære, æneaq; libra. deinde ære percutit librã. idq; æs dat ei, à quo mancipium accipit, quasi precũ loco. Hotoman. de Verbis iuris.

Numerum.

Auersione, uel per auersionẽ emere, locutio est à Iurisconsultis usurpari solita, quũ res multę simul, atq; accuratim uno precio uendũtur. multas autem intelligo, siue illæ plurium sint generũ, siue uninus: sed numero, aut pondere, aut mensura diuidantur. Asconius hac in re uocem Semel usurpat, Sectores, inquit, spem lucri sui secuti, bona condemnatorũ semel auctionabantur: ac postea singulas quasq; res populo uenditabant. Ab Auertẽdo ducto etymo, cùm omnia simul & uniuersẽ, tanquã per euerticulũ auertũtur. unde Vniuersa dicũtur propriè, quæ unũ in locũ sunt cõuersa. Ibid.

Possessionem. Emtio, Venditio rei

Incertæ.

Alea emtio dicitur à I. C. cùm incertus euentus emitur: ueluti cùm piscator iactum retis uendit, uel aucupis pauberum. Hotom. de Verbis iuris.

MILESII iuuenes iactu retis emto, cùm tripodem piscatores aureum extraxissent, septem sapientum cessuræ occasionem dedere. Laertius.

FORMA EMTIONIS. HVC pertinet

Proscriptio, Præconium.

Olim QVI fundum proscribebant uenalem, præconem edocebant, quibus dotibus esset ager commendabilis, quàm salubri cœlo, quàm commodo situ, quàm fertili solo, quàm bene ædificatis uillis. THEMISTOCLES, quum fundum uenderet, iussit huiusmodi dotibus & illud adijci, Quòd haberet bonum uicinum. Erasmus in Adagijs.

ROMÆ in sectionibus primùm Porsenæ regis bona proclamabãtur, eo quòd rex ille pace cum Rom. facta, castra illis commeatu referta donauerit. quæ dum quæstores post regis discessum uendidissent, memoria saltem grata talis auctio inter cætera urbis solennia celebrata fuit. Plut. in Poplicola, Liuius, & Sab. lib. 6. En. 2.

Indicium.

Manceps, inquit Festus, dicitur qui manu capit: qui quid à populo emit, conducit ue, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse. qui idem præs dicitur, quia tam debet præstare populo quod promisit, quàm qui pro eo præs factus est. Hotom. de Verbis iuris.

Pactum, Conditiones.

Terram in perpetuum uẽdi apud ISRAELITAS Domini lege interdictum fuit. Nã mea terra est, inquit Dominus, uos mihi peregrini estis & cõuenæ. Quare in omni possessionũ uestrarum solo redimendi soli ius conceditote. Leuit. 25.

Mãcipationis & uulgaris Emptionis illa fuit differẽtia: quòd in illa enictionis periculum præstabatur: in hac, nõ præstabatur. in illa dupla ipso iure auctoritatis nomine debebatur: in hac primùm non nisi stipulata fuisset: postea tamen propter consuetudinis assiduitatem in emti uenditi iudicium etiam tacitè & ui bonæ fidei actionis ueniebat. Cùm res mancipio non dabatur, periculo emtoris ea fuit: neque enictio ab emtore præstari solita. Quòd si mancipatio adhiberetur, & res postea euinceretur, Paulus lib. Sent. 2. c. 7. scribit, uenditorem auctoritatis nomine duplo tenus obligari. Hotoman. de Verbis iuris.

PERSONÆ. VIDELICET

Ementes.

Mancipes sunt, inquit Asconius, publicanorum principes, Romani homines: quæstus sui caussa si decumas redimũt, Decumani appellantur: si portum, aut pascua publica, Portitores, aut Pecuaris: quorum ratio Scriptura dicitur. Hotoman. de Verbis iuris.

Apud THVRIOS si quis domum emerit, uel uẽdiderit, sacra facere in Apollinis Epicomæi fano: si uerò prædium, in uico quem inhabitat, & iurare coram magistratu solet, quòd reuera iustè emat, uendatúe, nec fraudulẽter agat, nec arte doloúe uratur ullo. Stob. serm. 42. ex Theophrasti scriptis.

Vendentes. Qui uendunt

Sua.

Apud CECERTÆOS opifices onera gestant, donec occurrat, qui emat. Erasmus in Adagijs.

Aliena.

Propolæ hi sunt, de quibus sub Commutationibus mechanicis.

TEMPVS. QVANDO.

SAVROMATÆ inter pocula filias uendũt. Erasm. in Adag.

TESTAMENTA. Eaq; uel

FACTA.

Ex loco Fidei & Perfidiæ in Testamentis huc quædam.

Respectu Materiæ legatorum.

ALEATOR quidam moriens (quasi parum fuisset, in uita lusisse) testamento [illegible] cauit, ut detracta cadaueri suo cute ossibusq; omnibus exemtis, ex his tesseræ fierent: ex illa uerò membranisq; omnibus, mẽsa, alueolus, fritillaq;, quanta fieri posset diligentiâ contegerentur. Paschasius Iustus lib. 1. de Alea.

Respectu Formæ.

Tria uteribus fuere testamentorum genera. Vnum, quod calatis comitijs fiebat: alterum, quod per æs & libram, libripendi adhibito, & emtore familiæ: tertium, quod procinctum uocabatur, cùm milites ituri in prælium, nulla legum solẽnitate, tribus aut quatuor adhibitis, raptim apud commilitones testabantur: qui mos talis erat, ut milites, cùm decernere parant, antequam togam circumcingerent, aut clypeos arriperent, tribus aut quatuor audientibus hæredẽ sibi nuncuparẽt, si qd in acie secus cueniret. Alex. lib. 4. c. 3.

Respectu Personarum. ipsius scilicet

Legantis. Qui legare possunt.

De Iure Testamenti & Hereditatis, consule fol. 783.

Solonis Atheniensis probatur lex testamentaria. Etenim antea non erat ius ATHENIENSIBVS testamentum condere, sed familiæ defuncti pecunia & hæreditas relinquendæ erant. Hic liberum fecit, nõ extantibus liberis, cui uisum esset, sua donandi, amicitiamq; propinquitati, & gratiam prætulit necessitati, pecuniamq; mancipium fecit possessorum. Nec indefinitè tamen citra delectum dare indulsit, sed si non per morbum uel medicamentum, nec uinculis uel uiastrictus, uel uxoris inductus esset blãditijs. Plut. in Solone.

Pius II. eorum CARDINALIVM testamenta, qui Romæ decessissent, libera esse uoluit: qui intestati obijssent, eorum bona ita demùm referri in ærariũ est passus, si nec propinqui comparuissent. Campanus in eius uita.

Legatarij. Cui legatur.

RESCISSA.

De his sub loco Iustitiæ & Iniustitiæ circa Testamenta.

NVLLA.

Ius testamenti à Carolo Magno SAXONIBVS ademtum, à Ludonico Pio Imp. restitutum. Acmilius lib. 3.

MORTVORVM CVRA.

De Sepulturis ex professo egit L. Gregorius Gyraldus peculiari com. item Alex. lib. 14. c. 6. E quib. nostræ hæ rhapsodiæ & illustrari possunt & digeri. Is singulis enim immorari, nec institutũ nec ætas permittit. Huc quoq; refer ea, quæ Volumine secundo de Cadaueris cura attulimus. item quæ Volumine tertio de Honorib. defunctis exhibitis. Res eadem, respectu diuersus.

ANTE ABLEGATIONEM.

Respectu Cadaueris: illius

Compositio, Oculorũ clausio.

Apud ROM. mortuo cõiũctiores inprimis oculos claudebãt.

Conditura.

AEGYPTII ubi cum ijs, qui funera curant, conuenere, cadauer illis tradunt exenterandum & condiendum. Quo facto, illud recipiũt, ut domi solẽni more recõdatur. Herod. lib. 2.

Apud SCYTHAS cùm rex decessit, accipiunt mortuum corpore incerato, aluo euulsa atq; expurgata (ut etiam Plinius lib. 9. cap. 45 docet) quam ubi silere contuso & thymiamate, apijsq; semine & anisi expleuerunt, consuunt rursus: impositumq; plaustro cadauer per regionẽ ferunt: inde contumulant. Herod. lib. 4.

Vestitus, Ornatus.

Cicero in oratione pro L. Flacco, GRÆCOS docet solitos fuisse coronam mortuis imponere: exponens quid cõtineretur plebiscitis Smyrnæorum, quæ fecerant in Castritium mortuum. Primùm, ut in oppidum intro ferretur, quod alijs non conceditur: deinde, ut ferrent ephebi: postremò ut imponeretur aurea corona mortuo. Institutum autẽ hoc, coronatos mortuos efferendi, tetigit etiam Aristophanes ἐκλησιαζούσαις: ita enim induxit uirum uxorem increpantem, quòd eum noctu in lectulo dormientem reliquisset, tanquam cadauer, οὐχὶ κρεμαλιπὼν ὁσπερεὶ τεθνεκότος: Μόνος δ' ἐστεφανώσατ' ἔδ' ἐπιθῆκα λήκυθον. addidit enim, nihil desiderari potuisse, ut plenam speciem eius rei redderet, nisi quòd coronam capiti ipsius non imposuerat, neq; lecythum propè collocarat. Victorius lib. 2. Var. lect. c. 7.

Apud GRÆCOS amictus candidus non ex lana, sed lino intexebatur, Aegyptiorum exemplo, apud quos laneæ uestes nec cum cadauere sepeliũtur, neq; in ædes deorum importantur. Alex. lib. 3. cap. 7.

ROMANI cadauer de unguentis ungere, candidoq; amictu induere, ac diebus septem seruare solebant, ara constituta, ubi odores incenderent, quæ acerra dicta est, teste Festo.

Circumgestatio.

SCYTHÆ, suos qui decesserunt, in plaustris collocatos ad amicos circumferunt: eos illi excipientes epulũ cadauer comitantibus præbent. Mox peractis diebus quadraginta, humo mandãt, capite exinanito abluto q;. Regis uerò corpus conditũ per omnes prouincias circũgestant. Herod. lib. 4.

Custodia.

GRÆCIS septemdecim diebus corpora, antequam cremarentur, totidemq; noctibus seruare mos erat. Alex.

Respectu Aliorum.

Conclamare.

ROMANI, oculis mortuo clausis, introducta familia, uiciniaq;, si introspicere uoluissent, terni quaterniúe altissimis uocibus mortuum ter inclamabant nomine: quo tacente, Conclamatum esse in publicum efferebatur. Alex.

Imperare.

Extat apud Demosthenem aduersus Macartatũ lex talis: Qui percunt in populis, quos nemo sustulerit, eos demarchus propinquis denũciet, ut tollant atq; sepeliant, & populum expient eodemmet die, quo singuli eorum perierint. De seruis autem denunciet domino: de liberis uerò ijs, qui pecuniãs possident. quòd si nullæ mortui pecuniæ sint, denunciet propinquis mortui. Quòd si denunciante demarcho, propinqui non sustulerint, demarchus locet tollendum, & sepeliendum, & expiandum eo die populum, quàm minimo poterit. Quòd si non locauerit, mille drachmas ærario dare damnas esto. quidquid autem impenderit, duplum à debitoribus exigat. Si non exigat, ipse popularibus dare damnas esto. Sigon. lib 4. de rep. Athen.

Euocare.

Præconiues ad funus octauo die inuitabat, cuius uerba erãt, Ollius fato functus est.

Iudicare.

Apud AEGYPTIOS antequam sepeliatur corpus, prædicturã cognatis tum iudicibus, tum defuncti amicis, sepulturæ dies, asserunt uerò illum (nomine mortuum appellantes) paludem transiturum. Adstantibus iudicibus amplius quadraginta numero, sedentibusq; in præparato ultra stagnum hemicyclo, trahitur nauis ad id cõposita ab ijs quibus ea cura iniuncta est, regente magistro, quem suis lingua Aegyptij Charontem uocant. Vnde & Orpheum asserunt, cùm hunc morẽ apud Aegyptios conspexisset, finxisse post modũm inferos, partim quæ uiderat imitatum, partim quę ipse commẽtus esset. Perducta in stagnum naui, antequam condatur in area cadauer, permittitur lege uolenti mortuũ accusare. Si quis comprobatur malè uixisse, iudices sententiam ferunt, qua censent corpus eius sepulcro priuandum. Qui deprehenditur iniustè crimen obiecisse, magna multatur pœna. Cùm deest accusator, aut per calumniam accusatum constat, cognati finito luctu ad laudes mortui uertuntur. Diod. lib. 1. cap. 8. & Herod. lib. 2.

Domus curanda.

Domus certo scoparum genere ab Euerruncatore purgabatur: cupressi ramus in hostio superponebatur, in funeris indicium. Alex.

Instrumenta præparanda.

ROMÆ in æde Libitinæ Veneris omnia ad funus pertinentia seruabantur: quæ sicut aduenientibus uiam, ita decedentibus sepulturæ instrumenta præbebat: sortẽ ex regis Numæ commentationibus, ut discerent non abhorrere ab ijs, neq; hæc ut piamentum defugere. Plut. in quæst. Rom.

IN ABLEGATIONE. Huc pertinet

Pompa.

Regum SCYTHARVM sepulcra apud Gerrhos sunt, ubi Boysthenes iam nauigabilis est. Ibi cùm rex eorũ decessit, ingentẽ ferobem effodiunt forma quadrata. Accipiunt mortuum corpore incerato, aluo euulsa atq; expurgata (ut etiã Plin. lib. 9. c. 45 docet) quam ubi silere contuso & thymiamate, apijsq; semine & anisi expleuerunt, consuunt rursus: impositumq; plaustro cadauer, ad aliam gentem ferũt. Quod qui excipiunt, eadem agunt quæ regij Scythæ: aurem decidunt, crinẽ circũtondent, brachia incidunt, frontẽ nasumq; suciãt, sinistrã manũ sagittis traijciunt. Mox idẽ ad populos alios, quibus uiuẽs imperitauit, cadauer trãsfertur. Deniq; contumulantes, concubinarũ aliquam præfracta gula simul sepeliunt: sed & pincernã, coquũ, equi agasonẽ, ministrũq; item qui fuisset à nuncijs, nec non equos & omnium primitias Rursumq; anno circumacto hæc obeũt, quinquaginta ex ministris (qui non alij sunt, quàm Scythæ ingenui) strangulant, totidemq; interimunt equos. Herod lib 4.

PLATO in 12. de Legibus ordinem pompæ funebris, in funere præfectorũ ciuitatis, talẽ ponit: Indumenta omnia alba, luctus ploratusq; nullus. Chori duo, alter puellarũ numero 15. alter uerò totidem puerorum, qui feretrum circumstarent, dum sacerdotes uicissim demortuũ laudabant, eiusq; felicitatem totum diem decantabant. At postero die bene manẽ, iuniores capulum ad sepulcrum ferebant, eorumq; cœlibes præcedebant equites cum equis, & cum armis pedites: deinde pueri patrios hymnos concinentes, & hos puellæ sequebantur, cum mulieribus iam ẽff' œtis. Sepulcrum uerò erat sub terra, factus ex lapidibus fornix.

Apud ROM. ferendi feretrum, propinquioribus uirilis sexus dabatur munus. Itaq; filij parentes, & fratres sorores elatas funere deferebant: nonnunquam serui libertate donati, plerunq; senatorii, prætorii & consulares, quiq; amplissimis honoribus functi erant, imperatorum & consularium uirorum feretrum detulere. Quare Pauli Aemilii, qui de Macedonia triumphauit, legati Macedonum: & Syllæ dictatoris feretrum, senatores & sacræ uirgines extulerunt. Et Q. Metello filii tres consulares, duo triumphales, unus censorius, & alter prætor lectũ subiere, teste Plin. lib 7. cap. 44. Dumq; efferetur, insignia honorũ quos gessisset, ut fasces, secures, lictores, armaq; & dona militaria, coronasq; omnis generis, quas in uita meruisset, uexilla, atq; urbiũ dona & legionum, spoliaq; hostium, ac munera quæ quis daturus erat, expressos q; cera uultus, & decora maiorũ totius q; familiæ longo ordine simulacra, & gentile stemma præferebant ab ultima origine, quanto cum poterant apparatu. Quare C. Cæsar in amitæ funere, Marii statuas pro decore familię detulisse fertur. Et Tiberius in Drusi funere originẽ Iuliæ gentis, Aeneam, omnesq; Albanorum reges, Romulum & Appium Claudiũ, cæteras q; Appiorum effigies longo ordine produxit. Ferunt quoq; Iuniam, quæ Cassio nupta fuit, uiginti clarissimarũ familiarũ imagines, uelut indicii splendoris & uetustatis familiæ, in funere præcessisse: inter quos Manlios & Quintios, Cassiumq; & Brutum. Nonnũquam, ut ampliore efferentur funere, plures defuncto stauere lectos, qui instrati in pompa funeris anteibant: sicut de Sylla, cui sex millia, & Marcello, cui sexcentos prælatos legimus. Tum si qui ab eo serui manumissi & libertate donati fuerant, illi præcipuè, qui fide insignes à domino cognati forẽt, herilem interitum miserantes, pleni lacrymarũ clatum corpus præcedebant piliati, aut alba lana capitibus uelatis: qui quanto plures erant, tanto plus nominis laudisq; dedere, quòd familiam totam decedens dominus tantis muneribus cumulasset, ac libertatis precio affecisset. Nonnunquam illos, qui ratis capitibus triumphantis eurũ fuerant prosequuti, eiusdem defuncti corpus pileatos in pompa funeris præcessisse inuenimus. Q. Terentium Culleonem, quẽ Scipio Africanus seruitio exemerat, quiq; triumphantis eurum capite raso fuerat prosequutus, eiusdẽ clatum corpus pileatum præisse memorant: post sequente proximorum affinium & amicorum turba, lugentis habitu, capillo demisso, in ueste pulla aut cerulea, ut Cato significat. Illorum corpora, qui magistratus & honores gesserant, in prætexta purpura, togaq; consulari uel senatoria, eruosq; triũphales in tunica Iouis, plebeiorum uerò in toga plebeia aut pallio efferebant, & cum eisdem illa cremabant. Lecto igitur constrato purpura, aut linteis splendentibus, & in eo defuncti corpore locato: post ultimam conclamationem, tibicine præcedente, qui nænìam funebrem, qua laudes defuncti & facta recensebat, tum pudorem, integritatem & fidem, nõ saltabundus, ut olim, sed stans Phrygio modulo caneret, funus procedebat. Is enim modus erat ad mœrorẽ accommodatior. Quod ideo institutum ferunt, quasi in illas æternas amœnitates, ac in sedes & concilia piorũ post funera recepti uideantur. Nõnunquam senatu uniuerso & magistratu cum uexillis, interdum equitum turmis, si quando regum aut imperatorum funus efferrent, comitantibus. Funeris enim hæc lex erat, ut, præcedente pompa funebri, uiui sequantur, tanquam haud multo pòst moriturri. Interim lectulo pleniq; flores & corollas iacere, nonnulli unguenta & odores, alii dona cumulare. Idq; noctu & obscura luce, ideo ardentes faces adhibebant. Nam die funus efferre, uetusto more non licuit: quod Demetrius rex cauit edicto, ut ante lucem uel post crepusculum efferantur corpora: die uerò non liceret. Alex. lib. 3. cap. 7.

D. Hieronymus scribens ad Paulam de dormitione Blesillæ, indicat ordinem pompæ funereæ præire solitum ante cadauer. Teste Seruio, ad honorem præsertim regum & nobilium, cum faculis precedebat populus. Verg. de Pallante,

—Lucet uia longo
Ordine flammarum, & latè discriminat agros.

Vnde fortassis ortum est, ut apud Christianos illud idem in cuiusuis funere feruetur.

KENNETHI Scotorum regis lege, insignis ulti aut alio quì de Republica optimè meriti pôpa funebris talis erat. Duos equestres præibant: alter uita functi arma indutus & insignia ferens candido equo: alter pulla ueste uelata facie nigro equo insidens. Cùm ad templũ uenissent, niger retroacto equo ad altare, dominũ morte absumtum uociferans, populo dirus eum prosequẽte, celeriter se è conspectu proripiebat. Alter ad altare recto pergẽs gradu, deposita armæ equumq; offerebat sacerdoti, insignibus admotis monumento. Huiusmodi ritum ut parum religiosum, posterior

ætas aboleuit:facerdoti loco equi & armorum quinq; ſterlingicis libris in oblationem tributis. H.Boethius lib.10.

Lampades.

Lampades ardentes in funerum ceremonijs adhibere, ~~ſecula quinta post Chriſtum~~ CHRISTIANIS moris fuit: item hymnos decantare. Nã D. Chryſoſtomus inquit in Hom.4. in 2. capite ad Hebræos:Dic mihi, quid uolũt ſibi iſtæ ſplendidæ lampades? quid hymni? & paulo pòſt: Cogita quid pſallas in illo tempore.Reuertere,inquis,anima in requiem tuam,quia Deus benefecit tibi. Itẽ:Non timebo mala,quia tu mecum es.Homilia 61.inquit,honorem mortuo non eſſe fletum,non eiulatum: ſed hymnos & pſalmos,& optimam uitam. Perditus,ſi in funere uniuerſam habuerit ciuitatem, nihil lucrabitur.

Laudatio,Nænia.

AEGYPTII in laudationibus funebribus nil de genere eius, ſicut Græci conſueuerunt,narrant (exiſtimant enim omnes Aegyptij pariter ſe nobiles eſſe) ſed orſi à puericia, in qua uitæ inſtitutionem eruditionemq; recẽſent, ad uiri ætatem deſcendunt, eius erga deos religionem,iuſtitiam,continentiam, uirtutesq; cæteras commemorantes. Inuocatis uerò inferis dijs,precantur ut cum inter pios locent. Ad quę uerba omnis multitudo correſpondet, gloriam mortui extollens, tanquam apud inferos cum beatis ſemper futuri. Herod.lib.2 & Diod.lib.1.c.8.

Auctor Polybius, ſi humanis ceſſiſſet paulò illuſtrior Romæ, moris fuiſſe ROMANIS,in forum eundem efferri,acſtantem conſtitui,recumbentem uerò rarius: aderat mox, ſi per ætatẽ ac præſentiam licuiſſet,filius, uel certè ſanguine iunctorum unus, qui defuncti præconia oratoriè perſequeretur. His uerò ex ritu confectis, contumulabatur mortuus. Hinc Cæſarẽ legimus amitam laudaſſe annos natum plus minus duodecim.Tiberium autem uel annorum nouem in patre idem impleſſe.Cælius lib.17.cap.21.A.L.

Funebres tibiæ funebre carmen præcinebant, præficis mulieribus laudes mortui decantantibus, quam Nęniam dixere. Feſtus Pomp. & Plutarchus in Problematis.

Muſica funebris.

Ferri mortuos OLIM ſolitos ad tubam,indicat Maro in Aen.

It cœlo clamorq; uirũm,clangorq; tubarum.

Et Perſius Satyricus:

Hic tuba,candelæ,tandemq; beatulus alto
Compoſitus lecto. Cum tubis, tibiæ quoq; ac
tympana adhibebãtur, & ea omnia, ut hominum mortuos
lugentium animi languentes eiuſmodi ſono excitati, minus dolorẽ ſentirent,qui ijs oblectamẽtis facilè diſtrahi ſoleãt.Alex. Aphrodiſeus in Probl.Polyd.lib.6.c.10. de Inuẽt.

Deploratio, Luctus.

SCYTHÆ, mortuo rege, aurem decidũt,crinem circumtondent,brachia incidunt,fronrem naſumq; fauciant,ſiniſtram manum ſagittis traijciunt.Herod.lib.4.

ROMÆ cùm in domo mortui ſteret comploratio, lugentes pellibus inſidebant.

De Hiſpanorum lugendi ratione in hunc modum Petrus Cluniacenſis ſcribit: Vidi nuper ipſe in Hiſpanijs & admiratus ſum, antiquum hunc morem ab Hiſpanis adhuc omnibus obſeruari. Mortua quippe uxore maritus, mortuo marito coniux, mortuis filijs patres, mortuis patribus filij, defunctis quibuslibet cognatis cognati, extinctis quolibet caſu amicis amici, ſtatim arma deponũt, ſericas ueſtes, peregrinarum pelliũ tegmina abijciũt, totumq; penitùs multicolorem ac precioſum habitum abdicãtes, nigris tantùm uilibusq; indumentis ſe cõtegunt. Sic crinibus propriis, ſic iumẽtorum ſuorũ caudis decurtatis, ſeq; & ipſa atro prorſus colore denigrant. Talibus luctus doloriſque inſignibus, ſubtractos cariſſimos deflẽt, & integri ad minus ſpaciũ anni in tali mœrore publica lege cõſummant. Lib.5 epiſt.16.

Humatio.

Sepulcrorum tres habẽtur ſpecies apud AEGYPTIOS,ſumtuoſa, mediocris, humilis. In prima argenti talentũ exponunt,in ſecũda minas uiginti, in ultima parũ quid ſumtus erogãt. Purgato inde & cõdito à ſalitoribus cadauere,mox etiam accuſato, & à iudicibus certis iudicato,ſepeliunt poſtea quiq; ſuos: hi in propriis ſepulcris,alij,quib.ea defunt, domi apud infirmiorẽ parietem arca corporis erecta. Qui uerò ob crimina aut debita ſepultura prohibentur, domi abſq; arca ponuntur: quos poſteri,ditiores facti, ac debita & crimina luentes, honorificè ſepeliunt. Gloriantur enim Aegyptij,ſuos parentes maioresúe magnificè eſſe ſepultos. Diodorus lib.1.cap.8 & Herodotus lib.2.

SICYONII corpus terra contegunt,deinde lapidea baſi extructa columnas erigunt, quibus faſtigia,uel, ut Græci uocant,aquilas imponunt:eadem propè ſpecie, qua fiunt templorum culmina.

GRÆCOS conſueſſe extra oppida mortuos ſepelire,intelligitur loco quodam Polybij ex libro 8. Hiſtoriarum,qui nunc in excerptis legitur: docet enim illic, quomodo Tarentiũ in poteſtatem Annibalis uenerit, narrãs, urbis Tarentinorum partem,ad ortum Solis uergẽtem,buſtorum plenam fuiſſe, quia ad ea uſq; tempora Tarentini morem haberent, intra oppidum mortuos condere, parẽtes ueteri cuidam oraculo:cùm enim edita ipſis ſors eſſet,res eorum meliores futuras,ſi unà cũ pluribus habitarint,ita illos interpretatos eſſe id oraculũ: exiſtimaſſeq; Remp. ſuam bonã fortunatamq; fore,ſi illos etiam,qui migrarint è uita,intra urbem receperint, quod poſtea diligenter ſeruarunt. Verba oraculi hæc erant:ἄμεινον τῷ λάθιον ἔστω ὅφιν ποιεμένοις τὸν οἰκήτορ μετὰ τῶν πολεόνων. Cæteræ autẽ nationes Græcorum tantopere hoc fugiebant, ut miniſtros etiam triſtis huius muneris, quos κηποτάφους appellabant, urbis domicilio arcerẽt. Victorius lib.2. Var.lect.c.7.

LYCVRGVS prohibuit quicquam cum corpore condi,ſed puniceo amiculo & foliis oleaginis cadauer inuolucbat. Plut.in Lycurgo.

ROMANOS olim abortu urbis, defuncta cõrpora humi cõdere, neq; cremare conſueuiſſe, illud argumento eſt, quòd Numæ Pompilij corpus in arca lapidea poſt multa ſecula à Cn.Terentio in Janiculo inuentum,Martianus tradit.Poſtea quum longinquis bellis defunctos erui cognouiſſent, ut igni cremarentur,decreto ſanxerunt.Primus ex patricijs Cor.Sylla traditur,qui decedens igni ſe cremari uoluit. Inde manſit diu defunctos cremandi conſuetudo: à qua ſequutis temporibus dum Antonini Cæſares imperitarent, deſitum fuit.Tunc enim illo more abrogato,denuò corpora humi condere cœpere, ex inſtituto Thaletis, qui cum omnia ex aquis conſtare dicat,defunctos terrę mandare iuſſit,ut humore diſſoluantur.Alex.lib.3.cap.2.

FROTHONIS III.Danorũ regis lege,quiſquis pater familiæ in bello periret, cum equo omnibusq; armaturæ ſuæ inſignibus tumulo mandabatur.Quem ſi quis ueſpillonũ ſpoliare tentaſſet, pœnas nõ ſolũ ſanguine, ſed etiã inhumato eadem uere dabat.Duces & cẽturiones igne cremabãtur.Saxo lib.9.

Apud TARTAROS ſi quis è plebe lethali morbo afficitur,ad eius tentorium haſta erigitur,pileo nigro præfixa. Conſpecto ſigno,intrat nemo. Vita defunctum clàm in campo ſub medio tentorio defodiunt.In ſepulcro menſam ante illum, ſcyphũ,equini lactis, & carnis alueolum ſtatuunt: adijciunt quoq; iumentum cum pullo, & phaleratum equum, ut in altera uita lac, iumentum & inſtructum equum habeat.Iumentum aliud comedunt, eiusq; corium completum ſtramine in patibulo quodam ſuſpendunt, comeſti equi oſſa comburunt. Si quis eminentioris uir fortunæ uita exceſſerit,cum precioſiſſimo habitu humi recõditur: ſed longè ab hominum frequentia,ne ſpolietur.Amici equum eius pelle exuunt, quam ſtramine cõpleant, completamq; palo præfigant,ac editiſſimo pro dignitate patibulo imponant: carnes pro inferijs comeſſantur. Triginta dies mortui lugent. Bonfinius lib.8.Dec.2

MAVRITANI extra urbes publico loco mortuos ſepeliunt. Sepulcro ſaxum oblongũ triangulare ſuperimponunt.Nobiliorum ſepulcris unum ad caput, alterũ ad pedes poſitũ, cum epitaphij inſcriptione. Epitaphia multa Ioannes Leo in Africa ſe collegiſſe ſcribit lib.3.c.49.Africę deſcriptionis.

Suſpenſio.

Mos erat olim apũd SVEONES & GOTHOS; cadauera Principum in quercubus,tanquam ſacris locis,ſuſpendere. Olaus lib.16.cap.37.gentium Septentrionalium:

Exuſtio.Crematio.Conſiderentur

Compoſitio cadaueris.

GRÆCI mortui oculos,antequam cremaretur,patefaciebãt, ac cœlum digito oſtendebant,animæ domicilium.Alexander ab Alex.lib.3.cap.2.& 7.

Pyra.

GRÆCI per XVII dies cadauer ſeruabant,tũ rogo extructo, & pyra cupreſſo circumdata, propter grauem cremati corporis nidorem,ne tetro odore abigerentur proximi,Alex.

SVEONVM olim & GOTHORVM principes iuniperini lignis igne cremabantur. Olaus lib.16.c.37.Pop.Septentr.

Pyram pro dignitate & honoribus, quibus in uita functus erat, & prout ampliſsimos magiſtratus & imperia geſſerat, modò maiorem, modò minorem Rom. extruxere (ſuitq; lege duodecim Tabularum cautum,ne de lignis politis extrueretur) donẽc per funerũ miniſtros,qui pollinctores dicti ſunt,corpus cremaretur. In extruenda pyra,præter arida ligna, papyrum quoque, quò facilius cremarentur, nonnunquam etocum & uinum aſſatim apponebant. Corpora clariſsimorum uirorum, non niſi ex lectiſsimis lignis certi generis concremari permittitur. Locupletium ac nobilium modò funeribus adhiberi cupreſſum ſolitum, Lucanus teſtari uidetur:

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

& eſt à Lactantio grammatico Thebaidos quarto relatum. Cælius lib.25. cap.2.A.L.

FROTHONIS III. Danorum regis lege, Centurionis uel Satrapæ corpus rogo,propria naue conſtructo, funerabatur. Dena autẽm gubernatorũ corpora unius puppis igne conſumebantur. Dux aut rex interfectus proprio iniectus hauigio concremabatur. Saxo lib.5.

Veſtitus cadaueris.

Fuit ſeruatum apud INDOS & AEGYPTIOS, regum funebres tunicas, quo cineres cremati à reliqua fauilla diſtincti iaceant,ex licio, quod igni non abſumitur,conficere, easq; ad rogum defunctum corpus induere. Quippe in Caryſto lapis naſcebatur, qui uelut lana intextus, nullo igne adurebatur.Plin.lib.19. cap.1.linũm ac beſtinum.Alex.lib.3.ca.7.

Commorientes.

Erat GRÆCORVM & AETHIOPVM præcipuus mos, ut comas ad rogum diſſecent, corporiq; & igni imponãt: boues & pecora,equosq; & canes in ignem mittant, uinumq; & oleum fundant. INDORVM peruulgata hiſtoria eſt, ut uiro defuncto, quæ cariſſima coniux in uita fuerat, eodem igne abſumatur,unaq; cõcrematur. THRACIBVS & GETIS erat iſte mos, ut uiro defuncto, præcipuè dilecta conlux, maximo cultu ornata, ad tumulum duci, & à propinquiore mactari:eodemq; tumulo humari debeat.GALLIS uerò, ut ſerui clientesq; cum dominis patronisúe unà crementur uiuentes, eademq; pyra intereant. Alex.lib.3.c.7.

SCYTHÆ regum cadauera tumulantes, concubinarum aliquam præfracta gula ſimul ſepeliunt:ſed & pincernam, cocum,equi agaſonem,miniſtrumq;:item qui fuiſſet à nunciis,necnon equos, & omnium primitias. Rurſumq; anno circumacto quinquaginta ex miniſtris, qui non alij ſunt quàm Scythæ ingenui, ſtrangulant, totidemq; interimunt equos.Herod.lib.4.

GERMANIS ſtruem rogi nec ueſte, nec odoribus cumulare licet: ſed ſua cuiq; arma, & ſuus equus adijcitur rogo, corpora uerò clariſſimorum uirorum, niſi ex lectiſſimis lignis certi generis cremari, ſine ullo funeris ſolenni permittitur. Alex.lib.3.cap.7.

Apud ROM. dum igne accenſo corpus ardebat, pro dignitate,proq; opibus, quibus quiſq; potens erat, ita amici & affines quiq; coniunctiſſimi aderant, quæ cara habebant & præcipui cultus, cum gemitu & queſtu miſerabili, in luctus & grauiſſimi doloris ſignum,ignibus iaciebant.Itaq; multi ueſtes triumphales,enſesq; & baltheos,nonnulli arma militaria:mulieres uerò,ne ſtudio uincerentur,ornamẽta ſua, armillas,zonas,mundumq; muliebrem,uittasq; uirginalis comæ: alij retortos cincinnos & torques,ac bullas prætextasq; liberorũ flammæ indidere:thuraq;,unguenta & odores omnium generum,quos lancibus ferebant. Quare multos copia odorum ad pyram exanimatos,& præter infinita odoramenta, in funere Syllæ, ſtatuam iuſtæ magnitudinis ex odoribus abſumtam comperimus. Quæq; defuncto caiſſima, & cordi fuiſſe arbitrabantur in uita, quarumq; rerũ mirum & efficax ſtudium fuerat, ut ſcuta, gladios & arma, canes,dilectos equos, luſcinias, auesq; ad eundem rogum trucidatos, ut unà cum defuncto cremarentur, igni tradebant: plerq; uerò ſeipſos. Vnde exemplis palàm factũ notiuimus, multos accenſis dominorum rogis, doloris impatientes, uel uiolentas ſibi manus intuliſſe, aut igni pariter abſumtos eſſe. Alex.lib.1.c.2.

Abiectio cadaueris.

De hac Vol.II. lib.VII. & Vol.III.lib.X.

POST ABLEGATIONEM. V.C.

Conclamatio, Luſtratio.

Poſtquam defuncto conclamatò, & nomine deplorato, ſatis lacrymarum luctusq; fuerat, ipſiq; ter aqua aſperſi & luſtrati erant: omni munere abſoluto, ſupremum Salue & Vale, tanquam nunquam eos uiſuri ultrà, conclamabant: & à præfica feralibus officijs, iuſtisq; perſolutis, poſt lamenta & conclamationes, licet, dicebatur, qua uoce miſſum populum faciebat.Quiq; funus proſequuti, quiq; comites fuerãt, uelut ſupremo functi officio, ad proprios lares reuerſi, aqua aſperſi, ignem ſupergradiebantur, hoc ſe piaculo ex funere expiari arbitrari, quod expiationis genus ſuffirionẽ dixere: cuius rei cauſa ferias ſæpe indixerunt, quæ Denicales dictæ.Græci uerò aqua luſtrantur pura,eademq; expurgantur,in qua torrem ex altari extinxiſſent prius. Alex.lib.3. cap.7. Supremi uerbi, Vale, nos tę ſequemur, Vergilius commeminiſ:

—Salue æternùm mihi maxime Palla,
Aeternumq; uale. Et de Polydoro,
—Animamq; ępulcro
Condimus,& magna ſupremum uoce ciemus.

Hinc Exequias dici,autumat Donatus, enarrã illud Terentianum, Funus interim procedit, nos ſequimur: Polydorus de Inuent.

Conuiuia,Epulæ, Cœnæ,Viſceationes funebres.

Optimãtibus THRACVM mortuis prolato triduum cadauere, mactatisq; omniſarijs hoſtijs, conuiuantur. Illudq; deſtetum prius, deinde combuſtum ſepeliũt, aut aliter humo contegunt. Herod.lib.5.

SCYTHÆ poſt funus amicos excipientes, epulum præbebãt cadauer comitantibus. Alex.lib.3.cap.7.

Peracto funere,ubi à luctu quieuit animus,uiſceratione Græci exhibebant. In qua cùm omnia cariùs uenirent, Ad pollinctum emere,ſermo pererebuit.Fertur Numæ edictum,ne piſces,qui ſquamoſi nõ eſſent, ad pollinctum emere fas foret:ſcilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercaretur obſonia,quam cœnam pollincturam dixẽre. In qua,etſi nihil deeſſet,omniaq; aſſatim ſupperterent, lætari tamẽ minimè decebat. Fuitq; inſtitutum,ut per uini cibiq; lenimen, defuncti deſiderium leuaretur. Preter quam erat cœna exequialis,quæ ſembus,& his qui multum ætate proceſſerant, dabatur: in qua pranſi,diſcedentes poſt ſupremum officiij, alter alteri ualedicebat:quam Silicernium uocant. ATHENIS per funeri præfectos epulum apud defuncti maximè neceſſarium dari conſueuit. ARGIVORVM inſtitutũ fuit, ut defuncti affines,ſtatim ab exceſſu Apollini ſacrificent, & trigeſimo pòſt die Mercurio,;Apollinisq; ſacerdoti,hordeũ dent, ignemq; extinguant, & rurſus accendant, carnesq; uictimarum percoquant,quibus poſtea ueſcuntur. Alexan. lib.3.cap 7.

ROMANI habebant cœnam Exequialem,quę ſenibus & his qui multum ætate proceſſerant dabatur: in qua pranſi diſcedẽtes,alter alteri Vale dicebat: quam Silicernium uocabant.Alex.lib.3.cap.7.

In ITALIÆ oppidis compluribus propinqui,cõparatis epulis,in mortui ædes conuenunt ad diſcumbendum, ne quo genere honoris funus ipſum defraudetur. Pontanus cap.15. de Magnificentia.

INDI Chriſtiani eodem ritu mortuos,& eadem religione ſepeliunt qua nos. Deinde cognati & affines epulum dant,& octo dies in cõuiuijs, mortuorum gratia inſtructis, accumbunt, & illorum memoriam celebrant, & pro eorum ſempiterna ſalute Chriſtum uenerantur. Oſorius lib.3.rerũ Em.

Certamina, Ludi.

Vide, Ludi funebres.

THRACES in funere optimatum, combuſto cadauere, illud ſepeliunt: aggeſto q; deſuper tumulo,cùm alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipuè certa cum ratione monomachiam.Herod.lib.5.

Cinerum collectio.

Nono die reliquias defuncti & cremati cineres, mater, ſoror & propinqui, affines q; nigra in ueſte & effuſis comis, aut pontifices & ſacerdotes, nonnunquam primores patrum perfuncti honoribus,tunicati & diſcincti, lotis manibus & nudis pedibus oſſa à cinere ſeparare & colligere,eaq; lacte & uino lauare, & deos manes aduocare: GRÆCI uino & unguento inſpergere ſolebãt, cumq; odoribus effuſi in lacrymas,in urna condere, & linteo uentilare.

Sepulcri ipſius

Ornatus.

Ex Vol. minis Tertii lib.IX.de Honoribus defuncto exhibitis actum.

Olim monumenta defunctorũ apio coronabantur. Hinc Plutarchus in Symposiacis, τὰς ἐπιτραπέζους κοσμοῦντας σελινοῦν τῷ τεθνηκότι φασίν, id eſt, ijs qui periculoſè ægrotãt, dicimus apio opus eſſe.Cauſam addit in uita Timoleonis.

Inſcriptio.

Apud ROM. in funere uiri illuſtris, pueri imago patri perſimilis in illuſtri domus aſtituebatur parte. Quod adoleſcentibus ad uirtutem & fortia facinora eximium fuit incitabulum. Polybius.

SICYONII inſcribunt ſepulcris planè nihil: ſed eius, quem extuleruntnomẽ appellantes, patris mentione prætermiſſa,illum ualere iubent.Pauſanias in Corinthiacis.

In antiquorum monumentis crebrò reperias has literas, H. M.H.N.S. Hoc monumentũ hæredes nõ ſequitur:quòd ad poſteros

posteros ius sepulcri non pertinet. Sunt qui ex amphibolo locum captant, Monumentum hæredes non sequitur, quia immobile, sed hæredes sequuntur monumentum. Vt est apud Comicum, Funus præit, sequimur.

Conseruatio, Defensio.

De sepulcris apud SOLONEM non ferè comperiuntur plura, quàm ne quis ea deleat, neúe alienum inferat: statuta itè pœna, si quis bustum columnamq; uiolarit aut deiecerit. Cælius lib. 17. c. 20.

Imagines.

Vide Volumine tertio locum de Imaginibus & Simulacris.

LVDI.

De Ludis religiosis sub loco Vitæ religiosæ egimus. Huc pertinent tanquam Exercitia Politica ludicra. Ex loco item Exercitiorum corporis huc non pauca.

ACROAMATA, THEAMATA, Spectacula

Quæ, Qualia.

T. Sulpitio Pœno & C. Licinio Stolone consulibus, tertium lectisternium fuit, post Vrbem conditam, pestilentię sedandæ causa, & inter cætera deorũ placamina Scenici ludi primùm celebrati. Res ab initio rudis sine carmine, ullaúe carminis imitatione. Ludiones tantùm ex Hetruria accersiti, ad tibicinis modulos saltantes, haud indecoros more Tusco reddebãt motus. Imitari hos primò ROMANA iuuentus, inconditis inter se carminibus iocularia fundentes: nec motus interim absoni à uoce. mox diligẽti usurpatione eò processit usus, ut uernaculi eius rei artifices, quia nihil iam à Tuscis ludionibus distaret, Histriones appellati sint: quia Hetrusca uoce Hister ludio uocaretur. Hi deinceps non inconditum & rude carmẽ, alternisq; ut à principio iactatum usurparũt, quod Fescennino fuit simile, sed modulatas Satyras, descripto ad tibicinẽ cantu, decoreq; motu peragebant. Liuius Andronicus ab Satyris digressus, fabulã argumento fecit, factamq; quum sæpius egisset, obtusa demum frequenti usu uoce, puerum qui caneret ante tibicinem statuit: inde ut ad tibicinis latus Histriones canerẽt, receptum. Vbi igitur res à risu & soluto ioco auocari cœpta est, ludóque in artem paulatim uertente, iuuentus fabularum actu Histrionibus relicto, ueteri instituto, ridicula uersib. intexta inter se iactabant: unde exordia fabulis potissimum Atellanicis coinserta extiterunt. Id ludi ab Oscis acceptum, tenuit postea iuuẽtus, nec Histrionibus attingere permissum. Quo factum, ut Atellanarum actores ne tribu quidẽ mouerentur, unaq; cum cæteris militarent, perinde ac Histriones non essent. Res à modico & sano principio orta, sed quæ ad insanam rerũ opulentiam sit postea perducta. Sab. lib. 3. Ennead. 4.

Locus.

Tarquinius Priscus in ludorum apparatu, cultu & magnificentia omnes antecessit: ab ipso enim Circus maximus spectaculis designatus locus fuit, qui postea ædificiorum magnitudine, & alio apparatu mirificè excultus fuit, diuisis locis plebi per singulas curias. Cumq; intercedentibus annis, patribus equitibusq; ac plebi Romanæ confusa loca fuissent, ubi spectarent, Corn. Scipione & T. Sempronio consulibus, ludis Romanis per ædiles curules discreta loca senatoria à populo fuere: utq; suus cuiq; honos seruaretur, lege cautum fuit, ut optimatibus subsellia proxima darentur. Quo tempore præcipua loca in orchestra senatoribus data sunt, ubi saltabatur, & chorus inducebatur: podium Imperatori & consulibus: proscenia & pulpita optimatibus, nonnunquam principi: siquidem Nero è proscenio sæpe spectauit, aliquãdo è pulunari, quod in prima fronte theatri spectaculorum locus erat. Fertur tamen Augustus Cæsar, legatos sociarum fœderatarumq; gentium, in orchestra considere uetuisse, quum quosdam libertini generis illic spectare deprehendisset. Post aliquot uerò ætates, ut Imperator unà cũ sacerdotibus in sella imperatoria ludis præsideret, consuetudo inualuit. Ante hanc uerò legem, per annos quingentos sexaginta à condita Vrbe, populus unà cum patribus promiscuè spectauit. Postea uerò P. Aphricanus superior quum consul esset cum T. Longo, ludis Romanis plurima senatorum subsellia à populari consessu separari iussit. Et quum eo discrimine aliorum studium, aliorum indignatio esset, præbuisse eius rei nouitas non mediocrem plebi sermonem dicitur, adeò ut ipsum Aphricanum, quòd eius rei auctor fuisset, pœnituisse ferant: gratiamq; ingentem apud ordinem senatorium ædiles peperierunt, qui sanxerunt, ut gradus dignitatisq; cuiusq; & fortunæ discrimẽ foret: manfitq; aliquandiu lex seruata, usuq; didicere, multo præstabilius esse, seruato gradu cuiusq;, quàm in colluuione omnium spectaculis interesse. Proditum tamẽ memoriæ est, tempore quo promiscuus spectaculorum usus erat, nunquam plebeium præ modestia & uerecundia, ante uirum senatorium aut cõsularem spectare sustinuisse. Cumq; post aliquot tempora, plebs cum patribus & aliis ordinibus nihilominus spectaret, Sex. Aelius Pætus & L. Cornelius Cethegus consulares, ne turba patribus misceretur, quum tantum hominum consueret in theatrum, alio edicto statuere: quod non sine indignatione plebis factum memorant, quæ se despectui haberi, & contemtam esse arbitrata est: tametsi Aelium Pætum in cẽsura collegam prioris Scipionis fuisse nonnulli tradant. Rursus quum haud longo post interuallo, constitutione abrogata, senatus & populus solutissimo more spectarent, Attilius Serranus & L. Scribonius Libo ædiles curules, scenicis ludis & Romanis, ut diuisa loca plebeiorum à patribus essent, populusq; discreturã senatoribus spectaret, quarta promulgata lege, statueret: spectauereq; aliquandiu, donec lege Iulia theatrali & Roscia, ut in quatuordecim ordinibus & subsellijs proximioribus senatores atq; equites spectarent, semota plebe, optimatibus data facultas fuit. Quorum numerum à diuo Iulio adeò auctum fuisse constat, ut quatuordecim ordines, & proxima subsellia, solis senatoribus non sufficerent: adeò ut Laberius mimus inter equites sedere iussus, præ angustia recipi uix potuerit. Quod & Syllæ temporibus iterum confusum fuisse crediderim: nam gladiatorium munus dedit, uiris æquè & mulieribus, locis promiscuis & indistinctis, in magna licentia spectandi, & sine ullo discrimine honorum. Cautum deinde lege Othonis fuit, quam tribunus tulit, ut magis fortunarum & pecuniæ, quàm generis aut honorum ratio haberetur: & nõn modò patritijs aut equestris ordinis & senatoriis uiris, sed summis honoribus functis, quibus quadringẽtorum sestertiorum ipsi, patri, auoq; census non fuisset, spectandi in quatuordecim subsellijs ius non esset, caq; loca honoris causa diuitibus solùm constituta fuere. Quippe tenues & sordidæ inopiæ uiros, quamuis claros illustresq;, quibus quinquaginta sestertiorũ non esset census, mixtim cum ditioribus in quatuordecim sedere, minimè decere arbitratus est. Tantaq; diuitiarum ratio fuit, ut duo primi ordines, tribunitiis & plebeiis ditioribus, exclusis patritiis, uacarent: idq; non sine graui offensione nobilitatis. Alex. lib. 5. c. 16.

Subsellia ROMANI ita comta habuere, ut crocum & uinum per singulos cuneos spargerẽt, illosq; præcipuis odoribus diluerent, ac picturis exornarent: nonnunquam minio & chrysocolla arenam circi sternerẽt, ita ut Hadrianus balsama & crocum per gradus theatri strauisse feratur. Primusq; Clodius Pulcer fuisse traditur, qui scenam uariis picturis signisq; & tabulis ornauit: Trebonius auro, alii argento, pleriq; ebore. Q. Catulus uelis carbasinis theatrum texit, Lentulus Spinter byssino uelo. Nero Cæsar auri ramenta pro arena strauit, & uela stellata colore cœli posuit, totũq; Pompeii theatrum in unum diẽ auro operuit. C. uerò Antonius & Muræna scenam fecere argenteam. Caius etiam princeps pegma ex argẽto duxit. Nonnunquam qui ludos dabant, ne populo sol officeret, aulæa suspendebant. plerunq; supparo usi sunt, quod posterior ætas pro aulæis accepit, quę non modò in theatro, sed in cubiculis ferè singulis habuere, ut si quid pulueris caderet, exciperetur: proditumq; memoriæ est, Cn. Pompeium, ne populum æstus officeret, etiam aquæ decursum per subsellia duxisse: mox diuum Cæsarem in ædilitate omni scenæ apparatu argenteo usum esse: qui etiam in munere gladiatorio, forum Romanum & uiam Sacram in cliuum usq; Capitolinum, linteis contexit. Alex. lib. 5. c. 16.

Sumtus.

Quod impenditur in spectacula, lucar dicitur: quoniã multa erant circa urbem alia diis attributa, quæ lucos uocabant, & collectum inde uectigal in ludos erogabant. Plutarch. in quæst. Romanis.

Præmia, Honores Victorum.

GRÆCI lege sanxerunt, ut his, qui ter Olympia uicissent, statuæ, quas Iconas uocant, similitudine membrorum expressè dicarentur: item ut cum quadrigis triumphantium more uehereturin patriam, ut pro ampliori munere, coronis uitisq; exornarẽtur, reuersuriq; disiecta parte muri urbes ingrederentur, statuaq; in foro & perpetua immunitate fruerentur. Iisdem quingentas drachmas cum statua & alimento offerebant uetereś. Olympiæ uictorem coronis aureis aut æneis uulgò donari memoriæ proditum est, cùm antea eos, quorum uirtus præcipua esset, oleastro coronari, uel callistephano (oleæ id genus erat) mos esset. Alex. lib. 5. c. 6.

ISELASTICA athletarum ornamẽta intelligunt Græci Latinij, ubi suas ineunt ciuitates qui uicerunt, magna pompa & propè triumphali, cùm ciuis sui uictoriam ciuitas quæq; suis ornamentis adscribat: & propterea in Ludis sacris non tam ipsi uictores quàm uictorum patriæ coronari diceban tur. Hinc in quadam epistola Traianus, Iselasticum tunc primùm mihi uidetur incipere dehere, quum quis ciuitatem suam ipse ἀσύλαστον. Cælius lib. 13. cap. 30. A. L.

MINOS in iis certaminibus, quæ in honorem Androgei filij ab Athenienſibus interfecti instituit, præmium uictori puero proposuit. Alex. lib. 5. cap. 8.

ATHESEO certamen in Delo institutum est, in quo nouo exemplo palmæ uictoribus dabantur. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 8.

In MARATHONIIS ludis, qui ob taurum à Theseo interfectum statuto tempore fieri solebant, phialam argenteã accipiebat, qui fortitet pugnando se uirum ostendisset. Ibidem.

ATHENIENSES si quem athletarum uictorem designabãt, statuam illi obnixo genu cum scuto, porrecta hasta impetum excipiente effinxerunt, pro eo quòd Cabrias miles Agesilai, hoc statu impetum excipere docuisset, & uictor fuisset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 12.

SOLON, quum in Isthmo uictores apij coronam præmium ferrent, pinea coronari ob rem bene gestam uoluit: item ut qui uicisset, cẽtum drachmas acciperet, lege statuit. Ibidem.

In PANATHENÆIS olei ceramum uelut amplum præmiũ uictor accipiebat. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8.

Apud PLATEAS certamen erat gymnicum, in quo ij qui animi fortitudinem eximiam ostendissent, aureis coronis donabantur. Ibidem.

In DELIACIS certaminibus qui egregiã nauassent pugnando operam, bouem in uirtutis exhibitæ testimonium accipiebant. Ibidem.

Apud NEMEAM obscura quadam ambage hipposelinũ uictoribus dabatur donum, cum præfatione uirtutum. Ibidẽ.

Apud PELLENEN erat Apollinis Agon, ubi ex argento proposita præmia certantibus erant, ut ad uirtutis studia incitarentur homines. Ibidem.

Romanis in usu fuit, ut athletas, qui sacris certaminibus coronam meruissent, uacatione munerum, curæ tutelæq; & perpetua immunitate donarent. Alex. lib. 5. cap. 8.

Absinthium sacris populi ROMANI celebratur peculiariter. Siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, uictorq; absinthium bibit: credo, sanitatem præmio dari honorifice, arbitratis maioribus. Stomachum enim corroborat, & ob hoc sapor eius in uina transfertur. Plin. lib. 27. c. 7.

M. CATO ut ad res præclarè gerendas Romanam incitaret iuuentutem, Romam à Græcis Olympicos ludos transtulit, & uirtutem suam ostendentibus coronas ex oleastro proposuit. Ibidem.

AVGVSTVS post pugnam Actiacam Olympicorum imaginem, & ludos illis æmulos apud Actium in sinu Ambracio Apollini consecrauit, & fortiter pugnantibus amplissima præmia proposuit. Ibidem.

IACTVS

Testæ.

Pollux in hunc ferè modum lusum ostracorũ tradit. Pueri dufta in medio linea, duas in partes sese distribuebãt: quarum altera intra ostracum, altera extra dicebatur. Deinde mittente quopiam ad lineam testam, utrius partis superior extitisset aliquis, hunc insequebantur, qui illi adhærebant, reliquis in fugam conuersis. Cæterùm è fugientibus qui comprehensus esset, is considebat, Asinũs dictus, testaq; proiecta dicebat, Nox dies. nam interior testæ pars picè fublita erat, quæ nocti respondebat. Hoc autem lusus genus appellabatur ὀστράκου πεδεισροφή. id est, Testæ conuersio. Plato lib. de Repub. 7. uidetur ad lusus genus referre, quum ita loquitur, τοῦτο δή, ὡς ἔοικεν, οὐκ ὀστράκου οὐ ἐν πεδεισροφῇ, ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγή, σὺν νυκτερινῷ πόδι ἡμέρας ἐς ἀληθινὸν τοῦ ὄντος ἰόντος ἐπάνοδον. id est, Istuc sanè, ut uidetur, non fuerit testæ conuersio, sed mentis circumductio, ex nocturno quodã die ad eius quod uerè est ascensum euntis. Erasmus in Adagiis.

Tesseræ.

In uetusto tesserarum lusu, qui nouem iecissent, is modis omnibus superabat: qui tres, is longissimè aberat à uictoria. Nam antiquiores tribus tesseris uti consueuerant, non quemadmodũ nunc duabus. Inde prouerbiũ, Aut tei sex, aut tres tesseræ: siquando significabimus, nos extrema periclitari uelle, & aut planè uincere, aut prorsum uinci. Erasm. in Adag.

Sphæræ.

Iulius Pollux libro de Rerũ uocabulis 9. Sphæra ludendi quatuor modos commemorat: quorum primus appellatur ἐπίσκυρος, alter φαινίνδα, seu φαινίδα, tertius ἀπόρριξις, quartus ἀφεσία. Horum postremum describit his uerbis: ἡ δὲ ἀφεσία ὁ μὲν ἀπακλάσας αὐτὸ, ἀπορρίπτει τῷ σφαίρᾳ εἰς τὸν ἀέρα. τοῖς δὲ λοιποῖς ὁμοιόνους φιλοτιμία, σπεῦδε εἰς γῆν αὐτὸ ἐμπεσεῖν, ἀρπάσαι· ὁ πρὸ τοῦ ἔοικεν ὁμοιος· ὃν φαινίδην καλοῦσιν. ὁπόταν μόνοι ὦσιν τὸν τοῖχον τῷ σφαίρᾳ· ἀπαιτεῖται, τὸ πάλιν ἐξ ἀναπήδησιν ἐλογίζετο, καὶ ὁ μὲν ὑπόβρυχος· ὁ δὲ ἐκβαλεῖν, καὶ πάν ἐποίει τὸ ἀφεσχεθεῖν· ὁ δὲ κλῶν βασιλεὺς τε καὶ καὶ ἐπιτάττειν. id est, Vrania uerò lusus sic habet: aliquis resupinans sese, sphæram in cœlum mittit: reliqui autem certamen erat, ut eam priùs, quàm in terram recideret, raperent: id quod in Phæacibus significare uidetur Homerus Odyss. 9. Sanè uerò cùm aduersus parietem sphærã missent, numerus subsultuum cẽsebatur: & qui uidtus fuisset, is asinus appellabatur: & quicquid imperatum esset, faciebat: rursum qui uicisset, is & rex erat, & imperabat.

Disci.

Erat publici exercitamẽti genus olim, quo discus æneus arte simul & uirib. ita ab humo torquebatur in altũ, ut intra certũ spacium decideret. In iisdem autẽ locis, in quibus huius lusus peragebantur (gymnasia uocant) disserebant & philosophi: sed crepitu ad discum uocante, philosophum subitò deserebant omnes. Verba Crassi apud Ciceronem sunt hęc: Nam & seculis multis antè gymnasia inuenta sunt, quàm in his philosophi garrire ceperũt: & hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum audito res discum audire quàm philosophum malunt: qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus & grauissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. Erasmus in Adagiis.

GESTATIO.

Lusus puerilis, qui dictus est, ἐν κοτύλῃ, meminit Iulius Pollux lib. 9. de Rerum uocabulis. Erat autẽ huiusmodi: Vnus quispiam reductas in tergum manus cõiungebat, stringebatq;. Rursum alter impositis in eas genibus tollebatur, suis interim manibus oculos gestantis obtegens. Et ad hunc gestatus modum, ἐν κοτύλῃ portari dicebatur, quòd manus complexu gestaretur. Nam κοτύλη Græcis cùm aliqua permulta, tum manus etiam cauam partem significat. Hunc lusum Iulius Pollux ait aliis item uocabulis appellari, uelut ἐπιβάδην, & κυβιστάνδην. Erasmus in Adagiis.

ACCIDENTIA POLITIARVM CONSIDERATA RESPECTV PERSONARVM QVIbus accidunt. Puta

MAGISTRATIBVS

Hic Magistratuũ Electio, Inauguratio, Recensio, Correctio, & similia referri possunt.

AVLICIS. Vt sunt

CONGIARIA.

Olim erat apud Lusitanos in more positum, ut in Regia, qui Regi seruiebant, ipsius Regis sumtibus alerentur. Cùm uerò multitudo domesticorum tanta fuisset (eorum namq; filij, qui regibus operam dabant, eundem locum retinebant: & præterea multi in regiam familiam meritis admittebantur) difficillimum uidebatur, cibos tantæ multitudini præparare. Quocirca fuit à Portugallię REGIBVS statutum, ut sumtum, quẽ quilibet erat in Regia facturus, ipse sibi ex regia pecunia faceret: adeoq; cuilibet certa pecuniæ summa singulis mensibus assignaretur: quæ, cùm summa tunc annonæ uilitas esset, satis homines alebat. Nunc autẽ cùm & hominum multitudo cum rerum uenalium preciis amplificata sit, factum est, ut illa pecunia, quæ olim quotidianis sumtibus faciendis latè sufficiens erat, nunc perexigua sit. Cùm tamen omnis Lusitanorũ dignitas à Rege pẽdeat, huius exiguæ pecuniæ summa, quasi multò amplior esset, incredibili studio quæritur: & cùm in regiam familiam admitti ut ualdè expetendum Lusitanĩ iudicent, tum in stipendij huius incremento summum decus statuunt. Cùm enim sint apud Reges uariæ famulorum classes, pro classium dignitate cuilibet Regis domestico pecunię numerus assignatur. Maxima classis est uirorum nobilium. Sed cùm nobilitatis etiam discrimen sit, non unum congiarium omnibus ex æquo tribuitur. Sic autem euenit, ut pro congiarij magnitudine, de nobilitate uniuscuiusque iudicium fiat: & tantò quisque nobilior existimetur, quantò illius congiarium

rium amplius extiterit. Hoc quidem iudicium, ut sunt res humanæ, est sæpè fallacissimum. Multi namque ambitione & sedulitate cõsequuntur, quod erat meritis atque germanæ nobilitati tribuendum. Attamen Lusitani cùm sint præter modum huius nobilitatis appetentes, & paruæ pecuniæ accessione nobilitatem suam augeri putent, pro hac tã parua pecunia sæpenumerò, tanquam in ea salus omnis atque dignitas uertatur, sibi pugnandum arbitrantur. Qua occasione Ferdinandus Magallanus usus, quòd congiarium dimidio numi aurei singulis mensibus augeri rex denegasset, ab eo ad Carolum V. desciuit. Osorius lib. II. rerum Em.

CIVIBVS. CVIVSMODI EST

RECENSIO. CENSVS CIUium actus nempe

A quibus.

Census agendi, & tributi ex censu imperandi pariter atq; conferendi initium factum est apud HEBRÆOS, quum de ea re Deus mandatum Mosi dederit, Exodi 30. In solitudine montis Sinæ Israelitas censuit Moses, ex Domini præcepto, omnes qui annum uigesimũ excessissent, & arma ferre possent. Cuilibet tribui ducem suum præfecit. Leuitas domino deuotos inter milites non censuit, sed separatim, ad 22 millia masculorum, qui mensem excessissent, eosq; oracularis tabernaculi curam habere iussit. Habito igitur cẽsu per Mosen & Aaronem, perq; duodecim primarios Israelitarũ, singularum familiarum singulos, summa omnium qui arma ferre possent fuit sexcenta tria millia, quingẽti quinquaginta: cum ante 300. annos Iacobus cum 72 animabus tantùm in Aegyptum uenisset. Habitus autem est cẽsus iste anno secundo, die prima secundi mensis, post exitum ex Aegypto, posteaquam legem à Domino iam acceperant. Numeri primo. Secundò censuit illos Moses & Eleazarus Aaronis F. pontifex in campo Moabitico apud Iordanem Hierichuntium, cùm iam Sehonem Amorræorum & Ogum regem Basanæ uicissent. Summa recẽsitorum Israelitarum, qui 20. annum excessissent, & arma ferre possent sexcenta millia, mille septingenti triginta. Leuitarum omnium, qui mẽsem excessissent, uiginti tria millia. In quibus nemo fuit eorũ, qui à Mose & Aarone sacerdote censi fuerant priùs in desertis Sinæ, quoniam 40 annis propter peccatum suum in solitudine attriti perierũt. His præcepit Moses, ut terræ possessio pro capitũ numero ita diuideretur, ut quanto quæq; tribus populosior esset, tanto plus possideret, pro ratione recensitorũ distributis sorte possessionibus inter tribules. Numeri 26.

DAVID rex, nulla adactus necessitate, populum suum censeri fecit. & licet incogitãs elusit oraculũ illud Abrahamo datum. Ita multiplicandos Iacobæos, ut eorum numerus haberi non posset. Census à Ioabo polemarcho nouem mensibus & uiginti diebus fuit peractus, & recensita eorum qui XX. annis maiores essent Israelitarũ octingenta millia, qui arma ferre possent, Iudæorum quingenta millia 2. Reg. 24. & 1. Paralip. 27. ubi censum à Ioabo cœptum quidem, sed nõ peractum scribitur, quòd minores XX. annis non essent recensiti Deo iratò pestilentiam immittente Israelitis. Salomone F. suo rege creato populum recensuit, & sacerdotes, Leuitas, milites, in certas classes distribuit. Iosephus lib. 7. Antiq cap. 15.

AMASIAS Iudæorum rex, Ioæ F. recensuit populum & inuenit trecenta millia ex Iudæis & Beniamitis, qui arma ferre possent. 2. Paralip. 25.

ROMÆ anno Vrbis cond. 256. coss. A. Sempronio Atratino, & M. Minutio Augurino, censa sunt 120 millia. Rursus anno 288. T. Quinctio Capitolino Barbato III. & Q. Fabio Vibulano II. coss. censa sunt ciuium capita 124214. Anno Vrbis 294. Q. Fab. Vibulano III. & L. Corn. Maluginensi coss. quãuis superioribus annis pestilẽtia maxima urbem afflixisset, censa sunt capita 132419. Anno Vrbis 488. M. Val. Maximo, Q. Mamilio Vitulo coss. censa ciuium capita 292334. anno post bellum Punicum primum cœpit. Anno Vrbis 639. M. Acilio Balbo, C. Porcio Catone coss. censa sunt ciuium capita 394336.

L. PAVLVS Aemilius & MARTIVS Philippus Censores, censum populi egerunt, & lustrum condiderunt. Censa sunt ciuium capita trecenta triginta septem millia CCCCLII. Plutarchus in Paulo.

C. IVL. Cæsar post bella ciuilia censu acto, pro trecentis uiginti millibus ciuium, quot superiore censu fuerant, censi sunt in totum centum quinquaginta millia. Tantam inflixit bellum ciuile cladem, tantamq; populi portionem absumsit: ut taceam acceptas per reliquam Italiam & prouincias calamitates. Plut. in Cæsare.

AVGVSTO cùm uisum esset numerare omnes Romani imperij incolas, ut sciret quãta esset multitudo, reperit myriades CCCCXM & XIII uiros. Suidas.

Sub CLAVDIO Imp. sexagies s nouies centũ & quadraginta quatuor ciuiũ millia Romæ cẽsa fuisse, ait Eusebius, quantũ hominũ numerum ne totam quidẽ Italiã ex omni colluuione gentium efficere potuisse credere par est. Sab. lib. 2. Ennead.

Quomodo.

CECROPS Athenienſium rex, cùm uideret indigenas mirũ in modum creuisse, ut populũ faciliùs numeraret, iussit singulos per certũ quendã locum transire, & lapidẽ in aceruũ iacere. Cum paruissent, ipse postea lapides numerans, censum populi instituit. Dicti sunt iccirco ab hac censendi ratione Atticæ populi λαοὶ, ἀπὸ τῶν λάων, hoc est, à lapidibus, quos in aceruum congesserant. Eustathius in primum Iliados. Quamuis alij fabulam à Deucalione ducant.

AGAMEMNON censum Græcorum sympoſiacum instituit Iliad. β. inquiens:

εἴ ποτε τις δεκάδας ἀλεγεινοτεροῦδε ἵκοιτο,
τῷ ὁ γ' αὖθι ἐκέκαστο ἐπιμμελέως οἰνοχοεύων,
πολλαὶ κεν δεκάδες δαίοιτο οἰνοχόοιο.
τόσσον ἐγὼ φημὶ πολὺ φέρτερος ἔμμεν ἁπάντων.

SCYTHARVM rex quidam quomodo Scythiæ populositatem collegerit, pete ex Tit. Prudentiæ in censu agendo.

Censum primus omnium SER. Tullus rex instituit, rẽ, uelut Liuius ait, saluberrimam tanto futurã imperio: ex quo belli pacisq; munia non uiritim, ut antè, sed pro possessione pecuniarũ, ciues obirent: quorum classes (id est ordines) quinque rescripsit. Prima ita q; classis fuit ex iis, qui centũ millia æris aut maiorem censum haberent, quos in octoginta centurias diuisit, in quadragenas seniorũ, ac totidem iuniorũ: seniores ad urbis custodiã ut præstò essent, iuniores ut foris bella gererent, arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, tela in hostem, hasta & gladius. Secunda classis intra centum usq; ad LXXVM censum instituta, & ex his senioribus iunioribusq; XX conscriptæ sunt centuriæ, atmaque imperata præter loricã omnia eadẽ. Tertiæ classis in L. millium censum esse uoluit: totidem centuriæ sunt conscriptæ. In quarta classe census XXVM totidẽ centuriæ factę. Quinta classis undecim millibus censebatur. Centum æra (nam æs numulus erat) non pluris fuẽre uno nostro ducato siue coronato aureo, ac ita mille æra ualuere decem aureos. Primæ igitur classis census æstimatus est mille aureis, secundæ septingentis & quinquaginta, tertiæ quingentis, quartæ ducentis & quinquaginta, quintæ uerò centũ & decẽ. At maximus Seruio Tullo rege census, teste Plin. lib. 33 fuit assiũ centũ & decem millia, ex quibus summa fit mille & centum aureorũ. Et hæc, ut ait idem Plinius, prima classis: adeò id temporis Romanorũ opes exiguæ fuerãt, quæ posthac immẽsę extitere, quãdo, auctore Tranq. ecusus senatorius fuit duodecies centena millia sestertiũm numũm. Singula sestertia ualebant uicenos quinos aureos, sic, ut centũ sestertia summam facerent duorũ millium & quingentorũ aureorum. Hac ratione cẽsus senatorius fuit ad numerũ triginta millię aureorũ, & equestris duodecim millium & quingentorum, cum constaret D. sestertiis. Polydorus lib. 2. capite 3. de Rerum inuent.

Quum in censendo finis erat factus, lustrum conditum appellabatur, quòd tum Sernius exercitum omnem sue, oue, taurisq; tribus lustrauit, hoc est purgauit: idq; lustrum quinto quoq; anno Romæ condebatur, quum Censores numero duo creabantur, qui censum agerent: is postea magistratus annus factus, ciq; morum ciuitatis cura est tradita. Itẽ quũ uectigalia & tributa soluebantur, tum fiebat sacrificium ciuitatis purgandæ causa. Ex quo perinde Romani annos etiam per lustrum numerabant, atq; Græci per Olympiades. Polyd. lib. 2. cap. 3. de Rerum inuent.

Cestius Florus, qui præses Syriæ fuit sub initia belli Iudaici, HIEROSOLYMORVM ciuitatis florem Neroni significare cupiens, contemnenti nationem Iudæorum, à pontificibus petiit, ut si quomodo possent, multitudinem numerarent. Illi autem, cùm dies festus adesset, qui Pascha uocatur, quando à nona hora usq; ad undecimam hostias cædunt, per singulas uerò contubernia non pauciorum quàm decẽ uirorum fiunt (solum enim epulari non licet) multi etiã uicini conueniũt: hostiarũ ducenta & quinquaginta sex millia & quingentas numerauẽre. Fiunt aũt, ut denos epulatores per singulas imputemus, uicies cẽtena ac septingẽtena millia, sancti oẽs ac puri: nec enim leprosis siue uitiliginosis, aut semine fluentibus, quos gonorrhoicos uocãt, neq; muliebrib. mẽstruo cruore pollutis, neq; aliis iniuratis participare sacrificia permittebatur: sed nec alienis quidẽ, nisi qui religionis causa uenissent. Iosephus lib. 7. cap. 17. belli Iud.

Cur.

Census agi dicitur, quum hominum facultates recensentur, unde tributi imponendi ratio inita est: uel quum numerus ciuium putatur. Vtrunque testatur Liuius in uita ipsius Seruij Tullij.

MV-

MVNERA CIVIBVS DARI SOLITA.

Consule locum Congiariorum & Visceationum & Spectaculorum.

In rep. ATHENIENSIVM, iis qui per senatum asscribebantur in numerum uirorum (& ob id δόκιμοι uocabantur) in singulos dies dabatur obolus ex ærario publico, quemadmodum tradit Aristoteles in Politicis. Alij malunt duos darisolitos: & fieri potest, ut pòst duplicata sit mercẽdula. Huius rei meminit Lysias in oratione κατὰ τῶν ἀδυνάτων. Et fortasis etiã eò allusit Aristophanes in Equitib. αὐτὴς γὰρ θύσασα τοῖσι πᾶσι τοῖς πολεῖ. ἀδυνάτοις autem dicebantur, qui trium mensium spacio corpore claudicarent: ἀδοκίμασται uerò, qui nondum erant in uirorum numerum asscripti, necdum obolo digni iudicati. Erasmus in Adagiis.

PAVPERIBVS.

Ex loco Liberalitatis erga Pauperes exempla huc transferantur ex quæ politica sunt.

CALAMITOSIS.

VENETI, uigente adhuc bello Pisano, ut more institutoque maiorum, ciuibus ædium suarum incendio damna perpessis publicè subministraretur, quò faciliùs amissa restituerẽt, legem tulerunt, ut Petri Molini filiis auri libras uiginti, Hieronymo & Marino Albertis quindecim, quibus utrisq; ædes ad Cattiani & Apollinaris conflagrauerant: Andreæ Ripæ, cui suburbium in Muriano, alteras totidem: Veneriis, quibus domum cum taberna mercium Indicarum maximè celebri ad Bartholomæi ignis absumserat, auri libras triginta, Quinqueuirũm sale procurando magistratus darẽt. Neque multo pòst onerariis nauibus duabus naufragio amissis, Philippo Bernardo, Aloysio Contareno, quorum illæ fiterant naues, auri libræ sexaginta equis partibus. Bembus lib. 03. Venetæ hist.

AEGRIS.

Publica quædam sub Tit. Liberalitatis erga Ægros.

AEGYPTII medici ægros secundùm legem curant, ab antiquis medicis comprobatisq; scriptoribus traditam. Si quis normam sacri libri secutus, infirmum sanare nequiuerit, omni caret crimine. Si præter ea, quæ libris continentur, illũ curauẽrit, morte punitur. Credidit enim legislator, ea medẽdi cura, quæ plurimo tempore ab optimis medicis obseruata profectaq; sit, haud facilè meliorem reperiri possẽ. Diod. lib. 1. cap. 6. Arist. in 3. Polit. primo triduo secũdùm normam curare solitos scribit. eo exacto, licuisse liberè unumquenque suo iudicio & experimento niti.

LEGATIS.

A rege PERSARVM, undecunq; adessent legati, muneribus affici assuerant. Ea uerò ferè genus hoc erant. Vnicuiq; argenti signati (quod ἐπίσημον nuncupant Græci) Babylonium talentum, phialæ argenteæ talentorum duorum indicatura. His accedebant pselliæ: item cum acinace torques, στρεπτὸν uocant, nec medica deerat stola, quam dicunt dorophoriã. Ex Aeliani lib. 1. Var. hist. Cælius lib. 11. cap. 28. A. L.

HOSPITIBVS.

Consule Tit. Hospitalitatis, quatenus politica est.

Olim pandochei HISPANIÆ, ad quos uiatores tã peregrini quàm incolæ diuertere solebant, fures atq; latrones erant: sicut Italiæ, Galliæ, aliarumque prouinciarum hodierna die non pauci sunt: quales si non essent, non tam subitò in immensum ditescerent. Hæc perpendentes Catholici Ferdinãdus & Elizabetha Castellæ & Aragoniæ Reges, lege sanxerunt sub magna multa, ne quis cauponum pandocheorumq; quicquam præter domesticum seruitium, & cibi coquendi operam, aduenientibus præberet. pro equis autem hordeum, auenam, fœnum, stramen tantùm uenderet: quarum rerum precũ publica æstimatione ipsis toribus diuersoriorum inscriptum est: ita ut barbatissimus, & simplex homo, cuiuscunq; nationis, facilè intelligat, quid pro domestico seruitio, quid pro equorum alimento, sine aliqua licitatione hospiti dandum sit. Hospes præterea tenetur cum aduena in forum & ad propolas accedere, uel aliquem ex suis cõmittere, cuius opera utatur externus in eduliorum emtione: quæ emta in diuersorio parantur, paratáq; ipsis, strata mensa, apponuntur. Sic fit, ut discedente aduena, nihil rixarum oriatur, nihil ei auferatur, nihil ei extorqueatur: cùm ipsemet cibos sibi emat, sibiq; ex tabulis diuersorio affixis constet, quid hospiti annumerandum sit. Hęc autem in ciuitatibus & oppidis tantùm fiunt: in pagis & uillis, ubi propolæ desunt, licet pandocheis edulia uendere pro arbitrio, cætera ex tabularum tessera indicantur.

Damianus Goes in Hisp.

ACCIDENTIA POLITIARVM CONSIDERATA RESPECTV PERSONARVM, QVA PARTE illis accidunt.

QVO AD ANIMVM. VT EST INSTITVTIO.

Ex locis Institutionis uariis, huc plerasq; quatenus Politicæ inseruiũt. De Religionis institutione Tomo Religiosa egimus: eadem ipsa quoq; huc transferri potest, quandoquidem politiæ ueluti uinculum est.

QVO AD CORPVS. VT EST VICTVS.

Quis, Ex quibus.

De Cibis, & Alimentis, inter corporea quoque egimus, Volumine scilicet Secundo.

Qualis. Vt

Crudus, Coctus.

NOMADES ac insolens HVNNORVM feritas nec semicrudas aspernata carnes est.

Calidus, Frigidus. Potus refrigeratus.

Semũs Delius libro Neliadis secundo, refrigeratoria loca excauata in insula CIMOLO fieri scribit, in quibus æstatis tẽpore uasa fictilia tepida aqua plena deponunt, postea nulla reniuibus differentia ea exportant. Athen. lib. 3. cap. 21.

Chares Mytilenæus in Historia de Alexãdro, declarat quo pacto niuem seruare oporteat, ubi Petræ ciuitatis Indiæ obsidionem percurrit, dicitq; ALEXANDRVM triginta magnas fossas excauasse, quas cùm niue repleuisset, ramos quercneos superiniecit. sic enim plus temporis niuem perdurare posse affirmat. Ibidem.

CALLISTRATVS Comistorum lib. 7. ut testatur Simonides poeta, cùm apud quosdam magni caloris tempore prandẽret, pocillatoresq; cæteris omnibus, se uno excepto, niuem in poculis miscerent, epigrammate ex tempore pronunciato, & sibi niuem dari poposcit. Ibidem.

Protagorides libro Comicarum Historiarũ secundo, ubi ANTIOCHI regis nauigationem iuxta fluuiũ describit, quædam refrigerãdæ aquæ artificio ita commemorat. Die quidem ipsam in aprico loco ponẽtes, & quod crassum est, noctu excolantes, reliquam noctis partem in hydriis fictilibus sub dio in editioribus partibus domus exponũt: per totam deinde noctem duo pueri ipsa uasa externis irrigant, ac diluculo incipiente purgantes, fæcemq; rursus subtrahentes, & tenuem ipsam aquam, maximeq; sanitati idoneam facientes, inter paleas hydrias ipsas collocant: postea illa sic utuntur, nullam niuis inopiam cognoscentes. Ibidem.

Elegans, Sordidus.

Exempla in utramq; partem plurima domi quisq; suæ.

Luxuriosus, Frugalis, Auarus.

Ex loco Luxus, seu Parsimoniæ & Auaritiæ.

SPARTANIS cõmunia erant conuiuia, pauperes cum ditioribus eodem uescuntur obsonio, festisq; diebus nigrum ius & panẽ igni duratum apponũt: & ut regi duplum obsoniorum detur, lege sancitũ erat: non quidẽ satietatis gratia, sed ut posset obsonio quem uellet honorare. Alex lib. 5. cap. 21.

Vbi. Locus

Particularis, Mensa.

CAROLO Burgundiæ duci nocte, qua ad montem Hericum Gallos uicit, trepido adhuc, nec satis uictoriæ suæ fidenti, mensa est humi apposita, & tria aut quatuor cadauera subducta ex eo loci, ut esset ubi princeps sederet uictor. Tum unus aut alter fascis allatus straminis. Ibi fessus è labore prælij, & saucius, & parum securus, sumsit eam cœnam, qualem conicere quisq; potest illo & loco & tempore & rerum motu potuisse apparari. Lud. Viues de Cõcord. & discor. lib. 3.

CONVICTVS. CONVIVIORVM MODVS.

De Conuiuiis ueterum simul & recentiorum, Gulielmus Stuchius Tigurinus, copiosiss. & doctiss. scripsit.

Genera Conuiuiorum.

Eustathius in primum Odysseæ, treis conuiuiorũ apud GRÆCOS species facit. εὐωχία, quod ad splẽdorem ac magnificentiam sit apparatum. γάμος, quod ipsum etiam sumtuosius esse consueuit. ἔρανος, ad quod plurimi conueniunt, sed suo quisq; cibo sumtuq;. Ea conuiuãdi ratio præcipuè probatur Hesiodo, propterea quòd cùm plurimum habeat iucunditatis, minimum habet sumtus. Nam temperãtius & e-

ditur & bibitur, ubi quisq; de suo edit ac bibit. Hesiodi carmen est huiusmodi,

Ἐκ γὰρ τοῖ πάντα τ' ἐρᾶται, δαπάνη τ' ὀλίγιστη.

Porrò qui splendidiores affectarẽt uideri, ij etiã ἔρανον tum de suo, tum lautius exhibebant. Homerus has treis conuiuiorum formas simul complectitur, in Odyssea inquiens,

Εἰλαπίν', ἢ γάμον, ἢ ἐρανον, οἷσι τ' ἔρανος· τά δὲ γ' ἐστίν.

Erasmus in Adagiis.

Erant apud LACEDÆMONIOS conuiuiorũ species, quorum unum erat κρατὶς, quod certis ciborũ generibus instruebatur: alterum αὔκλον, aliquantò splendidius. Omnium frugalissimum erat, quod agebatur in phiditiis. Ibidem.

Apud Lucianum obseruauimus fuisse prioribus σύσσιτον ὀνομαζόμενον δεῖπνον, id est cœnam quæ diceretur absoluta. Auis una singulis apponebatur, item suilla caro, necnon leporina, & piscis quoq; ex tageno, id est sartagine, ut ipse interpretor. Cælius lib. 28. cap. 7. A. L.

Ante conuiuia.

Sortitio.

Apud SPARTANOS qui admitti desiderabãt ad syssitia, hoc modo probari aiunt solitos. Quisq; cõuictor apomagdaliã manu tenebat: id in uas, qd' ferebat in capite minister, tacitus, ut calculũ iaciebat: qui probaret, simpliciter: qui reprobaret, manu ualidè compressum. nam compressum perforati calculi uim habet, nec si unũ tale repererint, recipiunt aduentitium. Volunt enim ut epulentur inter sè lætì. Eum qui ita est reiectus, κεκοδαλῶς dicunt. Plut. in Lycurgo. κεκὸδ δὲ enim uas erat, in quod apomagdalias mittebant. Athen. lib. 21. & Pollux lib. 10.

Aristophanes sortes ATHENIENSIVM cõuiuales sic deserit bit: Sortitiones quò conferes? In foro deponã, sortitrice iuxta Harmodium constituta. Sortes omnium iaciã, donec is, cui sors obuenerit, lætus abeat, sciẽs in qua litera sit cœnandum. Proclamabit præco: Quibus B euenerit, sequantur in porticu regia cœnaturi. Quibus Θ, in ea quę est illi proxima Capitecensorum. Quibus K, in porticu fatinaria, ut se inflectant: imò (errauì) ut ibi cœnent. Quorum uerò litera prolata non fuerit, in qua cœnent, hos cæteri expellant omnes. Sed apud nos nõ ita fit. Omnibus enim abundè omnia suppeditabimus, ut unusquisq; ebrius, cum ipsa corona, face accepta abeat. Suidas in uoce κληρωτήρια.

Indicat Suidas, in cõuiuiis antiquitus moris fuisse, è cibis suã cuiq; portionem distribuere, quemadmodum ex compluribus Homeri locis patet. Hinc proueib. Ἡδὺ λαχεῖν, τὰ κρειὼν κρεοδαίνυν. i. Priusquã sortitio facta sit, communia deuoras. in eum, qui non expectata partitione rem inuadit.

Euocatio.

SYBARITÆ anno antè ad conuiuia uocare solebant. Herodotus, & Aelianus.

Exercitatio.

☞ *Consule locum Exercitiorum corporis.*

AEGYPTIA iuuentus Amasis regis edicto non priùs cibum capiebat, quàm centum octoginta stadia percurrisset. Herodotus.

Disputationes, Colloquia.

PERSARVM reges ante cibũ de modestia disputabant, quẽadmodum ante sacrificium de iustitia, ante bellum de fortitudine. Alex. ab Alex. cap. 21.

Censura.

Apud GYMNOSOPHISTAS, paratis instructisq; mensis, antequam dapes apponuntur, adolescentes singuli, qui ad epulũ conuenint, quid generi humano satisfecerint, quódue sapienter dictum factúmue fuerit illa luce, coram senioribus exprimere coguntur. Et qui defes, nihil in medium quod frugi sit affert, impransus manet. Alex. lib. 5. cap. 21.

Comportatio.

Apud Athen. l. 8. GRÆCI τὸ ἀπὸ κοινοῦ δεῖπνον. i. cœnã è sportula propriè uocabãt, quoties aliquis sibi parasset cœnam, eaq; in sportulam composita, iret apud alium cœnaturus. Quod genus & hodie durat inter homines frugi, qui nec grauari uolunt sumtu, nec alios grauare. Erasm. in Adagiis.

In Conuiuio.

☞ *De moribus comedendi nationũ gentiũ, consule Athen. l. 4.*

Accubitus, Discubitus, Sessio.

Apud Homerum PROCI in bubulis tergoribus agitant conuiuia. Erasmus in Adagiis.

Apud INDOS, solus rex in lecto ex stramẽtis facto accubat, cæteri sedentes epulantur. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

CRETENSIBVS accubãtes uesci, instar magni criminis erat. Itaq; stãtes epulabantur. GRÆCI in toris ex boũ tergoribus assidẽtes, ordine ludunt, & uescũtur. GALLI dum cœnant, in stramentis assident, & cibũ diuidunt. Alex. lib. 5. c. 21.

LACEDÆMONII in epulis accubabant, eoq; habitu corporis cibum capiebãt, quãuis in robore (ἐπὶ τῶν ξύλων) & in dura materia. CRETES ne accubabant quidẽ. Victorius lib. 3. Var. Lect. cap. 15. ex Cic. pro Muræna, & Athen. lib. 12.

Legimus in historia, Feminas cum uiris cubantibus sedentes cœnasse. Lectisternio præterea Iouis, ipse in lectulum, Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitabantur. Nec mesellit, Seruium grammaticum scribere, ROM. uetteres sedentes epulari solitos, eumq; morem habuisse à Laconibus & Cretensibus, sicuti (inquit) Varro docet in libris de Gente populi Romani: & proinde Virgilium ita scripsisse,

Hæ sacris sedes epulis, hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.

Cælius lib. 27. cap. 27. Antiq. Lect.

Testatur Hegesander, in more positũ fuisse apud MACEDONES, ut nullus discumberet inter conuiuas, nisi extra retia aprum interfecisset: tunc enim accũbere inter cõuiuantes licebat. Cassander cùm trigesimum & quintum uitæ suæ annum attigisset, tunc etiam comedebat sedẽs apud patrem, quia nondum certamen absoluisset, quamuis robustus esset, & bonus uenator. Athen. lib. 1. cap. 11.

Sedent Heroes in conuiuiis apud Hom. nõ autem decumbũt. Eius imitatione quoq; ALEXANDER, ut auctor est Deris, cùm quadringentos duces aliquando conuiuio excepisset, in argenteis curribus sedere fecit, & in sellis purpureis, uestibus substratis, collocauit. Athen. lib. 1. cap. 11.

TERENTIVM Varronẽ & Hannibalem, post res afflictas, nõ sedentes ut antea, sed stantes cœnitasse legimus. CATONIOR post ciuile bellum, non accumbens, ut priùs, sed sedẽs cibo parciore usus est. Alex. lib. 5. cap. 21.

Numerus. Quot conuiuæ.

AGAMEMNON apud Hom. Iliad. β. sex Græcorum præstantissimos ad conuiuium uocat, septimus sua sponte superuenis Menelaus, non tam dapis causa, quàm ut fratri, sicubi opus esset, opera sua præstò esset.

GRÆCIS quatuor aut quinq; conuictores unis mensis adhibere satis erat. Alex. lib. 5 cap. 21.

M. Varro in Satyra Menippea ait, conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, id est, proficiscì à tribus & consistere in nouem: ut nec pauciores sint tribus, nec plures nouem. Et hoc Romæ & Athenis in usu fuit. Ipsum autem conuiuium absolutum ex rebus quatuor constare, sibelli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si lectum tempus, si apparatus non neglectus. Nec loquaces autem conuiuas, nec mutos esse oportet: illud foro, hoc cubiculo conuenit. Gell. lib. 13. cap. 11.

Plinius lib. 28. cap. 2. scribit Seruium Sulpitium commentum fuisse causam, cur ominosum esset mẽsam relinquere, quòd illis temporibus nondum numerabantur conuiuæ plures quinque. Chærophon apud Athenæum lib. 6. uideatur admittere conuiuas usque ad triginta, duntaxat in nuptiis. Cęterùm quibus datum erat negotium numerandi conuiuas, γυναικονόμους appellãt. Refert inibi fabulam non illepidam: Parasitus quum inuocatus uenisset ad nuptias, & postremus accumberet, gynæconomi numeratis conuiuis, iusserunt illum abire, quòd contra legem, super numerum triginta secutus esset. At ille, Numerate, inquit, denuo à mensis initium. Hoc pacto non erat futurus supernumerarius. Erasmus in Adagiis.

Olim ditiium pleriq; domos struxere quandoq; πεντηκοντακλίνους, in quibus uel triginta sterni lectuli ualerent, & eo plures quoq;. Id quod in Symposiacis improbat Plutarchus, conuiuia id genus, ἄφιλα uocans, & ἄμικτα, id est, citra amicitiam & communionem, quæ panegyriarchum uerius requirant, quàm symposiarchum. Olim non plures tribus cosse conuiuas, testatum Annalibus est: quando nec plures initiò creditas esse Musas, relatum Pausaniæ monumentis scimus, Meleten, Mnemen, Aeden, hoc est meditationem, memoriã, cantilenam. Archestrati poetæ etiamnum superest in ea re decretum, Conuiuæ aut tres, aut quatuor, aut non plures quinq; sunto. aliàs manipularium, & rapto uiuentium sonuentus fuerit. In Platonis Symposium octo coeunt & uiginti. Quinarium numerum quandoque placuisse, libro primo auctor Athenæus est. Denarium autem comprobasse Homerus deprehenditur, ubi in decadas distribuit rex conuiuas, quoniam plures discumbere, non ferè moris esset, uti docuit Eustathius. Nam & Pythagoricis conuiuiis non interfuisse plures, illius auctor prodit Iamblichus. Cælius lib. 28. cap. cap. 8. Agamemnon apud Homerum Iliad. β. inquit, ἡμεῖς δ' ἐν δέκαδσι δαϊζόμεθ' ἄλφ ἐσχομεν, ὅς κέν μ' ἀνὴρ ἐκφαίνῃσι ἐλοιμήσῃσι αἰνοχαίτῃ.

Ad FABVLLVM, Martialis Epigram lib. 11.

Ignotos mihi cùm uoces trecentos,
Quare non ueniam uocatus à te
Miraris, quereris, litigasq;.
Solus cœno, Fabulle, non libenter.

HELIOGABALO Imperatori morẽ fuisse scribit Aelius Lampridius, ut simul ad cœnam uocaret octo caluos, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo prælongos, & octo præpingues & obesos. delectatus prouerbio, πάντα κοινὰ φίλων. Erasmus in Adagiis.

Iulius Capitolinus in uita L. VERI Imperatoris, Et notissimũ quidem, inquit, eius fertur tale conuiuium, in quo primùm duodecimus accubuisse dicitur, cùm sit notissimum dictum de numero conuiuarum, Septem conuiuium, nouem uero conuicium, hoc est, clamor, quasi conuocium Ibidem.

Ordo.

INDIS, ut cuiq; in mentem uenit, in quacunq; parte lecti discumbere licet. Non enim apud eos honorum personæ uel ratio in mensa habetur. Alex. lib. 5. cap. 21.

CELTÆ cùm plures simul cœnant, circularib. mensis utũtur. Medius est optimus ac fortissimus, ueluti chori totius princeps, qui alios uel rerum bellicarũ experientia, uel generis nobilitate, uel diuitiarum splendore antecellat. At qui proximi ex utraq; parte illi assident, ex uirtutis, ac reliquarum rerum præstantium excellentia locum hunc consequuntur. Athen. lib. 4 cap. 13. ex Posidonio Stoico.

Super Flaminem DIALEM, in conuiuio nisi rex sacrificulus uetto accumbit apud Romanos. Gellius lib 10. cap. 15

Senioribus uelut ætate uenerabilibus, aut his qui prudentia & auctoritate anteirent, primi discubitus & honoratior locus dari, ipsiq; sublata mensa primi assurgere consuerant. Erat autem ROMANIS locus honoratior, qui summus in mensa fuit: nonnulli in medio discubuisse, honoratius putarunt. In imo uerò conuiuij dominus cœnabat. Apud GRÆCOS non modò loci dignitate uiros fama præcellentes in concilio uel mensa, sed poculis maioribus, & carne opimio honestabãt. INDIS ut cuiq; in mẽtem uenit. in quacunq; parte lecti discumbere licet: non enim honorum personæ ũe ratio in mensa habetur. Alex. lib. 5. cap. 20.

CANVTVS II. Danorum rex, parta pace, cùm milites in aula sua natione, linguis, ingeniis quàm maximè dissidentes animaduerteret: Oponis Stalandici, cæteros prudentia atque auctoritate præstantis, consilio, statuit, ut in capessendo discubitu ordine, quo quisq; militaris muneris aduocationẽ sortitus fuerat, uteretur, locoq; antecelleret, qui prior obsequio foret. Eum uerò, qui cœna mira, aliqua mora interpellante, tardior superuenisset, inter confidentes excipi oportebat. Qui si tam arcto se consessu iunxissent, ut, qui superuenerat, recipi nequiret, qui eius loco interderat exurgẽs proximum occupabat, eousque inuicem se assurgendi officio uenerantib. donec laxato totius cõsessionis ordine, legitimum recipiendo spacium patuisset, mẽsaq;, qui postremus residebat, abscederet. Si quis uerò alieno discriminis uti perinsolentiam perseuerasset testibus in concionem producti, conuictus stipendiis priuabatur. Ter tamen legitimis ne cessitatem pœnæ remittere fas erat: nec aliter, quàm ut totgradibus quis discubitu indignior fieret, quot uicibus sodalem dignæ sedis negatione spreuisset. Quòd si quartùm peccasset, commilitonum nemini catino aut calice communicare poterat. Eodem pœnæ genere in minutos quoq; animaduertebatur excessus. Saxo lib. 10.

Habitus.

Infamiliari cõuinio, aut epulis lautioribus aliquem attratum, aut pulla in ueste discumbere, ducebatur nefas: nam depulso languore animi, nõ in tristitia, conuiuio interesse decet. Propterea Vatinio, quòd in epulo Q. Atij atra in ueste accubuerat, à Cicerone obiectum, & crimini datum est: quippe bellos conuiuas & conuictores faciles, in candida, non pullaueste accumbere decet. tametsi cœnatoria & triclinaria conuiuis dari, antiqui moris fuerit. Alex. lib. 5. cap. 22.

Fertur HADRIANVS Cæsar semper aut toga summissa, aut pallio tectus, accubuisse. Et Saloninus Imp. milites epulari cũ sagis iussisse, hyeme grauibus, æstate tenuib. Alex. l. 5. c. 22.

Illatio ferculorum.

Mos erat antiquis, ut testatur Didymus, ut cœnæ canistris inferrentur. Inde adagium, Vnã cum ipso canistro. Citatur apud Zenodotum Plato,

Ἀνίστασ' ἀπὸ ξυνάπαντ' αὐτῷ κρανῷ. *id est,*

Ipso canistro cuncta rapuisti simul. Erasmus in Adag.

Partitio ciborum.

Veteri conuiuia δαῖτες appellabant, à δαίω, quoniam cuilibet æqua portio & panis & obsoniorum tribuebatur. Hinc δαῖτες ἴσαι passim uocat Homerus. Athen. l. 1. c. 4. Dipnosoph. Μοῖρα, ἡ μοῖρα. i. Sortitio, non præfocatio. Olim cùm ij, qui uirib. præpollerent, cibum eripere ut imbecillioribus, manus interim in illos iniicientes, excogitatum est, ut sortibus ex æquo diuideretur epulum, iamq; ab omnibus acclamari cœptum, μεδὲν ἡ μοῖρα. i. partitio, non strangulatio, eaq; uox in prouerbium abiit. Quo licebit uti, si quando significabimus, non esse locum uiolentiæ, sed ex æquitate iuris oportere tractari negotium. Erasmus in Adagiis.

Indicat Suidas, in conuiuiis antiquitus moris fuisse, è cibis suã cuiq; portionem distribuere, quemadmodum ex cõplurib. Homeri locis licet conijcere, apud quẽ illud oppido quàm frequens,

—καὶ ὅτε δὴ δόσκοντο δαιτὸς ἴσης.

Deinde receptum apud nõnullos, ut citra distributionem, propositis in cõmune cibis, quisq; quantũ uellet, sumeret. Id quod indicat Plautus: Patinarias struit structices. Huius rei mentionẽ facit & Plutarchus in Symposiacis, excutiẽs, utra consuetudo magis probanda uideatur. Erasm in Adagiis.

Iulius Pollux lib. 6. cap. 9. indicat in κρεοτομίᾳ id est, carnium partitione, primam carnium portionem κρέων κλῆρον, id est, Mercurij sortem appellatam fuisse. Erasmus in Adagis.

Ablutio, Abstersio.

Seruatum illud VETERIBVS, ut per singula fercula manus abluerent. Significat id in Heliogabalo Lampridius: Parasitis, inquit, in secunda mensa sæpe ceream cœnã, sæpe igneã, sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquã etiam marmoream uel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis offerentur uidenda ex diuersa materia, quæ ipse cœnabat: quũ tantùm biberent per singula fercula, & manus quasi comedissent, lauarent. Quã in re ampliùs adnotandum. pleroq; ex ueteribus ad manuum ablutionem usos apomagdalia: id uerbũ signat, molle panis: quod quia mox obiicerent canibus, Lacedæmonij cynada uocabant. Cælius lib. 28. c. 1. A. L.

Colloquia.

BACTRIANI inter pocula de bellis consultant: & si quid cõplacitum est, fide & fœdere firmant. Alex. lib. 5. cap. 21.

PERSARVM mos erat, inter pocula de rebus seriis consultare: & post comessationes, si quid sanctiore fœdere concludi uellent, concubinas aduocare, tanquam ea adhibentur fœderi, quæ apud eos sancta & cara sunt. Alex. lib. 5. cap. 21.

Plærælq; nationes GRÆCÆ, quæ bonam disciplinam habuerunt, & institutà retinuerunt prisca, in uino & conuiuiis magistratus continebant. Hoc Cretensium Andria, & Spartanorum Syssitia, & Athenienssium Prytanea docent, arcanorum consiliorum ueluti gymnasia. Plut. lib. 7. Quæst. conu. c. 9.

Theamata, Acroamata.

SPARTANI excellentium uirorũ laudes, & ignauorum fœda scelera in epulis cantare ad lyram solebãt. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21.

ROMANI in conuiuia introducebant moriones, ut oris deformitate & stultitia conuiuas oblectarent: nonnunquam petulantes & improbos scurras, qui laxiùs licentia & impudentissimis iocis derisui essent. Alex. lib 5. cap. 21.

Comportatio.

☞ *Hinc quædam ex Tit. Ebriosorum.*

In priscis illis Græcorũ sympositis, hoc est, compotationibus, mos erat, talis sortiri quempiã, qui cõuiuio quasi præsideret, ac decreta conuiualia præscriberet, quæ νόμους, id est, leges appellabãt. De hisce legibus Valerius Valentinus iocoso carmine scripsit, cui titulum fecit Tapullæ, teste Festo Pompeio. Porrò præfectum, βασιλέα, hoc est, regẽ nominabant: Plutarchus συμποσίαρχον uocat. Varro apud Nonium, Modiperatorem à Latinis uocatũ scribit: quasi modũ imperantẽ, ne quis aut plus satis biberet, aut parũ. Athen. lib. 10. ex Eupolidis auctoritate docet hunc præfectos ici οἰνοπτας, dictos, ab aliis τρικλίνους. Erasmus in Adagiis. [illegible] iussu, ro exploratores inspectoresq; erant cœnatũ, an ex æquo potaretur. Lychnos hi cœnantibus suggerebãt, & thyallidas, id est ellychnia. Cælius lib 28. cap. 6.

Apud THRACES moris erat, ut procedente potu, regi præbibant ditiores, & simul munera afferant. Athen. lib. 4. cap. 12.

PERSIS lege cautũ erat, ne Prochoidas, pocula scilicet ampla, in sympositia inferrẽtur, ne plus quã opus esset biberẽt, minusq; turbarentur eorum mentes & corpora. Nunc quidem ne inferantur usus obtinuit: at tantum bibunt, ut pro eo quod erat inferre, ipsi efferantur, cùm non ampliùs recti egredi ualeant. Athen. lib. 11. cap. 15. ex Xenophonte.

Diodorus Bibliotheces quinto: Aiunt (inquit) quum purum in cœnis uinũ datur, omnes Deũ Sospitem oprare bibenti: at quũ à cœna dilutius hauritur, Iouem uocari Soteria. nã putã uini potus, ad insaniã redigit: aqua Iouis mixtus, uoluptatẽ parit ac lætitiam, & arcet insaniam. Cælius lib. 28. c. 21. A. L.

Plutarchus τῶν συμποσιακῶν Decade tertia testatur, conuiualibus cantiunculis celebratum fuisse, ἢ πίνειν κτίσαι, ἢ ᾆσαι, ἢ μὴ πίειν ἄρα. Atq; in hanc rem iocatur Atiston: quemadmodum in musica hemiolij proportio symphoniã reddit diapente, dupla symphoniam efficit, quæ dicitur diatessaron: at, cum quæ uocatur diatessarõ, symphoniã esse præter cæteras habetem & obscuram, & epitrito constare: Itidẽ & in bibendi harmoniis treis esse symphonias uini ad aquã, diapẽte, ἡμιόλῳ, & diatessaron. Nam Diapente symphoniam ex hemiolio constitui, si tres aquæ cyathi duobus uini cyathis admiscantur. Quòd si duob. admisceas duos, Dupli proportionem existere. Diatessaron harmoniam fore, si uni uini cya-

tho treis aquæ cyathos addideris. Atq; hic esse epitritū, quę proportio pertineat ad treis magistratus in Prytaneo sapiētes ac sobrios: aut ad dialecticos, cùm adductis superciliis de suis anxiis argutiis disputant. Iā si duos uni admisceas, tonum nasci maximè turbulentum, & ut appellat ipse, ἀκροθώρακα, chordas mouentem non mouendas mentium. propterea quòd perhunc nec omnino sobrios esse licet, nec stultitiam mero immergere. Quòd si duo tribus addideris, harmoniam existere omniū maximè musicam, ut quæ somnos inuitet, tranquillitatem ac summam quietē inducat. His ita per iocum dictis, adiecit Plutarchi pater, priscos Ioui duas addidisse nutrices, Iren & Adrastiam: Iunoni unam, nempe Euboeam: Apollini duas, Alethiam & Corythalam: Baccho uerò plures, quòd hunc deum oporteat pluribus nympharum mensuris mansuefactum ac domitum, moderatiorem ac mitiorem reddere. Significat autem, uinū multa aqua diluēdum. Meminit huius adagij Plautus in Sticho, seruos comportantes inducens: Sed interim strategę noster, cur hic cessat cantharus? Vide quot cyathos hos bibimus. Tot quot digiti sunt tibi in manu. Cantio est Græca,

Καὶ πέντε νὴ τὸν ἡμᾶς πίνε, ἢ μὴ πτίσω σε.

credebāt enim impares numeros ad omnia efficaciores esse. De quaternione uitato in poculis, Plin. l. 28. c. 6. meminit: Numerum quoq; quaternarum Democritus condito uolumine, & quare quaterni cyathi, sextariúe non essent potandi. Huc allusit Horatius libro Odarum tertio:

Da lunæ properè nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ. tribus aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. treis prohibet supra,
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis iuncta sororibus. Item Ausonius,
Ter bibe. uel toties ternos, sic mystica lex est. id est,
Aut treis cyathos, ad numerum Gratiarum: aut nouem, ad numerum Musarum. Erasmus.

ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν, Par pari referre, proucribium natum uidetur à compotationib. ueterū Græcorum, apud quos æqualibus cyathis bibere mos erat. Archippus in Amphitryone secūda apud Athenæū lib. 10 Τίς εἰς ἐμὲ σφᾶς, ὦ κακῶν ἀπάντων, ἴσον ἴσῳ; id est, Quis par scelestę miscuit uobis pari? Item Cratinus in Pytine, Τὸν εἰς ἴσον ἴσῳ φέροντ' ἐγὼ ἐν ὀκτωκαίδεκα. id est, At par pari reddenti, ego respondero. Item lib. 6. ἄλφα τοῦ σὺν τῇ μάμμῃ ἴσον ἴσῳ τὸν ἐχθρὸν πολλοῦντων, id est, Non per eos qui Romę piscem uendunt, parem pari: sentiens singulos precio æstimatos uendi. Erat hæc uox, ἴσον ἴσῳ, solēnis inter propinādum, ut ex eodem auctore facilè liquet. Ea significabant, aut pares esse cyathos, aut tantundem additum aquę, quantū messet uini. Erasmus in Adagiis.

Dicebatur Crater philotesius GRÆCIS, quem in conuiuiis porrigebant aliis alij, ceu amicitię symbolum ac pignus. Veluti qui filiam alicui despōderet, futuro genero prælibans, φιλοτήσιον κρατῆρα porrigebat. SCYTHÆ quoq; amicitias, quarum sunt pertinacissimi, cratere conciliabant, ut testatur in Toxaride Lucianus. [redacted]

[redacted] Hesychius indicat hanc φιλοτησίαν solere adhiberi post cœnā, quum in signum amicitiæ ex eodem poculo de eodē uino bibunt omnes. Qui mos apud nos nondum exoleuit, sed ratior est ob metum nouæ lepræ, qua pleriq; laborant. Germanis turpissimum est, post acceptum Philotesium poculum, ueterum offensarum quamuis capitalium meminisse, ne iudices quidem admitterent actionem iniuriarū. Ibid.

Proditum est, SOCRATEM nunquam de primo cratere bibere solitum, sed secundo restuare sitim. Tertium autem craterem ἀγαθοῦ δαίμονος appellabant. Itaq; qui sitim seruabant tertio crateri, ἀγαθοδαιμονίζειν dicebantur. Erasm. in Adag.

Post conuiuia. Vt est

Ἀκεραιοβαλίζειν.

VETERES utebantur apomagdaliis, sic enim uocabant id quod est in pane molle ac pinguius, in quod abstersо obsonio ipsum canibus obiiciebant. Vnde & Lacedæmonij apomagdaliam appellabant cynarda. Erasmus in Adagiis.

Athenæus lib. 4. tradit, apud ARCADAS fuisse mons, ut à cœna sacrificarent, non quidem lotis manibus, sed iure seu offa abstersis, & quo se abstersérat quisque id secum auferebat: id faciebant ob terrores nocturnos, qui in compitis solent accidere. Neque sanè inutile remedium uidetur fuisse aduersus canes in compitis adorientes. Offas eiusce modi Apomagdalias uocabant.

Mensam tollere.

Apud ROMANOS nefas erat mensam prorsus inanem relinquere: uel quòd innuerent semper aliquid reseruandum in tempus posterum: uel ut assuescerent temperare cupiditati, à præsentibus abstinentes: uel ut hoc pacto seruorum animos sibi conciliarent, cum quibus mensam aliquo pacto communem habere uiderentur: uel quòd religiosum haberetur in sacris quicquam uacuum conspici. Porrò mensa sacra quædā res est. Plutarchus ὁ ῥωμαϊκὸς, & lib. Sympos. 7. Seneca epistola 78. Marcellinum admonuit, non esse inhumanum, quemadmodum cœna peracta reliquiæ circumstantibus diuidantur. Nec obstat Athenæus, qui ex Euripide πελάψιμα canibus obiici tradit. Loquitur enim de Apomagdaliis, non de φθεγγοῖς, hoc est reliquiis, quæ seruorum erant. Brodæus in 2. Epigrammatum Græcorum.

Colloquia, Confabulationes.

A GRÆCIS ænigmata & gryphi post conuiuia proponebantur. Quorum captiones soluenti, præmium carnis portio: non solutī pœna erat, ut falsum hauriret poculum. Iisdem uetustissimo more usurpatur, ut postquam magnificè epulati fuerint, de bellis decernant. Alex. lib. 5. cap. 21.

Acroamata, Spectacula, Ludi.

SYBARITÆ non psaltrias modò, & histriones, sed equos quoq; composito saltu ad symphoniæ cantum psallentes introducebant post epulas. Alex. lib. 5. cap. 21.

Apud GALATAS & CELTAS, ad mensam, postquàm uino incaluerant, ex prouocatione dimicabatur ad uulnera usq;. Alexander libro 5. capite 21.

Apud SAMNITES inter epulas erat mos digladiari, quemadmodum apud INDOS: qui cùm post epulas aureos cratereas circumtulissent, strenuitatis & fortium factorum periculum faciebant. Alex. lib. 5. cap. 21.

ABYDENI in hospitali mensa & conuiuiis, postquam opiparè epulati fuerint, infantes admittunt garrulos & festiuos ad suauiandum, ut his obstrepentibus garrientibusq; conuiuiæ alacriores fiant. Hinc proueib. Abydenum conuiuia. Alexander lib. 5 capite 21.

Apud BABYLONIOS, post epulas, mulieres summa uelamenta exuunt, & amiculis reuelatis (proh pudor) pudibundaostendunt, in omnemq; licentiam iocorum pudorem omnem abiiciunt. Ibidem.

T. POMPONIVS Atticus, libellos post conuiuium lectitare solitus erat. OCTAVIVS picturas uniuersas thesauri locos ostendebat conuiuis. TIBERIVS ex lectione quotidiana quęstiones discutiēdas proponebat. NERO Cęsar citharœdos primi nominis aduocabat. HADRIANVS Imp. comœdias, lectores & poetas admisit, qui aliquid recitarent, quod animum post cōuiuia recreare posset. Alex. lib. 5. cap.

HELIOGABALVS sortes conuiuales post cœnam proponebat, ut alius haberet decem camelos, alius muscas, uel aurī libras, aut decem oua, ursos, glires & lactucas decem. Ibid.

ALEXANDER Seuerus interdum inter edendum, sæpiùs tamen finito conuiuio, uel ipse aliquid legit, uel cæteris legentibus benignas aures præbuit. Catulos quoq; cum porcellis & perdices ad pugnam sæpe commisit, ut aliquid delectationis inde ludicræ caperet. Ibidem.

ALFONSVS Siciliæ rex statim post prandium, uel Antonium Panormitam, uel alium è doctis uiris audiebat: ut qui dignum iudicaret, animum quoq; cibo suo, post pastum corporis, reficeret. Pontanus cap. 1. de Conniuentia.

Conuiuiorum tempus. Respectu Anni.

Apud PERSAS Rex eo die quotānis, quo rex creatus est, cœnā exhibere solet, cui nomē Persicè Tycta, Græcè τίλεον, id est, perfecta: in qua rex solū caput ornatur, Persasq; strenis donat. In quo nefas est, orantem non exorare. Herod. lib. 9.

Conuiuiorum Tempus. Respectu Diei.

De Cœna & Prandio Alex. lib. 5. cap. 21.

Sæpius cibum sumere.

Tempora reficiendi corporis uaria, aliis plura, aliis paucioria. Vide Athen. lib. 1. cap. 4. Dipnosophiston. Notus est Aeschyli senarius, ἄριστον, δεῖπνον, ἀδιψητὶ θ' ἑωθὲν καὶ τρίτον. Quarum uocum cōfusio est mira, ex uitæ generibus distinguenda. In eo namque uitæ genere, quod potissimum animi uigore regitur, quò parcior cibi usus, cò melior. Proinde manè uel meridie, quandocunq; quis uellet, cibum solus sumebat, uinum meracum sine ἀκρατίσματι, cū panis buccella, unde ἀκρατόπολις dicebatur: τὸ ἄριστον, à lentiendo: item ἄριστον, à præstantissimo uini genere, quod in minima quantitate plurimum reficeret: uel quasi ἀρίστον, id est, paratu facillimum: ut opponatur τῷ δείπνῳ παπαιομένῳ, uel quod postea oporteret δειπνεῖν. item χαῦρον, quòd gustarent potius & pitissarent, quàm comederēt, & Germani Imbissū, quasi Anbissū, uocē antiquę sing. ulitatis indice. Vespere autē omnes eiusdem familiæ in unum coibant (hinc Cœna Latinis, quasi κοινὴ dicta uideretur apud Plut.) cibumq; sumebant, panem scilicet cū opsonio: quod indenomen accepit, quia ὀψὲ in cœna tantùm, non manè adhiberetur. Græcis δεῖπνον, ὅτι δεῖ ὕπνου, quòd somnus ad meliorem concoctionem sequi deberet. Quam ipsam ob causam prisci lactucas in secunda mensa apponebant. Lim uerò in altero uitę genere, quod corporis robore perficitur, frequentiore cibi usu opus est. Talis est uita Agricolarū primò: sic Hesiodus δεῖπνον uocat quamuis agricolæ refectionem: Maturtinam quidem (Latinis Ientaculum) & Meridianam (Latinis Merēdam) ὅτι δεῖ πονεῖν, quòd post cibum sumtum labori incumbere oporteat: Vespertinā deniq;, ὅτι δεῖ ὕπνου. Illustrior uerò uita Militum, reficiendi tempo ribus nomina impositisse uideretur, quandoquidem milites sumebant manè summo ἄριστον, ὡς ἄρτου ἰσημέρου (quod πρῴου ἰσημέρου dicitur) Meridie δεῖπνον, μετ' ὀλίγον πονεῖν (τὸ δὲ μεσημβριανὸν) Vespere δόρπον, παυομένου δόρου, quoniam receptui canebatur, & hasta militis quiescebat (τὸ δὲ πολιτικὸν dictum)

Esti quidam ἀκρατίσματα δόρπου præponunt,
ὑπὸ δορπίου postponunt.

Sunt, qui tantùm tria comedendi tempora antiquorum agnoscant, ἄριστον, δεῖπνον, δόρπον. & de ipso τοῦ δείπνου tempore ac nomine non omnes idem sentiunt. omninoq; confunduntur hæc apud ueteres. In Romanis scriptoribus repetio silatum, siue ientaculum, prandium, cœnam, uespernam. Murenus lib. 4. Var. lect. cap. 12.

Apud SICVLOS usu erat bis in die epulis saginari, & saturū fieri, quibus templum Saturitati dicatum erat. quare Siculę mensæ & Syracusanæ deliciæ tanquam lautissimæ in proueribium uenēre, sicut apud Græcos PHARSALI & BOEOTII uoracissimi habiti. Quare ab Athenieēsibus fatui, rudes & pingues dicti sunt, propter addiphagian: quippe quū à cōuiuiis crudi discederēt, distenti rursus se ingurgitabāt.

Malcolmo III. Scotorum rege, qui Margaritam Anglam in uxorem duxit, quum antea consuetudo fuisset sumendi semel duntaxat in die refectionem, accedentes per pacem & connubia in aulam reges Angli, suo more bis cibū sumentes, SCOTOS in eandē cōsuetudinē pertraxere. H. Boet. l. 17.

Mane.

EVMÆVS matutina hora prandium fecisse legitur apud Homerum Odyss. 14.

TARENTINI præ cæteris, matutinis se poculis ingurgitare solebant: ante uesperam capere cibum probrosum erat, & ἀκρατοποσία, id est ientaculum, ita ait dictum Alcæus ex isiem petātia, quę Græcè ἀκρασία uocatur. Plut. lib. 8. Gonu. quæst.

DOMITIANVS Imp. lauabat de die, prandebatq; ad latitatem: ut non temerè super cœnam præter Maritianum malum, & modicam in ampulla potunculam sumeret. Conuiuabatur frequenter ac largè, sed penè raptim: certè non ultra Solis occasum, nec ut postea comessaretur. Nā ad hæc somni nihil aliud, quàm secretò solus deambulabat. Suet.

GALBA ante lucem semper uesebatur. Alex.

Meridie.

PERSIS in meridie uesci semel tantùm, cōsuetudo fuit. Alex.

ROMANORVM antiquissimos, licēt noctu cœnasse nonnulli opinati fuerint, constat tamen post multas ætates usum inualuisse, ut meridianis horis uescerentur. Idem.

Vespere.

Apud PERSCOS seruatum est, ut prandia in usu non essent: sed qua hora cœna apparabatur, ea prandium fieret. quod tempus nona esse consueuit, sæpe octaua. Ante mediam uerò diem pransum fuisse, uel antelucanam cœnam fecisse, crimini dabatur. Alex. ab Alex. lib 5. cap. 21.

Cùm ueteres, qui essent operosi & continentes, manè panem cum uino gustare solerent, nec quicquā præterea: ideo dictū ἀκρατοποσία, ἀκρατον, id est, meri causa: & obsonium id, quod in cœnam ex parabatur, ab ὀψὲ, quod est sero: quia serò, cū ab negotiis discessisset, cœnabāt. Plut. lib. 8. Quæst. cō. 6.

ALEXANDER Magnus ad cœnā serò & sub tenebras accūbebat. A poculis lautus conferebat se dormitū usq; in meridiem subinde. Interim totu diem cubabat. Plut in Alexand.

CICERO ante solis occasum rarò discubuit. Alex.

Incerta hora.

INDI horam prandij aut cœnæ non nouerunt: sed ut cuique libitum comessabantur. AETHIOPVM mos erat, ut unico cibo cōtenti, diebus singulis alerent, nū saginarent corpus.

DIOGENES Cynicus uti nullam curam cibo, ita quoq; nullam temporis horam prandio definiuit. Alexand. ab Alex. libro 5. capite 21.

Locus conuiuiorum.

Complectimur hic Locum, in quo omnes conuiuia discumbunt, ut in antro, in triclinio, in castris. De Locatione suprà egimus.

Publicus.

Apud INDOS cùm comessationes in propatulo, Laconico more, facerent, aram meniæ in modū constituebant: in eaq; carnibus appositis, quilibet conuiua è sua & quasi propria sede ad mēsam uadit, & quam uult partem capit: atq; in sedem reuersus, carnibus & pane uescitur. Alex. lib. 5. capit.

ATHENIENSES in celebri epulo, quòd Sysitia uocant (quamuis συσσίτια Laconum propriè esse dicantur) tenuiores cum ditioribus unā conueniunt, & æqualem obsoniorum partem ferunt. Alex. lib. 5. cap. 21.

LACEDÆMONII publica loca habebant, in quibus cibum caperēt. In his accipiebant hospites ac legatos suos. sed apparatu perparco. Vnde & Græca uox ducta uideatur à φειδωλία. id est, parcendo. Quanquam sint qui malint φείδιτα dicta quasi φίλιτα, quod ciusmodi conuiuiis coirent sodalitas. Vtranq; uocis etymologiam recenset Plutarchus in uita Lycurgi. In priore abiicitur ε, è diphthongo, in posteriore λ, uertitur in δ. Addit autem tertiam etymologiam, phiditia dicta quasi ἑδίτια, à sumendo cibo, quæ Græci præsertim Athenienses uocant συσσίτια, Cretenses ἀνδρία, quemadmodum ibidem indicat Plutarchus: hoc genus conuiuiorū Lycurgus instituit, ad excludendum luxum ac temulentiam. Erasmus in Adagiis.

Priuatus.

Hic potius ad Oeconomica referri debet.

VESTITVS IN GENERE.

De Vestitu inter Corporea Volumine Secundo egimus.

Hic ut ad Politium refertur.

INDI dissimiles habitus corporis mira specie uariarūt. Namque alij nudi agunt, nonnulli piscium, ferarum aut auium pellibus amicti sunt: pleriq; lino, multi lana uestiuntur, alij in cultu corporis ita accurati, ut faciem coloribus pingant, candidam uestem induant, aurum gestent, lapilliq; ornentur. Alex. lib. 5. cap. 18. ex Strabone lib. 15.

PERSÆ crassiore utebantur uestitu, laxa & fluxa cinctura, & nonnunquam stola etiam Semiramidis siue Medica, cum armillis & torque. Alex. lib. 5. cap. 18.

BABYLONII duabus amicíuntur tunicis, una linea usq; ad pedes demissa, altera super hanc lanea: postremò candida & breui pennula circundantur. Calceos gerunt gentis more, soleis simillimos. Capita habentes comata mitris redimūt, unguētis toto corpore delibuti. Anulum signatoriū singuli gestant, & sceptrum affabrè factū, cui superstat aut malum, aut rosa, aut lilium, aut aquila, aut aliud quippiā. Nam absque insigni gestare sceptrum, ipsis nefas est. Herod. lib. 1.

CARTHAGINENSES discinctos, postremos homines ducebant: APHORVM peculiaris mos, fluxa tunica & discinctos incedere. Alex. lib. 1. cap. 20.

Strabo Geographię lib. 4. tradit insulas esse X in Oceano Gaditano, nomine CASSITERIDAS, quarū una prorsus inculta sit, in reliquis habitare homines colore fusco, tunicis utētes ad talos usq; dimissis, pectoribus cingulo obuinctis, baculos manu gestantes, in summa persimiles furiis tragicis. Quibus ex uerbis apparet, hoc habitu furias in tragœdiis in duci solere. Erasmus in Adagiis.

Quū primò ROMANI ciues sine tunicis sola toga amicti forent, postea substrictas breuesq; tunicas cura humeri desinentes habuere. Talares uero & manicatas (quas Græci chirodotas uocant) aut discinctas induere, pro flagitio fuit: quod erat barbaris propriū, talares ferre & manicatas tunicas. Ideo Aemylianus Pauli filius, P. Sulpitio Gallo, quòd tunicis manus totas operientib. uteretur: & Cicero Verri, quū talari tunica & pallio purpureo incederet, ut probrū obiectauit. Quæ quidē tunica toga tegebatur, sæpiùs prętextata. Iutra tunicā interula, quam subuculā dixere, carni proxima, æquè à uiris & mulieribus nullo discrimine sumebatur. Nā postquā binas tunicas Romani habere cepērūt, Varro ait interiorem institutisse uocare subuculā, & indusiū. Prætextā uerò, supra tunicam quisq; honoratus & nobilis habebat: quā quidem pueri patricij aliquādo purpuream induebāt. Eam prætextam ad uirilem ætatem pueros deferre licuit: post pubertatē uerò, in septimo & decimo ætatis anno, dimissā prætexta, togā induebāt, aliquando purā, niuei candoris, quæ uirilis dicta est. Eam tamē in quarto & uigesimo à multis tumtā cōperimus, sæpiùs in decimoquinto, & textu & decimo. Quippe Augustus Octauius annorū sedecim, & Caius Cęsar in undenigesimo. Nero aūt uix dū pubescēs, togā uirilē sumsit ante tēpus, quò maturū imperio uideretur. Diuus quoq; Antoninus Philosophus, & ex Cæsarib. cōplures, in quintodecimo uirilē desumsere togā, tūc cū præceps & lubrica iuuenū ætas uidebatur. Togā supra prætextā nōnūquā patricij sumebāt, cū plebeij sine prætexta, simplici toga amicirentur: quippe toga erat plebeiorū & infimi ordinis, prætexta honestorū & nobiliū. Idipsum quoq; circa mulieres seruabatur: nam toga priscis seculis in usu promiscuo tam uirorum quàm mulierum, nocturnumq; ac diurnū indumentum fuit, sicut panniolum & penula. Alex. lib 5. c. 16.

GERMANI fago cum fibula, aut si desit fibula, spina cōserta: locupletes uerò strictā uestę, singulos artus exprimente. Alex. lib. 5 cap. 10. ex Tacito.

Pagus ex Boiariæ in Norico, ad Maticham flumen inter Iuuanum, Oenumq; amnes, Maurkirchen uocant, ibi in templo

duo equites, gypso cocti, positi conspiciuntur, FRANCORVM uterum uestitu: calceamentis utrinque lora trium cubitorum innexa sunt: tibialia, feminalia, linea ac uerniculata fasciolis eius coloris constringuntur. Atq; hæc omnia lora superiora cancellatim intendebantur. Extremũ uestimentum paludamentum quadrangulum cœruleum & duplex, quod humero iniectum, lateribus utrinq; patet: orę eius priores posteriores q; usq; ad calcem plantamq; peruenient. Auentinus lib. 4 Annalium Boiorum.

VESTITVS IN SPECIE.

RESPECTV

Aetatis.

Ex Tarquinij Prisci regis Rom. instituto, PVERI patricij bulla aurea cum toga, cui purpura prætextitur, utebantur: duntaxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum. illamq; exacta pueritia, solenni festo Laribũs suspendebant. Cæteris, ut prætexta tantùm uterentur, indultum: sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia iusta meruissent. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

Sexus.

Apud ARABES & CARTHAGINENSES, feminæ non modò religionis, sed honestatis causa, caput & faciem uelabãt, quod uelamen pro galea illis esset. Tertullianus qui de ea re librum scripsit. Polyd. lib. 4. cap. 13. de Rerum inuent.

Matronæ & spectatæ pudicitiæ mulieres, nisi nigro capillo & longè latę; fusa toga ad talos demissa, stola q; flammeo ac uittis & reticulo, quo capita uelarent, utebantur: cùm meretrices flauum capillum haberent, & togam subductiorem absq; flammeo & uitta: quam togam utilem, quæ adulterij crimine damnatæ erant, dimissa stola, sumere cogebantur: nam q; meretrices prostabant cũ toga & stolis pullis, quibus etiã canthino & cocco uti inhibitum est. Fuit aliquãdo mulieribus uetitum, ne uersicolore ueste uterentur, lege Opia: quod etiã à Nerone factũ memorant, qui mulieribus amethystini & Tyrij usum interdixit. Quæ quidẽ stola plebeis, quãuis honestis, non dabatur: siquidẽ patritiæ & grãdes natu matres, illã honoris causa deferebant: erat enim ad imos pedes fluxa, quam instita contexta ambibat. Alex. lib. 5. c. 16.

Ordinis, Professionis.

Quod discriminis inter patricios & plebeios purpura faciebat, ut distinctum utrumq; ordinem notaret, hoc nimium inter patricios & senatores laticlauus & tunica latiore purpura efficiebat. Is enim laticlauus & latior tunica, insignia ordinis senatorij fuêre, quæ ordinẽ senatorium à patritio discernebant, quibus amplissimus ordo notabatur: quum reliquis patriciis, qui ad senatum admissi non erant, illis uti nõ liceret. Quamuis post aliquot ætates, etiam equestri ordini laticlauum distinctum à senatorio tibarum inuenimus, cuius usus postea à Cæsaribus pro insigni decoro impetrari cõsueuit. in eo enim aureus clauus affigebatur, quẽ, quia frequens & promiscuus erat, Tacitus Cæsar interdixit, aut q; clauatis uestibus uti prohibuit. Alex. lib. 5. cap. 16.

Habuit in animo ALEXANDER Mãnieæ Imp. omnibus artibus ordinibusque ciuitatis suum uestimenti genus assignare, ut uestitu dignoscerentur. Cæterũm Vlpiano & Paulo iuris scientiæ peritis dissuadentibus, monstrantibusque id parum conducere concordiæ ciuium, ob minutias quæ inde in minùs potentes poterant existere, incepto desistit. Sabellicus lib. 6. En 7.

Conditionis.

ROMÆ Libertinis nullo iure uti prætextis licebat, ac multo minus peregrinis. Sed postea libertinorum quoq; filiis prætexta concessa est: ex causa tali, quam M. Lælius augur refert: qui bello Punico secundo duumuirum dicit ex senatusconsulto, propter multa prodigia, libros Sibyllinos adisse, & inspectis his nunciasse, in Capitolio supplicandum, lectisternium q; ex collata stipe faciendum, ita ut libertinæ quoque, quæ longa ueste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Aucta igitur obseratio, pueris ingenuis, itemque libertinis, sed & uirginibus patrimis matriusq; pronunciantibus carmen. Ex quo concessum, ut libertinorum quoq; filij, qui ex iusta dũtaxat matre familiãs nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.

Elegantiæ, Sordidi.

Ex loco Liberalitatis cũ ἐλευθερίᾳ, item Luxus & Austeritatis, siue multa.

CHANGIVS Chamus legislator Scytharum, inter alia etiam hoc statuit, ut Scythæ siue Tartari sui pannos quoslibet tollerent, ac uestibus etiam integris assuerent. Id enim cùm nulla necessitate coacti facerent, sine uerecundia facturos, cùm esset opus. Pachymerius.

Temporis.

PERSÆ amictum habent æstate purpureum, hyeme uarium. Alexand. lib. 5. cap. 18.

ORNAMENTA CORPORIS. VT

Vestium.

Fuere qui crederent, auri ornamenta feminis apud ROM. medium quando q; ordinem fecisse, stolasq; à plebeis diuisisse, ut sicut anulus equitibus, ita auri cultus feminis mediũ ordinẽ designaret. Alex. lib. 2 cap. 29. Alexander Seuerus Imp. matronis regiis Cyclas dedit, quæ plus sex unciis auri non haberent, cum reticulo, & pallium auro aspersum. Alexand. lib. 5. cap. 18.

Clauorum nomine dicebantur ornamẽta uestium, purpurea, acu picta, & capita clauorum instar habentia: quibus intextis, Equitum & Senatorũ tunicæ insigniri solebant. unde apud Festum Clauata uestimenta dicũtur clauis intertextacùm quidẽ Clauorũ alij lati essent, quibus Senatorũ, alij angusti, quib. Equitũ tunicæ decorabantur. Fabius lib. 11. c. ult. Cui lati clauus nõ erit, ita cingatur, ut tunicæ priorib. oris infra genua paulũ, posteriorib. ad medios poplites usq; perueniant. Latũ habentium clauum modus est, ut sit paulum cinctis summissior. Quibus ex uerbis intelligitur, Senatorum tunicã multò breuiorẽ equestri fuisse. Clauum auẽ purpureũ opinor instar habuisse capitis eorum maiorũ clauorum, qui foribus & ualuis affigi solent. Hot. de Verb. iur.

Anulorum, Monilium.

Apud PERSAS neq; aureo anulo, neq; zona aut monili, uel ornamento alio insigniore, ni ex regis munere ac gratia, uti fas fuit. Cælius lib. 18. cap. 18. A. L.

Ius aureorum anulorum erat, quod LIBERTIS hominibus concedebatur à Principe, ut scilicet eodem iure essent, quo Equites ij, quibus aureum anulũ gestare licebat. Nam essi aureus anulus insigne ordinis equestris erat, ut Plinius testatur: non omnibus tamen equitibus, sed iis tantùm, qui quingenta sestertiũm in censu habebant, eum licuisse gestare, uel ex eo intelligi potest, quod Suetonius & Macrobius de Laberio scripserunt: qui quum Cæsaris postulatu mimum egisset, ab eo aureo anulo & H. S. quingentis donatus, sessum in quattuordecim ex scena in orchestram transiit. Sed ludi est ius anulorum, aliud anulos habere: item ut ius liberorum & liberos. Non enim quibus ius anulorum dabatur, ij continuò equites erant. Nam, ut ait Vlpian. in l. 4. ff. de iure aur. anul. etiam feminæ ius illud impetrare poterant. At quibus anulus dabatur, ij continuò equites fiebant, & in quatuordecim considebant. ut de Q. Roscio Comœdo memoriæ proditum est, qui anulo aureo & quingẽtis H. S. à uictore Sylla donatus, eques factus est. ut idem licet ei qui hoc impetrauit, quod ei licet qui reuera aureo anulo donatus est: id est, ut pro ingenuo habeatur, neq; patrono ullum officium (excepta reuerentia) obsequium, operámue debeat: duntaxat, quandiu in uita manebit. Nam (ut ait Vlpianus) quasi ingenuus uiuit, tanquam libertus moritur. l. 3 ff. de hon. lib. l 4. de iure aur. anul. id est, aduersus eius tabulas patronus præteritus bonorum possessionem obtinet. Item Vlp. l. 10. §. 2. ff. de in ius uoc. Sed si ius anulorum accepit, puto eam reuerentiam patrono exhibere debere, quamuis omnia ingenuitatis munia habeat. Hotomannus de Verbis iuris.

ARMA POLITICA.

De Armis militaribus infrà. Hic de iisdem, ut domi etiam & in Pace usum suum habent.

CERCYRÆIS, quoniam crebris seditionibus agitabantur, mos erat gestare flagra ingentia, antis eburneis exornata. Quidam aiunt, ea duplicia fuisse, itaq; in proueribium abierũt. Auctor interpres Aristophanis in Aues. Erasm. in Adag.

Lege MACCABÆI Scotorũ regis, qui armis corpus tegeret, præterquam dum ad bellum proficiscitur, amissis armis illis, pro modo facultatum multabatur. H. Boëthius lib. 12.

HABITATIONES.

De his inter Corporea Volumine Secundo egimus, ut corpori commodant uel incommodant. Hic ut ad Politiam secundariò faciant.

Plato post diluuium tria uiuendi genera putat constituta. Primum in montium cacuminibus, simplex & agreste, eorum qui aquas formidant, quæ in campis solent abundare. Secundum in montium radicibus, eorum qui iam auderent, maximè cùm campi iam arescere cepissent. Tertium in campis. Dicet aliquis & quartum, & quintum, & fortasse plura. Postremum uerò in ora maritima, & in insulis, iam metu omni amoto. Has differentias dicit à poëta descripras. Nam primum uiuendi exemplum Cyclopas ponit, qui fructibus sponte nascentibus utebantur, & mõtium cacumina in speluncis habitabant. Odyss. 1. Secundæ exemplum Dardanum ponit. Iliad. v. Tertiæ Ilum, quem Iij conditorem tradunt. Vnde par est eum in medio campo sepultũ fuisse, quoniam prior ausus est in campis habitare. Iliadis λ. Strabo libro decimotertio.

QVO AD FORTVNAS. VT EST

OPVLENTIA. HVC PERTINENT

Agri.

De horum Acquisitione, Cultu, Conseruatione, Alienatione, quatenus publicè fit etiam à priuatis, hic agi posset.

Metalla.

Ex loco Opulentiæ huc ea quæ ad Politiam faciunt.

Domus.

Domus publicæ huius sunt loci propriè. Priuatorum eatenus tantùm, quatenus à publica cura dependent, uel ad publicum splendorem faciunt.

AVGVSTVS Imp. contra ruinas nouorum altitudines ædificiorum deposuit, & ne quis supra pedes septuaginta sublimius ædificaret, inhibuit, in publicarum uicinitate uiarum. Strabo lib. 5. & Suetonius.

Pecunia quo ad νόμισμα, considerata secundùm

Materiam, ex qua fit.

Ex loco Prudentiæ in Stipendiis parandis huc quædam.

In Latio SATVRNVS ex ære numum reperisse primùm traditur. Et posteritas in memoriã Saturni, qui puppe delatus erat ad eos, numo puppis effigiem impressit. Ouid. in Fastis:

Arbona posteritas puppem formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata Dei.

Apud PERSAS Dareius ex auro monetam percussit primus.

ARYANDES Aegypti prætor, imitatione Darij regis, ut hic ex auro, sic ille monetam ex argẽto purgatissimo fecit. Quo nomine ab eodem interfectus est, tãquam rebellaturus aduersus regem. Herodotus lib. 4.

Corsis boum numos percussos à primis originibus iudicare licet, quòd Numa Pompilius scorteos & ligneos & ostracinos asses, congiarium populo dedisse fertur. Suidas in uoce ἀστράγαλα, ex Tranquillo scribit, Numam ex ferro & ære primùm cudisse numismata, quæ ex proprio auctoris nomine sint Numia appellata. Numi scortei meminit item Hieronymus. sed & Donatus ad hũc sensum illud enarrat Virgilianũ: Taurino quantũ possent circũdare tergo. Cæl. l. 10. c. 2. A. L.

Fertur LIVIVS Drusus in tribunatu tertiã æris partem argento miscuisse, & signo Victoriæ pariter numum percussisse, cui Victoriato nomen.

Efficientem. Qui inuenerit, signarit.

LYDI aureum & argenteum numum inuenisse traduntur. Tametsi AEGINÆ argentum primò signatum nonnulli crediderint: alij apud ELEOS pondera, & ex argento numos à Phædone inuentos, putarint. Alex lib. 4. cap. 15.

PHÆDONA Argiuum signasse numos primùm, à quibusdã traditur: quod libro 8. scribit item Strabo. Alij ERICHTHONIVM Athenienſibus & Lyciis. Xenophanes LYDIS hoc attribuit. NAXIIS uerò Aglosthenes. At in Apologetico Septimius Florens, SATVRNVM principem numos signasse, prodit: atq; ideo ærarij præsidem creditum. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

Seruius Tullius rex Rom. primus signauit æs, cùm priùs rudi uterentur. Plin. lib. 33. cap. 3.

DONALDVS primus omnium Scotorum regum, numum argenteum aureumq; signauit, una parte salutiferæ crucis, altera sui capitis effigie expressa, quo susceptæ à se primùm inter Scotos reges Christianæ pietatis memoriam ad posteros propagaret. Scoti antea, aut nulla pecunia signata, sed eius loco mercibus commutationis causã, aut Romana Britanniciue utebantur. H. Boëthius lib. 5.

FLORENTINVS populus an. Sal. 1252. electis Gibellinis, Senensibus & Pisanis sepe deuictis, primùm numum aureum, Florenum dictum, cudere cepere: quorum octo unciã auri pendebant. Io. Villanus lib. 6. cap. 54.

Tempus, Quando.

Sex. Cepione & Cn. Sempronio cos. anno V. C. 485. qui quintus fuit ante bellum Punicum primum, argenteus numus primùm signatus est ROMÆ: in quo altera parte Ianus bifrons, altera nauis prora incussa fuit. tametsi quinq; annis ante primum bellum Punicum argentum Romæ signatum multi crediderint. Demum post annos duos & sexaginta, bello Punico secundo, aurei apud Romanos eadem nota incussi fuere. Alex. lib. 4. cap. 15.

Locum, Vbi.

Lugduni Romani Imperatores argentum aurumq; & monetæ omne genus signare consueuerãt: siue quòd promta ibi ad cudendum metalli copia foret, seu quòd munitissimus locus, & accessu difficilis ad confluentes, quòd ibi Rhodano Arar commiscetur, esse censebatur. Alex. lib. 4. cap. 24.

Pecunia quo ad χρῆσιν considerata, ut est illius usus aliquis, secundùm

Materiam.

LVSITANI graui sarcina æris, uel frusto argenti sæpius nimiloco usi fuêre. BYZANTII ferri massam pro numo appendebant. Alex. lib. 4. cap. 15.

LYCVRGVS Spartanorum legislator monetam omnem auream & argenteam antiquauit: soli ferro auctoritatem tribuit, eiusque magno ponderi & moli exiguum assignauit precium, ut occuparet decem minarum summa, amplum in ædibus armarium & plaustrum duorum boum ad uehendum. Aceto quinetiam, ut dicitur, candentis aciem ferri restinguens, ut neque procudi, neque duci ob tincturam, neq; posset tractari malleo, alium eius usum & momentũ reseca uit, reddiditq; eneratũ & inhabile. Mox uanas artes & curiosas expulit finibus. Et quidem pleræq; uel nullo exigente erant unà cum publica moneta solùm uersuræ, uendibilia cùm non essent opera: siquidem ferrum nequicquã exportabatur ad alios Græcos, & ut nullius auctoritatis deridebatur. Vnde nulla etiam facultas mercandi erat exoticarum & exquisitarum mercium, neq; in portubus eorũ exonerabant mercatores naues: neq; pedem in Laconia ponebat uel uerborum architectus, uel præstigiator nates, uel lenо, uel monilium aurorum argentorũue artifex, quòd carerent numis. Verùm ita luxus paulatim iis, qui eum excitabant & alebant, destitutus sua sponte emarcuit: neq;, cùm opulentiæ esset exitus in publicum præclusus, atque domo ignaua includeretur, prærogatiuam habebant locupletes ullam. Plutarchus in Lycurgo & Lysandro. Vnde numum Spartanũ, per præomiam enũciamus de re conatus magni, emolumenti nullius. Cælius lib. 10. cap. 2.

BYZANTIORVM numus ferreus erat, sicut & Spartæ. Numi ferrei meminit Aristoteles Oeconomicõ secundo, nec non stannei & ænei. Dionysius Siciliæ tyrannus, SYRACVSANOS perpulit etiam stanneo uti. Cælius lib. 10. c. 2. A. L.

Rhetor Dionysius poetaq;, cùm Atheniensibus suadere adortus foret, æneo uterentur numo χαλκοῦν, id est æneus cognominari cepit. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

POP. Rom. ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem deuictum usus est. Plin. lib. 33. cap. 3.

Apud SEPTENTRIONALES populos pecuniæ nullus olim fuit usus: tandem inuenta, permissaq; est coriacea, certis argenteis punctis, quibus ualor in pondere & numero pensaretur, uariata: multisq; seculis apud GOTHOS & SVEONES inter regios thesauros excrescens, in maximo precio, & turrium custodia seruabatur. Succedente uerò tempore, more cæterarum regionum argentei numisinatis usus pariter & commixti æris intro ductus est, non autem monetæ aureæ, ob occultatas mineras eius, quas Iob dicit ab Aquilone uenire: eas tamen iam inuenisse dicitur rex Gostauus preciosissimas. Olaus lib. 6. cap. 12.

CATHAINIS Tartaris, papyracea moneta in usu, quadrata forma, & in ea regis imagine expressa, quæ si uetustate obliterati cepit, obsoletam cum recentiùs impressa in regia cõmutant. Sab. lib. 6. En. 10. ex Haytono.

Formam, Imago, Signum, Nota, Charactêr pecuniæ.

De Romanis numisinatibus primus Aeneas Vicus Parmensis nostrò seculo formis æneis agere cepit. Eius studia, sumtibus & liberalitate Stephani Laureti V. C. & ob hoc patrocinium æternis dignis laudibus, sectatus Hubertus Goltzius Herbipolensis, tanta felicitate & arte, tam præclara methodo in hoc genere Antiquitatis illustrãdo uersatus est, ut ne quod de Cicerone eius Apollonius, idẽ de Goltzio Italis dicere cogerentur, honoris causa cuiusque illum sua Romani donarint: ut etiam pòst P. Melissium, τὸν ἐξοχώτατον γραμματοῦν πεπτῶν.

MITYLENÆI Sapphus imaginem numis insculpebant. At Homerum CHII, à quo & numus nomen accepit, sicuti Strabo docuit. ASII uerò puerũ delphini insidentẽ: DARDANES gallorum pugnam: ASPENDII palæstas: RHEGINI leporem & currum: CEPHALLENES equum: THASII Persen: ARGIVI murem: TROEZENII tridentem, quia illic religiosissimè Neptunus colitur, teste Plutarcho. Demaretium in Sicilia fuit numisma de Gelonis tyranni uxoris nomine, quam Demareten uocant, Theronis filiam, uti à Pindaricis relatum interpretibus scio. ARGIVORVM itẽ numũ fuisse lupi imagine insignem, testes Sophoclis scholiastæ sunt in Electrã eius poetæ, φ Apollini sacrũ crederetur id animal, uti cerua Dianæ: quo argumẽto & Lycoctonon Apollinẽ ueneratabantur. TENEDIVS numus in ueteribus memoriis uel celeberrimus est: quoniam Tenes rex olim sanxisset lege, ut mœchis utrisque, si deprehenderentur, caput securi præcideretur: quam legẽ in filio quoq; rigidè seruârit. Quare numo illic percusso custoditum, ut à

parte una, securis: ab altera facies duæ, ex ceruice una prodeuntes, signarentur. PELOPONNENSIVM uel Aeginetarum numum fuisse tradunt quendam ab incusa animalis forma, chelonem, id est testudinem nuncupatum. Nam obolum Eupolis callichelonum appellauit, ueluti testudinē dicas pulcram. Hinc emanauit illud apud Pollucem lib. 9.

Τοῦ σώφρονος γὰρ τὸν σοφίσου νικᾶν χελώνας.

Virtutem ac sapientiā testudo superat. Cæl. lib. 10. c. 2. A. L.

LOCRI & Ozolæ Hesperum stellā effinxere. GERGITHII autem, qui in Phrygia minore sunt, Sibyllę imaginem, quòd inde esset oriunda, hoc sempiternæ laudi fore arbitrati. Alexand. lib. 4. cap. 15.

Apud ATHENIENSES numus erat bouis scalptura & nomine insignis. à Theseo institutus primùm. Plutarcho in uita Thesei tradente, uel ob Marathonium taurum, uel ob Minois ducem Taurum, quem gymnico certamine uicit, uel quòd ad agricolationem pellicere uellet ciues. Eius ab Homero item fieri mentionem putant, quum ἑκατόμβοιον dicit ἐνεαβοῖον, id est, nouem boum hecatomben. In Draconis legibus multa irrogabatur, ita ut soluerent decabœum: & in Delo præconem ita pronunciare in theoriis solitum traditur, tot boues datum iri. Vnde coniectatum à plerisq; bouē Deliorum esse numum ueriùs, quàm Atheniensium. Vtcunque, certè hinc iactatum nouimus, ut quicunq; pecunia corrupti causam silentio prodant, quod fecisse cum oratores alios, tum uerò Demosthenē, subnotauit historia, dicamus, βῦς ἐπὶ γλώσσῃ βεβόηκεν, id est, bos linguam inscendit. Ex qua loquendi figura facetissimè Aristophanes:

Στόμ' ἐπιβύσας κέρμασι τὸν ῥητορῶν.

id est, os rhetorum obturans stipe. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

Arist. tradit in TARENTINORVM politia illos numo usos, in quo esset Taras Neptuni F. Delphino uehens. Ibidem.

ATHENIENSIVM nomisma quodam bouis obtinuit figuram. Item apud ROMANOS Seruius rex, ouium ac boum effigie primus signauit æs, auctore Plin. lib. 18. c. 3. unde Pecunia dicta à pecore. Idem testatur Plutarchus in Problematis rerum priscarum, quòd priscis omnis ferè possessio erat in gregibus & armentis. Vnde & à pecoribus dictam pecuniā uolunt. Itaq; qui multæ pendendæ metu deterriti retinerent, aut qui pecunia corrupti loqui non auderent, bouem in lingua dicebantur habere. At Iulius Pollux nono de rerū Vocabulis libro, prouerbium hoc exponens, his fermè consentanea commemorat, addens ipsum nomisma bouē uulgò uocari solere. Proinde in Deliacis spectaculis, si cui munus dandū erat, præconē pronunciare solitū. Tot boues illi dabuntur. Bouē aūt ualuisse duab. drachmis Atticis, unde fuisse, qui crederēt hoc nomisma Deliorū fuisse propriū, nō Atheniensiū. Addit itē in Draconis legib. extare mentionē, κατὰ τὸν δοκιμάσαντα δεκάβοιον, id est, de pendendis decem bubus, id est, numis decem. Neq; defuisse, qui senserint, Homerum quoq; de nomismate locutum, non de animante, cùm ait:

Χρύσεα, χαλκεῖα, ἑκατόμβοι ἐννεαβοῖα.

Verùm hanc opinionem alio in loco refellit Iulius Pollux, ostendēs illam fuisse commutationem rerum citra numos. Qui scripsit scholia in Homerum lib. 2. tradit bouem apud priscos in honore fuisse, quum multis de causis, tum præcipuè quod Apollini sacrum sit animal. Itaq; in altera parte nomismatis insculpebant bouem, in altera faciem regiam. Erasmus in Adagiis.

Cistophorum Atticum siue Terracinum fuisse legimus quatuor millium & quingentorum denariūm, sicuti & Rhodii talentum. Dici opinantur cistophorum ab insigni ferentis cistam: sicut coronati modò uocantur numi, à coronæ imagine. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

ATHENIENSIVM numisma erat core. Id Euripides parthenon uocauit, id est uirginem, q̃ Palladis imagine foret insculptum. Vnde Eubulus in Anchise Palladis polon nuncupat, id est pullum. Etiam si esset item CORINTHIORVM numus, polos Pegasi habēs insigne. A partheno numo elegantèr festiuum effingitur adagium de poscinumiis scortillis, ut Parthenon amare dicantur. Cælius lib. 4. cap. 15.

Numis tum aureis, tum argenteis Atheniensium noctua inscalpi solebat, unà cum facie Mineruæ. Numus is appellabatur τετράδραχμον, id est, quatuor drachmarum. Vnde illud proditum est, Gylippi seruum Ephoris detulisse, multas sub tectis cubare noctuas, quòd Lysandri pecuniam, quam Gylippus fuerat depeculatus, sub tecto conditerat. Plut.

Apud EOSDEM triobolū (quod & hemidrachmiū appellāt. Nam drachma senos obolos continet) ex una parte Iouis effigiem habebat, ex altera noctuæ. Erasmus ex Aristophanis interprete. Cælius.

Κυζικηνοὶ στατῆρες id est, CYZICENI stateres, olim celebres erant, quòd eleganter scalpti uiderentur. Repræsentabant altera parte Cybelen deorum matrem, facie muliebri, altera leonis imaginem. Stater ualebat 28 drachmas Atticas. Suidas & Erasmus in prouerb.

DARICI, à Dario uetusto Persarū rege, quorū quinq; minam faciebant, Sagittarij imagine insignes, teste Plut. in Apoph. Ex quo celebre manauit in posteros Agesilai dictum, se ex Asia pulsum triginta millibus sagittariorū. quum Persarum rex ea numorum summa, corruptis per Timocratem Atheniēsibus, effecisset, ut is de prouincia decederet: quod & in prouerbium uenit, de iis qui pecunia de gradu deiiciuntur, qua nil non expugnatur. Cælius lib. 10. c. 2. A. L. ex Plut. in Laconicis. Stateres Darici, Philippei & Alexandrei, ex auro cudebantur, in quibus mulæ cum curru uidebantur effictæ.

ROMÆ olim numi nunc Iani bifrontis imagine, nunc nauis puppi uel prora signati fuerunt. Vtrum, ut uulgus ait, honoris gratia Saturni, qui nauigio in Italia trāsmissus Vel potius, quoniā compositum reip. ordinem iis Ianus, domitis eorum moribus constituit, affluentiam necessariorum fluuius, qui nauigabilis est, subministrauit: signum habuerunt numi legislatoris geminam faciem, ob uicissitudinem, fluminis pontonem. Alio genere numi utebantur, qui bouis, ouis, & porci sunt effigie signatus: quòd facultates possissimum ex pecore quærerent, consisterentq; in hoc eorum opes. Quapropter multa nomina ueterib. Suillius, Bubulcis, Porcius, ut est Fenestella auctor, fuerunt. Plut. in quæst. Rom.

In triente & quadrante Romani rates incussere.

Cn. Sempronio & Ser. Cepione cos. bello Punico primo, asses percussi ex altera parte Ianum geminum, ex altera rostrum nauis habentes. In triente uerò & quadrante rates. Nota argenti fuère bigæ atq; quadrigæ: & inde Bigati Trigatiq; dicti. Plin. lib 33. cap. 3.

Victoriatus Romæ lege Clodia percussus est. Antea hic numus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. Est autem signatus victoria, & inde nomen Plin. lib. 33. cap 3.

AVGVSTVS nota fideiis Capricorni, sub quo in lucē editus erat, argenteum numum percussit. Alex. ab Alex. lib. 15. c. 4.

ROMANI imagines Cæsarum & regum, cum inscriptione & titulis in numis expressere. Nero Cæsar in habitu citharœdi se numo insculpsit. Seuerus Imperator habitu Alexandrinorum mos figurauit. Galienus post occisos satrapas Persarum, monetam, qua Persas captos ducebat, sculpi numos iussit. Alex. lib. 4. cap. 15.

In GERMANIA scribit Tacitus, ferram fuisse numi notam, unde & Serrati dicebantur. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

IOANNES Zimisca Imp. parta à Rossis victoria, edixit, uetū in aureo numo, tum in obolo Seruatoris Christi insculpere tur imago, quod antehac non fuerat receptum: & alteri inscribi iussit, Iesus Christus rex regum. Cedrenus.

Figuram.

VETERES obeliscis utebantur ferreis numis, quidam æreis. Vnde durat ad hæc usque tempora, ut multum pecuniolæ oboli uocetur, & drachma sex oboli: tantum enim circumplectebatur manus: quod παλαιστιαῖον dicitur. Plutarchus in Lysandro.

Apud ueteres OBOLVS figura erat ἐβίκιν, hoc est ueru, siue mucronata, triangulari simul & oblonga, ea crassitie, ut sex tātùm manu comprehendi possent. Vnde factum, ut ἀπὸ τῆς ἀρπαγῆς, hoc est, à uola manus, ἀρπαγὴ nomen sumserit, sex obolos comprehendens. Posterior ætas rotūdos & planos fecit numos, figura commodiore. Eustathius Iliad 4.

Photius patriarcha monumentis prodit, obolum inde nuncupatum, quòd uetus Atheniensium ex ære numus, obeliscii imaginem præferret. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

Æstimationem, Pretium.

De Talento, Mina, Sestertio, Asse, Drachma, Denario, uide Alexandri ab Alexan. lib. 4. cap. 24.

Nuncupabant numorum species quasdā Athenienses TRIOBOLVM, & DYOBOLVM. Sed dyobolis noctuæ signum erat cum Iouis facie. TETROBOLVM duas habuisse noctuas, compertissimum est. HEMIOBOLVM uerò dimidium oboli erat: unde & hemiobolæa dicūtur, quæ id pretium non transcendūt, ut in Batrachis auctor Aristophanes est. Obolum etiā PHOLLEM dicunt: nam pholides squamæ sunt tam in piscibus, quàm etiā anguibus: unde & pholidotum, squamatum dicunt. Cælius lib. 10. cap. 2.

Vt tibi & ratio numaria constet, breui, quantū hic requiras, accipe ex Budæo. Talentū ualet sexcētis coronatis. Mina pars eius est sexagesima, ualet coronatis decem. Drachma centesima pars est minæ. Æstimat eam Budæus ut eo tempore, quo scripsit, tribus solidis Turonensibus & semisse. Denarius respondet apud Romanos drachmæ, atq; ita ab auctoribus Latinis æstimatur. Denarium efficiūt decem asses. As numus fuit æreus. Vnde dicitur mille æris apud scriptores. Numi sestertij quatuor efficiunt denarium. Decies sestertiūm, quod scribunt decies H-S, reddit decies centena millia numūm sestertiorum, ualetque 25000 coronatorum.

Modum

Modum, Appendendo, Numerando.

Olim ad libram dabatur pecunia, non ad numerum. Inde illa uulgata, Expendere, expensum ferre, dependere, rependere, impēdere: pro sumtum facere, sumtuum rationem reddere, soluere, resoluere, & insumere. Erasmus in Adagiis.

Post Numā ære graui ROMANOS usos cōperimus, quo appenso, non numerato, debita exoluebant. quo tempore Seruius Tullius rex, primus nota pecudum æs signasse proditur, unde & Pecunia dicta: neque tamen propterea à graui ære precij nomine, quod inter licentem ementemque conuenit, exoluendo destum est: quippe post decemuiros, etiam ære graui Romanos usos fuisse, debitaque exoluisse, auctores tradunt: quod æs graue, massa æris fuit, non percussa aut signata, appendi, non numerari solita. Alexand. libro quarto, capite 15.

Vtentem, Viuum, Mortuumue.

Danacem uocabant nomisination, quod Charonti porrigerent paludem Stygiam transmissuri. Cuius etiam fit mentio in Charonte apud Lucianum: meminit in Psyches fabella Apuleius, atq; item in Collectaneis Plutarchus. Cælius lib. 10. cap. 2. A. L.

Pecunia quo ad χρῆσιν considerata, ut est illius usus nullus.

BALEARES omnem auri aut argenti materiam execrati, nullius generis numos ad se afferri sinebant. CARMANI & BAMBYCATII, qui in Tigri sunt, omnia metalli genera coementes, illa, in profunda terrarum, & abditas solitudines suffodiebant, ne pecuniæ commercio enerueretur animi indoles, ingeniiq;. INDI & AETHIOPES auri materiam tam uili æstimarunt, ut catenas noxiorum tantùm ex illo constarent. Alex. lib. 4 cap. 10.

ROMANIS auri argentiq; signati longo tempore nullus usus fuit. Pecudibus enim & iumentis bobusq; res permutare, sontesq; plectere solebant: æstimabaturq; bos centussibus, ouis uerò decussibus. Cælius lib. 10. cap. 2.

Tributa.

Consule locum Opulentiæ ex Tributis, Vectigalibus, item Prudentiæ & Auaritiæ & Liberalitatis circa Tributa.

A quibus exigantur.

SYRI (ut inquit Vlpianus) à quartodecimo masculi, à duodecimo feminæ, usq; ad quintū & sexagesimū annum, tributa conferunt. Alex. lib. 4. cap. 10.

Apud ROMANOS qui populi liberi erant, tributi nihil defebant: stipendiarij autem, ad militum opus, stipendia pendere cogebantur. Idem.

De quibus.

Ex Cæsaribus plerique uectigalia noua & inaudita proposuerunt, ut pro eduliis quæ tota urbe uenirent, pro litibus atq; iudiciis quadragesimam summæ. Alex. lib. 4. cap. 10.

Quæ.

INDI æquali omnes premuntur onere: nam quartam fructuum partem regibus annis singulis pendere coguntur. Alex. lib. 4. cap. 10.

Legimus singula millia talentum thuris annua ARABES regibus Persarum pensitasse: ipsosq; AETHIOPES uicenos dentes elephantorum eisdem pendere consuesse: Romanos à CORSIS cētum millia pondo ceræ, tributi nomine exegisse: CAPPADOCES, Persis quingētos equos, & mulorum duo millia annua dedisse. Alex. lib. 4. cap. 24.

MALCOLMVS II. Scotorum rex, uictis Danis, Sconam omnium ordinum indicto conuentu, regnoq; in partes, quas Baronias uocant, diuiso, cunctas opes agrosq; regios meritorum habita ratione ita diuisit, ut uestibulis publicis tumuloq;, in quo lapidea tum stabat cathedra, pauculisq; reditibus Christi ecclesiæ donandis exceptis, ad sui atq; familiæ sumtus prorsus nihil relinqueret. BARONES uerò (ita illius temporis Equites appellabant) ne non suppeterent ad regiam dignitatem facultates, ut cuiuscunq; agri domino excedente ex humanis, hæres, cuiuscunq; sexus, usq; ad alterum supra uicesimum ætatis annum, regis esset sub tutela, grata liberalitate statuerunt: ea quidem lege, ut quicquid per id tempus eo ex agro emolumēti prouenirет (Vardiam eum usufructum uocant) uniusq; inde anni eiusdem agri cē sus (quem Releuiam uulgò, ante Releuatam dicunt) uniuersa cum hæredis dote, si nullam eius desponsationem uiuēs pater fecisset, quum in hereditatem admittitur, fisco penderetur regio. Cuius facti cùm regem post aliquot annos pœnituisset, & leuiss. de causis Barones aliquot capitali supplicio affecisset, prædia eorundem publicasset, à coniuratis noctu interfectus est. H. Boethius lib. 11.

Quomodo.

Aristot. in primo Politicorum χρηματιστικὴν Oeconomiæ partem facit, quòd nimirum incunabula eius priuatæ sint priusquàm publicæ, uti etiam ipsa πολιτικὴ, sine coniugium. Quoniā autem Domus in Vrbem desinit, eò fit ut hæc etiam quæ sunt Oeconomica, plurium communicatione euadant Politicæ.

PAVPERTAS. QVATENVS

Infligitur.

Vide locum, Paupertatis acquisitio, quatenus politica est, & uel totius Reipublicæ, uel priuatorum ciuium, ut ciues, non ut œconomi considerantur.

Possidetur.

Ex Voluminе tertio exempla publicæ Paupertatis petantur.

Arcetur, Prohibetur. Huc Cura politica

Tempestatum.

Si quæ Tempestatis depulsio per Tormenta bellica, per Campanæ institutio fuerit, huc referatur.

Famis.

Hac Annonæ publica curæ.

Incendiorum.

AVGVSTVS Imp. delegit Romæ è libertinorum numero milites, qui aduersus incendia ferrent opem. Sueton.

CLAVDIVS Cæsar Puteolis & Hostiæ singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocauit. Suetonius.

Illuuionum.

Ad prohibendas uel reparandas inundationes politicè constituta.

AMICITIA.

Ex loco Amicitiæ inter Fortuita recensitæ, huc omnia ea quæ politica esse uidentur.

Amasiorum.

PRISCIS formosos seruos amare non erat inhonestum uel turpe, ut etiam nunc comœdiæ testantur. Cæterùm à liberis pueris magnopere abstinebant: ac ne, si incidissent quidem in nudos, incerti forent, gestabāt pueri bullæ insignae. Plut. in quæst. Rom.

Coniugum.

De hac ipsa aliis in locis: sed hic ut Politia Legibus & Cōsuetudinibus continetur.

Bellica Politia.

BELLICA POLITIA RESPECTV SVBIECTI CONSIDERATA. QVO AD

REGIONES.

De Regionibus, ut Munire uel Direptionibus obnoxiarum Fertiles pabulo, commeatu, Steriles ne, Voluminе tertio inter Opulentiæ & Paupertatis titulos egimus.

VRBES.

Harum item consideratio hic tantùm ratione belli, ut defendantur, munsiuntur, obsidentur, expugnantur, diripiuntur, euertuntur.

PROPVGNACVLA.

Ex loco, Propugnacula, Arces munire, defendere, euertere, occupare.

EQVI MILITARES VBI.

Hos quoq; inter Opulentiæ species suo loco cōmemorauimus.

NAVALIA.

Apud RHODIOS Naualium quædam multitudini occulta sunt & secreta, quòd si quis introspexerit, ingressusue fuerit, capite plectitur. Strabo lib. 14.

BELLICA POLITIA CONSIDERATA RESPECTV EFFICIENTIS PRINCIPIS. HVC PERTINET

EXERCITVS INTEGER CONsideratus secundùm

PARTES, QVO AD Arma.

Ex Aeliani lib. περὶ τάξεων, cap.2. Copiarum duplex est genus ratione loci. Alterum Nauticum, Διώκαμις ναυτική, eorum qui mari aut fluuiis classem instruunt. alterum terrestre, Διώκαμις πεζική, eorum qui terra pugnant. Horum rursus pars aliqua ad pugnam est inepta (talis est multitudo medicorũ, mercatorum, caponum, lixarum, calonum: πολύδυς ἄμαχος) alia apta, ipsorũ scilicet militum, πολύδυς μάχιμος. Hi rursus πεζοὶ dicuntur, pedestres, uel propriè, uel impropriè. Propriè, qui pedibus suis per terram iter faciunt, πολύδυς πεζικὸς. & sunt in triplici differentia, ratione armorum. Alii ὁπλῖται, Pedites grauis armaturæ, quò Macedonico more rotundos clypeos & longas gerunt lãceas, quas uocant sariſſas. alii πελτασταί, Peltati, medii inter hoplitas & uelites. peltam gestant, scutum breue & limatum, & lãceam multo breuiorem sariſſis, qua etiã eminus iaculando possunt uti (Sic Xenophon Persarum adolescentibus παλτὸν, hastilia tribuit duo, cum crate loco scuti, & gladio. duo inquã, ὥστε τὸ μὲν ἀφιέναι, τὸ δὲ μὴ δίειν οὐκ χεῖρας κενὰς ἔχειν. alii deniq; ψιλοὶ, Velites, lenis armaturæ pedites: qui neq; thoraces, neque scuta, neq; ocreas habẽt, sed sunt ἀκροβολισταὶ; eminus pugnant, ἰκριβόλοι, uel sagitta, uel iaculo, uel saxo, uel funda. Impropriè uerò πεζοὶ dicti, alienis pedibus iter faciunt. πολύδυς ὀχηματικὸν) pedibus inquam uel Elephãtum, uel Equorũ, cum Ingatorum ad currũ (ἐφ' ἁρμάτων) uel Scingũ, non ingatorũ (ἐφ' ἵππων) Sic rursus armorũ ratione alii sunt equites κατάφρακτοι, qui & ipsos & equos totos thoracib. & reliqua omni armatura cõtegũt, alii μὴ κατάφρακτοι, Lenis armaturæ. Et hi uel sunt δεξιοτοξόται, qui lãceas gestãt, & eminus inter se pugnãt (quorũ alis scuta gestãt, θυρεοφόροι, Scutati equites. alii solo lanceis utuntur, & δεξιοβολοφόροι instruere, ab alius ξυστοφόροι, Cantati dicuntur) uel sunt ἀκροβολισταὶ, Excitarii, qui eminus pugnant. Funtur autem uel laciis, δεξιοτόξοις (Ταραντῖνοι, Tarentini equites, alii quidem Propriè, qui & ὑπαικοντισταὶ, iaculatores equites, qui eminus tantũ pugnãt: alis Impropriè, ἐλαφροφόροι, Leuis armaturæ, qui eminus missis iaculis, mox etiam cominus pugnant ut hastati) uel sagittis, & ἱππεροξόται, Sagittarii equites, ab alis etiam Scythæ dicuntur.

Numerum, Contubernium.

Militum ROM. ordines in acie instruenda, alios minores, nõnullos maiores descriptos fuisse tradunt: quò facilùs cuius ordinis quisque miles, cuiusque manipuli esset, & sub quo duce militaret, dignosci animaduertique posset. Ideo imperatores singulas centurias ex centum peditibus, decurias uerò ex decem equitibus scribere solebant: ut hac militum descriptione distinctior acies & instructior fieret. Hæc & seq. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 1. Genialium dierum.

Ordo militaris, minor centuria, maiorq; decuria, ex sexaginta militibus constat, cui præerat uexillarius, plerunque centurio, aut ordinis ductor.

Manipulus leuis ex uiginti militibus & turba scutatorum fit, Persis ex uiginti quatuor, militesq; manipulares appellati. Huic etiam centurio præerat, quem Manipularem uocitarunt. Manipulos uerò quindecim suis interuallis distinctos, in prima acie uelut fortissimum robur plerunq; imperatores locarunt: Leuisq; manipulus dictus, quòd hastis miles gæsisq;, non armis grauioribus muniretur.

Turma quasi terma, triginta equites, hoc est, tres decurias, & decuriones tres uetusto more recipit, qui honore præstãt & ordine. Ex tribus enim cõturiis, Ramensi, Titiensi & Luceri, (quas à prima origine ad belli pacisq; munia Romulus instituerat) triginta equites singulis conficiendis turmis scribere solitus fuit, exq; ea lectione turmæ constitutæ. Sed turma ex equitibus, cõturia fit ex peditibus. Has quoq; Tribus ueteres nuncuparunt: & qui his præsunt, Tribuni uocati.

Primipilus ex tribus uexillis constat, qui centurionem habet, cui primipili nomen, qui ordine primus erat: siquidem centurio primus, & primipilus, ac primi ordinis ductor, idẽ fuit. Post quem ductor popularium, in Romanis castris sæpe meruit & ordines duxit.

Vexillum ex centum octoginta tribus hominibus fit. Horum primum Triarios habet ueteranos, & summæ uirtutis milites: secundũ Rorarios, fiduciæ paulo minoris: tertium uerò Accẽsos, qui minimi roboris, uel in fronte locati, primos cõgressus excipiebant, uel in postremam aciem reiiciebantur.

Cohors alia milliaria, ea mille quingentos pedites, equites uerò centũ triginta duos habet. Cuius generis cohortes, quòd ex lecto milite constabant, ad subita belli, quo lapsam aciẽ repararent, seruare soliti sunt. Aliæ quingentariæ, quas ex quingentis quinquaginta peditibus, equitib. uerò sexagintasex plerunq; describẽrẽ. Ex quib. nõnullæ consulares, alij prætoriæ, aliæ urbanæ, multæ legionariæ, pleræq; auxiliares dictæ. Cuius generis cohortes numero decem, iustã efficiunt legionẽ. Tametsi cohortes quinquagenarias apud Latinos, Samnites & Hernicos, & apud Camertes sexcentorũ militũ quãdoq; descriptas legamus, quas in cẽturias, cẽturias uerò in contubernia, nonnunquã duces diuisere, ut decẽ militib. uno tabernaculo degentib. præesset unus, qui cõtubernij caput foret, ipsaq; cohabitatio Cõtubernii dicta.

CYRVS contubernia pro numero cẽturionum diuisisse narratur à Xenophonte lib. 2. Pædiæ, singulisq; tabernaculis centum milites cohabitare iussisse, qui uno conuictu uiuerẽt, & sub eodem centurione militarẽt.

LYCVRGVS ad maximos cõnatus, turmam quadratam ex quinquaginta equitibus fecit, quam ἀδελφὴν uocitauit: qui etiam equites ac pedites in sex trib. diuisit, quarum quælibet tribunũ militũ, & quatuor præfectos manipulares habuit, quinquagenarios octo, duces turmarum sedecim. Ex quibus tribubus aliquando tres, nonnunquam sex turmæ pro necessitate constituebantur. Inter cæteras fuit Spartæ cohors Pitaneta, præcipui roboris, quæ ultimo discrimini, & ad extremos casus seruabatur.

Tametsi centuriæ, decuriæ, turmæ, cohortes, equitatus, pro multitudine, proq; arbitrio sæpe auctæ & imminutæ, nonnunquam duplicatæ fuerint: idem tamen nominis, quãuis mutato militum numero, sortitæ fuẽre.

Legio non uno semper eodemq; ex numero fit: sed pro robore, proq; militari multitudine, modò maior ampliorq;, modò exilior esse consueuit: sæpiusq; numero & genere uariauit. Romulo primùm regnante, legio expedita tribus millibus, equitibus uerò trecentis fieri cepta est: quam, quòd ex lectis militibus confecerat, Legionem appellari maluit. Aucta mox ciuitate aduentu Sabinorum, & crescẽte imperio, sex millium peditum, equitum sexcentorum legiones fieri cepũ, Plutarchus auctor est: cuius testimonio amplissimo moueret, nisi quòd à C. Mario primùm, cùm aduersus Cimbros moliretur arma, sex millium & ducentorum peditum, equitum uerò trecentorum descriptas fuisse, T. Liuius memorat. Scipio deinde, cui Aphricano fuit cognomẽ, cùm in Aphricã traiiceret, duas Cannensis exercitus legiones ita suppleuit, ut singulæ, sex millia & ducentos pedites, trecentos haberent equites, sæpiusq; in describendis legionibus uariatũ fuit, ut modò quatuor millium peditum, equitum uerò trecentorum legiones fierent: modò quinq; millia peditum, equites trecenti, in singulas essent legiones.

Legionibus Romani duces ob uarios euentus nomina indidẽre. Siquidem C. Cæsar, Martiam & Alaudam præcipuas nuncupauit, Decimam maximo in honore habuit: reliquas uerò à numero dixit. Nero ad Caspias portas ducturus, sex millium militum legionem fecit, quam Phalangem magni Alexandri appellauit. Otho præcipuæ legioni, auxiliatricis nomen dedit: Vitellius, rapacis: Varro, uni uernaculæ: Pompeius, gemellæ, quòd ex duabus unam effecerat: Hadrianus Mineruiam, alij primigeniam, nõnulli classicam, pleriq; Italicam, septimam, Galbiniam, geminam, Vindemissam: alij Claudianam uocitarunt: Valerianus felicem, Samnites linteatam. Græcis uerò Hipparchia ala fertur præcipua, quæ ex quingentis duodecim constabat equitibus, & alia Agema: Macedonibus Hetærica. Apud Romanos Scribonianæ & Singularium. Antiochus Gemeam, mille equitum alam uocitauit. Inter quos ala Campanorum ex quingentis ferè equitibus multum antè isse fertur.

Illud planè constat, ueteres Romanorum perraò, & nisi contra maximos conatus plus quatuor legionum exercitus scripsisse. Atque in iusta legione centurias sexaginta, manipulos triginta, cohortes decem ponere consueuisse.

ORDINES.

De ordinibus militum Romanorum, & exterorum. Alexand. lib. 6. cap. 22.

ROMANVS exercitus idem partibus omnibus codemq; reuocãto undiq; robore præliari poterat: prima acie quasi capite, ut cornibus tauri atq; apri dentibus: media tanquã pectore, ut uultures: extrema uelut unguibus & calce, ut leones & equi. Deniq; si hastatus prima acie uictus esset, receptus inter principes & triarios, poterat acie secunda certaq; iterum decertare. Petrus Ramus libro secundo proœmij Mathematici.

Omnia præter animos ROMANIS LATINISQVE in acie conformia fuẽre. In prima acie Hastati erãt, quindecim manipulis inter se parum distantibus, & in his leuis armaturæ milites, qui hastas tantùm habebant & gesa. Principes inde post hos locati robustioris ætatis. Hi scutati omnes, insigni busq; armis instructi. Erat id triginta manipulorum agmẽ, Antepilanos appellabant. Postremo loco quindecim ordines locati erant. Habebat ordo sexcentos milites, & duos centuriones. Vnusquisq; ordo in treis diuisus erat partes, quarum unamquanq; Primum pilum uocabant. Hastati omnium primi pugnam inibant. Qui si hostem profligare nequissent, mediis ordinum interuallis retrò abeuntes, inter Principes se recipiebant. Erat tum Principum certamen, quos Hastati nuper pugna egressi sequebantur. Triarij sub uexillis considentes sinistro crure porrecto stabant, scuta in nixa humeris, hastas surrecta cuspide in terra fixas tenebãt, uelut uallo quodam septa inhorrere acies. Si apud Principes parum prosperè dimicatum esset, à prima acie ad Triarios retrò abibant. inde prouerbium uulgo pererebuit, quũ in re aliqua laboraretur, Res ad Triarios rediit. Triarij consurgentes, Hastatis & Principibus inter ordinum interualla receptis, denso agmine hosti occurrebant: terrori erat noua repentè acies oculis oblata, ac cæteris multò horridior. Habuit Vexillum centum octoginta treis milites, Ordo uerò sexcentos, utpote, qui tria haberet uexilla. Legio à principio quaterna millia, mox quina, postremò ex senis millib. & ampliùs facta est. Sabellicus libro 4. Enneadis 1. ex Liuij Decadis 1. libro 8.

DVX, IMPERATOR. DVCVM Militarium

ORDINES, GENERA.

Apud GRÆCOS nisi præconibus adhibitis, legatos minimè hostium fines ingredi decebat, neq; legationis munere fungi quenquam, ni prius infusa aqua ab eiusdem manus abluissent, louiq; coronatis poculis propinassent. Alex. l. 5. ca. 3.

Consules delignatos, cùm primùm prouincias sortiti essent, LEGATOS sibi nominare, uelut comites expeditionis, & aduitores negotiorum, quorum ope consilioq; niterentur, quiq; ipsorum uices gererent, quoties abesse contingeret, uulgò notatum est: qui, sicut duo erant consules ipsi, duo pariter fuere. Vnusquisq; ergo consul suum legatum habebat (sæpe etiam plures, pro negotiorum magnitudine) quo præcipuo consultore ac ministro consiliorum, in rebus gerendis delectuq; habendo, toraq; administranda prouincia uebatur: quorum consilio & auctoritate, uel prælia suscipiebant, uel bello abstinebant: qui etiam decreta consulũ & arcana consilia sæpissimè exequebantur cum fide & cura. Consulibus functis consulatu, & finito magistratu, legatos, uelut legationis munere functos, honore abire oportebat. Legati autẽ plerunq; ex plebe aut patribus, nonnunquam prætorij aut consulares fuere. Etiam prætores urbis, quiq; antea consulatum gessissent, & magnos bello uitos functos honoribus & triumphis, homines fidos acceptosque, legationis munere fungi comperimus: illorumq; procuratione & cura, prouincias ab hostili incursu defensas, & sæpe in officio retentas fuisse: quorum etiam auctoritas tam in administranda prouincia, quàm ducendo exercitu acieq; instruenda, & quando essent admoturi copias, tanti fuit, ut absentibus uel impeditis consulibus, summam imperij tenerent. Consiliorum & fortium factorum, ac meritæ uirtutis & ignauiæ curiosq;, qua cura, qua fide & diligentia, quaq; disciplina militari duces exercitu & castris præfuissent, si quid fictum uanumq; aut parum integra ueritate afferrent, locupletissimi testes erant: soli deniq; gesta cõsulum diligenti æstimatione perpendere & penitiare debebant. Tum consulibus laborantibus, aut morbo implicitis, uel fato perfunctis, ipsi superesse, & munia obire poterant: nanq; ipsorum erat officium, fiduciariam reipub. operam dare, post consulem prætor emue: non tamen idem iuris & potestatis habere, ne imperatorias sibi partes uendicarent. siquidem legati munus est, omnia ad præscriptum imperiumq; consulis agere: imperatoris uerò, summæ rei consulere, & liberum tenere imperium, eo consultore & ministro. M. Claudius legatus contra literas L. Cornelij consulis, de pugna aduersus Boios ad senatum magnificè scriptas, priuatim de consulis negligentia plutibus per literas significauit, quæ illi mox exitio criminiq; fuerunt: nanq; illum criminando effecit, quò minus L. Cornelius de Boiis triumpharet: ipsiusq; denegati triumphi, testimonium legati, præcipua causa fuit. Quanquam Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, in crimen adductus, acta per se causa in senatu, crimine absolutus, de Gallo græcis magnifice triumpharit. Quinetiam si quid per legatos in prouincia absentibus consulibus, & dum eorum uicem geriit, fortiter ac dignum laude & triumpho gestũ foret, poterat sine consule solus legatus suo iure & merito triumphare. De Parthis & Pacoro Ventidius M. Antonij legatus, sine Antonio, licet nouo exemplo, triumphauit. Caius etiam Marius legatus Metelli consulis, ipsum criminando, effecit, ut posthabito Metello, de Iugurtha triumpharit: ante cuius currum, cum duobus filiis ductus est in triumpho. Quinetiam patrem filio legatum fuisse, & fratrem fratri, sæpissimè compertũ est. Q. Fabium Maximum, Q. filio consuli legatum aduersus Samnites ad Suessulam obuiam prodiisse, & cùm experiri uellet, an sciret consulem agere, iussum ab eo, obsequium præstitisse, & equo descendisse, auctores memorant. Publiũ quoq; Scipionẽ, cui Aphricano fuit cognomẽ, Scipioni fratri aduersus Antiochum consuli destinato, legatũ uenisse: tantumque auctoritate effecisse, ut uicto Antiocho, & pace Eumeni concessa, frater, cuius legatus uenerat, de Antiocho & omni Asia triumpharit: ob Asiamque à se uictam, Asiatici cognomen reportarit. Illud quoque notatum est, quoties consuli prorogatum fuisset imperium, etiam legati munus ad id tempus diffundi sæpè & prorogari. Animaduersumque & illud, à primis originibus legatum proconsulis sine equo ingredi consuesse: postea uerò à Seuero institutum, ut in uehiculis sederent: & siue morte obita, siue casu legatus in prouincia esse desisset, legationis munus solum consulem sine senatu dedisse: ipsumque consulem aut senatum unum pluresue legatos imperatori impedito, qui uicem suam gererent, & rebus gerendis sufficerent, sæpius creauisse, comitesque expeditionis dedisse. C. Cæsari imperatori, cuius in re militari præcipua uirtus fuit, dum contra esseras gentes bellum parat, decem legatos consilij socios decreuit senatus, quibus adiutoribus & ministris magnas res gessisse fertur. Pompeius quoque bello piratico, contra tot prædones & communes hostes, omni genere rapinatũ grassantes, quum solus superesse nequiret, quinq; & uiginti legatos accepit: tametsi aliquando solus ipse legati munus obiret. Q. etiam Fulnio consuli, gratui uulnere affecto, quum exercitui & castris præesse nequiret aduersus Hannibalem, ex patrum decreto tres legati additi fuere. Quinetiã in expeditionem iturum consulem, plures & ultra lex legatos comites duxisse compertum est, quibus lictores cum fascibus pro muneris dignitate publicè dabantur, qui illis uelut publico magistratui præcedebant. Subsequutis postea temporibus, in tantum legatorũ munus processit, & ad id fastigij deuenit, ut quoties laborãtibus prouinciis subsidia mittenda forent, aut si quid publici priuatiq; negotij manaret, ubi plurimũ laboris & periculi impenderet, ea frequens senatus per legatos diceneret, illisque prouinciæ administrandę munus curamq; delegaret, quę libera dicta legatio est: nã soli sine cõsule aut prætore, legati munere fungebãt. Ea ipsa quoq; legatio à senatu uel populo sæpissimè dabat' his, qui honestam profiscendi causam, aut prætextum fugæ per speciem honoris quærerent, quò honoratius excipe rentur. Alex. lib 6. cap. 3.

Singulis quatuor legionibus, tribuni militum seni, ac deni præfecti, centuriones, decuriones & legati præesse consuerant. Est quoq; illud animaduertere, legeq; militari sancitum, ut miles subsit centurioni, centurio tribuno, tribunus præfecto castrorum, præfectus legato, legatus consulis pareat imperio. Consul autem & magister equitum, sicut reliqui magistratus, dictatoris iussu & potestati subest. Claudius uerò Cæsar militiam ita ordinauit, ut post cohortem alam, post alam, tribunatũ legionis daret: quam militarem institutionem à Lacedæmonius fluxisse credidẽrim, à quibus reliqua Græcia armorum duces, uelut rei militaris expertissimos, petebat: quibus in more fuit, per gradus, maiores duces minoribus præesse, & ne turbatis imperiis cõfunderentur, munia distincta mandare multis. Nam cùm rex apud eos, summum gerat imperium, post regem fuere duces: proxima dignitate tribuni, post tribunos, centuriones: deinceps decani. Ita ut cùm gerendarum rerum cura & procuratio multis incumberet, in exercitu uix quispiã mediocri prudentia uir, sine honore aut imperio foret. Alex. lib. j. c. 5. Gen. dictum.

NVMERVS.

Apud Rom. TRIBVNI militares potestate cõsulari documẽto fuere, ut Liuius tradit, quàm plurium imperiũ bello inutile esset. Consimiliter L. PAVLVS ac TERENTIVS Varro aduersus Annibalem: CHRISTIANI principes aduersus Turcarum regem: GRÆCORVM duces aduersus Philippum, magno suo damno experti sunt, nihil à pluribus rectè imperari posse. Itaq; Græci & Romani, cùm graue bellũ aut seditio ciuibus Reip. perturbaret, ad unius Dictatoris, aut Archi, aut Harmostæ imperium, uelut ad sactam anchoram confugiebant: ut sæpe Florentini, Genuenses ac Veneti extremis Reip. temporibus summum imperium belli ac pacis sui imperatori permiserũt. Io. Bodinus Methodi hist. cap. 6.

MILITES. HORVM

GENERA.

Vniuerim.

Apud Aegyptios milites dicuntur HERMOTYBIES, & Calasiries:

lasiries: quorum illi ad 160. millia numerantur: hi uerò ad 250. millia uirorum. Inhabitant autem certas plagas regionis, neq; ulli alteri artificio, præterquam militari, operam dant, filio discente à patre. Herodotus lib. 2.

In militia delecti ex Persis numero decem millia, dicebantur Ἀθάνατοι, IMMORTALES. Quoniam si quis eorum aut nece aut morbo numerum minuisset, confestim substituebatur alius, nec unquam plures erant pauciorésue decem millibus. Erant item, præcipuo inter omnes cultu decori, & iidem omnium præstantissimi. Illi aureos torques, illi uestem auro distinctam habebant, maniciatasque tunicas gemmis etiam adornatas. Memoriæ produnt ex Græcis nonnulli, τοὺς ἀθανάτους, hoc est, immortales istos Theodosio imperante redactos in nihilum ab Ardaburio. Ex hisce uerò immortalibus uiris, mille seligebantur optimus quisq;, Melophoros uocabant: quòd hastis præfixa gestarent mala aurea: doryphorij erant hi, hoc est, satellitio fungebantur. Cælius lib. 25. cap. 1. ex Herodoti lib. 7.

PRINCIPES dicunt Romani robustos, & integræ ætatis: iuniores & tenuiores, grosphomachos seu Velites, qui gladium & pilum gerũt: seniores, Triarios & hastatos, qui priores sunt pfincipibus. Suidas.

AETHIOPVM princeps (quem Presbyterum Ioannem uulgò dicunt) decies centum millia hominum ad bellum instruit. Sunt in tota gente familiæ stipẽdiariæ, in quibus orti signo crucis uelut cauterio insigniuntur, cute leniter incisa.

Tartari Comanos, teste Haitono, subegerunt. Fuit autem Comana Cathaoniæ urbs. Est Cathaonia Cappadociæ prope modum inserta, suitq; olim gentis eius caput, atq; afflatorum numine, sacrorumq; multitudine seruorum uaide insignis. Strabo Gnosius ad Cappadociam pertinere Cathaoniam significare uidetur: planities ingens, Amano & aliis montibus undique septa. Id satis constat, supra sex millia seruorum Comanæ fuisse olim, quæ circa deæ templum agitabant. Comani bello capti, quum uulgò à Tartaris uenderentur ac uilissimè, ut fama ferebatur: per negotiatores, qui eò nauigare iussi sunt, ingentem uim seruorum Melech sala Sultanus in AEGYPTVM accersiuit. Quos diligenti cultu & ad bellica & urbana munera instructos, ita complexus est, ut omnium aliarum gentium opera repudiata, per hos regnum domi forisq; administraret. Comani igitur serui, rege interfecto (quæ cædes incidit in id tempus, quo Ludouicus Francorum rex bello captus in Aegypto custodiebatur) unum ex conseruis, Turquemenium nomine, sibi Sultanum & regem crearunt. Is motus, facultatẽ Ludouico præbuit se & suos commodiùs redimendi, & Aegyptus terra olim nobilis, per hunc modum, seruorum serua facta est. Cairum regiam urbem pars multo maxima colit militum, ut præsto sint regi quum opus sit: quinq; millia circiter sunt, nec ampliùs, in quibus situm est omne militiæ robur. Hi Mamaluchi dicuntur, quasi regi subditi. Prædia à rege accipiũt. Horum quisq; multos numero habet seruos, quos ad bellum disciplina & armis instruunt. Sic fit, ut serui apud seruos seruitutem seruiant. Annuum militis stipendium aurei numi centeni uiceni, & donatiuum à rege, si ad externum bellum eatur. Sab. lib. 5. En. 9.

Sunt diuersa apud TVRCOS militum genera, Thimarci, Ianizari, Alsapij, & Accangi. Quorum hæc est ferè diuersitas. Thimarci sunt milites equites omnes, quibus ager ab Imperatore attributus est, unde ipse cum quatuor militibus loricatis uiuere possit. Quandoquidem Thimar apud eos intelligitur ager unus, de quo quandoq; milites uiuunt ex decimis, per subditos prouinciarum, de domibus & omnibus terræ nascentibus frugibus datis, quamuis agri æquales nõ sunt. Est enim aliq;, qui in uiginti, alter in triginta aut quadraginta Thimar diuidi possit, ab uno tamen possessus. Sed pro magnitudine agrorum, agri ac prouentuum, talis possessor equites siue milites tenet. Sic computatis agris militaribus minoribus & minoribus qui habẽtur in Romania, numero sunt quatuor millia & quingenti. In Natolia uerò cùm sint quinq; millia & quingenti Thimar, fiunt uiginti septem millia & quingenti milites. Ex quibus omnibus Thimar, in Natolia scilicet & Romania, resultant quinquaginta millia equitum, qui omnes obediunt suis præsidibus, & semper stant parati ad bellum. Nec aliud alimentum habẽt quàm ex agris illis. Tam præclarè barbari homines imperio consulere norunt. Alterum militum genus est, qui Ianizari dicuntur. Omnes enim pedites sunt, & ex stipendio Imperatoris uiuunt, & Imperatori semper astant. Maior pars horum est ex Romania, & ab origine Christiani. Quia semel in triennio (uel, ut alij asserunt) semel in quinquennio fit delectus per totam Romaniam, ut colligantur filij subditorum quasi decimæ. Hi in Natoliam missi, lingua & Turcorum imbuuntur: cùm pubertatis annos attigerint, armis exercitantur. Magis strenui ac exercitij, pro custodia Imperatoris deputantur, peditesq; fiunt. In qua quidem custodia penè semper sunt numero nouem aut decẽ millia. Quorum capitaneus Agga dicitur, magnæ auctoritatis. Interpi uerò militiæ deliguntur ad custodiendas arces ac munitiones: quorum sunt circiter triginta millia, qui obediunt suis Dazdari, hoc est, castellanis, uiuentes ex stipendio. Sunt autem Ianizari siue Prætoriani munimen ac robur Imperatoris, eiq; obsequentissimi, tuenturq; ipsum contra omnes tumultus ac seditiones. Assapij uerò sunt milites gregarij, minus exercitati ac precio conducti. Quorum alij sunt pedites, aliqui equites: hi etiam classem maritimam intrant, habentes pro stipendio uiritim aspera quinq; per diem, quorum quinquaginta ducatum aureum faciunt. Et possunt esse tam Christiani quàm Turci ac aliæ nationes. Accangij uoluntarij milites militant ad fortunam, sine agris & sine stipendiis, quintam partem prædæ Imperatori dantes. Reguntur imperio peculiaris præfecti, ex antiquiss. Turcarũ familia eucti. Hi supra L millia censentur: & si qui strenui apparuerint, Thimarci uel alterius dignitatis nomen sortiuntur. Cuspinianus ex Felice Petantio, & Iouius lib. 28. Hist. De iis aliter Sabellicus: Non unum, inquit, apud TVRCOS genus est equitum in usu. Sunt Thimarcini, qui stipendiarij interpretantur ad octoginta millia: hi uicos, uillas, castella, ut quisq; meritus est, regis indulgentia possident stipendij loco, præstoq; sunt Sansacho, duci uidelicet eius prouinciæ, cui attributi sunt. In duos diuisi sunt exercitus, Asiaticum & Europeum, ductu inde maiorum ducum militaturi: quorũ hic Asiæ, ille Europæ præsidet, hos Bassas gentili lingua appellant. Sunt & Aconiziæ fatales dicti, hi sine stipendio militant, semperq; agmen præcedunt prædabundi, quintam prædæ partem regi debent, manubiarum nomine, sunt hi circiter quadraginta millia. Abiit tertium genus in Charippos, Spahiglanos & Soluphtaros. Præstantissimi horũ Charippi equestri dignitate illustres, & circa regem frequentes, octingenti numero ex Scythis Persisq;, nec alio generehominum lecti, in conspectu regis insigniter, quum opus est, dimicant. Spahiglani & Soluphtari sunt, qui ab initio à turpem usum pueri adhuc apud regem fuere, mox adultis gis indulgentia uxorem ducunt, auctiq, dote coniugis & stipendio, plurimum oratorum utuntur officio, regis latus dextra lævaq; stipant inter eundum, ad præfecturas & cæteras dignitates ex hoc ferè ordine leguntur, mille sunt & trecenti numero. Triplex in peditibus ordo, Ianizari: hi impuberes adhuc ex toto imperio leguntur à cõquisitoribus, aliquandiu militari disciplina instruuntur sub magistro in publicis gymnasiis, mox militiæ ascripti amiciuntur breuiore ueste, & pileo albo, ac fusum uersus porrecto, arma, scutum, ensis & arcus: hi castra muniunt, urbes oppugnãt, suntque ad uiginti millia & amplius. Secundi sunt ordinis Assappi leuis armaturæ pedites, ense, scuto, & longiore hasta instruuntur, rubro pileo à Ianizaris discreti, hostium equos in prælio confodiunt, horum numerus ad belli magnitudinem accommodatur, minimum quadraginta millia cum rege proficiscuntur: his stipendium cum bello finitur, ex hoc instituto regius habet exercitus ad ducenta armatorum millia. Cæterùm peditum turba sine stipendio uoluntariorum est, aut cuocatorum, suntq; his calones miti, liuæ, fabri lignarij, & qui pugnantibus necessaria ministrant, sternunt uias per loca ardua & abrupta, pontes fluminibus aut stagnis imponunt, aggeres in hostes erigunt, cæteraq; ad expugnationes urbium utilia expediunt. Comitantur castra numularij, trapezitæ, institores, atque aliorum id genus hominum ingens colluuio, ne quid desit. Sabellicus lib 9. En. 10.

Auctor est Guil. Tyriorum Pontifex, Turcarum satrapas, ac nobilissimos quosq;, qui lingua Arabica Emiri uocentur, seruos siue bello captos, siue emtitios, sine uernas assuefacere disciplinæ militari: cosq; MAMALVCHOS uocare, ac ut cuiusque profectus animi indolisue fuerit, ita eos honoribus, stipendiisq; ac fortunis augere. Horum Volonum delectissimis custodiam corporis sui credebat Saladinus Aegyptius Sultanus, hoc erat eius in prælio corporis præsidium. Nec hi nisi reliqua omni acie fusa cedebant, nec Saladinus nisi nudatus fortissimo fidelissimoque præsidio finem pugnandi faciebat. Aemilius lib 3.

SOPHIS Persarum regis exercitus, non ex militibus ordinario stipendio conductis constat: sed ferè omnes ad principis imperium conuenire, ac propriam tueri patriam bene armati iubentur. Id sanè uerum est, centum Persas ob equorum atq; armorum apparatum cum quadringentis Turcis posse congredi. Verùm ipsi Persarum reges commoditate suscipiendarum in remotas prouincias expeditionum omnino carent: quoniam neque consuetudinem, neque facultatem stipendiorum, tam pacis quàm belli tempore soluendorum habent, sicuti Othomannios principes habere certum est. Persæ enim stabiles atq; idoneos ad bellandum pecuniarum prouentus non possident, quum populi ab antiquis

quis temporibus liberi ab omnibus ferè uectigalibus sint. Vnde etiam est, ut nullos peditum ordines perpetuò alant, neq; multum machinarum ærearum secum ducant: quibus tamen duabus præcipuè rebus quoduis bellicum quamuis difficile negotium superatur. Iouius in uita Selymi.

Apud MALABARES Indos nobiles uxores non ducunt, ne quid illis sit impedimento, quò minus perpetuò in armis exercẽtur. Concubinis nobilibus promiscuè utũtur, Regũ stipendio nutriuntur, & pro eorum statu intrepidè sese in quoduis uitæ discrimen cõiiciunt. Vmbilico tenus nudi ambulant: indè usq; ad tibias demissis uestibus integuntur. Armis in bello uti non possunt, antequam Reges, apud quos sacramentum dicunt, eos militaribus ornamentis afficiãt. A pueris arma tractare condiscunt: magistros, à quibus militarem disciplinam accepẽre, summa obseruantia colunt atq; uenerantur. Sunt in armis strenui, plurimumq; celeritate ualent. Osorius de rebus Em.

Singillatim. Puta

Equites.

Equites ii dicuntur, qui equo instructi contra inimicos pugnare possunt. Habent hi suum in Repub. locum, & catenus ad ciuilem, uel de Reipublicæ diuisione agitur, pertinent. Habẽt quoque auctoritatem suam, cuius merito ad locũ Gloriæ reduci possunt, quatenus honoris ergo dignitas equestris in aliquem conferitur. Habent quinetiam non raro mutuæ societatis rationem, certis conceptæ legibus & cõditionibus, uel profano uel religioso initæ consilio. & sic inter Collegia militaria referuntur.

Παρθόφοροι, RESTIFERI, genus Parthorum, pugnantium ex equis, qui comminus aggressi hostes, laqueis iniectis, & equis ui retractis, illos impetu equorum uel uiuẽtes uel mortuos abstrahunt. Suidas.

Similitudinem quandam cum Persarum Immortalibus habuit apud Gallos EQVITVM ordo, quem uocabulo gentis proprio Trimarcesiam illi uocabant: nam equum dicunt marcam. Cælius lib. 25. cap. 1. A. L.

CIMBRORVM Equites galeas gerebant, quæ repræsentarent sæuarum belluarum rictus & inusitatas figuras: quas alatis fastigiantes cristis apparebant eminentiores. Loricis ferreis erant exculti, ac candidis micabant scutis, pro telo habebant singuli telum bipenne. Pede collato ingentibus urebantur & grauibus gladiis. Plut. in Mario.

Claudius Cæsar EQVESTREIS militias ita ordinauit, ut post cohortem, alam: post alam, tribunatum legionis daret: ephẽdia instituit, & imaginariæ militiæ genus, quod uocatur Super numerum, quo absentes & titulo tenus fungerentur. Suetonius.

TVRCORVM Equites utuntur non nisi castratis equis, ut strepitus fugiantur omnes. Nulla ephippiorum cura, ornatum omnem contemnunt. Arma in sarcinis camelorum & mulorum deferuntur. Nullus discurrit, aut cum equo saltat. Cuspinianus.

Ingressuri SEPTENTRIONALES equestre certamen graui bus lanceis, earum cuspides non serico aut aureis filis exornant, sed caudis uulpium aut luporum, in contemtum quo numcunque inimicorum. Neq; uexillatis hastis, more Persarum aut Græcorum utuntur. Olaus lib. 8. cap. 23. Horum imitatione etiam GERMANI equites Maximilianũ I. Imp. in Italiam contra Florentinos, pro Pisanis euntem, comitãtes lanceis uulpinas caudas annexuere. Iouius lib. 4. Hist.

COLLEGIA.

De Equestri dignitate Franciscus Sansouinus Italicè scrẽpsit. E quo nos ea quæ sequuntur pleraque deduximus. De Equitibus sacris Christianorum præcedẽtis Vol. Religiosi libro tertio egimus.

Equites ab Equo, organo animato fortitudinis exercendæ & declarandæ. Origo horum incerta. Extant quidem apud antiquos uestigia quædam, sed obscura illa, si ad morem nostri seculi accommodentur. In quo tria equitum genera animaduertere licet. Sunt enim alij Sacri, alij Profani. Sacri quidem, religionis ergò contra Christianæ pietatis hostes pugnant, & propter certam uitæ religiosæ formulam, Equites Ordinarij ab ordine possunt appellari, à cruce uerò quã torqui appensam gestant, Equites Crucigeri. Profani uerò duum itidem sunt generum, ut splendore personarum, sic appellatione à dignitatis insigni desumta differentes. Alij Torquati, à torque aureo, cui insignia ordinis equestris, & eius qui ea contulit principis appensa sunt. Cuiusmodi nostro æuo quatuor sunt ordines, S. Georgij apud Anglos, quos Equites Periscelios, à Periscelide, uulgari Anglorum lingua Gartera dicta, uocant. Alter Annunciationis apud Sabaudos. Tertius Velleris aurei apud Burgundos, & hæreditaria successione apud Austriacos. Quartus apud Gallos S. Michaelis. Alterum genus profanum est Equitum Calceariorum, à calcaribus aureis, quibus insigniuntur, quamuis torquis sine appendice & gladij deaurati gestandi ius habeant. In quo genere inferioris tantùm conditionis homines censentur (uti in priore illo principes tantùm uiri, & principibus æstimatione proximi) nullo adstricti uinculo societatis, nec militiæ addicti ornamento externo tãquam uirtutis testimonio superbientes.

Equites MENSÆ rotundæ ab Arturo Britannorum rege instituti uulgò perhibentur. Ad eam nemo nisi nobilitate generis & uirtute bellica excellentissimus admittebatur. Et quia uirtute pares erant, ne loci disparitas inæqualitatem uideretur inuehere, circularem mensam adhibuit, in qua nulla loci præeminentia esset, quam etiamnum hodie in Anglia apud Vincestrios extare dicunt.

Eduardus III. Anglorum rex bellicosissimus, anno Sal. 1348. ordinis PERISCELII auctor. Pallio cæruleo utuntur, & eius sinistrum periscelide, qua soccos ligant mulieres, cingunt, cum hoc symbolo, Hony soit qui maly pense. Turpia cogitãs uituperabilis esto. Diuo Georgio sacer ordo, cuius festum Vindeforiæ quotannis celebrant, ubi collegium sacerdotum rex instituit. Insigne habent scutum album, crucem rubeam, cum torque periscelidibus intortis, rosa alba & rubra insignitis, connexo, cui effigies D. Georgij appensa est. Chlamys candida, antè & retrò cruce insignita. Princeps ordinis est rex Anglus, XXV collegas habens. Adsciscuntur tantùm, qui præter uirtutem insitã, iam inde à proauis nobilitatem generis comprobare possint. Habent certas leges, quibus illud cumprimis est constitutum, ut mutuò se iuuent, defendantq;, ac bellando nunquam se in turpem conferant fugam. Habent insuper apparitores ministros, quos Haraldos dicunt, quorum præfectus Armorum rex dicitatur. Ij belli & pacis nuncij, ducibus comitibusq; à rege factis insignia aptant, ac eorum funera curant. De causa autem instituendi ordinis, omnino ambigitur: fama tamen apud uulgus etiam nunc tenet, Edouardum aliquando è terra sustulisse reginæ seu amicæ soccũ ligamen; quod in choreæ fortuitò solutum, deciderat, & nonnullis heroibus id uidentibus, ac iocosè cauillantibus, dixisse, breui tẽpore futurum, ut eiusmodi cingulo etiam ab illis summus haberetur honor, neq; multo post istiusmodi ordinem instituisse, ac cum addidisse titulũ, quo testaretur ipsos heroes contrà quàm erat, de se iudicium fecisse. Polyd. lib. 19.

Ioannes Gallorum rex, æmulatione quadam, Equitum STELLARIORVM ordinem instituit, cuius insigne erat stella in galero, deuotum tribus Magis, cum symbolo, Monstrant regibus astra uiam. Cæterùm propter Ioannis regis infelicitatem, ordo quoq; paruo durauit tempore.

Circa idem ferè tempus anno Sal. 1409. Amedeus Viridis, comes Sabaudiæ, ordinem ANNVNCIATIONIS D. Virgini consecrauit, in memoriam Amedei I. Comitis Sabaudiæ, qui Rhodo contra Turcos feliciter conseruata, anno Sal. 1104. insignia familiæ crucem albam in campo rubro meruerat. Torquem gestant aureis tessellis contextum, quibus crucis forma quatuor sunt incisæ literæ, F. E. R. T. Fortitudo eius Rhodum tenuit. Appendet torqui imago D. Virginis, quam angelus Gabriel salutat. Princeps ordinis Sabaudiæ Comes siue Dux, collegas habet quatuor decim.

Alfonsus Hispaniæ rex, Ferdinandi F. Burgis ordinem Equitũ instituit, quem à Banda (hoc est, Mantica rubra, trium latitudine digitorum, quæ dextræ alæ annexa, sinistro inficiebatur humero) BANDATORVM uocant. Id collegium ad ornandos aulicos suos à rege institutum fuit: eaq; propter ij tantùm adlegebantur, qui uirtute & natalibus illustres, re familiari tenuiore essent, & annos ad minus X in aula operam suam regi comprobassent, uel certè contra Mauros uirtutem suam testatam fecissent. Nullo certo numero collegæ comprehendebantur: nec, nisi contra Mauros pugnandum esset, manticam in castris gestare poterant.

Philippus Burgũdiæ dux equites VELLERIS aurei instituit, circa annũ Sal. 1429. Torquem gestant igniario ferro & silice, flammis promicantibus, uinculo aureo contextum, appenso uellere aureo, siue Iasonis illud, siue Gedeonis symbolum sit, cum pileo ducali, & hoc dicto, Preeium non uile laborum. cum hoc epiphonemate:

Pour mantenir l'Eglise, qui est de Dieu maison,
I' ay mis su le noble ordre, qu'on nomme la Toison.

Princeps fuit Ioannes Dux Burgundus, pòst Philippus eius F. Carolus nepos, & ex Austriacis, hæreditaria successione pronepos eius Carolus V. Imp. qui dicere solebat, Duces & Marchiones creandi potestatem sibi esse, Equites uelleris aurati nominandi tantùm, creandi uerò penes collegas, qui soli de uirtute cuiusque iudicare possent. Sociorum numerus ad XXXI. nobilitate & uirtute illustrium, nulli alteri ordini addictorum. A Carolo Imp. auctus fuit numerus ad XX usque. Dies festus D. Andreæ solennis ordini. Cuspinianus libro I. Com. Genealogiæ Austriacæ, Ioannem Philippi

Audacis F. circa annum Sal. 1415. uictis ad Nicopolim Christianis, captum ab Amurathe Turcorum Imp. & in eam Pōti Euxini oram abductum, cui & uulgata Phryxei uelleris fabula celebre nomen fecit, & D. Andreas prima Euangelij semina tradidit, Astolgandi cuiusdam Turci astrologi uaticinio motum, qui ex Ioannis stirpe euersorem Turcici imperij proditurum constanter affirmabat, ignem in pectore gestantem: sacri ordinis formulam animo concepisse, scribit, quam pōst domum reuersus magnificè instituit, ac torquem aureum ex pectore fulgentem, D. Andreæ cruce & ferro excussorio cum silice contextum, aureo uellere appēso, insigne ordinis esse iussit. Carolus eius nepos duos adiunxit stipites, cum hoc symbolo, Antè ferit quàm flamma micet. Hinc iocus Renati Lotharingi, cæso ad Nanceium Carolo gelidissima bruma, cùm uexillum hoc insignitum symbolo uidisset: Nimirum hodierno die, inquit, cum maximè igne habuit, non habuit tempus.

Ludouicus XI. Gallorum rex ordinis D. MICHAELIS auctor fuit anno 1469. quòd Carolo VII. patri, dum Aurelios ductu Ioannæ Pulicellæ recipit, in ipso ponte Archangelus apparuisse diceretur. Sunt qui auctoritatis causa è Danielis capite 10. qui ferè mos est aulicis theologastris, dictum detorqueant, Ecce Michael unus è principibus auxiliaturus aduenit. Nullus auxiliator alius, quàm Michael princeps noster. Torques conchyllis undiquaque aureis ornatus, imago Archangeli appenditur, cum hoc dicto, Immensi tremor Oceani.

Cosmus Medices Florentiæ dux in honorem D. Stephani Pp. protectoris Florentinæ urbis anno Sal. 1561. ordinem equitum Crucigerorum D. STEPHANI instituit, Benedictinæ sectæ à Pio IIII. Pp. confirmatum. Crucem habent Melitensium æmulam, rubram, auro circumscriptam. Vxoratis esse licet equitibus, sed non digamis. Pisis habitant, Elbam insulam, quæ Latinis Ilua, Græcis Aethalia dicitur; cum Cosmopoli à Cosmo ædificata, custodiunt. Princeps ordinis dux est Florentinus.

Nauigant Hierosolymā PRINCIPES nostri tēporis & milites, ut cingulum ibi desumant militare: arbitrati, fortis esse uiri, hoc muneris petere tanto periculo, per magna maris discrimina, per barbariem hostium Christiani nominis: & obtinuit consuetudo, ut non minùs habeantur aurati equites (quos uulgò solos appellant milites) quàm si in acie victores constiterint. Ita Gerardus Mindensis episcopus & Adolphus Comes de Scouuenburg fratres peregrinationem susceperè longinquam: sed longiorem repererunt & feliciorem, inter nauigandum mortui. Cranz. lib. 10. Metrop. c. 5.

BELLICA POLITIA CONSIDERATA RESPECTV EFFICIENTIS INSTRVMENTALIS. Huc pertinent

CASTRA. HORVM

METATIO. Videlicet

Locus.

Pro loci qualitate castra metanda, proq; angustia & laxitudine, aut militari multitudine, neque eadem figura & habitu, neque eisdem in locis semper. Siquidem modò quadrata, modò trigona, plerunque rotunda, ex disciplina LYCVRGI, qui ita castrametari docuit: nonnunquam lunata & hemicycla castra habere: interdum planis & patentibus campis, nunc arduis & accliuis in locis, plerunq; dimissa ualle, nunc in colle edito & summo iugo castra communire: non nunquam terræ situ difficili, & impedito saxis præruptissimis loco munito, ut si quamaiorui is ingruat, milites in tuto sint: & sicut loci natura tempusque patitur, castra & munitiones extendere: ut opportuna aquatio, ne siti & lassitudine conficiantur: ut lignorum, ut pabuli copia sit: ne commeatu, neue re frumentaria prohibeantur, haud paruum munimentum esse putauēre. Præcipuè cauendum, ne collis aut iugum imminear, unde prospectus castrorum & subita incursio fiat, neue sylua densa, aut latens fossa, uel sinus occulti iaceant, unde latebræ hostium & insidiæ parari, aut tacito speculatu pericula oriri possint. Alex. lib. 1. cap. 12.

PHILIPPVS in regione spaciosa castrametaturus, quum ait dissertuiam ibi lumentis pabuli inopiam, O' Hercules, inquit, cuiusnam modi uita est nostra, si ad asellorum occasionem uiuendum est nobis? Cæl. lib. 8. cap. 1. Lect. Antiq.

Per exploratores centurionesque, ROMANI duces prius explorato & præuiso, locum castris antè capere consueuerāt.

Dispositio.

In disponendis castris, tendentium ordines, & descripta suis quæq; partibus loca, ac iusta itinerum interualla distincta sint: tribuni militum in principiis iura dent, indeq; milites signum petant, ac in stationes & uigilias eant: in prætorio imperatoris, tabernaculum, quod augustale dicitur, tendant, ibiq; pro tribunali sedere, classicumq; apud eos cani, quotiesq; dimicandum foret, pugnæ signum ab his tribuni petere debeant. Alex. ibidem.

Portæ.

Portæ castrorum, ut pro amplitudine pauciores pōtius, quàm plures construantur, esse tum facilius, tum etiam utilius arbitrantur. Tametsi in Romanis castris multiplices aliquando portas nonnulli exemplis adnotarint: quod ideo seruātum est, ne quid eruptionem subitam in hostes demoraretur, utq; omnibus portis effusus equitatus, uno impetu in hostes diuersi irrumperēt. Sed tamen ubi amplissima erunt castra, & quanuis latè fusa, ibi quatuor ad summum portas constitui conuenire: minora uerò & angusta, duabus contenta esse debere, omnes fermè consentiunt. Quarum sicut nomina distincta, ita dissimilia fuere munia. Prima enim Prætoria, quæ & Quæstoria dicta est: siquidem in Romanis castris, & prætorium ducis, & quæstorium fuit, prout prætor aut quæstor castris & legionibus præerat: quæ uel orientem solem spectare, uel è conspectu hostium dirigi consueuit. Quod eò fit, ut si quando ad arma conclamatum foret, sine tumultu extra castra contrahi multitudo, & explicari ordines, signaq; educi possent. Etenim ubi acie decernendum erat, illinc cohortes educi, & copiæ admoueri solebant. Vbi etiam militum statio composita, instructaque ad subitos conatus esse debebat, cui etiam Principali nomen datum. Altera à tergo castrorum Decumana, eo quòd ampla & patens: ex qua desertores & facinorosi, in quos iure militari animaduertendum erat, educuntur, & pœnis coercentur. Tertia Principalis, ex qua principes & summi duces uelut ex postico, si quando usui foret, opem suis laborantibus ferre, ordines tendere, & milites educere consueuerāt. Via quoque quæ ad portum ferebat, Principalis dicta est. Quarta post prætorium, Quintana dicitur: quippe per eam commeatus in castra conuehi, & rerum utensilium copia uenalis exponi: inde etiam merces ad usum militaris multitudinis, quæq; bello usui forent, importari & exportari solita. Alex. lib. 1. cap. 12.

Munitio, Vallum.

Apud ROM. omnes qui pedibus militabant, palum suum, id est, ualli partem ferebant, quo semper castra munirentur. Persæpe enim eo munimento magnam hostium uim arcuerunt, quam immunitis castris non sustinuissent. Quanto enim hoc sapientius, quàm quod nostrorum temporum milites solent, qui dum laborem deuitant, sine munimento positis castris, ingentes sæpe clades accipiunt. Fulgosius libro 2. capite 1.

Scipio MILITEM conspicatus uallum ferentem: Premi, inquit, mihi onere uideris, ô commilito. Quo respondente, Valde equidem. Sanè, inquit: in ligno enim spem salutis repositam habes, non in gladio. Polyænus lib. 8.

Vallum castrorum ex cespite aggesta humo, aut mole & aggere contra fluminum impetus: nonnunquam ducta ingenti fossa, uel lapidum congestis molibus: plerunque arboribus obiectis, prout materia suppetebat, à tyronibus, præfecti castrorum iussu communiebantur. Quæ quidem fossa persæpe fuit duodecim pedum, & si daretur occasio, latitudine quàm amplissima, ne quis illam & munitiones transcenderet. Vallum uerò tantæ crassitudinis, quod nullo tēlo, nulloque tormento traiici possit. Quæ quidem munimenta si quando hostis propinquus foret, firmis stationibus dispositis, ut armati inermes & operi intentos tuerentur, fieri solebant. Idem.

Tabernacula, Tentoria.

Cyri tabernaculum apud Xenophontem hyeme pariter atque æstu orientem uersus, aut in castrorum medio, quòd locus munitissimus foret, statui consueuit. Ea enim regio summis ducibus dabatur. ALEXANDRI Magni tabernaculum statuæ circumcingebant: in quo traditur mirum, cùm ad Oxum amnem statueretur, fontem manantis olei scaturisse. PHILIPPVS pro uallo castrorum, nonnunquam in conspecto maximè tumulo, tabernaculum fixit: quæ quidem ex corio & pellibus, modò ex saccis aut ciliciis pilis contextis construebantur. NVMIDÆ ex calamo & stramento. NOMADES centonum instar tectoria intexebant: multi ex tabulis & cratibus. Idem.

Fuit more nouitio apud ROM. seruatum, ut in principiis castrorum, aut iuxta tabernaculum ducis, templum uel ædiculam simili exemplo milites construant, intra quam signa & aquilam uenerarentur & seruarēt: undè cùm opus esset, extra castra educi possent. Idem.

MVTA-

MVTATIO.

Apud ROM., quoties motis castris loca mutanda forent, militari more uasa priùs conclamari, & colligi solebant: utq; itineri sarcinas aptarent, admoneri milites, ne quid ignari imprudentesq; præpropera festinatione prætermittant.

HABITVS MILITARIS IN Genere.

SPLENDIDVS.

ALEXANDRVM Macedonem, insignem cùm regio habitu, tum Siculo amiculo & lineo thorace, duplicata ac ferrea casside, auro & gemmis exornata arma honestabant. Alexander libro 1. capite 20.

ANTIOCHVS rex exercitum omnem auro argentoq; ornauit, ita ut non tantùm aureas galeas & arma, uerumetiam aureos clauos crepidis subiectos milites habuisse constet. Hinc locus datus Annibalis ioco. Alex. lib. 2 cap. 29.

Sertorius pictas chlamydes militibus suis dono dedit. C. Iulius Cæsar fertur milites tam cultos habuisse, ut etiam auro & argento politis armis ornaret.

Fertur C. IVL. Cæsar, ut in conflictu bellorū cunctis innotescere, ad prima signa nouo colore amictus, & diuerso armorum habitu insignis prodiisse. LVCVLLVS cum thorace squamoso, & amictu purpureo præliabatur.

Aurelianus Imp. gregarijs militibus, ut aureis fibulis corpus ornarent, priuilegio dato concessit. Alexander ab Alexandro libro 2. capite 29.

VILIS, SORDIDVS.

GYLIPPVS Spartanorum dux, sordida ueste & semilacera, ac cultu neglecto. AGIS Lacedæmoniorum dux, à gregario milite nihil differebat: sicut AGESILAVS, qui cultu corporis uili exultabat, exercitu autem ornato.

HORRIBILIS.

AETHIOPES militaturi equinorum pelles capitum cum ipsis auribus & iubis deferentes, hostibus sese opponunt. Sæpe dimidiatum corpus minio, dimidiatum gypso illinunt, ut horribili aspectu hostibus terrorem maximum incutiāt. Sæpe albo utuntur amictu. Alex. lib. 1. cap. 20.

BRITANNI glasto infecti cum hostibus pugnabant. Est enim fullonia herba, quæ atro colore inficit, & hominem de colorem facit. GELONI hostium cutibus ornati, quò truculentiores uitu & aspectu formidabiliore essent. Idem.

VESTITVS MILITARIS.

Vestitum bellicum uarium diuersarum GENTIVM sub Xerxe contra Græcos proficiscente, pete ex Herod. lib. 7.

AETOLI uno tantummodò pede calceati in bellum ibant, sinistro secundùm Euripidem in Meleagro (quem sequitur Maro Aeneid. 7. ubi de Hernicis Anagninis à Pelasgis oriundis ita scribit: —Vestigia nuda sinistri Instituere pedis, crudus tegit altera pero) at dextro secundùm Arist. in 2. de Poetica, ubi Euripidem reprehendit, quoniam dextrum nudum esse oportet, ut in motu agilior sit, sinistrum tectum, in quo ueluti centro mouetur. Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 18.

Artaxerxes ducturus contra Cyrum, milites rubro sagulo ornauit, Cyrus albo. AGESILAVS ita copias instruxit armis, ut omnia ærea punicea uiderentur.

THRACES pullas induti tunicas, in acies prodeunt: contrà, MYBÆ & AETHIOPES candido amictu. Samnites discolori ueste præliantur, nonnunquam candida. BOII & Insubres auratis sagulis, GALLI uirgatis cū torque aureo.

MACEDONVM lex erat militaris, ut qui miles hostem non occidisset, nō militari cingulo, sed capistro cingeretur. Alex.

ROM. milites manipulares, qui sub disciplina militabāt, semper cincti caligatiq; erant: quæ quidem caligæ multiplicibus clauis munitæ erant. Discinctos enim, uelut ignauos & militiæ minimè aptos putarunt: præcinctos uerò fortes & strenuos. Alex.

Apud ROM. auxiliariis in prælium euntibus, præter saga togasq; & rectam tunicam, album aut rubrum paludamentū, quo socios ab hostibus internoscerent, publicè dabatur.

ROM. milites calceos acutis clauis confixos habebant. Quorum læuore Iulianus centurio in oppugnatione Hierosolymorum uitam amisit. Ioseph. lib. 7. cap. 3. belli Iud.

C. GRACCHVS legem tulit ad populum, de uestibus publicè militibus dandis, sine stipendiorum diminutione. Inde institutum, ut singulis militibus sagæ togæque in hybernis dentur. Alex. lib. 1. cap. 20.

CONSTANTINI Magni milites, ethnicismo pertinaciter adhærentes, crucis symbolum in armis ferre coacti sunt, ut paulatim & cruci & religioni assuescerent. Eusebius in uita Constantini.

ARMA.

IN GENERE. Nempe

Quæ, Quorum.

Armorum uarietatem ex Alex. lib. 6. cap. 22. pete, ex quibus ipsis quoq; militum ordines distinguuntur.

Armantur CELTIBERORVM quidam scutis leuibus, alij rotundis umbonibus, magnitudine clypei. Cruribus ocreas ex pilis factas aduoluunt. Galeas ferunt æreas, cristatas palmis. Gladios gestant ancipites, præstantissimo ferro inspicatos, adiectis palmi longitudine pugionibus, quibus in conferta utuntur pugna. Duobus gladiis fulti, cùm equestri certamine superiores euaserint, ex equis desiliunt, pede stremq; adiuuant pugnam. Diod. lib. 5. cap. 9.

Vtuntur FINNI Septentrionales pro corporum munitione, partim thoracibus è corio phocarum, calce macerato, partim corio alciū iubato: quod superfusa aqua (si hyeme bellandum sit) congelari permittunt, nec glacies pilis forinsecus adhærens sudore portantis laxatur. Galeis quidem eorum instar squamarum piscium ex ungulis alcium, siue rangiferorum aut boum ingeniosè connexis utuntur: quidam uerò certarum uolucrum exuuiis intrinsecus filis ferreis diligenter contextis: quidam coriaceis galeis ex tergore glutinoso calce decocta, super ligno ad formam capitis contracta, eaque aere sensim siccata, tutissimè muniunt caput. Verùm galeas huiusmodi, ne capite incalescente flaccescant, subtili cortice arboris populi intus piscium uisco (qui liquoribus resistit) confirmant. Olaus lib. 11. cap. 14.

Qualia.

E qua materia.

Fuisse olim HEROVM arma ex ære, Homerus testatur, cùm bipennem Pisandri, & Merionæ sagittas describit. Argumēto etiam est Achillis hasta Phaseliده in Mineruæ templo posita, & apud Nicomedenses in Aesculapij, Memnonis ensis totus ex ære, cùm hastę illius ima tantùm, & summa cuspis ærea sit. Pausanias in Laconicis.

Splendida.

XENOPHONTI Athenienſi Græcorum duci contra Artaxerxem tum alia honesta bonaq; curæ fuerunt, tum ut haberet arma pulcra & expolita. Aiebat enim, si uicisset, elegantissima quoque se stola ab hostibus indutum iri: & si uitam amittat in prælio, cum quodam decore iacere in armatura splendida. Nam hanc esse strenuo & forti uiro monumentum, quod reuera ipsum ornaret. Dicitur autem secutum habuisse Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, & equum Epidaurium. Aelianus libro 3. de Varia historia.

P. Scipio Africanus, cùm ornatum scutum MILITIS cuiusdam elegantius uiuentis, non se mirari dixit, quòd tanta cura ornasset, in quo pius præsidij quam in gladio haberet. Frontinus libro 4. cap. 1. Polyænus autem lib. 8. hoc apophthegmate usum scribit: Turpe est, læuæ manui fidere magis, quam dexteræ.

Sordida, Vilia.

ROMANI milites, qui rudibus & parum nitidis armis, uel stirgosiore equo, & macie affecto utebantur, ignominia notabantur. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 13.

IN SPECIE. VT SVNT

Hastæ.

Sarissas uocant MACEDONES prælongas hastas, unde Sarissophori nuncupantur. Acinaces Arrianus scribit, esse hastas Persicas. Idem tradit, equitibus hastas Macedonicas pro barbaris mesancylis datas. Gæsa sunt GALLORVM propria tela, sicut sarissæ Macedonum, Germanorum framæ. Cælius lib. 21. cap 18. A. L.

Cùm FLANDRI, ductu Guidonis Comitis, Philippo Pulcro Gallorum regi rebellassent, prope Curtracum, anno Salutis 1302. exercitum Galliorum nobilissimorum horrenda strage affecerunt, baculis nodosis (quando aliis armis carebant) amentatis, ferro crasso instar uenabuli munitis, equitatum excipientes: quos baculos per iocum Godendac, hoc est, bonum diem appellabant. Io. Villanus lib. 8. cap. 55.

Gladij.

ROMANI bello Punico primùm secundo Ibericis gladiis sunt usi, qui & punctim & cæsim utraque manu feriunt. Suidas in uoce μαχαιρα.

HISPANORVM fuit olim hostem punctim magis adoriri quàm cæsim, ideoq; gladiis breuibus utebantur.

Sagittæ.

GOTHI Septentrionales sagittas abietinas cuspidem unius & dimidiæ palmæ longitudine habentes non directè in hostem, sed in sublime emittunt, ut instar grandinis decidentes, uel

tes, uel hostium corpora, uel equos uulnerent, uel ab utroque aberrantes humo infixæ, solutoq; ligno, acutissimis cuspidibus pedes hostium lædant. Olaus lib.7.cap.14.

Fundæ.

BALEARES sunt funditores solertissimi. Suidas.

Galeæ.

Ex Alexandri ab Alex. lib.1.cap.20. Genialium dierum.

TEVCRI, MYSI & THRACES, superæneas galeas bouis aures & cornua apponunt.

LVSITANI & SACÆ Scythica gens bellicosissima, neruatis cristatisq; ornata galeis, pugnat aduersus hostes.

GALLI non modò scuta, sed suas quoq; galeas corallio ornabant: militaturi in longinquis regionibus, uirgatis uestibus cum torque aureo utuntur. GALATÆ partim cornua, partim quadrupedum habuère effigies in galeis.

CYMBRI & TEVTONES rictibus apertis animalium texêre galeas.

ARII Germaniæ populi habebant nigra scuta, tincta corpora. Nigras ad prælia noctes legebant, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferebant, nullo hostium sustinente nouum ac ueluti infernum aspectum. Tacitus.

THRACIBVS in more fuit, è pelle uulpina cassides ferre, sicut ALBANIS & IBERIS cum ferinis galeis pugnare. RHOXANI non modò galeis, sed thoracibus & scutis ex crudo boum corio utebantur.

CARES gallos gallinaceos pro conis habebant.

ABRADATÆ Persarum duci conus hyacinthinus erat. CYRVS cassidibus æneis & conis albis milites ornauit.

ALEXANDRI cassidem cristata iuba & pennæ candidissimę circumcingebant.

GRÆCORVM ueteres, pelles fluuiatilis canis pro capitis tegumẽto uice galeæ fuère, equinaq; iubas & caudas in galeis, teste Homero, aut pennas struthio cameli: nonnunquã leonis pellem. Alex. ab Alex. lib.1. cap.20.

PYRRHO & PHILIPPO hircina cornua: HAMMONIIS arietis caput: ACHÆIS pennæ uarijs distinctæ coloribus. Alij rubras cristas supra cassidem deferebant.

SAMNITES cum pinnis muralibus digladiantur: in prælio uerò cristatis galeis.

ROMANI milites in bellum profecturi, & præcipuè equites, galeas ursinis pellibus tectas, quò truculentiores usu essent, induebant.

Exornantur ROMANI φλεγυῶν, id est, crista plumea, pennis tribus aut pullis erectis tribus, cubiti magnitudine: quibus uertici impositis, unà cum alijs armis, uir duplo maior apparet: aspectus uerò pulcer est, & formidabilis hostibus. Suidas è Polybio.

CONIDVS centurio in bello contra Marsos miraculo fuit, quòd poculum supra cassidem, modò suscitans flammam, modò remittens, deferebat. Alex. ab Alex. lib.1. cap.20.

Scuta.

Sigmata scutorum inuenimus apud Xenophontem, rerum Græcarum quarto: ea uidentur fuisse insignia elementi Σ figura, quibus uterentur SICYONII: οἱ δὲ σιγγίοι ὀρθοῦντες πειειγμένα ἐπὶ τῶν ἀσπίδων, ὡς σικυωνίων, οὐδὲν ἐφοβοῦντο. & mox, πάνυ γὰρ τὰ σίγματα τοιαῦτα. Cælius libro 21. capite 14. Antiquarum Lectionum.

ROMVLVS à Sabinis est scuta mutuatus, suaq; ac Romanorum, qui ferre antè parmas Argolicas solebant, arma mutauit. Plut. in Romulo.

SIGNA MILITARIA.

Signa militaria, quæ exercitum ROM. præire consueuerant, quum acies educendæ, & manus cum hostibus conferendæ forent, à principio sœni manipulos fuisse accepimus, quos hastis alligatos signiferi deferre, & illis præeuntibus decernere solebant: unde & manipulares dicti. Testatur Plutarchus in Romulo, pastorum turmam in centurias distributam à Romulo contra Amulium ductam: singularum duces graminis & fruticum manipulum conto alligatum tulisse. Aucto mox imperio, propagatisque finibus, quinque signa ex ærario depromi, & militum acies ac legiones præire assuerant. Hæc fuerunt, aquilæ, lupi, minotauri, equi & apri simulacra, teste Plinio libro 10. cap.4. Quibus præeuntibus, legiones educere, & ferro decernere mos erat: inter quæ apri effigiem quintum tenuisse locum accepimus. Sed tamen cùm dimicandum foret, sola aquila, quæ ordines præiret, è castris educebatur, & sub eo uexillo pugnabatur: reliqua uerò in castris ante prætorium fixa locabantur. Hoc enim insigni Ionem aduersus Troianos usum ferunt: inde ad Cretenses, à Cretensibus ad Troianos, denùm in Latium ab Aeneæ translatum defluxisse: quo postea Romani uelut præcipuo uexillo in bellis usi sunt. Propius uerò est, quòd Ioue dimicante contra Saturnum, aquilæ augurio tanquã felici & fortunato, regni victor euasit: quo exemplo Romani aquilam uelut auspicatissimum signum habuere. Quam unam habuisse non satis fuit: ideò plures educere institutum erat, ita ut singulas legionis aquilæ anteirent. Obseruatumque, ut Romanæ legiones nisi ubi aquilarum iugum foret in castris, nunquam ferè hybernarent. C. deinde Marius, secundo suo consulatu, bello Cimbrico, reliquis depositis militaribus signis, solam aquilam tenuisse fertur: fortè quia sibi puero aquilæ nidus cum septenis pullis domi oblatus, septimum consulatum ex aruspicum responso portendisset. uti Sabellicus libro 3. Enneadis 6. coniicit. Aquilam porrò argenteam magis quàm auream habuit, quòd fulgentior ex argento atque conspectior foret. Festis diebus unguentis aquilam habebant delibutam: miræque obseruationis erat, ut Romana signa, quæ in castris ante prætorium figebantur, non antè euellerentur, quùm acie dimicandum foret, quàm captatis auspiciis legiones in prælium prodirent. Quæ si, quum feras educi deberent, facili ductu euellerentur, & leuia translatu forent, prosperrimi augurij & indubitatæ erat victoriæ signum. Contrà uerò, si in eximendo, magno impulsu opus foret, tunc cladem & excidium futurum hauddubiè præmonstrabant. Cumq; in conflictu bellorum manus cõserebant, ipsa militaria signa in media locabantur acie, ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies. Nonnunquam in prima fronte, multiplici subsidio firmata, præibant ordines. Alex. lib.4.cap.2.

LABARVM signum, quod ex auro in formam crucis transformabatur cum preciosis lapillis: quod signum bellicum inter alia preciosius erat, quòd Imperatorem præcederet, & à militibus adoraretur penè. de quo Cassiodorus libro 1. Tripartitæ historiæ, cap.5. latissimè disputat: quomodo Cõstãtinus Magnus illud instituerit in formam crucis. Etenim in Apologetico Tertullianus dixit, Sypara illa uexillorum & labarorum stolæ crucium sunt. Vnde & Imperator de dignitatibus agens libro 12. Codicis, rubricam ponit de præpositis Labarũ: quos & clarissimos & immunitate dignos, quòd in comitatu imperiali sint, iudicat. Cuspinianus.

Erat apud ROM. uexillum cærulei rutilique coloris: quo educto, inq; arce proposito, satis constabat, milites, si quid subitum ingrueret, in re præcipiti non iusto delectu, sed tumultuaria manu arma expedire, & iustitio indicto, nomina dare, etiam sine uacationis priuilegio, saga sumi, & inter se cõiurare, legiones conscribi, delectum festinanter haberi, arma apparari oportere. quæ quidem Tumultuaria manus, & Subitariæ legiones dicebantur: quum ad subitos hostium incursus, in præcipiti celeritate, non satis laxamentis iusto delectui ducibus dabatur. Iusti autem fuêre dies triginta, intra quos expeditioni milites apparari necesse erat. Alexan. libro 4. cap. 2.

INDORVM singuli milleni equites uexilla habent draconem in pertica extentum, argenteo capite, dentibus exertis, rictu minitabundo. Reliquum corpus serico contextum, latitudine & profunditate & coloris uarietate uerum draconem refert. Eques uexillum gestans pertica in aerem elata, impetu concitat equum: spiritus autem ui impulsus, recessibus caui texti insinuatus, uarium illud textum extollens, omnes conuersiones draconis ueri se mouentis exprimit. Suidas.

Vexilla SCYTHICA, texta quædam sunt, tincta coloribus, serpentum maximè similitudine, suspensa de contis medio cribus: eo consilio, ut eis currentibus, aut equos incitantibus, serpentum similitudinem referant, & flatu uehementiore impulsa stridant. Suidas.

TVRCI uexillis utuntur non magnis, ut nostri: sed duces pro signo altam præferunt hastam. In cuius summitate pili colorati pendent, quò facilius ducem suum agnoscant. Qui tympano quodam cum fistula, quoties pugna incunda est, signum dat. Cuspinianus.

MVSICA CASTRENSIS, BELLICA.

Consule Tit. Musica bellica, sub loco Stratagematum.

INDI flagellis aerem & tympana uerberantes in hostes irruunt, tubarum loco. non enim tibias habent Indi, nisi in regia, cùm rex dormitum uadit. Alex. lib.4. cap.2. ex Athen. lib.4.cap.11. & Suida.

Persis proficiscendi hora significatur cornu, Aegyptiis sistro. Tubæ non in singulis modò legionibus, sed cohortibus & turmis, prælij signum dare, nec hon diei noctisq; horas uigiliasq; diuidere solebant. LYDI cum fistula & fidicine: INDI cum cymbalorum & tympanorũ pulsu in hostes ducũt. Id enim erat tubarũ loco. Non enim tibias habebant Indi: nisi in regia, cùm rex dormitum uadit. GALATIS barbara tuba horribili sono bellicum occinuit: contrà apud Busiritas & Lycopolitas in Aegypto, quibus tubis canere uetabantur, quòd sonum asininum redderent: ipsi enim asinos exitiali odio prosequuntur, propter Typhonem asini colorem præferentem. Alex. lib.3.c.2.

Educendi exercitus & certaminis conserendi, in ROMANIS legionibus, concentum tubarum & cornuum & si quando silentio educendæ forent, tesserã fuisse accepimus. Eam uerò tubam Tyrrhenus Prisæus inuenit primus æneam, quum antea ex cornu bubulo fieret. Tamen buccina in prætoriis castris semel, in consularibus uerò bis dabatur signum: quatuba pedites, equites uerò lituo ad pugnam aduocari sæpè notatum est. Eratq; mos militaris, ut quoties mouenda erant signa castráue, & ad reliqua belli munia, soli cornicines signum darent: excubias uerò, somniq; & uigiliarum tempora, buccina designarent. Si autem legiones ducendæ in hostes, & acie decernendum foret, aut receptui canendũ, & cornua & tubæ eodem concentu canerent: Si conciones aduocarent, aut silentium indicerent, per tibicinem indicebatur. Ibidem.

NAVES MILITARES.

SIPHNII insulares, propter sodinas metallicas maximũ thesaurum congesserant, & decimas illius quotãnis Delphos mittebant. Consuluerunt oraculum, Diũne præsentibus bonis frui possent? Pythia respondit:

ἢν δ' ὅταν οἰ σίφνιε πρυτανεῖα λόβκα γένηται,
λευκόφρυς τ' ἄγορη, τοτε δὴ τοῖ φρεσὶ μηνιθ' ἀιδρὸς
φράσσασθαι ξύλινον τε λόχον, κήρυκα τ' ἐρυθρὸν.

Oraculum euentus confirmauit. Habebant eo tempore Siphnij forum, atque Prytanæum ex candido marmore Pario extructum. Samij cùm uelocissimè ad Siphnum applicuissent, miserunt ad urbem cum legatis nauem, quæ (ut naues antiquæ omnes) rubrica delibuta erat. Nuncij decem talenta mutuò petebant. Negantibus Siphniis, eorum agros populati sunt Samij, eosq; ex urbe egressos cæciderunt, multosque ceperunt, quos centum talentis Siphnij redemerũt. Tunc tandem, quamuis serò, oraculum intellexêre, ligneũ ignem & rubrum legatum nauem esse hostilem. Herodotus libro tertio.

TORMENTA, MACHINÆ BELLICÆ.

EGESTA, siue Aegesta, bellica machina è saxis, lignis & terra excitata: quam ciliciis, id est, uelis è capitinis pilis consectis tegunt, iuliæ densitatis & longitudinis, quæ longis contis suspensa illi præponunt. Ita nec ignitæ sagittæ, nec alia tela penetrant, sed in uelis adhærescunt. Suidas.

FALCATI currus olim ad hostium terrorẽ instructi. Ex summo temone præfixæ ferro eminebant hastæ, à iugo utrinq; terni gladiorum mucrones, è rotis plura spicula porrecta, in aduersum stabant. Aliæ deinde falces subnixæ rotarum orbibus hærebant. Aliæ demissæ ad terram, ut quicquid curribus quadrigarum impulsu actis obuium fuisset, fœde truci darent. Tales Darius contra Alexandrum C C. parauit, teste Diodoro lib. 17.

ΠΕΤΡΟΒΟΛΟΝ, machinæ robur, saxa eiaculantis, qua Vespasianus in obsidione Iudeæ usus est, cuiusmodi fuit, ut cuiusdam caput ab ea ictu, Iosepho in mœnibus astante, elisum sit, & calua ad tria stadia proiecta. Eadem postridiè muliebris prægnantis uentre perculso, cùm ædibus modò exiret, elisit infantem ad dimidium stadium. Tanta uis lapidis fuit. Ac instrumentis terribilior erat studor, & eorum qui feriebantur strepitus. Suidas.

ARIETVM formam, quibus Gothi in oppugnanda Roma utebantur, describit Procopius in hunc modum. Columnæ ligneæ quatuor in altitudine erectæ, æqualiter inuicem appositæ collocantur: hę colũnæ tignis octo uinciuntur, quatuor ad imum columnarum, totidem ad summũ: efficiturq; ueluti quadratæ cuiusdam ædiculæ forma. Hæc rursus corrigiis obtegitur, ne feriri de mœnibus, qui intus sunt, possint. Introrsus uerò non paruæ molis stipitem, siue trabem supernè suspendunt, hunc q; cãtenis laxatum, in medio machinæ, cùm opus fuerit, dimittunt. Habet uerò trabs in capite ferrum ingens & quadratum ad incudis formam. Machina tota quatuor rotis ad bases columnarũ impositis deferturẽ. Mouent autem eam milites intus existentes nõ pauciores quinquaginta: qui postquam eam mœnibus admouerunt, trabem illam suspensam machinamento quodam retrotrahunt, moxq; cum impetu dimittunt. Trabs autẽ uiolentia & pondere in murum delata, omnia quassat, ac frangit, ita ut aries crebra diuerberatione incussus, penetrare, in quæcunq; inciderit loca, queat. Quocirca hæc machina cognomẽtum est nacta, quòd stipitis huius cacumine, dum prominet, haud secus ac arietes inter se solẽt, dum collisione decertant, illidendo & quatiendo uniuersa disturbet.

Ferunt olim fuisse Salmoneum quendam in Græcia, qui quòd sonitum tonitrui Iouis, & non imitabile fulmen ære & cornipedum cursu simularat equorũ, ictus sit fulmine à Ioue, & grauia pendat apud inferos supplicia. Quod bombardarum inuẽtori (BERCHTHOLDVS ille fuit, Niger cognomine, patria Germanus, professione monachus, studio Chymista) fulmen, quæ satis erunt supplicia? qui non solùm effinxit tonitru, sed uicit horribiliore strepitu? Nã uim & mitiriam fulminis utinam solam haberet bombarda, & non unaquæq; esset nocentior, quàm omnia rotius ætatis fulmina. Fulmen unum, unum hominem absumit. Bombarda una quotquot una serie obuij sunt uentẽti globo, tanta uiolentia, ut nec latera sint tuta, occiduntur etiam, quos discerptorum corporum iusta uolantia contigêre. Archidamus Spartanorum rex olim, ostenso scorpione, periisse uirorum uirtutem est questus, quòd fortissimus uir sagitta extinguì posset, prius quàm manus conseretet: quid nunc dicturus, cùm non unus uir fortis, sed multi uno bombardæ ictu discerpuntur? Ergo iam pridem nec uires aut animus cuiusquam est notabilis. nam fortissimus quisq; inter primos, antequam acies congrediantur, cadit, nec locus ullus satis est munitus. L. Viues de Concord. & discord. lib.2.

STIPENDIA.

Consule locum Prudentiæ bellicæ, & Astutiæ in parandis stipendiis.

Milites ROMANI olim, à condita Vrbe usq; ad tribunos militares & captam à Gallis urbem, per annos ferè trecentos quinquaginta, suo sumtu & impensa meruere, ac stipendia fecere. Parte enim anni sub pellibus militabant: parte uerò, liberis, uxori & penatibus, sibiq; ac familiæ, agium colendo, & rei rusticæ nauando operã, necessaria parabant. Quo autẽ tempore Veij diutina obsidione & intestino malo obsessi fuere, cũ hyemare oporteret in castris, Romani utili & necessario exemplo docti, militibus stipendium de publico statuere, uneq; primùm collata stipe, æra militib. constituta sunt. & deinceps reliqua militia, sumtu & ære publico meruere. Nonnulli Anxure capto sub tribunis militaribus, patres stipendium annuum militibus decreuisse memorãt: quod quidem denis asibus in dies singulos taxabatur. Postea Tiberio regnante, singuli denarij diurni dati, prætorianis uerò bini. Alex. lib.6.c.22.

PRAEDA.

Eius Prædæ acquisitio, partitio, conseruatio. ex loco Prudentiæ militaris, & Iustitiæ.

BELLICA POLITIA, CONSIDERATA RESPECTV FORMAE siue MODI conuersandi cum suis uel cum hoste ante BELLVM. Belli

OCCASIO.

Vide locum Inimicitiæ, Bellorum causæ.

SVSCEPTIO, DENVNCIATIO.

Bella uti per fœciales indicta fuerint apud ROMANOS & exteros, consule Alexand. ab Alex. lib.5.cap.3.

Antiquitùs bellum suscepturi fœcialem mittebãt, qui arietem adductum in hostium fines immitteret: hoc significans pacto, ciuitatem & agros illorum hostibus compascuos fore. Diogenianus, Erasmus in Adagiis.

BELLICAE CONVERSATIONIS FORMA IN BELLO. RESPECTV

SVORVM. EXERCITVM CONSCRIBERE, Deligere.

Apud ISRAELITAS talis fiebat delectus, Mosis instituto: Preco per castra clamabat: Si quis nouam domum ædificauit, neq; dedicauit, is domum repedato: ne si occubuerit in prelio, alius eam dedicet. Itẽ si quis uineã conseuit, neq; profanauit, domũ repedato: ne si occubuerit in prelio, alius eam profanet. Itẽ si quis uxorẽ desponsauit, neq; duxit, domum

repedato:ne si in prælio occubuerit, alius eam ducat. Denique si quis timidus est & molli animo, domum repedato, ne animi sui mollitie aliorũ animos effeminet. Licebat inde uolenti secedere. Iis copiis, quæ manserant, duces præficiebantur. Deut.20.

ISRAELITÆ ex Domini præcepto in solitudine Sina è castris leprosos omnes, & quibus genitura flueret, & funere pollutos, tum mares tum feminas exegerunt, ne castra polluerentur, in quibus Ioua habitaret. Num.5.

VETERES si penuria hominum aliquãdo (quemadmodum Lacedæmoniis ad Messeniam, Romanis bello Punico accidit) ad supplementum seruis uterẽtur: prius manumitti quã milites fieri placuit. Contra leges igitur & tum cùm Antonius, Octauius & Lepidus Rempub. obtinerẽt, de SERVO, qui inter milites ac numeros deprehensus est, ita supplicii sumi placuit: de rupe Capitolina deiici, manumissione tamen prius intercedente, quò magis cum dignitate aliqua statutum esse uideretur. Dion lib.48.

Iusti dies apud ROM. dicebantur continui XXX, quibus exercitu imperato, uexillum rufi coloris in arce ponebatur. qd Festus & Macrobius adnotarunt. Cælius lib.12. cap.20. Antiquarum lectionum.

SACRAMENTO ADSTRINGERE.

Vide Tit. Sacramenti militaris.

EDVCERE.

Edictum erat ATHENIS, ne ante septimũ diem mensis, exercitum educerent. Erasmus in Adag.

PERICLES Athenis LX triremes singulis annis emittebat: magnus numerus in his ciuium nauigabat, octo menses æra merens, meditansq; simul & discens naualem disciplinã. Adhæc mille colonos Chersonnesum misit, Naxũ quingentos, Andrum eius dimidium. In Thracia mille adscripsit Bysaltis, in Italiam alios, cùm instauraretur Sybaris, quos appellauẽre Thurios. eaque agebat, quò otiosa & ex otio importuna turba urbem leuaret, & populi subueniret difficultatibus, timoremq; & præsidium, ne res nouas molirentur, adiungeret sociis. Plut. in Pericle.

RECENSERE, LVSTRARE.

In lustratione militari coronas ducibus dare solebant. Hinc omen necis C. CASSIO, cui in campis Philippeis coronam lictor obuersam obtulerat. Plut. in Bruto.

INSTRVERE.

Aciei instruendæ rationem Alex. lib.4. c.7. tradit.

PRISCI Smos erat, ut uates aciẽ præcederet, lauro coronatus, ac facem gestans. Ab hoc belli uim abstinebant utrinque, q̃ nefas ducerent, in uirum sacrum ferrum stringere. Proinde si crudelem aliquam stragem significare uellent, ne igni fero quidem parcitum aiebant. Erasmus in Adag.

DIMITTERE.

Militiæ Vacatio inter priuilegia Volumine III. commemorata, folio 769. Beneficiarii dicebantur Milites Rom. qui uacabant munerii beneficio: e contrario Munifices uocabãtur, qui non uacabant, sed munus Reipub. faciebant. Ex Festi lib.2. Hotom. de Verbis iuris.

Tria fuere missionum genera, quibus milites exauctorabãtur. Honesta, cùm emeritis stipendiis, & functis commodis missionum, uacationis munere donantur. quo tempore scuta, gladios & arma dicabant Laribus, sicut gladiatores Herculi, quòd diis iuuantib. perfuncti militia, iudem accepissent: quod missionis tempus, militi quinquagenario erat definitum. Alij, nisi decima stipendia meruissent, missionem petere, neminem putarunt posse. More tamen Romano, militare sacramentum in undecimum diffundebatur annum: quo exacto, militia perfunctis missio dabatur. Deinde ut decimussextus annus stipendij finem faceret, Tiberio imperante cautum fuit, qui etiam militiæ tempus ad uigesimum annum propagauit, cauitque, ut nisi post uigesimum annum missio militi non daretur. Prætorianæ uerò cohortes, nisi annis sedecim militassent, ad penates & domesticos Lares non remittebantur. Apud Assyrios autem NINVS, Semiramidis filius, annis singulis copias sacramẽto solutas domũ remisit: rursus nouos milites, militiæ sacramento, nullo præstituto tempore, adegit: quos tamen ultra annum militiæ nunquam adscripsit. Causaria uerò missio dicitur, cùm senecta aut ualetudine aduersa, uitióue corporis, domos uellent aut res inuisere suas, uel uitribus parum ualidi, minus idonei muneribus essent. Ignominiola, quæ & probrosa, dicitur, quum miles ob delictum & graue crimẽ, quibus reus agitur (ut quia transfuga, desertor, aut fugitiuus arguitur, uel timidè & diffidenter cum hoste congreditur) ignominia notatus, militia exauctoratur: in qua relicet animaduertere, q̃ si tribunus militem exauctorasset, hoc est, insignia militaria illi ademisset, infamia quoq; assecisse uidebatur. Alex. lib.6. cap.22. ex l.13. §.2. ff. de re milit.

Mos fuit EQVITIBVS Rom. ubi legitimum tempus stipendiorum expleuerunt, ut equum in forum ad censores adducerent: enumeratisq; singulis ducib. & imperatoribus, sub quibus meruissent, ac reddita militiæ ratione, peterent uacationem. Ibi & honos habebatur & ignominia pro cuiusque uita acta. Plut. in Pompeio.

CASTIGARE.

SYRACVSANIS mos erat, ut Hipparchi, hoc est, equitum præfecti in tabellis describerent militum nomina, qui ordinem deseruissent. Zenodotus. Hesychius indicat, apud Lacedæmonios Hipparchum dici, qui iuuenibus præfectus esset. is in tabula notabat eos, qui quippiam indecorè fecissent. Hinc prouerbium: Ἱππάρχων νίνας, id est, Hipparchorũ tabula, quoties haud impunè futurum significamus, si quid peccetur. Erasmus in Adag.

Vitis, bacillus uiteus, quo Centuriones ferire milites, quum quid peccassent, solebant. Macer l.13 §.3. ff. de re milit. Eum qui centurioni castigare se uolenti restiterit, ueteres notauerunt. si uitem tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, uel manum centurioni intulit, capite punitur. Plinius libro 14. cap.j.

Cùm interpyrones Sempronius Cælianus DVOS seruos inuenisset: re Caio Plinio Proconsuli nunciata, ideo Plinius supplicium distulit, quòd ij nondum sacramento militari in numeros & ordines distributi essent. itaque non uideri militasse, nec aduersus disciplinam offendisse. Ergo cos fulcitus ab eo Imperator, rescripsit his uerbis: Traianus Plinio: Secundùm mandata mea fecit Sempronius Cælianus, mittendo ad te eos de quibus cognosci oportebat, an capitale supplicium meruisse uideantur. Refert autem, uoluntarij se obtulerint, an lecti sint, uel etiam uicarij dati. Si lecti sunt, inquisitor peccauit: si uicarij dati, penes eos culpa est, qui dederunt: si ipsi non incerti suæ conditionis, sese obtulerunt, animaduertendum in eos erit. Neq; enim multum interest, quòd nondum per numeros distributi sunt. Ille enim dies quo primùm probati sunt, ab his ueritatem originis suæ exegit. Plinius lib.10. Epist.

INIMICORVM. VERBI CAVSA

COLLOQVI CVM HOSTIBVS.

Apud GRÆCOS nisi præconibus adhibitis, legatos minimè hostium fines ingredi decebat, neq; legationis munere fungi quenquam, ni prius infusa aqua, ab eisdem manus abluissent, Iouiq; coronatis poculis propinassent. Alex. ab Alex. lib.5. cap.3.

LOCO SE CONTINERE.

In castris Romanis postquam uallo fossaq; communita sunt, equo insidens miles, nisi cùm acie dimicandum foret, haud facilè perspectus est: neq; longius à tubæ auditu, nisi imperatoris aut tribuni iussu, militi extra munimẽta abire licuit: qui contrà fecerat, in eum militaris animaduersio erat. Idq; ideo cautum, ne uagi milites solutiore cura obambulãrẽt, in hostili solo temerè progressi, cædibus essent & periculis obnoxij. Alex. lib.j. cap 12.

Erat Romanæ militiæ uetus constitutum, ne miles sine commeatu ab signis abeat, néue præsidio decedat, néue locum relinquat, aut è castris effugiat, neu discedat longiùs: sed explorato, & sub signis atq; subsidiis positis, non modò in aciem prodeat, sed lignarũ & pabulatũ uadat: omnia denique uelut si coram hoste cauta præuisaq; sint. utque milites diesimul ac noctu iuxtà parati instructiq; ad nutum imperiũq; præstò sint. Qui contra fecerat, aut ignominia notaq; afficiebatur, aut teuera correptione capite luebat. Alexander libro j. cap.20.

PVGNARE.

Nemini in ROMANA militia extra ordinem, etiam in prouocantem, contra imperium pugnare licuit. Idem MACEDONIBVS, quibus iniussu ducis, aut arma capere, aut in ordines ire uetabatur. Nisi militari sacramẽto miles adscriptus foret, hostẽ gladio petere, aut militare, minimè fas erat: per indeq; in eum militaris animaduersio fuit, qui hostem militiæ sacramẽto non adscriptus occideret, aut qui classico reuocatus, tardiùs paréret, quàm qui ciuem aut socium iniuria occidisset. Ideo laudasse Cyrus dicitur militem, qui cùm hostem interfecturus, gladiũ eduxisset, classico receptu audito, ictum cohibuit, & hostem dimisit. Alex. lib.j. c.20.

DIRIPERE.

Apud ROM. mos erat militaris, ut si qua ciuitas ui subacta, hostili incursu diripienda foret, à duce exercitus edito in loco hasta poneretur, qua significatione illam non deditione & pacto, sed tanquam ui captam diripi licere, & in bona & personas grassari designabat, quæ hasta Cruenta nuncupatur. Nam captas, non deditas urbes, diripi uetereres uoluere. Alex. lib.3. cap.16.

PRÆMIA MILITARIA POST BELLVM.

Hæc præmia quæuis, siue Honorum, siue Munerum rationem habeant. De quibus Volumine Tertio egimus.

OTHO I. Imp. more à Francis accepto, fortissimum quenq; militiæ suæ ascribere, eosq;, qui strenuam sibi fidelemq; operam nauassent, regalibus suis insignire instituit. Erant autem Regalia, dignitates & prædia, quæ rex benemeritis ad arbitrium concedebat. Dignitates, ut Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valuasores, & Valuasini. Prædia, ut uectigalia, telonea, portus: ripatica: pedatica, moneræ, piscariæ, molendina, salinæ, fluminũ usus, & omnis proficiscens ex illis prouentus: & quæ generis erant eiusmodi. Duces erant, qui Ducatum: Marchiones, qui Marchiam: Comites, q̃ Comitatum à rege in feudum acceperant. Capitanei, qui à Rege aut Duce, Marchione, Comitẽue, plebẽ, plebisue partem: Valuasores, qui à Capitaneis: Valuasini, qui à Valuasoribus acceperant: quorum tres priores Capitanei regis, reliqui Valuasores maiores, minores, & minimi quoq; uocati sunt. Vnde noua nobilitatis ratio in Italiam est inducta, ut ij demùm soli nobiles iudicarentur, qui ipsi, aut eorum maiores, his atq; eiusmodi aliis honestati priuilegiis essent. nã hanc consuetudinem successores eius non omiserũt, sed etiam multis partibus adauxerunt, siue ut gratiam præfectis suis ac militib. pro opera in bellis egregiè nauata referrent, siue ut eos sibi potissimum clientes deuincirent, quorũ uirtute eam regionem continere in fide possent. Atq; hos quidem Feudatarios, Vasallos, Homines, ac Fideles uocarunt. Erat autem Feudum, siue Hominium, siue Homagium, ius, quòd reges, aut qui à regibus acceperãt, cum dignitate aut prædio aliquo, beneficij nomine; ea lege alicui detulerãt, ut & ipse, & eius posteri hæredes se ipsos beneficij eius auctores perpetuò agnoscerent, ac pro domino colerent, suumque caput, existimationem, fortunasque iurati defenderent. Qui uerò feudum conferebant, ij Domini & Seniores uocati sunt. Sigonius lib.7. regni Ital.

TRIVMPHVS POST BELLVM.

De Triumphandi iure & consuetudine, Blondus lib.13. Romæ triumphantis, & Alex. lib.1. c.22. & lib.6. cap.6. Genial. dierum, prolixè tractant. Nos ex methodi præscripto agamus, de iis quæ Ante, In & Post triumphum obseruata fuere. Et quidem ante triumphum conceditur primùm triumphus. Ratio proinde habenda tum Concedentium, tum eorum Quibus conceditur, respectu Ætatis, Dignitatis, Patriæ, Meriti & Victoriæ. Subinde Præparãtur ea, quæ ad triũphum sunt necessaria quæuis alia, & ipsum quoq; Epulum, ad quod Inuitabantur. In triumpho occurrunt tria præcipuè, Pompa scilicet, Tempus atq; Locus. Pompam alij circumstant, Spectatores scilicet: alij eandem Constituũt, tanquam Partes, uel Actiuæ uel Passiuæ. Actiuas duum generum facimus, Principes & Ministrantes. Principum appellatione complector Ducem siue Imperatorem triumphantem (cuius exempla ex Voluminis III. libro petenda, quatenus inter eximias Honoris species Triumphus connumeratur) considerantur secundùm Habitum, Cultum, Motum, puta incessum aut uectionem equo, elephante, curru factam: deinde etiam Milites, ipsius Ducis currum sequi solitos. Ministrantiũ alij Gestãt agũtue triumphi fercula, & uel Homines, uel Belluæ: alij Comitantur triumphantem, causa Admonitionis, Honoris, Gratitudinis, ab eo liberati ciues sociiue. Passiuas partes triumphi eas uoco, de quibus triumphatur, siue Reipsa existant (sic in triumpho ducuntur Hostium duces, Milites clarissimi: ducũtur item Animalia rara, Monstra, Plantæ & Arbores, Gemmæ, Signa & Tabellæ, Naues, Supellex nouaj) siue Imaginibus & Simulacris repræsententur.

Sic & Hostium & Vrbium simulacra & imagines deferebantur.

ANTE TRIVMPHVM.

NEMPE	Quibus concedatur, ratione habita
CONCESSIO TRIVMPHI: Qui concedant.	*Ætatis. Cui ætati triumphus debeatur.*
L. Æmilius Regillus classe Hannibalem tunc præfectum Antiochi regis uicit. Cui reuertenti in æde Apollinis cùm senatus datus esset, auditis rebus gestis eius, quanta cum classe hostium dimicasset, quot inde naues mersisset, quot cepisset, consensu PATRVM triumphus ei decretus. Liuius libro octauo.	CN. Pompeius de Iuba rege Africanum triũphũ à Sylla impetrauit ante ætatem. Eã propter Magni cognomẽ meruit. Plutarchus in Pompeio.
M. Attilius Glabrio, cùm bello Macedonico Antiochum Asiæ regem & Aetolos auxiliares insigni clade apud Thermopylas, auxiliante Philippo rege, bello nauali uicisset, reuersus triumphum petiit. Sempronius Gracchus & Rutilius Tribunus plebis diem dixẽre, ob prædam regiam interuersam, neque in ærarium relatam. Testimonio grauissimi uiri Catonis (qui cum eo legatus fuerat, absolutus est, & triũphus eiã POPVLO decretus. Liuius de bello Macedonico.	*Dignitatis. Qui Magistratus triumphare possint.* Apud ROM. tametsi uictis, fusis fugatisq; hostibus tres triumpho dignos imperatores gessissent: si tamen neq; Dictator, neq; consul aut prætor exercitui præfuissent, neq; legitimũ haberent magistratum, cuius ductu & imperio uicti essent & profligati, triumphare nemini fas erat. Tametsi Scipiõẽ proconsulem, & cui sæpè prorogatum imperium fuerat, de Hannibale & Pœnis: & Cn. Manlium de Gallogræcis, Paulumq; Aemilium de Ingaunis Liguribus, & Pompeium Magnum de Sertorio proconsules egisse triumphos legamus: Perrarò enim alicui triumphare permissum fuit, qui sine legitimo magistratu, & sine iusto imperio rem gessisset: præter Pompeium Magnum, qui tametsi in senatum pèr ætatẽ admissus nõ fuisset, eques Romanus adhuc, id quod contigit nulli, deuicto in Africa Domitio, importunitate sua euicit à Sylla etiam inuito, ut triumpharet. Alex. lib.j. c.22.
Sublatis Decemuiris, creati cos. M. Horatius, & L. Valerius. Hic Sabinos, ille Equos & Volscos feliciter superauit. Duplici uictoria parta, malignè PATRES in unum diem supplicationem decreuẽre. POPVLVS sua sponte alterum diẽ adiecit, quo aliquantò frequentius est circa templa supplicatum. Consules ad urbem reuersi, cùm in campum Martiũ senatum uocassent, ut de rebus à se in prouincia gestis disserẽt, malignè quidam patrum interpretati, ad terrorem id fieri querebantur, ut senatus castrensibus armis septus, metu cogeretur quæ ipsi uellent decernere: quam calumniam consules discussuri, in prata Flaminia senatum auocauere, ab Apollinis ẽde Apollinari fuit loco nomen. Quibus cùm à patribus triumphus negaretur, Icilius Tribunus plebis ad populum tulit, de amborum consulum triumpho. Omnes centuriæ illis honorem decreuere. Ac tum primùm sine patrum auctoritate populi iussu est Romę triumphatum, cùm ad id tempus senatus, non populi id iudicium fuisset. Sab. lib.4. Enn.3. ex Liuij lib.3.	L. CORN. Lentulus, proconsul in Hispania Hannibalis tempore, cùm in fine belli rediret, ac in senatũ de rebus ab se multos iam annos feliciter gestis dissereret, triumphumq; peteret, res quidem triumpho dignas senatus censebat: sed exẽplum se à maioribus accepisse, ut qui neq; dictator, neque consul, neq; prætor res gessisset, minimè triumpharet. Concessum tamen, quanquam T. Sempronio Longo intercedẽte, ut ouans urbem ingrederetur. Liuius lib.41.
M. Rutilio dictatori, de plebe homini, deditis & uictis hostibus, sine patrum auctoritate, solo iussu POPVLI triũphare licuit. Alex. lib.6. cap.6.	P. SCIPIONI ob recuperatas Hispanias, M. MARCELLO ob captas Syracusas triumphus non fuit decretus, quòd ad eas res gerendas sine ullo missi erant magistratu. Probẽtur nunc cuiuslibet gloriæ cupidi, qui ex desertis montib. myoparonumq; piraticis rostris, laudis inopes, laureæ ramulos festinabunda manu decerpserunt. Carthaginis imperio abrupta Hispania, & Siciliæ caput abscissum Syracusæ, triumphales iungere currus nequiuerunt, & quibus uiris? Scipioni & Marcello, quorũ ipsa nomina instar sunt ætẽrni triumphi. Sed clarissimos solidæ ueræque uirtutis auctores, hu-
Alexander Seuerus Imp. quum contra Persas pugnasset, & Artoxerxem uicisset, triumphus à SENATV ei (post orationẽ de rebus à se gestis habitam) decretus est. Volaterranus lib. 23. Anthropologiæ.	

metis suis salutem patriæ gestantes, etsi coronatos intueri Senatus cupiebat, iustiori tamen reseruandos laureæ putauit. Val.Max.lib.2.c.3.

Ex duobus imperatoribus in magistratu positis, illi qui in supremo gradu est, soli triumphare permissum. Ideo cõsul eũ dictatore aut prætore nõ triumphat, ne minor potestas maiori æquata videatur, néue auspicia, quæ maioris magistratus sunt, cum minoribus confundantur, licèt dictatorem & magistrum equitum unà triumphasse sæpè legamus. Neq; semel tantùm, sed pluries in eodẽ magistratu, & contra eosdem hostes, propter res feliciter gestas, magnis sæpè ducib. triumphare permissum. Alex.lib.j.c.22.

LVCTATIVS Cos. & Q.Valerius prætor, circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleuerant, quo nomine Luctatio Cos. triumphum Senatus decreuit. Cùm autẽ Valerius sibi quoq; eũ decerni desideraret, negauit id fieri oportere Luctatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori æquaretur: pertinaciusq; progressa contentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, nõ se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa: nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaq; iudex inter eos conuenit Attilius Calatinus, apud quem Valerius in hunc modum egit: Consulem ea pugna in lectica claudum iacuisse, se autẽ omnib. imperatoriis partibus functum. Tũc Calatinus, prius quàm Luctatius causam suam ordiretur: Quæro (inquit) Valeri à te, si dimicandum néene esset, contrariis inter uos sententiis dissedisseris, utrum quod consul, an quod prætor imperasset, maius habiturum fuerit momentũ? Respondit Valerius: Non facere se controuersiam, quin priores partes Cos. essent futuræ. Age deinde (inquit Calatinus) si diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio starectur? Item respondit Valerius Cos. iam mehercule (inquit) cùm de imperio & auspicio inter uos disceptationem susceperim, & tu utroq; aduersarium tuum superiorẽ fuisse fatearis, nihil est quod ulterius dubitem. Itaq; Luctati, quamuis adhuc tacueris, secundùm te litem do. Mirificè iudex, quòd in manifesto negotio tempus teri passus non est: probabilius Luctatius, q̃ Valerius amplissimi honoris constanter defendit. Sed nec Valerius quidem improbè, quia fortis & prosperæ pugnæ, ut nõ legitimum, ita se dignum præmium petiit. Valerius Maximus lib.2.cap.3.

Cùm Veientes olim & Tarquinienses pro Tarquiniis contra Romanos arma mouissent, & uelut æquo marte utrinque pugnatum foret, quòd uno plus Hetruscorum in acie cecidisset, nec hostium quisquam postero die in cõspectu esset, digna res triumpho uisa est. Itaq; P.VAL. consul, quamuis collega morte sublato, de Veientibus & Tarquiniensibus triumphum egit. Alex.lib.j.c.22.

Nisi suo ductu & auspicio, ac in sua, & non aliena prouincia, ceadq; pacata, & nullo manente bello, imperatores hostes, profligassent & uicissent, triumphare nemini licuit. Ideo Liuio & Nerone consulibus deuicto ad Metaurũ Hasdrubale, LIVIVS, qui in sua prouincia rem gesserat, de Hasdrubale & Pœnis iustissimè triumphauit: Nero autem, qui potior victoriæ causa fuit, quòd in aliena prouincia suppetias collegæ dederat, ouans in urbem uectus est. Exq; duobus consulibus eandem prouinciam sortitis, cõtraq; eosdem militantibus, uni triumphum decretum, quòd hostes fusius egerat, eiusq; ductu & auspicio parta victoria fuerat, alteri negatũ legimus. L. VALERIO Potito, & M.Manlio consulibus, q̃ contra Æquos in Algido prosperè rem egissent, Valerio triumphus, quòd perseuerantior in hoste persequendo, instando urgendoq; fuerat: Manlio uerò, ut ouans urbem iniret, à senatu datum est. Nonnunquam stantibus cõsulibus, prætor qui in sua prouincia res gesserat, hosteq; fuderat, etiam sine consulibus triumphabat, duoq; consules de eisdẽ hostibus parta victoria, triumphantes urbem inibant. Alex. ibidem.

VENTIDIVS, de Parthis & Pacoro, sine M.Antonio cõsule, cuius legatus erat, nouo exemplo triumphauit. Alexan. ab Alex.lib.6.cap.3.

Meriti, Victoriæ. Quibus Fatiis triumphus debeatur.

Veteres ROMANOS olim non ex quibuscunq; victoriis triumphare consueuisse, sed cùm bellorum & victoriarũ causæ eo munere dignæ uiderentur, triumphos egisse accepimus. Causæ uero triumphorum licèt à prima origine exiles fuerint atque tenues, quippe quia exiguis utribus & parua manu rem agebant: postea, aucto dilatoq; imperio, maiores certioresq; fuere, ut ad triumphi munus quisquam aspiraret. Cùm Veientes olim Tarquiniensesq; pro Tarquiniis contra Romanos mouissent arma, & uelut æquo marte utrinq; pugnatum foret, quòd uno plus Hetruscorum in acie cecidisset, nec hostium quisquam posteà die in cõspectu erat, digna res triumpho uisa fuit. Itaq; P. Valerius consul, quamuis collega morte sublato, de Veientibus Tarquiniensibusq; triumphum egit: & P.VALERIVS, & T.LVCRETIVS consules, cùm infesto exercitu in agrum Sabinum profecti, primò uastatione, mox prælio ita hostium opes afflixissent, ut nihil inde rebellionis timeri posset, triumphantes urbem iniere. Quinetiam ex deditis & non captis urbibus, aut hostib. fusis & auersis, stante Dictatore, à consulibus sæpè triumphatũ est. De Priuerno & Pometia, decq; Sabinis & Samnitibus, etsi non ui captis, sed in deditionem acceptis, triumphare licuit: propterque auersos & palatos hostes CLAVDIVS Petilius consul, Dictatore Q. Seruilio Hala, de Tiburtibus & Gallis triumphauit. Et CORNELIVS & BEBIVS consules, quòd Ligures Apuanos, non expectantes bellum, in deditionem acceperãt, & ad XII milia in alias terras traduxerãt, de Liguribus uelut acie uicti triumpharunt. Procedente mox tempore, cùm propagato imperio, cum hostibus ualidioribus, magnis utrinq; utrib. bella agerentur, & Imperatores ex leuissimis quibusq; præliis triumphum peterent, cautum fuit, ne cui triumphum, nisi quinq; hostium millia cecidisset, & iusta acie magnas copias fudisset, decernere liceret. Cuius rei fidem apud questores, ex lege à L. Mario & M.Catone Trib. pleb. posita, utq; laboris exhaustum, quíduc cædis noscerent, amplissimo testimonio facere oportebat. Val. Max.lib.2.c.3. Idq; non ab re uisum. Erat enim triumphus ingens honorum cumulus, quem multi duxerunt maximũ uitæ bonũ, quo nõ nisi magnis conatibus deuictis perduellibus, uictores bello duces honestabant. Vtq; nisi pro aucto imperio, non pro recuperatis his, quæ bello amissa erant, triumphus cuiquam deceretur. Illud etiam ex annalibus constat, Romanum ciuẽ, quamuis Reipubl. perniciosum & infestum, si bello uictus foret, in triumpho deferri non licuisse. Si contra prætas, seruos, aut fugitiuos, uel aliud genus hominum, Romano nomine indignum, bellatum foret, tanquam belli causa eiubescenda, quamuis parta uictoria, aut hostib. fusis auersisq;, nemini triumphare licebat. Cõtra uerò ciues bello uicti, qa lugubris victoria est, ipseq; dux minimè imperator censetur, licèt bene gerẽdæ rei occasione data: neq; ouare, aut triumphare, uel supplicationes cuiquam decernere, dum respub. sterit, unquam permissum fuit, nisi post aliquas ætates, cũ Aurelianus Augustus de Tetrico uiro senatorio (quẽ in Oriente uicerat) & Zenobia muliere triumphauit. Natica Tiberium Gracchum, & Opimius C.Gracchi factiones mœsti trucidarunt. Q. Catulus M. Lepido collega suo cum omnibus copiis seditiosis extincto, moderatum præ se ferens gaudium, in urbem reuertitur. C. Antonius, Catilinę uictor, abstersos gladios in castra retulit. L. Cinna & C. Marius hauserant quidem auidi ciuilem sanguinem: sed non protinus ad templa deorum & aras tetenderunt. L. Sylla, qui plurima bella ciuilia confecit, cuius crudelissimi & insolentissimi successus fuerunt, cùm consummata ac constructa potẽtia sua triumphũ duceret, ut Græciæ & Asiæ multas urbes, ita ciuium Rom. nullum oppidum uexit. Val. Max. lib.2.c.3. Proinde triumphus, quem de Pompeij liberis CÆSAR egit nouissimum, supra modum fuit Romanis acerbus. Neq; enim alienigenis ducibus uel regib. oppressis barbaris, sed uiri Romani summi calamitate afflicti liberis & familia semel oppressis, fœdum habebatur, patriæ insultare calamitatibus, atq; exultare ob has, quarum unica apud deos atque homines, quòd necessariò esset eò compulsus, existebat defensio: idq; cùm antè nec nuncio nec literis victoriã è bellis ciuilibus relatam publicè significasset, sed gloriam illã reiecisset rubore. Plut. in Cæsare.

Ei qui magnis perpessis cladibus, & nimium cruenta victoria esset potitus, tanquam lugubri, & parui compendij, quòd multis funeribus, nõ multis commodis rempub. afecisset, triumphare non licebat. Propterea VALERIO consuli, victori contra Gallos, ob cladẽ exercitus, negatus triumphus fuit: cùm magis dolor ciuibus amissis, quàm victoria hostibus fusis præualuisset. Nec eum qui exercitus Romam non deportasset, nisi perdomitam pacatamq; prouinciam successori dedisset, more maiorum. Alex.lib.j.c.22.

Q. FVL. Capua capta, & L. Opimius, Fregellanis ad deditionẽ compulsis, triumphandi potestatem à Senatu petierunt. Vterq; editis operibus magnificus, sed neuter petiræ rei compos. Non quidem inuidia Patrum C. cui nunquam aditum in curia esse uoluerunt: sed summa diligentia obseruãdi iuris, quo cautum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis, quæ pop. Rom. fuissent, triumphus decerneretur. Tantum enim interest, adiicias aliquid, an detractum restituas, quantum distat beneficij initium ab iniuriæ fine. Valerius lib.2. cap.3.

Patriæ.

CORN. Balbo Gaditano, Aethiopib. atq; Garamãtis bello superatis, cum ciuitatis iure, ut triumphans quoq; urbem iniret, nouo exemplo Senatus concessit. Ante eum enim triumphi honos etiam latio denegatus, solis patebat Romanis. Plin. lib.5. cap.5. & lib.7. cap.43.

INVITATIO AD CONVIVIVM TRIVMPHALE.

Apud ROM. moris erat ab imperatore triumphum ducturo Cos. inuitari ad cœnam: deinde rogari, ut uenire supersederent, ne quis eo die, quo ille triumphauerit, maioris in eodem conuiuio esset imperij. Val. lib.2.c.3.

IN TRIVMPHO. CONSIDERETVR

POMPA TRIVMPHI, CONSTANS

Duce, Imperatore. Triũphantis

Habitus, Ornatus.

Triũphans curru inaurato uectus, corona, ut testis est Gellius, aurea redimebatur.

Auctor est Verrius, Iouis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantiũq; corpora: sic CAMILLVM triũphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & à censoribus inprimis Iouẽ minian dum locari. Cuius rei quidem causam miror, quanquam & id expeti constat Aethiopum populis, totosq; eo tingi proceres, hũcq; ibi deorum simulacris colorẽ esse. Plin. li.33.c.7.

TRIVMPHANTES bullam gestabant, inclusis intra eam remediis contra inuidiam. Macrobius lib.j. Saturn. c.6.

Effigies.

Cùm Senatus populusq; Rom. uellet, ut sicuti Adrianus Traiano in principatu successerat, ita etiam quia Traianus mortẽ interceptus, triumphum diuictis Parthis ducere nequiuerat, ipse pro eo triumpharet: ille curauit, ut pro Traiano Traiani EFFIGIES triumpharet. Fulg. lib.2.c.3.

Motus. nempe Incessus, Vectio, Currus, Equus.

SESOSTRES Aegypti rex, sorte ductos reges annis singulis ad currum iungebat, ut ea pompa per omnium ora triumpharet. Alex. lib.6.c.6.

A principio Vibis, non curru triumphali, nec equo uehi triumphantes, sed pedibus incedere assueuerant. Posteà equo uehi, demùm curru quadrijugo triumpharunt. Alex. lib.j.c.22.

Bello Sabino, Acronem regem Ceninensium secum congressum, uulnereq; prostratum, ROMVLVS uita & armis spoliauit, & uictore exercitu domum reducto, spolia hosti detracta, in trophæi speciem suspensa, præ se in Capitolium tulit, Iouiq; Feretrio ad quercum pastoribus sacrã dedicauit. Dionysius auctor est, purpura eum indutum, caputque laurea præcinctum, quadriugo curru urbi inuectum, expressamq; tum primùm legitimi triumphi formã. Quod miror à Liuio prætermissum. Sab. lib.3. Enn.2.

VALERIVS cos. uictis Hetruscis Tarquinium reducere tentantibus, triumphans inde primus consulum quadriga urbem iniit: quæ res augustam speciem & magnificam, non odiosam præbuit, neq; inuidiosam spectatoribus. Neq; enim tanta id factum cõsecuta æmulatio esset, neq; quæ per multos annos durauit ambitio. Plut. in Poplicola.

Liuius Decad.1. lib.5. narrat, CAMILLVM captis Veiis, ita triumphantem ingressum urbem, ut curru quatuor equis albis uacto uheretur, & ob id eum triumphum elatiorẽ fuisse quàm gratiorem, quòd Solis ac Iouis currum æquiparasse moliretur. Quare ciues alienæ insuetos insolentiæ offendit. Plut. in Camillo.

M. FVLVIVS in triumpho, quem de Aetolis & Cephalęnia habuit, carpentis uectus est. Alex. lib.6.c.6.

L. PAVLVS Aemilius deuicta Macedonia filios duos impuberes, triumphans in curru duxit, quorum alterum triduo post amisit. Alex. lib.5.c.19.

NERO Cæsar monstrifico inuento Hermaphrodytas equas portenti loco ad currum duxit. HELIOGABALVS Imp. triumphans quaternis canibus, mox tigrib. uectus est. ALEXANDER Seuerus Imp. cùm de Persis triũpharet, non curru triumphali, sed pedibus sequente curru quatuor elephãtorum Palatium ascendit. GERMANICVS Cæsar, currum quinq; liberis onustum in triumpho duxit. Alex. lib.6.c.6.

Fl. Vopiscus asserit, AVRELIANVM Imp. quatuor iugalibus ceruis, currui deuicti regis Gothorum Cannabę applicatis, insedisse, atq; Capitolium more triumphantium intrauisse: quos crediderim fuisse rangiferos, omnes ceruorum uires fortitudine, & celeritate exuperantes. Olaus lib.17.c.28. gentium Septentrionalium.

GN. DOMITIVS Aenobarbus, deuictis Aruernis Allobrogibusq;, noua atq; inusitata facie elephanto uectus, inter legiones ceu triumphans per totam Italiam ad urbem Romam profectus est. Fulg. lib.3.c.6.

GN. Pompeius de Domitio Mariano triumphans, pro equis elephantos adhibere uoluit, nisi portarum ãgustiæ obstitissent. Idem lib.2.cap.3.

Militibus.

L. Furius Camillus in prætura sua de Gallis triumphauit: in cuius tamen triumphò nec captiuos præcessisse, nec spolia prælata, nec MILITES secutos esse, Alex. lib.6.c.6. testatur. Idẽ Dictator recuperata ex hostibus Gallis patria, triumphans in Vrbem redit, interq; iocos, quos inconditos iaciunt milites, Romulus, ac Parens patriæ, Conditorque alter urbis haud uanis laudibus appellatus est. Liuius lib.5.

M. ACILIVM de Antiocho & Aetolis, sine MILITIBVS & exercitu triumphasse constat.

MILITES diuersis conuitiis triumphantes incessebant, ne prospera illa fortuna plus æquo superbirẽt & insolescerẽt. Sic triumphante Cæsare milites cecinerunt:

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Præterea,

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem.

Item:

Romani seruate uxores, mœchum caluũ adducimus.

Item:

Auro in Gallia stuprum emisti, hic sumsisti mutuum.

Suetonius in Cæsare.

Locus de Ventidij Bassi triumpho Parthico extat apud Gellium lib.15.cap.4.

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens:
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

Quos tamen uiciniculos nõ à MILITIBVS decãtatos post triumphum, sed uulgò per uias urbis proscriptos ait.

Ministris, qui fercula gestant, agũtue, siue sint

Homines.

Hinc qui imagines, qui coronas, qui ferculà quæuis alia gestant.

Belluæ.

Suetonius scribit, triumphantem C. IVL. Cæsarem ascendisse Capitolium ad lumina, XL. elephantis dextra & sinistra lychnos gestantibus.

Comitibus aliis, causa

Admonitionis.

ROMÆ olim triumphantibus à tergo astans quidam huiuscemodi admonitionem ingerebat: Respice post te, hominem esse te memento. Quem inuidiæ medicũ Plinius appellasse uidetur. Cælius lib.2.c.6. A.I.

Gratitudinis, quoniam à triumphante liberati sunt.

Q. TERENTIVS Culeo, prætoria familia natus, & inter paucos Senatorij splendidi ordinis, optimo exemplo P. Scipionis Africani superioris currum triumphantis, qui captus à Carthaginensibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens, secutus est. Auctori enim libertatis suę, tanquam patrono, accepti beneficij confessionem spectante pop. Rom. meritò reddidit. Valerius lib.5.c.2.

T. Quinctium Flaminium de Philippo Macedone triumphantem, MCCC. ROMANI, Achæorũ pecunia in honorẽ Quinctij redemti, ut moris est seruouum, cùm manumissi sunt, rasi capitibus & pileati sunt secuti. Plut. in Quintio.

Gn. Corn. de Insubribus & Cenomanis triumphauit: cuius in triumpho currum, turba CREMONENSIVM Placentinorumq; colonorũ, ab eo obsidione & seruitute exemti, præcessere. Alex. lib.6.c.6.

L. Corn. Syllæ, post ciuile bellum triumphantis de Mithridate, magnificẽtia & raritate manubiarum regiarum triumphus grandis, maiorem speciem & pulcrum spectaculũ præbuit exulum causa. Siquidem clarissimi uiri & PRINCIPES ciuitatis secuti sunt coronati currum Syllæ, Seruatorem & patrem eum appellantes: quòd illius beneficio essent in patriam reducti, liberiosq; & coniuges reciperent. Plutarchus in Sylla.

Honoris.

M. ANTONINVS Philosophus, & VERVS, triũphi die mille puellas Virgines in equis triumphalibus uexẽre. Alex. libro 5. cap.19.

Hominibus bello captis.

Romani Imp. triumphantes, cùm de foro in Capitolium ẽrru flectere inciperent, hostium DVCES in carcerem hosti iubebant: nimirum ut idem dies & uictoribus imperij, & uictis uitæ finem faceret: expectante populo, donec hostium ducis interitus nunciaretur. Cicero in VII. Verrina, & Iosephus de bello Iud. ubi Simonis mortem nunciatam fuerit.

Veientes

Veientes à Romulo uicti, & ad preces conuersi, fœdus & pacē in C annos fecere. Multati sunt magna agri portione, quòd Septimagium, id est, septimam portionem uocant, & quæ iuxta fluuium erant salinis. Obsides tradiderunt ex primoribus quinquaginta. Ob hanc uictoriam triumphauit Idib. Octobr. duxit in eo cùm alios multos captiuos, tum Veientium DVCEM iam senem, qui imprudenter uisus fuerat & præter ætatem imperitè Remp. gessisse. Vnde mansit, quum ob partam victoriam sacrificant, ut senem per forum ad Capitolium traducant prætextatum, cui bullam puerilem addunt, & proclamat præco, Sardeis uenales. Nam Sardianorum fama est, Hetruscos colonos esse: sunt autem urbs Veij Hetruriæ. Plutarchus in Romulo.

Q. Cæcilius Metellus primo bello Punico aduersus Pœnos speciosissimum egit triumphum, XIII DVCIBVS hostiū, & CXX ELEPHANTIS in eo ductis. Liuius lib.19.

Vespasianus cum Tito filio de Iudæis triumphantes, DCCIV DÆOS magnitudine & robore conspicuos in triūpho duxere: SIMONEM Gerasenum hostium ducē, in triumpho ductum securi percussere. Iosephus lib.7.c.24. belli Iud.

Aurelianus Imp. repurgato orbe à tyrannis, Romæ speciosissimum triumphum egit, in quo ZENOBIAM Palmyrenorū reginam ex Oriente, & TETRICVM Gallorum tyrannum ex Occidente adduxit. Cuspinianus.

Rebus bello captis. Vt sunt

Animalia.

M. Curius Dentatus post fugatū ex Italia Pyrrhū, ELEPHANTOS in triumpho suo duxit. L. Cæcilius Metellus, rebus ad uersus Pœnos feliciter gestis, primo Punico bello CXX ELEPHANTOS in triumphū duxit. P. Corn. Nasica triumpho Gallico præter multa memoranda, EQVORVM greges bello captorum in triumpho duxit. Aurelianus Cæsar præter alia spectatissima, TIGRIDES, ALCES & CAMELOPARDALES in triumphi sui pompa ostendit.

Monstra.

Probus Imp. Romæ triumphum speciosissimum de Germanis egit aliisq; gentibus, BLEMMIIS (quos Plinius in Aethiopia oculos in pectore habere scripsit) ante currū ductis: quę lautissimę quasi rem admirandam Vopiscus describit. Cusp.

Plantæ, Arbores.

Cn. Pompeius uicto Mithridate, EBENVM triumphās primò omnium ostendit. De Iudæis triumphans, in triūpho quoq; BALSAMI arbusculam duxit: uti post eum Vespasiani. Plinius lib.12. cap.25.

Gemmæ.

CN. Pompeij tertio triumpho, quem de piratis egit, die natalis sui, in pompa triumphi translata fuit ipsius Pompeij imago è margaritis: non tam luxurię argumento, quam nō obscuro omine, iam tum caput illud Orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum. Plin. lib 37.c.2.

In eodē triumpho, quem de Asia & Ponto splendidissimū habuit, inter solennia ALVEVM cum tesseris lusorium è gemmis duabus, magnitudinis miræ, detulisse dicitur. Alex. lib. 6.cap. 6.

Signa, Statuæ.

L. Mumius de Achæis triumphans, SIGNA ærea tabulasq; pictas in triumpho tulit: neq; de tot opibus quicquam in domum suam intulit.

Naues.

L. Lucullus longas & rostratas NAVES ultra centum.

Supellex.

Cn. Manlius deuicta Asia, MONOPODIA & ABACOS & triclinia ærata, uestemq; stragulam in triumphum detulit.

Imaginibus captiuis

Vrbium.

T. Quintius Dictator, Prænestę in deditionem accepto, signum PRÆNESTE duxit triumphans. Alex. lib. 6. c. 6.

Hominum.

Augustus post bellum Actiacum Alexandrino triumpho, cùm CLEOPATRAM ducere nequiret, ipsius imaginem, quæ manu sibi mortem consciuerat, exanguem detulit. Alex. lib. 6. cap. 6.

LOCVS TRIVMPHI.

M. Papyrius Masso, cùm Priuernates intra mœnia fugasset, & triumphum à Senatu non impetrasset, in ALBANO monte triumphandi & ipse initium fecit, & cæteris postea exemplum præbuit: proq; laurea corona, cùm alicui spectaculo interesset, myrtea usus est. Val. lib. 3. c. 6.

Domitius Aenobarbus deuictis Aruernis, nullo triumpho decernente senatu, elephanto uectus, uelut triumphās totam ITALIAM perambulauit. Alex. lib. 6. c. 6.

M. Antonius in triumuiratu Orientem fortitus, cùm ex Parthico bello rediret, nouo more ALEXANDRIÆ magna exercitus indignatione triumphauit. Plut. in Antonio.

Ioannes Zimisces Constantinopolitanus Imp. triumphum acturus ob deuictos Persas, passim VICOS ciuitatis, p quos ipsi incedendum erat, tapetibus, in quibus Christi & sanctorum imagines ad uiuum expressę erant, exornauit. Nicetas.

TEMPVS TRIVMPHI.

C. MARIVS, cùm consul Teutones bello uicisset, Romam uocatus, triumphum distulit, conspicatus patriam aduentanti bus Cymbris in periculo uersari. Catulo igitur collegæ iunctus, apud Vercellas eos fudit: & cùm ob geminatā victoriam duplex triumphus ei offerretur, uno tantūm contentus, noluit ut collega simul triumpharet. Fulg. lib. 2. c3.

TIBERIO à bello Illyrico, grauissimo omnium externorum post Punica bellorum, CXV legionibus, totidemq; auxiliis per triennium gesto, redeunte, cùm à senatu triumphus esset decretus, cum magnis honoribus & nouis cognominibus, urbe in mœstitia existente, ob cladem Varianam, triumphum distulit: & laurea coronatus intrauit urbem, ac prætextatus, moxq; sequenti anno Germaniam adiit, ac Rhenū transiit, prosperius rem gerens quàm Quintilius Varus, qui ob temeritatem pessim iuerat. Sed post biēnium regressus, splendidissimum egit triumphum, populo triumphale exhibens conuiuium, nulle mensis extructis. Cuspin.

C. IVL. Cæsar ad lumina CCCC. in Capitolium triumphans noctu ascendit, elephantis lychnos dextra sinistraq; gestantibus, tum ut spectator triumphi apparatus esset, tum ut lumina, si fortè tenebris obortis, pompæ triumphali non sufficeret dies, ad arcendas tenebras prælō forent: ipseq; triumphans luminibus circa adhibitis, conspectior fieret. Alexand. lib. 5. cap. 10.

POST TRIVMPHVM. Cuiusmodi est

SACRIFICIVM.

Triumphans, præeunte senatu, in Capitolii ascendens ad templum Iouis opt. max. taurum album mactabat. Vti ouantes ouem. Plut. in Marcello. Liuius lib. 6. Dec. 3.

TITVS cum patre Vespasiano de Iudæis triumphum magnificum Romæ egere. Pompæ finis fuit Capitolini Iouis templum. Quò postquam uentum est, constitere. Erat autē uetus mos patrius, operiri donec ducis hostium mortem quispiam nunciaret. Is erat Simon Gioræ, seditionis Hierosolymitanæ princeps, tunc inter captiuos in pompa traductus: laqueo uerò circundatus per forum trahebatur, quo eum simul cæderent qui ducebant: lex autē Romanis est, ibi necare criminum reos morte damnatos. Postquā igitur eum finem uitæ habere nunciatum est, omniumq; fauor secutus est, tunc hostias incoauere: hisq; secundo per uota solēnia omine peractis in palatium recessere. Et alios quidem epulis ipsi excepere, alios autem omnibus domi conuiuiorū instructi erant apparatus. Iosephus lib. 7. c. 24. belli Iud.

EPVLVM.

Cœna triumphalis in Capitolio exhibebatur, absentibus Consulibus.

OVATIO POST BELLVM.

Ouandi cause, & ritus, apud Alex. lib. 6. cap. 17. Consule Voluminis Tertij locum de Honore.

TROPHÆA BELLO CONFECTO ERECTA.

De his ipsis ut monumenta sunt honorifica Volumine Tertio egimus.

TROPHÆI descriptionē Iuuenalis satyra 10. proponit talē:

Bellorum exuuiæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone iugum, uictæq; tritemis
Aplustre, & summo tristis captiuus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus, Graiusq; & Barbarus induperator
Erexit, caussas discriminis atq; laboris
Inde habuit: tanto maior fama sitis est, quàm
Virtutis. ——

SPOLIORVM, MANVBIARVM CVRA POST BELLVM.

De Spoliorum acquisitione & conseruatione hic agendum, tanquam Effectis bellicis. de quibus Volumine tertio, quatenus inter Opulentiæ & Honoris species referebantur, egimus.

HOMINVM CVRA POST BELLVM.

HVC PERTINET

COMPOSITIO, PAX.

Vide Fœdera, sub loco Amicitiæ. Hic Fortuitum bonum hic Politica cura perpenditur.

GVBERNATIO. HOSTES uictos in officio continere.

Consule locum Prudentiæ bellicæ.

MONOMACHIA.

Quod Bellum est inter multos, id Monomachia inter duos, uel plures duobus, certis utplurimum conditionibus definita & circumscripta. Quæ ipsa secundùm Causas simul & Accidentia considerari poterit. Excolant agrum qui possunt atq; uolunt. Nobis ipsa ἀπορία ἀπορίαν injicit. Ex loco Fortitudinis propulsantis Monomachiæ exempla petantur.

Saxo Grammat. lib. histor Dan. 2. scribit, ueterum duellorum institutum hoc fuisse, ut prius quàm aduersarij decertarēt, constitueretur, utri priùs & quoties utriq; feriendi potestas fieret. Non enim, inquit, antiquitus in edendis agonib. crebræ ictuum uicissitudines petebantur: sed erat cum interuallo temporis etiam feriēdi distincta successio: rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur: ut gloria potius percussionum magnitudini, quàm numero deferretur.

Apud NARSINGVENSES Indos qui aliū ad singulare certamēn uocat, à Rege campum, in quo cum aduersario congredi illi tutò liceat, exposcit. Si de illius uirtute opinio habetur, Rex illum spectat: victorem aurea catenula donat: quàm is, qui uictoriam obtinuit, tueri perpetuò debet. aliter enim parti decoris nomen & gloriam amittet. Licet enim ei, qui uelit, armis cum eo de catenulæ illius merito & dignitate certare. Catenula namque uictorem sequitur, & ei detrahitur, qui ab alio superatus extitit. Neque milites tantùm, uerùm & artifices de artificii præstantia armis inter se disceptant. Osorius libro quarto rerum Emmanuelis.

Voluminis Vigesimioctaui Liber IV.

De POLITIIS Singularibus.

ARISTOTELES lib. 2. Politicorum diuersas præcipuarū Rerumpub. formas tum ueras, tum fictas ab alijs proponit, earumque defectus & incommoda enarrat, ut suæ interim, quam meditabatur, fundamenta sensim iaciat. Eiusdem Respublicæ à Laertio in catalogo librorum recensentur. Sic ex recentiorib. Volfgangus Lazius de Repub. Romanorum, Carolus Sigonius de Hebræorū, Atheniensium, Lacedæmoniorum rebuspub. Iosias Simlerus de Repub. Heluetiorum, atque alij de alijs ex professo. Itidem nos hic de singulis singulorum Rebuspub. agere possemus, cæterùm ea moderatione, ne Rhapsodiæ historicæ limites trāsilian tur: quum ut in præcedentib. ipsis Titulis politicis uniuersalib. Politiarum exempla singularia accommodauimus, ita hic politiæ singulares per Titulos illos generales duci queant.

HEBRAEORVM POLITIA.

HEBRAEI, à quibus Iosephus lib. 1. Antiq. cæteras nationes originem tráxisse probat, multis antè seculis, quàm aut Artici imperarent, aut Athenæ conditæ forent, regnarūt, quorum respublica, eodem auctore lib. 20. primò quidem sub populari potestate diu permansit. Delegerunt inde sibi Iudices, siue Optimates. Iudicū inde pertæsi, à Samuele prophęta regem petierunt. Illo autem id ægrè ferēte, & Dominum de eo cōsulente, responsum accepit, Parēret Israelitis: priùs tamen omnia incommoda, quæ à rege perpessuri essent, illis recenseret. Fecit illud Samuel. At illi pertinaciter instabant, ut sibi rex crearetur, quò cæterarum gentiū similes essent, rege eos gubernante, educente, bella eorum gerente. Itaq; Samuel illis Saulum dedit. 1 Regum 8. Regiam potestatem (quæ non multo pòst in duplicem tyrannidem diuisa est) annos CCCCXCVI. ac tandē ab Assyrijs euersa. Prius tamen reges Samariæ, ac decem tribus in Chaldæam abductæ: deinde reges Hierosolymorum cum reliquo populo: qui cùm annos LXX exulasset, postliminiò reuersus in patriam sub regibus ijsdem & pontificibus tandiu floruit, quoad intestinis seditionibus & bellis finitimorum nunc in Aegyptiorum, nunc in Græcorum, postremò in Idumæorum potestatem ueniret. Ad extremum redacta

Iudæa in prouinciæ formã ab Augusto, pertulit imperium Romanorum, à quibus centesimo pòst anno desciuit: quibus tẽporibus Titus Hierosolyma expugnata, & funditùs euersa, tanta populi strages, tum in Asia tum in Africa secuta est, conspirantibus finitimis omnibus ad unius populi euersionem, ut gens illa penitùs interijsse crederetur. Ioan. Bodinus Methodi historicæ capite sexto Gabinius, captis à Pompeio Magno Hierosolymis, & Aristobulo rege capto, constitutis quinq; iuridicis conuentibus, in totidem æquales partes totam prouinciam distribuit: ita ut alij iura peterent Hierosolyma, alij Gadara, Amathuntem alij: quarti uerò Hierichuntem, quinti Saphoriã, quod est Galilææ oppidum: sicq; liberati Iudæi dominis, sub optimatum gubernatione degebant, donec Aristobulus è uinculis elapsus nouos tumultus excitauit. Iosephus libro decimoquarto, capite decimo Antiquitatum.

LACEDAEMONIORVM POLITIA.

Imperium LACEDÆMONIORVM à regibus (qui annos circiter CCC ab Eurysthene usq; ad Lycurgum regnarunt) in tyrannidem, ut Plutarchus tradit, conuerti cœperat, cùm Lycurgus popularem potentiam instituit, sed ualde moderatã. Anno pòst XXIIII. Theopompus ac Polydorus optimatum imperium omnino stabilierunt, atq; in eo statu floruerunt annos DLXXVI. usq; ad Nabida tyrannum, quem Achæi, duce Philopœmene, imperio spoliauunt, sublataq; Lycurgi disciplina, ex Achæorum institutis Lacedæmonios uiuere coegerunt. Tandem Achæi quoq; à Romanis fracti sunt: & utriq; Romanorum imperio accesserunt. Io. Bodinus Methodi historicæ cap. 6. Rempublicam Lacedæmoniorum inter Græcos facilè principẽ extitisse, historiæ tradunt: quòd ex Monarchia, Aristocratia ac Democratia, permixta constitutaq; fuit. Habuit enim regem, qui unius gubernationem, Senatum qui paucorum potentiam, Ephoros qui popularem statum repræsentabant. Cuspinianus in Cæsaribus. Spartana Respub. auctore Cleomene Leonidæ F. mutata in melius. Vide Tit. Magisti fortitudinis cuiuscunq;. Rursus T. Flam. Romanus, fractis Nabidis tyrannidẽ Lacedæmoniorum opibus, uicos & castella Laconici agri Achæis addixerat. Philopœmenis ductu Achæi Laconicos fines ingressi, defectionis auctores (defecerant enim Spartani) deposcunt: polliciti fore, ut indicta causa nihil passuri essent. Ciuitate metu attonita, qui deposcebantur sua sponte seituros professi sunt, & quia communis causa agebatur, plerique alij sunt secuti. Vbi in castra uentum est, Spartanorum exulum, qui cum Achæis erant, incursu, fauente multitudine, ad septemdecim eorum qui uenerant, contra ius gẽtium & fidem à duce in id datam interficiunt. Postridie cæteri, qui tres & sexaginta numero fuerunt, è uinculis iraræ multitudini obiecti, damnati ad unum omnes supplicio traditi sunt. Principum clade territi Lacedæmonij, muros urbis diruere sunt iussi, exules reducere, Lycurgi legibus abolitis Achæorum moribus assuescere. Muri disiecti sunt, Lycurgiq; disciplina sublata, qua octingentos ea ciuitas annos steterat. Sabellicus libro septimo, Enneadis quintæ.

ATHENIENSIVM RESPVBLICA.

Cùm rex ATHENIENSIVM Cecrops Atticorum XII oppida fortiter ab hostium incursione prohiberet, regnũ adeptus esse dicitur, ab eoq; regnatum est usq; ad Aeschylum annos circiter DCCC. Post Aeschyli mortem, qui perpetuum imperium tenebat, optimates magistratum quasi Dictatorem decennalem crearunt. Sed cùm is magistratus nimia potestate abuteretur, anno definierunt. Primus Creon annuus magistratus, qui ἄρχων à Græcis, Iudex à Latinis dicebatur, electus est: eosq; magistratu tantùm per uiginti usi sunt, dum Pisistratus eodem modo, quo Dionysius Syracusis, ad corporis securitatem impetrata cohorte aduersus Alcmæonidas, perpetuam potestatẽ inuasit. Tum Hipparchus & Hippias Pisistratidæ, imperium annos septuaginta, ut Aristoteles scribit, ui tenuerunt, quousq; alter cæsus est: altero mortuo, secuta est popularis potestas à Solone prius instituta: sed legitima tamen ac iusta. Nam quinta classis, id est infima plebs, & populi pars longè maxima, lege Solonis ab honoribus & imperijs arcebatur. Primus Aristides legem illam abrogauit. Postremò Pericles statum popularem in turbulentam ochlocratiam mutauit: cùm Areopagitarum sublata aut ualde imminuta potestate, qua Reipub. salus & dignitas continebatur, ad plebem infimam omnia iudicia, consilia, totiusq; Reipub. gubernationem, propositis præmijs ac largitionibus, quasi escam imperij detulisset. Eo mortuo, deinde electo Alcibiade, cæso Nicia cum exercitu in Sicilia, imperiũ ad optimates CCCC delatum est: paulo pòst tamen Thrasybuli factione plebi restitutũ. Tandẽ amissa classe ad Aegospotamos, Athenienses cum socijs omnibus in Lacedæmoniorũ potestatem uenerũt, à quibus optimatũ potestas est ubiq; pro populari constituta. Hinc XXX delecti optimates, Atheniensium Rempub. gubernarũt: qui statim euaserunt factiosi tyranni. His igitur paulo pòst à Thrasybulo cæsis ac prostratis, summa potestas rursus ad populum redijt, ac tandiu stetit, quoad Antipater Lamiaco bello populare imperiũ paucis optimatibus, qui sua iussa exequebantur, permisit. Eo tempore etsi Macedoniorũ regum uim illatam coacti habuere, eandem tamẽ gubernandi formam integram seruauere. Quidam sanè tradunt, ea tempestate per annos decẽ illos optimo statu gubernasse, qua Macedonum principi paruere Cassandro. Hunc enim uirum, cùm alijs in rebus uehementior tyrannus esse uideretur, certè in Athenienses benignã exercuisse mẽtem constat. Demetrium nanq; Phalereum ciuibus præfectum dedit, Theophrasti philosophi familiarem, qui non modò popularem non destruxit potentiam, sed etiã melius rectiusq; restituit. Documento sunt illius uiri commentaria, quæ de ista repub. scripta reliquit. Verùm tantum inuidia ualuit, & in paucos odium & inimicitia, ut post Cassandri obitum in Aegyptũ fugere coactus sit: insurgentesq; statuas eius plures CCC detractas conflauere, etiã in matulas. Strab. lib. 9. Ergo quartodecimo pòst anno, Demetrius Poliorcetes electo Phalereo, specieq; proposita libertatis, tyrannidẽ inuasit. Eo tamen ab hostibus capto, Athenienses rursus popularem libertatem usq; ad Syllæ tempora retinuerũt: is enim urbem Mithridati fauentẽ, cui præfecerat Aristonem tyrannum impotentissimũ, expugnauit, tamq; hostiliter, tantaq; cum ciuiũ strage diripuit, ut rui sanguinis tota urbe decurrisse ferantur. Antea quidẽ populi Romani beneficio libertate fruebantur, quam postea quoq; eodẽ beneficio recuperarunt, ut Plinius scribit: nihil tamen præter umbrã libertatis habuerũt, cùm tyrannorum ac magistratuum libidini seruirent. Sed animaduersione dignum est, quòd imperium Græciæ annos duntaxat septuaginta tenuerũt, ut Appianus scribit. Ioannes Bodinus Methodi historicæ cap. 6.

ROMANORVM RESPVBLICA.

REIP. MVTATIO.

ROMÆ Romulus, auctore Floro, eius conditor, à Marte genitus & Rhea Sylnia, primùm imperium tenuit: post quem sex deinde Reges sequuti sunt, sub quibus (teste Liuio in primo ab Vrbe cõdita) CCXLIIII annos monarchia duraut. Exin pulso Tarquinio Superbo, qui regum ultimus fuit, mutata ciuitatis forma, sequuta est Aristocratia, id est, optimatum principatus: nam pro regibus, duo Cõsules (ut Liuius in secundo, & Dionysius in quarto testantur) creati sunt, L. Iunius Brutus (qui libertatis uindex extiterat) & L. Tarquinius Collatinus: qui Consules dicti à consulendo, hoc est, prouidendo: apud eos summa totius imperij erat, ij exercitum ductabant, & ab eorum magistratu annuo numerus annotum notabatur. Post annum deinceps CCC alterum, quãm condita Roma erat, ueluti Liuius in 3 prodit, iterum mutata est forma ciuitatis, ab cõsulibus ad Decemuiros, qui, uti quibusdam placet, tertio anno depositi sunt, libidine Appij Claudii, qui Virginiã, cuius stuprandæ amore flagrabat, in seruitutem asserere uoluit. Qui quum pro libidine omnia ageret, officium suo commodo metientes, ac quod ex ipsorum usu, nõ è Repub. esset, inprimis facientes, & eos ob id nonnulli Senatores, uti inquit Fenestella, decem Tarquinios appellarent, uidetur tunc Romæ magis monarchia quãm aristocratia fuisse. Hoc pacto exactis Decemuiris, ad prioris formam regiminis reditum est. Ad eiu anno CCCX conditæ Vrbis, pro Consulibus primùm Tribuni militum creati sunt, A. Sempronius Atracinus, L. Attilius Longus, & T. Cæcilius Siculus. Democratia autem, id est, popularis principatus, sensim irrepsit, plebe paulatim per seditiones adipiscente nobilitatis magistratus. Primùm enim C. Canuleio auctore, plebeii connubia promiscua cũ patricijs habere cœperunt: deinde quũ Tribuni plebis quotidie magis magisq; instarent, à patricijs tandem cõcessum est, ut ex plebe tribuni quoq; militum consulari potestate fierẽt: & ita P. Licinius Calnus primus creatus est, anno Vrbis conditæ CCCLV. Deinde plebs consulatum assequuta est, & L. Sextius Lateranus de plebe primus Consul factus, anno Vrbis conditæ CCCLXXXIX. Nouissimè obtinuit & dictaturam, summum in urbe decus: primusq; ex plebe C. Martius Rutilius Dictator dictus fuit, anno ab Vrbe cõdita CCCXCIX. Hæc ex Liuio lib. 4. & 5. & 6. & 7. ab Vrbe condita, & Plutarcho in uita Camilli. Romanæ Reipublicæ administratio ex optimatibus ad popularem principatum uenit, ad ochlocratiam seu anarchiam quandam, à seditione Gracchana ad Marium usq; & Syllam. Hi enim nouissimè in monarchiam, id est, ad unius imperium, formã ciuitatis redegere (teste Appiano in primo de Bellis ciuilibus) fracta omni senatus potestate. Sexto deniq; ac 30. pòst anno, à Cæsare & Pompeio partiũ ducibus miserrimè iactata fuit Respublica, quousq; legitimo unius Augusti dominatu gubernaretur: hinc uarie ab optimis principibus, mox etiam à tyrannis suscepta, tandem aliquando dignitatem amisit, cùm Imp. Constantinus magnam partem Senatus ac sedem imperij Byzantium transtulisset. Postremò in Gothorum, Gręcorum, Gallorum, Germanorum, Hispanorum potestatẽ peruenit, & alienis imperijs aut Pontificũ auctoritati ad hæc usq; tempora seruiuit. Ioan. Bodinus Methodi historicæ cap. 6. & Polyd. lib. 2. cap. 3. de rerum Inuent.

REIP. INTERITVS

Imperium ROMANVM, longè omnium terra mariq; latissimum, primus Augustus Cæsar non solùm armis opibusq; firmauit, sed etiã legibus ac magistratibus exornauit. Nam cùm prouincias omnes descripsit, & certos singulis rectores, Præsides, Proconsules, Præfectosq; imposuit: tum limites imperij terminauit, atq; ad eorum custodiam firmissima castella, exercitusq; promtissimos collocauit. Inde Traianus & successores eius subtiliorem aliam prouinciarum diuisionem introduxerunt, atq; alios earum etiam Gubernatores, Præsides, Consulares, & Correctores instituerunt, ac dentum limites legionibus etiam alijs instruxerunt. Postremò Diocletianus superioribus ferme reliquis institutis retentis, illud noui induxit, quòd Imperium cum alieno ita communicauit, ut proxime sibi succedentibus occasionem eius diuidendi, Constantio inquam, Galerioq;, attulerit. Quod institutum excipiens Constantinus, sic tubinde adauxit, ut Roma fede Imperio Occidentali relicta, alterũ Orientali domicilium struxerit, ac proprios utrique magistratus adiunxerit. Qua diuisione inuecta, res Romanæ, ad id usq; temporis ualidæ atq; magnificæ, quasi infimiores ac deteriores effectæ, primùm occultè labi, deinde apertè præcipitare cœperunt: quousq; ad extremum ipsorum siue ignauia principum, siue perfidia ducum, siue potentia hostium, corruerunt. Hostes uerò fuere Persæ, Scythæ, atq; Germani: qui ultra ipsos Imperij limites, Eufratem, Istrũ, Rhenumq; flumina constituti, atq; in uarias gentes populosq; diuisi, quotidianis agrorum incursionibus, atq; aliduis bellorũ contentionibus utrumq; Imperium primùm miserè laceraunt, deinde funditus euerterunt. Has porro clades grauissimas, atq; omnium sine dubio atrocissimas, uehementius etiam terra Christianæ ipsius tum primùm orientis Ecclesiæ uulnera cumularunt: quæ illi continenter, modò uetusta principum ex suscepta gentilitate perfidia, modò noua antistitum de fide Christiana discordia influxerũt. Quæ mala simul acerbitate sua terras usq; adeo latè cõplexa sunt, ut nulla prope earum tam remota regio fuerit, quæ nõ aut hominum sanguine cruentata, aut ubium incendio deformata, aut fortunarũ expilatione exinanita, atrox in omnes pòst annos sui spectaculũ exhibuerit. ut, si elementa omnia in huius uniuersitatis exitium conspirassent (quod aliquando futurum uiris olim doctissimis placuit) neque facilius, neq; perniciosius, neq; miserabilius tantam, tamq; opibus firmam Imperij molem dissipatura fuisse uideantur, quãm, cùm principibus temerè sæuientibus, ac barbaris atrociter irrumpentibus, ipsæ prouinciæ clade etiam apud posteros lacrymabili pernastatæ sunt: donec uetere demum sublato in Occidente Imperio, nouas barbarorum dominationes, & noua regnorum domicilia receperunt. Sigonius lib. 1. Occidentalis Imperij.

MAGISTRATVS.

Apud ROMANOS in magistratu, habebãt alij uocationem, alij prehensionem, alij neutrum. Vocationem, ut Cos. & cæteri, qui habẽt imperium: Prehensionem ut Tribuni plebis & alij, qui habent uiatorem: Neq; uocationem, neque prehensionem, ut Quæstores & cæteri, qui neq; lictorem habent, neq; uiatorem. Qui uocationem habẽt, ijdem prehendere, tenere, abducere possunt: & hæc omnia, siue adsunt quos uocant, siue aceni iusserunt. Tribuni plebis uocationem habent nullam. Neq; minus multi imperiti, perinde atque haberent, ea sunt usi. Nam quidam non modò priuatim, sed etiam Cos. in rostra uocari iusserunt. M. Varro Tiuminis uocatus à Portio Tribuno plebis nõ iuit, auctoribus principibus: & netus ius tenuit. Item tribunus cùm esset, uocari neminem iussit, neq; uocatum à collega parere inuitum coegit. Hæc Gellius lib. 13. cap. 12. ubi cautam affert, cur Tribuni prehendere possint, uocare non possint: quoniam antiquitus Tribuni creati fuere non iuri dicundo, nec causis noscendis, sed intercessionibus faciendis, ut iniuria quæ eorum fieret arceretur.

ITALIAE VRBIVM POLITIA.

Posteaquam Gallorum imperio, pullis Longobardis, accessisse ITALIA, tum etiam Germania, Saxonia, Pannonia, & Hispaniæ bona pars, imperium inter liberos Ludouici Pij diuisum est. Carolo Caluo primogenito Francia imperij caput: Lothario Italia primùm, deinde Lothaingia: Pipino Aquitania, Ludouico Germania cessit: sed ita ut alij aliorum imperio minimè tenerentur. Deinde uario bellorum euentu, idem Germaniæ & Italiæ regnũ coaluit: quousq; internortua Caroli Magni stipe, Germania reges de principum consensu crearentur: qui per legatos & uicarios Italiam & Heluetiam, per seipsos Germaniam regebant. Cùm uerò in tyrannides lapsi fuissent, Germani excussa seruitute, imperium optimatum: Heluetij populare, Itali pontificum & Imperatorum odijs in partes Guelforum & Gibellinorum distracti, ex legatis Pontificum & Imperatorũ, partim reges nacti sunt, partim tyrannos: reliqui populares & optimatum status probarunt. Vt enim Pontifex Vrbanus regnum Neapolitanum & Siciliam Gallis, sic Ludouicus Imperator urbes ecclesiæ Romanæ præfectis dono dedit. Plures etiam pertæsæ seruitutem peregrinorum, imperia domestica subire maluerunt. Ita Mediolanum & magnã Insubriæ partem, Comites Angleriæ gentis occupauerũt: Veronam Scaligeri, Patauium Ecelini: Mantuam Bonacolsij, tum his expulsis gens Gonzagarum: Bononiam Bentiuoli: Fauentiam Manfredi: Ariminum Malatestæ: Perusium Baleones, deinde his eiectis Othones: Tiferni Vitellij: Ferrariam, Rhegium, Mutinam Arestini: Camerinum Veranij: Vrbinatium Feltrij: Pisaurum, Forolinium, Forocorneliũ Sforciæ: Picenum agrum, Vmbriam, Flaminiam, Aemiliam, Latium, cum maxima Hetruriæ parte, pontifices tenebant. Interim Veneti, qui à Carolo Magno & Nicephoro libertatem impetrarant, Istriam primùm, deinde Liburniam (insulas omitto) Tarusium, Vicentiam, pòst etiam Patauium, Veronam, Bergomum, Brixiam, Cremam, Nouocomum, Rauennam alijs sensim ademerunt. Florentini quoq; emta libertate à Germanis, Pisanos, Volaterranos, Pistorios, Aretinos & finitima oppida subegerunt. Lucenses, Senenses, Genuenses, se quoq; in libertatem ijsdem temporibus uindicauunt. Hæc tam multa oppida, tot urbes ac multo plures, imperijs & finibus diuisæ, à regibus in tyrannos, hinc in optimates, mox in factiones & populares status, interdũ etiam in puram anarchiam incideruut. Neq; enim ulla pars orbis terrarum plures habuit Reipublicarum cõuersiones. Postremò res omnes publicæ, quarum memoriam ullam habemus, in monarchias relapsæ fuerunt, præter Venetos, Lucenses, Genuenses, Rhagusios, Heluetios, Germanos. Ioan. Bodinus Methodi historicæ cap. 6.

Alberto Imperatore à Ioanne fratris sui filio interfecto, circa annum Sol. 1307. magna ciit rerum mutatio facta in Italia, præsertimq; in Cisalpina Gallia. Pleræq; urbes fama & opibus celebres subita animorum inclinatione sibi dominos constituẽre, qui præfectura apud se antea fundi essent. Et hi ferè Gibellini erant, pontificibus in Gallia absentibus, Guelfis passim ex urbibus eiectis. SCALANI Veronã sortiti sunt, Passerini Mantuam, Patauium Carrarij. ESTENSES aliquanto pòst Ferraria potiti, freno Mutinæ alijsque locis Ferrariæ finitimis inuecto, eo usq; creuere, ut Carolus Calabriæ & Apuliæ rex, Beatricem filiam Accioni ea tempestate florenti, matrimonio locauerit. Sab. lib. 7. En. 9. & Blondus lib. 9 Decad. 2. Inde cùm Ioannes XXIII. & Benedictus XII. Pp. Ludouicũ Bauarum Imp. ditis deuouisset, ut nouo beneficio Italiæ principes uiros sibi deuincirent, fecit Benedictus anno 1339 ratum suo assensu principatum Luchino Vicecomiti, Ioannemq; eius fratrem Mediolanensem creauit antistiteu. Fecit & Gulielmo Gonzagæ, Mafino Scalæ, Vbertino Carrariæ, Obicioni Estensi, ut uicaria fungi nice in his urbibus dicerẽtur, quas ad id tempus adepti essent: quandoquidem omnis Italiæ iura, quia Imperator nullus esset, ad pontificem, Christi summi regis uicarium, deuoluta uiderentur. Obicionem uectigalem fecit ecclesiæ, ut annua dena aureorum numũ milita Apostolicæ sedi penderet. Sabellicus lib. 8. Enneadis nonæ. Clemens

mens VI. quia Italia intestinis motibus fluctuabat, solis Vicecomitibus Insubriæ principatum fecit ratum suo assensu, alios silentio præteriit: idq; illis datum, quòd soli omniũ satis esse credebãtur ad Lodouici Bauari in Italiam descensum inhibẽdum. Is ubi compertum habuit pontificem suis conatibus obstare, ut eiusdem auctoritas aliquo modo infringeretur, multas Italiæ urbes põtificiæ ditioni exemtas, cuicunque libitum est, ac præter paucos cunctis ferè nouis hominibus dedit habendas. Viterbium, olim Vetuloniam, Ioanni Vicano: Pisaurum & Fanum fortunæ Galeoto Malatestæ, & fratribus: Vrbinũ Feltrio, Callium Nolpho & Calasio fratribus. Alegreto Clauello Fabrianum, Matelicam Bulgarutio, Seuerinum Isuardutio, Camerinum Gẽtili Varaneo, Cingulum Pongonio, Esium Nicolao Boschareto, Rauennam Guidoni Polentano, Forum Liuij & Cæsenam Sinibaldo Ordelalpho, Ioanni Mansiedo Fauentiam. Hos ille principes in Italia constituit, quorum plerij; partim ui, partim ciuium studijs, iam antea in his urbibus principatum fuerãt adepti. Sabellicus libro octauo Enneadis nonæ & Platina.

Summa Reipublicæ Italicæ sub Henrico V. quæ Commune dicta est, penes tria Consilia fuit, Speciale, Generale, & Credentiæ: itemq; penes magistratus, qui & consilijs præfuerunt, & iudicia exercuerunt, quorum omnium quotannis lectio celebrata est. Vide Sigonium lib. 10. regni Ital.

Penes Mediolanensem archiepiscopum, post Othonẽ I. Imp. cum delectis duodecim ex ipsa nobilitate cõsulibus totius erat ciuitatis imperium. nam ius uitæ necisq; habuit. Vnde Comitis nomẽ tulit, ac ius illud per Vicecomitem exercuit. Vicecomes autem gladio stricto prælato incedebat, atque omnia cum consulibus negotia peragebat. Sigonius lib. 7. regni Italicæ.

Cùm Pontifices ac Imperatores de imperio Italiæ contenderent, FLORENTINI seipsos in libertatem uindicarũt, anno MCCXV. & coacto ciuiũ cœtu magistratus XII. quos Antiquos appellabant, duos prætores, urbanum ac peregrinum, cum annua potestate crearunt. Sed cùm omne imperium ad paucos detulissent, repentè in factionem inciderunt. His itaq; abrogato imperio, XXXVI uiros Reip. constituendæ, quos Reformatores uocabant, elegerũt, qui opificum collegia stabilierut, eisq; magistratus quasi tribunos dederunt. Sed cùm potentiores Gibellinorũ partibus fauerent, electis omnibus Gibellinis, XII uiros elegerũt, quos Bonos homines appellabant, rati nomine mutato mores immutari, deinde LXXX Senatores consilijs de Republ. capiendis: summum uerò imperium totius Reipub. CLXXX optimatibus permiserunt, qui magistratuum ac legum summam potestatem haberẽt, atq; in eo statu annos ferè XXX acquieuerunt. Postea in oligarchiam conuersi, ac nobilibus factiosis imperium à populo abrogatum est: deinde triumuiri creati, quos Priores appellarunt, unà cum Vexillifero, cui legionem prætoriam ad Reip. præsidium dederunt, præter quatuor legiones urbanorum & rusticorum, si ab hostibus urgerentur. Et quia Vexillifer maximus popularis erat, nobiles ab honorũ petitione ac sortitione summouit. Postea secutæ sunt grauissimę seditiones nobilium, à quibus populus in uarias partes distractus est: & cùm ciuili sanguine diu seipsos fœdassent, communi consensu petierunt à pontifice max. ut regiæ stirpis hominem mitteret, cui libenter parẽrent. Itaq; Carolum Valesium Siciliæ regem, qui cum Romam uenerat, Florentiam misit. Is igitur aliquendiu tumultus composuit, exules & oppressos armis ciuilibus restituit. Sed à suis ipse reuocatus, nondum urbe quieta, discessit. Hinc maiores quàm antea tumultus ac cædes, adeò ut omnes penè Lucenses uicinorum calamitate permoti, & ad seditiones componendas effusi ex urbe, Florentiam uenerint: non priùs tamen quieuerunt, quàm bellis externis cogerentur. Itaq; anno MCCCIIII. formam Reip. mutarunt, ac pro uno Vexillifero tres crearunt, quos Pannonieros uocabant, cum summa & planè Dictatoria potestate. Igitur coacto ciuium omnium cœtu scrutinia instituerunt, quibus postea semper usi sunt: id est, delectum quendam ciuium habuerunt, qui ad magistratus & honores capiendos idonei essent: atq; eorum nomina in urnas siue crumenas cõiecerunt, ut singulis annis forte ducerentur, atq; hic delectus decimo quoq; anno renouabatur: interdum sæpius, octouiros forte duxerunt, qui bimestri potestate cum annuo Vexillifero Reip. præessent. Consilij uerò capiendi causa Senatum elegerunt CCL uirorum, partim nobilium, partim popularium: optimatum uerò collegium ex ciuibus trecentis constituerunt. Sed ne in eo quidem statu, propter ciuiles discordias & odia intestina, diutius acquieuerunt. Itaq; cõmuni consensu acciuerũt Gualterum Brennonem, ducem Athenarum, eum, qui postea magister militũ clade Pictauiensi cæsus est ab Anglis: cui optimates annuum imperium permiserunt, sed plebs acclamatione gratissima perpetuum principem esse iussit. Hicigitur CCC milites ad uim imperij retinendam sibi adiunxit. Sed cùm nimis imperiosè se gerere uideretur, uix decẽmenses imperium retinere potuit, quin ab omnibus ordinibus ex urbe cum magna clade suorum eijceretur. Rufus Vexillifer tum & octouiros, unà cum tribunis plebis siue collegiorum ducibus crearunt, & nobiles, quos ab honoribus antea prohibuerant, restituerunt. Hinc factio nobilium potentior, populares & plebeios opprimere cœpit: hinc tenuium & popularium querelæ, quòd unius euersa tyrannide, plures Remp. inuasissent: & eousq; discordiæ creuerunt, quoad nobiles magna ex parte cæsi, aut fracti, aut exilio pulsi popularibus cessissent, & ab honorũ petitione omnino summouerentur. Igitur imperio planè populari constituto, anno MCCCLIIII, cùm nullæ aduersus nobiles discordiæ intercedere possent, populares inter se de imperio certare cœperũt. Quemadmodum Budelmonti cum Vbertis, deinde Donati cũ Cerchijs, omnes patricij, Remp. diutissimè perturbarant, deinde patricij à populariibus electi fuerant: ita Riccij & Albizij, populares homines, Guelphorum & Gibellinorum sectas renouarunt: inde cædes & exilia secuta. quousque plebei opifices accepta occasione aduersus populares arma cœperunt, ac ditissimi cuiusque domum diripuerunt & incenderunt. Ita populari potestate omnino sublata, secuta est ochlocratia seditiosæ plebis, uel potius anarchia. nam toto triennio latrocinia, cædes, incendia in media urbe flagrarunt. Ad extremum plebei seditiosè furentes inter se quoque crudelissimè pro imperio dimicarunt. Tandem lassati potius & fracti quàm satiati, proposita amnestia, magistratus ueteri more crearunt, ac XX annos sine bello ciuili exegerunt, cùm scilicet nulli omnino magistratus affectarent, & oblatos timidè caperent, iusteq; imperarẽt. Postea diuturnæ quietis impatientes, Cosmum Medicem, eum qui Patriæ parens usurpatur, nulla de causa damnarunt: idem tamen postea ui & armis ciuilibus est ab exilio reuocatus: & aduersarij eius magno numero electi. ex quo gens Medicea summam in Repub. auctoritatem sine imperio adepta est, cùm scilicet prudentes ac uiros bonos sibi adiungeret, quorum ope Respub. & magistratuum sortitio regebatur. Sed mortuo Cosimo, qui Reipublicæ gubernacula tenebat, ad cædes & exilia prolapsi sunt: quo ad factiosis quibusq; pulsis Medicei auctoritatem recuperarent: quam annos circiter XXX retinuerunt. tametsi Paccij coniuratione facta Iulianũ Medicem ante aras mactarunt, ac Laurentium fratrem grauiter uulnerarunt: hinc coniuratorum supplicia, cædes, exilia. Altera ex parte exules Sixtum IIII. Pontificem & Alphonsum regem cum legionibus acciuerunt, ut patriam, in qua regnare non poterant, hostium subijcerent potestati. Tandem liberata grauissimo bello Republica, Senatum LXX uirorum stabilierunt, cuius consilijs tandiu Respub. stetit, quoad Petrus Medices, mortuo patre Laurentio, non contentus auctoritate, monarchiam inuadere conatus est. Ex quo maiores quàm antea seditiones obortæ: quæ non prius exitum reperire potuerunt, quàm potentiores urbe penitùs electi essent. Itaq; contigit, ut anno MCCCCXCIIII. plebs hucillue, quasi pecus sine pastore uagaretur, hominum insidias metuens ac ferarum: sic enim Macciauellus tradit. Tandem Senatu ægrè coacto, diu certatum est de conformando Reipstatu, cùm alij optimates, alij populum mallent. Ad extremum seditiosis Hier. Sauanarolæ ac Soderini concionibus persuasi (de qua re Guicciard. lib. 2.) popularem statum acceperunt. Nec multò post Petri Soderini, deinde Fr. Valorij potentia oppressi, rursus arma cœperunt, ac potentiores ui & armis de imperio deturbarunt: nec aliter quieuissent bella ciuilia, nisi pontificum Romanorum & Caroli V. Imperatoris legionibus coacti, Alexandrum Medicem cum præsidio militũ in urbem recepissent. Is Clearchum Heracleotarum tyrannum imitatus, sui nominis hostes ac potentiores occidit, proscripsit, exegit: tandem à Laurentio Medice occisus, imperij successorẽ habuit Cosmũ. Io. Bodinus Methodi hist. cap. 6.

HISPANIAE POLITIA.

Carthaginenses, duce Meseo, magnam partem HISPANIÆ occuparunt, ut ex Iustino & Orosio intelligi potest: atque imperium tantisper tenuerunt, dum à Romanis eijcerentur: non tamen domita erat omnino Hispania Scipionis ætate, cùm ulterior suos principes Cæsaris quoq; temporibus haberet. A' Scipione Africano ad Gondericum regem (qui primus è gente Vandalorum Hispanias inuasit) numerãtur anni DCLX. Postea Vandalis in Africam traijcientibus, successit Alaricus Pannonius de gente Balthorũ, qui tunc Gothorum dux erat. Ab eo Gothi CCC annos in Hispania regnarunt, id est, usq; ad Rodericum, cuius temporibus Arabes ac Pœni uniuersam Hispaniã, præter Cantabros & Astures, in suam potestatem redegerunt, anno Salutis DCCXVII. imperij Roderici anno septimo, ut Taraphа scribit. Huic cõuersioni causam dedit Celtiberiæ princeps, qui ut illatũ filiæ stuprum à Roderico uindicaret, Pœnos in Hispaniã euocauit. Postea Galli Carolo Magno primùm, deinde Ludouico filio ducibus, magnam Hispaniæ partem ab Arabũ seruitute uindicarunt, ac per legatos tandiu gubernarunt, quoad Ludouicus Pius, Iamfredo legato liberum imperium permisisset. Pòst Hispani recuperatis uiribus, duce Alfonso quinto, Arabes ex omni ferè Hispania exegerunt. Cùm autẽ in Veromundo Alfonsi filio Gothorum legitima proles defecisset, Ferdinandus primus Arragoniæ rex, imperium suscepit. Postea distractis in quatuor, mox etiam in quinq; partes Hispaniæ imperijs, crudelissimæ cædes non modò principũ inter ipsos consecutæ sunt,

sed etiam fratrum, parentũ ac liberorum. Nã Alfonsus III. Asturiæ & Galliciæ princeps, omnes fratres oculis orbauit: unus etiam cæsus est, cùm partem imperij occuparet. Consimiliter Alfonsus IIII. à Raymiro fratre oculis est orbatus. Raymirus alter à Ferdinando fratre crudeliter occisus: Garcias itidẽ à fratre Sanctio, hic à Vellido. Aliquanto pòst Alfonsus VIII. genere Gallus, Raymundi Tolosatis filius, tria imperia cũ uno & eodem coniunxit. Rursus Mauri magna classe Hispanias inuaserunt, & bonã partem ad Ferdinandum usq; Philippi proauum maternũ tenuerunt. Sic tandem imperiũ, partim ui & armis, partim etiã legitima successione magnoperè auctũ, nunc summa cũ utriusq; disciplinæ gloria floret, hoc etiã gloriosius, quòd in Africã usq; & Americam, leges & arma nõ sine uberrima & quæstuosissima mercatura, Christiq; religionis amplificãdæ studio protulerũt, ac longius prolaturi sunt, cùm nullũ sit imperiũ tam latè patẽs ex omnib. quæ unius dominatu regũtur, in quo minus principi tributũ sit, quod imperij bene cõstituti magnum est argumentum. Ioan. Bod. Meth. hist. cap. 6.

GALLORVM RESPVBLICA.

GALLI sub regibus primùm diutissimè floruerunt, ut Cæsar lib. 6. & Liuius lib. 5. testantur, colonijs in uniuersam ferè Europam missis clari. Cùm autem reges impotenter dominarentur, optimates imperium susceperũt: populum in tres ordines naturæ cõgruentes, hoc est ad rationis, iræ, ac libidinis formam distribuerunt. Druidæ à militia uacationem petpetuam, & omnium munerũ immunitatem habuerunt, ut Cæsar scribit. Igitur domesticum imperium, sacra, leges, summamq; iudiciorum potestatem Druidæ tenebãt: Equites rem militarem unà cũ Ambactis & Soldurijs curabant: Plebs agros & opificia. Cæsar testatur, apud Heduos principum factiones Reipublicæ perniciem attulisse, cùm alij Germanorum, alij Romanorum copias euocarent. Ad extremum Respublica diuturno Cæsaris bello fracta Romanis cessit: sed ea lege, ut magna pars ciuitatum suo iure ac libertate uteretur, ut Plinius lib. 7. tradit. Quadringẽtesimo pòst anno Romanis, Gothis & Hungaris dissidentibus, pauitum Franci, uniuersam Galliam inuaserunt, & regiæ potestatis formam ita stabilierunt, ut militari disciplina pauci, domestica nulli diutius floruerint. Gallia Romanis paruit à Cæsaris extrema de Gallis uictoria, usque ad Marcomerum ducem Francorum (cuius opibus freta Valentiniano tributum imperanti denegauit) annos CCCCXLI. qui numerus ex quadrato septenarij ducto in nouenarium conficitur. Hinc ad Varamundum nouem anni, ad eius regnũ, ter nouem: ex quo uerò dux est appellatus, usque ad Pipinum, qui ex magistro Palatij regnum inuasit pulso rege Hilderico, anni sunt CCCXLIII. cubus septenarij. A' cæde Syagrij, qui Romanorum ultimus Galliæ præfuit, usque ad Capetum, qui genere Gallus, natione Andegauus, imperium Francis ademit, perfectus est ille numerus CDXCVI. Ab Varamundo usque ad Capetum anni DLXVII. numerus ex quadrato nouenarij in septenarium ducto. Rursus ab Varamundo usque ad Hugonis Magni ac principum defectionem à rege Ludouico IIII. ipsiusque captiuitatem, anni sunt DXII. solidus cubus. Hinc ad alteram Caroli Borbonij defectionem à Francisco I. eiusque captiuitatem, quadratus est dupli duodenarij, puta DLXXVI. Ioan. Bodinus Methodi historicæ capite sexto.

GOTHORVM POLITIA.

GOTHI, Germanicum siue Scythicum (neq; enim scriptores consentiunt) genus hominum ferocissimum, modò Getæ, modò Daci à priscis auctoribus nuncupati sunt: ex quibus Strabo lib. Geogr. septimo auctor est, Getas discretis sedibus diuersos à Dacis habitasse, ut Daci mediterranea loca tenerent, Germaniam uersus, & istri fontibus uiciniores, qui olim Dani uocati sunt: Getæ Pontum uersus propius Orientem essent. Igitur Getæ & Daci uidentur gens una fuisse, atq; tantùm sedibus separata: quando, eodem teste, utrisq; eadem erat lingua. Is ab Augusto pax data est, uetitiq; sunt Danubij limitẽ transcendere. A quibus haud multo pòst uiolatis finibus, duo Romani duces, primùm Oppius Sabinus, deinde, Domitiano principe, Cornelius Fuscus, ad eam iniuriam uindicandam missi, cũ omnibus copijs cæsi sunt. Exegit deinde Traianus princeps eam gentẽ Romanis finibus, atq; in suas sedes compulsam uehementer afflixit. Postea Antoninus Caracalla ducens aduersus Parthos, Dacos ex improuiso adortus domuit. Gordianus minor res nouas molientes compescuit. Maiores deinde eius gentis motus secuti sunt. Philippo imperante, quando iam fata Romani nominis gloriam ad exitum traiiebant, Gothi Asiam inuaserunt, Bithynia priùs uastata, cum Macedoniæ & bona Thraciæ parte. Hanc Barbarorũ colluuiem Claudius II. Imp. in Mysia propemodũ ad internecionem deleuit, CCC millibus hostium cæsis, aut captis. Inde ab Aureliano trans Danubium uno prælio uicti, diu armis abstinuerunt. Sub Valente, ab Hunnis quoq; uicti fugatiq;, in aquilonarẽ Germaniæ Cherronesum Cimbricam sese contulere, atque DACIAM ex se dixere, insulam quoque in Oceano haud longè à Dacia, in Arcton protensam (quam fortè aut tunc aut postremò occuparunt) Gothiam appellauere. Dacia autem antiqua Pannonijs uicina hodie Valachia nuncupatur, eo, quòd Dacis inde expulsis, Romana colonia illuc missa est: nã Valach, lingua eorũ, Italicũ significat. Valachorũ deinde duæ factiones fuere, Dragulę, & Dani: sed Dragulæ Danis impares, Turcas in eã terram induxerunt, qui Danos penè deleuere: quos Ioannes Huniades restituit, atq; Turcis eripuit. Polyd. lib. 13.

SAXONVM RESPVBLICA.

Ferũt SAXONIAM, quo tẽpore Carolus Magnus illos inuasit, regibus subesse non passam, duodecim primarios uiros sibi præfecisse, qui per omnem prouinciã publicæ utilitati inserui rent, consulentes in medium de rebus gerendis. Annuus erat inter illos per uices magistratus. Quem uerò publicum deforis bellum illatum in magistratu deprehendisset, is durante bello rex appellabatur, cuius imperio parerẽt uniuersi: bello autem cum pace mutato, regium nomen pariter deponebat. Sic Edelhardus, unus ex duodecim proceribus, paulo ante Vedekindum, rex inscriptus legitur: & ab urbe Osnaburga quingentis uix passuum spacijs, reliquas arcis esse hodie commonstrãt: quam arcem, regiam uocant Vedekindi. Cranzius libro primo Metropoleos cap. 1.

BORVSSORVM POLITIA.

Anno Salut. 1525. mutatus fuit Reipublicæ status per PRVSSIAM, quæ est extrema Germaniæ prouincia, uersus mare Balthicum. Henrico VI. Friderici Barbarossæ filio Cæsare, cùm pro recuperanda Hierosolyma Christiani bellum gererent, institutus est ordo militum, ut uocant, Marianorum Teutonicorum: qui quoniã pro religione pugnabant, crucem albam in uestibus ferebant, uelut insigne quoddã atq; notam suæ professionis: fuit hoc ad annũ Sal. MCXC. Eius ordinis primus magister fuit electus, ut memoriæ proditũ est, in castris ad urbem Ptolemaida. Prussiam deinde subegerũt illi, Friderico II. Cæsare: & quum auctis uiribus bella gessissent, aliquandiu cum Polonię regibus, prælio uicti, fidem per iusiurandum dederunt Casimiro Poloniæ regi, patri Sigismundi. A' primo magistro usq; ad Albertũ Marchionẽ Brandeburgicum intercesserunt anni triginta tres. Albertus autẽ electus fuit anno Salutis MDXI. Is per biennium graue bellum gessit cum Poloniæ rege Sigismundo, & anno Salutis 1521. pactæ fuerunt in annos quatuor indu-

ciæ. Interea subinde sollicitabat Cæsarem Albertus & ordines Imperij, de auxilijs, & ad comitia Noribergæ ipse uenit, & ut Imperij princeps, locum suum habuit in consessu. nam belli causa erat, quòd in Poloni uerba iurare nollet. Cùm autem & Cæsar Carolus V. esset bello Gallico impeditus, & Turca in Vngariam impetum faceret, & seditione rusticorum distineretur Germania, sic ut auxilium inde nullum expectari posset, & iam exirent induciæ, pacem cum Polono fecit, eiq; fidem dedit, ut præcipuo suo magistratui, & religione simul & ordine mutato, Prussiã sibi uendicauit, & qui fuerat antè Magister, iam de uoluntate regis, dux Prussiæ salutatus, aliquanto pòst in matrimonium duxit Friderici Daniæ regis filiã Dorotheam, & Academiam Conigspergi, Montem regium uocant, instituit. Eo facto uniuersum ordinem in se concitauit. Nam etsi Prussiam tenebat, ac Poloniæ regis præsidio nitebatur, tamen de communi consensu Valtherus Cronbergus ei suffectus est, qui priscum nomen atq; statum repræsentaret. Is deinde in omnibus comitijs grauiter eum accusauit. Ille autem, edito scripto, sui facti rationem explicauit, quòd extrema necessitate coactus, quum ab Imperio destitueretur, in Poloni clientelam sese dedisset. Sleidanus lib.5.

DANORVM RESPVBLICA.

Eodem tempore quo Pyastus in Polonia, Carolus Magnus in Gallia, Nicephorus in Græcia, imperium inierunt: simul quoq; Gotricus DANIÆ regnum armis ac legibus stabilijt, ab eoq; ad Nubam regnatũ est annos CXL. Tum Henricus Auceps, Imperator Germanorum, regnum illud in prouinciæ formã redegit. Sed cùm ab imperio postea Dani desciuissent, rursus ab Othone uicti sunt, atq; iterum rebellarunt Suenone rege, qui à Valdemaro fratre deiectus est: à quo regnũ successione delatũ est anno pòst CCXL ad Margaritã, quæ Daniæ, Sueciæ, ac Norregiæ præfuit imperijs: & quæ Pomeraniæ ducẽ adoptauit. Tricesimo quinto pòst anno Engelbertus à Danis deficiens, Sueciæ regnũ inuasit: quod postea ciuili seditiõe coactus reliquit. Rursus tripleæ illud regnum unius imperio Bauari paruit. Post hunc Christianus electus est, à quo cæteri consequentes ad hæc usq; tempora imperarunt. Ioan. Bodinus Methodi hist. cap. 6.

BRITANNORVM RESPVBLICA.

Britanni à Bruto denominati (quo duce ex Græcia in Albionem insulam delati sunt, anno orbis conditi supra quater millesimum uicesimo septimo) inconcussum in Albionis parte imperium mille centum sexdecim circiter annos tenuere: quo tempore bello à Romanis duce Iulio Cæsare petiti, uectigalesq; facti, tributum aliquandiu pependerũt. Postea in prouinciæ formam redacta Britannia, Reges quidem suæ gentis habuit, cæterùm nomine tenus dumtaxat, tota à prætoribus Romanis administrata, ad annum usque Salutis humanæ quadringentesimum tricesimum sextum: quo tempore Scotorum Pictorumq; armis subacti, triginta annis tributum, agri haud exigua parte ademta, illis soluerunt: id quod Pauli Diaconi, Bedæ, Antonij Sabellici, ac multorũ aliorum tum ueterũ tum neotericorum auctoritate constat. At Barbarorum mox immanitatis pertæsi, assueti iam antea Romanis delicijs, Constantinum Androæni Armoricæ regis filiũ, in subsidiũ aduectus Scotos Pictosque accerserunt. Is cũ ingentibus copijs aduenienes repulsis illorum iugo, Britannicum restituit imperium, anno à natali Christi domini quadringentesimo sexagesimo quinto. Regnauit is & post eum filius eius Constantius, atque inde Vortigernus, non plus uniuersi duobus & uiginti annis. Tum ingruentibus denuo Scotis Pictisque, rursum penè in pristinam redacti seruitutem, Vortigerno rege auctore à Saxonibus auxiliũ implorarũt. Duodecim inde annis Vortigernus, auxilio Saxonum, iniuriam Scotorum Pictorumque prohibuit. Sed illis fidem non seruantibus, ducibus Hengisto, ac Orsa fratribus, in extremam perniciem ductus est. Quos enim aduersus aliorum uim subsidio uocauerat, ab ijs, magna Britannorum parte occidione occisa, ipse captus, in Gualiam exiguam regni partem cum reliquijs, relegatus est, Saxonibus reliquum Hengisto rege constituto occupantibus: unde & Angliæ nomen regio obtinuit, populiq; Angli dicti sunt. Nec tamen Britanni hac re prorsus concederant: uaria enim fortuna ad Arthuri regis usq; tempora cum Anglis pugnarunt. Cæterùm eo defero, idem regni qui uitæ eius finis fuit: accisis enim uiribus, palmam deinceps Saxonibus concessere. Ab Arthuro, qui fato cessit anno quingentesimo quadragesimo secundo, ad annum millesimum decimum sextum Britanniam Angli tenuere: primùm sub uno rege, inde in septem regna diuisam, mox rursum ad unum redactam, eosdem semper quos nunc regni terminos habentes. Subinde à Danis Angliam inuadentibus subacti Angli, quinq; reges Danici sanguinis habuere, Sarnonem, Heraldum eius filium, Canutum, Heraldum cognomento Harfut denique, & Hardecanutum. Ab illis leges magistratusq; accepere: hic nimis quàm superbè genti insultans, non ferenti sœdam diutius seruitutem, una nocte per uniuersam regionem Danica nobilitate occisa, quũ idem sibi imminere exitium cernerret, mortem sibi ipse conscium. Itaque Eduardum Eldredi (qui postremus ante Danorum aduentum in Anglia regnauerat) filium regem constituunt. Verùm eo paulo post defuncto, atque ob singularem uitæ integritatem in diuorum numerum relato, ueriti Angli, ne ira amissi regni Dani rursum infesti arma inferrent, Heraldum, patre quidem Godouino gentis Angliæ, sed matre Canuti regis filia prognatum, regem sustiliunt, spreto Eduardo D. Eduardi regis pronepote, fratre diuæ Margaritæ Scotorum postea reginæ. Ira enim fore arbitrabantur, ut restituto quodammodo Danis regno, pace deinceps tranquilla fruerentur. Atqui Heraldus immanibus insolentiaq; perditus, Gulielmi Nothi Normannorum ducis filiam, quam uxorem acceperat, nefariè agasonibus prostituens, ab eodem iusto bello petitus, uita regnoque priuatus est, quinquagesimo anno postquam Anglorum Dani imperium primùm inuaserant: qui fuit annus à partu Virgineo supra millesimum sexagesimus sextus. Gulielmus potitus Anglorum imperio, Normannos, quò simul cum Anglis coalescerent, imperiumq; id unis adsposteros propagaretur, Danico nomine obliterato, in Anglorũ concedere uoluit, cuius stirps etiamnũ hodie regno potitur. H. Boeth.

BRITANNI regiam potestatem initiò, ut omnes ferè populi, pertulerunt. Polydorus enim reges octo & sexaginta, ex antiquis seu ueris, seu fabulosis scriptoribus, mille circiter annos ante Cæsarem, Britannis imperasse scribit: Romanis uerò, postea quàm à Cæsare uicti sunt, annos quingentos paruisse: id est, ad Theodosium usq; iuniorem, quibus temporibus cùm à Scotis & Pictis grauissimè premerentur, ac de Romanorum auxilijs desperare cœpissent, Anglorum & Saxonum opes è Germania euocarunt. Hi pulsis Britannis imperium facilè occuparunt: sed ita ut septem reges diuisis imperijs dominarentur, ac perpetuis bellis in seipsos grassarentur: quoad Egbertus, post annos circiter CCC quàm Angli Britannos in Galliam expulerant, id est, anno Salutis DCCC, penè solus imperauit. Postea Dani ac Scoti mox uicti, mox victores, insulam more prædonũ annos ferè CL diripuerunt, usq; ad Eduardum maiorem, qui Danis pulsis imperium recepit. Centesimo pòst anno bellis intestinis flagrantes, Gulielmum Normannum euocarunt. Is Haraldo cæso, ac Republica constitura, regnum successione ad suos detulit, qui annis ferè centum ac decem fortiter imperarunt. Secutus est Stephanus comes Blesensis, genere Gallus, qui regnum legibus ac domestica disciplina humaniter informauit, anno Salutis MCXXXVI. Pòst Henricus II. genere quoq; Gallus, & Stephani, ut pleriq; aiunt, filius: paterno iure Comes Andium, Cenomanorum, ac Turonũ: Stephani adoptione, & materna successione, Angliam & Normanniam, uxoris dote Aquitaniam & Pictauiam consecutus, maximum imperium diutissimè rexit, ac deinceps eius posteri florens illud regnum, ac bellicis laudibus abundans annos CCCC ita gubernarũt, ut uniuersam penè Galliam partim legitimo iure, partim iniquis, partim fraudibus, cùm ciuili bello Galli premerẽtur, occuparint. Tandem aliquando conspirantes Galli, & uictoriarum incredibili celeritate usi, Anglos de tota Galliæ possessione deiecerunt. Ioan. Bodinus Methodi histor. cap. 6.

TVRCORVM RESPVBLICA.

Cùm TVRCÆ à Græcis defecissent, anno Salutis circiter DCL. breui Syriam, Aegyptũ, Persiam, Africã usq; ad Oceanum, pòst etiam Hispanias, Cretam, Siciliam, Peloponnesum, & Italiæ partem occuparunt, tanta uictoriarum celeritate, ut tot ac tã multas regiones antè domuisse, quàm peragrasse indeantur. Ac tametsi obscura est eorum, & fabulis confusa historia, quam nostri literis mandarunt: facilè tamen intelligi potest ex Leone Afro, & Gulielmo Tyriorum episcopo, qui antiquitates illorum ac regiones penitiùs inspexerunt, nullum ferè imperium, excepto Romano, maius

maius antea extitisse. Ipsi Pontifices, qui Caliphæ dicebantur, sola religionis opinione tantum ualuerunt, ut leges omnes diuinas & humanas arbitratu suo moderarentur: ab his enim Imperatores & exercitus, uelut à diis pendebant: reliqui principes uitam illis, cap ut, fortunas, imperium deniq; acceptum ferebãt. Sed cùm de religione inter se discrepare cœpissent, propter Hali cædem, Pontifices quoq; Aegypti cum Babyloniis ac Damascenis grauissima bella gesserunt: deinde Gallorũ uiribus de Hispania ulteriore, pòst etiam de Italia, Cypro, ac Syria decedere coacti: tandem à Persis quoq; Tartaris ac Turcis repulsi, uires in Aegypto & Africa collegerunt, anno centesimo circiter ac millesimo: hinc Tunetani reges à prima incursione Arabum in Africa, regnum ad hæc usq; tempora gubernarunt, id est, ut Muleasses coram pontifice maximè iactabat, annos DCCCC. Sultani uerò Aegyptũ à Saladino usq; ad Tomumbeium, quem Selymus Turcarum princeps in crucem egit, annos CCCXXXVI obtinuerunt. Sed tantis odiis ac cædibus exarserunt cum Mauris Tunetani reges, & inter se Mauri, pòst etiam Sultani, ut Hispanorum ac Turcorum fracti uiribus nunc seruire consuescãt. Iisdem temporibus, quibus Aegyptum Saladinus occupauit, duo potentissima imperia pattatum adoleuerũt: TARTAROVM scilicet ac Turcarum. Scribit enim Hayto Canguiscanum Tartarorum, qui olim Scythæ dicebantur, principẽ imperium in Asia maiore longè latecq; propagasse: & ex eadem gente Turcarum unam legionẽ, quæ Persis auxilio uenerat, accepta religione Arabum, in Asia minore conquieuisse: ac sensim Arabũ & Græcorum discordia in tantam potẽtiam creuisse, ut ex quo Selimus homo priuatus Cappadociæ principatum arripuit, anno MCIIII ad hæc usq; tẽpora, omnia non modò Græcorum & Arabum imperia, sed etiam prouincias omnes à Danubio usq; ad Borysthenem, hominũ ferocissimorum, & utramq; Pannoniam atq; Illyricum occuparint: tametsi Persarum, Christianorum, ac Tartarorũ maximis bellis implicarentur. Ioan. Bodinus Methodi hist. cap. 6.

VOLVMINIS VIGESIMIOCTAVI

FINIS.

THEATRI HVMANAE VITAE

Volumen Vigesimum nonum

OECONOMICAM VITAM HOMINIS

LIBRO VNICO, sed qui in plures olim, ζωὼ θεῶ, diduci possit, enarrans.

PONENDAE
DOMO QVAERENDA EST
AREA

Hanc dum puerili licèt, honesto tamen ausu LVGDVNI
quærit
in permagnas uitæ coniectus difficultates
sed ab iisdem consilio oportuno fidoq. expeditus auxilio

VT

bene apud memorem ueteris stet gratia facti

ADAMO KNOVFFO
Coloniensiũ Asclepiadarum antesignano

THEOD. ZVINGERVS
Postremum hocce
THEATRI VOLVMEN
DE
Vita Oeconomica
D D

TOMI XXIX TIT.
DISPOSITIO.

- Vniuersim, ut
  - Totum. FAMILIA, Gens œconomica, à famulatu, à societate. Huius
    - Institutio.
    - Decursus, ratione habita
      - Temporis. Familiæ
        - Noua.
        - Antiqua.
      - Claritatis. Familiæ
        - Nobilitas.
        - Ignobilitas.
    - Interitus.
  - Partes habet. COMMVNICATIO domestica considerata respectu
    - PERSONAE, quæ cõmunicant. Homo suum quærit esse, quoniã animal est sociale. Ergo cũ aliis uersatur & communicat in certis reb. Perpendendæ proinde personæ aliæ
      - Primariæ. Vide signum 1.
      - Secũdariæ. SOCIETATES Oeconomicæ secundariæ, quæ primarias consequuntur. Sic comitatur Societatem
        - Herilẽ, Societas
          - Conseruorum.
          - Libertorum inter se.
          - Libertorũ & Patroni. Libertinorũ.
        - Coniugalem, Societas inter
          - Socrum & Nurũ.
          - Affines quoscunq.
        - Patriã, Societas
          - Maiorum inter se.
          - Minorum inter se. Videlicet
            - Fratrum.
            - Cognatorum quorumuis.
          - Maiorum & Minorum. Vtputa
            - Aui & Nepotum.
            - Auunculi & Nepotum.
    - RERVM in quibus cõmunicant. Cuiusmodi sunt
      - Locus
        - Domus
          - Extructio. Possessio.
          - Vsus. Nempe
            - Apertio.
            - Inhabitatio.
            - Elocatio.
        - Ager.
      - Locata:
        - Pecunia.
        - Vtensilia, Instrumẽta. Horum
          - Historia.
          - Dispositio.
          - Vsus. Vt Lucernæ.
        - Annona.
    - MODI quo cõmunicãt. Huc pertinet
      - Consociatio Oeconomica
        - Herilis.
        - Coniugalis.
        - Patria.
      - Institutio œconomica.
      - Cura corporis œconomica per
        - Alimenta.
        - Medicamenta.
        - Balnea. Vestitum.
      - Rei familiaris cura. Nimirum opum
        - Acquisitio, per
          - Operam
            - Artis.
            - Militiæ.
          - Hæreditatem:
            - Qui: respectu
              - Ortus legitimi.
              - Primogenituræ.
              - Sexus. Cognationis.
            - Quomodo. Vel
              - Successione.
              - Testamento.
        - Possessio. Conseruatio.
      - Iurisdictio.
      - Initiatio
        - Coniugij.
        - Seruitij.
      - Certamina, Lites
        - Heriles.
        - Coniugales.
      - Dissociatio œconomica
        - Herilis per
          - Venditionem.
          - Donationem.
          - Manumissionem.
        - Coniugalis per
          - Discessionem.
          - Repudium.
        - Patria, per
          - Desertionem.
          - Abdicationem.
      - Ludi œconomici.
- De OBCONOMIA ad ẽ posita
- Singillatim, singulas Oeconomiæ rationes expendendo. easq; rursus tum Populares, respectu Populorum (sic Galli, Itali, Germani peculiarem habent Oeconomiæ modum) tum Familiares, respectu Familiarum, quæ apud quoscunq; tandem populos illustres fuêre.



Volu-

Voluminis Vigesiminoni Liber Singularis.

Oeconomia ut Totum quid considerata.

INSTITVTIO OECONOMIAE.

Magnum hic inane, propterea quòd aliorum in hoc genere laboribus & cibo ueluti præmanso caruimus. Locos interim ipsos annotare placuit, ut methodi constantiæ attestaremur, Studiosorumq; cogitationes dirigeremus, accenderemusq;.

OECONOMIAE DECVRSVS. RATIONE HABITA

TEMPORIS. FAMILIAE

NOVAE.

Sic IPHICRATI, sic CICERONI, sic C. MARIO nouitas obiecta ab æmulis.

ANTIQVAE.

Sic quibusdam [illegible] dominis, de antiquitate Familiarum gloriari possumus præ iis, qui superioribus seculis uixerunt: gloriabuntur adhuc amplius, qui post nos uiuent. In Noacho & Adamo conueniunt omnes: in eo differunt, quòd alij successionem familiæ propter maiorum splendorem laudare possunt, alij non possunt. quorum hi ignobiles & obscuri, illinobiles quasi noti homines appellantur.

CLARITATIS. FAMILIAE

NOBILES.

In AEGYPTO in domorum uestibulis, alas uulturum proponere, indicium nobilitatis & uetustatis familiæ erat. Alex. ab Alexandro libro quinto, cap. 24.

Apud ROMANOS in atriis nobilium & foribus, ac circa domorum limina, hostium deuictorum spolia, enses, clypei, galeæ, currus, deuictarum nauium rostra, ueluti auitæ gloriæ & fortium factorū ornamenta, affigebantur: quæ quanto uetustiora essent, tanto plus decoris & maiestatis habebant. Ibidem.

Triumphales domos hoc amplum habuisse ferunt, ut fores de uia Græco more aperiantur, non intus, sicut de Poplicolæ familia proditum est. Alexander ab Alexandro lib. quinto, capite 24.

IGNOBILES.

De Ignobilitate Voluminis Tertio agimus.

Oeconomia respectu Personarum communicantium considerata.

SOCIETAS HERILIS, INTER DOMINVM ET SERVVM.

Consule Voluminis Tertij librum Sextum, ubi de Seruitute tanquam Fortuito malo agitur.

DOMINI

VIRTVS.

ADMETVS, Thessaliæ rex, ob pietatem & probitatem laudatur ab Apolline apud Eurip. Alcestide, qui ipse domū quoque sibi similem reddiderit,

οὐδὲ γὰρ ἀόρδὸς ὢν ὢν ἐτύγχανον.

OFFICIVM. HVC HERILIS

Potestas in Seruum,

ἀνὴρ δεσπότης.

Ex loco, Perfidiæ ergà Dues pœna, huc non pauca.

Prouidentia.

Sic Domini est domum regere institutis, de alimentis prouidere, atque etiam sanitatis curam habere, si Catoni credimus.

SERVORVM

GENERA, DIFFERENTIAE. SERVI ALII

Ortu, Natiuitate.

Apud LYCIOS serui nascuntur ex patre libero, matre serua. Seruitus enim & libertas à matre ducitur, uti & familiæ cognomen. Herodotus lib. j. Quod ipsum in GERMANIA etiamnum hodie obseruatur. Nam si libertus (Libergen sent Germanis appellātur) duxerit liberam, filij inde suscepti patris quidem nomen assumunt, at matris conditionem: sin uerò liber libertam duxerit, filij quoq; liberti erunt.

Instituto.

Nonnullæ INDORVM gentes pueris adolescentibus, etiam si magnæ fortunæ & amplis opibus forent, pro seruis utebantur: ut eam sortem expetti, quantum decus libertatis foret, agnoscerent. Quod cum CRETENSIBVS & Laconibus commune asseuerant fuisse, ut ingenuos filios seruilia exhibere cogerent. PHRYGIBVS familiare fuit, proprios uendere filios in eximio ætatis flore, & seruilem in modum educare. NABATHÆIS quoque adolescentes ingenuos seruilia præstare officia consanguineis, assidua exēpla sunt. Alex. lib. 2. cap. 25.

Vi, Coactione.

Huc Mancipia, bello capta.

CONIVGIA, LIBERI.

AEGYPTIIS nullus ex serua genitus habetur seruus aut illegitimus: quia solum patrem ingenuitatem & genus præstare,

stare, matrem uerò natalibus nihil conferre putabant. Pericles Athenis auctor fuit, ut qui ex serua, aut non legitimo coniugio nati essent, uel turpi nota affecti forent, ciuium in numerum non adscriberentur. Alex. lib. 2. c. 22.

FIDES, PERFIDIA.

Sub loco Iustitiæ & Iniustitiæ profanæ de Fide Seruorum erga Dominos actum.

EMTIO, VENDITIO.

Volumine Tertio Seruientis locum persequti sumus.

MANVMISSIO.

Manumissionis exempla, pete ex fol. 772.

Apud HEBRÆOS ex Dei præcepto serui sex annis seruiebãt, septimo manumittebantur gratuitò. Quòd si seruus, captus amore sui domini, & uxoris, & filiorum, nollet manumitti, eum dominus ad recuperatores adducebat, eiq; ad ualuæ aut ad postem applicato, aurem subula perforabat, & ille postea in perpetuum seruire cogebatur. Exodi 21. & Deuteronomij cap. 15.

CONIVGALIS SOCIETAS INTER MARITVM ET VXOREM.

VTRIVSQ. RESPECTV. Quo ad

NVPTIAS.

De his infrà, inter Accidentia Occonomica, diffusè.

IMPERIVM.

In ASSYRIA Lunæ templum apud Carras fuisse, memoriæ proditum est, in quo qui Lunæ supplicaret, uxoris imperio subigi: qui uerò Luno deo sacrum faceret, uxori dominari ferebatur. Alex. lib. 4. cap. 8. Ergo Germanis nil causæ subest, cur mulieres dominentur, qui Lunam marem, feminam Solem esse putant: der Mon/die Sonn/ pronunciando.

Apud SACAS, extimas Scythiæ gentes, si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: & si illa superior sit, captiuum abducit, atq; imperium in eum tenet: sin inferior, regitur ab ipso. Certant enim non de uita, sed de uictoria & imperio domestico. Aelianus lib. 12. de Varia hist.

VENERIS VSVM.

Quoties cum uxoribus miscentur BABYLONII, igni suffitũ faciunt, foco assident cum mulieribus. Sub diluculum abluuntur ambo, nullũ uas priùs attingentes. Eadem & ARABES faciunt. Herod. lib. j. & ASSYRII, teste Strabone lib. 16.

Apud SPARTANOS post nuptias maritus ad sponsam pressè cõmeabat cum pudore & metu, ne quis ex familia perciperet, unà machinante illa & opportunitatem suppeditante, quo in tempore inscijs aliis congrederentur. Neq; uerò ad modicum temporis ita agebãt, sed aliqui etiã liberos priùs tulerunt, quàm uiderent uxores suas interdiu. Cõgressus hic non modò temperantiæ erat & castimoniæ meditatio, uerùm etiam cùm corporibus fœcundos, tum perpetuo amore recentes ad concubitum adigebat & integros: non expletos & flaccidos conũctionibus immodicis, uerùm semper reliquias aliquas & aculeum relinquentes mutui desiderij & amoris. Plut. in Lycurgo.

VSVFRVCTVM.

LYCVRGVS omni studio incubuit, ut honesta essent matrimonia, & minimè tamen zelotypa. Itaq; uiro natu grandiori, cui florens ętate erat coniux, si quem probum & pudentem adolescẽtem earum haberet probaretq;, ius erat eam huic iungere, & cùm implera esset egregio semine, sibi uendicare partum. Ediuerso liberũ erat bono uiro, si qua ei casta mulier, quæ elegantes pueros ederet, alteri nupta cordi esset, agere cum uiro, ut copiã sibi eius facerer, atq; ita tanquam frugiferum aruum conserere & gignere liberos probos, qui proborum futuri cõsanguinei & propinqui essent. Ante omnia enim non duxit priuatos parentũ filios Lycurgus, sed communes ciuitatis. Quare noluit ex turmalibus, sed ex præstantissimis generari ciues. Deinde reliquos nota uit legislatores oppido insulsos & uanos fuisse, qui canes & equos ad optimos admissatios agant, idq; gratia uel pretio contendant à dominis: coniuges uerò inclusas, quas ex solis uolunt ipsis parere, custodia sepiant, siue amẽtes sint, siue deceptiti, siue ualetudinarij: quasi uerò filij, si ex prauis editi sint, non ipsis præcipuè, in quorũ sunt potestate, & altoribus sint prauì: & contra probi, eam si nacti originẽ fuerint. Plut. in Lycurgo.

DISSOLVTIONEM MATRIMONII, QVÆ FIT VEL

Bona gratia.

Bona gratia dissolui matrimonium: formula iuris antiqui (ut ex Notella 22. intelligitur) cùm propter sacerdotium, sterilitatem, senectutem, ualetudinem, militiam, satis commodè retineri matrimonium non potest. Hotomannus de Verbis iuris.

Diuortio.

Apud HEBRÆOS non erat mutuũ diuortij ius, sed soli marito fas erat ab uxore discedere: contrà apud Romanos utriq; licebat id facere.

MOSES uidens, auctore Hieron. Iudæorum alios auaritia, alios molestia domestica, alios libidine commotos, suas uxores iniuria, & aliquando morte afficere, quò sibi integrũ foret nouas ducere uxores aut ditiores, pulchriores, iuntorẽsue: ut domesticæ quieti consuleret, facultatem illis dedit diuortij faciendi cum prioribus uxoribus: sed uoluit, ut uir daret uxori ita reiectæ libellum diuortij, in quo, teste Iosepho lib. Iud. antiq. 4. in hanc fermè sententiam inscriptum esset: Promitto me non repetiturum te, quò sic mulier posset cuiuis rursum nubere. Nec de ea re aliter est lege sanctũ, ne fieret contra illud, Quod Deus copulauit, homo non separet. Ac ita permissu Mosis, non iussu, diuortium primùm apud Iudæos factum constat. Testatur utrunq; Christus apud Matth. c. 19. Quod Deus copulauit, homo non separet, & subiicit, Moses, ad duritiam cordis uestri, permisit uobis repudiare uxores uestras: cæterũ ab initio nõ fuit sic. Ad duritiam dixit, qp fæuitiam exercuerint in uxores, quas nimis ferum ac durũ sit, nõ diligere. Polyd. lib. j c. 4. de rerũ Inuẽt.

Apud ISRAELITAS ex Domini præcepto, si quis duxisset uxorem, & ea illi non placuisset, quòd aliquid in ea offendisset inhonestum, scribebat ei libellum diuortij, eumq; illi in manum dabat, & è domo sua dimittebat. Quòd si mulier ista repudiata alteri nupsisset, & ille quoq; eam inuisam haberet, licebat illi similiter libellum repudij dare. Deut. 24.

Libellum repudij IVDÆIS quauis de causa uxorib. suis dandi potestatẽ Moses fecerat: at Christus ob solam stupri causam dari posse affirmauit. Eius formulam è lingua Chaldaica (cui iam inde à Babylonica captiuitate Iudæi assueuerãt) [redacted]: eamq; tanta diligentia à Iudæis etiamnũ hodie conseruari asserit, ut si unica litera omissa aut repetita aut cum alia confusa cernatur, instrumentum iudicẽt inualidũ, ac de nouo præcipiant exarandũ. Formula talis est: Die tertia hebdomadis, XXIX mensis Octobris, anno quinquies millesimo decimo octauo ab Orbe condito, quemadmodũ numeramus hic Parisiis, urbe quæ sita est ad flumina Seino & Bibera: Ego N. cognominatus N. filius N. sacerdotis, q̃ consisto hodie Parisiis, urbe quę sita est ad flumina N. & N. deliberaui in cogitatione animæ meæ, nemine me cogẽte, & dimisi & liberaui, & repudiaui te tibi: te uxorem meam N. cognominatam N. filiam N. sacerdotis, quæ fuisti uxor mea antehac. Et nunc liberaui & dimisi & repudiaui te tibi, ut sis tui iuris, & domina animæ tuæ, ad abeundum, ut ducaris abs quolibet uiro quem uolueris: nec uir quisquã prohibeat in manu tua, ex hoc die & in æternũ. Et ecce, permissa es unicuiq; uiro. Et hic esto tibi à me libellus repudij, & epistola dimissoria, & instrumentum libertatis, iuxta legem Mosis & Israelis.

Diuortium THVRIIS hac lege permittitur, ut neutri cum iuniore sponsa, aut uiro coniugium postea inire liceret, nelibidine aut illecebra uoluptatum magis, quàm causa diuertisse uideantur. Cælius lib. 28 c. 6. A. L.

ATHENIENSIBVS libello repudij porrecto à uiro uel uxore, an concedi debeat, magistratus decernit. Solon lege constituit, ut qui uxorem extuibasset, dotem illi restitueret, alioqui inter usuruum sexquidrachmale ob mortam soluere cogeretur. Idem.

Vxorem dimittere, ueteris non fuit instituti, nec probatum postea est, quanquam Domitianus permiserit. Assuerunt uerò eiusmodi diuortio sacerdotes πολλὰ φρικώδη καὶ δεινὰ πάσχειν καὶ ἀνοσιουργοῦντες, multa horrenda atrociaq; ac nisi ta obeuntes. ROMVLVM lege caussse, satis constat, ne mulieri uirũ, in cuius manu mãcipioq; matrimonij causa foret, relinquere fas esset: sed uiro uxorem repudiare, si in liberorum uenefico aut in adulterio foret deprehensa, aut claues subiecisset, aut uinum bibisset. Quòd si aliter quis repudiasset, eius opum uxori portionẽ dari, reliquũ Cereri esse iussit sacrum. Sed & qui ab uxore diuerterẽt, sacra diis inferis obire, Idẽ.

Romæ ante Sp. Carbilium, qui sterilitatis causa uxorem carissimam repudiauit, nullæ cautiones de dotibus in re uxoria adhibebantur. Gellius lib. 4. cap. 3.

Caius Iurisconsultus Pandect. lib. 44. tit. de Diuortiis, ostendit fuisse receptũ, ut diuortiũ his uerbis peragereturr: Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito. quorũ altero reddit dotẽ, altero abdicat ab se tutoris munus, in rebus uxoriis. Hæc aũt forma uerborũ perscripta est, ne uel nõ ratũ esset diuortiũ, si nullis solennibus uerbis peragereturr: uel inauspicatum & odiosum, si uerbis inciuilibus peragereturr. Erasmus. Itidem in discentiendis sponsalibus uisum est uti his uerbis, Conditione tua non utar. Ita Alcmena apud Plautum, Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas. Huc alludens Cicero in Antonium, Frugi factus est, inquit: illam suas res sibi habere iussit. Dicebatur tunc & uxori nuncius remitti. nam primo Epistolarum ad Atticum Cicero, Vxori, inquit, Cæsarem nuncium remisisse. Idem.

Apud ROM. uxori, concepto, necdum edito partu, post diuortium, alteri nubere non licebat. Damnaturq; Augustus Octauius, quòd Liuiam Drusillam ex altero uiro abduxerit grauidam. Alex. lib. 4. cap. 8.

RVTHENI diuortia inter se frequenter celebrabãt, Episcopis permittentibus, literasq; repudij dantib: Quidam etiam agrestium, quibus ad Episcopos propter longam itineris distantiam aditus difficilis erat, diuortium tali modo peragebant. Cùm sibi uir & uxor utrunq; displicerẽt, tunc extra pagum in triuium ambo prodire solebant, mantili accepto, quod inter se manibus utrinq; tenendo per medium discindebãt, hocq; inter se diuiso, matrimonium etiã diuisum esse putabãt, & uxori repudiatæ uir dicere solebat, Vade tu hac, ego illac pergam. Sed hic mos nunc prorsus abolitus est. Guagninus in descriptione Moscouiæ.

Legem habent TVRCI, qua cauetur, ut is qui uxorem dimittit, edicat se non amplius ipsam in sua admissurum. Id factitare summi dedecoris est, postquam sibi ad tres splenes matrimonium dissedisse dixerit maritus, neq; recipere licet, nisi quis ter splene in medium procedente denuò ducat ab alio adulterio polluta. Hinc factum, ut cùm Baiazetes Turcorum Imp. Tamberlanis respondisset, uisi prælio secum Tamberlanes decertaret, optare se ut uxorẽ suam ter repudiatam iterum assumeret, Tamberlanes tãto sit correptus furore, uxore etiam instigante, quæ alioqui eum à bello Turcis inferendo sedulò dehortabatur, ut statim contra Baiazetem expeditionẽ susceperit. Chalcocõdylas. li. 2.

MARITI RESPECTV. CONSIDERETVR Mariti

OFFICIVM.

Solonis lege maritus uxorem licet sterilẽ ter mẽse ut minimũ cõplecti iubetur. Nam etsi non generent liberos, honos tamen hic qualisqualis à marito castæ mulieri habitus, & benuolentia, multas abstergit undiq; collectas acerbitates, nec permittit eam iurgiis planè abalienari. Plut. in Solone.

IMPERIVM IN VXOREM.

Mariti ea fuit potestas in uxorem apud ISRAELITAS, ut quocũnq; uoto sese obstrinxisset mulier, si uir repugnaret, eo soluta esset: sin consentiret uel apertè uel tacitè, eo teneretur. Numeri 30.

Legem ROMVLVS tulit duram, quæ mulieri à uiro uetat diuertere, at uiro permittit illã, ueneficio sublatis liberis, uel subdito partu, uel adulterio admisso, repudiare. Sin alia de causa domo exegerit eam, partem bonorũ uiri attribuit mulieri, partem Cereri consecrauit. Qui repudiasset uxorẽ, deos manes placaret. Plut. in Romulo.

Apud ROM. si quid ab uxore delictum esset, aut si quæ simultates offensionẽsue forent, siquidem leuia & perignorantiam admissa, clementi animaduersione & mollissimis pœnis emendabant: si quid uerò grauius, de eo uir non in iudicio & foro, sed remisso iudiciorum munere, ne litibus obstreperent, cum propinquis rãquãm domesticis iudicibus, cognoscebant quicquid diffidij foret, in sacellò deæ Viriplacæ, illarumq; contumaciam pœnis seuerioribus aut molioribus cohibebant. Quod etiam TIBERIVS Cæsar statuit, ut propinqui & necessarij matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator deesset, communi sententia coercerent. Nonnunquam uxoris offensa, mariti iudicio permissa fuit: nam Pomponia Græcina captis & famæ postulata, iudicio mariti insons renunciata est. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

VXORIS RESPECTV. Perpendatur

GESTATIO VTERI.

Cùm ita uterus excreuisset grauidis puellis, ut consueta zona uti amplius non possent, eam zonam in templo Dianæ λυσιζώνου, Zonam soluentis, apud ATHENIENSES, deponebant. Hinc Zonam soluere, pro eo quod est grauidam fieri. Natalis Comes Mythol. lib. 3. cap. 18.

IMPERIVM.

Vide Titulum, Υπανδρος κρατεῖται.

PRIVILEGIA.

Cùm Romani Sabinorum filias rapuissent, mox collatis armis pax cõuenisset, in legibus pacis aliis hoc etiã relatũ est, Ne uiro Romano VXOR moleret, neq; eius coquinariam faceret. Plut. in quæstionib. Rom.

CONCVBINATVS.

Ex Intemperantiæ Veneræ loco illustrari potest præsens Titulus.

Apud MALABARES Indos nobilibus sunt interdicta matrimonia, ne quidquãm sit illis impedimento, quò minus perpetuò se in armis exerceant. Habet autem quilibet eorum amicas ordinis eiusdem complures. Nefas enim est illis, mulieri, quæ non fuerit nobilis, commisceri. Similiter & illę tot amatores habent, quot habere uolunt, dummodò nobiles sint. Nulla est inter illos æmulatio: sed alij alijs per uices sine ullo diffidio aut obtrectatione succedunt. Si uerò alliquis mulieri coniungitur, quæ nobilis non sit, aliorum nobilium gladiis conciditur. Similiter & mulieres, quæ eam legem transiliunt, idem supplicium subeunt. Testamento filios hæredes non instituunt, eò, quòd ignorent, an sint ab illis progeniti. Eorum autem loco sororum filios sibi hæredes adsciscunt. Osorius lib. 2. rerum Em.

CONNVBIA PROMISCVA.

Macarum in Africa finitimi sunt GINDANES, quorum uxores ferunt fimbrias pellicias singulæ multas, ob hoc (ut memoratur) quòd ut à quoque uiro uenerem passa est, fimbriam orat: & ut quæque plurimas habet, ita præclarissima censetur, tanquam à pluribus uiris adamata. Herodotus libro quarto.

Ex lege Theopompus refert, ut scribit Athenæus, TYRRHENIS mulieres fuisse communes, quæ corpori studerent impensiùs, exercerenturq; cum uiris nudæ: neq; enim illis turpe censebatur hoc. Cœnasse uerò cum iis, in quos incidissent, propinasse item pro arbitrio, fuisse quoq; uini capacissimas, sed & forma cõspicuas. Cælius libro decimoquarto, cap. 8. Antiq. Lectionum.

NOMADES communes habent uxores & filios: & apud SCYTHAS præter ensem & cyathum, uxores & liberi in communi sunt.

DAPSOLYBIES cõgregati, omnes uno die uxores unà dũcunt, post Vergiliatum occasum. Nam post epulas mulieribus seorsum discumbẽtibus, extincta lucerna, uni ad ipsas ingrediuntur: & quilibet quamcunq; contigerit, ducit. Ex Nicolao de Moribus gent. Stob. serm. 42.

LIMYRNII populi connubia habuẽre promiscua, filiosque editos post quinquennium in unum coactos, suum quemque similem agnoscere, & pro filio educare feruntur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

EVANVS III. Scotorum rex centum concubinas, ex nobilioribus matronis uirginibusque delectas, habuit. Legem tulit, ut liceret singulis plures uxores, aliis sex, aliis decem pro opibus ducere: ut Nobilibus plebeiorum uxores communes essent: deniq; ut uirginis nuptæ florem loci dominus delibandi potestatem haberet. H. Boethius lib. 3.

COELIBATVS.

GRAECORVM.

Leges ISIDEM statuisse ferunt, quibus iustitia æquè omnibus seruaretur, ui atque iniuria metu pœnæ sublatis. Quã de causa prisci Græci eam Legiferam appellarunt, tanquam primam legum inuentricẽm. Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. de Rebus antiquis.

CERES θεσμοφόρος, & Legifera à poetis appellatur: eiusq; festa Thesmophoria apud Athenienses celebrabantur. Idem.

VENVS OECONOMICA QVAEVIS ALIA.

Huc Scortatio & quæuis alia Libidinis species, quas sub Intemperantiæ uenereæ loco persequti sumus.

SOCIETAS PATRIA INTER PARENTES ET LIBEROS. CONSIDERANDI

PARENTES, QVO AD OFFICIA. CVIVSMODI EST

Cura infantum.

Aristodemus, Lacedæmoniorum rex, ex Aegina filia Autesionis geminos sustulit, & mox obiit. Lacedæmones primigenium ex lege regem creaturi erant. Verùm cùm pueri similes essent, neq; quis illorum prior ex utero prodiisset, discerni posset, percontati sunt MATREM. Eaq; negãte se dignoscere (dissimulabat autem, quoniam magnoperè cupiebat ambos effici reges) miserunt Lacedæmonij Delphos sciscitatum, quid in ea re agerent? Pythia respondit, Vtrumque puerorum haberent pro rege, sed primigenium magis honorarent. Hoc responso à Pythia edito, Lacedæmonij nihilominus incerti, quo pacto primigenium reperirent, admoniti fuere à quodam Messenio, nomine Panite, ut obseruarent, utrum puerorum mater priorem lauaret, cibaretque: quam si deprehenderent eodem semper modo facitare, habituri essent id omne quod quærerent: sin illa alternando erraret, palam fore ne ipsam quidem quippiam magis nosse. Spartani igitur ex admonitu Panitis obseruantes matrẽ puerorum, ignaram cur obseruaretur: animaduertentesq; illam præferentem alteri primigenium, tum cibando, tum lauando: acceperunt eum puerum, qui magis honorabatur à matre, tanquam primigenium, publicèq; alendum curarunt, imposito ei nomine Eurysthenis, iuniori autem Proclis. Herod. lib. 6.

Potestas erga liberos. ἀρχὴ πατρικὴ.

Vide Tit. Seueritatis parẽtum erga liberos item Tit. Inobedientiæ liberorum pœna. Illic Habitus internus, hic externa Potestas consideratur.

PATRIS ea potestas erat in filiam, ut si illa uoto sese obstrinxisset, patre repugnante, eo absolueretur. Numerorum 30.

Romuli lege, PARENTVM in liberos omne ius fuit, relegandi, uendendi, occidendi. Si quis à patre uenditus se in libertatem uindicasset, iterum ac tertiò patri ius uendendi erat. Mitigauit nonnihil austerum carmẽ Numa Pompilius, qui tulit, nullum patri amplius ius in filium oportere esse, ubi illius iussu duxerit uxorem. Sab. lib. 2. En. 2.

FILII HORVM DIFFERENTIÆ. ALII

Ortu.

Adoptione.

Cùm in alienam familiam, inq; liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum. Quod per prætorem fit, ADOPTATIO dicitur: quod per populum, ARROGATIO. Adoptantur autem, cùm à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure cedunturque ab eo qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, uindicantur. Arrogantur ij, qui cùm sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradunt, eiusq; rei ipsi auctores fiunt. Arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis uerba hæc sunt: Velitis, iubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam iure legeq; filius sibi siet, quàm si ex eo patre matreq; familiãs eius natus esset. Vtiq; ei uitæ necisque in eum potestas siet, uti pariendo filio est, hoc ita, ut dixi, ita uos Quirites rogo. Gell. lib. 5. cap. 19.

Apud ROMANOS usitatum fuit, ut qui adoptantur, cætera nomina adoptantis assumant, uno ex gentilitiis retento. Zonaras.

OFFICIVM.

Ex loco Iustitiæ Profanæ, Fidei & Amoris & Obsequii exemplis petantur.

SOCIETATES OECONOMICAE SECVNDARIAE, QVAE PRIMARIAS SEQVVNTVR. Sic datur respectu Societatis

HERILIS, SOCIETAS CONSERVORVM.

Huc Fides Conseruorum erga se mutuò.

LIBERTORVM ET Patroni.

Lex Iulia cauit, si liberta quæ patrono nupsit, eo inuito ab eo diuertisset, non modò post diuortium alij nubere, inuito patrono, prohibetur: sed patroni coniugium ita lex tutata est, & ratum habuit, ut eo etiam uolente, alterius coniugij facultatem eripuerit. Id etiam lege Papia inhibitum fuit: siquidem senatorem eiusq; liberos libertinas ducere uxores, perpetua constitutione prohibuit: ita ut inter uirum senatorium & libertam, aut libertini status mulierem, nullum matrimonium censuerit esse, senatorium uidelicet sanguinem libertino admistum, quasi contagio pollui arbitrata. Alexander libro 4. cap. 22.

CONIVGALIS. SOCIETAS SOCRVS ET NVRVS.

Apud LEPTITANOS in Africa postero die nuptiarum mittit nurus ad socrum, commodatò petens ollam. Eam illa pertinaciter denegat. Nempe ut iam inde ab initio socrus mores ferre discat. Aelianus.

AFFINIVM QVORVMVIS.

Ex loco Fides erga Affines huc quædam.

PATRIAE, SOCIETAS MAIORVM INTER SE.

Huc ea, quæ inter Auos, Proauos, Auias, Proauias œconomicè geruntur.

MINORVM INTER SE. PVTA

Fratrum inter se.

Apud BRASILIENSES parentes non habent in filias potestatem, sed fratres: quas quidem, quoties eis libet, uenales proponunt. Venditio autem, est pro rebus aliis, quas ipsi concupierint, permutatio. pecunia enim carent. Osorius libro 2. rerum Emmanuelis.

Cognatorum quorumuis. Vt

Aui & Nepotum.

Ex loco Fidei huc quadam.

Auunculi & Nepotum.

Apud GERMANOS sororum filiis eundem apud auunculũ, quem apud patrẽ, honorẽ esse, Cornelius Tacitus testatur.

Oeconomia respectu Rerum in Quibus communicant considerata.

DOMVS. HABITATIO.

Hic de Domo & Habitatione priuatim. Vt uerò ea ipsa ad Vrbis constitutionem facit, inter Politica referri debet.

EXTRVCTIO.

Domus extructio magnifica, sordida, necessaria, luxuriosa, ingeniosa, stulta. ad uarios proinde Titulus referri potest. Hic, quatenus locum œconomicum denotat, secundum illud Hesiodi, οἶκος μὲν πρώτιστα, γυναῖκά θ', βοῦν τ' ἀροτῆρα.

POSSESSIO.

Ex loco Opulentiæ illustretur.

PERSÆ diuitiarum partem maximam in ædificiis & agris ponunt: minimam, & quantum impensis sufficiat, in pecunia. Strabo libro 15.

VSVS. HVC PERTINET DOMVS APERTIO.

GRÆCORVM domus foris aperiebantur, de uia. ROMANORVM intus. solis triumphalibus domib. cõcessum, ut de uia aperirentur. ut Plut. in uita Poplicolæ testatur.

LACONES non pulsabant fores, sed foris clamabant, ut aperiretur. Plut. in Laconicis.

INHABITATIO.

PARTHI gynæconitin in secreto domus à uiris semotã habent: quippe cùm non modò uxorum, sed pellicum pudicitiam ita suspectam habeant, ut nisi capite operto, & uelato uehiculo, illas in publicum prodire sinant, nemini q; propiùs accedere liceat. Alex. lib. 5. cap. 24.

ELOCATIO.

Fuit moris prisci ROM. ut plerij q; ex ædibus modicum quid sibi reciperent, superiora uerò domus in inquilinis locarent. Fuêre enim Romæ ædificia frequentia, pluribus cœnaculis constructa, edita in altum, quæ postea ab Augusto certa sub taxata mensura cohibita sunt. Cœnacuiariam exercere is dicitur, qui locare inquilinis domorum cœnacula cõsuesset. Græci contrà superiora domus & alia penetralia sibi recipiebant: ad inferiora autem uestibula, & sub porticu, Homero teste, hospites diuertebant. Alex. lib. 3. cap. 14.

VTENSILIA DOMESTICA. HORVM

IN GENERE ACQVISITIO.

CONSERVATIO. RESPECTV

Loci. Dispositio.

Vt Ordo rerũ, quatenus docentur, Anima est: sic ut ad usum Oeconomicũ seruantur, si Xenophõteo Ischomacho credimus.

VSVS.

IN SPECIE. VTFVTA ARMORVM OECONOmicorum.

VASORVM.

LVCERNÆ.

ROMANI lucernam non extinguebant, sed ipsam sinebant sua sponte extabescere. Vtrum ut congenerem & germanã inextincti & æterni ignis? An hæc nota est non esse ullam animantem nisi nocuam conficiendam uel necandam: quasi æmulus animantis ignis sit. Siquidem escam desiderat, sua sponte mouetur, ac cùm extinguitur, mittit quasi interficiatur uocem. An docet nos hic mos, non debere nos neque ignem, neque aquam, neque quid ex necessariis aliud, quãdo eo abundè usi sumus, perdere, sed permittere huius usum opus habentibus, ac relinquere aliis, si quando id ipsi ultra non requiramus. Plut. in quæst. Rom.

Oeconomiæ Accidentia.

CONSOCIATIO OECONOMICA HERILIS.

Huc omnes illi actus, qui inter Dominũ & Seruũ in acquirendo, in possidendo, in dimittendo interueniunt, Oeconomiæ respectu referri possunt.

CONSOCIATIO OECONOMICA CONIVGALIS. NVPTIAE.

De Nuptiis eruditissimè ex professo scripsit B. Brissonius, Parisiensis curiæ Aduocatus, libro singulari de Ritu nuptiarum. & ante illum Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. Genialium dierum. item Iul. Scaliger lib. 3. Poeticæ cap. 101. E quorum uigiliis nostræ hæ rhapsodiæ illustrari possunt.

ANTE CONIVNCTIONEM.

Hic perpendantur

QVI INVITANT ALIOS AD

nuptias cõtrahendas.

CRETENSES è grege iuuenum deligebant forma conspicuos, quos ad uxores ducendas, propagandamq; sobolem lege compellebant. Plut. in Lycurgo.

THYRIORVM iuuenes primo ætatis flore ad ducendas uxores muneribus honoribusq; inuitabantur: qui uerò ea de sententia alteram superduxisset, is inuisus & execrabilis diis hominibusq;, & ab omni honoris aditu & magistratu arcebatur. Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 8.

QVINTVS Numidicus censor, & postea IVL. Cæsar, dein de AVGVSTVS, liberorum gignendorum & sobolis causa legem de Maritandis ordinibus tulêre, eos ad progeniem propagandam præmiis & immunitatibus inuitantes. Siquidem cui tres erant liberi, uacatio muneris: cui plures, liberis donabatur. Nota est Metelli uox, cùm ad populũ in Censura uerba faceret: Si sine uxore possemus esse (inquit) Quirites, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commodè, nec sine illis ullo modo uiui possit, saluti perpetuæ potius quàm breui uoluptati consulendum. Gellius lib. 1. cap. 6.

Fur. CAMILLVS, cùm censuram ageret, uel exhaustæ ciuitati propter assiduas bellorũ clades ciues suppeterẽt, legem de maritãdis ordinibus tulit. Qua inter cætera pœnis coercuit illos, qui uiduarum nuptias, quarum uiri bello ceciderant, deuitarent. Eos uerò qui ad senectutem cœlibes peruenerant, æra pœnæ nomine ad ærarium ferre iussit, iteiũ puniri dignos, si quo modo de tam iusta constitutione queri sunt ausi, cùm in hunc modum increparentur: Natura uobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentesq; uos alendo nepotũ nutriendorũ debito (si quis est pudor) alligauerunt. Accedit etiã iis, q; in fortuna longam præstandi huiusce muneris uacationem estis assecuti, cùm interim cõsumti sunt anni uestri, & mariti & patris nomine uacui. Ite igitur, & nodosam exoluite stipem, utilem posteritati numerosæ. Val. Max. lib. 2. cap. 4. & Plut. in Camillo.

Quod lege Iulia de maritandis ordinibus apud ueteres cautum fuit, ut hi quibus uigor iuuenilis foret, primo flore ætatis ad uxores ducendas, liberosque educandos propagandamque sobolem non solùm præmiis inuitarẽtur, sed pœna deterriti cogerentur: id lege Papia & Pompeia certo ætatis gradu interdictum erat: quippe sexagenariis, & supra eam ætatem ducere uxores, fuit hac lege uetitum. Tunc enim usum est, & fœdissima res senectuti, ut quibus ad eam ætatem fors liberos dedisset, aut cœlibes uixissent, his quasi emeritis, ætate affecta, alimnde liberos quærere libido foret. Alexander lib. 4. cap. 22.

CLAVDIVS Cæsar legem tulit, de Libertorum coniugio qua edixit, si ad iusiurandum libertum patronus adigeret, ne nuberet, neue uxorem duceret, eum ad ius patronatus lex pariter non admitteret. Idem abrogata lege Papia, sexagenarios, & ætate multo seniores, liberos gignere, & prolis causa ad coniugium admitti uoluit. Alex. ab Alex. lib. 4. capite 22. & lib. 3 capite 20.

QVALITAS PERSONARVM, QVÆ

ducere uel nubere possunt. Respectu

Virtutis, Fortitudinis.

Apud CARMANOS nemo uxorem ducit, nisi prius hostis caput amputatũ ad regem pertulerit. Rex caluaria in regia collocata, linguã minuatim secãs, pane permiscet, postea degustatam el qui attulit & familiaribus edendam præbet: atq; ille præclarus est, qui multa capita attulerit. Strabo lib. 15.

Circa MÆOTIM gens est (Laxamatas uocant) apud quos uirgo

uirgo, nisi quæ hostem confecisset, nuptui dabatur nulli. Alex. ab Alex. libro 1. capite 24.

Aetatis.

Apud CRETENSES omnes qiti ad certum annorum numerum peruenere pueri, uxores accipere coguntur: eas tamen priùs domum non abducunt, quàm puellæ domestica cura re didicerint. Strabo lib. 10.

Lycurgus SPARTANORVM legislator maturas & uiri appetentes elocat: quo ea consociatio impellente iam natura benevolentiæ & amoris potius, quàm odij & timoris contra naturam coactarum esset ingressio, corporaque firmiora essent ad uterum ferendum atque enitendum: uelut ad nihil aliud nuberent, quàm ad pariendum. ROMANI natas duodecim annos & minores iungunt nuptiis: ita potissimùm corpus & mores puros illibatosq; in manum uiri censentes peruenturos. Sunt autem superiora, ut patet, ad liberorum procreationem magis naturæ consentanea, hæc ad uitam coniugalem aptandis moribus. Plut. in Laconicis, & in Numa & Lycurgo.

Laudabilis cumprimis fuit mos ille GERMANORVM uetterum, quem Cæsar tradit: Qui diutissimè, inquit, impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem, hoc alij staturam, alij uires neruosq; confirmari putãt. In annum uerò uicesimum feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habetur rebus. Sobolis enim causa non libidinis concessam putant homini uenerem. Lud. Viues de Officio mariti.

Opulentiæ.

ADAMO Dominus Deus uxorem non priùs creauit, quàm omnibus animantibus nomen imposuisset, eorumq; dominium & possessionem sibi hac ratione uindicasset. Naturale igitur simul & diuinum præceptum uidetur esse Hesiodi, quando in Operibus inquit:

οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.

Domus appellatione omnia ea quæ ad uitã tuendam necessaria sunt complectitur. Malè igitur illi, qui uxores ducunt, rei familiaris sustentãdæ nulla priùs habita ratione. Gen. 2.

Ciuitatis, Patriæ.

Nuptias legitimas illas haberi cõstat, quæ inter Romanos ciues, aut cũ eo, cui princeps populúsue ciuitatẽ aut cõnubia dedisset, contrahuntur: quo iure nati liberi, in familia & potestate sunt: cùm impare uerò, aut si Romanus cum peregrina, uel Latini nominis muliere, aut serua uel barbara iungeretur, nullum fuisse ius nuptiarum necessitudinisq;, itaq; nati liberi, sub patris iure aut familia non erant, sed matrem sequebantur: tametsi tradatur in Græcia & Apulia & Carthagine, seruiles sæpe nuptias curari. Quod quidem connubiũ ut manaret ad posteros, sociis & bene meritis ac finitimis, nonnunquam externis dare solitauerunt. Siquidẽ Campanis, ut Romanas ducere liceret uxores, natiq; liberi ut iusti hæredes forent, fuit olim pro magno munere datum: sicut Alatrinati, Verulano, & Ferentinati. Neq; enim cum Romano & peregrino connubium esse censuere. Nanq; impares nuptiæ, aut sine testibus, ac patre non iubente, legitimæ nõ sunt. Idq; senatusconsulto Romæ cautum fuit, ut si Romanis Latinas uxores ducere cõtigisset, aut Latinis Romanas, sui essent iuris & arbitrij, siue Romæ degere, uel in patriam redire uellent: atq; in nuptæ puellæ ut matrẽ sequãtur. Alex.

Pellicatus.

Iuo ad Gualteriũ Meldensiũ episcopũ in epistola quadam inquit, disputatũ fuisse inter Galliæ proceres. Vtrũ liceret eã, qua quis antea pellice esset usus, ducere uxorẽ? Contrarias autem Patrum de hac quæstione recitat sententias, in quibus ait, eam esse distantiam, quæ est inter misericordiam & iudicium: quæ quoties in unum negotium conueniũt, in disceptione rectorum ita constitutum, ut habita ratione salutis animarũ, pro qualitate [illegible] eorum & temporum, nunc seueritas Canonum posse exercerei, nunc indulgentia [illegible] impendi.

Affinitatis, Conlanguinitatis.

ROMÆ olim non iungebant sibi nuptias conlanguineas, ut neque matres, nutrices uel sorores secum coniungunt. Verùm diu postiùs fecerũt, patrueles & consobrinas habere in matrimonio, ex huiusce modi occasione. Vir tenuis facultatibus, cætera frugi, ac supra omnes, qui remp. tractabant, ad plebem gratiosus, consobrinam orbam cum lauto patrimonio habere uidebatur, atq; per eã locuples esse. Hac de causa nomine eius delato, populus omissa causę quæstione nomen eius aboleuit, ac lege sanciuit, liberas omnibus esse ad patrueles & consobrinas usq; nuptias: in superioribus gradibus interdixit. Plut. in quæst. Rom.

Seruitutis, Libertatis.

Quamuis lex Iulia libertinarum coniugia priori constitutione admiserit, lapsis postea temporibus eadẽ lex, libertinas, & ludieram aut scenam exercentes, senatorio uiro admiscere graui pœna interdixit, uidelicet, ne senatorius ordo contagio libertinarum polluereturi. Verba ex ea lege hæc sunt: Qui senator est, quiue filius, nepósue ex filio, pronepósue ex filia natus, cuius eorum est, ceiue, ne quis eorũ sponsam uxorem nesciens dolo malo habeto libertinam, aut eam quæ ipsa cuiúsue pater matérue artem ludicram facit fecitue, sponsa nuptáue sciens dolo malo esto: néue quis eorũ dolo malo sciens, sponsam uxorémue habeto. Post aliquot uerò ætates, Aurelianus Cæsar constitutiones legis Papiæ uelut uanissimas induxit, & abrogauit. Claudius uerò Cæsar adeò liberarum mulierum, quæ seruis nubunt, coniugium odio prosequutus fuit, ut præter legem ingenuitatis, præterque instituta maiorum, filios inde editos, non ingenuæ conditionis, sed libertinos esse, iuraq; libertorum nancisci, & ingenuitatis amittere, lege sanciuerit: ipsaq;, si maritus ignorasset, serua esset: si uerò conscius fuisset, libera. Diuus uerò Vespasianus statuit edicto, ut libera, quę se alieno seruo iunxisset, ancilla haberetur: contrà uerò alia constitutione cauit, ut si serua mulier hac lege ueniret, ne prostitueretur, si contra legem uenditionis prostituta foret, ut esset libera: prostituensq;, ius patronatus non haberet. Aegyptiis autem nullus ex serua genitus habetur seruus aut illegitimus: quia solum patrem ingenuitatem & genus prestare, matrem uerò natalibus nihil conferre putabant. Pericles autem Athenis auctor fuit, ut qui ex serua, aut nõ legitimo coniugiò nati essent, uel turpi nota affecti forent, ciuiũ nũero haberentur numero, sed externorum. Alex. lib. 4. cap. 22.

PRÆPARATIO MVLIERIS AD nuptias: siue ea fiat

Sacrificio.

Mos fuit apud PLATÆENSES antequã nuptias celebrarent Dianam cognomento Eucliam placare sacrificiis, quòd ei esset uirgo, putaretur habere odio matrimonia. Meminit Plutarchus in Aristide. Virgines pertæsæ iam uirginitatis, ut Dianæ, cuius hactenus in tutela fuissent, iram deuitarent, consueuerant in canistris sacrificia ad Deæ templum deportare, quod Græci κανηφορεῖν dicunt: canistros illæ ferebant, quæ ad nubilem ætatem peruenissent. Meminit Theocritus in Pharmaceutria. Natalis Comes Mythol. lib. 3. cap. 18.

MEGARIS ad Iphiones Alcathoi regis F. tumulum puellæ ante nuptias inferias mittunt, crinisq; primitias detondent: uti in Delo ipsi Hecaerge siue Dianæ. Pausanias in Atticis.

TROEZENIORVM uirgines Apaturiæ Mineruæ ante nuptias zonam dicant. Vide Tit. Autrigæ. In Hippolyti templo capillum succisum ante nuptias deponunt & consecrant. Pausanias in Corinthiacis.

ATHENIENSIBVS nulla omnino dabatur nuptui, nisi priùs Dianæ sacra obiisset. Nam uestem induebat, cui Croboron dixere nomen, neque initiari poterat decennio minor, uel quinquennio minor. Alex. lib. 1. c. 24. A. L.

Pudoris prostitutione.

ARMENIIS lex est, ut uirgines in fano uetustissimo & sanctissimo Anaitidis deæ prostituantur, ubi ipsius statua ex solido auro posita erat, quam M. Antonius expilauit. Quibus cometitis, cuiusuis præcipui hominis coniugium sortiri fas erat, nemine abnuente, aut tale coniugium detrectante. Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 24.

LYDIS mos erat, ut mulieres antequam cum maritis cõcumberent, corpus prostituerent. Cùm autem semel laxatæ fuissent, deinde omni tempore continentes essent. Quæ uerò postea cum alio rem habuisset, ea sine uenia & misericordia plectebatur. Aelianus lib. 4. de Varia hist. & Herod. lib. 1.

PVNICÆ feminæ nupturæ Sicæ ad Veneris fanum se conferebant, atq; inde procedentes quęstum dotis corporis prostitutione contrahebant. Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Apud CYPRIOS uirgines nupturæ ad litora maris descendunt, & cum hospitibus miscentur: uulgatoq; corpore quęstum faciunt, donec dotes, quibus uirum nanciscantur, sibi comparauerint. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 24. ex Lactantio.

AMBITVS NVPTIARVM.

Vide Tit. Procorum.

ACQVISITIO SPONSÆ. ACQVIRITUR Sponsa, Vxor

Delectu certo, eoq; uel

Suo.

Vide infrà, Precio, Emtione, Ambi

Esse Indici tractus urbem TAXILEM, ex Strabone libro decimoquinto, & Stephano: cæteris ferè, notissimum. [illegible] fortunæ tenuiores homines, inopia premente; filias habentes illocabiles, ut quoquo possint, foras tamen obtrudant, ætate florem attingente, productas in foro statuũt, incinentibus tubis classicijq;, quibus aliàs cani bellicum moris est. Affluente passim multitudine, adeunti propius puella corporis postica reuelat, ingeritq; mox & antica. Si hac ratione non displicuerit, nubit. Traditur & illud: Functos fato uultu ribus obiectari: sed & uxores in multorum uenire participatum. Cælius lib. 10. cap. 13. A. L.

DEMAGETVS Rhodius, Ialysii rex, cùm Pythiam interrogasset, Vnde esset potissimùm uxor ducenda? respondit, Etus, qui uir esset Græcorum optimus, filiam duceret. Aristomenis igitur Messenij filiam, natu minimam, adsciuit, patrem longè esse optimum Græcorum eius ætatis omnium statuens. Pausanias in Messenicis.

THEOPHILVS Imp. uxorem ducturus, multàs formosas puellas undecunq; accersiuit: inter quas & Icasia uirgo, tũ formæ præstantior cæteris, tũ erudita, tum genere illustri nata. Dum igitur eas spectans circumit, aureum pomum manu tenens, quod ei, quæ placuisset, coniugi pignus daret: cùm ad Icasiam uenisset, pulcritudinem admiratus: A muliere, inquit, emanarunt mala. cui illa placidè & cum honesto rubore soleter respondit: Sed & res meliores è muliere exuberant. At ille uirginis oratione uelut attonitus, ea præterita, malum aureum Paphlagoniæ Theodoræ dedit. Icasia repulsæ dolore monachalem uestem induit, & habitui huic nomen dedit, quod usq; hodie permanet: disciplinis dedita, libros conscripsit, qui ad hæc usq; tempora durare feruntur. Cuspinianus ex Zonara.

Vitilis Fortunę TEMPLVM extra urbem ad Tiberis ripam ab Anco Martio rege ædificatum, in quod mulieres, quæ dabantur nuptui, frequentes uenitabant, & corpore inuelato singula membra, ne quo morbo uitioq; affectæ forent, aut labe aliqua tenerentur, detegebant. Alex. lib. 1. cap. 13.

Aliorum.

Apud SVNITAS quotannis & adolescẽtes & uirgines publicè iudicantur: & qui optimus esse iudicatus fuerit, uirginem quam uoluerit ducit: deinde post eum secundus, & sic deinceps. Nicolaus de Morib. gent. & Stobæus Serm. 42.

Veterem SAMNITIVM morem fuisse tradũt, ut decem quotannis uirgines, forma & uirtute eximia, ex omni uirginum numero legerentur, quæ totidem optimis adolescentibus matrimonio locarẽtur: nec in affinitate iungenda cuiusquã rei, præterquàm uirtutis ratio habita, ut optima optimo locaretur: ea lege, quòd siquis uitæ institutum in peius mutasset, publicè connubio priuaretur, qua ignominia nulla esse poterat grauior. Ex Strabonis lib. 5. Sab. lib. 3. En. 4.

Apud ASSYRIOS Triumuiri, integritate conspicui & nobilitate præstantes, iam maturas uiris puellas productas palãm, conuocata per præconem multitudine, locare se eas uelle pronunciant, remq; peragunt, ut quæq; dignitate precellit, ita elocantes principe loco. Cælius lib. 18. cap 34. A. L.

POLYNICES, ab Eteocle fratre pulsus, in Adrasti ditionẽ Argos profugit. Cùm nocte appulisset, & fortè Tydeum Oeneti essetnactus, qui ob cædem Alcathoi & Lycothei nepotũ perpetratã è Calydone profugerat, cum eodẽ prælũ consenit: inter quos clamore tumultuq; coorto, interuenit Adrastus, & pugnantes diremit. Atq; ibi simul recordatus oraculi cuiusdã, quo monitus fuerat, ut apro & leoni filias suas in matrimoniũ collocaret, utrunq; sibi generum asciuit (habebant enim in clypeis alter apri, alter leonis figurã) pollicitusq; est, se utrunq; restituturum in patriam. Diod. lib. 4. cap. 6. Eustathius Iliad. δ. Polyniei quidem leonis exuuio induto Argeam, Tydeo uerò Diomedis patri, apri pellem gestanti, Deipylen uxorem datam asserit.

Delectu incerto, Fortuito occursu.

DAPSOLIBYES cõgregati omnes uno die uxores unà ducunt, post Vergiliarum occasum. Nam post epulas mulieribus seorsim discũbentibus, extincta lucerna, uiri ad ipsas ingrediuntur: & quilibet, quamcunq; contigerit, ducit. Stobæus serm. 43. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

LACEDÆMONIORVM consuetudo inauditæ licentię: Liberi adolescentes cum totidem uirginibus in perobscuro inclusi loco, quã quisq; nactus esset, eam in matrimonium, atq; indotatam quidem, sibi adducebat domum. quod uel consilium uel fortunam nemini uel culpare uel mutare licitum fuit: nullus enim pœnitẽtiæ locus relinquebatur. Quãobrem Lysandro multã dixerunt Ephori, propterea quòd cum ea, quæ obtigisset, diuortiũ faceret, ut haberet pulcrior em. Ex Athen lib. 13. cap. 1. Scaliger lib. 5 Poet. cap. 100.

Raptu.

SPARTANI ex Lycurgi instituto uxores ducebant raptu, nõ pusillas aut impuberes, sed adultas & maturas. Plut. in Lyc.

Merito. Vtputa

Pugnæ.

Consule Tit. Procorum.

DAVID Michol Sauli regis F. centum Philistinorum à se cæsorum præputiis emit. 1. Regum 18.

SACARVM proci cum puella quam ambiunt pugnã ineunt. Victus, illi paret: uictor, illi imperat toto uitæ tempore. Aelianus lib. 12. Var. hist.

Seruitij.

CADMVS Iouis consilio Harmoniam Veneris & Martis F. in uxorem ambiens, quoniam Martem offenderat, propter occisum draconem fontis sacrum custodem, coactus est annum integrum (qui ex octo nostris constabat) seruitutem apud illam seruire. Natalis Comes lib. 9. Mythologiæ, capite 14. ex Eustathio Iliados β.

Precij, Emtionis.

Apud INDOS, iugo boum sponsas mercari permittitur: ita tamen, ut ex sua quisq; tribu uxorem ducat. Alex. ab Alex. libro quarto, capite 8.

Apud ASSYRIOS uirgines iam maturæ uiro, in publicum productæ, singulis annis uenales proponebantur, qui uxores ducere uellent, dabanturq; primò uxnum formosissimę quæq; quibus minus spectata erat forma, & quas non modò non quisquam sibi mercaturus fuisset, sed ne gratis quidem alioqui ducturus, ea pecunia quæ fuerat pulcrioribus uenditis in publicum redacta, connubio locabantur. Herodotus auctor est, hunc olim morem in Venetis Illyrico finitimis seruatum, idq; fama se compertum habuisse. Ex Aelianii lib. 4. Var. hist. Sab. lib. 6. En. 2. & Stobæus sermone 42.

Apud BABYLONIOS ubi uirgines effectæ sunt nubiles, eas uniuersas unum in locum conductas, circumsistente uirorum frequentia, præco sigillatim uendit, sed primùm pulcerrimam omnium, secundùm hanc (ut quàm plurimo uendatur auro) aliam euocat, quę post illam est speciosissima. Venduntur autem in contubernium: quarum pulcerrimas quasque Babylonij, qui locupletes & iudem cœlibes sunt, mercãtur, ut quisq; licitando alterum superat. At ex plebe qui sunt cœlibes, his non est opus pulcra forma, ideo pecunias ac turpiores accipiunt uirgines. Nam præco ubi uirginum speciosissimarum peregit uenditionem, excitat deformossissimam, si quis illorum mercari uolens existat: edicitq;, quisquis uelit quàm minimo auri sumto eam in matrimonium habere, illi qui minimo contentus est, femina addicitur. Ita aurum ex speciosis uirginibus conficitur, & per easdem cuicunque uolenti deformes ac debiles collocantur. Emtori non nisi datis fideiussoribus, de contubernio uxoris licebat abducere: si de hoc non conueniebat, lex lata ut aurum illi redhiberet. Quinetiam ex alio pago uenientibus licebat uxorem mercari, si uellẽt. Herod. lib.

THRACES mulieres nupturæ non parentum arbitratu, sed præmiis nubunt. Virgines enim quæ forma præcellebant, à uiris precio exhibito, & certa subtracta pecuniarum summa emebantur. Contrà uerò deformes & minus decoræ preciis mercabantur uiros, quibus nuberent. Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 24.

VENETI (diu enim gens hæc tenuit Adriæ oram) ante humanæ salutis annos ueteri instituto seruarunt, ut uirgines iam maturæ uiro publicè matrimonio locarentur: exigebaturq; pro iis quæ eleganti essent forma, grandis pecunia à sponsis, ceu forma ipsa emeretur: mediocriter pulcræ, gratis nuptui dabantur: deformibus aspectu, & quas ne gratis quidem ducturus esset quisquam, dos ex ea pecunia, quæ ex nenustarum locatione coacta fuisset, constabatur. Hodiernæ uerò die Venetiis eiecticię uirgines publica cura honestè & scitè instituuntur, quæ ubi per ætatem adoleuere, si gratis locari nequeant, quia minus formosæ, ex publico accipiũt dotem. Sab. lib. 6. cap. 1.

FROTHO III. Danorũ rex, uictis Ruthenis, ne quis uxorem nisi emtitiã duceret, edixit: uenalia siquidem plus stabilitatis habitura censebat. cutiorem matrimonij fidẽ existimans, quòd precio fitmaretur. Saxo lib. 5.

ACQVISITIO SPONSI. ACQVIRITUR SPONSVS, MARITVS

Delectu certo, uel

Suo.

INDI maximum decus. arbitrati sunt, si qua uirgo, eleganti munere aut insigni dono priscæ artis, digna foret. Parentes nubiles filias in cœtu præstantissimorum iuuenum, producunt, exq; illis uirum sibi deligunt, qui fortitudine, cursu, pugna, aut specie corporis cæteris antestaret: nullaq; dote exhibita, quem sibi illæ uirum delegissent, sponsum esse patiebantur. Alex. lib. 1. capite 24.

CATHEORVM dicunt proprium fuisse, ut sponsa sibi uirum deligat: sed eo fœdere, ut uiro defuncto, eadem pyra mortem oppetere cogatur. Alex. lib. 1. cap. 24.

Apud SIGINNOS Persicam gentem, mulier augurandi peritia, quemcunq; nulr uirum sibi copulare poterat. Alexander libro primo, capite 24.

IALCHLEVENSES Libyes (siue, ut Alexander habet, Talchei) cùm multi uxorem unam ambiunt, apud curatorem eius cœnant, & singulis uaria dicteria narrantibus, cuicunq; mulier arriserit, illi cohabitat. Stobæus serm. 42. ex Nicolai de Gentium moribus historia.

Scribit Aristoteles in MASSILIENSIVM Republica hoc pacto: Phocæi in Ionia nundinis usi Massiliam condiderunt. Euxenis Phocensis hospes erat Nano Regi (hoc enim illi nomen fuit) Hic Nanus cùm suæ filiæ nuptias faceret, Euxenum, qui eò fortè accesserat, ad conuiuium conuocauit Nuptiæ uerò hoc pacto fiebant. Opportebat puellam post cœnam ingredi, phialam miscere, ac cuicunq; ex præsentibus procis mallet, porrigere. Cui ea porrexisset, is erat sponsus. Puella uerò ingressa, siue fortuna, siue alia de causa, Euxeno porrexit: appellabatur autem puella Petta. Huc cùm accidisset, paterq; dignũ putaret, uelut ex deo esset donatio, ut ipsam haberet, Euxenus mulierem accepit, unà habitabat, mutatoq; nomine eam Aristoxenam appellauit. Est genus quoddam hominum in Massilia, quod ad hæc usque tempora uocatum est Protiadæ: nam Protis filius Euxeni fuit & Aristoxenæ. Athenæus libro decimotertio, capite decimotertio Dipnosophistõn.

Callias Atheniensis uir clarissimus & summus Pisistrati hostis, FILIABVS tribus, posteaquam nubiles extitere, hoc magnificentissimum munus est gratificatus: ut quem sibi unaquæq; uellet ex omnibus Atheniensibus, eum sponsum deligeret. Herodotus lib. 6.

Aliorum, Consensu interim suo.

Cùm REBECCAM Abrahami seruus Eliezer herili filio Isaaco in matrimonium peteret, frater & mater eius dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius uoluntatem. Gen. 24.

SARA filia Raguelis, dicebat in oratione sua: Virum Domine ita mores tuo, non cum libidine mea, consensi suscipere. Tobiæ tertio.

Senatus in Capitolio cœnans eo die, quo P. SCIPIONIS patroci nium Tib. Gracchus tribunus suscepit, auctor fuit, ut Africanus minorem ex filiabus Tib. Graccho desponderet. Hac sponsione facta rediens domũ P. Scipio, cùm uxori nouam affinitatem nunciasset, indignata mulier dixisse fertur, non debuisse eum inconsulta matre filiam despondere, etiam si Tiberio Graccho locare potuisset. Id responsum Scipioni iucundissimum fuit, cùm uidit coniugem in eandem sententiam, in qua ipse consiterat, de locãda filia incidisse. Ar hæc nonnulli de Tiberio filio, & Appio Claudio eius socero tradidere. Nam Polybius, & alij locupletissimi auctores, Corneliam, quæ Caium & Tiberium peperit, post mortem Africani Graccho nupsisse scribunt. Fuit enim Africano Aemilia uxor L. Pauli filia, qui consul pro repub. ad Cannas occubuit. Ex ea genuit filias duas, quarum maiorem natu P. Cornelio Nasicæ, minorem seu in uita seu post post mortem patris, Tiberio certè Graccho nuptam cõstat. Auctor uitæ Scipionis.

CAROLVS Magnus Eginardo epistolarum magistro filiam portatricem eius despondit. Vide Titulum, Parentes erga liberos clementes.

Raptu.

Vide Tit. Raptus Maritorum, sub loco Libidinis.

REPVDIATIO NVPTIARVM.

Ex loco Amicitiæ huc transferuntur ea, quæ de Repudiatione Sponsorum & Sponsarum attulimus.

Procis, qui nuptias ambierant Lysandri filiarum, mox inopia eius post uitæ exitum erumpente illis renunciauerant, multam EPHORI dixere: quòd cum, cùm pecuniosum arbitrarentur, coluissent: iustum & probum ex tenuitate compertum repudiauissent. Plutarchus in Lysandro.

ΠΡΟΑΥΛΙΑ, DESPONSATIO, DESPONSALIA.

Sponsus sponsæ fidem dat & accipit. Varia hic occurrunt: putã

Habitus sponsi.

COIS in more fuit, ut sponsi cùm ineunt sponsalia, muliebri uesteinduantur.

Auspicium.

Apud antiquos non solùm publicè, sed etiam priuatim nihil geredebatur, nisi auspicio priùs sumto. Quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur: qui quamuis auspicia petere desiuerunt, ipso tamen nomine ueteris consuetudinis uestigia usurpantur. Val. lib. 2. cap. 1. Etenim ipso sponsalium die, signatoribus & auspicibus duobus nuptias celebrabant & legitimas auspicabantur noctu, nonnunquam die luce prima: in quo id cauebatur inprimis, ne motus cœli aut terræ fieret, neue turbatione cœlo & die inquieto fœdus inirent. Hæc enim præcipuè nuptiis aduersari putabãt. Optima auguria à turture & cornice: ita uerò demum, si par integrum apparuisset. Singulares autem uidisse, propesmo habebatur. Iccirco in ritibus antiquis ait Orus Apollo tenuisse consuetudinem, hæc ut uerba in nuptiis accineretur, εὐκτῆρα κόρη κορώνιλα, quibus ex felici domo comix singularis, id est, uidua ut exigeretur, ancillæ imperabatur. Sane utrumq; animal adeò sui coniugis studiosum, ut eo mone affecto, superstes nullius appetat præterea coniunctionem. Cornix uerò adeò casta, ut nullam coitus persequi fœditatem, ore concipere credita sit. Qui tum pro marito auspicabatur, auspex, idemq; paranymphus: qui pro uxore, pronuba dicebatur, quæ uni semel nupsisset. Alex. & Scaliger.

Sacrum.

PROTELEIA, quasi Præparatoria dicas, diem appellãt, qua nuptam uirginem parentes in aream ducunt ad deam, & uitimas ob coniugiũ, quod & τέλος dicitur, immolant. Suid.

Post auspicia sacra faciebãt, porcumq; Iunoni, deducto ex Etruria more, immolabant: quam πολίαν fas erat nuncupare. Præterea eam inuocabãt louẽ τέλειον, Venerẽ, Dianã Cinxiã, Suadelã. τέλος ueteres aiunt idẽ fuisse quod & γάμος. Propterea q; humanæ uitæ perpetuatio nuptiarũ merito petiscerentur. His diis deabusq; comæ partẽ uirginis tanquã primitias offerebant. Hostiæ uerò exemtum fel circum aram proiici solitum: cæteræ partes adoleri. quod expectationem faceret futuræ inter coniuges tranquillitatis. Scaliger.

Sportsio.

Fuit ANTIQVI moris, ut qui uxorẽ ductuus erat, ab eo, unde ducẽda erat, eã in matrimoniũ datũ iri stipularetur: idq; qui nuptũ daturus erat sponderet: qui cõtractus stipulationũ sponsionũq; dicebatur Spõsalia, à spondendo, unde etiã sponsi & spõsæ nomen ductũ, teste Ser. Sulpitio, Vlpiano & Florẽtino. Verrius Flaccus græcũ esse mauult, q; ἀπὸ τοῦ interpositis rebus diuinis facerent. In ea sponsione, nec aptia nomina sponsi sponsæ ue exprimere fas erat: sed uir Caius, uirgo uerò Caia dicebatur. Nudus hic consensus, etiam absque scriptura, sufficiebat: licèt in tabulas ut plurimum sponsalitiæ conuentiones referrentur, & sponsaliorum arrha sponsæ à sponso daretur anulus. Sponsalia sequebantur Nuptiæ, quibus sponsa in sponsi potestatem ueniebat, & uxor fiebat. Tribus olim modis uxores quæri solitas, Vsu, Farre, Coemtione, Arnobius testatur lib. 4. contra Gẽtes, & Boethius in 2. Topicorum Ciceronis. Cicero ibi duas formas uxorum tradit: unam Matrum familiarum, quæ in manum conuenerant: alteram Vxorum tantùm, quæ in manum non conuenissent. Vlpianus in fragmentis Institutionum, in manum tam farre quàm coemtione conuenirí solitas scribit. Nuptias definit Modestinus diuini & humani iuris coniunctionem, & Gordianus uxorem rei diuinæ & humanæ sociam appellat. Est igitur contractus quidam Mariti cum uxore, uel Apertus, uel Tacitus. Apertus, cùm dextræ fides apertè intercedit (quod est in manum conuenire) certis constans cæremoniis, iisq; uel sacris uel profanis. Sacra fuit Confarreatio, solis concessa Pontificibus, teste Boethio. Atqui à primo Vibis ortu peræquè omnibus nuptiis fas interuenisse Dion. Halicarnasseus libro primo Antiquitatẽ uidetur, cùm sacra iccirco coniugia uocari asserit, propter communionem [illegible] farre confecti, quod Græcis zea dicitur. Sacrificio [illegible] omnibus [illegible] Latinis, uti à Græcis [illegible] far pium uocabant: & mola salsa, secũdum [illegible] Pompeium, nihil erat aliud, quàm far tostum mola contusum & sale aspersum, quo hostiæ aspergebantur. Farre, inquit Vlpianus, conuenitur in manum certis uerbis & testibus decem præsentibus, & solẽni sacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur. Atque ut Confarreatione coiungebantur, ita Diffarreatione dirimebantur cõiugia, teste Sex. Pompeio libro 4. quod

quod erat sacrificij certum genus, farreo libo adhibito. Cæterùm intermissam suo iam tempore confarreandi adsuetudinem Tiberius Imp. apud Tacitum lib. 4. narrat. Profanus autem matrimonij contractus, isq; apertus, Coemtio dicta est. Hanc imaginatiis uenditionibus peractã, ut & adoptionem, credibile est, in eaq; facienda numos aliquot dicis causa interuenisse: id quod in aliis quoq; legitimis actibus obseruabatur, in quibus specietenus mancipationum solẽniæ repræsentanda erant. Vir ita scitabatur, An sibi mulier esse materfamiliãs uellet? quæ respondebat Velle. Mulier item, An sibi uir esse paterfamiliãs uellet? cùm respõdisset Velle, in uiri manum mulier conueniebat, iunctisque dextris inter se deosculabantur, teste Tertullano de Virg. uelandis. Quæ coemtione in manum conuenerat uxor, propriè Matrisfamiliãs nomine exaudiebatur, quoniam non in matrimonium tantùm (ut uxor, quæ etiam Matrona dicitur à matris nomine, etsi nondum adepto, tamẽ cum spe & omine mox adipiscendo) sed in familiam quoq; mariti & in sui hæredis locum uenisset, & in manu mãcipioq; mariti esset, aut eius cuius in manu mancipioq; maritus erat. Atq; hoc esse uidetur, quod Iurecoss. dicebant In familiã nubere. Ob hunc in alienam familiam transitum capite diminui censebatur: indeq; in minimis capitis minutionibus conuentio in manum & adoptio numeratur Vlpiano in fragmentis. Mulieri in manum conuenienti tutores auctoritatẽ præstabant, ut omnia quæ eius fuerant uiri fierent dotis nomine: & Boethius uxore defuncta quę in manum conuenisset, bona eius ad uirum pertinuisse bene colligit. Vice uersa mortuo uiro superstes uxor non aliter ac patri filia hæres existebat ex asse, si liberis careret: si haberet, æquam cum iis partem ferebat. Porrò tacitus matrimonij contractus & in manum conuentio tacita, Vsu constat, atq; adeo usu partas ac quæsitas uxores eas fuisse (quando uetustatis hæc sunt inuoluta tenebris) probabile est, quæ mattimonij causa in domum absque coemtionis solennibus deductæ: toto uertentes anno cum uiro adsuessent, quæ post id temporis ex XII Tab. in manu mancipioq; uiri fuerint, quasi usu, id est, possessione uiro mancipatæ. Vsus certè legitimum fuisse domionorum quærendorum & adipiscendorum modum nemo ambigit. Proinde quemadmodum res mobiles anno possessæ, possessoris ex iure Quiritium fiebant: ita quæ nec farreo nec coemtione in manum conuenissent, sed in domũ duntaxat pro uxore deducta esset mulier, tutoribus auctoribus uxor quidem habebatur: cæterùm non antè in manum uiri conuenisse censebatur, quàm apud eum annum, nulla trinoctij absentia (perfectum enim trinoctium ex lege XII. tabularum usum interrumpere poterat & interpellare coniugij) interposita, implesset. Transacta uerò annua die, tum usu uiro quæsita uxor iudicabatur, pro eoq; erat ac si in manum solennibus uerbis conuenisset (utpote usu ac possessione, quod solennitati defuerat, supplente) iustæq; uxoris & Matronæ loco habebatur (etsi sibi liberi nati non forent, teste Gellio: à mattis scilicet nomine non adepto, cum spe tamen adipiscendi) hoc ipso differẽs à concubina, quòd Vxor matrimonij, Concubina consuetudinis tantùm nomine haberetur. Atq; ex affectu & animo habentis ea res plerunq; censebatur. Quanquam in liberæ mulieris eiusq; ingenuq; quæ corpore quæstum non fecisset, consuetudine non concubinatus, sed matrimonium intelligeretur: quam qui in matrimonio habere recusaret, in legem Iuliam de adulteriis incidebat. Ex earum uerò mulierum quæ liberæ essent, non tamen ingenuæ, aut corpore quæstum fecissent, consuetudine, utrum matrimonium an concubinatus induceretur, ex uoluntate mariti pendebat. Nam si maritali eas honore & affectione prosequerentur, Vxores: sin minus, Concubinæ censebantur. Ex illis suscepti liberi, iusti ac legitimi: ex his uulgò quæsiti ac Spurij existimabantur. Itaque quæ concubina fuerat, mutata uoluntate uxor haberi poterat: neque ad matrimonij substantiam tabularũ nuptialium obsignatio necessaria erat, teste Papiniano & Quintiliano. Dignitate item uxor à cõcubina distinguebatur. Proinde Commodus, Spartiano teste, uxorem dignitatis esse nomen non uoluptatis dicebat. Eam quæ uxoris loco sine nuptiis in domo esset, Pellicem dici ex quorundam sententia Paulus refert: rectius uerò eam quæ iuncta consuetudine esset cum eo, in cuius manu mancipioq; alio matrimonij causa foret. B. Brissonius I. C. de Ritu nuptiarum.

Symbola.

PERSÆ & Assyrij accepta inuicemq; data dextra, fœdus matrimonij ineunt, quemadmodum & Germani. Nihil enim apud illos fide erat antiquius. Apud GALATAS in sponsalibus ex eodem poculo uir & uxor simul bibebant: ut cõmuni more ostenderent, eas nuptias probè contractas esse, in quibus tanta esset coniugum concordia, ut perpetuò cõmunis cibus & potus grata sit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. Sic Cãma Sinorigem ulta fuit.

Apud GRÆCOS, MACEDONES, Thraces, Triballos, Pæones panem gladio diuisum, sponsum & sponsam, cùm ineunt sponsalia, gustare solenne fuit. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5. & Scaliger lib. 3. Poet. cap. 100.

ALEXANDER Magnus uisa Rhoxane Barbari satrapæ filia in conuiuio, afferri Macedonico more panem iussit, cumq; gladio dissectum uterq; libasset, matrimonio eam sibi iunxit. Cælius lib. 28. cap. 15. A. L.

Far tostum præferebãt non omnibus in nuptiis, sed in iis duntaxat, in quibus uiro uirgo dabatur usui tantùm, non autẽ mancipio: atque iccirco appellabatur ius eiusmodi nuptiarum, Confarreatio.

ROMVLVS in communicatione panis & aquæ mattimonij fœdus inisse traditur.

LAPPONVM Septentrionalium nuptiæ coniunguntur igne per chalybem è duro silice excusso, ut symbolicè coniugalis amoris occultam sed uiuidam flammam denotent, & communium liberorum productionem insinuent. Olaus lib. 4. cap. 7. Septent. reg. & Zieglerus in Scondia. An quòd nihil magis sit necessariũ illi regioni? quare ad eius quoq; reparationẽ puto silicẽ cõparari. Scaliger lib. 5. Poetices, cap 100.

Attestatio.

Stipulatione apud ROM. facta, & sponsione sequuta, ignem & aquam in limine appositam uterq; tangere iubebatur, qua etiam noua nupta aspergitur, quasi eo fœdere inexpiabili uinculo & mutuo nexu forent copulati. Hæc enim elementa sunt prima naturæ, quibus uita uictusq; communis constat: & quibus, qui extorres ab hominum cœtu futuri sunt, interdici legibus solet. uti Varro scribit, & Festus, & Plutarchus in Problemãtepe q; generationis caussã in calore & humore posita sit: eiusq; rei uestigium est in I. penult. D. de donat. inter uir. ubi Scæuola significat, aquæ & ignis adhibitione nuptias celebrari.

Sponsa apud ANGLOS, postquam benedixerit sacerdos in templo, incipit bibere, sponso & reliquis astantibus idem mox facientibus. Polyd. lib. 1. cap. 4. de Inuent.

Munera.

Dona & munuscula uirum ab uxore, uel contrà accipere, legibus erat & scripto iure ROM. uetitum: uelas existimantes, quos legitimus amor coniunxisset, donis uideri potius allici, quàm coniugali amore conciliari Anulus tamen sponsæ dono mitrebatur à uiro, qui pronubus dictus: is enim erat ferreus, & sine gemma, prisca. Videlicet secula & antiqui uictus parsimoniam, ac frugales mores designans: uel gemma aberat, ut rei describeret simplicitatem. Materia ad constãtiam spectabat. Forma anuli ad perpetuam iunctionem. Contrà, teste Varrone, sponsa ex tribus assibus, quorum unum in manu, alterum in pede, tertium in sacciperio, hoc est, maiore crumena ferebat: primum sponso dabat, quasi eum sibi illo precio coemtum esset habitura. Alterum in foco diis Laribus deponebat: quem & igni luculento, & corollis sua manu (namq; alia non licebat) plexis, ut ait Plautus, augebat. Tertium in uicino compito deso diebat.

Apud GERMANOS sponsus complacitæ mulieri, quam ducere animo destinauit, dotem dat: qua exhibita, frenatum equum & boues, scutum, gladium, & arma, tanquam pignus amoris, uxori mittit. Tacitus.

Certamina.

Apud SACAS nupturæ cum sponso certamen priùs ineunt. In quo cùm sponsa superior est, per omne uitæ tempus uiro imperat: si inferior, sub mariti imperio esse cogitur. Aelian. lib. 12 de Varia historia.

ΑΠΑΥΛΙΑ. SPONSVS SPONSAM IN domo paterna quærit, adit. NVPTIÆ propriè Considerentur

Tempus ipsarum nuptiarum.

PERSIS nuptias contrahere, aut maritale coniugium inire, initio uerni Aequinocti) tantummodo permittitur: reliquo anni tempore non licet. Alex. ab Alex. lib. 2 cap. 5.

Inauspicatum ROMÆ existimabatur, mulieres Maio mense nubere: siue quòd eo mense umbra Remi occisi à fratris Celere, creditur apparuisse nutritio suo Faustulo, atq; Accæ Laurentiæ, mandasseq; ut manibus suis iusta persolueretur. Vnde & Romulo auctore, festa Remuria dicta, posteritas mutata litera Lemuria, uelut à Lemuribus appellare cepit. Et umbris maiorum his diebus parentari solitum: atq; ob id dies illi inter ferales habiti, ac nuptiis nefasti. Ouidius in Fastis:

Nec uiduæ tædis eadem, nec uirginis apta
Tempora quæ nupsit, nec diuturna fuit.
Hac quoq; de causa, sit te prouerbia tangunt,
Mense malas Maio nubere uulgus ait.

Plutarchus in Problematis Rom. alias quasdam causas refert, uel quòd medius intercedat inter Aprilẽ, Veneri sacrũ, & Iunium Iunoni dicatum, quarum utraq; dea nuptiis præsidet: proinde propter auspicium deæ, aut maturantes paulum

lum nubebant Aprile, aut pusillum prorogantes Iunio. Vel propter funesta quædam piacula, quibus per id temporis utebantur Romani, hominum effigies de ponte in Tiberim præcipitantes, cùm antea Græcos consueuissent. Atq; ob id Flaminicam Iunonis sacerdotem, quasi luctum illis diebus agere, nec ullo solenni cultu solitam uti. Vel quod Maius à natu maioribus, Iunius à iunioribus denominatus esse uidetur. Erasmus in Chiliadibus.

Cur in festis publicis nubere non erat fas uirgines ROMÆ, cũ tamen uiduæ tunc nuberẽt? Vtrũ, ut Varro est auctor, quòd mœstæ nubant uirgines, mulieres lętæ: festo autem non liceat quicquam per mœstitiam agere, nec coactè? An potius quòd uirginibus honestum sit, nõ paucis, uidnis turpe, multis nubere præsentibus. Hinc primæ optabiles nuptię, odiosæ secundæ sunt. erubescunt namq;, si uiuis prioribus uitis elocent se alijs si defunctis, lamentantur. Itaq; silentio malunt, quàm cum tumultu deduci. Festa autem retrahunt uulgus, his ut uacare nequeant. An quòd, cùm Sabinorum natas, quæ uirgines erant, festo rapuissent, implicati fuerunt bello: pro inauspicato habuerunt, si filiæ diebus festis nuberent? Plut. in quæst. Rom.

Nuptiis copulãdis Calendas, & Idus religiosas, id est, deuitandas ROMANI censuerunt. Hi enim dies feriati sunt. Feriis autem uim cuiquam fieri, piaculare est. Ideo tunc uitantur nuptiæ, in quibus fieri uis uirginibus uidetur. Sed Verrium Flaccum, iuris Pontificij peritissimum, dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere ueteres fossas liceret, nouas facere ius non esset: ideo magis uiduis, quàm uirginibus idoneas esse ferias ad nubendũ. Nonæ feriatæ non sunt, & tum neq; ipsæ nuptiales. Nam quia primus nuptiarum dies uerecundiæ datur: postridie autem nupta in domo uiri dominium incipere oportet adipisci, & rem facere diuinam: omnes autem postriduani dies, seu post Calendas, seu post Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut postera die libertatem auspicaretur uxoriam, aut arro immolaret, quo nefas est sacra celebrari. Macrobius lib. 1 Saturn. c. 16.

Nuptiæ prohibitæ ROM. dum Fetialia, seu Parentalia fiũt: ac diebus impuris, & quibus ancylia in templo Martis nondũ condita sunt, uel festis diebus, & mense Iunio, nisi post Idus, quenquam nuptiis copulari religiosum erat. Quinetiam animaduersum est, postera die à Nonis, Idibus, uel Calendis, uxorem spontãmue ducere Romanis nõ liceret: sed eos dies uelut tristi omine infames & detestabiles censeri: quoniam hi dies atri decreto pontificum habentur: quibus legiones educere, aut acies cum hoste committere, uel quicquam publicæ rei agere, religio non finit. Alex. lib. 2. cap. 5.

Deductio sponsi in ædes soceri.

Absoluto sacrificio diei nuptialis, in soceri ędes deducebatur sponsus ab eo, quem Græci παράνυμφον, quasi eius assecla nominarunt: aliqui etiam νυμφιόστολον, alij πάρεδρον uocabant, quemadmodum mulier, quę sponsæ aderat, παρανύμφιον dicebatur illis, nobis, Pronuba.

ATHENIS, ingredienti sponso, in caput ex editiore loco, ficus, palmulæ, legumina spargebantur. Nunc quibusdam locis etiam triticum demittit. Scaliger lib. 3. Poetices cap. 100.

Raptus sponsæ.

Nuptam uir è sinu matris dicis caussa apud ROM. rapiebat: aut si ea non erat, ex proxima necessitudine: quòd, ut ait Festus, ea res feliciter Romulo cesserat.

Cultus corporis Coniugum nuptialis.

Apud INDOS, nisi nubentes unguento, quod ex arboribus Phasis fluminis distillat, delibuti forẽtneq; matrimonium, neq; cognationis iura legitimè contrahi putarunt. Alexander libro 1. capite 24.

Apud LATINOS usus erat, ut noua nupta spõsusq; uitta purpurea candido distincta, aut uestę uersicolori amiciatur, aut iugum pariter subeant (unde & Iuno Iugalis dicta est, quasi æquissimo iure & concordibus animis inuicem necteretur, societasq; & communicatio uitæ coita foret) aut caput obnubant, unde Nupriæ dictæ. Alex.

Cultus sponsi.

Moris fuit ATHENIS, ut nuptiarum die sponso per puerum genere proximum (quem λυχνοφόρον uocant) balneum è fonte, qui nunc Enneacrunos, olim Calirrhoe dicebatur, afferendum curarent. Etiam in eorum sepulcris qui cœlibes decessissent, puer situlam tenens collocabatur. Suidas.

Cultus, Ornatus sponsæ.

Apud ROM. caput hasta gladiatoris, quæ in corpore mortui stetisset (quę cęlibatis dicta est) spõsa comã ornabat, & fronte à comã secernebat. Opinari licet, quasi fortes ea de causa uiros se genituræ ominetur: aut quòd matronæ Iunonis Curetis in tutela sint, quæ ita appellabatur à seuera hasta, quæ Sabinorum lingua curis dicitur, uel quòd nuptiali iure nubens, uiri imperio subiiciatur, quia hasta armorum & imperij summa est. Plut. in quæst. Rom.

Apud GRÆCOS spõsa uerbena, quæ Veneri dicata est, & floribus herbisq; à se lectis corollam texit, eamq; sub amiculo defert. Alex.

LOCRENSIBVS in usu erat, ut matronæ ex lectis floribus nectant coronas: nã emta gestare serta, uitio dabatur. Alex.

In BOEOTIA sponsam obtegẽtes, asparagonia coronabãt: nam ut ea suauem ex spina acerrima fundit fructum, sic noua nupta primam asperitatem suam non reclinanti necindignanti marito, urbanam iucundamq; uitæ societatem præstabit. Cælius lib. 28. cap. 18. A. L.

In ANGLIA spicea corona sponsa redimita caput, præfertur uiro, ducitur, uel manu gerit ipsam coronam. Polydorus libro 1. capite 4. de Inuent. Rerum.

Obtectio.

Tum uerò operiebatur uirgini caput atq; facies: unde ab obnubendo Nuptiæ dictæ sunt. Id uelum à Græcis ἱστὸς & κροκάλεον, à Latinis Flammeum & Croceum, propterea quòd lutei coloris esset, ut ne pudor uirginis proderetur: aut quid animaduerteretur in facie ruboris, is è uelo color, non è genis emicare putaretur. Eo certè matronæ spectatæ pudicitię tegebãtur: eoq; Flaminica, hoc est, Flaminis uxor utebatur, cui diuertere à uiro nõ licebat. ideo sine dissidio matrimoniũ fore opinabãtur, teste Festo. Alij nubentiũ capita uelari cõsuesse scribũt, ut se maritis obnoxias ppetuò futuras intelligerent, ac proinde humilitatem præstarẽt. At in libro de Patriarchis Ambrosius id pudoris gratiã facitatum scribit. Priorem tamen sententiam comprobat idem super primam ad Corinthios epistolam. Cælius libro uigesimoctauo, capite decimoquinto Antiq. Lect.

Apud SPARTANOS in more fuit, ut uirgines innuptæ, & quæ nullo coniugij fœdere iunctæ essent, facie inuelatæ & aperta: nuptæ uero, nisi uelata parte oris, & aperto capite, fores prodirent. Alex.

Vestitus sponsæ, Cingulum.

Apud GERMANOS, cùm sponsa ad uirum ire parat, in ipso nuptiarum celebri officio rectam tunicam & puram togam induit.

Festus scribit, Cingulo nouam nuptam apud ROM. & GRÆCOS præcingi, quod uir in lecto soluebat, factum ex lana ouis: ut sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic uir suus secum cinctus uinctusq; esset. Hunc Herculeũ nodũ nemini nisi spõto in geniali thoro, & dum sacrum nuptiale fit, soluere permittitur, ominis causa scilicet, ut in sobole gignenda, educendisq; liberis, sicut Hercules, fœcũdus fore: eo argumento, quòd illum eximiæ fœcunditatis (quippe qui septuaginta ex se liberos reliquit) fuisse dicunt. Zona quoq; nouam nuptam circumcingi, quæ nuptiarum die à uiro soluebatur, nonnulli ferũt. Id Homerus in Odyssea, de Tyro uirgine à Neptuno compressa testatur. Et Catullus: Quòd zonam soluit diu ligatam. Noua præterea nupta cingulo præcingebatur, id uir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, ut cum illa uir uinctus cinctusq; esset. Polydorus lib. 1. capite 4. de Inuent. & Alex.

Locus. Sessio sponsæ.

In lanata pelle noua nupta, nuptiali mundo comta. ROMÆ considere solebat uel ob uetustum morem, quòd antiquitus homines pellibus consopirentur: uel ut attestaretur, lanificium se præstaturam uiro. Cælius lib. 27. cap. 14. A. L.

LVSITANIS in roseis tantùm ornamẽtis spõsas locare permittitur, alterius generis non permittitur. Alex.

Deductio sponsæ.

Apud ROMANOS, teste Festo, prætextati pueri patrimi & matrimi, id est qui patrem & matrem haberent, nubentem deducebant, unus qui facem ex alba spina (de qua Plin. lib. 16. cap. 18.) præferret (nam noctu, ut ait Plutarchus in Problematis, nubebant) duo qui sponsam manu tenerẽt: & ea fax in Cereris honorem præferebatur (ut quemadmodum Ceres mortales alit, quæ terræ mater, ac cunctarum frugum creatrix habetur: ita noua nupta materfamiliãs post facta, filios nutriret) puerorumq; & puellarum cantibus inter se respondentium ea deductio celebrabatur: O hymen hymenęe, hymen hymen ô hymenæe. Plutarchus quinq; fuisse faces scribit, quòd is numerus maximè nuptiis conueniret.

Apud ROM. etiam erat qui far tostum præferret, scilicet quia nihil cõfarreationis fœdere in sponsalibus religiosius fuit. Ideo in dirimendis nuptiis, & si quando uir ab uxore diuertere contendit, diffarreationem fieri accepimus. Alexan.

In ANGLIA duo pueri, uelut paranymphi, id est, auspices, qui olim pro nuptiis celebrandis auspicia capiebãt, nubentem ad templũ, ubi ęi & marito sacerdos benedicat, & inde domum duo uiri deducunt, & tertius loco facis, uasculum aureum uel argenteũ præfert. Polyd. lib. 1. cap. 4. de Rerũ Inuẽt.

Apud LAPPONES, nuptiis per ignem celebratis, sponsam ad melinis pellibus ac zibellinis ornatam, rãgifero, quasi domesticato ceruo, amicorũ insigni cæterua, secundũ familiæ excel-

excellentiam comitatam, agnati imponunt: atq; ita in thalamum, uel tentoria, mediantibus tripudijs, fœcunditatem & sanitatem precantes inducunt. Maritus uerò lynceis ornatus pellibus, aut marduinis, tanquã patricius Venetus, incedit: precio pellium æquè æstimandus, ut alij gemmis onusti, uel torquib. deauratis. Olaus lib. 4. c. 7. Sept. regionũ.

Lustratio.

Cùm prisci putarent Aquam rerum omnium elementum esse, Ignem uerò formam: utrumq; in limine positum ab utroq; manu tangebatur: ipsaq; nupta eiusdem aquæ aspersione lustrabatur. Tum ex eo igni faces accendebantur ab ædilibus, quinq; numero, quot & illos fuisse Varro autumat, ut scribit Plutarchus, quas faces Cereos appellabant. Sanè unius tantùm cerei mentionem facit Plautus. Eas faces aliæ gentes ex picea pineaue teda cædere: Romanos pastores raptis Sabinis & spina arbore temerè inuenta confecisse: quam materiam posteri quoq; expetiuerint. Alij malũt facularum numerum à numero deorum coniugalium. Ædiles enim tres tantùm fuisse, non quinq;. Scaliger.

Inuenio facem in nuptijs in honorem Cereris prælatã, aquaq; aspersam nouam nuptam, siue ut pura castaq; ad uirum ueniret, siue ut aquam atq; ignem cum uiro communicaret. Quod Serulus. Varro ideo dicit faces præire nuptas, quòd antea nõ nisi noctu ducebãtur à sponsis. Homerus Iliad. σ. νύμφας ἐκ θαλάμων θαλερὸν ὑπὸ λαμπομένων ἡγεμόνες ἀνὰ ἄστυ. Brodeus in 3. Epigram.

Faces pronubæ, & quæ uni semel nupserant, ante congressus coniugales nouæ nuptæ deferebant. Alex.

Sacrum.

Τέλειον, nuptiale sacrificium, & nuptiarum diem æquè dixerũt, atq; etiam tum à nuptiis, tum ab earum numine Iuno nedum sacrificium ἡμερήσιον, ut ait Pollux. Sub uesperam, aut noctu potissimùm celebrabatur.

Iunoni Nuptiali, τῇ γαμηλίᾳ uel τελείᾳ ἥρᾳ, rem diuinam quum facerent, è uictima fel exemtum post aram abijcere, moris fuit receptissimi: innuẽte (opinor) eius quisquis fuit auctore, bilem prorsus iræmue à coniugali sequestrandam iucunditate. Vt enim uini, sic & matronæ austeritas utilitatis plurimùm, amarulenti nihil interfusum habere cõgruenter debet. Alexander, & Cælius lib. 28. cap. 21. A. L. ex Plut. Præceptis connubialibus.

Apud HETRVSCOS, in coniunctione nuptiali uiri sublimes porcum immolant, quasi dijs testibus illud bene cessurum, & futurum inuiolabile. Quod quidem dirimere nõ licebat, nisi diuortio, morte, captiuitate, uel seruitute. Alexander libro 6. cap. 4.

Mos VETERVM fuit, Mercurium iuxta Venerem in nuptijs collocare: ueluti innuerent, nuptialem uoluptatem ratione aptoq; sermone inprimis indigere: item πειθὼ, & τὰς χάριτας, id est Peitho, siue Suadelam & Gratias: ut quæ uoluptas ferebat, ab alteutro sine pugna citraq; contentionem ullam inducti transigerent. Venerem nihilominus dictam ueteribus comperio informe numen, quia uespertina mulieribus opitulatur, uiris autem matutina. Cælius lib. 28. capite 18. Antiq. Lect.

GRÆCIS nubentium matribus, tenere faces in nuptijs negotium datur, quod ἀναδοχεῖν dixere: simulq; carmina & Fescninos uersus, atque sacrum hymnum, quem Epithalamium uocãt, decantare: atq; in his quinq; deos precari solebant, ut nouæ nuptæ uolentes & propitij adessent, prolemq; fecundarent, Iouem adultum, Iunonem adultam, Venerem, Dianam, & Suadelam. Nanq; hęc numina coniugijs præesse putabant. Alex.

Cinxiæ Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptijs, quòd initium coniugij, solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.

Apud ROM. nuptura, antequam sponsum accederet, in sinu Futini dei aliquandiu sedebat, felicem nuptiarum euentum à uolente propitioq; efflagitatura. Alex. lib. 6. cap. 4.

PARTSTVS Pp. Romanus primus decreuit, incestum haberi connubium, cui sacerdos non adfuisset, conferasset q; illud, ac nisi puella à parentibus solenni more uiro desponsa foret. Non nemo Sotero id assignat. Polydorus lib. 5. cap. 5. de Rerum inuent.

Apud SVECOS & GOTHOS quãdo sacerdotis benedictione sponsus sponsæ anulum cõiugij exhibet, astantes utriq; alapam infligunt, ut meminerint datę fidei. Olaus libro decimoquarto, capite nono.

Locus nuptiarum.

NYMPHÆA domus publicæ erant, in quibus solebant nuptias celebrare ij qui angustiores habebant domos, quàm uel hominum multitudinem capesserent. Et eæ erant coniunctę domibus maximis, in quibus Senatus celebrabatur: quod apertissimè docet Zonaras in Leone primo, ubi crudele & horrendum Constantinopolitanum incendium describit. Cuspinianus in Valente.

Cœna. Cibus, Potus.

Parata cœna nuptiali, ex HETRVSCA disciplina porcũ mactabant, & ad acuendam uenerem bulbos, pineos nucleos, erucas, piper, præter cæteras epulas apponebant. Alij aliaq; pleriq, papauereis succum, lacte & melle dilutũ exhibuere.

SOLON, nisi malo cydonio epulis adhibito, uiri thalamum sponsam ingredi, promulgata lege uetuit.

BABYLONIIS uir & uxor non miscentur, nisi thymiamate prægustato. CARTHAGINENSES in nuptialibus cœnis thynnorum concisis carnibus uescuntur. Alex. & Scaliger lib. 3. Poet. cap. 100.

Apud PERSAS nuptiæ in Initio uerni æquinoctij celebrantur, spõsus in thalamum procedit, comesto prius malo uel cameli medulla, præter id nihil eo die. Strabo lib. 15.

NAVCRATITARVM nuptialib. cœnis cauebatur, ne quis ouum intulisse uellet, aut μελίκρητα, id est mellita. Cælius lib. 27. cap. 17. A. L. ex Athenæi lib. 4.

Hymni & Choreæ.

Dicebatur Hymenæus cum choreis, ita ut unus quispiam caneret, quoad Epiphonema subinferret. Quo pronunciato, uniuersa chorea Hymenæum totidem numeris recinebat. Scaliger.

GRÆCIS ὑμηνοῦσιν carmẽ in nuptijs modulatis uocibus canere solenne fuit, quod festo nuptiarum die Thetidis & Pelei, deos decantasse olim ferunt. Iidem in nuptijs, ὑμὴν ὦ ὑμέναιε ὦ ὑμήν, clamitabant. Aristophanes in Auibus.

ATHENIS inconditum carmen in nuptijs canebatur, Bonos ama, timidos repelle: scimus enim, timidorũ ubiq; paruam esse gratiam. Plato in Gorgia, in nuptialibus cõiuuijs cantilenã decantari hunc in modũ, memoriæ prodidit: Formosum esse ac diuitè, ac bene ualere, summũ existimari bonũ.

Cur apud ROM. celebris ille canitur in nuptijs Talassius? Vtrum à lanificio? siquidẽ quallum talathum uocant: sponsamq; quando introducunt, pellem caprinam substernunt. Illa infert colum lana circumuolutam & fusum, lanaq; uiri fores obducit. An quòd proditur ab historicis, est uerum, iuuenem fuisse bello fortem ac cætera probum Talassium nomine. Cùm autem raperent Romani Sabinorum filias, quæ ad spectaculum uenerant, adducebatur à populariibus & clientibus Talassij forma uirgo præcellenti, clamantibus securitatis gratia, & ne quis manus admouereat, aut corriperet puellam, eã Talassio ferri. Igitur reliqui honoris Talassij causa gratulabundi applaudentesq, comitati sunt & prosecuti. Hinc quia feliciter cessit hoc connubium, alijs quoq, obtinuit ut acclamarẽt Talassium, sicut Hymenæum Græci. Plut. in quæstionib. Rom. & in Pompeio, & Liuius lib. 1. Dec. 1.

Lecti præparatio.

Vt Genialis apud ueteres ROM. lectus duabus culcitris in Genij honorem parabatur eximiè: sic à Catullo dictum puluinar est, ut reor, à generando, à Græcis thorus παρὰ θοῦρος, propterea quòd uelo esset obtectus. Eum lectum duabus culcitris adornauerat iam fœmina, quam & ἀναφυστρίαν, & δαλαμεύτριαν Græci uocitarunt.

In ædib. soceri sponso thalamus adornabatur, ubi fierent nuptiæ, si sponsa esset uirgo. Si autem uidua esset, ad sponsum ducebatur. Qui deducebat, Nymphagogus nominabatur. Inde pronuba accepta una ex facibus, lucernam coniugalem pertigilem pernoctemq; futuram accendebat: atq; illico faces extinguere mos erat. Eas uerò ne sub lecto conderent, néue seruatas ad rogum struendum deferrent, pro auspicatissima lege habebatur, Scaliger. Alex.

Deductio ad Lectum.

Vbi satis cantus & saltationũ, à prætextatis in thalamum deducebatur, quinque facibus comitata: quas ab Aedilibus accendi, & ex spino arbore fieri erat auspicatissimũ: quandoquidem ex hac arbore in raptu Sabinarum mulierũ pastores faces accendisse ferantur. Scaliger.

Rapi solebat fax prætextati, qui præluxerat, ab uteriusq; amicis, ne aut uxor eam sub lecto uiri ea nocte poneret: aut uir in sepulcro comburendam curaret: quo utroq; mors propinqua alterius captari putabatur. Prætextatis discedentibus, pronuba apprehensa sponsæ manu eam ad genialem lectum ducebat.

Ex ueteri GRÆCORVM ritu est, nubentium matres in nuptijs faces tenuisse, quod illi ἀναδοχεῖς dicũt. Id εὐ φρονιοῦσις monstrat Euripides:

ἐγὼ δ' ὅτι σοι πυρὸς ἀφῆψα φῶς νόμιμον
ἐν γάμοις, ὅτι πρέπει μητρὶ μακχείᾳ.

id est, Neq; ego tibi lumen succendi in nuptijs legitimum, sicuti beatam addecet matrem. Sed & in Apollonij Argonauti-

nauticis Iuno inquit ἀλαδεχθῆναι τῇ θεσπιδι, id est, facem præstulisse Thetidi, ob beneuolentiam, dum matris officio fungitur: sic uerò ait,

ὡτὴ δὲ σίλας χάφετον κόνιχον
ευμφιδίον, κέινης ἀγαυόφρονος ἕνεκα πηῦς.

Cælius lib. 28. cap. 15. A. L.

SPARTANI ex Lycurgi instituto uxores ducebāt raptu: raptas abducebat pronuba, capillosq; eius cute tenus circūtondebat: inde tunica uirili & calciamentis indutā, in thoro sine lumine solam locabat. Plut. in Lycurgo.

In COO iusula sponsus uestemuliebri amiciebatur. Scaliger lib. 3. cap. 100. Poeticæ.

Apud SVECOS & Gothos multæ habentur ceremoniæ circa lecti nuptialis introitum, ut sacerdos canat hymnū, Veni creator spiritus, cum inuocatione diuini auxilij: sed & cibi delicati illis lectū iam ingressis exhibeātur, ut ijs cum astantibus breui mora uescantur: tandemq; ualedicentibus amicis sua pace fruantur. Sequēti die noua nupta capite uelato affabili incessū conuiuis argenteos scyphos electiore liquore repletos, in signum quōd materfamilias effecta sit, liberaliter propinat. Olaus lib. 14. cap. 10. Septent. regionū.

Detectio.

Ad thorū perducta à spōso detegebatur: à quo etiam eius detectionis causa dona accipiebat, quæ & iccirco ἀνακαλυπτήρια, & quia tunc ab eo quasi primùm uideretur ἐπίδειγμα quoque, & quōd eam alloqueretur, προσφωνητήρια dicta sunt.

Ianuæ clausio.

Vbi omnes discessissent, sponsus clausa ianua disponebat custodes foris, quorum opera muliercularum importuna uel pietas uel simulatio à foribus arceretur, si qua commoueretur uirginis clamore, quum intus uim pateretur.

Comestio mali.

Solonis instituto apud ATHENIENSES sponsa cū sponso concuditur, ut malū cydoniū uoret cū eo. Plut. in Solone.

Lustratio.

TOBIAS iunior, ipsa nuptiarum nocte, iussus ab angelo Raphaele sub pallam Saræ sponsæ sustitum facere ex iecore ceti, quem interfecerat, ut dæmonium abigeret.

Cinguli solutio.

Cunctabundæ uirgini promnestria duobus digitis cingulum soluit, quod Dianæ, ob eam causam λυσίζωνη, à Latinis Cinxiæ cognominatæ, dicabat: erat autem cingulum illud ex uuilla contexum lana, eoq; nexum nodo, qui Herculanus uocabatur: propterea quōd heros ille fœcundissimus ab antiquis creditus sit: quippe cui septuaginta liberi superstites fuissent, quicq; septiē diebus quinquaginta Thestij filias è uirginibus mulieres fecisset. De uirginum cinctu ambigitur: quidam enim dixēre, cingi solitam uirginē in ipso sponsalium apparatu. Quæ tamen sententia Catulli auctoritate deletur: quippe in Hendecasyllabis Atalantam uirginē non in ipsis nuptijs à pronuba aut alio cinctam innuit, sed tanquam mos is fuerit uirginibus, nunquā discinctam processisse: ubi ait, Quæ zonam soluit diu ligatam. Scaliger.

Venus nuptialis.

Apud SPARTANOS sponsus non uino grauis, nec delicijs confectus, sed sobrius cùm in conuiuio solito cœnatus esset, latenter ingressus soluebat sponsæ cingulum, eamq; in lecto collocabat. Nec longo ibi spacio commoratus, abibat modestè. conferebatq; se cubitum, quò antè fuerat solitus cū cæteris iuuenibus: quē modum deinceps seruabat, ac transigebat cū coætaneis dies & noctes. Plut. in Lycurg.

GRÆCI etiamnum hodie dicuntur in more habere, ut sponsarum colla pridie nuptiarum filo dimetiantur: postquam uerò concubuerit, mane eodem filo explorent, officio ne mariti sponsus sit functus. Venus enim corpus propter calorem auctum dilatat, & præsertim collum, per quod iugulares arteriæ ad caput ascendūt, uelut intumescere faciunt. Hinc Catullus in Epithalamio quodam:

Non illam nutrix matutina luce reuisens
Hesterno poterit collum circundare filo.

NASAMONIBVS mos est, cùm quis primùm ducit uxorē, prima nocte ut sponsa singulos cōuiuas obeat ueneris gratia, & ut quisq; cum ea concubuit, donum det illi quod secum habet domo allatum. Herod. lib. 4.

BALEARES in epulis quæ cū domesticis amicisq; in nuptijs fiunt, primus secundusq;, & deinceps secundùm ætatē reliqui, nuptam magno numero cognoscunt. Vltimus sponso locus ad uxorem datur. Diod. lib. 5. cap. 6.

Apud TROGLODYTAS, feminas uiris desponsatas primis noctibus cognati affinesq; producunt, illasq; promiscuis adulterijs patere sinūt. Postea perpetuæ pudicitiæ ascriptæ, seuerissimis pœnis, uel minima cōiectatione, si deliquissent, coercebantur. Alex. lib. 1. cap. 24.

VOLSINIENSES seruili prelli dominatu, filias ingenuas sponsō iam destinatas, seruis priùs delibandas date cogebantur. Idem.

ADYRMACHIDÆ Pœni uirgines nupturas regi exhibebant. Quæ illi placita fuerit, eam deuirginābat. Herod. lib. 4.

Cantus, lusus.

Matres nubentium tenebant faces (quod ἀλαδεχεῖν dixere) simulq; carmina & Fescenninos uersus, atq; sacrū hymnum decantabant. Fescennina autem erant procacia & lasciua carmina, in nuptijs decantari solita per ludū eo cum ioci, amores, gratias, & mistos leporibus lusus continentia. Alex.

Interea iuuētus cū nucib. aderat, quas cū strepitu, fremitu, cantu spargerent, quarum mentionē habes & apud Virgilium, & in Epithalamio Catulli. Causam aliter alij agnoscūt: uel quia (inquiunt) quasi tripudium faciunt iactæ nuces. Vel propterea quōd illæ putamine, cute, testa, corio medullam tegunt: uti pari munimento à coniugibus proteganturfœtus. Alij existimarūt eatum strepitu uirginis gemitus in illa ui obrui posse: atq; idcirco id ueteres commentos esse. Rectius sic: Nucibus pueri ludere consueuere. Proinde Festus per illa uerba, Nucibus facimus quæcunq; relictis: ostendit è primori ætate egressionē. Spargi nuces igitur, id est omittendas animi laxationes, nouaq; œconomiæ studia auspicanda, interpretantur. Scaliger.

ΕΠΑΥΛΙΑ. SPONSVS SPONSAM domi suæ recipit. REPOTIA.

Sunt qui Epaulia, Repotia, id est, diē ipsum post nuptias secundum appellari, opinētur (uti πρόαυλιον, pridie nuptiarum) in quo sponso primùm ἐπαυλίζεται ἡ νύμφη, in sponsi cubile adducitur. Erasmus in Adagiis Cælius lib. 28. c. 18.

A. L. ex Suida & Polluce.

Duci uxor dicebatur, quæ ex patris domo in mariti domum deducebatur. Pòst uerò institutum est, ut etiam absentis alti domum duci uxor posset. Hotoman. de Verbis Iuris.

Euocatio sponsæ.

Apud RHODIOS noua nupta per præconem in mariti domum aduocabatur, & sponsus domi sedens aduenientem excipiebat.

Egressus sponsæ.

Apud GRÆCOS (ut Pausanias ait) media locatur sponsa in nuptiali curru, sponso & necessario affini iuxtà comitante, quem parochum uocāt: cuius axem apud Bœotos proforibus incendebant, ut signarent, illam ibi perpetuò mansuram, neq; ulla tempestate inde recessuram. Quōd si cum sponsa nō subueheretur, sed pedibus mariti domū peteret, Chamæpus dicebatur. Alex.

ROM. nubentem non sinunt ipsam ædium limen transire: uerùm illi, qui eam deducunt, extollentes transferunt. Verum quōd primas uxores raptu partas ita domum intulerunt, non ingressæ ipsæ sunt? An uideri uolūt ui compulsæ, non ultrò, in domum penetrare, ubi uirginitatem sunt resolutūræ? An ea re significant neq; excessuram per se, nisi coacta sit, neq; deserturam domum: quomodo est, cùm ingrederetur, coacta. Plut. in quæst. Rom.

Illud nunc quoq; aliquot ITALIÆ locis seruari uidimus, ut egrediens paterna domo nupta pedem tollat, nēue attingat limen. Ei rei diuersas causas assignarunt: mihi illa propior uidetur, ne magicis pharmacis læsi posset, quæ sub limine ad destruendum coniugum uel concordiam uel uim genitalem, defodi solent à ueneficis. Scaliger.

Idem apud LVSITANOS fieri Alexander testatur.

Deductio, Pompa.

ATHENIS mos erat, ut in nuptijs puer quispiam inducerētur undiq; spineis frondibus, & quernis glandibus opertus, coronatusq;, cunas gestans panibus impletas. Dicebat autem hæc uerba:

Ἐφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον.

Ea uox (quæ postea in prouerbium abijt) bene ominabatur sponso sponsæq;, tanquam ad meliorē usq; fortunam profecturis. Malum enim uocabat spinas & glandes, panes bonum, propterea quōd steriles spinæ, iuxta prouerbium, ὑὸς ἄκανθα. Quinetiam glandibus uictitabant agrestes illi prisci, iuxta illud, ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Reperto frumentorum usu, glandium esus fastidiri cœptus. Demosthenes in oratione pro Ctesiphōte, significat id dici solere ab ijs qui initiabantur, cùm peractis iniurijs, quibus agitabantur ante mysteria, iam ad honorem initiationis admitterentur. Nam Aeschini obijcit, quōd noctu ministrans initiandis, abstersо luto iussit eos dicere: ἐφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Erasmus in Prouerbijs, ex Suida.

Apud ROM. spōsa domo egrediebatur, præcedētē tibicine, & eo qui canit Hymenæū, officio frequētī affiniū stipata. Duo patrimi & matrimi pueri eam tenebant: tertius candida toga amictus anteibat, qui facem accensam præferebat ex pino alba, qua præluceēte ad uirū nupta deducebatur. Eā facem sub lecto uiri posuisse, aut in sepulcro comburendam curasse, fœdum erat auspicium & omen exitiale, maximaq; facere infortunia creditum. Alexander. Antecedebāt ἀλαδοφόροι, siue faciferi: duo præterea, qui colum cum lana, & fusum ferrent cum stamine: tanquam operis, in quo futura esset, auspicia. Cribrum quoq; ac pistillum, Græco more, fic ut pistillum ante thalamum alligaretur: quo ipso panis cura illi committebatur. Romæ secus. Facta enim cum Sabinis pace, inter eos conuenit, ne eorū uxores molerent, nēue coquinam facerent. Ad hæc alij mundum muliebrem, aurum, spintheres, stalagmia: præterea pelues, pectines, speculum, sandalia, atq; id genus alia, quæ præter dotem dicuntur ab iureconsultis parapherna. Eam luxuriā ad trium tantùm uestium modū, ac modici precij uasa aliquot à Solone reductam, memorię proditum est. Scaliger. Ingredientē illa, Talassio uoce magna clamabatur.

DIONYSIVS Syracusanus tyrannus, misit ad Rheginos, ut ex uirginibus ciuibus unam deligerent, quam sibi in matrimonium traderent, pollicitus pro eo magnam se conterminī agri partem illis comparaturum. Multa cōsultantibus Rheginis, uisum est repudiandum coniugium, nec eam affinitatem contrahendam, quo nomine postea grauiter à tyranno multati sunt. Eo igitur cœpto fraudatus, pro re eadem ad populum Locrensem legatos mittit. Quo postulatis annuente, decretoq; de cōiuge danda facto, duxit ex eis uirorem Dionysius Doridē filiam Xeneti, ciuium omnium clarissimi potentissimiq;. Paucis ante nuptias dieb. Locros misit quinqueremem tum primū ædificatam, argenteis circum aureisq; cōpositam ornamentis, in qua uirginē transportari Syracusas iussit. Duxit præterea ex ciuib. clarissimā Aristomacham, ad quā ad se uehendā quadriga equis albis iuncta mittitur. Eodē tēpore nuptias utriusq; celebrās, perpetua militib. & plerisq; alijs cō uiuia parauit. Diod. lib. 14.

Domo expiata Sponsus expectat.

Apud ATHENIENSES sponsus suam sponsam domi operiens, ubi sedes coniugij futura, paratu magno lanuam lana ciugit & coronat, multaq; lauro exornat, postesq; uittis laneis primùm à noua nupta attingi & ornari, oleoq; & adipe suillo uel lupino inungi iubet, ex magorum præscripto ne quid perniciosæ pestis in domum irrepat. Sponsi capat caricis & palmarum fructibus, legumine & colybijs inspergunt: quod & seruis nouitijs, cum primùm dominorū ædes introissent, fieri consueuerat. Alex lib. 2. cap. 5.

Magorum apud ATHENIENSES fuisse figmentum dicunt, ut selle nigri canis suffitas domos, & genitale sub limine defossum in nuptijs habeant, contra mala medicamenta, & amatoria maleficia: in foribus uerò uillarum, lupi rostrum, ne quid deperiret, neue mala fascinatio in domum irrepet. Alij stellam marinam uulpino sanguine illitam, ne quid periculo foret, aut noxæ, defixere. Alex. lib. 1. cap. 24. Genialium dierum.

Sponsæ ingressus in mariti domum.

Apud ANGLOS sponsa dum ingreditur domū, boni ominis causa, super eius caput iacitur triticum, quasi inde consecutura sit fœcunditas. Polyd. lib. 1. c 4. de Rerum inuent.

Cùm ad mariti limen uentum erat, tum postes oleo uel adipe suillo inungebat nupta, eosq; laneis uittis ornabat: unde uxorum nomen Varroni, & Seruio, & Festo, quasi unxores. Limē autem attingere, religio erat: ne, ut Varro putat, à sacrilegio incoarent, si deposituræ uirginitatem calcarent rem Vestæ, id est, numini castissimo sacratam. Plautus: Sensim super attolle limen pedes noua nupta. Catullus. Transfer, omine cū bono limē aureolos pedes, rasilēq; subi forē. Sponsæ introductæ potio factitia porrigebatur degustanda. Ouidius in Fastis:

Nec pigeat tritum niueo cum lacte papauer
Sumere, & expressis mella liquata fauis.
Cùm primùm cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibat, ex illo tempore nupta fuit.

ROMÆ hodie mel tantùm degustandū porrigūt. Polyd. lib. 1. cap. 4. de Inuent.

Sponsus sponsam excipit. Colloquitur. Claues tradit. Nuces spargit.

Plutarchus in Problematibus Romanis, quærit, unde mos ille natus sit, ut qui sponsam ad sponsum deducerent, iuberent illam hæc uerba profari, ὅπου σὺ κάιος, ἐγὼ δὲ κάια, id est, Vbi tu Caius, ego Caia. dubitatq;, an prisci uoluerint sponsam his uerbis depacisci cū sponso, ut inter ipsos omnia essent communia, pariterq; imperarent in familia: quasi diceret, Vt tu dominus domus & auctor, ita ego domina domus atq; hera. Forma sermonis sumta uidetur à Iurisconsultis, qui pro quibusuis nominibus ponūt C. Seium & L. Titium, quemadmodum philosophi Dionem ac Theonem. Vnde & illud prouerbium, ex Varrone, Idem Actij quod Titij, quum par duorum ius significatur. An potius ominis causa Caia nominatur, quòd fuerit quædā Caia Cęcilia, mulier cùm eleganti forma, tū probatissimis moribus, antea dicta Tanaquil, quæ nupsit uni è filijs Tarquinij, uidelicet Tarquinio Prisco. Huic Caiæ Romani posuerunt statuā æream in templo Sancti. Sic enim scribit Plutarchus, ἐν τῷ τῶ σάγκτι ἱερῷ. Is erat deus olim hoc nomine cultus apud Romanos, unus è numero duodecim selectorum. Ibidem antiquitus erant reposita illius sandalia & colus, quorū illa testabantur eam domi manentem familiæ curam habuisse: hæc industriam significabat, quòd muliebres operas diligēter obierit, lanificij studiosa. Huius itaq; nominis mentio sponsam admonebat, ut talis esset suo marito, qualis Caia Cæcilia fuerat suo. Inter priscas nuptiarū cæremonias seruabatur & illud, quòd inauspicatū habebatur, uel sponsum uel spōsam proprijs appellare nominib. Quin & in hodiernū usq; diē obseruatur, ut sponsa relicto cognomēto gentilitio trāseat ad cognomē uiri, ut Hectoris Andromache. Erasm. in Adagijs.

